Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
RC
270
ROMA

RC 270

Errata.

..col.1.lin.3.extrema.leg.extremi.pag.12.li.vlt diuina.l.creata.p.41.co.2.li.9.illã.le.eſt illã.p.42.co.1.lin.33.diſpoſitione illi.le.diſpoſitione ille.p.43.co.1.li.39.dicis.le.dicunt.co.2.li.31.quam priuatio.le.quam negatio.p.43.co.2.li.13.iuſſum.le.viſum.li.15.iuſsinne.le.viſione.p.47.c.1.li.26.obiectiua.le.ſubiectiua.p.48.c.2.li.42.Bi.le.Si.p.3.c.1.li.30.Relatio.le.Creatio.p.35.c.1.li.4.tranſiens.l.immanens.p.61.c.1.li.26.vtroq;.le.vtraque.li.pen.quidditas.le.quidditaté.c.2.li.27.determinata.le.determinatá.p.64.c.2.li.5.immobili.le.in mobili.p.65.c.1.li.9.nulli.le.nulla.p.70.c.2.li.45.euacuabat.l.euacuat.p.78.c.1.li.46.quid.le.qui.li.48.talis.le.tale.p.79.c.2.li.32.quæſt.15.le.quæſt.16.p.82.c.1.li.48.producenda.le.producendi.p.84.c.1.li.51.quæ.le.qui.p.88.c.1.li.13.q.le.ob quod p.89.c.1.li.pen.aquæ.le æquẽ.c.2.li.26.formales.le.formalis.li.30.formalis.le.formales.p.90.c.1.li.antep.procedétis.le.præcedétis.p.95.c.2.li.41.dixi.le.dixi.p.97.c.2.li.18.intrinſeco.le.intrinſecũ.p.100.c.2.li.26.pater.le.patré.li.31.produeuntur.le.producẽt.p.107.c.2.li.47.Deus eſſet.le.Deus non eſſet.p.114.c.2.li.38.quare dependet.le.que dependet.li.31.in.le.vt.p.115.c.1.li.50.qua.le.quæ.c.2.li.34.deordinationé.le.ſubordinationé.li.41.illarũ.l.illorũ.p.116.c.1.li.17.ac.le prima.c.2.li.51.doctores.le.docturis.p.117.c.1.li.34.&quinque ſequentis, ſic legis.tendens aſsimilare ſibi effectum. Cauſa autem inſtrumentalis non intendit aſsimilare ſibi effectum quia non habet propriam formam,ſed per virtutem ſuſceptam à principali agente operatur vti penicillus, Cauſa auté moralis &c.p.117.c.2.li.43.hominé licet.le.hominé gratũ,licet.p.123.c.1.li.40.remiſtentiá.le.renitentiá.p.126.c.1.li.38.ſanguine miſsionis.le.ſanguinis miſsione.p.128.c.2.li.46.2.2.le.1.p.131.c.2.li.22.generis.le.differentiæ.p.140.c.2.li.32.exiſtentia.le.ſubſiſtentia p.142.c.2.li.3.Matthæo.le.Metaph.p.145.c.1.li.11.aut.le.vt.p.130.c.2.li.4.quæ.le.quæ eſt.p.169.c.1.li.16.conſtito eſt.le.conſtituto iam.li.26.intelligentijs.le.intelligens.c.2.li.20.natura.le.naturæ.p.172.c.1.li.14.qui.le.quæ.p.174.c.1.li.47.eſt.le.es.p.177.c.1.li.33.delere.le.deſerere.p.181.c.1.li.13.cómuni.le.cómune.p.182.c.1.li.38.actio.le.actu.p.183.c.2.li.29.reſpectu.le.reſpectus.p.191.c.1.li.10.in.l.enim.p.193.c.2.li.29.exiſtété.l.exiſtés.p.198.c.2.li.33.aliud quá.le.aliud dicit quá.p.202.c.2.li.9.adæquatũ.le.adæquatá.p.204.c.1.li.39.ſunt.le.ſicut.p.210.c.2.li.antep.præſés.le.præſens li.pen.ſi.le.ſit.p.212.c.2.li.29.ſaltim ſitim ſequitur.le.ſaltim ſequitur.p.207.c.1.li.28.dare.l.dari.p.222.c.2.li.15.videres.le.videre.p.224.c.1.li.7.totalis.le.totales.p.226.c.2.li.34.humoris.le.humores.p.227.c.2.li.3.poſſunt.le.poſſe.p.241.c.2.li.49.non ſi.le.niſi.p.244.c.2.li.5.moueri.l.mouere.li.12.planta.l.plantæ.li.50.ſi genitur.le.gignitur.p.262.c.2.li.32.cófirmatur.le.cófirmationé.p.271.c.1.li.12.terminus.le.terminos.p.278.c.2.li.33.ratio.le.rationé.p.291.c.2.li.4.res.le.rei.p.308.c.2.li.vlt.determinatu.le.determinatio.p.312.c.2.li.29.ly.le.illi.p.322.c.2.li.28.ciuis.le.eius.li.36.poſtulat.le.poſtulare.p.326.c.1.li.20.reddatis.le.reddatur.p.344.c.2.li.49.viuiſui.le.viſui.p.346.c.1.li.4.cognoſceret.le.cognoſcere.p.351.c.1.li.26.ſubſtantia,ſi.le.ſubſtátias.li.35.produle.producere.p.132.col.1.lin.16.durationes.le.duratione.lin.30.creatiuæ.l.creatæ.lin.32.eos.le.eo.pag.368.columna.2.linea.4.ſoli.le.ſolis.p.372.c.1.li.5.ſela.le.ſequela.p.382.c.2.li.41.neceſſario nó fatendũ.le.neceſſario fatendũ.p.383.c.1.li.10.olus.l.alius.p.383.c.1.li.42.coniunctiones & ſibus.le.coniuncto & ſenſibus.p.385.c.1.li.18.ſingularis.le.ſinguare.p.387.c.2.li.12.vtram.le.veram.p.411.c.2.li.2.cótingentia.l.cótingentis.li.3.nullo.le.nulla.p.424.c.2.li.50.recipens.le.reciperer.p.448.c.1.li.8.ſtatim.ſtatim.le.ſtatum.ſtatum.p.431.c.2.li.50.argumenta.le.ad argumenta.p.452.c.2.li.32.ereitũ.le.exercitũ.p.471.c.2.li.3.ſupernaturalé.le.népe ad ſupernaturalem.li.5.quæ nempe ad nó.le.quæ non.p.478.c.1.li.16.alium angelũ.le.alius angelus.p.484.c.2.li.30.ordinade.le.ordine ad.li.46.æquè.le.equus.p.488.c.1.li.antep.holicor paũrs.le.tholicorum pars.p.311.c.1.li.2.ſtatum.le.ſtat cum.pag.534.columna.2.li.27.Deo.le.adeo.p.536.c.2.li.27.cũ enricũ.le.cũ Enrico.p.541.c.1.li.9.feminis.le.fenimis.p.548.c.2.li.7.exaltobi.le.exaltabo.p.549.c.2.li.3.appitere.le.appetiere.p.530.c.1.li.33.ſe.le.te.p.562.c.1.li.29.ex.le.&.c.2.li.15.annullo.le.á nullo.p.575.c.1.li.36.pondent.le.pondet.p.582.c.1.li.10.inuoluétates.le.inuoluentes.p.585.c.1.li.17.firmitens.le.firmiter.p.387.c.1.li.11.imo.le.vno.l.15.vno le.rem.p.588.c.2.li.41.auditio.le.audit.p.393.c.2.li.23.facientem.le.gratum facientem.p.601.c.2.li.42.operantur.le.operaretur.p.602.c.1.li.5.coniungentur.le.coniungeretur.li.46.eſt.le.&.p.614.c.1.li.20.peccaſſet.le.peccaſle.p.622.c.1.li.36.eſſet.l.opus eſſet.p.627.c.1.li.1.ſtant.le.ſtaret.p.637.c.2.li.42.peccant.le.peccaret.p.660.c.1.li.48.49.ératem.berent.le.britatem.cerent.p.661.c.2.li.45.quid.le.qui.p.674.c.2.li.33.quam.le.quoniam.p.680.c.1.li.1.rational cuius.le.ratione alicuius.p.698.c.2.li.34.ſua in.l.ſuá.p.700.c.1.li.pen.Theologa tentur.le.Theologi ſatentur.c.2.li.44.fauere.le.facere.p.705.c.1.li.32.partũ.le.partiũ.p.707.c.2.li.20.confirmate.l.cóformitate.p.712.c.1.li.31.vol.tate.le.vdita.c.2.li.30.deci.le.deciſi.p.715.c.1.li.36.vt dendũ.le.videndũ.c.2.li.14.remouentate.le.remouente.p.718.c.2.li.pen.prælio.le.prælo.

¶Con eſtas Erratas eſta correcto eſte libro conforme a ſu original.En fe de lo qual lo firme. En Salamanca oy veynte de Enero.1595.Años.

Manuel Correa
de Montenegro.

DISPVTATIONES THEOLOGICAE, ET COMMENTARIA IN SECVNDVM LIBRVM SENTENTIARVM SVBTILIS DOCTORIS SCOTI.

Per Fratrem Franciſcum de Herrera Ordinis Minorum regularis obſeruantiæ Prouinciæ S. Iacobi, Diffinitorem & in conuentu Salmanticenſi Sacræ Theologiæ prælectorem fæliciter incipiunt.

Ad clariſsimum Principem D. Antonium Pimentel de Quiñones, Comitem de Luna, & familiæ à Benauente hæredi.

Quæ in hoc volumine continentur ſequens pagina indicabit.



ORD. PRAED.

SALMANTICÆ,

Apud Ioannem & Andream Renaut fratres

M. D. X C V.

L C 270

Diſputationes de Creatione, quatuor.

De Angelis, quindecim.

De ſtatu innocentiæ peccato Adami & eius immortalitate, tres.

De peccato originali, quatuor.

BIBLIOTECA

LICENTIA REVE-RENDISSIMI PATRIS FRATRIS Bonauenturæ à Calathagirona, totius ordinis Minorum Generalis Miniſtri.

FRater Bonauentura à Calathagirona, totius ordinis fratrum minorum Miniſter Generalis ac ſeruus Reuerendo Patri Franciſco de Herrera Theologo perdocto, ac noſtræ almæ Salmanticenſis Vniuerſitatis ſacræ Theologiæ Generali Lectori ac Prouinciæ Diui Iacobi Diffinitori ſalutem. Lumine præclaræ Doctrinæ noſtri ſubtiliſſimi Scoti in Sancta Romana Eccleſia, & animarum ſaluti profectu, totum vniuerſum illuſtrare cupientes, miras ipſius Doctoris ſpeculationes aliquibus difficiles & pœne inacceſſibiles declarantes videtur illis præcipue ac vt omnibus doctis commentarijs clara reddatur libere determinauimus fauoribus eos proſequi, qui in hoc laborant opus.. Cum igitur tuam peracutam doctrinam, ſanctum deſiderium, religionemque cognouerimus: ex ijs adiudicamus diſputationes, ſiue commentaria, quæ in quatuor præfati Scoti libros edidiſti ea, quæ deſideramus eſſe. Ne ergo tantus labor in abſcondito ſit ſed in publicum exeat, ijs noſtris ad meritum Sanctæ obedientiæ tibi mandamus quatenus eorum caſtigationem iuxta decreta ſancti Concilij Tridentini & facultatem ſenatus regij pro cures & ea quàm citius typis mandes. Vale Valliſoleti in expeditione noſtri Generalis capituli

Anni. 1 5 9 3.

Fr. Bonauentura à Calathagirona Miniſter Generalis qui ſupra manu propria.

EL REY.

POr quanto por parte de vos Fray Franciſco de Herrera, de
la orden de Sant Franciſco, diffinidor de la prouincia de San-
ctiago, y Lector de Theologia, nos fue hecha relacion que vos
auiades compueſto vn libro intitulado Diſputaciones Theo-
logicæ, de que haziades preſentacion juntamente con la licẽ
cia de vueſtro Prouincial, ſupplicando nos atento el trabajo
que os auia coſtado, os dieſſemos licencia para le imprimir, y
Priuilegio por veynte años, o como la nueſtra merced fueſſe,
lo qual viſto por los de nueſtro Conſejo, por quanto en el di-
cho libro ſe hizieron las diligencias que la Pregmatica por
nos hecha, ſobre la impreſsion de los libros diſpone, fue acordado q̃ deuiamos de mãdar
dar eſta nueſtra cedula para vos en la dicha razon, y nos tuuimos lo por bien. Por la qual
por vos hazer bien, y merced os damos licencia, y facultad para q̃ vos o la perſona q̃
vueſtro poder huuier, e y no otra alguna, podays hazer imprimir, y vender el dicho libro
que de ſuſo ſe haze mencion, en todos eſtos Reynos de Caſtilla, por tiempo, y eſpacio
de diez años, que corran, y ſe cuenten deſde el dia de la data deſta nueſtra cedula, ſopena
que la perſona, o perſonas que ſin tener vueſtro poder lo imprimiere, o vendiere, o hizie
re imprimir, o vender pierda la impreſsion que hiziere con los moldes, y aparejos della,
y mas incurra en pena de cincuenta mil marauedis, cada vez que lo contrario hiziere, la
qual dicha pena, ſea la tercia parte para la perſona que la acuſare, y la otra tercia parte pa
ra la nueſtra camara, y la otra tercia parte para el juez que lo ſentenciare, con tanto que
todas las vezes que huuieredes de hazer imprimir el dicho libro, durante el tiempo de
los dichos diez años, le traygays a nueſtro Conſejo, juntamente con el original que en el
fue viſto que va rubricada cada plana, y firmado al fin del de Iuan Gallo de Andrada, nue
ſtro eſcriuano de camara, de los que reſiden en el nueſtro Conſejo, para que ſe vea ſi la di-
cha impreſsion, eſta conforme al original, ó traygays fee en publica forma como por cor
rector nombrado por nueſtro mandado ſe vio, y corrigio la dicha impreſsion por el di-
cho original, y ſe imprimio conforme a el, y quedan impreſſas las erratas por el apunta-
das para cada vn libro de los que anſi fueron impreſſos, para que ſe taſſe el precio que por
cada volumen huuieredes de auer, y mandamos al impreſſor que anſi imprimiere el di-
cho libro, no imprima el principio, ni el primer pliego del, ni entregue mas de vn ſolo li-
bro con el original al author, y perſona a cuya coſta le imprimiere, ni otro alguno para
effecto de la dicha correction, y taſſa haſta que antes, y primero el dicho libro eſte corre-
gido, y taſſado por los de nueſtro Cõſejo, y eſtando hecho, y no de otra manera pueda im
primir el dicho principio, y primer pliego, y ſubſeguidamẽte ponga eſta nueſtra cedula,
y priuilegio, y la Approbacion, y taſſa ſopena de caer, e incurrir en las penas contenidas
en las leyes, y Pregmaticas deſtos nueſtros Reynos, y mandamos a los de nueſtro Conſe-
jo, y a otras qualeſquier juſticias que guarden, y cumplan eſta nueſtra cedula, y lo en ella
contenido, Fecha en Sant Lorenço el Real, a veynte, y ocho dias del mes de Agoſto, de
mil, y quinientos, y nouenta y tres Años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nueſtro ſeñor.

*Don Luys de Sa-
lazar.*

❧ CLARISSIMO D. DOMINO ANTONIO Pimentel de Quiñones, Comiti de Luna,

& familiæ à Benauente hæredi, Frater Franciſcus de Herrera, Salutem & perpetuam felicitatem precatur.

HISTORIÆ loquuntur, (clariſſime Princeps) Alexandrum rebus geſtis illuſtrem, animiq; magnitudine celſiſſimum, omnes Philoſophos, Oratores, celebresq; Poetas, quot aliqua ars, nobilis ve virtus commendares, tanta humanitate ſuſcepiſſe, benignitate ſubleuaſſe, ſtudioſo fouiſſe, vt ad beneficium humani generis natus eſſe videretur. Qua celebritate famæ, omnibus abſentibus noto, ex vltimis terrarum ſolis, omnia, omnium Philoſophorum immortalitate digna, literis, prædicationeq; celebranda: ingenij monumenta conſecrabant; nullusq; fuit, qui valeret autoritate aliqua, nullus bonæ indolis iuuenis, nullus vita diſciplinisq; probatus, nullus diſcipulorum frequentia ſtipatus, qui non ad Alexandrum, tanquam ad aſylum confugeret, eius non caperet exe[illegible]voluntatem, ſuæq; æſtimationi conſuleret: nec tanti nominis Princeps, mittendis ad ſe operibus defatigabatur: nihilq; ſibi dulcius, iucundius ve ducebat, quàm, fortunas ſibi in his exhauriri, atque nominis ſui memoriam in orbe memoriam ſempiternam propagari. O ardens tanti viri ſtudium, o ingenij celeritatem, o laudem omni elogio maiorem, quem non inopia, non ſolitudo, non inimicorum copiæ à ſuſcepto itinere auocarunt. Quos ille labores in doctiſſimis viris ſubleuandis non ſuſcepit? quas difficultates non exorbuit? cui curæ, ſumptui, labori vè pepercit, vt literatiſſimi quiq; in altiſſimo dignitatis gradu conſtituerentur? Sic enim ab omnibus ſplendor orbis, lumen ſapientum, officina ſcientiarum, bonorum defenſor, malorum hoſtis, perfugium calamitoſorum, ad quem ſolebant antè, iactati procellis ſe recipere, appellabatur. Quid nite vehementiùs quàm Alexandrum, colamus. Cui Deus eas egregias animi dotes, ac ornamenta ſic animo impreſſit, vt nullis poſſint aduerſæ fortunæ flatibus dimoueri. Nec mirum, ſi omnium oculi in ſe conuertantur, adoleſcentem ætatis flore conſpicuum, gratum facie, affabilitate ſingularem, manſuetudine egregium, omnibus ingenij fortunæq; ornamentis ornatiſſimum. Qui quæ cùm in alijs ſunt diſtantia, ac ferè diuiſa, nobilitatem, manſuetiorum muſarum cognitionem, & virtutem (ſic alijs ſplendorem afferentem, vt ipſa è medio ſublata, omnia communis & priuatæ vitæ præſidia corruant) miniſtraueris, vt firmiſſimo quodam pacis fœdere copulaſſe videaris. Habet neſcio quid per ſe nobilitas, quæ ingenuos aliàs adoleſcentes, & viros alta mente præditos cogit, à maiorum ſuorum genere minimè degenerare. Sicut videmus arbores altiſſimis nixas radicibus, ramos ex ſe procreare validos, fructusq; naturæ nobilitate pares, quod in omni animantium genere experimur. Nec ſolam nobilitatem ad abſtergendas animis ſordes, ad expellendas offuſas poſterorum tenebras (quas ipſi per ſe minores, maiorum ſuorum dignitatis obliti, & blandientis naturæ cupiditate allecti contraxerũt) ſufficere, nemini ſanæ mentis licuit vnquam dubitare. Sola virtus eſt (mihi crede) quæ nobilitatem illuſtrat. quæ homines ex luto & argilla confictos, ſola poteſt beatos efficere, illuſtri verò loco natos in omniũ oculis, & ore locare, quæ nec aduerſis frangitur, nec ſecundis inſoleſcit, per ſe ſplendet, per ſe eſt laudabilis, nec alienis ſordibus obſoleſcit. Hæc mihi ardentes faces adiecit, vt te, quem viderim, & ſalutauerim, non niſi vehementi proſequar amore; quem ſolidæ nobilitatis arce, huiuſce Prouinciæ Patronum, & aſylum, ſplendorem orbis, lumen Hiſpaniæ, omnis probitatis ſpecimen, hilari fronte, omnes admirantur. Et, quod commendatione maiori maximè dignum videtur (vt antiquiſſimis Scripturæ monumentis, conſignatum legimus) in tua familia, quendam pariter religionis, virtutisq; inſigni florentiſſimum virum oppidum quoddam ter mille terruncijs vendidiſſe, vt Chriſtum humani generis Redemptorem Hieruſalem incolentem, inuiſeret. O ardens teſtandæ pietatis deſiderium, o egregiè traductam vitam, non efumoſis imaginibus, aut marmoreis ſignis, aut auitis rebus geſtis petitam, qui vt omnibus paceficiſti, quantum

paternum genus effingeres, cùm eiuſdem veſtigia inſectere, ita dubium omnibus, vtra laude præſtiteris, reliquiſti. Nam ita pietatem nobilitati, nobilitatem pietati adiunxiſti, vt quæ per ſe optima ſunt, in te melius condita eſſe videantur. Vnde nihil mirum, ſi huius nobilitati cæteri reſpondentes, alijs Hiſpaniæ familijs (quod ſine inuidia cuiuſquam dictum velim) excellere iure optimo contingerit. Huiuſce rei nobis certiſsimum præbent teſtimonium, Suero Perez de Quiñones, ex quo ſpectatiſsima Leonora de Quiñones originem duxit, quæ, cùm fæmina fuerit, tamen virtute perfecit, vt quæ à parentibus acceperat beneficia minimè mutares, quin potius maiora redderet. Ex qua ſecundis auſpicijs (cùm maternæ autoritates illum circunſtarent, quæ ſe domeſticæ laudis obliuiſci non finerent) ortus eſt fortunatiſsimus Didacus Ferdinandus de Quiñones, qui ita fortunam cum virtute adæquauit, vt quemadmodum excellentiæ nomine euerſor Carthaginis, & Numantiæ, dictus eſt Scipio, ſic hic omnium conſenſu, fælicisſimus eſt appellatus. Qui ea fuit fælicitate tanquã fælici ſidere natus, vt ſex ſibi chariſsimas filias, cum ſex primarijs Hiſpaniæ viris in matrimonio locauerit. Dominam Tereſam, cum Almirante Caſtellæ. Ex quibus propagata eſt omnis virtutis exemplar, D. Domina Ioãna Aragonum Regina, ex qua Ferdinandus Catholicus Rex, in Chriſti nomine propagando diligentiſsimus, ex quo Regina Domina Ioanna, Ex qua Carolus V. magni nominis Imperator: Ex quo in Catholiciſsimus, Sãctæ ac Romanæ Eccleſiæ acerrimus defenſor Rex noſter Philippus, ſereniſsimusq; Princeps, tanto patre digniſsimus filius, tanquã è capite mẽbra, aut è fonte riuuli, effluxerunt. Aliàs omitto lubens, vt Dominam Eluiram, quæ Comiti à Tendilla nupſit. Præterea Dominam Leonoram, quæ in familiã Valentinam ſe recepit: relinquo aliàs, quarum altera ex familia à Carrillo maritum duxit, altera domum à Balduerna propriam dicauit: hoc verò ſilentio inuoluendum non eſt (ne ingrati animi vitium ſubire videar) Dominam Mariam cum familia à Benauẽte, ſe coniugio ſtabili coniunxiſſe. Tantaq; eſt copia virorum vndiq; occurrentium (quorũ laudes in aliud tempus reijcio, ne epiſtolæ fines tranſgrediar) vt cùm multa dixero, ſi multa prætermiſero, ne mireris: id enim clarorum virorum factis rerumque vndique occurrentium magnitudini tribuẽdum putato. Sed vt, vnde exorſa eſt, in eodem terminetur oratio, creatus ab illo eſt Fortunatiſsimo, Petrus de Quiñones dominus à Luna. Huic ſucceſsit Didacus Ferdinandus à Quiñones, primus Comes de Luna. Hunc ſequutus eſt Dominus Bernardinus: Huic proximus extitit Dominus Frãciſcus. Eodẽ clauo Claudius affixus eſt. Vicinus huic contigit Dominus Ludouicus: Hunc proximè ſectata eſt Domina Catherina nobiliſsima mater tua. Tãdem tu laborum meorum Mæcenas, Dominus Antonius, qui ſæpius in adoleſcentiæ radicibus de diuinis egiſti, quã alij ad fallaces mundi honores animum appulerunt: ſæpius indomitas animi cupiditates fregiſti, quàm alij blandis ceſſerunt voluptatibus. Quem non obſcurior nobilitatis ſplendor, quàm cæterorum illuſtrem familiam Principum celebrat, tot namque in ſublimis tui Regis ditionem familia tua redegit, vt nulla verborum ſerie, nullis literarum monumentis, nulla eloquentium laude, non dico enerrari, ſed nec vix numerari poſſe videatur. Cuius infantia, ad noſtram Seraphicam defendendam tutandamque religionem, non alienis præceptis, ſed ſuopte ingenio, non præceptoribus in aures inſuſurrantibus, ſed ſuauiſsima animi conſuetudine, eſt traducta. His plurimis iuſtiſsimiſque de cauſis impulſus, hanc in tenebris iacentem veritatem, Scotique ſubtiliſsimi ſubtiles ſententias, in lucem edendas exiſtimaui. Accipe igitur lubentiſsimis animis, hoc literarium munuſculum, meæ erga te perpetuum beneuolentiæ teſtimonium. Noli igitur in bene agendo defatigari, retine in noſtra defendenda religione perpetuitatem à maioribus iam diu repetitam, & quaſi hæreditario iure in te influentem: vt qui te colimus, qui te diligimus, qui tuarum virtutum præcones ſumus, ardentiùs deinceps diligamus, & pro dignitate, literis, & virtute veneremur. Vale.

AD LECTOREM.

HAVD quaquam poſſum (chariſsimè lector) tibi non rependere gratias propter eximium donum mihi à te ſumma cum beneuolentia cōmiſſum, Quod quidem maxima æſtimatione dignum re putaui, ſiquidem experimento cognoui voluntatem tuam hilari vultu & facie læta meos labores maxima cum delectatione recepiſſe. Plane quidem cōfiteor quod quanuis difficultas operis (qualis eſt Commentaria in Scotum in lucem edere, quòd onus grauiſsimum eſt & cum tantis Doctiſsimis grauiſsimiſque viris, qui ab hinc multis annis in ipſum inuehunt illumq; aduerſantur inire certamen) ingentem metum mihi iniecerit, quotidieque inijciat, conſiderans me ipſum omnino compulſum tantis viris reſiſtere, eorum rationibus ſatisfacere, argumentorum tela retundere, Doctrinamq; noſtram roborare & forticare, quę ex falſo eius intellectu, aut ex paruo ignauoque ſtudio, multi ſunt re iam coacti quod in hac noſtra Hiſpaniarum parte quaſi fugitiua & vaga ſacram ancoram vbi requieſcat ſeduliſſima quærit. Sed alia ſunt quę magnopere mihi animum recreāt veritatis ſcilicèt vis; veritas enim vt communiter fertur omnia vincit, & prꝗterea tua erga me voluntas qua diſputata ſuper primum ſententiarum à me diebus elapſis publicatum quibus rationibus commotus auſus ſum modo commentaria ſuper ſecundum librum ſententiarum eiuſdem ſubtiliſsimi Doctoris Scoti tibi offerre, etſi aliquid boni in ipſis inueneris rogo vt gratias referas Patri luminum ex cuius fonte omne datum optimum & omne donum perfectum deriuatur. Si autem aliquid defectuoſum vel labe maculatum perſpexeris mihi tribuendum confiteor, deprecor autem vt cum huiuſmodi defectus videris tua viſcera pietate moueantur non enim poteſt homo ſine Dei Opt. Max. Ope aliquid boni, agere ſed tanquam imbecillis & fragilis in multos errores & ignorantias detrudi. Vale.

Cenſuræ ſapientiſsimorum Magiſtrorum huius almæ Academiæ Salmanticenſis.

EGo Magiſter Frater Franciſcus Zumel, totiùs ordinis Sanctæ Mariæ de Mercede Generalis, in Salmanticenſi Academia Cathedræ Moralis Philoſophiæ proprietarius, perlegi & qua potui diligentia conſpexi ſeptem quaterniones ex ſecundo libro ſententiarum edito à P. F. Franciſco de Herrera, qui incipiunt à principio libri vſque ad quæſtionem duodecimam incluſiuè, in quibus nihil reperio, quod fidei Catholicæ aduerſetur, nec ab ea diſſonet, ſed potius Catholicam, veram, eruditamque Doctrinam, & quæ Scholaſticæ Theologiæ ſtudioſis magnam afferet vtilitatem. Salmanticæ. die 18. Iulij Anni. 1593.

F. Franciſcus Zumel
M. Generalis.

EGo Magiſter Didacus Rodriguez de Lenzina, in vniuerſitate Salmanticẽſi D. Thomæ Cathedraticus, & in Theologiæ facultate Decanus legitimus, accuratè legi ſex quaterniones huius libri ſuper ſecundum librum ſententiarum Scoti, qui continent graues, & ſubtiles quæſtiones magno labore, accurata & diligentia, ingenijque acumine examinatas, quæ nullam hæreſim, errorem, temeritatem, aut ſententiam aliquam fidei noſtræ Catholicæ, aut Sanctæ Romanæ Eccleſiæ contrariam, ita vt poſsit cenſurari vel deleri, quod tanquam verum manu propria ſubſcripſi.

El Maeſtro Diego Rodriguez
de Lenzina.

COmmiſsi mihi fuerunt ſeptem quaterniones ex libro P. F. Franciſci de Herrera à quæſtione de ſubſtantia Angelorum vſque ad octauã quæſtionem quæ agit de motu diſcreto Angelorum quos vidi inſuper & alios vndecim, in quibus omnibus nihil inueni quod non eſſet Doctrina ſana, ſecura, admodumque defenſabilis, nihilque erroris aut ſuſpicionis in eis reperio ſed potius abundantem & vtiliſsimam Doctrinam omnibus Scholaſticam Theologiam profitentibus. Salmanticæ die. 19. Iulij. Anni 1593.

F. Bartholomæus Sanchez
Magiſter.

EGo Ioannes Alfonſus de Curiel, perlegi (qua potui diligentia) ſeptem quaterniones (qui incipiunt à quæſtione octaua de motu Angelorum vſque ad quartam de ſpeciebus intelligibilibus Angelorum) libri Patris Magiſtri Fratris Franciſci de Herrera, ſuper ſecundum librum ſententiarum ſubtilis Doctoris Scoti, in quibus nihil reperi, quod hæreſim, errorem, temeritatem aut ſententiam fidei noſtræ Catholicæ, aut Sanctæ Romanæ Eccleſiæ contrariam ſed potius abundantem, & omnibus Scholaſticam Doctrinam profitentibus vtiliſsimam doceat in cuius teſtimonium propria manu ſubſcripſi Die. 18. Iulij. 1563.

Ioan Alonſo
Curiel.

VIdimus diſputationes Patris Magiſtri Fratris Franciſci de Herrera, ſuper ſecundũ librum ſententiarum Doctoris ſubtilis Scoti, quæ de ſtatu innocẽtiæ & de peccato originali tractant, in quibus maximam inuenimus eruditionem, ſubtilitatem, Doctrinæ veritatem, & ingenij acumen, omnibuſque Scholaſticã Doctrinam profitentibus maximè neceſſarias, in cuius teſtimonium præſentes literas ſubſcripſimus, datis in noſtro conuentu Sancti Stephani Salmanticenſi Die. 20. Septembris. 1594.

Fr Dominicus Bañes.	*F. Alfonſus de Luna.*	*F. Petrus de Herrera.*

FRATRIS FRANCISCI DE HERRERA ORDINIS MINORVM PROuinciæ S.Iacobi Diffinitoris, & in conuentu Salmanticenſi Sacræ Theologiæ prælectoris, diſputationum Theologicarum in Secundum librum ſententiarum Doctoris ſubtilis Scoti.

Diſputatio prima, De rerum creatione, continens ſedecim quæſtiones fœliciter incipit.

Prima, Vtrùm poßit Deus aliquid creare?

Secunda, Vtrùm creatio poßit ratione naturali oſtendi?

Tertia, Vtrùm Deus concurrat immediate actu cum cauſa ſecunda ad quamlibet eius operationem?

Quarta, Vtrùm Deus ſit cauſa immediata immediatione virtutis & ſuppoſiti quando cum cauſa ſecunda operatur?

Quinta, Vtrùm iſta ſit conſequentia formalis, Deus vbiq; operatur, ergo vbiq; eſt?

Sexta, Vtrùm accidens poßit producere ſubſtantiā?

Septima, Vtrùm creaturæ antequam creentur, habeant actu aliquod eſſe reale diſtinctum ab eſſe ſuæ cauſæ?

Octaua, Vtrùm creaturæ antequam habeāt eſſe per creationem ſint in potentia obiectiua?

Nona, Vtrùm complexa neceſſaria habeant cauſam productiuam ſui eſſe?

Decima, Vtrū poßit Deus aliquid de nouo creare?

Vndecima, Vtrùm creatio actiua ſit actio trāſiens?

Duodecima, Vtrùm actio ſit ſubiectiue in agente an in paſſo?

Decimatertia, Vtrùm actio quæ eſt in agente, ſit forma abſoluta vel reſpectiua?

Decimaquarta, Vtrùm creatio actiua ſit aliquid in Deo an vero in creatura?

Decimaquinta, Vtrùm inter agens & patiens, inter cauſam & effectum, vltra virtutem actiuam ipſius, vel productiuam mediet actio aliqua vel productio?

Decimaſexta, Vtrùm ſint aliqui reſpectus extrinſecus aduenientes?

TEXTVS.

Reſpōdeo, Creare eſt aliquid de nihilo producere in effectu. Diſt.1. quæſtione.2. ante literam. A.

EXPLICATIO LITERÆ.

DOCTOR in hac litera ſupponit creationem eſſe poßibilem, & definit eam, dicens, creationem eſſe productionem entis nullo præſuppoſito ſubiecto. Ordo (quem Doctor ſequutus Magiſtrum ſeruauit in hoc ſecūdo libro) talis eſt. In primo egit enim de Deo ſecundum quod in ſe eſt, & de operationibus Dei ad intra, tam productiuis, quā operatiuis. Egit enim de Deo, quatenus Trinus, & vnus eſt, egit de Patre, Filio, & Spiritu ſancto, & de productionibus, qua Pater producit Filium, & qua Pater & Filius producunt Spiritū ſanctum. Egit etiā de proprietatibus vniuſcuiuſq; perſonæ diuinæ cōuenientibus, & denique de his omnibus, quæ cōueniunt Deo ad intra vt intelligere & velle. In hoc igitur ſecundo incipit agere de operationibus, quæ conueniunt Deo ad extra, ideſt de illis, quibus Deus extra ſe aliquid reale producit diſtinctum realiter ab ipſo, quod creatura dicitur. Et licet cognitio Dei quatenus eſt author naturæ ſit nobis notior, quia ex naturalibus poteſt haberi, & iuxta doctrinā Philoſophi, à notioribus nobis ſit incipienda diſputatio, quia tamen Theologica cognitio non in lumine naturali habet fundamen

tum, ſed in fundamento Apoſtolorũ & Prophetarũ, & in diuina reuelatione, cũ Theologus agat de Deo ſecundum quod per lumen fidei eſt cognitus, hinc prouenit quod prius agendum erat de Deo ſecũdum quod in ſe eſt, & ſecluſa quacumque relatione, & ordine ad aliquid, ab ipſo diſtinctum, & poſtea de ipſomet Deo; ſecundum quod eius operatio ad aliquid diſtinctum ab ipſo Deo extenditur, & ſic prima diſputatio in hoc ſecundo ſententiarum agit de Deo, ſecũdum quod per ſuam operationem aliquid in tempore reale realiter diſtinctum ab ipſo producit, & quia Deus ad talem productionem nullum ſupponit ſubiectũ, ex quo tale productum producat, quæ productio communiter creatio dicitur, ideò quærens Doctor vtrùm poſsit Deus aliquid creare, ponit priùs diffinitionem creationis, dicens, creationem eſſe productionem entis de nihilo. Vt autem iſta litera meliùs intelligatur, & tota creationis diſputatio initium habeat, ſit prima quæſtio.

QVÆSTIO PRIMA.

¶ Vtrùm poſsit Deus aliquid creare?

PRO parte negatiua eſt primum argumentum, ſi Deus poteſt aliquid creare maximè quia poteſt aliquid aliter nunc ſe habere, quam priùs, ſed in creatione nihil poteſt aliter ſe habere quam priùs, ergo. Probatur minor. Primò, non Deus, quia Deus nõ poteſt mutari, iuxta illud Malach. 3. ego Deus & non mutor. Nec etiam creatura: quia creatura non præfuit ante creationem, ergo. Creatura in creatione non ſe habet aliter, quàm priùs ſe habebat, cum priùs non ſe haberet.

¶Secundò. Creatio eſt productio entis ex nihilo, ſed ex nihilo nihil fit, ergo per creationem Deus nihil poteſt creare. Maior eſt manifeſta, & minor patet ex Ariſt. 1. Phyſi.

¶Tertiò. Creatio eſt actio, ergo debet recipi in aliquo ſubiecto, ſed non in Deo, quia cum ſit actio noua, implicat quod Deo conueniat, (cum nullum reale nouũ poſsit Deo cõuenire) nec etiã creaturæ, quia priùs eſt creatio, quã creatura, quæ per creationẽ habet eſſe, ergo creatio non poteſt Deo conuenire.

¶Pro explicatione huius quæſtionis ſunt notanda nonnulla. Primũ eſt, quod creatio eſt productio entis ex nihilo, vel alicuius rei ex nihilo, vt docent D. Aug. 12. de ciuit. Dei. cap. 25. Vel eſt productio totius entis, nulla præſuppoſita materia, aut aliqua parte ex qua producatur. Ex quo colligitur differentia inter creationem, & alias mutationes: nam reliquæ mutationes præſupponunt ſubiectum; vt patet in generatione, & alteratione; in generatione enim, forma quę producitur, educitur de potentia materiæ, & in alteratione, forma alterans ſupponit ſubiectum, de cuius potentia educitur, at vero in creatione, cum nullum ſubiectum, aut materia requiratur, non poteſt forma nouiter producta de potentia alicuius ſubiecti educi, ſed totum ſimul vnica actione producitur.

¶Secundò eſt notandum ſecundũ Anſelmũ Monoloſium cap. 8. (quẽ refert Doctor in hac quæſtione ante literam. A.) quod, ly, de nihilo poſitũ in definitione creationis, ſumitur multipliciter. Primo modo materialiter, & in hoc ſenſu omnes Philoſophi cõſentiũt, quod ex nihilo nihil fit, quia impoſsibile eſt quod nihil ſit materia alicuius entis. Secũdo modo capitur cauſaliter, & tunc ſenſus eſt, quod nihil eſt cauſa alicuius; & in hoc ſenſu illa propoſitio (de nihilo nihil fit) veriſsima eſt, quia nihil non poteſt eſſe cauſa efficiens alicuius. Tertio modo ordinabiliter, vt ſenſus ſit, ex nihilo aliquid fit, id eſt, poſt nihilum aliquid fit, & in hoc ſenſu concedunt Philoſophi, Deũ poſſe creare, dummodo illud (poſt) dicat ordinem naturæ, & non durationis, ſcilicet quod prius natura non eſſe præcedat ipſum eſſe, pro quo videndus eſt Auicenna. 6. Metaphyſicæ cap. 2. 2. *Notab.*

¶Tertiò eſt notãdũ cum Doctore litera A. quod iſte ordo naturæ poteſt cõſiderari dupliciter, ſcilicet poſitiuè, & negatiuè; poſitiuè, illud eſt prius natura altero, quod eſt ens poſitiuum, & poſterius natura ſimiliter eſt ens poſitiuum, & ambo illa ſimul inſunt illi cui dicuntur conuenire, ſed vnum illorum prius natura ineſt altero. Sicut. v. g. Animal rationale, iſta duo inſunt homini, & dicuntur de homine, ſed prius natura animal ineſt, & dicitur de homine, quàm rationale, & cum vtrumque extremum ſit poſitiuum, erit prioritas natura poſitiua. Illud tamen intelligendum eſt iuxta illa, quæ diximus in primo Diſputatione. 10. quæſt. 6. ſcilicet ex natura ipſorum extremorum; ſecus autem 3. *Notab.*

tem cum iſta reduplicatione, prout in homine; quia licet animal & rationale ex natura vtriuſque extrema talem ordinem ſeruent inter ſe, quòd animal ſit prius rationale, tamen prout animal habet eſſe in homine, prius eſt rationale quam animal, & ratio huius differentiæ eſt, quia ſi conſideremus animal, & rationale, ſecundum ſuas naturas, nec animal habet eſſe rationale, nec rationale habet eſſe animal, & quia illud eſt prius, à quo non conuertitur ſubſiſtendi conſequentia, & bene ſequatur, eſt rationale, ergo animal; non tamen eſt animal, ergo rationale, ideo prius eſt animal, quam rationale, ſi tantum natura vtriuſque ſeparata conſideretur. At vero, ſi iſta duo conſiderentur prout in homine, tunc rationale prius eſt quam animal, quia animal in homine habet eſſe per rationale, & non è contra; & ſicut rationale prius eſt quàm illud eſſe, quod tribuit animali, ita rationale prius eſt quam animal, ſecundum illud eſſe, quod habet per rationale, & propter hoc dico, quod aliter ſunt conſideranda, animal & rationale in homine, ſi ſecundum ſi conſiderentur, & aliter, ſi cum hac reduplicatione prout in homine, & Doctor in hac litera intelligendus eſt iuxta primum modum, non verò iuxta ſecundum; videnda ſunt quæ ibi dixi in ſolutione ad tertium, cum ſua confirmatione. Prius autem natura priuatiuè, eſt illud, quod eſt priuatiuum, & non oportet vt inſit illi, cui dicitur primo conuenire; ſed ineſſet prius natura ſuo poſteriori, ſi non impediretur: ſicut, verbi gratia. Priuatio formæ (comparando illam ad materiam) prius natura ineſt, quam forma, non tamen, quod priuatio & forma ſint ſimul, ſicut dicebamus contingere in animali, & rationali, nam iſta duo (ſcilicet priuatio & forma) non ſe habent in ordine ad materiam, ſicut rationale & animal in ordine ad hominem, nam iſta ambo inſunt homini: priuatio autem, & forma non inſunt materiæ, cum priuatio, & forma illi priuationi correſpondens opponantur, nec poſſunt eidem conuenire. Nec etiam ex eo dicitur priuatio prius conuenire materiæ, quam forma, quia priuatio prius ineſt materiæ, quam forma, quia poteſt Deus producere quoddam totum totaliter, ita vt de nouo produeat, & materiam, & formam, & in tali caſu priuatio non prius ineſſet materiæ, quam forma, cum ſimul eſſent materia, & forma in materia. In hoc igitur conſiſtit prioritas naturæ priuationis, in ordine ad formam reſpectu materiæ, quia poſita entitate materiæ, & remota, vel circumſcripta omni cauſa prima, vel ſecunda extrinſeca, materia habebit priuationem, & non formam; & quia forma non poteſt eſſe in materia, niſi per actionem alicuius cauſæ, ideo dicitur, quod priuatio formæ prius conuenit materiæ, quam ipſa forma.

¶ Quarto eſt notandum, quòd iſta duo prædicata, eſſe, non eſſe, ita conueniunt creaturæ, quod prius natura conuenit creaturæ non eſſe, quam eſſe: & hoc loquendo de prioritate priuatiuè, & ratio huius eſt, quia ad hoc quod creatura non ſit, ſufficit circunſcribere omnem cauſam extrinſecam dantem eſſe creaturæ, qua circumſcripta, creatura, non erit, at vero ad hoc quod creatura ſit, oportet ponere aliquam cauſam dantem illi eſſe. Nec ex hoc ſequitur, quod non eſſe ſit de ratione formali creaturæ, quia tunc conueniret illi in primo modo dicendi per ſe, & repugnaret illi eſſe; nec etiam eſſe, eſt de formali ratione eius, quia tunc eſſet ens per eſſentiam, & Deus, ſed creatura nec eſt ens formaliter ex ſe, nec non ens, quia iſta particula (formaliter) excludit vtramque rationem, ergo. *4. Notab.*

¶ Quinto eſt notandum, quòd inter creationem & quamcumque aliam productionem, multiplex ſolet aſsignari differentia. Prima eſt (quam dicunt nonnulli) quòd ratio creationis attenditur ex hoc, quod quantum eſt ex modo operandi ipſius agentis poſſet rem producere, nullo præſuppoſito ſubiecto, & propter hoc, licet anima rationalis producatur præſuppoſito corpore, verè tamen creatur quia poſſet Deus producere etiam extra quodcumque corpus. *5. Notab.*

¶ Alij autem ponunt differentiam inter creationem, & quamcumque aliam productionem, dicentes, quod quando aliquod ſubiectum (pro illo inſtanti quo forma producitur) concurrit ad illius conſeruationem, talis productio non eſt creatio, at vero quando ſubiectum pro illo inſtanti (pro quo forma producitur) non concurrit ad illius conſeruationem, etiam ſi concurrat ad continuationem conſeruationis illius, talis formæ productio dicitur creatio. Et propter hoc, anima rationalis dicitur creari, quia *Secundus modus explicandi.*

ri,quia pro inſtanti pro quo producitur, nō concurrit materia ad cōſeruationem illius. Et ex hoc etiam prouenit, quod gratia ſecundum aliquos creetur,quia licèt pendeat à ſubiecto quantum ad continuationem cōſeruationis,non tamen pro inſtanti ſuæ productionis: & ſecundum alios non creatur, quia pro quocumque inſtanti pendet à ſubiecto, & in fieri, & in conſeruari.

Tertius modus Caietani. ¶ Tertius modus explicandi eſt Caietani, aſſerentis quod de ratione creationis nihil debet præſupponi, quòd ſit aliquid illius, quòd eſt per ſe primum terminus illius productionis,& ratio eſt,quia in creatione producitur tota ſubſtātia,ex quo fit quod illæ formæ,quæ producuntur ad productionem compoſiti, & fiunt ad fieri ipſius compoſiti,non creantur,quia non fiunt per ſe, tanquam termini productionum.

¶ Ex quibus infertur, quod, vt aliquid dicatur creari,duo ſunt requiſita,primum eſt, quod illud tale per ſe fiat,ſecundū eſt quòd nihil illius (quod creatur)præſupponatur, nec ordine temporis,nec naturæ: quæ duo præſuppoſita includuntur in definitione creationis,quando dicitur, creatio eſt productio entis ex nihilo, in illo verbo (entis) intelligitur primum præſuppoſitum,in illo autem(ex nihilo)intelligitur ſecundum.

Quartus modus Doctoris. ¶ Vltimus modus explicandi prædictam differentiam eſt Doctoris hac quæſtione litera C. vbi dicit,quod creatio eſt productio entis de nihilo , ideſt, non de aliquo ſecundū eſſe exiſtentiæ,nec ſecundum eſſe eſſentiæ,nō tamen de nihilo,ideſt,de nullo modo ente, nec ſimpliciter, nec ſecundum quid. Ratio autem Doctoris eſt, quia nihil creatur à Deo,quòd prius non fuerit in eius intellectu,& voluntate,& per conſequens, priùs habuit ipſum tale eſſe cognitum , vel volitum(quod eſſe, vt diximus in primo. in Diſputatione de idæis eſt eſſe,ſecundum quid,& non tantum denominatio extrinſeca) & in illo eſſe, fundatur poſsibilitas, vt eſt obiectum omnipotentiæ , quare poſſumus conſiderare res ſecundū præciſam connexionem ſubiecti cū prædicato,ante illud inſtās,in quo intelligimus cognoſci à Deo, & tunc tantum ſunt in potentia logica,quæ nihil aliud dicit,quam non repugnantiam extremorum , qualis reperitur in impoſsibilibus abſolute,vti in chimera,quæ habet impoſsibilitatem,non tantum in ordine ad cauſam efficientem(quia nulla eſt cauſa efficiēs,quæ poſſet illam ponere ineſſe) verum etiam in ordine ad connexionem ſubiecti & prædicati,ſicuti & iſta,homo eſt irrationalis,eſt impoſsibilis impoſsibilitate logica, quæ tantum reſpicit naturam ipſorum extremorum: quòd ſi aliqua duo extrema non habeant inter ſe iſtam impoſsibilitatē, ſed ex defectu agentis,non poſſunt coniungi, tunc enim licet inter illa ſit poſsibilitas logica, eſt tamen impoſsibilitas obiectiua: quia non ſunt obiectum alicuius potentiæ actiuæ,potentis illa producere ineſſe reali, & ſic reſpectu agentis naturalis viſio eſt impoſsibilis cæco, quia nullus eſt agens naturale,quòd poſsit reducere iſtum cæcum videntem,non tamen eſt impoſsibilitas logica, quia ex natura extremorum nō repugnāt viſio tali homini,& ſic reperitur in iſto potentia logica reſpectu viſionis , non tamen potentia obiectiua,quia in ordine ad agens naturale illa potentia non eſt obiectum alicuius potentiæ actiuæ, & ſimiliter loquendum eſt in ordine ad agens ſupernaturale , quare potentia logica, & potentia obiectiua in hoc diſtinguuntur ; quia potentia logica tantum dicit ordinem ad non repugnantiam extremorum, potentia autem obiectiua vltra hoc dicit ordinem ad potentiam actiuam agentis, qua potentia obiectiua nihil aliud eſt,quam potentia, quæ eſt obiectum potentiæ actiuæ agentis , vnde ſi nullum eſſet agens, res eſſent in potentia logica,non tamen in potentia obiectiua, & quia Deus in rebus ad extra eſt agens per voluntatem , & per conſequens agens ex cognitione,& amore,cum intellectus & voluntas producant ſua obiecta ineſſe cognito,vel volito, hinc prouenit,quod res priùs ſint in potentia logica,deinde ineſſe cognito,vel volito,deinde in potentia obiectiua, ideſt ſunt obiectum potētiæ creatiuæ Dei, quatenus creatiua eſt, deinde producuntur in creatione ineſſe reale,& propter hoc Doctor(explicans definitionem creationis)docet,quod ly(de nihilo)non debet intelligi, de ſimpliciter nihilo,ſed de nihilo, ideſt,de illo,quod non habet eſſe,nec ſecūdum eſſe eſſentiæ,nec ſecundum eſſe exiſtētiæ , quia nihil tale debet præſupponi, non tamen de nihilo,ideſt,de nullo eſſe,ideſt, nec ſimpliciter nec ſecundum quid , quia eſſe cognitum, vel volitum creaturæ præſupponitur ipſi creationi,quia priùs intelligimus, Deū intelligentē creaturā , & volentem illā,quā creantē,& per conſequēs,eſſe cognitū , vel volitū,præſupponitur creationi ipſius rei.

¶ Vltimo

Vltimo eſt notãdum. ¶Vltimo eſt notandum, quòd aliud eſt dicere ens ſimpliciter, & aliud eſt dicere ſimpliciter ens, & ratio differentiæ eſt, quia ens ſimpliciter diſtinguitur contra ens ſecundum quid,& ſic omnis ſubſtantia eſt ens ſimpliciter,ſicut omne accidens eſt ens ſecundum quid;at verò, ſimpliciter ens dicitur illud, quod opponitur nihilo,& ſic tam ſubſtantia, quam accidens eſt ſimpliciter ens, & ſic quando in definitione creationis dicitur,quòd creatio eſt productio entis, intelligendum eſt,de productione ſimpliciter entis,non autem de productione entis ſimpliciter,quare non tantum ſubſtantia habet eſſe per creationem,ſed etiam accidẽs,cum omnes habitus infuſi habeant eſſe per creationem, licet non ſint ſubſtantiæ ſed accidentia.

Prima cõcluſio. ¶Prima cõcluſio. Deus poteſt aliquid creare. Hæc concluſio eſt de fide, & probatur, ex illo quod habetur in ſymbolo, creatorem cœli,& terræ,& definita eſt in cap. firmiter de ſumm. Trinit. & fide Cathol. & ex illo Geneſ. 1. In principio creauit Deus cœlum,& terram,quæ communis eſt apud omnes Doctores, & probatur: quia Deus poteſt ex nihilo producere, ergo poteſt aliquid creare. Probatur antecedens, quanto aliqua virtus eſt maior, tanto minus requirit de materia ad actionem, ergo virtus infinita nullam requirit materiam ad ſuam actionem,ſed virtus Dei eſt virtus infinita, ergo Deus producit nulla præſuppoſita materia,ſed hoc eſt creare, ergo Deus poteſt aliquid creare.

¶Secundò. Omnia, quæ ſunt producta habent eſſe à Deo,vel igitur præſuppoſito aliquo alio, vel nullo præſuppoſito: ſi nullo præſuppoſito, ergo per creationem, ſi autem aliquo præſuppoſito, vel illud habet eſſe à Deo,vel non,ſi habet eſſe à Deo, vel nullo præſuppoſito,vel aliquo;ſi nullo, ergo Deus creauit illud,ſi aliquo, ergo datur proceſſus in infinitum, conſequens eſt falſum,ergo cum Deus aliquid creauerit poteſt aliquid creare.

Secunda concluſio. ¶Secunda concluſio. Deus eſt prima cauſa efficiens omnium viſibilium,& inuiſibiliũ, quæ habet eſſe realiter diſtinctum ab ipſo. Hæc concluſio eſt de fide, & habetur definita in cap. firmiter de ſumm. Trinitate & fide Cathol. vbi dicitur Deum creatorem eſſe omnium viſibilium,& inuiſibilium,corporalium, & ſpiritualium: & habetur in ſymbolo, vbi dicitur Creatorem cæli, & terræ: & per cælum, & terram, quidquid cælo,& terra complectitur, intelligendum eſt. Et probatur primo ex illo Geneſ. 1. In principio creauit Deus cælum, & terram, & Eſther ca. 13. Tu feciſti cælum, & terrã, & quidquid cæli ambitu continetur,& Ioã. 1. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil,& Actuum. 17. Deus qui fecit mundum,& ea,quæ in mundo ſunt,& ad Coloſſenſes. 1. loquens de Chriſto, dicit, In ipſo condita ſunt vniuerſa, ſiue quæ in cælis,ſiue,quæ in terra ſunt,viſibilia,& inuiſibilia. Ex qua concluſione infertur, nõ eſſe duo principia, vti ponebant Manichæi, alterum bonorum,alterum malorum, alterũ corporalium,& alterum ſpiritualium. Pro quo videndus eſt pater Alfonſus de Caſtro libro de hæreſibus,titulo Deus, hæreſi. 1.

Ad primũ argum. ¶Reſpondetur argumentis;ad primũ,quòd ſi loquamur de mutatione in rigore,creatio non eſt mutatio,ſed diſtincta ab alijs productionibus,ſi autem loquamur de mutatione largo modo,creatura in creatione mutatur; non habendo ſe aliter quàm priùs, ſed habendo aliter eſſe,quam priùs;nam ante creationem habebat eſſe cognitum, & in potentia obiectiua; per creationem autem habet eſſe reale,& in actu formali.

Ad ſecundum. ¶Ad ſecundum concedendo maiorem, & diſtinguendo minorem, vel in productione phyſica,& reſpectu agentis limitati, vel in creatione,& reſpectu agentis illimitati; reſpectu agentis limitati, & in productione phyſica,verum eſt,ſecus autem in creatione,& reſpectu agentis illimitati.

Ad tertiũ. ¶Ad tertiũ reſpondetur,quòd creatio actio eſt in agente, at vero creatio paſſio eſt in creatura:de qua re infra quæſt. 14. & 15.

QVÆSTIO II.

¶Vtrùm creatio poßit oſtendi ratione naturali.

De hac re duplex eſt principalis ſententia, Prima eſt Gregorij Ariminenſis in ſecundo diſtinctione. 1. quæſt. 2. propè finem,vbi dicit, quòd quamuis *Prima ſententia.* concluſio harũ rationum (nempe ꝙ quidquid eſt aliud à primo eſſentialiter dependet à primo) vera ſit, non tamen apparet, quod ipſæ eam efficaciter concludant contra Philoſophum. Et in fine quæſtionis ſic ait. Dico igitur,quòd quamuis vera ſit concluſio,

cluſio,ſcilicet plura entia improducta,rationes tamen illæ,nec aliæ(quas viderim)illam demonſtrant ſimpliciter, vnde ſola fide, & autoritate ſacræ Scripturæ ipſam tenemus. Eandem ſententiam tenet Henricus quodlibeto.8.quæſt.9. aſſerens, ſecundum Ariſtotelem non omnia eſſe producta à Deo. Eandem tenet Gabriel in.2.diſt.1.quæſt.2. art.2.& Baſolis diſt.1.quæſt.1.art. 3. affirmat nõ poſſe probari ratione naturali omnia eſſe producta à Deo.

¶Probant ſuam ſententiam,primo ex Ariſtotele.2.Metaphy.textu 14.vbi habentur hæc verba,de principijs neceſſarijs,nec illis vt ſint,aliquid aliud cauſa eſt,ſed illa cæteris, ergo ſecundum Philoſophum creatio non cognoſcitur naturaliter.

¶Secundò. Si datur demõſtratio aliqua probans omnia eſſe effectiuè à Deo, vel ſumitur ex quidditate Dei,vel ex ſua primitate, id eſt,quia eſt primum ens,vel ex ſua poteſtate,vel ex voluntate ſua, ſed ex nullo horum principiorum poteſt cognoſci demonſtratiuè,quod Deus eſt primum effectiuũ, à quo omnia habent eſſe, vel quod poteſt producere aliquid, nullo præſuppoſito ſubiecto,ergo non poteſt demonſtratiuè probari,omne ens(quocunque modo ſit) eſſe à Deo,neque quòd Deus poteſt aliquid ex nihilo producere. Probatur minor, non primum:quia non conuenit Deo quidditatiuè aliquid cauſare ad extra cum omnia liberè cauſat.Nec etiam ſecundum,ſcilicet ex primitate,quia ſtat ordo,& prioritas inter aliqua,ſine cauſalitate, vt patet: quia primus Angelus licet ſit prior,non tamen eſt cauſa aliorum, & quidditas perfectior ſpecifica non eſt cauſa aliarum ſpecierum imperfectarum, inter quas eſt ordo eſſentialis, ergo. Nec etiam ex perfectione Dei,quia bene datur,quòd vnum ſit perſectius alio, & quod non ſit cauſa illius,vt patet de Angelo, & anima. Nec etiam ex voluntate, vel poteſtate Dei, quia hoc non poteſt demonſtratiuè probari,ergo.

¶Tertiò.Si poſſet demonſtratiuè probari creatio(quatenus eſt productio ex nihilo, vel quatenus dicit omnia eſſe producta à Deo) hoc eſſet ad minus à poſteriori, ſed nec hoc modo,ergo.Probatur minor: quia talis demonſtratio,vel procedit ex dependentia productorum ad ipſum Deum, vt ad cauſam efficientem; aut ex ordine vniuerſi, aut ex potentialitate, & non entitate ipſorum quantum eſt ex ipſis, ſed talis dependentia ad Deum,vt ad cauſam, non eſt nota demonſtratiuè,ſed ſolum ex apparentibus, quia ſolum ex apparentibus nobis, nota eſt dependentia alicuius producti (cum mutatione,& de nouo)ad ſuum producens. Nec etiam ordo vniuerſi eſt nobis euidens, niſi quantum ad hoc,quod vnum eſt perfectius alio,ſed talis ordo non oſtendit nobis,quod omnia habent eſſe ab aliquo vno,ergo. Nec etiam potentialitas,vel non entitas rerum, id nobis demonſtratiuè oſtendit, quia non eſt nobis magis notum,quod creatura ex ſe ſit non ens,quam quod ſit ens,ergo non poteſt demonſtratiuè cognoſci Deũ eſſe cauſam omnium rerum,nec Deum aliquid poſſe producere ex nihilo.

¶Secunda ſententia eſt Doctoris in primo. diſtin.8.quæſt. 1. quam defendit Lichetus in.1.diſt.2.queſt.1.ibi quantum ad tertium articulum,eandem docet D. Tho. 1. parte. quæſt.44.art.1.& Thomas de Argentina in 2. d. 1.quæſtione.1. & Caietan.de ente & eſſentia cap.5.quæſt.10.& Herueus quodlibeto.2.quæſtione.1. *Secunda ſententia.*

¶Pro cuius explicatione,& totius quæſtionis ſunt notãda nonnulla, quorum primum eſt,quod in hac quæſtione duæ inuoluntur quæſtiones,altera eſt,vtrùm creatio ſecundum formalem rationem creationis poſsit cognoſci naturaliter. Secunda eſt, vtrùm Deus ſit cauſa omnium entiũ, ſiue ſit cauſa per creationẽ,ſiue ſit quocunq; alio modo. *1. Notab.*

¶Secundo eſt notandum quòd cauſa dicitur illa,quæ producit effectum, & cum dupliciter poſsit ſe habere,ſcilicet,mediatè, & immediatè,ideò cauſa alia eſt mediata,alia immediata,mediata cauſa eſt inter quam & effectum mediat alia cauſa: immediata verò, inter quam & effectum nulla alia cauſa mediat. *2. Notab.*

¶Tertio eſt notandum quod ratio naturalis poteſt conſiderari dupliciter,vno modo ſecundum ſe,alio verò modo prout in nobis, ſi conſideretur ſecundum ſe, multa poteſt attingere, quæ forſan prout in nobis non poteſt attingere. Et ſimiliter prout in nobis,aliter ſe habet in homine fideli, & aliter in homine infideli:nam in homine fideli perficitur ratio naturalis per fidem intra latitudinem ipſius rationis naturalis, nã multa poteſt fidelis cognoſcere naturaliter,quę non poteſt infidelis. *3. Notab.*

¶Prima concluſio. Ratione naturali cognoſcitur, quòd omne ens aliud à Deo habet eſſe à Deo.Hæc concluſio probtaur primo, *Prima cõcluſio.*

ex

ex Ariſtotele primo de cælo. capite. 2. vbi aſſerit cælos dependere à prima cauſa. Item libro de mundo ad Alexan. capite. 5. dicit, quòd Deus quanuis non videatur, ex ipſis tamen operibus ſatis perſpicitur: nam omne quòd eſt dici poteſt opus Dei eſſe. Et. 1. Metaphyſicæ capite. 2. dicit, Deus cauſa & principium videtur eſſe omnium, & 3. Metaphyſi. textu 15. ait quod antiqui Philoſophi poſuerunt Deos principium rerum, & ab eis orta eſſe omnia, & 12. Metaphy. dicit cauſam primam eſſe omnium cauſam.

¶ Secundò. Impoſsibile eſt eſſe aliqua duo, quorum neutrum habeat cauſam eſſendi, ergo ab illo (cui nihil eſt cauſa) ſunt reliqua omnia, ſed huiuſmodi eſt Deus, ergo naturaliter cognoſcimus Deum eſſe omnium cauſam. Probatur maior. Impoſsibile eſt aliquod vnum de duobus prædicari, niſi de altero per cauſam dicatur (ſicut v. g. calidum prædicatur de igne & de corpore mixto, ſed de corpore per cauſam, quia corpus mixtum non habet à ſe quod ſit calidum) ſed eſſe prædicatur de Deo & omni alio, ergo de omni alio à Deo prædicabitur per cauſam.

¶ Tertiò. Quod conuenit aliquibus per participationem, cõuenit effectiuè ab eo, quòd conuenit ſibi per eſſentiam, ſed eſſe conuenit creaturis per participationem, & Deo per eſſentiam, ergo eſſe conuenit omnibus effectiuè à Deo.

Secunda concluſio. ¶ Secunda concluſio. Ratione naturali poteſt probari creatio (prout dicit productionem entis ex nihilo.) Hæc concluſio probatur nonnullis rationibus, quarum prior eſt. Virtus Dei non eſt aſtricta materiæ, ergo Deus poteſt agere nulla præſuppoſita materia. Probatur antecedens: quia vel virtus Dei eſt aſtricta materiæ ab ipſo Deo, vel ab aliquo ſuperiore ipſo Deo, vel ab ipſa materia, non à Deo, quia ipſe non ſe aſtrinxit materiæ, nec ab aliquo alio à Deo cùm omnia ſint poſteriora ipſo Deo, ergo.

¶ Secundò. Quanto agens eſt perfectior, tanto paucioribus indiget ad agendum, ſed Deus eſt agens perfectius natura, ergo cum natura ad agendum indigeat materia, Deus ad agendum non indiget materia. Probatur minor: nam ars ad agendum indiget corpore, natura indiget materia, ergo Deus nihilo indiget.

¶ Tertiò. Deus eſt primum ens, perfectum, à nullo dependens, per ſe ſufficiens nullius egens, ergo per ſe ſufficit ad agendum, nec indiget ſubiecto.

¶ Quartò. Deus eſt cauſa omniũ rerum ſed multa ſunt quæ non potuerunt habere eſſe à Deo ex materia per motum, ergo habuerunt eſſe per creationem. Maior patet quia aliàs præter Deum, aliquid eſſet ſine cauſa, habens eſſe à ſe, quod fieri non poteſt. Minor autem probatur: quia materia prima cæli & intelligentiæ non potuerunt habere eſſe ex materia, ergo cum habeant eſſe à Deo, & non ex materia, habent eſſe per creationem.

¶ Quintò. Modus agendi ſequitur modum eſſendi, ſed Deus in eſſe à nullo dependet, nec præſupponit, ergo nec in agendo aliquid præſupponit, ſed actio nihil præſupponens eſt creatio, ergo.

¶ Sextò. Vel Deus ad agendum indiget materia, vel non, ſi non, habeo intentum; ſi ſic, ergo materia prima non eſt à Deo, Patet ſequela, quia ex eo quod ars indiget corpore naturali, & natura indiget materia in agẽdo, nec corpus naturale habet corpus ab arte, nec materia habet eſſe à natura, ſed non poteſt dici quod materia prima, non habeat eſſe à Deo, ergo. Pro hac minori videndus eſt Euſebius lib. 7. de præparatione euangelica cap. 8.

¶ Septimò. Infinitũ pertranſiri non poteſt, ſed ſi mundus eſt æternus oportet pertranſiſſe infinitos homines generãtes ante hũc, qui generatur hodie, hoc autem videtur impoſsibile, ergo deueniendum eſt ad aliquod primum, quòd non potuit habere eſſe per generationem, & per cõſequens debuit habere eſſe per creationem.

¶ Reſpondetur argumentis. Ad primum reſpondent nonnulli vt Ioannes Bacho in. 2. diſt. 1. quæſt. 2. artic. 4. quòd Philoſophus non intendit negare, quod intelligẽtiæ acquirant eſſe ab alio, & quòd habeãt cauſam vt ſint, ſed quod illa cauſa non poteſt dici efficiens propriè, & ratio eius eſt, quia de ratione cauſæ efficientis propriè, eſt, quòd extrahat productum de potentia materiæ. Sed iſta explicatio non eſt conſona veritati, quare aliter reſpõdent alij, dicẽtes, quòd ille textus ſic debet exponi, quòd principia ſemper exiſtentium, cum ſint ſemper, non habent aliquam cauſam, vt ſint aliquo tempore, & aliquo non; ſed illa ſunt cauſa alijs, id eſt, his inferioribus per motum cæli, quæ cum ſint generabilia, aliquando ſunt, aliquando non ſunt. Cùm hoc tamen ſtat quòd illud eſſe ſempiternum quod habent, recipiant *Ad primũ argum.*

piant à primo ente. ¶Vel ſecundo explicant dicentes, quòd principia ſemper exiſtentium, id eſt, intelligẽtiæ quæ ſunt principia motiua corporum cæleſtium, non habent cauſam, vt ſint, ſcilicet mobilia, vel quòd moueantur, ſed ſunt cauſa alijs (ſcilicet, corporis cæleſti & his naturalibus) ꝙ moueantur. ¶Vel tertio exponunt dicentes quòd licèt Philoſophus loquatur in plurali, tamen intelligit, pro ſingulari, quaſi dicat, cum principium primum ſemper exiſtentium (quales ſunt intelligentiæ, & corpora cæleſtia) ſit primum & maximum ens, nõ habet cauſam, vt ſit, id eſt, à nullo dependet, ſed eſt cauſa alijs, & quòd iſte modus frequens eſt apud Ariſtotelem: nam 12. Metaphyſi. textu 29. loquitur de ſubſtantia ſeparata in ſingulari, & in textu 30. tranſijt ad numerum pluralem.

Ad ſecundum. ¶Ad ſecundum reſpondetur, quòd talis demonſtratio ſumitur ex ſua perfectione in agendo, vt probatum eſt in ſecunda concluſione.

Ad tertiũ. ¶Ad tertium reſpondetur, quòd vtraq; creatio demonſtratiuè probatur ex dependentia productorum ad Deum, tanquam ad primam cauſam efficientem, quia cum in cauſis eſſentialiter ſubordinatis nõ ſit dabilis proceſſus in infinitum deueniendum eſt ad vnã primam cauſam efficientẽ, qualis eſt Deus, & ex iſto ordine, quem habent inter ſe cauſæ producentes, & ex infinita Dei virtute, colligitur vtramque creationem Deo conuenire.

QVÆSTIO III.

¶Vtrùm Deus concurrat immediatè actu cum cauſa ſecunda ad quamlibet eius operationem.

Prima ſententia. De hac re triplex eſt ſententia. Prima eſt Gabrielis in 4. diſt. 1. quæſt. 1. art. 3. dubio. 3. vbi ſic ait. Ad hæc reſpõdendo primo, pono quendam modum quem examinandum offero lectori, qui mihi videtur valdè probabilis, & in ſententia non diſcordare à ſententia aliorum, & ſi parũ in verbis diſtat. Vnde primo dico, quòd omnis cauſalitas cauſæ ſecundæ conuenit creaturæ ex ſola libera voluntate diuina, contingenter determinantis ſe ad præſentiam, ſeu poſitionem creaturæ, producere aliam creaturam. Idem docet ſupra artic. 1. notabili 3. vbi definiens cauſam ait, quòd cauſa eſt ad cuius ſequitur aliud, id eſt, eſt res qua poſita ineſſe, aliqua alia res ponitur ineſſe. Et Paulo infrà. Ex quò patet quòd vnam rem cauſare aliam nihil aliud eſt niſi ad præſentiam vnius rei aliam rem produci, vel eſſe: vt ignem cauſare calorẽ in aqua appoſita, nihil aliud eſt, quam ad præſentiam ignis calorem ineſſe aquæ. Hanc ſententiam vt refert Auerroes. 9. Metaphyſi. textu 7. & 12. textu 18. habuerunt nonnulli Sarraceni. Ex qua ſententia colligitur Deum ſic immediatè concurrere cum cauſa ſecunda, quòd cauſa ſecunda nihil agit, ſed ſolus Deus ad præſentiam cauſæ ſecundæ.

¶Secunda ſententia eſt Durandi in 2. diſt. 1. quæſt. 5. aſſerentis, quòd ea, quæ fiunt à Deo mediantibus cauſis ſecundis, non fiunt ab eo immediatè, ſicut ipſemet rationes ter minorum videntur ſonare. Probat autem ſuam ſententiam. ¶Primò ſic. Si Deus ageret immediatè ad productionem effectuum cauſæ ſecundæ (vt cum ignis generat ignẽ) aut ageret eadem actione, aut alia; non eadem, propter duo; primo, quia illam poteſt habere creatura ſine ſpeciali influxu Dei, ſuppoſita conſeruatione ſuæ naturæ, & ſuæ virtutis actiuæ, quia actio, quæ non excedit virtutem ſpeciei agentis ſufficienter dicitur à ſola virtute ſpeciei, fruſtra ergo poneretur principium aliud immediatum, eliciẽs talem actionem. *Secunda ſententia.* *Primum argumen.*

¶Secundò quia impoſsibile eſt, eandem actionem numero eſſe à duobus, vel pluribus agentibus; ita quod à quolibet ſit immediatè, & perfectè, niſi in illis ſit eadem virtus numero, ſed in Deo, & creatura non poteſt eſſe eadem virtus numero, ergo impoſsibile eſt quòd eadem actio numero ſit ab vtroque immediatè, & perfectè, actio autem creaturæ immediatè eſt à natura, & perfectè, cum non excedat virtutem ſuæ ſpeciei, ergo eadem actio non eſt immediatè à Deo. Probatur maior. Contingit enim quòd eadem actio numero ſit à duobus, & à quolibet perfectè, ſed ab vno immediatè, & ab alio mediatè, quia eandem actionem (quam facit cauſa propinqua immediatè, facit cauſa vniuerſalis, & remota perfectè, inquantum dat virtutem cauſæ proximæ, & datam conſeruat, & hoc eſt mediatè ſolum. Alio modo

modo contingit eandem actionem numero eſſe duorum immediatè, ſed à neutro perfectè, vt cum duo trahunt nauem, vel duæ candelæ cauſant vnum lumen, quia à neutro eſt perfectè tractus nauis, & à neutra candela eſt per ſe & perfectè illuminatio aeris, in talibus enim duo agentia imperfecta ſupplent vicem vnius agentis perfecti. Si autem actio ſit immediatè, & perfectè à quolibet, non apparet modus poſsibilis, niſi in vtroque eorum ſit idem principium, vel eadem virtus numero, propter hoc enim dicimus, quod in diuinis Pater, & Filius, vna numero ſpiratione ſpirant Spiritum ſanctum, & quilibet perfectè, quia in eis eſt vis ſpiratiua vna numero, ergo eadem actio non poteſt eſſe à duobus, vel à pluribus, ita quòd à quolibet ſit perfectè, & immediatè, niſi in eis ſit eadem virtus ſecundùm numerum.

Secundum argum. ¶Quòd autem nec alia, & alia patet, quia aut vna illarum actionum prius attingit productum quam alia, aut vtraque ſimul. Non vna prius, quam alia, puta actio Dei prius quam actio creaturæ, quia ſi Deus ſua actione prius rem totam produceret, tunc creatura per ſuam actionem ſequentem nihil faceret: & è conuerſo, ſi actio creaturæ præcederet actionem Dei. Nec poteſt dici, quòd Deus producat partem, & creatura partem: quia hoc quærimus, vtrùm illud idem quod producit creatura immediatè, producat etiam immediatè Deus, prius enim fuit conceſſum, quod in qualibet creatura materiali eſt aliquid, quòd eſt à Deo immediatè, ſcilicet materia. Item nec vtraque actio ſimul attingit productum, quia ſi hoc eſſet, altera ſuperflueret, cum vna ſufficiat ad totum producendum. Et præterea actiones videntur eſſe idem realiter cum ſuis terminis, vnde & ab illis ſumunt denominationem, impoſsibile. eſt ergo ad acquirendum eandem formam numero, eſſe diuerſas actiones. Patet igitur quòd ea, quæ producuntur per actionem creaturæ, non producuntur à Deo immediatè. Poſſet tamen Deus ea immediatè producere, ſi vellet, ſed tunc creatura ibi nihil ageret. Secundò patet. Idem ſic, ordo agentium correſpondet ordini finium, ſed vnius rei non poſſunt eſſe duo fines immediati, & perfecti, ergo nec duo agentia, niſi forte ſupplerent vicem vnius agentis, modo quo dictum eſt de trahentibus nauem, quia conſimiliter poſſent eſſe duo immediati fines.

Tertium argum. ¶Poteſt autem prædicta ſententia confirmari tertiò. Talis concurſus cauſæ vniuerſalis non eſt neceſſarius ad producendum, nec ad hoc quòd cauſa particularis determinetur ad producendum hunc, vel illum effectum, ergo. Probatur antecedens: ad hoc quòd cauſa producat ſuum effectum, ſatis eſt proportio inter effectum & cauſam, ſed inter calorem vt octo (tanquàm cauſam) & calorem vt octo (tanquam effectum) eſt naturalis proportio, ergo ad producendum illum non eſt neceſſarius cõcurſus alterius cauſæ. Secunda pars antecedentis probatur. Nam cauſa naturalis naturaliter eſt determinata ad ſuum effectum, ergo. Quod ſi dicas, neceſſarium eſſe concurſum cauſæ primæ propter applicationem cauſæ ſecundæ. Contra. Talis applicatio ad proprium effectum, vel fit naturaliter per concurſum motuum, & agentium naturalium, vel fit liberè ab homine; vt cum ignem quiſpiam applicat ligno, ergo nulla cauſa poteſt aſsignari quare ſit neceſſariùs concurſus cauſæ primæ.

Quartum argum. ¶Quartò. Talis concurſus cauſæ vniuerſalis videtur impoſsibilis, ergo. Probatur antecedens. Nam ſi cauſa vniuerſalis producit totum effectum, ergo cauſa particularis ſuperfluè agit, ſi autem cauſa vniuerſalis producit partem, ergo vniuerſalis & particularis ſunt cauſæ partiales, & non totales ſubordinatæ, nec ad idem concurrunt, & particularis per accidens, & ſecundùm quid penderet ab vniuerſali. Quod ſi reſpondeas effectum ab vtraque cauſa produci ſecundùm aliam, & aliam rationem, nam à prima cauſa producitur quantum ad eſſe ipſius, à ſecunda autem quantum ad eſſe determinatum ſicut v. g. homo genitus habet à Deo quod ſit ens, ab homine autem quod ſit homo. Contra ens & tale ens non diſtinguuntur niſi tantum ratione, ergo eſſe & eſſe hominis in homine non poſſunt ſecundùm rem ad inuicem ſeparari, nec per conſequens, nec ſeparatim produci, à diuerſis agentibus. Et præterea, quia ſequeretur quòd cauſa particularis nobiliorem effectum produceret, quàm cauſa vniuerſalis. Patet ſequela, quia homo nobilior eſt ente.

Quintum argum. ¶Quintò. Si talis concurſus cauſæ primæ eſt ſimpliciter neceſſarius ad quemcunque effectum cauſæ ſecundæ, ergo nulla cauſa

ſecunda eſt libera, etiam ſi agat per voluntatem. Probatur ſequela. Illa cauſa, quæ agit per formam determinatam ad ſuam operationem non eſt libera, huiuſmodi eſt quæcunque cauſa ſecunda, etiam agens per voluntatem, ergo. Probatur minor. Voluntas non poteſt mouere ſe ad aliquid volendum, niſi per concurſum cauſæ primæ moueatur à Deo ad volendum, ſed voluntas mota à Deo, non poteſt non moueri, quia implicat, quòd Deus moueat meam voluntatem, & quòd voluntas mea non ſit mota, ergo. Nec obſtat ſolutio, quòd voluntas mea mouetur liberè à Deo, & ſic liberè manet determinata, quia ex hac ratione tantum colligitur, voluntatem diuinam eſſe liberam, non autem voluntatem meam, nam non eſt in poteſtate voluntatis meæ, quòd moueatur à Deo, ergo cum voluntas mea agat quatenus mota à Deo, & non ſit in voluntate eius moueri, ergo nec in volũtate eius eſt agere, ſed hoc repugnat naturæ noſtræ voluntatis, ergo & cõcurſus Dei ad operandum cum noſtra voluntate eſt impoſsibilis.

Tertia ſententia. ¶Tertia ſententia eſt Doctoris in pluribus locis ſuæ doctrinæ præcipuè in. 1. diſtin. 2. & diſtin. 57. quæſtione vnica, quam defendit D.Thom. 1. pat. quæſtio. 8. artic. 1. pro cuius explicatione & totius quæſtionis ſunt notanda nonnulla; quorum primum eſt, *Notab. 1.* cauſam eſſe in duplici differentia, quædam enim eſt mediata, quædam verò immediata. Cauſa mediata eſt, inter quam, & eius effectum mediat alia cauſa, immediata vero eſt, inter quam, & effectum nulla alia cauſa mediat.

Notab. 2. ¶Secundò eſt notandum, quod agens dupliciter poteſt dici immediatum reſpectu cuiuſcunque effectus, vno modo immediatione ſuppoſiti, alio verò modo immediatione virtutis. Sicut v.g. tunc dicitur agens immediatum immediatione ſuppoſiti, quando inter ipſum & effectum productum nullum aliud ſuppoſitum mediat, ſicut quãdo ignis calefacit aerem, & aer calefacit me, tunc ignis agit immediatè in aerem, & mediatè in me, quia inter ignem, & me, mediat aer. Agens autem immediatum immediatione virtutis eſt, quando inter effectum & virtutem agentis non mediat alia virtus: ſicut v. g. quando ignis calefacit aquam, & aqua calefacit me, tunc ignis immediatè immediatione virtutis calefacit me, licèt mediatè mediatione ſuppoſiti, quia virtus calefactiua aquæ eſt ab igne, & ſicut illud medium in demonſtratione dicitur immediatum, ad quod licèt ſint plura media ſubordinata omnia reducuntur, ità in naturalibus, licèt ſint multa agentia, quando omnia reducuntur ad vnum, illud tale dicitur immediatum immediatione virtutis, quanuis ſit mediatũ mediatione ſuppoſiti. Quare eſt maximè aduertendum, quòd non ſeruatur idem ordo in agentibus, & virtutibus, & propter hoc benè ſtat quòd agens ſit immediatum immediatione virtutis, & mediatum mediatione ſuppoſiti: & ſimiliter, quòd ſit immediatum immediatione ſuppoſiti, & mediatum mediatione virtutis: in agentibus enim reperitur deſcenſus quidam, in virtutibus autem, quidam aſcenſus, nam quando dicimus, quod ignis operatur per aliud, illud aliud eſt inferius, at verò in virtutibus aliter contingit, quia virtus inferior operatur per virtutem cauſæ ſuperioris, & ſic inter virtutem cauſæ inferioris, & effectum mediat virtus cauſæ ſuperioris.

¶Prima concluſio. Deus ad omnem operationem creaturæ concurrit cum ipſa, ita quòd Deus ſimul cum ipſa creatura operante operatur. *Prima cõcluſio.* Hæc concluſio eſt D.Auguſt. ſuper Geneſ. ad literam. cap. 25. & de natura boni. cap. 24. & de moribus Manichæorum cap. 12. & 12. de Ciuitate Dei. cap. 66. & ſuper illud Paul. ad Hebræos. 1. portans omnia verbo virtutis ſuæ, & habetur in Proſpero ſententia. 187. & 281. Idem docet Diuus Athanaſius oratione cõtra idola: & probatur ex illo Ioan. 1. Omnia per ipſum facta ſunt. Et ſimiliter ex Concilio Mileuitano & Arauſicano, vbi definitur nulla opera operare hominem, quæ non operetur Deus in homine: quæ Conciſia licèt in rigore non loquantur de actibus naturalibus, ſed meritoriis, probant tamen noſtram concluſionem. Et Iſai. 26. Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine. Et ad Philippenſes. 2. Ipſe operatur in nobis velle & perficere. Et Ioannis 15. Sine me nihil poteſtis facere. Et Actuum 17. In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus. Et D. Auguſtinus libro. 9. ſuper Geneſ. ad liter. c. 15. Si Deus ſubtrahat operationem ſuã intimam, qua naturam creatã ſuſtinet continuò tanquam extincta nulla remanebit. Et probatur ratione. Illa eſt cauſa reſpectu cuiuſcunque effectus, qua poſita ponitur effectus, & qua ſemota ſemouetur,

tur effectus,ſed Deus eſt huiuſmodi reſpectu cuiuſcunque effectus producti à creatura, ergo Deus ad omnem operationem creaturæ concurrit cum ipſa. Probatur minor, quia non aliter ignis non comburebat in fornace, niſi quia Deus ſubtraxit ſuum concurſum,ergo ex eo quòd Deus non operabatur, ignis non operabatur. ¶Secundò. Deus eſt præſens omnibus rebus ſecundùm eſſentiam, præſentiam, & potentiam, ergo ſecundùm ſuam operationem. Patet ſequela, quia operatio Dei non eſt diſtincta ab eius eſſentia.¶Tertiò. Cauſa prima plus influit in effectu,quam cauſa ſecunda,ergo ſimul eſt cauſa reſpectu effectus cum cauſa ſecunda.Antecedens eſt Ariſtot.lib.8.Phyſicorum,text.41.vbi ait,quod prius eſt, magis eſt cauſa mouendi,quam ſequens,& mouebit magis,& in libro de cauſis propoſitione prima dicitur,Cauſa prima plus,vehemẽtius,intimiùs,& inſeparabilius concurrit ad effectus cauſarum ſecundarum, quàm ipſæ cauſæ ſecundæ,& iuuate cauſas ſecundas in operationibus ipſarum, & magis eſſe cauſam effectus quam cauſas ſecundas.¶Et confirmatur, nam cauſæ ſecundæ in comparatione Dei ſunt tanquàm inſtrumenta, & habent ſe vt inſtrumenta artis in comparatione artificis, ſed artifex ſimul operatur cum inſtrumento,imò operatio potiùs eſt artificis quàm inſtrumenti,ergo Deus eſt cauſa reſpectu cuiuſcunque effectus creaturæ.

Secunda ccluſio. ¶Secunda concluſio. Quod Deus ſit cauſa omnium effectuum creaturarum, nõ ſolum eſt verum ſecundùm fidem,ſed etiam ratione naturali oſtenditur. Hæc concluſio eſt contra Gabr. & probatur quoad vtramque partem, & prima ex illo ad Roman. 1. vbi dicit D. Paulus, Inuiſibilia Dei à creatura mundi intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, atque poteſtas. Secunda autem pars probatur. Nam ſecũdùm Ariſtotelem id quod eſt maxime ens, eſt cauſa omnis entis, ſed ratione naturali conſtat,quòd Deus eſt primum ens,& maximè ens, ergo & ratione naturali conſtat, quòd eſt cauſa omnium entium, ſed non eſſet cauſa omnium entium ſi non cõcurreret ſimul cum creatura ad operationem illius, ergo. Et confirmatur. Quia ratione naturali conſtat,quòd Deus eſt prima cauſa, & infinita, ergo producit omnem effectum cuiuſcunque creaturæ,ſimul cum creatura. Patet ſequela, quia aliàs nõ eſſet cauſa,nec infinita.

Tertia cõcluſio. ¶Tertia concluſio. Deus immediatè concurrit ad actionem cuiuſcunque creaturæ. Hæc concluſio eſt contra Durãdum,& probatur ex illo Ioannis.1. vbi dicitur, Omnia per ipſum facta ſunt. Nec ſolutio de mediatè vel immediatè aliquid valet, nam cauſa remotà non eſt cauſa. Et ſecundo ex illo Sapientiæ.7. vbi dicitur, quòd attingit à fine vſque ad finem fortiter, diſponens omnia ſuauiter. Et Iob 10. Manus tuæ Domine fecerunt me, & plaſmauerunt me. Et probatur ratione. Si Deus non concurrit immediatè cum qualibet creatura ad ſuam operationem,ergo non poteſt impedire creaturas à ſuis operationibus ſuſpendendo concurſum ſuum,niſi obijciendo contraria contrarijs. Patet ſequela, quia ſecundùm Durandum nullus datur immediatus cõcurſus Dei reſpectu operationis creaturæ. Conſequens tamen falſum eſt, & contra communem ſenſum omnium Doctorum, ergo.

Ad primũ argum. ¶Reſpondetur argumentis. Ad primum de ſumptum ex ſententia Durandi (quia ſententia Gabrielis potius eſt Saracena quam catholicã) quod Deus alia actione producit effectum, quàm creatura, & ad probationẽ dicitur quod cauſa ſecunda non excludit cauſalitatem cauſæ primæ,imò implicat ipſam operari prima non operante.

Ad ſecundũ argum. ¶Ad ſecundum reſpondetur,quòd talis concurſus cauſæ vniuerſalis eſt totalis cauſa ipſius effectus in ſuo genere, & totaliter etiã fit à creatura,etiam in ſuo genere, nihilominus tamen, à neutra per ſe habet eſſe totaliter,quia ambæ ſunt requiſitæ,prima ſcilicet cauſa, quia implicat ſecundam operari ſine ipſa: ſecunda autem, quia Deus non ſe ſolo vult producere effectum cauſæ ſecundæ,ſine cauſa ſecunda. Quare non eſt dicendum,quòd actio Dei prius attingit effectũ, quam actio creaturæ,loquendo de prioritate naturæ,ſed tantùm quia effectus productus priùs reſpicit Deum,quàm creaturam, ideò dicitur quod operatio Dei prius attingit effectum quam creatura, pro quo videndus eſt Doctor in.1.diſt.2. quæſt. 2. & diſt.8. quæſt.2. & diſtin. 39. quæſt. vnica, poſt tertiam opinionem.

Ad tertiũ argum. ¶Ad tertium reſpondetur negando antecedens,& ad probationem dicitur,quòd operatio cauſæ vniuerſalis eſt ſimpliciter neceſſaria, quia cauſa prima & ſecunda ſunt eſſentialiter ſubordinatæ, & non poteſt ſecunda operari prima non operante.

Ad quartũ argum. ¶Ad quartũ reſpõdetur negãdo antecedẽs, & ad probationem dicitur, ꝙ vtraque cauſa produ-

producit totum effectum, ſed nō totaliter.

¶ Ad quintum reſpondetur negando ſequelam, & ad probationem dicitur (omiſsis quāplurimis aliorum ſolutionibus) quod voluntas noſtra non agit per formam receptam à Deo, ſed ille concurſus diuinus, quo Deus concurrit cum noſtra voluntate cum reſpiciat potentiam actiuam ipſius voluntatis non extrahit ipſam voluntatem ab ipſa natura, & ratione voluntatis, & cum de ratione voluntatis ſit vt liberè operetur ideo cōcurſus diuinus licet antecedenter ſe habeat ad concurſum noſtræ voluntatis determinans illam non tamen neceſsitat illam, ſed liberam eam relinquit ad ſuam operationē. Vide quæ diximus in primo, diſputatione vltima, de prædeterminatione noſtræ voluntatis.

QVÆSTIO IIII.

¶ *Vtrùm Deus ſit cauſa immediata immediatione virtutis, & immediatione ſuppoſiti.*

PRO explicatione tituli eſt aduertendum, quòd preſens quæſtio poteſt in duplici ſenſu diſputari, vt infra dico explicando corpus quæſtionis, vt vtranque ſententiam poſsimus ad vnam redigere, vel ſaltim inter ſe conciliare. Primus ſenſus eſt ſumendo actionem prout communis eſt Deo & creaturę in conceptu illo formali communi deſumpto non ab aliqua realitate communi actioni Dei & creaturæ, ſed à communitate quadam rationis, quæ per intellectum confuſè concipientem, vtranque actionem ſub ratione cōmuni, ac ſi vnica communis actio eſſet vtrique. Secundus ſenſus eſt, concipiendo actionem diuinam per conceptum deſumptum ab ipſa actione diuina, & vt ab intellectu diſtinctè actio diuina concipitur, & hoc modo, ſicut nihil eſt reale commune actioni diuinæ & actioni creatæ communitate reali, iuxta ea quæ diximus in. 1. de vniuocatione entis: ideo ex mediata vel immediata, vel ex mediatione vel immediatione ſuppoſiti non infertur mediatio vel immediatio actionis, nec è cōtra. Quare ſententiam Ferraræ infra aſsignandam ſic intelligo veritatem habere loquendo de actione diuina & ſuppoſito diuino per conceptum deſumptum ab actione diuina & ſuppoſito creato, in quo non ſequitur bene, habet actionem immediatam, ergo & ſuppoſitum immediatum: quia vt dicemus in quæſt. 5. iſta conſequentia non eſt formalis, Deus vbique operatur, ergo vbique eſt, loquendo de operatione & eſſe Dei quatenus concipiuntur conceptibus deſumptis ab operatione & eſſe creato, nam vt ibi dicimus piſcis ille, qui dicitur torpedo, eſt ſecundum operationem vbi non eſt ſecundum realem præſentiam, & propter hoc illa conſequentia appellatur à Doctore materialis, quia tantum habet verum in operatione diuina & Deo. Quod ſi concipiamus operationem diuinam & Deum per conceptum deſumptum ab operatione diuina & ab ipſo Deo, illa conſequentia formalis eſt, quia implicat per locum intrinſecum eſſe operationem diuinam, vbi Deus non ſit, quia implicat eſſe, operationē diuinā & nō eſſe immēſam quoad eſſe abſolutū, & implicat operationem eſſe immenſam & nō eſſe Deū, & per cōſequens in Deo cōſequentia formalis eſt, Deus vbiq; operatur, ergo vbique eſt, ſed quia hoc non conuenit operationi diuinæ ex illa ratione communi operationi diuinæ & creatæ, ideo dicit Doctor quòd abſolutè illa conſequentia eſt bona ratione materiæ. Ita in propoſito de operatione & ſuppoſito quādo dicitur, quod eſt immediata operatio & immediata virtus, ergo immediatum ſuppoſitum, procedit rectè conſequentia in virtute & ſuppoſito diuino, quatenus ſunt virtus & ſuppoſitum diuinū, non tamen quatenus ſunt virtus & ſuppoſitum abſolutè, ideſt, quatenus virtus & ſuppoſitum de virtute & ſuppoſito creato & increato prædicantur.

Prima ſententia. ¶ His igitur ſic poſitis, de hac re triplex eſt principalis ſententia. Prima Ferraræ. 3. contra gentes, cap. 70. aſſerentis Deū eſſe agēs immediatum immediatione virtutis, non tamen immediatione ſuppoſiti. Probat autē ſuam ſententiā primò ex D. Tho. ibi in ſolutione ad primum, vbi fatetur nō eſſe inconueniens quod idem effectus ſit & à Deo, & ab agente inferiori, licèt alio, & alio modo: à Deo quidem, immediatione virtutis, ab inferiori autem agente immediatione ſuppoſiti. Verba D. Thom. hæc ſunt. In quolibet enim agente eſt duo conſiderare, ſcilicet, rem ipſam (quæ agit) & virtutem (qua agit) ſicut ignis calefacit per calorē, virtus autem inferioris agentis dependet à virtute ſuperioris agentis, in quantum ſuperius agēs dat virtutē ipſam inferiori agenti, per quā agit

vel

vel conſeruat eam, aut etiam applicat eam ad agendum, ſicut artifex applicat inſtrumentum ad proprium effectum, cui tamen interdum formam non dat, per quam agit inſtrumentum, nec conſeruat, ſed dat ei ſolum motum. Oportet igitur quòd actio inferioris agentis, non ſolum ſit ab eo per virtutem propriã, ſed per virtutem omnium ſuperiorum agentium, agit enim in virtute omnium, & ſicut agens infimum inuenitur immediatum actiuum, ita virtus primi agentis inuenitur immediata ad producendum effectum, nam virtus infimi agentis non habet, quod producat hunc effectum ex ſe, ſed ex virtute ſuperioris proximi, & virtus illius ex virtute ſuperioris, & ſic virtus ſupremi agentis inuenitur ex ſe productiua effectus, quaſi cauſa immediata, ſicut patet in principijs demonſtrationum, quorum primum eſt immediatum. Sicut igitur non eſt inconueniens quod vna actio producatur ex aliquo agente, & eius virtute, ita non eſt inconueniens quod producatur idem effectus ab inferiori agente, & à Deo, ab vtroq; immediatè, licèt alio, & alio modo. Hactenus D.Thom. Ex qua litera concludit Deũ agere immediatè immediatione virtutis; agens autem inferius immediatione ſuppoſiti. Et poſt medium quæſtionis ſic ait. Ad dubium igitur dicitur primum, quòd non eſt mens S.Thom. vbi allegatur quod Deus differat ab alijs agentibus, quia illa agant immediatè immediatione ſuppoſiti tãtum, Deus autem agat immediatè & immediatione virtutis, & immediatione ſuppoſiti, quia iſtud implicaret. Probat autem ſuam ſententiam, quia ſi Deus agit immediatè immediatione ſuppoſiti, ergo cauſæ ſecundæ nõ agunt immediatè immediatione ſuppoſiti. Patet ſequela, quia inter ipſas & effectus mediat Deus.

Primum argum.

Secundum argum.

¶ Secundò. Tunc dicitur agens immediatũ immediatione ſuppoſiti quando inter ipſum & effectum productum nõ eſt aliquod agens ſecundùm ordinem cauſalitatis, ſed in multis effectibus eſt aliud agens à Deo (vti cauſa ſecunda) ſecundùm ordinem cauſalitatis, ergo Deus non eſt agens immediatè immediatione ſuppoſiti. ¶ Vt autem præſens ſententia facilius intelligatur aduertit nonnulla, quorum primum eſt, maximam eſſe differentiam inter agens corporeum & Deum, quantum ad exiſtentiam in rebus & ſimultatem cum eis, quia ſubſtantia corporea eo dicitur eſſe in alia, quia continetur ab alia, quare vnum corpus eſſe in alio eſt contineri ab alio, vt poteſt per miraculum fieri, vel quia ſunt immediatè ſituata, id eſt, quod inter ſitum vnius, & ſitum alterius nõ mediat ſitus alterius rei, Deus autem quantum ad ſuam ſubſtantiam non eſt in rebus per localem continentiam, ſed per cauſalitatem. ¶ Secundò aduertit quod aliter dicitur agens corporeum eſſe immediatum, & aliter Deus, nam agens corporeum dicitur eſſe immediatum, quando inter ipſum, & ſuum effectum ſitualiter non mediat aliud agens corporeum, ab illo motum. Vnde ſubſtantia corporea eſt immediata effectui, quando extremitas ſuæ quantitatis eſt ſimul cum extremitate quantitatis ſui effectus, aut paſsi in quod agit, at verò in Deo non ſic contingit quia non attenditur ordo ſitus, ſed cauſalitatis, quare dicitur agens immediatum alicuius rei, quando inter ipſum & ſuum effectum non eſt aliquod aliud agens ſecũdùm ordinem cauſalitatis. ¶ Tertiò aduertit, quòd quia ſubſtantia corporea non eſt ſua virtus, qua agit, ideo non oportet, quòd ſi virtus eius ſit in aliqua re extrinſeca, quòd ibi ſit ipſa, poteſt enim eſſe calor, vbi ignis non eſt, quia ſubſtantia corporea eſt, vbi ſitualiter collocatur, at verò virtus, vbi per ipſam cauſaliter attingitur, ꝙ nõ cõtingit in ſubſtãtia diuina, nã cum ſubſtantia diuina ſit virtus diuina & è contra, ideo vbi eſt virtus, ibi eſt eius ſubſtantia. Ex quo infertur, quòd ad hoc quod agens ſit immediatum, non ſufficit quod virtus eius ſit immediata paſſo ſecũdum cauſalitatem, ſed quod ipſum agens ſit proximum paſſo ſitualiter, quia immediatio (vt dictum eſt) in corporibus attenditur ſecundum ſitum, quare licet ſol ſecundum virtutem attingat viſcera terræ, non tamen agit in ipſa immediatione ſuppoſiti, quia inter ſol & viſcera terræ multa ſunt corpora media ſecundum ſitum, quare dicere quod ſol immediatè generat in illa, eſt impropria locutio. At verò in Deo cum immediatio ſumatur ſecũdum ordinem cauſalitatis, ad hoc quod ſit agens immediatum abſolutè, ſufficit quòd eius virtus ſit immediata cauſaliter.

¶ Vltimò aduertit, quòd aliud eſt dicere, abſolutè, Deus eſt agẽs immediatũ in omnibus rebus, & aliud eſt dicere, Deus eſt agẽs immediatũ immediatione ſuppoſiti, nã ad primã propoſitionem ſufficit, ꝙ immediatè attingat res ſua virtute, ideſt quod ipſe ſit agens, & quod inter ipſam virtutem

Dei,

Dei, & ipſum effectum non ſit alia virtus ſuperior, per quam agat, at vero ad veritatem ſecundæ propoſitionis, requiritur, quod inter ipſum Deum, & effectum nulla ſit cauſa ipſi coagens, ſed quod ſe ſolo proxime operetur. His igitur ſic prænotatis manet facilis ſententia Ferraræ, dicendo quod licet Deus intimè præſens operetur in omnibus rebus, non tamen immediate immediatione ſuppoſiti, quia cum talis immediatio ſumatur penes ordinem cauſalitatis, & inter Deum & cauſam ſecundam talis ordo reperiatur in ordine ad effectum productum, quia effectus immediatius procedit à cauſa particulari, vt fatetur Soto. 2. Phyſicorum quæſtione. 4. ibi, & ideo quantum ad emanationem, &c. reſtat dicendum Deum non agere immediatè immediatione ſuppoſiti, quando ſimul cum creatura vel cauſa ſecunda agit.

¶Secunda ſententia eſt Caietani. 1. parte, quæſtione. 8. articul. 1. aſſerentis (vt communiter referunt expoſitores Diui Thomæ) quòd concluſio Diui Thomæ non intelligitur ſolum de immediatione virtutis, ſed de ipſo Deo ſecundum ſeipſum, vt ita ſit in omnibus agens immediatè ſuppoſitaliter, id eſt proximum, & propinquiſſimum ſuppoſitaliter, ita quod inter Deum & quamlibet rem nullum mediat ſuppoſitum agens illa. Dicit ſecundo, quòd illud dictum Diui Thomæ ſcilicet eſſe creatum eſt proprius effectus Dei, dupliciter poteſt intelligi, vno modo, vt proprius diſtinguatur contra communem, & ſic facit hunc ſenſum, eſſe eſt effectus à ſolo Deo procedens, excludendo mediam cauſam effectiuam. Alio modo ſi ſumatur proprium vt diſtinguitur contra alienum, ita, vt alienum ſit, quod per aliud ineſt, etiam ſi per ſe inſit, & ſic proprium idem eſt quod per ſe primum, & in hoc ſenſu intelligit Diuus Thomas, non autem in primo. Dicit tertiò, quod eſſe eſt proprius ſeu per ſe primo Dei effectus, quia ſolus Deus poteſt omnia facere, quæ exiguntur ad eſſe, & ratio huius eſt, nam in omni re eſt aliquid productum, & conſeruatum à ſolo Deo proximè, & immediatè, ac proinde Deus dicitur agens immediatum immediatione etiam ſuppoſiti, reſpectu omnium rerum, quoniam in rebus materialibus ſaltem ipſam materiam Deus ſe ſolo producit, & conſeruat immediatione ſuppoſiti: nec opus eſt quod Deus ſit immediatum agens omnium quo ad omnia, ſed ſufficit quo ad aliqua. Dicit quartò in ſolutione ad tertium, quòd educere formā de potentia materiæ non facit Deus immediatè immediatione ſuppoſiti, ſed immediatione virtutis.

¶Tertia ſententia eſt aliorum ſuper primam partem Diui Thomæ quæſtione. 8. articulo. 1. quibus neutra placet ſententia, & arguunt contra Ferraram argumentis Caietani.

Primum argum.

¶Primò, quia ſi Deus non eſſet agens proximum, & mouens omnia, non rectè ſubſumeret Diuus Thomas ſub illa maiori omne agens coniungitur ei in quod immediatè agit, ergo intelligit D. Thom. vt eſt agens ſecundùm ſeipſum exiſtens in rebus, & non ſecundùm virtutem.

Secundum argum.

¶Secundò, quoniam ex ſola immediatione virtutis non infertur neceſſario, quòd Deus ſecundùm ſeipſum ſic in omnibus rebus. Nam etiam ſol operatur immediatius immediatione virtutis in generatione equi, quam equus generans, & tamen ſecundùm ſeipſum non eſt immediatius in effectu, & nihilominus affirmamus conſequentiam illam Diui Thomæ eſſe optimam ſaltem materialiter. Et ratio eſt, quia virtus Dei ad agendum eſt ſua ipſius ſubſtantia, & ſuum ipſius ſuppoſitum, ergo ſi immediatè operatur immediatione virtutis alicubi, operabitur etiam immediatione propriæ ſubſtantiæ & ſuppoſiti.

Tertium argum.

¶Tertiò, quoniam non obſtanc verba Diui Thomæ, quæ aliquando docere ſolet, ſcilicet, quòd effectus eſt immediatè ab vtroque, ſcilicet à Deo, & à cauſis particularibus, licèt alio, & alio modo, quoniam modus, quo Deus concurrit immediatione virtutis non excludit, quod concurrat immediatione etiam ſuppoſiti, imò quia virtus immediatè concurrens eſt ipſe Deus, colligitur quòd Deus immediatè concurrat ſecundùm ſeipſum.

Quartum argum.

¶Quartò. Quia ſi immediatus concurſus Dei excluderet alterius rei concurſum, ſimiliter non concurreret Deus immediatè immediatione virtutis ad calefaciendum, quando concurrit cum media virtute ignis, ergo ſicut virtus ignis calefaciens non excludit immediationem virtutis Dei, ita nec ſubſtantia, nec ſuppoſitum ignis medium, excludit mediationem ſubſtantiæ, vel ſuppoſiti diuini.

5. Argum.

¶Quintò. Quia profectò oppoſitum eſt inintelli-

in intelligibile. Nam ſuppoſitum Dei, & Deus vt ſic, omnia replet, & in omnibus rebus eſt, & hoc ob id, quoniam omnia producit, omnia fouet, omnia conſeruat, omnia mouet, quæ ſanè ſuppoſito diuino proprijſſimè conueniunt, ergo ipſum ſuppoſitum diuinum immediatè eſt quòd concurrit, & agit in omnibus rebus: alioquin ergo non eſt verũ quod Deus, vt ſic eſt immediatè in omnibus rebus.

Sextum argum. ¶Vltimò. Deus immediatè concurrit tanquam prima cauſa immediatione ſuppoſiti à nullo alio ſuppoſito dependens: ſecunda verò cauſa ſuo ordine huic ſubordinata etiã immediatè concurrit, quoniam proprio ſuo ſuppoſito rem ipſam attingit, vt patet de igne generante ignem. Quin potius immediatio ſuppoſiti alicui eſſet deneganda in agendo maximè creaturis, Deo verò nullo modo: non eſt ergo trepidandum ſed catholicè aſſeuerandum (quoniam militamus pro Deo) Deum immediatius concurrere immediatione ſuppoſiti, cum ipſum Dei ſuppoſitum immediatè ſit in omnibus rebus & omnia impleat.

¶Secundam partem probant prædicti Doctores contra Caietanum, nempè quod ſolus Deus ſit cauſa eſſendi omnibus rebus, non ſolum in materialibus atque ſpiritualibus, ſed etiam materialibus, & non ſolum quatenus ipſum eſſe competit materiæ, ſed etiam quatenus cõpetit formæ & toti ſuppoſito ſubſiſtenti, & per conſequens quod Deus concurrit etiam immediatè immediatione ſuppoſiti ad educendam formã de potentia materiæ. Probatur autem iſta pars de materialibus. Quia eſſe in rebus materialibus non competit immediatè materiæ, nec creatur per ſe, nec conſeruatur à Deo, niſi mediante forma, vt docet D. Thom. infra quæſtio. 45. art. 4. ſed potius eſſe conuenit prius formæ, vel toti compoſito, ergo cum generatur ignis vel equus, non poſſumus dicere quod ſolus Deus eſt cauſa efficiens ipſius eſſe materiæ, & non ipſius eſſe formæ, & compoſiti, aut è conuerſo, ſiquidem eſt vnicum eſſe, quod per prius accipitur in compoſito, vel in forma, quam in materia: propriè enim creata ſunt ſubſiſtentia, ergo.

¶Secundò. Si Deus non eſſet cauſa immediata immediatione ſuppoſiti rerum corporalium, ſequitur, quòd Deus non eſt tam intimè in leone, & homine, ſicuti in angelis. Probatur ſequela, quoniam ſecundùm Caietanum non tam intimè, & immediatè operatur in leone, dum generatur, & conſeruatur, ſicuti in angelo dum creatur à Deo, & conſeruatur. Etenim Deus in homine, equo, aut leone, eſt immediatè cauſa efficiens totius materiæ immediatione virtutis, in angelo verò totaliter eſt cauſa efficiens vtroque modo, ſcilicet, immediatione virtutis & ſuppoſiti, ergo non tam intimè exiſtit Deus ſecundùm ſeipſum in homine, & in leone, ſicut in angelo. Patet cõſequentia, quoniam ratio exiſtendi in rebus Deo eſt operatio ipſius, inde enim probat D. Thom. quòd Deus eſt intimè in rebus, quia operatur intimè ipſum eſſe rerũ. Quapropter differentia illa, quam ſolet aſſignare Doctor ſanctus inter Deum operantem immediatè, & reliqua agentia inferiora immediatè etiam operantia reſpectu eiuſdem effectus, in hoc ſita eſt, quòd agens particulare immediatè cõcurrit ſolùm immediatione ſuppoſiti, Deus autem concurrit iſto modo, & etiam immediatione virtutis, imo ideo immediatione ſuppoſiti quia immediatione ſuæ virtutis concurrit, ob id, quòd ſua virtus, eſt ſua ſubſtantia & ſuum ſuppoſitum. Et ſi quis obijciat quomodo duo agentia poſſunt eſſe immediata immediatione ſuppoſiti, Reſpõdetur quia vtrunque ſeipſo vnitur ſuo modo ad effectũ immediatum. V. g. corpus corpori vnitur ſua quantitate, ſpiritus verò ſua virtute operatiua, imo etiam duo ſpiritus poſſunt agere immediatè immediatione ſuppoſiti, maximè ſi ſint ſubordinati, videlicet angelus mouens orbem, & ipſe Deus immediatè immediatione ſuppoſiti mouet eundem orbem, angelus verò reſpectu Dei non agit quicquam immediatè immediatione virtutis, quia ipſe mouet virtute recepta à Deo, & dependenter à ſuperiori cauſa. Ex quo colligitur quòd abſolutè loquendo ſolus Deus agit immediatione virtutis, alia verò agentia dicuntur immediatè agere immediatione virtutis reſpectu huius vel alterius, agentis, & non reſpectu omniũ, ſicut Deus.

¶Pro cuius explicatione totius quæſtionis ſunt notanda nonnulla, quorum primum eſt, quòd iſtæ ſententiæ in aliquo conueniunt, & in aliquo differunt. Conueniunt quidem, quia omnes conueniunt, quòd Deus eſt intimè præſens ſecundùm ſuam eſſentiam, præſentiam, & potentiam in omnibus rebus, quatenus omnes res fouet, conſeruat, & mouet, & magis intimè eſt in ipſis rebus, quam ipſæ res ſunt ſibi intimæ, nec in hoc eſt dubitatio:

Solùm

Solùm enim eſt quæſtio, vtrùm ex eo quòd Deus eſt ſic intime præſens in omnibus rebus, dicendum ſit, ipſum agere immediatè immediatione ſuppoſiti. 2.Notab. ¶Secũdò eſt notãdum, quòd licèt omnia, quę ſunt in Deo ſint ipſemet Deus, loquimur tamen de illis ſecundùm aliqualem diſtinctionem ex eo, quòd concipimus illa per conceptus deſumptos à creaturis, nempe, quòd Pater Paternitate eſt Pater, & non bonitate nec eſſentia, licèt bonitas & eſſentia ſint idem ſecundùm rem cum Paternitate: & ſimiliter dicimus quod Deus deitate eſt Deus, & non Paternitate, nec bonitate. Et ſimiliter dicimus, quòd Pater genetatione generar, & nõ Paternitate, licèt ſi ſecundùm conceptus adæquatos concipiamus Paternitatem, & generationem, ſint omnibus modis idem, vt latè dixi in. 1. diſputatione. 7. quæſt. 3. notabili vltimo. & alibi pluries: nihilominus tamen, quia concipiuntur conceptibus inadæquatis deſumptis à creaturis, ideò fatemur iſtam propoſitionem, Pater generatione generat, & non Paternitate. Ità igitur in propoſito dicendum eſt, quòd licèt potentia executiua in Deo, ſit ipſa voluntas Dei, & nõ aliqua potẽtia formaliter diſtincta ab ipſa volũtate Diuina (vt dixi in. 1. diſputatione 23. in explicatione literę in principio cũ cõmuni ſententia Scotiſtarum cõtra Frãciſcum de Maironis in. 1. diſt. 43. quæſt. 5. & 48. quæſt. 2.) nihilominus tamen aliquid cõfitemur de potentia executiua; quod non de voluntate, & aliquid de voluntate, quod non de potentia executiua, ex eo quòd, concipimus potentiam executiuam, & voluntatem diuinam: per conceptus deſumptos à potentia executiua, & voluntate, qualiter reperiuntur in angelo, & anima ſeparata: in quibus vt oſtendit Bargius in. 1. diſtin. 43. quæſt. vnica, à litera G. vſque ad literam I. potentia executiua in angelo diſtincta eſt à voluntate ex mente Doctoris, quia voluntas non poteſt cogi: implicat enim contradictionem, vt docet Doctor in hoc. 2. diſt. 25. & 34. & in. 4. diſtin. 29. & 49. non tamen eſt inconueniens quòd potentia executiua angeli cogatur. Sicut v. g. ſi aliquis angelus vellet mouere cælum verſus orientem, & alius vellet mouere illud verſus occidẽtem, in tali caſu neutra voluntas poſſet cogi, potentia tamen alterius angeli cogeretur, & ſic apparet diſtinctio inter potentiam executiuam, & voluntatem in angelo: & per cõſequens, quia alio conceptu inadæquato poſſumus concipere voluntatem diuinam, & alio inadæquato poſſumus concipere potentiam executiuam Dei, (ſumendo illos conceptus non ab ipſa potentia executiua, & voluntate diuina, ſed à potentia executiua & voluntate in angelo.) ¶Ex quo prouenit primò, quòd licèt idem ſint virtus productiua, eſſentia, & ſuppoſitum in diuinis, nihilominus tamen aliquid poteſt prædicari de virtute, quod non prædicatur de ſuppoſito, & aliquid prædicatur de ſuppoſito, quod nõ de virtute: ſicut v. g. dicimus quòd ſuppoſitum diuinum creat per ſuam virtutem tanquam per principium quo, non tamen dicimus quòd virtus creat per ſuppoſitum tanquam per principium quo, & ſimiliter quòd ſuppoſitum eſt principiũ quod, virtus autem non eſt principium quod: aliquid igitur poteſt prædicari de virtute, quod non prædicatur de ſuppoſito, & è contra, quia tales prædicationes fiunt ex eo, quòd virtus & ſuppoſitum diuinum concipiuntur à ratione virtutis, & ſuppoſiti creati, in quo ad minus formaliter diſtinguntur. ¶Ex quo infertur ſecundò, quod non eſt bonum argumentũ formaliter loquẽdo, Deus agit immediatè immediatione virtutis, ergo agit immediatè immediatione ſuppoſiti, nam hoc prouenit quia virtus & ſuppoſitum in diuinis ſunt idem, vt patet ex dictis & ex infra dicendis.

¶Tertiò, nota quod virtus Dei poteſt conſiderari dupliciter. 3.Notab. Vno modo, per conceptum deſumptum ab ipſa Dei virtute: ſecundo modo, per conceptum deſumptum à virtute creata; ſi concipiatur primo modo virtus Diuina & ſuppoſitum nullo modo diſtinguntur, niſi tantum (ſi velis) diſtinctione virtuali, ratione ratiocinata, ſiue nõ identitate formali (quæ omnia vt dixi in. 1. in diſputatione de relationibus Diuinis, in quæſtione quomodo diſtinguantur ab eſſentia ſunt omnibus modis idem ſecundùm Scotum ibi citatum in fronte quæſtionis ex mẽte Bargij & Vigerij expoſitorum eius, ibi, vnde non identitas formalis inter eſſentiam & relationes (à Doctore aſsignata) nihil aliud eſt, quàm diſtinctio rationis ratiocinatæ, vel diſtinctio virtualis inter eſſentiam & relationes, nam ſumptis eſſentia & relatione eodem modo, eſſentia non eſt de intrinſeca ratione relationis, neque è contra (vt nos ibi diximus) & tradit optimè Molina. 1. par. quæſt. 28. artic. 2. diſputatione. 6. concluſione. 4. quia aut datur aliquid reale in Patre, quod totum præciſè conſideratum ſit proprietas Patris, aut nihil, ſi nihil, ergo

nihil

nihil reale eſt, quòd ſit proprietas perſonalis Patris, cõtra diffinitionẽ Cõcil. Lateran. cap. Firmiter. & cõtra pleraq; alia Cõcilia, & per cõſequens: ergo pater & filius non diſtinguũtur realiter quãdoquidem iuxta eã dẽ diffinitionẽ ſolum diſtinguũtur proprietatibus perſonalibus ſi datur aliquid, ergo illud ita cõſideratũ nõ includit eſſentiã alias illud totũ præciſè cõſideratũ non eſſet proprietas Patris. Ita ſuo modo philoſophandũ eſt de eſſentia vt eſſentia eſt, & de eſſentia vt eſt virtus, & ſimiliter de ſuppoſito vt ſuppoſitũ eſt, & de ſuppoſito vt eſt virtus, nã ſi cõſiderẽtur ſecũdum ſe ſuppoſitũ Diuinũ & virtus productiua à dextra tantũ virtualiter diſtinguũtur. Quare implicat quòd ſit agens immediatione virtutis, & nõ ſit agẽs immediatione ſuppoſiti. Secundo modo poſſunt conſiderari virtus & ſuppoſitum in Diuinis per conceptus deſumptos à rebus creatis, & ſic non eſt inconueniens quòd aliquid dicatur agens immediatum immediatione virtutis, & non dicatur immediatum immediatione ſuppoſiti. Et iuxta hunc modum dicendi intelligo intelligẽdam eſſe ſententiam Ferraræ vt ſit vera.

Notab. 4. ¶Quarto eſt notandum, quòd cũ Deus poſſit producere per ſe ipſum quidquid poteſt cum cauſa ſecunda effectiuè operãte, voluit tamen quamplurimos effectus producere mediante cauſa ſecunda, quales ſunt omnes effectus, quos creaturæ producunt, & ſic voluit, hominem cum homine producere, & equo equum.

Notab. 5. ¶Quintò eſt notãdũ, quòd licèt ſol & Deus ſint cauſę vniuerſales reſpectu generationis hominis & equi, aliter tamen ſe habet ſol quã Deus, & è contra, nã ſol neceſſario indiget cauſa ſecunda ad productionẽ effectus, & ſic neceſſario agit mediatè mediatione ſuppoſiti, at vero Deus ad productionẽ cuiuſque creaturæ non indiget neceſſario aliqua creatura, ſed per ſeipſum immediatè poterat illã producere, voluit tamen cũ cauſa ſecunda illam producere, ſubordinando illam cauſam ſecundã ſuæ actiuitati, ità quòd inter effectum productum & Deum mediet creatura, concurrens vt cauſa ſecunda ad talem productionem.

Notab. vltim. ¶Vltimò nota, quòd quia Deus non ſolũ eſt cauſa vniuerſalis (ſicut Sol) ſed ſimul habet operationem immenſam, quæ operatio nõ eſt (quoad eſſe abſolutum) accidens ipſius, ſed eſt ipſius Dei. Hinc prouenit, quòd eſſe Dei, & eius operatio, ſint immediata in quacunque operatione cauſæ ſecundæ, quòd ſoli nõ contingit, nec alicui alteri cauſæ vniuerſali, & per conſequens in Deo immediatio virtutis, infert immediationem ſuppoſiti, quòd non infert in creaturis, vbi virtus & ſuppoſitum ſunt ad inuicem ſeparabiles.

Prima concluſio. ¶Prima concluſio. Deus eſt intimè præſens in omnibus rebus ſecundùm eſſentiam, præſentiam, & potentiam. Hæc concluſio eſt Doctoris in. 1. diſt. 37. quæſt. vnica, & eſt de fide: & probatur ex illo Sapien. 1. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Et ex Pſalmo. 138. Quo ibo ab ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam, ſi aſcendero in cælum tu illic es, ſi deſcendero in infernum ades. Et ex Iſaia vltimò: Cælum mihi ſedes eſt terra ſcabellum pedum meorum. Et Hierem. 23. Cælum & terram ego impleo. Et Actuũ. 17. In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus. Et probatur ratione. Deus eſt immutabilis, ergo Deus eſt in omnibus rebus. Probatur ſequela, quia ſi Deus non eſt in omnibus rebus, ergo poteſt eſſe de nouo in aliqua re, vbi antea non erat. Secundò. Deus eſt infinitus ſecundùm ſuam eſſentiam, ergo eſt vbique. Patet ſequela, quia ſi eius eſſentia alicubi non eſſet, ergo eius eſſentia non occupat omnem locum, & per conſequens nõ eſſet infinita. ¶Confirmatur, Quia Deus eſt immenſus ſecundùm ſuam eſſentiam, ergo eſt vbique præſens ſecundùm ſuam eſſentiam.

Secunda concluſio. ¶Secunda concluſio. Suppoſitum diuinum immediatè eſt in omnibus rebus. Hæc concluſio probatur eiſdem rationibus & autoritatibus quibus præcedens. Et prętereà, quia vel in diuinis non datur hic Deus diſtinctus à tribus perſonis vel ſuppoſitis, vel ſi datur (vt nos probabilius ſentimus) tantum diſtinguitur ab illis per non identitatem formalẽ, ſiue ratione ratiocinata vt dicũt Thomiſtæ, vel diſtinctione virtuali, ergo ſi hic Deus eſt immediatè in omnibus rebus, ergo & ſuppoſitũ diuinum immediatè eſt in omnibus, conditionalis illa eſt manifeſta, quia Deus immediatè eſt in omnibus rebus. Confirmatur. Quælibet perſona eſt hic Deus, ergo quælibet eſt infinita & immenſa, ergo vbique ſecundùm ſuam eſſentiam & eſſe.

Tertia concluſio. ¶Tertia cõcluſio. Deus eſt agẽs immediatũ in omnibus rebus immediatione virtutis. Hęc cõcluſio cõmunis eſt inter Theologos, & probatur ex dictis in præcedente quæſt.

contra Durand. & præterea, quia agens immediatum immediatione virtutis eſt, quod agit per virtutē non receptā ab alio, & alia agētia agunt per virtutem receptā ab ipſo, ſed huiuſmodi eſt Deus, quia Deus agit per virtutē ſuā, reliqua autē agentia agunt per virtutem receptam à Deo, ergo Deus eſt agens immediatum immediatione virtutis.

Quarta cōcluſio. ¶ Quarta cōcluſio. Si inter cauſam primā & ſecundā eſt ordo in cauſando, probabile eſt quòd Deus agit mediate mediatione ſuppoſiti in operatione cuiuſcunq; creaturæ. Hāc cōcluſionē aſsigno tāquā probabilē, & probatur primò vel inter Deū & cauſas ſecundas eſt ordo in cauſando vel non, ſi eſt ordo in cauſando, ergo ſi Deus agit immediatè immediatione ſuppoſiti, cauſa ſecunda non agit immediatè immediatione ſuppoſiti in agēdo. Probatur ſequela, nā nō poſſunt eſſe duo agētia immediata immediatione ſuppoſiti in agendo, quia ordo dicit prius & poſterius.

Primum argum. Ad hoc argumentū reſpondēt prędicti opinātes dicendo, φ duo agētia, qualia ſunt Deus & cauſa particularis cōcurrunt immediatione ſuppoſiti, quia vtrunq; agēs ſeipſo vnitur ſuo modo ad effectum immediate, & Deus intimè illabitur omnibus fouēdo, conſeruādo, & mouēdo. Corpus nanq; corpori vnitur ſua quātitate: ſpiritus verò ſua virtute operatiua, imò etiā duo ſpiritus poſſunt agere immediate immediatione ſuppoſiti, etiā ſi ſint ſubordinati, videlicet angelus mouēs orbē, & ipſe Deus immediatè immediatione ſuppoſiti mouet eundē orbē, angelus verò nō quidē immediatè immediatione virtutis, quia ipſe mouet virtute recepta à Deo & depēdenter à ſuperiori cauſa. In agētibus ſubordinatis vnūquodq; agēs in ſuo ordine poteſt etiā immediatè cōcurrere, Deus tanquā agēs primū, & cauſa prima cōcurrit immediatè immediatione virtutis, & ſuppoſiti ignis tāquā cauſa ſecūda ſubordinata cōcurrit immediatè, nec eſt ratio cur ſe impediāt immediata ſuppoſita ſubordinata; & nō ſe impediāt virtutes operatrices. Cōtra hāc ſolutionē ſic argumētor. Implicat φ ſint duo agētia immediata immediatione virtutis, ſi ſunt ſubordinata, ergo & implicat φ ſint duo agētia immediata immediatione ſuppoſiti ſi ſunt ſubordinata. Antecedens patet, qà agētia ſubordinata vel vnū agit in virtute alteri⁹ vel nō ſupponēs virtutē & actionē alterius, ſi agit in virtute alterius, id eſt, per virtutē receptā ab altero agēte illud agit mediatè mediatione virtutis. Si autē nō ſupponēs actionē, & virtutem alterius ipſum agit immediatè immediatione virtutis: alterū vero mediatè mediatione virtutis, ſed nullus alius modus poteſt aſsignari in agētibus ſubordinatis, ergo. Modo probatur ſequela, nā agētia ſubordinata, ideo dicūtur ſubordinata, quia ſeruant ordinē inter ſe, ordo autē dicit prius & poſterius, prius autē & poſterius dicit mediatū, & immediatum, ergo ſi ſunt duo agētia ſubordinata, alterū debet eſſe mediatū, & alterū immediatū, tam in agētibus immediatione virtutis, quā in agētibus immediatione ſuppoſiti.

Secūdum argum. ¶ Secundo. Tunc dicitur agēs immediatū immediatione ſuppoſiti ordine cauſalitatis, quando inter ipſum agens & ipſum effectū productū non eſt aliquod agēs ſecūdū ordinē cauſalitatis, ſed inter Deū & hominē generatū mediat homo generās, ergo Deus nō agit immediatè immediatione ſuppoſiti in generatione hominis. Probatur cōſequentia. Iſte effectus non procedit immediatè à Deo, ſed mediāte cauſa ſecūda, ergo Deus nō immediatè cōcurrit in agendo immediatione ſuppoſiti reſpectu iſtius effectus. ¶ Et cōfirmatur. Iſte effectus aſsimilatur cauſæ ſecūdæ tanquā cauſæ proximiori, ergo cauſa ſecūda immediatior eſt immediatione ſuppoſiti quā cauſa prima in agendo quāuis prima ſit immediatior in eſſendo.

Tertium argum. ¶ Tertiò. Si aliqua ratione Deus agit immediatè immediatione ſuppoſiti maximè vt dicūt prædicti opinātes quoniā ratio exiſtendi in rebus Deo, eſt operatio ipſius, ſed iſta ratio nō eſt formalis, ſed tantū materialis propter identitatē inter eſſentiam & operationē Dei, quia ſi operatio diuina nō eſſet idē cū eſſentia poſſet eſſe operatio vbi nō eſſet eſſentia, ergo cum ex eo ſit eſſentia vbi eſt operatio, quia eſſentia & operatio ſunt idē & ideo materialiter & nō formaliter, ideſt, non ex vi operationis, quatenus operatio eſt, ergo formaliter loquēdo, licet De⁹ agat immediatè immediatione virtutis, non ex hoc ſequitur formaliter, φ agit immediatione ſuppoſiti. ¶ Cōfirmatur. Nā eodē argumēto probaretur φ attributa diuina agunt immediatè immediatione ſuppoſiti. Probatur ſequela. Sapientia diuina & Deus ſunt idē, ſi Deus agit immediatione ſuppoſiti, ergo & ſapiētia diuina. Iſta autē cōſequētia nō eſt formalis ſed materialis, ergo ſimiliter illa, qua cōtraria ſententia probat ſuā cōcluſionē. Et aduerte; quòd iſtæ rationes procedunt

cedunt de eſſe,& operari Dei quatenus concipiuntur conceptu ſumpto ex eſſe, & operatione creaturarũ, vbi operatio pōteſt eſſe immediata,& eſſe mediatũ, & hoc eſt quòd appello conſequentiam formalem,ſcilicet, quatenus communis eſt Deo & creaturæ.

Quartum argum. ¶Quartò. Cauſa ſecūda propriè dicitur media inter Deum & effectum,ergo Deus agit mediatè mediatione ſuppoſiti cum cauſa ſecunda. Probatur antecedens. Talis mediatio nō ſumitur penes hoc quòd Deus ſit magis vel minus intimè præſens ſecundùm ſuã ſubſtantiam,ſed tantum penes ordinem cauſalitatis,ſed ordine cauſalitatis Deus immediatius agit quam cauſa ſecunda, & effectus prius reſpicit Deum agentem quam cauſam ſecundam operantem, ergo licèt Deus & cauſa ſecunda ſimul agant immediatius agit cauſa ſecunda quam prima, ſed non immediatione virtutis,vt dictum eſt,ergo immediatione ſuppoſiti. Confirmatur. Sicut iſta propoſitio eſt vera,creaturæ agunt mediante virtute recepta à Deo:ita hęc propoſitio eſt vera. Deus agit effectus cauſarum ſecundarum mediantibus cauſis ſecundis, ſed ex eo quòd creaturæ agunt mediante virtute recepta à Deo agunt mediatè mediatione virtutis,ergo ex eo quòd Deus agit mediantibus cauſis ſecundis, agit mediatè mediatione ſuppoſiti.

Vltimum argum. ¶Vltimò. Si Deus ageret vbi nō eſſet,ideſt, ſi in agendo non eſſet intimè præſens ſecundùm ſuam ſubſtantiam ageret mediatè mediatione ſuppoſiti,ergo & modo agendo cũ cauſis ſecundis agit mediatè mediatione ſuppoſiti in agendo. Probatur ſequela,quia agere mediatè mediatione ſuppoſiti, nihil aliud eſt, quam quod aliquod ſuppoſitũ ſit inter ipſum agens & effectum productũ in agēdo,ſed quantumuis Deus ſit intimè præſens adhuc tamen dicimus verè quòd operatur mediantibus cauſis ſecundis, ergo inter ipſum Deum operantem, & effectum productum mediat cauſa ſecunda operans.

Quinta cõcluſio. ¶Quinta concluſio. Probabilius eſt, quòd Deus ſit cauſa immediatã immediatione virtutis & immediatione ſuppoſiti in operatione cuiuſcũq; cauſæ ſecundæ. Hæc cōcluſio probatur rationibus adductis pro ſententia Caiet. & ſecūdò probatur, nã ordo cauſalitatis inter cauſam primã & ſecūdã nō cōſiſtit in hoc ꝙ ſuppoſita creata attingant per ſe ſuos effectus,& cauſa prima nō, niſi per ſecundas,ſed in eo quòd omnia agētia creata, & ſuppoſita omnia dependeant à prima cauſa,vt à fonte totius eſſe. Quare aduerte, ꝙ agere immediatè immediatione ſuppoſiti nihil aliud dicit quã quòd inter ipſum agēs & effectũ nullũ aliud ſuppoſitũ interiectũ exiſtat,& quia Deus ſua immenſa operatiõne res omnes immediatè attingit, quæ virtus non eſt diſtincta ab ipſo eſſe ſuppoſiti, ideò agens immediatè immediatione virtutis agit etiã ſimul immediatè immediatione ſuppoſiti. Vnde cauſa ſecunda non propriè dicitur media inter Deũ & effectũ cũ Deus ſit intimior. Vnde ſicut dicimus, quòd Deus mediante humanitate aliquid operatur non quòd humanitas ſit media, ſed quia eſt inſtrumētũ Dei,ita creaturæ nō dicuntur propriè media, quia ſunt veluti inſtrumenta diuina.

Secundum argum. ¶Secundò. Si virtus Dei & ſuppoſitũ concipiantur conceptu deſumpto ab ipſis, non poteſt concipi virtus diſtincta à ſuppoſito diſtinctione actuali,ergo cum Deus ſit agens immediatum immediatione virtutis, erit & immediatũ immediatione ſuppoſiti.

¶*Reſpondetur argumentis.*

¶Ad primum cũ Ferrara vbi ſupra,quòd D. Tho. ibi tantũ intēdit, Deũ eſſe in omnibus rebus immediatè immediatione virtutis, & quia eius virtus eſt eius eſſentia, ideo cōcludit, Deũ eſſe immediatè in omnibus rebus ſecundũ ſuã eſſentiam, & hoc fuit tantũ intentum D. Tho. nō tamen cōcludere, quòd Deus immediatè operatur immediatione ſuppoſiti,quia licèt ſuppoſitũ ſit immediatè in omnibus rebus, nō tamen dicitur immediatè operari immediatione ſuppoſiti, niſi quãdo ſe ſolo operatur ſecluſa quacunq; cauſa ſecūda,at vero quando cũ cauſa ſecunda operatur,cũ effectus immediatius procedat à cauſa ſecunda quã à prima,ideo dicitur cauſam primam non operari immediatione ſuppoſiti.

¶Ad ſecundum reſpondetur, quòd ex ſola immediatione virtutis non infertur per conſequentiam formalem immediatio ſuppoſiti, vt & ipſimet fatentur, ſed tantum per conſequentiam materialem,& noſtra cōcluſio tantum procedit formaliter loquendo.

¶Ad tertium reſpondetur, quòd immediatio virtutis non excludit immediationem ſuppoſiti abſolutè loquendo, nam quando Deus ſe ſolo operatur, operatur immediatè & immediatione virtutis, & immediatione ſuppoſiti,at verò immediatio virtutis quando Deus operatur cũ cauſa ſecūda excludit

immediationem ſuppoſiti, quia agere mediatè, & immediate ſimul pro eodem implicat, & cum Deus agat mediantibus cauſis ſecundis, & non mediatione virtutis, erit igitur mediatione ſuppoſiti.

¶Ad quartum reſpondetur, negando ſimilitudinem vel ſequelam, nam potius cauſa ſecunda agit per virtutem Dei, quam Deus per virtutem cauſæ ſecundæ, & ſic ad immediationem virtutis ſufficit quod agens attingat effectum per virtutem propriam, & nõ receptam ab alio, & ſic licet virtus cauſæ ſecundæ medier inter virtutem cauſæ primæ, & effectũ in genere entis, noſtro modo concipiendi, quia prius concipimus cauſam primam, cũ ſua virtute, & ſtatim cauſam ſecundam cum ſua virtute, & deinde effectũ, non tamen in genere cauſalitatis, ſicut dicimus de primo principio, quòd eſt immediatũ ordine cauſalitatis reſpectu concluſionis, non tamen eſt immediatum in genere entis, ſed mediatũ, cũ inter ipſum & concluſionẽ mediet minor, ſed ordine cauſalitatis eſt immediatum, quia minor agit in virtute ipſius principij, ita in propoſito, quia creatura agit in virtute Dei, ideo virtus Dei ordine cauſalitatis immediatius attingit effectum quam cauſa ſecunda.

¶Ad quintum quando dicitur quod oppoſitum eſt inintelligibile reſpondetur, quòd oppoſitum non eſt inintelligibile. Nam nõ eſt intelligibile, quòd Deus operetur mediante cauſa ſecunda, & quod agat vt ſic immediate, quare argumentum cum procedat ab eſſe ad operari nihil probat.

¶Ad vltimum, quòd immediatio ſuppoſiti tantum dicit, quòd inter effectum productum & agens, non ſit aliud ſuppoſitum medians ordine cauſalitatis, & cum inter Deũ & effectum productum ab eo cum cauſa ſecunda, mediet ipſa cauſa ſecunda, à qua ex volũtate ipſius Dei videtur quodãmodo dependere, quatenus dependere dicit tantum præexigentiam, ita quòd propoſitio faciat hunc ſenſum: Deus ex mera voluntate præexigit cauſam ſecundam operantem, vt ipſe cum ipſa producat effectum, & ex hac præexigentia ſimul cum ſubordinatione cauſæ ſecundæ ad primam oritur mediatio ſuppoſiti in cauſa prima, nã vbi ordo eſt, ibi prius & poſterius eſt. Quare non eſt trepidandum ſed catholicè aſſeuerandum (quoniam & nos etiam militamus pro Deo) Deum immediatius concurrere immediatione virtutis, quam cauſa ſecunda, cum agat per virtutem propriam, & non ab alio participatam: creaturam verò agere mediatius mediatione virtutis, cũ agat per virtutem à Deo participatam. Similiter catholicè aſſeuerandum eſt Deum mediatè concurrere mediatione ſuppoſiti cum cauſa ſecunda, quamuis ipſum Dei ſuppoſitum immediate ſit in omnibus rebus, & omnia impleat, quia talis immediatio non attenditur penès ordinem eſſendi, ſed penes ordinem cauſandi, & operandi iuxta modum ſupra explicatum.

¶Ad argumenta adducta pro ſententia Ferraræ facillimè reſpondetur. Quòd ſi bene inſpiciantur tantum probãt huiuſmodi immediationem ſuppoſiti conuenire Deo per conceptũ deſumptum à creatura, non tamẽ per conceptũ deſumptum ab ipſo Deo, & eius operatione, ſicut etiã contingit in relationibus diuinis, quæ vt cõmuniter docent Doctores, ſi cõcipiantur cõceptu proprio, & adæquato cõſtituunt ſecundũ vltimã & præciſam rationẽ relationis, vt nos diximus in proprio loco in primo. Si autẽ concipiantur conceptu inadæquato deſumpto à relatione creata conſtituunt ſecundũ quòd formæ ſunt, & in actu ſignato, vt dicunt alij: nõ autẽ in actu exercito: ita in propoſito immediatio virtutis & ſuppoſiti ſi ſumatur ex immediatione, quæ reperitur in creaturis, nõ infertur vna ex altera, nã bene ſtat in rebus creatis quòd virtus ſit immediata, & ſuppoſitum mediatũ, non tamen contingit in diuinis in ijs operationibus de quibus loquimur. Quare ad primum in forma reſpondeo, quòd inter cauſam primã & ſecundam eſt ordo in cauſando, quia cauſa ſecũda agit in virtute primæ, & quia agẽtia omnia creata & ſuppoſita omnia dependent à prima cauſa vt à fonte totius eſſe, vt dixi in cõcluſione. 5. Quare vtraque cauſa in ſuo genere cauſandi agit immediate immediatione ſuppoſiti.

¶Ad ſecundum reſpondetur, quòd quicunque effectus à cauſa ſecunda productus, propter ſui immenſitatem & identitatem cum virtute etiam à prima immediatè immediatione ſuppoſiti producitur.

¶Ad tertium reſpondetur, quòd illa conſequentia & illa ratio eſt formalis in diuinis, eſt autem materialis in actione communi Deo & creaturæ, dico cõmuni, id eſt, quæ de diuina & humana prædicatur, quæ tantum datur quoad conceptum formalem, & communis

munis communitate rationis, & hoc in intellectu confuſè concipiente, vt dixi de vniuocatione entis in. 1. ex mente Doctoris, & eius expoſitorum: non autem eſt communis quoad conceptum obiectiuum, neque quoad aliquam realitatem.

¶Ad quartum reſpondetur, quòd cauſa ſecunda dicitur propriè media inter Deum & effectum, non quia verè mediet, ſed quia Deus non ſe ſolo, ſed cum cauſa ſecunda effectum producit.

¶Ad vltimum reſpõdetur, quòd ipſum probat noſtram ſententiam, & explicat ſententiam Ferrara. Nam ex eo colligitur quòd ſi Deus & eius operatio concipiuntur concepta deſumpto à creatura, in qua eſſe & virtus operatiua diſtinguuntur, quamuis virtus eſſet immediata effectui, at verò ſuppoſitũ non eſſet immediatum. In diuinis autẽ vbi ſuppoſitum non diſtinguitur actualiter à virtute, vbi eſt immediatio virtutis ibi etiã immediatio ſuppoſiti repetitur.

QVÆSTIO V.

¶Vtrùm iſta ſit conſequentia formalis, Deus vbique operatur, ergo vbique eſt.

DE hac re duplex eſt principalis ſententia. Prima eſt omniũ Thomiſtarum. 1. par. quæſt. 8. art. 1. qui omnes inſurgunt cõtra Doctorem dicentes, quòd licet circa principalem quæſtionem teneat concluſionem Diui Thomæ, impugnat tamen rationem illius, ex eo quòd agens & patiens non debent eſſe ſimul, contra quam rationem ſtatuunt iſtam concluſionẽ. Iſtud principium (agens & patiens debent eſſe ſimul) eſt verum non ſolum in agente corporali, ſed etiam in ſpirituali, & in materiali. Hanc concluſionem dicunt eſſe contra Doctorem in. 1. diſt. 37. quæſt. 1. qui arbitratur, hoc principium non eſſe vniuerſaliter verum, ac proinde, quòd ex illo non colligitur exiſtentia Dei in rebus, quoniam poteſt aliquod agens operari per intellectũ, & voluntatem, in remotiſsima loca. ¶Vnde errat Scotus primò, quoniã docet ſolum formam ſubſtantialẽ producere effectũ & ſubſtãtiã, & nõ accidẽs. ¶Errat ſecundo Scotus ex eo quòd dixit non poſſe probari efficaciter Deum eſſe in omnibus rebus, quia operatur in omnibus rebus. ¶Errat & tertio in eo quod docet, agens & patiens nõ debere eſſe ſimul ſemper. Nam ex opinione Scoti ſequitur, quòd agens naturale poteſt producere effectum per vacuum, & inane, cuius cõtrarium dixit Ariſtot. loco dudum citato dicens, neceſſe eſſe hunc mũdũ inferiorem cõtinuũ eſſe lationibus ſuperioribus, vt poſsit influentias & cœli gubernationem recipere atque motum.

¶Vt autẽ explicent ſuã ſententiã aduertũt, ꝙ ſicut res corporea per contactũ quantitatis alteri cõiungitur, eique fit præſens, eodẽ modo in ſpiritualibus, quæ carẽt quãtitate, vna res alteri coniungitur, & ſic fit præſens per cõtactum virtutis. Vnde ſicut cõtactus quãtitatis in rebus corporeis eſt cauſa, & ratio, quare nõ ſolũ quãtitas, ſed ſubſtãtia rei coniungitur, & fit præſens, ita in ſpiritualibus cõtactus virtutis eſt ratio, quare nõ ſolũ virtus ipſa, ſed etiã ſubſtãtia rei ſpiritualis cõiũgitur, & fit præſens rei quam cõtingit. ¶Sed eſt magnũ diſcrimẽ inter ſpiritualia, & corporalia; ꝙ res corporea alterã non cõtingit, niſi ſecundũ ſuperficiem, & nõ ſecundũ ſubſtãtiã, ac proinde ſubſtãtia vnius rei nõ illabitur alteri, quãtitatibus ipſis impediẽtibus: res verò ſpiritualis cũ cõiungitur corporali, ſecundũ ſuã ſubſtantiã cõiungitur, illi que illabitur, eo ꝙ caret quãtitate. De Deo certũ eſt, quòd omnibus illabitur, cum creet omnes eſſentias, eaſq; conſeruet. ¶Ex quo etiã alterũ ſubſequitur diſcrimen; quòd vna res corporea non poteſt agere in totã aliã rem corpoream immediatè immediatione ſuppoſiti ſecũdũ omnes partes, ſed mediãte priori parte agit in reliquas. Cæterũ ſpiritualia agẽtia poſſunt agere in totam rẽ, & in ſingulas partes immediatè, & ſic tota anima poteſt eſſe in tota, & in qualibet ipſius parte. ¶Rurſus ſi peculiariter loquamur de cõtactu rei, quo res ipſas contingit, ille eſt, quo res ipſas producit, eaſq; cõſeruat in eſſe, atq; mouet, quo mediante, illis dicitur cõiungi, atque adeſſe. Et cum in Deo non diſtinguantur virtus qua operatur, & eſſentia, manifeſtum eſt ꝙ non poteſt coniungi alicui rei ſecundùm ſuã virtutẽ, quin coniungatur ſecundum ſuam eſſentiam, & ſubſtantiam. Quo fit vt illa maxima Philoſophi. Agens & patiens debent eſſe ſimul. Mouens eſt immediatum moto, potiori iure habeat locum in primo motore, quam in reliquis creaturis. Tum quia intimius operatur per ſe primo, Tum. quia vir-

tus, & eſſentia non diſtinguuntur.

¶Secundò aduertũt (licèt vltimo loco) pro iſta quæſtione quoad immenſitatem eſſentiæ diuinæ, & ſuæ virtutis pertinet, vt nullo loco circumſcribatur, imò quòd nõ poſſit circumſcribi, ita quod non poſſumus intelligere eſſe aliquam creaturam, quantumuis eſſet diſtans ab hoc mundo, in qua non ſit Deus. Alioquin dato vno loco, in quo non eſt Deus, iam coarctatur & circumſcribitur ſicut data aliqua duratione vera, vel imaginaria, in qua non ſit Deus, tolleretur æternitas, limitareturq; eius duratio. Itaque non arguit imperfectionem in Deo, aut in illius eſſentiâ, & virtute quin potius perfectionem, & immenſitatem, quod non poſſit creaturam aliquam producere, in qua ipſe Deus non ſit.

¶His igitur ſic cõſtitutis probant ſuam ſententiam, ſcilicet, benè inferri per cõſequentiam formalem, Deus vbique operatur, ergò vbique eſt. Primò, quia agens & patiens debent eſſe ſimul, vel ſecundum ſubſtantiã, vel ſecundum virtutem, ſed virtus Dei, & eius operatio eſt idem cum ſua ſubſtantia & eſſentia, ac cum ipſo ſuppoſito, ergo ſi vbique eſt ſecundum ſuam virtutem, vbiq; erit ſecundum ſuã ſubſtantiam. Secunda virtus Dei eſt formaliter loquendo eius operatio, ergo ſi vbique eſt ſecundum ſuam operationem vt & ſecundum ſuam virtutẽ, ſed virtus & eſſentia ſunt idem, ergo.

Secunda ſententia. ¶Secunda ſententia eſt Molinæ. 1. parte, quæſtione. 8. articulo. 1. diſputatione. 2. aſſerentis ſententiam Doctoris non ſolum videri falſam, doctrinæque Ariſtotelis apertè contrariam, ſed & parum tutam in fide. Dicit videri falſam, quoniam ſicut intellectus percipere non poteſt quomodo corpus aliquod (imò & angelus vt Scotus ipſe affirmat) ex vno loco ad alium remotum tranſeat niſi per medium, ita percipere non valet, quo pacto agẽs limitatum ad certum locum poſsit tranſmittere actionem ſuam in locum diſtantem, quin prius aliquid in ſpatium interiectum producat, interuentu cuius ſiue intercapedine rem diſtantem ſua actione attingere valeat. Quod enim Deus poſsit tranſmittere corpus de loco in locũ remotum non transferendo illud per medium, aut collocare idem corpus in locis diſtantibus (quamuis multi id negent) facile intelligitur. Etenim cum Deus propter immenſitatem ſuæ eſſentiæ vbique ſit præſens, reſque iam productæ perinde maneãt in eo eminenter, ac ſi productæ non eſſent, qua de cauſa reproducere valet ſemel corruptum, vtique ſi ſubtrahat influxum, quo eſſe confert alicui corpori in aliquo loco, atque immediatè illi, idem eſſe in alio loco cõferat, aut ſimul idem illi vnum eſſe in diſtinctis locis ſupernaturaliter tribuat, poterit profectò transferre idem corpus de loco in locum diſtantem, quin per medium interiectum transferat, aut collocare illud ſimul in diſtinctis locis. At vero quemadmodum ſi Deus per vim corpus transferre vellet in locum diſtantem, id nulla ratione fieri poſſet, niſi eodem corpore per interiectum ſpatium traducto, neque aliud humanus capit intellectus, ſic etiam ſi agens eſſet limitatũ ad certum locũ (eſto eſſet Deus ipſe) vimq; ad operandum habebit infinitam, tranſmittere non poſſet actionem in locum diſtantem, nihil interim in medium ſpatium efficiendo, id namque pari ratione ex natura rei fieri non poſſe, mens ipſa, quaſi intueri videtur. ¶Secundam partem probant, ſcilicet, talem opinionem doctoris eſſe parum tutam in fide, quoniam Paulus Actorũ. 17. ex eo probat Deum non longè eſſe ab vnoquoque noſtrum, quòd in ipſo viuamus, moueamur, & ſimus. Et Pſal. 138. Regius Propheta cum dixiſſet. Quo à faciẽ tua fugiam, ſi aſcendero in cælum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum ades, ſi ſumpſero pœnas meas diluculo, & habitauero in extremis maris; in huius rei probationem ſubiungit. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua, aut ergo autores contrariæ ſententiæ dicant Spiritum ſanctum per os Pauli, atque Dauidis ineptam rationem reddidiſſe, inefficaxque argumentum confeciſſe ad probandam præſentiam Dei in rebus, aut confiteantur ex immediata operatione Dei in aliquo loco ſatis ſuperque concludi præſentiam Dei in rebus, vt D. Tho. & communis Theologorum ſententia cum Ariſtotele affirmat, & ipſa ratio cuique in dicta perſuadet, vnde Anſelm. monolo. 22. & 23. quoniã inquit, nihil ſine Deo poteſt, aut eſſe aut conſeruari dicere cogimur Deũ vbique & ſemper eſſe.

¶Tertia ſententia eſt Doctoris in. 1. d. 37. *Tertia ſententia.* quæſt. vnica prope finem, vbi aſſerit confirmando ſuam ſententiam hæc verba. Confirmatur etiam quia ante mundi creationẽ non eſt imaginandum vacuum infinitũ quaſi

ibi

ibi fuerit præſens Deus ſecundùm eſſentiã antequàm produceret mundum, imò non vt alicubi præſens Deus ſecundum eſſentiam fuit potens facere mundum, ſicut igitur ibi præſentia immenſitatis non præexigebatur præſentiæ potentiæ ſuæ vt potentia eſt, imò potẽtia prius habuit terminum ſuum quàm eſſet præſentia ſecundùm eſſentiam, ita videtur modo quod non oporteat præintelligere Deum in aliqua parte vniuerſi, vt ibi aliquid cauſet, ſed magis quaſi è conuerſo prius ſit ibi ſecundùm potẽtiam vt ibi aliquid cauſet, & tunc licet per impoſsibile nõ eſſet ibi prius ſecundum eſſentiam poſſet tamen ibi cauſare. Hactenus Doctor.

Notab. 1. ¶Pro explicatione igitur huius ſententiæ & totius quæſtionis ſunt notanda nonnulla, quorum primum eſt, quòd Doctores in hac quæſtione in aliquo conueniunt, & in aliquo differunt, conueniunt quidem, quia omnes fatẽtur Deũ eſſe vbiq; per eſſentiã, præſentiam, & potentiã. Cõueniunt ſecundò, quia omnes fatentur bene inferri ex iſto antecedente, Deus vbique operatur, iſtud conſequens, ergo vbique eſt, quia ſecũdùm fidem, virtus, operatio, & eſſentia Dei idem ſunt. Differunt tamen quià nonnulli contendunt, iſtam eſſe cõſequentiam formalem, Doctor autem tantum eſſe conſequentiam materialem: quia ſi per impoſsibile virtus & operatio Dei non eſſent idem cũ ſua eſſentia, tunc non eſſet bona conſequentia, Deus vbique operatur, ergo vbique eſt, cũ in agente creato (in quo operatio, & eſſentia diſtinguuntur) non rectè inferatur, quia non ſequitur, ſol operatur in viſceribus terræ, ergo ibi eſt ſecundum eſſentiam. Antecedens enim verum eſt, & conſequens eſt falſum.

Notab. 2. ¶Secundò eſt notandum, quòd in explicatione horum modorum exiſtendi Dei in rebus variant Doctores inter ſe. Nã Durand. in 1. diſt. 37. q. 1. nu. 13. aſſerit, quòd cũ exiſtentia Dei in rebus requirat exiſtentiã rerũ (in eo enim quod nõ eſt nihil eſſe poteſt) res autem non exiſtunt niſi per actualẽ operationem Dei creantis, & conſeruantis res, ideò ſecundùm tria, quæ concurrunt ex parte Dei ad productionẽ, vel conſeruationum ſumuntur illi tres modi. Illa autem tria ſunt operatio vel actio, virtus à qua eſt actio, & eſſentia, in qua eſt virtus, quia ergo actio creationis facit rem exiſtere, actio autem conſeruationis exiſtentiam rei continuat, exiſtentia autem rei facit rem Deo præſentem & Deum rebus, Deus enim nõ efficitur præſens rei, niſi quia res efficitur præſens Deo, & ideo ratione actionis producẽtis, & cõſeruãtis rẽ in eſſe, Deus dicitur eſſe in rebus per præſentiam. Et quia hæc præſentia nõ eſt ſolũ ſecũdùm cognitionẽ (vt alij ponunt) ſed ſecundum realem exhibitionem, nam ſicut figura ſigilli non fit, nec cõſeruatur in aqua, niſi ad realem coexiſtentiam ſigilli, ſic nulla res conſeruatur in eſſe, niſi ad realem coexiſtentiam Dei, & ideò dicitur Deus eſſe in rebus per eſſentiam, propter realem coexiſtentiam diuinæ eſſentiæ cum rebus. Vlterius quia ab eſſentia non egreditur actio niſi mediãte potẽtia, dicitur Deus eſſe in rebus per potentiam, & hi ſunt modi generales, quibus Deus eſt in omnibus rebus, conſideratis (ſcilicet) ſecundùm ſuum eſſe naturale. Iſtum tamen modum dicendi Durandi impugnant nonnulli ſuper primã partem D. Tho. quæſt. 8. art. 4. dub. 2. dicentes eſſe liberrimũ, multa abſurda, & incommoda continentem. Primũ eſt, quòd cõfundit omnes hos tres modos exiſtendi in rebus, Secundum inconueniens eſt, quod propriè & in rigore loquendo, vbi nõ eſt connexio nõ eſt præſentia. Vnde quanuis lapis & lignũ ſint coniuncta, nõ dicemus, quòd alterum eſt alteri præſens quoniam ibi non eſt connexio. Præſentia verò propriè & in rigore exigit connexionem. Quare explicãt prædictos modos dicentes, quod reuera idẽ eſt Deum eſſe per potentiam, & per eſſentiam in rebus. Et quanuis iſti modi realiter & identicè ſint idem, formaliter verò diſtinguuntur. Etenim per operationem ſecundùm quam Deus in effectibus cuſtodit res, eaſque conſeruat, dicitur eſſe in rebus per potẽtiam. Verum quoniam proximũ principium operationis eſt potentia ipſa, & virtus ad operandum, ideo dicitur Deus eſſe per potentiam in rebus. Cæterum cum potentia ipſa in Deo, ſit idem quod eſſentia Dei, conſequenter dicitur eſſe per eſſentiã in illis. Secundò dicunt probabiliter poſſe dici, quòd ideo Deus eſt in omnibus rebus per potentiam, quia operatur in illis. Itaque eſt in omnibus rebus per potentiam ex quacunque operatione, quã facit in eis, quia potẽtia eſt proximũ principiũ cuiuſlibet operationis. At verò eſt per eſſentiam in rebus ex peculiari operatione, quatenus produ-

producet eſſe rerum, & cōſeruat illud eſſe.
¶ Tertius modus explicandi eſt omnium Scotiſtarum in 1. diſt. 37. quæſt. vnica, dicentium, Deum eſſe vbique ſecundum præſentiam eſt Deum diſtinctè omnia cognoſcere, & ipſum eſſe præſentem ſecundū potentiam, eſt ipſum omnia conſeruare, & ipſum eſſe præſentem ſecundùm eſſentiam, eſt ipſum eſſe præſentem ſecundùm infinitatem ſeu ſecundùm intimum illapſum.

Notab. 3. ¶ Tertiò eſt notandum, quòd licet eſſentia & operatio diuina ſint idem, non tamen ſignificant idem eodem modo, quia eſſentia ſignificat eſſentiam ſecundùm ſuam rationem formalem, & ſecluſo quocunque quòd non concipitur de quidditate eius; & ſic licet operatio diuina ſit idem quod eſſentia diuina, hoc nomen (eſſentia) non ſignificat operationem: quia operatio concipitur vt conſequens ipſam eſſentiam, & non vt ratio formalis ipſius.

Notab. 4. ¶ Quartò notandum, quòd operatio diuina poteſt dupliciter conſiderari: Vno modo ſecundùm quod eſt à parte rei: ſecundo modo ſecundùm quòd poteſt à nobis concipi. Si enim conſideretur ſecundùm quòd eſt à parte rei, implicat illam non eſſe eſſentiam diuinam ſecundùm eſſe abſolutum, quod ipſa operatio habet. Si verò conſideretur ſecundùm quod poteſt à nobis cōcipi adhuc hoc poteſt dupliciter contingere. Primo modo ſecundùm quòd eſt cognoſcibilis per fidē, & conceptu proprio: ſecundo modo ſecundùm quòd poteſt concipi ex naturalibus, & conceptu alieno. Si conſideretur primo modo implicat concipere operationem Diuinam diſtinctam realiter ab eſſentia Diuina, ſicut implicat operationem Diuinā realiter diſtingui ſecundùm eſſe abſolutum ab eſſentia Diuina. Si autem conſideretur ſecundo modo, poteſt Diuina operatio concipi ſub ratione operationis tantum, ac ſi realiter eſſet ab eſſentia Diuina diſtincta; & hoc modo conſiderata eſt diſtincta virtualiter, vel ratione ratiocinata, vel nō idem formaliter cum eſſentia: nam aliud eſt conſiderare volitionem in ratione volitionis, & aliud in ratione principij ad extra, ſicut ſuo modo aliud eſt conſiderare eſſentiā Diuinā prout eſt eſſentia, & aliud prout eſſentia prout in patre eſt potentia generandi.

Notab. 5. ¶ Quintò eſt notandū, quòd iſta conſequentia Deus vbique operatur, ergo vbique eſt, poteſt ſimiliter dupliciter conſiderari. Vnò modo quatenus Deus & operatio Diuina ſecundum ſuum eſſe abſolutum ſunt omnibus modis idem, nam cùm Deus ſit actus purus, non poteſt intelligi potentia operatiua in ipſo diſtingui ab operatione ſecundū eſſe abſolutum; Quare in Deo idē eſt eſſe, & poſſe operari, quantū ad eſſe abſolutum q importat potentia operatiua. Secundo modo poteſt iſta conſequentia cōſiderari, quatenus operatio concipitur, vt diſtincta à potentia operatiua.

¶ Sextò aduerte, quòd operatio Diuina poteſt dupliciter cōſiderari: Vnò modo prout eſt in Deo operante, quæ dicitur operatio actiua. Secundò modo prout eſt in re operata, & dicitur operatio paſsiua. Si ſumatur primo modo pro operatione actiua, nō ſunt ad inuicem diſtantes, Deus, & eius operatio ex rationibus formalibus præciſe conſideratis. Si autem cōſideretur ſecundo modo pro operatione paſsiua, vt realiter diſtinguitur à Deo. De hac eſt quæſtio, & controuerſia vtrùm talis operatio per conſequentiā formalem inferat præſentialitatem Dei, vnde ſenſus illius eſt, an per conſequentiā formalem ſequatur, iſta res eſt hic producta in eſſe reali à Deo, ergo Deus eſt hic ſecundùm eſſe reale. *Notab.* 6.

¶ Septimò eſt notandum vt optimè aduertit Palacios in 1. diſt. 37. diſput. 1. quòd mouens, & motum ſimul ſunt, & ſe ſe contingunt, aut contactu ſecundùm ſuam quantitatem, aut ſecundùm ſubſtantiam, aut ſecundùm virtutem; nam agens, & paſſum ſe contangunt neceſſario aliquando ſecundū quantitatem, vt ignis tangit lignum: aliquando ſecundùm virtutem, vt ſol terram cōtangit, non quantitate, ſed virtute: ſiquidem lumē, & influentiam proximis ſibi elementis donat, vnde & terræ donantur, vt fœcundetur producendis metallis, & alijs mineralibus. Similiter Torpedo (piſcis) ſtupidam reddens piſcatoriam manum, ſaluo rete, vt ſque contangit manum contactu virtutis, & qualitas piſcis diffunditur per rete ad manum vſque: at rete illæſum eſt, quia actus actiuorum ſunt in patiente diſpoſito. Item agentia intentionalia; vt obiectum contangit vires ſenſificas diffuſis ſpeciebus ex medio ad ipſam potentiam. Itemque in agentibus ſpiritualibus eſt contactus ſecundùm ſubſtantiam, & ſecundùm virtutem: in Deo autem contactus ſecundùm virtutem, & ſecundùm ſubſtantiam non diſtinguuntur niſi ſolum *Notab.* 7.

ſecun-

ſecundum rationem: quamobrem, quando nihil erant omnia, ante orbem conditum, Deus nihil cõtangebat, neque ex ſubſtãtia, neque ex virtute niſi tantum potentialiter, at verò ſimul atque mundum efficit, illum contangebat ſecundum ſubſtantiam ſuam, & ſecundum virtutem ſuam, quia intimè operabatur in rebus cooditis, & ipſa rerum creatio rerum eſt contactus, quia igitur tan tat omnia, ideò eſt ſimul cum omnibus & fieri nequit vt agat in diſtans à ſe, ſiquidem à oullo diſtat Deus, neque quidquã ab illo diſtat, quia eſt intimus rebus vniuerſis, nam nanque nihil intimius rei, quàm ſuum eſſe, & hoc eſſe penetrat Deus, quia ſuo influxu conſeruat eſſe rerum. Ex quibus omnibus colligitur ex eo inferri præſentiam ſecundum ſubſtantiam, ex præſentialitate ſecundum virtutem, quia virtus & ſubſtãtia ſunt omnibus modis idem: quòd ſi virtus eſſet diſtincta à ſubſtantia, ex præſentialitate virtutis non poſſet inferri præſentialitas ſubſtantiæ: cum igitur operatio paſsiua ſit diſtincta realiter à Deo, ſicut creatura realiter diſtinguitur à Deo, ideo ex tali operatione paſsiua præciſe, per conſequentiam formalem non poteſt colligi præſentialitas eſſentiæ, & virtutis actiuæ niſi ſecundum virtutem.

Prima cõcluſio.

¶ Prima concluſio. Agens creatum poteſt agere vbi non eſt. Hæc concluſio eſt Doctoris in 1. diſt. 37. quæſt. vnica in principio ibi reſpondeo. Et probatur ab ipſo exemplo & ratione, exemplũ, nã quidam piſcis, qui vocatur ſtupor, vel ſtupho, vel apud alios torpedo, & apud alios tremolus mortificat & areſacit manũ piſcatoris non attingens manum piſcatoris; ergo poteſt agens creatum agere vbi non eſt ſecundum ſuam ſubſtãtiã. ¶ Secundò. Sol agit in inferiora terræ generans in viſceribus eius mineram, vel aliquod mixtum animatum, vel inanimatum, tamen non eſt ibi ſecundum ſuam ſubſtantiam, licet ſubſtantia ſolis producat illam ſubſtantiam in viſceribus terræ, ergo. Minor probatur, quia illa ſubſtantia producta non poteſt produci ab accidente vt dicemus quæſtione ſequẽti, ergo producitur à ſubſtãtia.

Secunda concluſio.

¶ Secunda concluſio de facto in agenti immenſo iſta conſequentia eſt formalis Deus vbiq; operatur; ergo Deus vbique eſt. Hæc concluſio probatur, nam de facto iſta conſequentia eſt formalis operatio eſt eſſentia, ergo vbicunque eſt operatio ibi eſt eſſentia, ergo & illa erit conſequentia formalis. Probatur ſequela: nam Deus non quacunq; operatione operatur, ſed operatione immẽſa. Secundò implicat intelligere operationem non diſtinctam ab eſſentia ſecundum conceptum proprium non intelligendo eſſentiam, ergo implicat intelligere operationem ſecundum conceptum proprium eſſe alicubi, non intelligendo eſſentiam eſſe ibi, ſed illud (quod non conſequitur per conſequentiam formalem) poteſt intelligi conſequens ſine antecedente, ergo per conſequentiam formalem infertur Deum vbique eſſe ſi vbiq; operatur. Tertio probatur argumentis adductis pro prima & ſecunda ſententia: nam virtus Dei ſecundum ſuum eſſe abſolutum non diſtinguitur ab eius eſſentia aliquo modo, ergo ſicut iſta cõſequentia eſt formalis Deus vbique operatur, ergo ibi eſt ſecundum ſuam virtutem, ita hæc eſt conſequentia formalis Deus vbique operatur, ergo vbique eſt ſecundum ſuam eſſentiam.

Tertia cõcluſio.

¶ Tertia concluſio. Si operatio Diuina conſideretur ſecũdum quod in paſſo recipitur, & quatenus eſt productio paſsiua, nõ ſequitur per conſequentiam formalem, Deus vbique operatur, ergo Deus vbique eſt. Hæc concluſio eſt Doctoris, & probatur. Ex ratione formali productionis paſsiuæ tãtum infertur contactus agentis ſecundum virtutem, & non ſecundum eſſentiam, niſi quando virtus & eſſentia ſunt omnibus modis idem ſed ex operatione Dei paſsiua nõ poteſt colligi virtutem, & eſſentiam Diuinam eſſe omnibus modis idem, ergo quamuis ex operatione paſsiua Dei (qua creatura dicitur producta) quamuis per conſequentiam formalem inferatur virtutem Diuinam eſſe vbicunque eſt operatio paſsiua, non tamen per cõſequentiam formalem infertur eſſentiam Diuinam eſſe vbicunque eſt operatio paſsiua. Maior eſt manifeſta: nam quam plurima agentia ſunt, quæ attingunt effectum ſecundum ſuam virtutem, non tamen ſecundum ſuam eſſentiam, vt fatentur omnes, qui dicunt ſubſtantiam producere ſubſtantiam non immediatè, ſed mediantibus accidentibus, & Solem mediante luna, & eius influentia producere mineralia in viſceribus terræ, non tamen fatentur. Solem ſecundum ſuam ſubſtantiam eſſe in viſceribus terræ, & per conſequens in Sole non eſt bona conſequentia, Sol ſecundum ſuam virtutem eſt in viſceribus terræ, ergo Sol ſecundũ ſuam ſubſtan-

ſubſtantiam eſt in viſceribus terræ: & per conſequens ex ratione formali productionis paſſiuæ tantum infertur contactus agentis ſecundum virtutem, & non ſecundum eſſentiam. Minor autem probatur: nempe quod ex productione paſſiua (qua creatura eſt producta) non poſſit colligi virtutē actiuam Dei eſſe omnibus modis idem cum eſſentia: quia ex productione paſſiua tantum cognoſcitur virtus actiua, quatenus eſt correlatiua virtutis paſſiuę, & virtus actiua ſecundum eſſe reſpectiuum, vel ſaltim ſecundum eſſe abſolutū, quatenus terminat productionem paſſiuam, ſed virtus actiua ſecūdum eſſe relatiuum quatenus reſpicit productionem paſſiuam non eſt omnibus modis idem cum eſſentia, quia ad minus nō eſt idem formaliter cum illa, ergo ex productione paſſiua non poteſt colligi eſſentiam Diuinam eſſe omnibus modis idem cum virtute, & per conſequens non poteſt colligi per conſequentiam formalem, ex productione paſſiua omnium rerum, eſſe eſſentiā Diuinam in omnibus rebus ſecundum ſuum eſſe reale, ſed tantum ſecundum ſuam virtutem. Quòd ſi reſpondeas quod quia eſſentia Diuina & virtus ſunt omnibus modis idē, ſi per conſequentiam formalem infertur virtus actiua ex productione paſſiua, ſimiliter debet inferri & eſſentia. Contra iſtam ſolutionem ſic argumentor. Quando communiter dicitur quòd agens per ſuam virtutem coniungitur paſſo, vel effectui producto, nullus intelligit quod virtus illa actiua quæ eſt in agente coniungatur paſſo ſecundum rem, quia talis virtus (quæ principium quo vocatur & actus primus) non ſeparatur ab agente, neque ab eo cuius eſt actus primus ſed dicitur talem virtutē attingere paſſum, vel productum, quatenus agens per illam tranſmutando materiam agit in ſubiectum, & producendo effectum dicitur effectum attingere, non tamen virtus illa ſecundum rem eſt in ſubiecto alterato, neque in effectu producto, niſi virtualiter, quatenus effectus productus virtualiter continet illam: ita creatio v.g. paſſiua angeli ex vi creationis paſſiuę tantum, tantum infert eſſe virtutem creatiuam attingentem creationē paſſiuam, quatenus creator per illam deducit aliquid de non ſimpliciter eſſe, ad eſſe, non tamē arguit talem virtutem creatiuam in eſſe ipſi creationi paſſiuę, & ab ipſa non diſtare ſecundùm realem eſſentiam, ſicut & virtus productiua Solis quanuis per conſequentiā formalem deducatur ex productione paſſiua mineraliū, non tamen deducitur, talem virtutem (prout eſt in Sole) eſſe præſentem ſecūdum rem ipſis mineralibus nam falſum eſt, talem virtutem vt ſic, talem præſentialitatē habere: ſicut ſimiliter; virtus illa quæ eſt in piſce illo, qui dicitur torpedo, qua reddit manum piſcatoris ſtupidam, non eſt præſens ſecundùm realem eſſentiā ipſi manui, neque inhæret manui piſcatoris, ergo quanuis ex illa ſtupidatione paſſiua (per conſequentiam formalem ſequatur) piſcem illum attingere ſecūdum virtutem actiuam contactu quodam virtuali manum piſcatoris, non tamen inde colligitur virtutem illā ſecundum rem eſſe realiter præſentem manui piſcatoris, quatenus eſt virtus illius piſcis, neque ſimiliter ipſe piſcis ſecundū eſſentiam. Ita ſimiliter in propoſito, quanuis ex creatione paſſiua per cōſequentiam formalem inferatur eſſe virtutem creatiuam, & illam attingere creationem paſſiuā contactu virtuali, non tamen per conſequentiā formalem infertur, quòd virtus actiua (ex eo quod virtus actiua tantum eſt) ſit præſens ſecundum realem præſentiam creationi paſſiuæ, & per conſequens quanuis virtus creatiua ſecundum eſſe abſolutū ſit omnibus modis idem cum eſſentia, ex productione paſſiua (qua Deus producit omnia vbique) non infertur per conſequentiā formalem Deum vbique eſſe ſecūdum realem præſentiam. Secundò, ſi Deus eſſet omnipotens & non eſſet immenſus poſſet vbique operari, & non vbique eſſe, ergo. Probatur antecedens: nam alias non eſſet omnipotēs. Si reſpondeas quòd neque eſſet etiam immenſus contra, ergo exiſtentia vbique non prouenit Deo ex omnipotentia, ſed ex immenſitate. Tertiò: creatura poteſt operari vbi non eſt, ergo & Deus poſſet operari vbi non eſſet ſi non eſſet immēſus. Creatio, ergo paſſiua infert actiuam, & quia actiua infert eſſe Dei (quia virtus & eſſe diuinum ſunt idem) ideo in ſecunda concluſione dixi ſſe conſequentiam formalem, & in hac tercia eſſe materialem iuxta modū ſupra explicatum.

¶ Quarta concluſio. Iſta conſequentia Deus vbique operatur, ergo vbique eſt, non eſt formalis, niſi gratia materiæ. Hæc cōcluſio eſt Doctoris vbi ſupra prope finem, & probatur. ¶ Primò. Creatura poteſt operari vbi *Quarta cõcluſio.* *Primũ argumen.*

vbi non eſt ſecundum ſuam ſubſtantiam, ergo & Deus ſi per impoſsibile non eſſet vbique propter ſuam immēſitatem poſſet propter ſuam omnipotentiam vbique operari. Probatur ſequela. Si per impoſsibile Deus non eſſet immenſus & eſſet omnipotens poſſet omnia & vbique operari non tamen poſſet vbique eſſe, quia eſſe vbique conuenit Deo, quatenus infinitus & immēſus eſt, ergo licet per conſequentiam materialem benè ſequatur, vbique operatur, ergo vbiq; eſt, non tamen per conſequentiam formalē.

Secundum argum. ¶ Secundò. Antequam mundus fieret Deus non erat in mundo, ſed in ſemetipſo & tamen produxit mundum, ergo poteſt operari vbi non eſt. Ad hoc argumentum. Reſpōdent nonnulli negādo, priùs eſſe creaturam produci à Deo, quàm ꝙ Deus ſit præſens illi, nam ratio, quare Deus eſt præſens creaturæ eſt, quia dat & conſeruat eſſe illius.

¶ Vel ſecundo reſpondent negando conſequentiam, & ad probationem reſpondent quòd aliqua ſunt poſteriora, quæ neceſſario ſequuntur ex prioribus, & ſic quāuis poſterius ſit Deum eſſe præſentem creaturæ quàm quòd creatura producatur à Deo nihilominus tamē neceſſariò ſequitur ex hoc quod Deus producit creaturam, quòd ſit præſens ipſi creaturæ. ¶ Vel tertio reſpondent cum Caietano quod prius eſt Deum operari in aliqua re, quam eſſe in illa. Quod ſi obijciās (dicūt iſti Autores,) Prius eſt eſſe quàm operari, ergo prius eſt Deum eſſe in rebus quam operari. Reſpondetur negando conſequentiam, & ratio eſt, quia ſicut prius eſt angelum operari in loco, quam eſſe in loco, ita priùs eſt Deum operari in rebus, quā eſſe in rebus.

Impugnātur ſolutionis. ¶ Iſtæ tamen ſolutiones faciliimè impugnātur. Nam prima petit principium nam ex eo quòd dat, & conſeruat eſſe creaturæ non ſequitur per conſequentiam formalē quòd ſit in creatura: nam ſi Deus non eſſet immēſus, poterat quatenus omnipotens dare, & conſeruare eſſe cuiuſque creaturæ, ſine reali exiſtentia in vnaquaque creatura. Secūda autem ſolutio non ſoluit argumentum; nam ſi poſterius eſt Deum eſſe præſentē, quàm operantem, & præſentialitas illa non colligitur formaliter ex operatione, ergo nec illud poſterius neceſſario colligitur per cōſequentiam formalem ex illo priori. Tertia autem ſolutio nō reſpondet; quia nec in vid D. Thomæ (vt dicunt nōnulli) dicitur quòd angelus ſit in loco per operationem, ſed per applicationem ſuæ virtutis vt ipſe Caietanus docet; cur ergo dicunt prædicti Doctores cum Caietano, Deum eſſe in loco per operationem.

Tertium argum. ¶ Tertio probatur concluſio: nam ipſi Doctores fatentur in illa quæſtione quomodo Deus operetur immediatè, & quomodo ſit cauſa eſſendi, quod iſta conſequentia, Deus operatur immediatè immediatione virtutis, ergo immediatione ſuppoſiti benè infertur materialiter, ergo per conſequentiam formalem nō ſequitur, Deus eſt agēs immediatum immediatione virtutis, ergo immediatione ſuppoſiti: & per conſequens non ſequitur per conſequentiam formalē, Deus vbique operatur, ergo vbique eſt. Pro hac ratione vide Magiſtrum Çumel qui. 1. para quæſt. 8. art. 1. fol. 170. dicit quòd ex mediatione virtutis non ſequebatur formaliter, Deus immediatè vbiq; operatur, ergo vbiq; eſt, & fol. 173. columna. 2. propè mediū dicit, conſequentiam illam D. Tho. eſſe optimam, ſaltem materialiter, & ratio eſt, quia virtus Dei ad agendum eſt ſua ipſius ſubſtātia, & ſuum ipſius ſuppoſitum.

Reſpondetur argumentis. ¶ Reſpondetur argumentis ad primum, concedendo maiorem; & diſtinguendo minorem, ſcilicet, formaliter, vel materialiter, materialiter tranſeat, formaliter negatur, & hoc nos etiam libentiſsimè fatemur quòd per conſequentiam materialem benè ſequitur, Deus vbique operatur, ergo vbiq; eſt; non autem per conſequentiam formalem deductam ex operatione paſſiua, vel etiam ex operatione actiua; quatenus operatio actiua concipitur, vt diſtincta ab eſſentia diuina, & eſſe Dei, per conceptū deſumptum ab operatione creaturæ.

Ad ſecundum. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, quòd licet in Deo, operatio, virtus, & eſſentia ſint penitus idem ſecundum eſſe abſolutum ſi concipiantur conceptibus adæquatis, non tamen ſecundum eſſe reſpectiuum; & etiam ſi concipiantur conceptibus inadæquatis. Et ratio huius eſt, quia eſſentia nullum reſpectū dicit ad creaturam. Virtus autem dicit reſpectum ad creaturam; quatenus producibilis eſt, & ſecundum quòd habet eſſe obiectiuum, & potentiale. Operatio autem dicit reſpectum ad creaturam ſecundū quòd habet eſſe reale; ideo licet ex operatione ſequatur virtus in obliquo; & ex virtute ſequatur eſſentia in obliquo: tamen benè ſequitur,

tur, eſt operatio, ergo ab aliqua virtute, eſt virtus, ergo alicuius eſſentiæ non tamen in recto ex ratione formali operationis, virtutis, & eſſentiæ, vt virtus concipitur aliquo modo ab eſſentia diſtincta. Vnde per conſequentiam formalẽ ex eo quòd Deus vbique operatur, tantum ſequitur, quòd in Deo ſit aliqua virtus ad operandum vbique: & ex tali virtute, tantum ſequitur, quòd Deus habet talem eſſentiam, cuius eſt talis virtus, non tamen ſequitur quòd talis eſſentia ſit talis virtus, & operatio, cum hoc conueniat eſſentiæ diuinæ, quia eſt actus puriſsimus nullam includens pontentialitatem. Et hoc vocatur à Doctore colligi per cõſequentiã materialem. Quia colligitur ex eo quod virtus Dei eſt eſſentia Dei, & operatio Dei, quia tamen non colligitur, ſi virtus & eſſentia eſſent diſtincta, nam bene poteſt virtus attingere, vbi nõ ſit eſſentia, ideo à Doctore dicitur hanc conſequentiam nõ eſſe formalem, niſi in Deo; & hoc eſt eſſe materialem, ideſt ratione materiæ, ideſt quia in tali materia reperitur vbi eſſe, & virtus, & operatio ſecundum eſſe abſolutum prout eſt in operante ſunt omnibus modis idem realiter iuſta ea quæ dicta ſunt.

¶ Ad argumenta adducta pro ſecunda ſententia reſpondetur ad primam ſententiam Doctoris eſſe veriſsimam doctrinæ Ariſtotelis conformen, & fidei maximè cõſentaneam. Ad probationem dicitur, non eſſe eandem rationem de tranſitu corporis de loco ad locum, & de operatione in extremo, ſine operatione in medio, nam motus corporis (cum fiat per nouam, & nouam præſentialitatẽ) non poteſt moueri de extremo ad extremum, quin fiat præſens medio: virtus autẽ productiua poteſt attingere productũ exiſtens in aliquo extremo, ſine eo q attingat medium, quia hæc attingẽtia nihil aliud eſt, quàm productio alicuius effectus, quæ poteſt producere aliquid in extremo, non producendo aliquid in medio.

¶ Ad ſecundum reſpondetur, quòd D. Paulus ibi non ex operatione tantũ ſed ex immenſa operatione probat Deum non longè eſſe ab vno quoque noſtrum: vnde conſequentia D. Pauli talis eſt Deus vbique operatur, ergo Deus vbique eſt, acſi dicat, Deus habet immenſam operationem, ergo Deus vbique eſt, & iſta conſequentia eſt formalis iuxta modum explicatum in prima concluſione; nam implicat quod ſit immenſa operatio diſtincta ab illo cuius eſt, & per conſequens vbicunque eſt immenſa operatio, ibi eſt etiam eſſentia illius, cuius talis operatio eſt. Nihilominus tamen quãuis iſta dicatur conſequentia formalis conſiderata operatione Diuina, quatenus talis eſt, non tamen dicitur conſequentia formalis conſiderata operatione Diuina, quatenus operatio eſt. Vnde ſicut dicebam in primo Diſputatione. 7. quæſt. 2. concl. 3. perſona Diuina, quatenus perſona Diuina eſt, & quatenus hæc, primo, & per ſe dicit relationem, materialiter autem ſignificat ſubſiſtens in natura intellectuali, quia illud, primo, & per ſe ſignificat perſona Diuina, per quòd cõſtituitur, & diſtinguitur à qualibet alia perſona, & huiuſmodi eſt relatio, ergo. Et in ſecunda concluſione dicebam, quòd nomẽ perſona etiã vt prædicatur de perſona Diuina, & relatiua formaliter; & præciſe non ſignificat relationem, quia illud, quòd in prædicatione directa habet rationem prædicati, habet rationem formæ, & illud quòd habet rationem ſubiecti, habet rationem materiæ, ſed iſta prædicatio eſt directa, perſona Diuina eſt perſona, ergo illud prædicatum (perſona) habet rationem formæ, & illud ſubiectum (perſona Diuina) habet rationem materiæ, & per conſequens nomen perſona (vt de perſona Diuina prædicatur) non ſignificat de formali relationẽ, ſed de materiali. Ita dicendum eſt in præſentiarum, quod ſi loquamur de operatione Diuina quatenus eſt hæc, ita quod faciamus iſtam prædicationẽ, operatio Diuina non eſt qualiſcunque, ſed immenſa operatio, & infinita, & per conſequens idem formaliter cum eſſe Diuino, bene ſequitur per conſequentiam formalem, Deus hac operatione operatur vbique, ergo Deus vbique eſt, & in hoc ſenſu intelliguntur authoritates Sacræ ſcripturæ. At verò ſi loquamur de operatione Diuina, quatenus operatio tantum eſt, ita quòd faciamus iſtam prædicationẽ, hæc operatio Diuina eſt operatio, vbi cõſtat quòd hæc operatio (à parte ſubiecti) habet ſe vt materiale reſpectu illius prædicati operatio, & illud prædicatum (operatio) habet ſe vt formale reſpectu illius ſubiecti, in hac igitur conſideratione, non ſequitur per conſequẽtiam formalẽ, quòd Deus vbique ſit, ex eo, quòd vbique operatur, ſed tantum materialiter, ſcilicet, quia operatio (qua Deus operatur) eſt hæc operatio, ſcilicet immenſa, & nullo

modo ab eſſe Diuino diſtinctâ à ſecundū eſſe abſolutum ipſius operationis. Et ita explicata ſententia doctoris, non ſolū nihil diſſonum à fide dicit, ſed maximè cōforme fidei pronunciat. Neque ſententia doctorum per tot ſæcula à tantis vniuerſitatibus approbatæ debent ſic qualificari, vel potiùs calumniari.

QVÆSTIO VI.

¶ *Vtrùm accidens poſſit producere ſubſtantiam.*

LICET præſens quæſtio præcipuum locū habeat apud Doctorem in 4. diſtin. 12. quæſt. 3. ſoluendo quæſtionem, quia tamen in præcedenti quæſtione in principio, nonnulli notarunt Doctorem erroris, quatenus dixit ſolum formam ſubſtantialem poſſe producere effectum, & ſubſtantiam, non verò accidens, operæpretium erit impræſentiarum præſentem diſputare quæſtionem, vt Doctorem noſtrum ab infamia erroris liberemus. Triplex igitur eſt de hac re principalis ſentētia. ¶ Prima eſt D. Thomæ & Thomiſtarum. 1. parte. quæſt. 77. articulo. 1. & in 4. diſt. 12. quæſt. 1. qui aſſerūt quòd licet accidens in virtute propria non poſsit producere ſubſtantiam, benè tamen in virtute ſubſtantiæ. ¶ Pro cuius explicatione aduertit Caietanus ibi num. 80. quòd quando dicitur accidēs agere in virtute ſubſtantiæ, talis conſtructio eſt intranſitiua, id eſt, eſt ipſa virtus ſubſtantiæ, huc enim tendit tota reſpōſio, ꝙ accidentalis vis nō ſua, ſed ſubſtantiæ eſt virtus, quoniam eius eſt virtus, cuius eſt agere, & agere eſt eius, cuius eſt eſſe, quòd non eſt niſi cōpoſiti, quòd ſubſtantiali forma; & accidentali, vt virtute operatur. Nō ergo fingas intentionalem aliquam formam, qua accidens ſalues agere in virtute ſubſtantiæ; vt quibuſdam viſum eſt. Eandem ſententiam docet Magiſter Soto 2. phyſic. quæſt. 4. ante quartam concluſionem, vbi dicit quòd illa virtus ſubſtantiæ in calore ad producendū ignem, nihil aliud eſt prorſus, quam calor ipſe, dicitur enim ille agere in virtute ſubſtantiæ, id eſt, tanquam virtus ſubſtantiæ. Nec petimus principium, dicendo, quòd virtus ſit inſtrumentum producendi ſubſtātiam: cōſiderat enim Scotus calorem ignis ac ſi eſſet per ſe ſuppoſitum, quòd própria virtute agit, cum tamen attentè intelligendum eſt verbum Ariſtotelis. 7. Metaphy. textu. 2. vbi ait, quòd accidens non eſt ens, ſed entis ens, quo palàm ſignificatur, accidentia nihil aliud eſſe quam virtutes quaſdam ſubſtantiæ, vt ſicut oculi dati ſunt homini ad videndum, & pedes ad ambulandum, ita calor naturalis datus eſt illi, vt ſit virtus nutriendi, augmentādi, & generandi. Vnde non eſt imaginādum (vt Scotus fingit) calefactionem eſſe per ſe à calore, & generationem formæ à forma ſubſtantiali, quia calori ſicut per ſe naturaliter non conuenit eſſe, ita nec operari, ſed vtraque actio eſt à forma ſubſtantiali per calorem, nec priùs natura forma ſubſtantialis calefacit, aut producit formam ſubſtantialem, quam hoc faciat per calorem, ob idque ſi daretur ignis per miraculum ſine calore, ſicut non poſſet calefacere, ita nec ignē generare; ſicut homo ſine oculis non poſſet videre. Ex quibus omnibus infertur ꝙ accidens v. g. calor dupliciter poteſt conſiderari, vno modo, vt accidens eſt, ſecundo verò modo, vt virtus ſubſtantiæ eſt, quæ duæ rationes ſunt adinuicē ſeparabiles, ſicut v. g. ſi daretur calor ſeparatus verè eſſet calor, & accidens, non tamen eſſet virtus ſubſtātiæ. Et iuxta iſtum duplicem modum competit accidenti alius duplex modus operandi, ſcilicet, & vt accidens eſt, id eſt, in virtute propria, & vt inſtrumentum ſubſtantiæ, cuius eſt naturalis virtus, ſi cōſideretur primo modo, non poteſt accidens producere ſubſtantiam, ſi autem conſideretur ſecundo modo, optimè poteſt producere ſubſtātiam: ſicut v. g. calor, qui eſt in animali, & in ſemine, licet per ſe non habeat niſi calefacere, tamen quatenus eſt naturale inſtrumētum animæ, & generantis, poteſt producere carnem & oſſa, atque adeo ipſum animal. Probant autem iſtam ſententiam quàm plurimis rationibus, quarum prima eſt. ¶ Ratio mediorū ſumitur à ratione finis (vt docet Ariſtot. 2. phyſic. textu 91.) ſed ignis nō calefacit, niſi vt formam ſubſtantialem inducat in materiam, ergo calor (qui eſt inſtrumentum calefaciendi,) eſt ſimul inſtrumentum producēdi formam ſubſtantialem. ¶ Confirmatur. Ad productionem caloris (quæ eſt vltima diſpoſitio ad introductionem formæ ſubſtātialis ignis) naturali neceſsitate ſubſequitur forma ſubſtantialis, ſed calor attingit illam diſpoſitionem, ergo attingit formam. ¶ Cōfirmatur ſecundo. Nam ſecundum Philoſophum

Prima ſententia.

Primū argumen.

Cōfirm. 1.

Cōfirm. 2.

phum. 2. de anima: textu 50. calor naturalis in animali eſt inſtrumentum nutritionis, & augmentationis, ſed nutritio eſt productio partialis ſubſtantiæ, ergo.

Secundum argum. ¶Secundò. Radij ſolares in ſpeculo concauo reflexi producunt formam ignis, ergo calor producit ſubſtantiam. (Non enim negamus quin Sol producat illam, ſed tantum videtur eſſe ratio, quòd non producat immediatè niſi per calorem intenſum, nam cum Sol non ſit formaliter calidus, nec ignis, videtur quod non producat ignem niſi mediatè per calorem formalem, ergo.) *Confirm.* ¶Confirmatur adhuc euidentiori experientia. Ferrũ candens (vbi tamen nõ ſit formaliter ignis) ſtuppam applicatã inflãmat ſed forma illa ſubſtantialis ignis non poteſt produci à forma ferri, ergo producitur à calore tanquam à virtute ignis.

Tertium argum. ¶Tertiò. Virtus ſeminis in matrice fœminæ immediatè producit animam tanquam virtus generantis; eſt enim ſemen in potentia corpus viuens, vt habetur 2. de anima, textu 10. & tamen virtus illa eſt accidens, ergo. *Confirm.* ¶Confirmatur. Quia profectò ſunt adeò manifeſtæ experientiæ ad rem cõprobandam, vt Scotus loco citato in hanc ceciderit ſolutionem, ait enim, quòd propter nullam experientiam concedendum eſt, ꝙ res ignobilior producat nobiliorem; vnde quãdo nulla alia cauſa nobilior ſignari poſſit, quæ educat formam animalis ex ſemine, concedendum eſt, quòd forma immediatè producitur à ſolo Deo, potiùs quàm dicatur fieri à virtute ſeminis. Nec tamen ſcio, quomodo hoc in phyſica ſubſtineri poſsit, nam primum omniũ ſimpliciter reputaret impoſsibile Philoſophus quicunque in lumine naturali, primam cauſam aliquid efficere poſſe in his inferioribus, niſi mediante cauſa ſecunda, ergo illa reſpõſio manifeſtiſsimè contradicit Philoſopho, imò & Philoſopho Chriſtiano. Nam quamuis noſtra fides docuerit nos, Deũ ſe ſolo poſſe facere, quòd per cauſas ſecundas facit, id tamen dicimus eſſe miraculum, cum autem de rerum natura ſermo eſt, nullatenus conceditur Deum ſine cauſa ſecunda effectus producere naturales, aliàs in generationibus ſemper eſſent miracula. Item ſola anima rationalis eſt, quæ à ſolo Deo producitur, ergo ſi animæ brutorũ à ſolo Deo producerentur non educerentur de potentia materiæ, nec eſſet differẽtia inter animã rationalẽ, & animas brutorum.

Quartum argum. ¶Quartò. Secundum Ariſtotel. 2. Metaph. textu 32. ſemen poteſtate & virtute continet formam, ſicut ars artefactum licet realiter non ſit domus eſt tamen virtus faciendi domum. Vnde Commentator & Galenus dicunt virtutem cœleſtem adeſſe ſemini ad generandum, & vocant eam diuinam, quia eſt virtus & generantis, & omnium cauſarũ vniuerſalium, vt 3. de generatione animalium latè diſſerit Ariſtoteles, ergo non poteſt negari quod virtus ſeminis attingat ad productionem formæ.

Quintum argum. ¶Quintò. Probatur concluſio in his, quæ per putrefactionem generantur & in animalibus quæ febre aut alio accidente moriuntur, vbi certè forma cadaueris ab accidentibus producitur.

Sextum argum. ¶Vltimò. Nam in inſtrumentis artificialibus forma producta non eſt à forma ſubſtãtiali inſtrumenti; nam ſerra à forma ſua naturali ſolum habet ſcindere lignum, ſcindere autem hoc vel illo modo ad faciendũ ſcãnum, vel arcam, hoc non habet à ſe, ſed ex motione artificis vtentis ſectione ſerræ, & eam quodammodo eleuantis ad productionem huius, vel illius formæ artificis; ergo eadem proportione quamuis concederetur propriam actionem caloris eſſe calefacere, tamen ignis calefactione vtitur, ad producendum formam.

Secunda ſententia. ¶Secunda ſententia eſt aliorum aſſerentiũ, accidens non in virtute ſubſtantiæ, ſed ſua propria virtute poſſe ſubſtantiam producere, ita vt cum ignis producit ignem, tota ea productio intrinſecè & effectiuè procedat à calore, nec quod ad eam effectiuè cõcurrat forma ſubſtantialis, quæ eſt in igne. Probãt autem ſuam ſententiam quoad vtramque partem, & primo quantum ad primam, nempè quod accidentia nõ agant in virtute ſubſtantiæ probãt. *Primum argum.* Primò, quia qualitates actiuæ, quæ ſunt quatuor primæ qualitates immediatè inhærent in materia prima, & ordine generationis præcedunt formas ſubſtantiales, ergo non agunt in virtute formarum ſubſtantialium.

Secundum argum. ¶Secundò. Aut ignis producit ſubſtantiam ignis per actionem aliquam ſubſtantialem diſtinctã à calefactione, & ſic & relabimur in opinionem Scoti, & accidens nullo modo produceret ſubſtantiam, nec ſua, nec aliena virtute ſed ſubſtantia produceretur per actionem propriam ſubſtantiæ, & incommunicabilem accidenti. Aut ignis producit

ſubſtan-

ſubſtantiam per calefactionem,ſed calor ſua virtute calefacit, ergo ſi ignis calefaciendo producit ſubſtantiam virtute caloris eam producit.

Tertium argum. ¶Tertiò. Illud agere in virtute ſubſtantiæ, vel eſt accidens moueri,& dirigi à ſubſtantia,ſicut dicimus ſecurim agere in virtute artificis,quia non ageret, niſi ab eo moueretur,& regeretur,(ſed quo pacto accidēs moueatur à ſubſtantia non poteſt intelligi, aut fingi)ergo. Vel eſt ſubſtantiam influere aliquam virtutem accidenti, per quam fiat potens ad producendam ſubſtantiam, ſed talis influxus atque virtus ſtatim videtur eſſe figmentum,cum nihil ſit in accidenti, quod ſit ipſo nobilius, ergo ſi accidens non agit virtute ſua,nec agit virtute illius influxus. ¶Confirmatur. Cum ille influxus, ſeu virtus,ſit accidens, quæreretur quomodo habeat vim producendi ſubſtantiam? ſi enim non virtute ſua,ſed ſubſtātiæ, exiſtit eadem difficultas,resque procedit in infinitum:ſin autem ſua,idem dę priori accidenti à principio dici debuit. Aut id quod aiunt acutiores Thomiſtæ accidens producit ſubſtantiam, quia eſt naturalis & propria virtus ſubſtantiæ ab ea dependens,eique à natura tributa tanquàm inſtrumentum ad obeundas eius actiones, verùm hoc nihilo plus valet, quā ſuperiora,tum quia totum id(quod ſic aiūt) nihil aliud eſt quam relatio quædam accidētis ad ſubſtantiam,quæ relatio ſicut non poteſt eſſe per ſe primus terminus actionis,ita nec eius principium:tum etiam quia falſum eſt,ignem produci à calore, vt calor eſt naturalis quædam virtus ignis, namque calor, (qui eſt in aere) habet etiam vim gignendi ignem, ſi tamen vera ſunt, quæ ſcribit Ariſtoteles 2. lib. de generatione, ex duobus elementis ſymbolis tertium vtrique ſymbolum effici poſſe,vt ignem ex aere,& terra,ſi enim aer calorē ſuo vincat frigiditatē terræ, relinquendo in ea ſiccitatem, tunc in materia terræ(cùm inſit calor & ſiccitas)neceſſario exiſtet forma ignis.

Quartum argum. ¶Quartò. Non ſolum ignis gignitur à calore ignis,ſed etiam per lumen,& motum localem,illud autem ridiculum eſt(quod quidam aiunt)calorem propria quidem virtute calefacere vſque ad ſeptimum gradum,octauum autem gradum,vel ſi quis eſt alius, qui ſit immediata diſpoſitio ad introducendum formam ignis,hunc nō propria virtute producere,ſed in virtute ſubſtantiæ, quis hoc non tanquam merum planè figmentū derideat? cum enim ignis naturaliter,& neceſſario agat,ſemper agit eodem modo,quomodo igitur priores omnes gradus virtute producit,vnum verò illum vltimum nō poteſt eadem virtute producere? id enim tunc de nouo accedit calori producenti, quòd ante non habuit,nam ſi nihil aduenit, eodem modo ſe habebit calor ante & poſt , quare etiā eodem modo agit,nam idem manens idem, ſemper natum eſt facere idem.

¶Secundam partem nempè quod accidens poſſet producere ſubſtātiam vltra rationes ſupra poſitas adducunt & alias cōtra Doctorem id probantes. Primò ex Ariſtotele in lib. de ſenſu & ſenſibili. c. de ſapore vbi ait, ignis non agit vt ignis eſt,ſed vt calidus eſt, ſed ſecundum Scotū principalis actio ignis, quæ eſt productio ſubſtantię,nō eſt ab igne vt calidus eſt,ſed vt ignis eſt, ergo doctrina Scoti contrariatur doctrinæ Ariſtotelis. *Primū argumen.*

¶Secūdò. In primo lib. de generatione ſcriptum eſt actionem nō poſſe fieri niſi vbi eſt contrarietas, debet enim agens eſſe contrarium patienti,ſed contrarietas non eſt propriè in ſubſtantia,ergo neque actio. *Secundum argum.*

¶Tertiò. Secundum Auerroem 7. Metaph. cōmento 22.& 31.& 12. Metaph. com. 18. idem eſt agens diſponens materiam,& inducens formam, ſed accidens diſponit materiam,ergo ipſa quoque aut per ſeipſum procreatur forma ſubſtantialis. ¶Confirmatur. Quia ſecundum prædictum commentatorem,nec elementa,nec vllæ ſubſtātiales formæ ſunt actiuæ, aut paſſiuæ, niſi propter qualitates,& ſemen,quòd non eſt actu animatum,ſit actu animatum per calorem naturalem,qui in eo eſt,ergo. *Tertium argum.* *Confirm.*

¶Vltimo probatur quàm plurimis experientijs , nam videmus calorem qui eſt in ferro ignitum ignire ſtuppā, & à lumine aeris ob reflexionem radiorum produci ignem , & per motum localē alliſione nimirū & attritione duorum corporum ignem procreari,ergo. *Quartum argum.*

¶Tertia ſententia eſt Doctoris in 4. diſt. 12. quæſtione. 3. litera B. eandem tenet Durandus in 1. diſtin. 2. q. 2.& Ocham in 2. q. 23. *Tertia ſententia.*

¶Pro cuius explicatione & totius quæſtionis ſunt notanda nōnulla, quorum primum eſt, quòd cauſa eſt duplex , altera vniuoca, altera æquiuoca, cauſa vniuoca eſt illa, quæ producit effectum eiuſdem rationis cum ipſa, vt homo in generatione hominis, cauſa autem *Notab. 1.*

ſa autem æquiuoca eſt, quæ producit effectum diuerſæ rationis ab ipſa, ſicut Sol in generatione hominis. Inter iſtas duas cauſas hæc eſt differẽtia, quòd cauſa æquiuoca ſemper eſt perfectior ſuo effectu; cauſa autem vniuoca ad minus eſt eiuſdem perfectionis cum ſuo effectu.

Notab. 2. ¶Secundò eſt notãdum quòd triplex actio poteſt conuenire accidentibus, prima eſt intentionalis, ſcilicet illa, qua albedo producit notitiam ſui, ſecunda eſt realis, qua poſſunt accidentia in ſubiecto diſpoſito & approximato producere aliquam qualitatem, vt actio qua ignis per calorem producit calorem in ligno. Tertia autem eſt, quæ conuenit accidenti in ordine ad ſubſtantiam generandam; qua ſcilicet ignis per calorem non ſolum producit calorem, ſed etiam producit ignem.

Notab. 3. ¶Tertio notandum, quòd inſtrumentum quadrupliciter accipitur, vno modo largè, & ſic extendit ſe ad cauſam ſecundam in ordine ad cauſam primam. Secũdo modo pro parte, per quam aliquod totum agit, & in hoc ſenſu appellat Ariſtoteles organa potẽtiarum ſenſitiuarum inſtrumenta. Tertio modo ſumitur inſtrumentum pro cauſa actiua diſpoſitiua ad terminum principalis agẽtis, & hoc modo calor naturalis dicitur inſtrumentum ad generationem carnis, non quia ſua virtute attingat carnem productã, ſed quia habet actionem diſpoſitiuam ſcilicet alteratiuam, vel digeſtiuam, ad quam digeſtionem concomitatur generatio carnis, non à calore, ſed ab anima. Vndè aduerte quòd in generatione carnis duæ actiones, & duo agentia reperiuntur. Primum agens eſt animal, vel anima, Secundum agens eſt calor naturalis, & prima actio eſt actio alteratiua, vel digeſtiua, & iſta conuenit calori naturali tanquã principio immediato, ſecunda autem actio eſt illa, qua in fine alterationis, vel digeſtionis producitur caro, & huius principium eſt ſubſtantia, ſi conſideretur calor naturalis in ordine ad alterationem tantum, eſt cauſa principalis, & nullo modo inſtrumentum, ſi autem conſideretur calor in ordine ad alterationem, quatenus agens mediante illa alteratione intẽdit inducere, vel producere formam ſubſtantialem, tũc ſicut ipſa actio eſt diſpoſitiua in ordine ad formã ſubſtantialem, ita & calor naturalis dicitur cauſa diſpoſitiua, & non ſimpliciter cauſa in ordine ad formam ſubſtantialem. Quarto autem modo dicitur inſtrumẽtum pro illo quòd recipit motionem ſine qua non fieret actio, ſicuti contingit in inſtrumentis artis, nam ſi ſecuris non reciperet motionẽ quandam ab agente principali non poſſet ſcindere. Omnia igitur iſta inſtrumenta habẽt aliquid commune, nempè quòd omnia agant concurrente ad actionem principali agẽte, quòd ſi agens principale non concurrit ad actionem, nec ipſa poſſunt aliquid reſpectu illius agere.

¶Quarto eſt notandum, quòd inſtrumentũ quoddam dicitur per ſubordinationem virtutis ad virtutem, quoddam vero per ſubordinationem effectus ad effectum. Inſtrumẽtum primo modo ſic ſe habet quod eundem effectum producit, quem agens principale producit, licet cum quadam ſubordinatione, vt videmus in creatura, & Deo, creatura enim eũdem effectum producit, quẽ Deus, ſubordinata tamen virtute creaturæ virtuti Dei. Inſtrumentum autem per ſubordinationem effectus ad effectum nõ ſic ſe habet, quia non producit eundem effectum cum agente principali. Sicut v.g. Alteratio, & generatio, nam alteratio eſt effectus ſubordinatus generationi, & vt ſic non attingit ipſam generationem, ſed tantũ alterat ſubiectum in ordine ad generationem, & quia agens principale vtitur iſta alteratione (ſubordinando illam ad generationem) ideo cauſa alteratiua ſecundum ſe non dicitur inſtrumentum in ordine ad alterationem abſolutè, dicitur autem inſtrumentum, quatenus agens vtitur illa producendo ſimul cum illa ſuum effectum, ordinãdo illum ad effectum vltimum intentum à principali agente, & licet potius talis cauſa ſit dicenda diſpoſitiua, quam inſtrumentalis, poteſt tamen dici cauſa inſtrumentalis, quatenus ordinatur à principali agente ad effectum ab ipſo intentum, ad quem ipſa non poteſt attingere. Et in hac ſignificatione dicendum eſt cum Doctore in 4. diſt. 1. quæſt. 5. litera G. quod ſacramenta nouæ legis ſunt inſtrumenta phyſica, & realia gratiæ, quæ habet eſſe per creationem non attingendo ipſam productionẽ gratiæ, ſed quatenus ſunt receptiua vel productiua alicuius effectus prioris ordinati à Deo ad effectum poſteriorem; & ratio eſt quia hoc ſufficit ad rationem inſtrumenti phyſici, vti patet in exemplo prædicto de alteratione, & generatione carnis, ita ſuſceptio ſacramenti quatenus determinat ſubiectum,

Nota hoc pro quæſt. illa, Vtrũ creatura poſsit inſtrumẽtaliter cõcurrere ad creationem.

ctum, in quo producatur gratia, poteſt dici phyſicū inſtrumētū gratiæ, quia cū ſacramēta ſint inſtrumēta libera, id eſt liberè aſſumpta à Deo potuit Deus illa ordinare ad gratiā producēdā, afficiēdo, & determinando ſubiectū in ordine ad iſtū effectū principalis agētis, ſine phyſica actiuitate ipſorū ſacramētorū in ordine ad gratiā, quæ per creationē producitur. Ad propoſitū igitur dicendū eſt, quod inſtrumētū per ſubordinationē effectus ad effectū nō attingit vltimū effectū; imo implicat ipſum attingere vltimū effectū, quia talis effectus vltimus eſt terminus extrinſecus prioris effectus, ſicut v. g. generatio eſt terminus extrinſecus alterationis, & per cōſequēs illa cauſa, quæ eſt cauſa alterationis, nō eſt cauſa generationis, niſi ꝓut cauſat alterationē, quæ eſt effectus ſubordinatus generationi.

Notab. vltim. ¶Vltimò eſt notandū, ꝙ quādo aliquis effectus producitur, cuius cauſa nō reperitur, recurrēdū eſt ad primā cauſam, ſiue ad authorē naturæ, nec hoc eſt recurrere ad miraculum, quia ordinauit Deus ſupplere impotētiā cauſæ ſecundæ, ne fiat aliquid cōtra naturā. Et ratio eſt quia ea quę Deus facit per aliquod pactū generale (licet fiāt ſupra cōmunē curſum naturæ,) non ſunt dicēda miracula: vt patet de animatione corporis organici, quā facit Deus creādo animā rationalē, & infundendo illā corpori. Similiter poſſumus recurrere ad ipſam naturā, quādo cauſa particularis nō poteſt producere talē effectū, ſicut v. g. videmus (ne detur vacuū) grauia aſcēdere ſurſum, illius autē motus nō poſſumus aſſignare cauſam particularē effectiuā illius, & ſic recurrimus ad naturā, vel autorē naturæ, qui ſupplet impotentiā cauſæ particularis. Ita ſimiliter dicendū eſt in animalibus productis per putrefactionē, & in alijs experiētijs, in quibus ſubſtantia producitur, nulla cauſa particulari exiſtēnte, vti patet de igne producto à radijs ſolaribus in ſpeculo.

Prima concluſio. ¶Prima cōcluſio. Forma ſubſtātialis immediatè poteſt producere aliā formā tā ſubſtātialē, quā accidentalē. Hæc cōcluſio eſt Doctoris cōtra D. Tho. quā probat quatuor rationibus, quarū prima eſt.

Primum argum. Nihil eſt inſtrumentū alicuius cauſæ niſi illa cauſa ſit ſuperior, & agēs principale, ſed accidentia ſunt inſtrumēta formæ ſubſtātialis reſpectu effectus producēdi, ergo forma ſubſtantialis ſuperius, & principalius agēs eſt, ſed agēs principalius, & ſuperius prius attingit effectum ſaltim prioritate à quo, & prioritate cauſalitatis quā minus principale, vel inſtrumentale, ergo forma ſubſtātialis priùs attingit effectū productū quā forma accidētalis, & per cōſequēs forma ſubſtātialis immediatè (ſaltim immediatione virtutis) poteſt producere tā formā ſubſtantialē quā accidentalem.

Secundum argum. ¶Secundò. Subiectū eſt cauſa ſuarū propriarū paſsionū, & nō tātū ſuſceptiua, ſed etiam effectiua, ſed propria paſsio eſt forma accidētalis realiter diſtincta à ſubiecto (ſecūdū D. Tho.) ergo forma ſubſtātialis ſubiecti eſt immediatè productiua alicuius formæ accidētalis. Maior patet, quia ſubiectū nō ſe habet tātū paſsiuè reſpectu ſuarū paſsionum, nec ſe habet in genere cauſæ formalis, nec in genere cauſæ finalis, ergo in genere cauſæ efficientis.

Tertium argum. ¶Tertiò. In habētibus ordinē in generabilibus oportet dare extra illū ordinē, aliquā cauſam eſſentialē perfectiorē toto illo ordine: ſicut v. g. ſi Petrus eſt productus à Paulo, & Paulus à Frāciſco cū non ſit dabilis proceſſus in infinitum in tali ordine, deueniendum eſt ad aliquod, quod ſit cauſa perfectior toto illo ordine, id eſt, ad aliquā cauſam productiuā hominis, quæ nō ſit producta ab alio homine, ſed ſic eſt, quod vnus calor producit aliū, & ille alius aliū, & non eſt procedēdū in infinitū, ergo deueniēdū eſt ad aliquod vnum in iſto ordine, quod ſit perfectius, & productiuū primi caloris, ſed illud tale non poteſt eſſe niſi ſubſtātia, ergo forma ſubſtātialis immediatè poteſt producere formam accidentalem.

Confirm. ¶Confirmatur ex doctrina Ariſt. 7. Metaph. ca. 9. in fine, vbi aſſerit, quòd ad hoc ꝙ ſubſtantia producatur, neceſſe eſt aliā ſubſtantiā præcedere, ſed ad hoc ꝙ producatur qualitas vel quātitas, nō oportet aliā qualitatē vel quantitatem præexiſtere, ergo qualitas & quātitas immediatè poſſunt produci à ſubſtantia.

Quartum argum. ¶Quartò. Ex Ariſtot. 4. Metaph. vbi dicitur, ꝙ ſingulare eſt id, quod dū poteſt in propriam operationē: ergo ſi ſubſtantia debeat eſſe ens, oportet, ꝙ poſſet immediatè habere propriam operationē, & per conſequēs ſubſtantia immediatè poteſt ꝓducere ſubſtantiā.

Confirm. ¶Cōfirmatur. Illa forma eſt principiū immediatum agendi, in qua generans & genitū aſsimilātur, ſed huiuſmodi eſt forma ſubſtātialis, ergo forma ſubſtantialis eſt principiū productiuū ſubſtantiæ. ¶Ad hoc argumētū reſpōdēt nōnulli dicētes, ꝙ in ꝓducēte & producto oportet duo cōſiderare,

vnũ eſt id,quod producit,& quod producitur,alterũ eſt id,quo producit,& quo producitur:exẽpli gratia:ignis ex aqua producit ignẽ,quod producit,& quod producitur eſt ignis,ſimilirer etiã,quo producit,& quo producitur, eſt calor, tum, qui eſt in igne producenre,rum,qui inducitur in materiam aquæ,ergo & in generarione vniuoca eſt ſimilirudo ſi cõparẽtur inter ſe, vel quod producit,& quod producitur,nã vtrumque eſt ſubſtantia,vel id quo producit cum eo, quo aliud producirur, vtrumque enim eſt accidens,nõ oportet autẽ cõparare id quo producirur,cũ eo quod producit,quia nõ fieret cõparatio inter ea,quæ ſunt eiuſdẽ ordinis. Iſta tamen ſolutio nullã cõtinet verirarem, nã principiũ quo ignis producit calorẽ, primo productũ,nõ eſt calor,ſed forma ſubſtãtialis ignis producẽris vt quod, ſimiliter terminus formalis productionis ignis ꝓducti nõ eſt calor,ſed forma ſubſtãtialis ignis producti, ergo vniuocatio in iſta productione nõ eſt attendẽda penès calorẽ producentem & calorẽ productũ,ſed penès formã ſubſtantialẽ ignis producẽtis & ignis producti.

Secunda concluſio. ¶Secunda concluſio. Nullũ accidens poteſt eſſe principiũ effectiuũ producendi ſubſtãtiã. Hæc cõcluſio eſt Doctoris,& probatur. Primo,rarione ipſius, quia nulla cauſa poteſt agere vlrra ſuã virrutẽ,ergo nec accidẽs poteſt producere ſubſtantiã. Quod ſi reſpõdeatur iuxta doctrinã D.Tho. quod accidẽs in virtute ſubſtantiæ adæquat rationẽ ſubſtantiæ,& habet virturem ſubſtantiæ, contra. Accidens in virtute ſubſtantiæ, vel eſt ipſum accidens, vel aliquid accidentale in accidẽte,vel aliquid ſubſtãtiale in ipſo accidente,ſi eſt ipſum accidens,vel aliquid accidentale in accidente,cũ accidẽs nõ attingat virturẽ ſubſtantiæ,ſicuti nec eſſe ſubſtãtiæ, ergo non poterir vt ſic producere ſubſtantiã. Si aurem eſt aliquid ſubſtantiale in ipſo accidente,ergo iã accidẽs nõ quatenùs accidens,ſed quatenùs ſubſtantia producit ſubſtantiã.

Secundum argum. ¶Secundò. Omnis cauſa, vel eſt vniuoca,vel æquiuoca,ſed accidẽs reſpectu ſubſtãtiæ producẽdæ nec poteſt habere rationẽ cauſæ vniuocę, nec æquiuocę, ergo nec rationẽ cauſæ. Maior eſt manifeſta, & probatur minor,nã cauſa vniuoca habet effectũ productũ vniuocũ ſibi,ſed inter accidens & ſubſtantiam non eſt vniuocatio vr ſic,ergo. Quod ſi reſpõdeas,quod licet inter calorem v.g. quo ignis ptoducit ignẽ,& ignẽ productũ nõ ſit vniuocatio,ſatis eſt quod reperiatur vniuocatio inrer ignẽ producẽtẽ,& ignẽ productũ,vel inter calorẽ producẽrẽ,vel calorẽ productũ. Cõtra,ergo ſaltim inter calorẽ producẽtẽ,& formã ſubſtãtialẽ ignis productã,vel ipſum ignẽ productũ, non eſt vniuocatio,& per cõſequẽs calor,qui accidens eſt,nõ poreſt eſſe principiũ productiuũ vniuocum ſubſtanriæ ignis producti, ſed calor erit productiuus caloris & ignis erir productiuus ignis vt quod, & forma ſubſtantialis ignis erit principium productiuum quo ignis producendi. Nec eriam poteſt eſſe cauſa æquiuoca, quia cauſa æquiuoca perfectior eſt ſuo effectu,ſed accidens nõ eſt perfectius ſubſtantia, ſed imperfectius vt de ſe patet,ergo. Ad hãc ſecundã partẽ huius argumenti reſpõdenr autores ſecundæ ſenrentiæ dupliciter. Primò,quod inter accidẽs & ſubſtãriã poreſt fieri cõparario,vel in ratione entis,& ſic clarũ eſt,accidens eſt ignobilius ſubſtãtia,vel in ratione producibilis,& ſic eſt proportio inter ea,nã ſicut accidẽs naturaliter eſt productiuũ ſubſtãriæ,ita ſubſtãtia naturaliter eſt producibilis ab accidẽre, nec in hoc eſt inæqualitas, & ſanè vtrũque eſt eiuſdẽ ordinis,cũ ſit quidpiã naturale & materiale.

¶Iſta tamen ſolutio non euacuat difficultarẽ. *Impugnatio ſolut.* Primo,quia petit principiũ. Et ſecũdo,quia ex ea ſequeretur ꝙ quodlibet agens naturale,& materiale poſſet agere in quodlibet paſſum naturale, & mareriale,cũ inter illa reperiatur ſimilis proportio naturalitatis, & materialitaris, qualis reperitur inter accidẽs & ſubſtãriã, hoc autem nullus cõcedet.

¶Secũdo aurem reſpondent, dicentes, *2. Solu. ad argum.* duplicẽ eſſe effectũ agẽtis, vnũ intrinſecũ actui agẽris, vtporè qui per eius actionẽ atringitur. Alrerũ externũ actioni agentis, qui quoniã habet naturalẽ & neceſſariã cõnexionẽ cum primo illo intrinſeco effectu, idcircò cũ hic internus producirur, ille externus quoque per modũ naturalis ſequelæ producitur ab agente. v.g. calefactionis intrinſecus & immediatus effectus eſt calor, mediatus autẽ,& huic naturaliter cõſequẽs, eſt rariras & leuitas. Inter hæc autẽ duo genera effectuum hoc intereſt,quod prior nõ poteſt eſſe nobilior agenre, poſteriorem autem eſſe, vel ignobiliorem nihil prohibet, & rario eſt, quia ille cum per ſe producatur ab agente, neceſſariò ſequitur menſuram,& modum virrutis actiuæ, hic autem (cum nõ producatur per ſe) minimè

commen-

cōmenſurari,& correſpondere debet virtuti,& perfectioni agentis, ſiquidē præſtātia agentis,& actionis æſtimari debet ex primo,& immediato termino,atq; effectu, nō autē ex alijs,quæ propter naturalem rerum cōſequentiam,& connexionem producuntur. Cū igitur ſubſtantia ſit effectus accidentis nō priori,ſed poſteriori modo, nam cum in materia eſt calor vt octo,neceſſario erūpit,& exiſtit forma ignis,non enim poſſunt hæc duo inuicē ſeparari,ex quo fit, vt calor producendo in materia calorem vt octo,cōſequenter etiā producat ſubſtantiam ignis, & ob hanc cauſam fit,vt quanuis accidēs ſit ignobilior ſubſtantia,eam tamē poſsit producere. Iſta tamen ſolutio nihil valet.

Impugnatio ſolutionis ſecundæ. Imprimis,quia ſubſtātia ignis geniti habet eſſe per generationem,calor autē vt octo habet eſſe per alterationem,ergo aſsignādum eſt aliud principiū generationis,diſtinctum à principio alterationis,& per conſequens, calor qui eſt principiū calefactionis nō poteſt eſſe principiū generationis.

Secundam. ¶Secūdò, ille vltimus gradus, qui eſt vltima diſpoſitio ad formā eſt ab ipſa forma, ergo calor alterans nō producit illam vltimā diſpoſitionem.

Tertium. ¶Et tertio, quia quomodocunque ſit, nullus effectus poteſt eſſe totaliter ab aliqua cauſa, ſi eſt perfectior illa. Probatur iſtud antecedens, quia illud perfectius(in quo excedir effectus ſuā cauſam)nō præfuit in virtute ipſius cauſæ,quia ſi præfuit, ergo ſaltim æque perfecta eſt cauſa ſuo effectu, & per cōſequens,cauſa imperfectior nō poteſt eſſe totalis cauſa perfectioris effectus. Probatur ſequela. Quia illud,quod nō eſt in virtute ſuæ cauſæ, nō poteſt produci ab illa,nec per ſe primo,nec per emanationem.

Vltima cōcluſio. ¶Vltima cōcluſio. Nullū accidēs nec in virtute ſua,nec in virtute ſubſtātiæ,poteſt producere,nec corrūpere ſubſtantiā,niſi diſpoſitiuè. Hæc cōcluſio eſt Doctoris vbi ſupra, & ꝓbatur,quia actio accidētis eſt alteratio, ſed terminus alterationis,eſt qualitas, & nō ſubſtātia,ergo accidens nullo modo producit ſubſtantiā,& per conſequens nec corrūpit,niſi diſpoſitiue,quatenus ꝓducit diſpoſitionem oppoſitā cōſeruationi ſubſtātiæ.

Reſpōdetur argum. ¶Reſpōdetur argumentis pro prima ſententia. *Ad primum.* Ad primū cōcedendo maiorē,& negādo minorē,& ad ꝓbationē dicitur, quòd ignis quatenus calefaciens tantū intendit producere calorē,nō autē producere ſubſtātiā, & ſic ratio mediorum debet ſumi à fine immediato. ¶Vel ſecūdo reſpōdetur, quòd ignis vtitur calefactione,ad producendū ignē,tāquā inſtrumento,per ſubordinationem effectus ad effectū,vt diximus in 4. notabili, & ſic calor tātū cōcurrit diſpoſitiuè, & per cōſequens nō attingēdo productionem ignis.

Ad primā confirm. ¶Ad cōfirmationē reſpondetur, ꝙ duplex eſt vltima diſpoſitio,altera quæ ſe tenet ex parte agentis,altera, quæ ſe tenet ex parte formæ,ſicut v.g. capiamus aquā, quæ contineat frigiditatē decē graduū, de quibus determinet ſibi ipſa aqua quatuor gradus frigiditatis,ita quod deſtructis illis, ipſa aqua deſtruetur,in tali caſu eſt aliquis gradus vltimus ex parte agentis, ad quē agens poteſt attingere alterādo illā aquā, intendēs corrūpere illā,& inducere aliā formā,& ille vltimus gradus dicitur vltima diſpoſitio ex parte agentis,& licet ad illā vltimā diſpoſitionem neceſſariò ſequatur introductio formę ſubſtantialis,& productio illius,non tamen neceſſariò ſequitur quod illa forma ſubſtantialis producatur ab illa diſpoſitione, ſed à producente illā diſpoſitionem, vel ab alio; Aliàs enim eodē argumento probaretur, ꝙ forma rationalis producitur ab vltima diſpoſitione corporis organizati, ſiquidē naturali neceſsitate ſubſequitur forma rationalis ad illā,hoc autē cōſequens nullus concedet.

Ad ſecundā cōfirm. ¶Ad ſecundā cōfirmationem reſpōdetur cōcedendo totū diſpoſitiue, nā de ratione inſtrumēti tātū eſt quod eius effectus ſubordinetur effectui principalis agentis & hoc modo alteratio dicitur inſtrumentū generationis,nutritionis,& augmētationis.

Ad ſecundum arg. ¶Ad ſecundū reſpōdetur,ꝙ radij ſolares tātū diſponunt ſubiectū,vt Sol producat formā ignis,nā ſi Sol(licet nō ſit formaliter calidus)producit calorē formalem,cur (licet nō ſit formaliter ignis)nō producet ſubſtātiā ignis,præcipue cū inter Solē, & ignem productū ſit maior proportio,cū ambo ſint ſubſtantiæ,at verò inter Solē & calorē iſta proportio nō reperitur.

Ad confir. ¶Ad cōfirmationē reſpōdetur,quòd ferrū cādēs producit talē diſpoſitionē qua poſita,nō poteſt forma ſtupæ cōſeruari,& tūc ſicut in alijs experientijs,quas ipſi allegāt recurrēdū eſt ad autorē naturæ,vel ad ipſam naturam, quæ ſupplet impotentiam agentis particularis, ſicut recurrimus, quando graue aſcendit ſurſum, ne detur vacuum,in tali caſu, ille motus nō habet aliā cauſam efficientem præter ipſam naturam,vel authorem naturæ,nec recurrē

dum eſt ad generantē, quia dato, illā ſententiā eſſe veram reſpectu motus deorſum, nō tamen reſpectu motus ſurſum.

Ad tertiū. ¶Ad tertium reſpōdetur dupliciter primò cum Doctore, ꝙ ſemen vel virtus ſeminis in matrice tantum concurrit diſpoſitiuè, pro quo videnda ſunt, quæ ipſe docet in 2. diſt. 18. q. vnica. ¶Vel ſecundo reſpondeo iuxta doctrinā ipſius in 4. ſentē. diſt. 12. quæſt. 3. infra literam I. poſt mediū, vbi docet, quòd intellectio eſt perfectior albedine, quia albedo, licet ſit cauſa intellectionis, nō tamen eſt cauſa totalis: vnde bene poſsibile eſt effectum excellere talem cauſam in perfectione, quia reliquam perfectionem habere poteſt ex reliqua cauſa partiali. Ita in propoſito dicendum cēſeo, quòd virtus ſeminis in matrice fœminæ tantum concurrit partialiter, nā mulier (vt dicit Doctor in 3. diſt. 4.) etiam agit ad generationē, & per cōſequens virtus ſeminis non eſt cauſa totalis generationis, vide Doctorem ibi infra literam F. quare non eſt incōueniens, quòd anima producta ſit præſtantior ſemine, quia illius effectus ſemen non eſt totalis cauſa, ſed ſemen, & fœmina. ¶Ad confirmationem reſpondetur vt reſponſum eſt ad confirmationē ſecūdi argumenti, reliqua autē quæ ibi dicuntur cōtra Doctorem verba ſunt & nō rationes.

Ad quartum. ¶Ad quartum reſpōdetur cum Doctore in 2. diſt. 18. quæſt. vnica. ante literam K. vbi ſic ait dico ergo quod recurrendum eſt hic ad virtutem diuinam ſicut & Auerrois facit vt patet in diſſolutione illarū quæſtionum difficilium ſecūdo cæli, & mundi textu cōmēti. 69. & Galenus etiam virtutes ſeminū vocat diuinas. ¶Vel ſecundo reſpōdetur vt reſponſum eſt ad tertium, quòd virtus ſeminis ad generandum cum alia cauſa partiali, qualis eſt ſubſtantia fœminæ potēs eſt producere effectum nobiliorem ſe, non autem ſola virtus ſeminis.

Ad quintum. ¶Ad quintum reſpōdetur, quòd in his quæ per putrefactionem generātur, & in alijs in quibus nō reperitur recurrēdū eſt ad authorē naturæ tāquā ad cauſam efficiētē, ad accidētia autē tāquā ad cauſas diſpoſitiuas.

Ad vltimum. ¶Ad vltimum, quòd inſtrumēta artificialia nō ſunt actiua niſi quatenus mouētur à principali agente, & ſic nō mirū quod ſecūdum ſe nō attingant formā productā, & ſecundo, quia ſatis eſt ad rationem inſtrumēti, quod effectus illius ſubordinetur effectui principalis agentis.

Ad argumenta pro ſecūda ſententia. ¶Ad argumenta pro ſecunda ſententia. Ad primum. Accidens poſſe producere ſubſtantiam, reſpondetur quod Ariſtoteles ibi loquitur de actione ignis diſpoſitiua, & hoc veriſsimū eſt, quia totum principium quo ignis calefacit eſt calor, & non forma ignis. ¶Ad ſecundū reſpondetur. Quod actio corruptiua requirit cōtrarietatem, ſecus autem actio productiua. Vel ſecundo reſpondetur quod quia generatio præſupponit alterationem, & alteratio præſupponit cōtrarietatē, ideò vbi nō eſt contrarietas non poteſt eſſe generatio, ſed hoc non prouenit ex ratione generationis, ſed ex ratione alterationis. ¶Ad tertium reſpondetur, quòd illud dictū commentatoris poteſt intelligi de agente quod, & ſic ſenſus eſt. Idem eſt agens, quod per diſpoſitiones diſponit materiam, & per ſuam formam ſubſtantialem inducit formā. Vel ſecundo reſpondeo, quòd forſan cōmētator fuit illius ſententiæ quam ego credo eſſe falſam. ¶Ad cōfirmationē reſpōdetur, ꝙ formæ ſubſtantiales non ſunt actiuæ, aut paſsiuæ, alterando vel corrūpendo, niſi propter qualitates, ſecus autem producendo. ¶Ad vltimum. De experientijs reſponſum eſt iam, ſoluendo argumenta primæ ſententiæ. Et hæc de iſta quæſtione.

TEXTVS.

QVantum ad iſtum articulum, dico, ꝙ de nihilo id eſt, non de aliquo ſecundum eſſe exiſtentiæ poteſt Deus creare, & per conſequens non de aliquo ſecundum eſſe eſſentiæ, quia vt probatum eſt diſt. 36. lib. 1. nunquam eſſe eſſentiæ ſeparatur realiter ab eſſe exiſtentiæ; tamen non poteſt aliquid creari, id eſt, produci ad eſſe ſimpliciter de nihilo, id eſt, de nullo modo ente, nec ſimpliciter nec ſecundū quid Diſp. 1. quæſt. 2. litera C.

EXPLICATIO LITERÆ.

EX dictis in præcedentibus quæſtionibus ſatis patet differētia inter creationē & generationē, & reliquas productiones, præcipuè quomodo differat à generatione, nā generatio ſupponit materiā ſiue ſubiectū, de cuius potentia forma naturalis educitur, & ſecūdo, terminus à quo in generatione nō eſt nihil ſed priuatio, quæ eſt carentia

rētia formæ in ſubiecto apto nato, terminus autē ad quē eſt res corporea, & materialis. Tertio autē motus, qui eſt veluti gen⁹ ipſius generationis, & generatio eſt quædā actio tranſiens in ſubiectū, nā ſucceſsiuè fit, propter diſpoſitiones, quas neceſſario præ requirit. Vnde fit, ꝙ generatio requirat tēpus & locū, tēpus quī cū ſit motus, debet tp̄e mēſurari, locū autē quoniā cū fiat ex alio corpore, & qđ generatur ſit corporeū atq; res naturalis neceſſariò requirit locū, quarto autem, quia generatio requirit cauſam particularē, quæ modificet actionē cauſæ vniuerſalis, nā vniuerſalis cauſa indifferēs eſt ad huius, vel illius effectus productionē, ſed cum homine Sol generat hominē, & cum equo equū. At vero in creatione nihil eorū reperitur quia cū creatio vt docet Doctor in litera, fiat de nihilo nullā ſupponit materiā, nec ſubiectū, de cuius potētia res creata producatur, & per conſequens eius terminus à quo nō erit priuatio, quę ex natura ſua ſupponit ſubiectū, nec terminus ad quē debet eſſe res materialis, quia etiā ſpiritualia vt intelligētiæ producuntur per creationem, & ſimiliter materialia poſſunt per creationē produci, & cū creatio ſit actio inſtantanea, nō eſt motus, nam motus alicuius mobilis eſt, & cū nō ſit actio tranſiens non fit in tempore; nec vltimò fieri poteſt à cauſis ſecundis, quia cū illæ agant alterando prius ſubiectum, ſupponunt ſubiectū circa quod agāt, quare ſoli primæ cauſæ cōuenit creare, quia ſoli primæ cauſæ cōuenit de nihilo aliquid producere.

¶ Secundo eſt aduertēdū, quòd res antequā fiant prius ſunt in potentia logica, quæ conuenit illis ex natura ſuorū extremorū, vnde ſi per impoſsibile Deus non eſſet, aliter ſe haberet veritas iſtius propoſitionis, mūdus erit, quā veritas iſtius propoſitionis chimęra erit, nā iſta propoſitio, mundus erit, licet habet impoſsibilitatē ex parte cauſæ efficiētis, nō tamē ex parte ſubiecti, & prædicati, qualem habet, iſta chimęra erit, quare prima propoſitio habet veritatem poſsibilem poſsibilitate logica, quæ dicit non repugnātia extremorū, ex natura ipſorū extremorū. At verò ſecūda propoſitio dicit impoſsibilitatem logicam, ſicut & iſta, homo erit equus. Deinde autem res ex eo quod intelliguntur à Deo produntur in potentia obiectiua, quæ potentia nihil aliud eſt, quā ordo quidam quem ipſæ res dicunt ad potentiam Dei actiuā, vel omnipotentiā, & nihil aliud eſt quam dicere, quòd ſunt obiectū omnipotentiæ, & hoc eſſe in potētia obiectiua nec eſt eſſe reale eſſentiæ, nec eſt eſſe reale exiſtentiæ: nec enim vllo modo ens, ſed eſt aliquo modo ens, & vt dixi in 1. diſput. 16. q. 3. notabili 6. nec eſt ens reale, nec ens rationis, ſed quid minus ad ens reale & rationis, & propter quod dicitur aliquo modo ens, licet ſit nihil vt nihilum opponitur alicui habenti eſſe reale, eſſentiæ, vel exiſtentiæ in actu, vel in potentia ſubiectiua, quale habēt ea, quæ ſunt in potentia materiæ, vt autem præſens litera melius intelligatur ſit quæſtionis titulus.

QVÆSTIO VII.

¶ Vtrùm creaturæ antequàm creentur habeant actu aliquod eſſe reale diſtinctū ab eſſe ſuæ cauſæ, vel ab eſſe diuino.

DE hac re duplex eſt ſententia prima eſt Hērici in ſua ſumma art. 2. q. 23. & 25. & in quodlibetis, quodl. 8. q. 9. & quodl. 9. quæſt. 1. & 2. & quodl. 11. q. 3. Pro cuius explicatione aduertit, quòd iſtud nomē, res, dicitur dupliciter, vno modo quatenus deriuatur ab iſto verbo, reor, ris, & tunc prædicatur de quacūque re, quæ habet eſſe in opinione, quòd eſſe nō eſt à parte rei & ideò dicitur ſecūdū quid, & ſimiliter omnia, quæ cadūt ſub intellectione, vel imaginatione & ſub cōpoſitione intellectus poſſunt res appellari vt figmēnta & impoſsibilia. Secundo modo dicitur res à ratitudine, vel firmitate, & tunc nō omnia poſſunt dici res hoc modo, ſed illa tantū, quę habēt rationē exēplati à Deo, & iſta ratio exēplati eſt prima ratio eſſentię in ipſa re, vnde ex hoc quòd creatura eſt exēplata à Deo, ex hoc formaliter habet eſſentiam & ex hoc quod eſt producta à Deo ex hoc formaliter habet exiſtentiam, & per conſequens illa habitudo exēplati, quæ eſt in creatura ad Deū eſt ratio formalis conſtitutiua ipſius in eſſe eſſentiæ. Illa autē habitudo ꝓducti, quæ eſt in creatura ad Deū producentē, eſt formalis ratio cōſtituens creaturā in eſſe exiſtentiæ. Ex quo infertur quod cū creatura ſit ab ęterno exemplata à Deo, ſicut eſt intellecta & eſſe exemplatum ſit eſſe eſſentiæ quod eſſe quidditatiuū præcedens eſſe exiſtētiæ creaturæ, quòd tantū habet eſſe in tempore per

productione; quòd creatura antequã creetur habet aliquid verũ eſſe reale in actu, diſtinctum ab eſſe diuino & quod tale eſſe eſt ab æterno. Hãc ſententiã quoad omnes ſuas partes probat primò ex D. Aug. 15. de Trinit. c. 13. vbi dicit, nõ aliter nouit Deus fienda quã facta. Ex quo ſic: Deus ab æterno habuit ſcientiã realem verã de creaturis antequã crearentur ſecundũ quidditates ipſarũ, ſicut modo habet, ergo creaturæ ſecundum ſuas quidditates ab æterno habuerũt verum eſſe reale. Probatur ſequela, quia ſciẽtia realis neceſſario requirit obiectum reale, ergo ſcientia realis æterna neceſſario requirit obiectũ reale æternũ, ſed ſcientia erat de creaturis, ergo creaturæ ab æterno habuerũt verũ eſſe reale, & per cõſequẽs antequã crearentur habebãt actu aliquod verũ eſſe reale.

Secundum argum. ¶Secundò. Ex eodem D. Aug. in lib. de natura boni. c. 8. vbi aſſerit, ſi bonitas eſt forma aliqua nõnullum bonũ eſt capacitas formæ, ergo nõnullũ bonũ eſt poſsibilitas ad bonitatẽ actualẽ; ſed hoc habet creatura ab æterno & antequàm creetur, ergo antequã creetur habet creatura aliqd ens bonũ & reale;

Tertium argum. ¶Tertiò. Ex eodem D. Auguſt. homil. 18. ſuper Ioan. vbi dicit eaſdem literas format cor & manus, ſed aliter & aliter; ergo eædẽ literæ prius factæ ſunt à corde Dei, deinde à manu, & per cõſequens res creatæ, & productæ per manũ Dei prius habuerunt eſſe à corde Dei; ſed tale eſſe fuit eſſe eſſentiæ, ergo.

Quartum argum. ¶Quarto probatur ratione. Res antequam creentur habent verũ eſſe definibile, & definitũ, ſed nõ ſecundũ eſſe exiſtentiæ, ergo ſecundũ eſſe eſſentiæ, ſed definitio dicit verũ eſſe quidditatiuum rei, et ſi definitio eſt in actu; definitũ eſt in actu, ergo cum res antequàm creentur habeant definitionem in actu, habebunt aliquod eſſe in actu; ſed hoc eſt eſſe eſſentiæ, ergo.

Quintum argum. ¶Quintò. Illud ſecũdũ quod, quòd cõuenit creaturæ eſſe exẽplatũ à Deo & ab æterno, conuenit creaturæ ab æterno & in actu; ſed hoc eſt ſecundum quidditatem & eſſentiam, ergo quidditas & eſſentia creaturæ cõuenit illi ab æterno.

Sextum argum. ¶Sextò. Illud, quod antequàm creetur verè eſt actu in genere & prædicamento reali, habet verum eſſe reale, ſed creaturæ antequàm creentur ſunt verè in prædicamento reali, ergo habeant verum eſſe reale, ſed non ſecũdum eſſe exiſtentiæ; ergo antequàm creentur habent verum eſſe reale eſſentiæ.

Septimum argum. ¶Septimò. Relatio realis eſt inter extrema realia realiter diſtincta, ſed creatura antequã creetur refertur realiter ad Deum ſicut menſuratum ad menſuram, & ſicut habens proportionem, & conformitatem adæquatum intelligendi diuinum, ergo. Maior eſt manifeſta, & minor probatur. Talis relatio conſurgit in creatura ſecluſa quacunque operatione noſtri intellectus, ergo.

Octauum argum. ¶Octauò. Quod eſt nihil quidditatiuè non poteſt fieri ens, ergo quod poteſt fieri ens eſt aliquid quidditatiuè, ſed quod eſt aliquid quidditatiuè, eſt aliquid reale habens veram entitatem realem, ergo cũ creatura antequàm creetur ſit aliquid quidditatiuè habebit aliquod verum eſſe reale, ſed non eſſe exiſtẽtiæ quia iſtud habet eſſe per creationem, ergo ſecundum eſſe eſſentiæ.

Vltimum argum. ¶Vltimò. Idem & diuerſum ſunt paſsiones entis, ſed creaturæ ſunt eędem & diuerſæ antequam fiant, ergo antequam fiant habuerunt verum eſſe.

Secunda ſententia. ¶Secunda ſententia eſt Doctoris vt patet in litera, quam docent ferè omnes Doctores. Pro cuius explicatione, & totius quæſtionis ſunt notanda nonnulla. Quorũ primum eſt, quod res poſſunt habere triplex eſſe. Primum in intellectu. Secundum in ſuis cauſis. Tertium in ſeipſis. In intellectu habẽt eſſe cognitũ, & ſic omnia producibilia præexiſtũt in intellectu Dei ſicut omnia, quæ fiũt per artẽ præexiſtunt in mente artificis. In ſuis cauſis dicũtur res habere eſſe, quia cauſę poſſunt illas producere in eſſe, & hoc modo, roſa generanda quæ potentialiter eſt in materia eſt virtualiter in ſua cauſa, & quotquot ſunt producta à Deo habebant eſſe in virtute actiua Dei. In ſeipſis autẽ dicuntur res habere eſſe, quando habent illud extrà intellectum & virtutem actiuam, ſicut roſa producta, vel homo generatus.

Notab. 2. ¶Secundo eſt notandum. Quod cũ creatura ex ſe nullum habeat eſſe ſicut conſtituimus eam in triplici eſſe, ita debemus illam conſtituere in triplici potẽtia. Eſt enim primo in potentia logica, eſt ſecundo in potentia obiectiua, eſt tertio in potẽtia reali. Res antẽ, quæ nullam iſtarũ potentiarum habent, dicuntur ſimpliciter impoſsibiles, vti chimæra, & iſtæ nec poſſunt habere eſſe in intellectu nec in ſuis cauſis, nec in ſeipſis. Quæ ſunt in potentia logica, vt dixi in explicatione literæ, tantum dicunt non repugnantiam

tiam ex parte vtriuſque extremi, quæ autẽ ſunt in potentia obiectiua dicunt vltrà hoc ordinem ad potẽtiam actiuam. Quæ autem ſunt in potentia reali dicunt ordinem ad formam realem,& ſicut non implicat quod aliquid ſit in potentia logica, & non ſit in potentia obiectiua, & aliquid ſit in potentia obiectiua,quòd non in potentia reali,ita nõ implicat,quod aliquid habeat eſſe in cognitione,vel in intellectu, quòd nõ habeat eſſe in ſua cauſa, & quòd aliquid habeat eſſe in ſua cauſa,& non habeat eſſe in ſeipſo. Vt patet quando agens non habet virtutem productiuam eiuſdem efficaciæ cum intellectu, & actum coniunctum cum potentia productiua,vt contingit in agẽte creato,ſtat enim quòd agẽs creatum producat domum in intellectu non tamen in ſua cauſa;quia poteſt ſpeculatiuè producere domum, non tamen practicè, ſimiliter ſtat cognoſcere domum ſpeculatiuè & practicè,& nihilominus non producere domum in ſeipſa. Vnde ſicut iſte triplex modus eſſendi eſt abinuicem ſeparabilis,ita triplex potentia illis correſpõdens poteſt abinuicem ſeparari.

Notab.3. ¶Tertio eſt notandum cum Doctore in hoc 2.diſt.1.quæſt.1.infra literam H.prope medium, quod creaturæ antequam intelligantur ab intellectu diuino nõ habent eſſe actu intelligibile,ſed fiunt formaliter intelligibiles ex eo quod intelliguntur à Deo. Nec eſt inconueniens quod intellectus diuinus producat iſta obiecta ſecundaria in eſſe intelligibili formaliter,cũ intellectus creatus producat etiam ſua obiecta ſecundaria in eſſe intelligibili formaliter per intellectionẽ,cum ſecundæ intẽtiones nõ habeãt priùs eſſe intelligibile formaliter quã intellectum,& ſic creaturę vt dicebamus in 1.diſput.11.q.15. nullũ eſſe habẽt nec reale, nec intelligibile actuale formale ante cognitionẽ eſſentialẽ Dei, quia in quocunque eſſe ponatur creatura vt creatura debet poni per actum alicuius potentiæ productiuæ illius eſſe, ergo ante actum cuiuſcunque potentiæ productiuæ creaturæ nullum eſſe habent. Quomodo autem cognitio eſſentialis producat iſta obiecta in hoc eſſe,cũ cognitio non ſit productiua,ſed operatiua tantum,ſicut & quælibet operatio vitalis,videnda ſunt, quæ diximus in 1.Diſput.16.quæſt.3.

Notab. vltim. ¶Vltimo eſt notandũ. Quod eſſentia & exiſtentia tantum diſtinguũtur ſicut res & modus rei in creatis(nam in diuinis, exiſtentia eſt de intrinſeca ratione Dei) vnde ſicut eſſentia poteſt habere eſſe cognitum, & eſſe in ſua cauſa,& eſſe reale in ſeipſa,ita exiſtẽtia poteſt habere iſtud triplex eſſe ſcilicet eſſe cognitum, & eſſe in ſua cauſa,& eſſe reale in ſeipſa.

¶Prima concluſio. Creaturæ antequã creentur nullũ eſſe reale habent diſtinctũ ab eſſe ſuæ cauſæ,vel ab eſſe diuino. Hæc concluſio eſt Doctoris,quã latè probat in 1. diſt. 36. quæſt.vnica,& probatur primo. Si creatura habet aliquod eſſe reale antequam creetur, ergo quando creatur non creatur. Probatur ſequela, quia creatio eſt productio totius entis de nihilo,ergo nihil reale illius, quòd per creationem producitur prǽſupponitur, & per conſequens creatura quæ habet eſſe per creationẽ ſecundum totum, quòd eſt in illa crearur,ſed aliquid illius eſt eſſentia,ergo eſſentia creaturæ antequam creetur non habet verum eſſe reale. *Prima concluſio.*

¶Secundò. Si creaturæ habent illud eſſe eſſentiæ reale antequã creentur,vel illud eſſe eſt productũ,vel improductũ, depẽdẽs,vel indepẽdens, ſi eſt productũ cũ ſit æternum debet eſſe productio æterna,ſed nulla eſt data productio æterna imò ſecundum ipſum Henricum non eſt dabilis productio æterna creaturæ. Si eſt improductũ non poteſt diſtingui à prima cauſa realiter,quia implicat dari duo, quòd vtrunque habet rationem primi,ergo. *Secundum argum.*

¶Tertiò. Eſſentia hominis nõ eſt aliud niſi humanitas,& eſſentia huius hominis,nõ eſt aliud niſi hæc humanitas, ergo ſi corrupto homine cotrũpitur humanitas, quia homo humanitate eſt homo corrupto homine nõ manet humanitas in aliquo eſſe reali. ¶Confirmatur. Quia ſi corrupto homine manet humanitas,ergo implicat, poſſe Deum aliquẽ hominẽ annihilare. Patet ſequela,quia quantumcũque Deus annihilet illum, ſemper maner eius eſſentia in eſſe reali. *Tertium argum.*

¶Vltimò. Si eſſentia rei creatæ eſt ab æterno,ergo ſequitur quod pro quocunq; ſigno verũ eſt dicere,quod eſt,ſicut verũ eſt dicere,quod album eſt. Patet ſequela,quia non eſt maior ratio vnius,quàm alterius. Quod ſi reſpondeas quod ſicut nõ ſequitur homo eſt riſibilis,ergo homo eſt,ita non ſequitur eſſentia eſt æterna,ergo eſſentia eſt. Cõtra, nã aliter ſe habet æternũ reſpectu eſſentiæ, quã riſibile reſpectu hominis,nã æternũ eſt prædicatum accidentale & extrinſecum re- *Vltimum argum.*

ſpectu eſſentiæ, nec prædicatur de eſſentia in primo, vel ſecundo modo dicendi per ſe, & per conſequens illa copula, eſt, in illa propoſitione debet ſignificare exiſtentiam, cũ non poſsit ſignificare neceſſariam connexionem ſubiecti cum prædicato, ſicuti in iſta propoſitione, homo eſt riſibilis, in qua, cùm prædicatum per ſe prædicetur de ſubiecto, copula eſt, non dicit exiſtentiam, ſed neceſſariam connexionem.

Secunda concluſio. ¶Secunda concluſio. Creaturæ antequam creentur in eſſe reali habent eſſe cognitum & volitum ab intellectu & voluntate diuina. Hæc concluſio eſt Doctoris in litera, & probatur, quia creaturæ antequam producantur in eſſe reali cognoſcũtur à Deo producibiles, & vult Deus eas producere in eſſe reali, ſed illa, quæ ſunt cognita à Deo ex eo quo cognoſcuntur habent eſſe cognitum, & quatenus volita à Deo habent eſſe volitum, ergo.

Secundum argum. ¶Secundò. Creaturæ ſecundum aliquod eſſe terminant rationem idealem, quæ eſt in Deo, ſed non ſecundum eſſe eſſentiæ, nec ſecundum eſſe exiſtentiæ, ergo.

Vltima concluſio. ¶Vltima cõcluſio. Tale eſſe cognitum, vel volitum non eſt eſſe reale, nec eſſe ſimpliciter, nec eſt ens rationis, ſed eſt quoddam eſſe abſolutum aliquo modo ens, & ens ſecundum quid, minus habens de entitate, quam ens rationis. Hæc concluſio eſt Doctoris in 1. diſtin. 36. quæſt. vnica litera G. quæ latè manet probata in diſputationibus ſuper primum Diſputatione. 16. quæſt. 3. per totam, vide ibi.

¶Reſpondetur argumentis.

Ad primũ argum. ¶Ad primum reſpondetur, quòd realitas ſcientię Dei non ſumitur penes realitatem obiecti ſecundarij, quale eſt creatura, ſed penes realitatem obiecti primarij, quale eſt eſſentia diuina, & ſic licet ſciuerit ab æterno eſſe eſſentiæ, & exiſtentiæ creaturarum ſicut non ſequitur ex hoc exiſtentiã fuiſſe ab æterno niſi tantum cognitam, ita nec ſequitur eſſentiam fuiſſe ab æterno niſi tantũ cognitam.

Ad ſecundum. ¶Ad ſecundum reſpondetur cum Doctore in 1. diſt. 36. quæſt. vnica. litera M. propè finem, quòd capacitas formæ ſecundum D. Auguſt. eſt materia, quæ habet aliquam entitatem veram; & non tãtum qualem habet animam Antichriſti antequàm creetur, & de iſta potentia paſsiua, vel poſsibilitate ſubiectiua, vel receptiua loquitur ibi D. Auguſt. non autẽ de poſsibilitate rei ante creationem, vel de potentia obiectiua.

Ad tertiũ. ¶Ad tertium reſpõdetur cum Doctore vbi ſuprà infra eandem literam M. quòd quãdo ſunt duæ cauſæ ſubordinatæ ambæ cauſant effectum, aliter tamen & aliter, quia ſuperior plus cauſat, & ita ſi cor ſit cauſa ſuperior, & manus inferior reſpectu literarum vtrumque cauſat, tam cor, quam manus, nec tamen priùs cor, quam manus producit literas in aliquo vero eſſe, & poſtea manus addit eis quendam reſpectũ. Modo ad propoſitum, licet creaturæ habeant eſſe à ſcientia, & potentia Dei, non tamen primo habent eſſe reale à ſcientia, & poſtea à potentia recipiunt eſſe aliquod reſpectiuum, ſed à ſciẽtia diuina vt diſtincta à potentia recipiunt eſſe cognitum, à potentia verò eſſe reale.

Ad quartum. ¶Ad quartum reſpondetur, iuxta Doctorẽ in 4. diſt. 1. quæſt. 2. litera A. & in reportatis, ſuper 4. diſt. 3. quæſt. 1. quòd definitio, quandoque ſignificat quidditatem rei, quandoque ſignificat rationem conceptibilẽ de aliquo ſecundum aliquod eſſe, & cũ quidditas eſt à parte rei, tunc definitio ſignificat quidditatem illam, quando verò quidditas non eſt à parte rei, tunc definitio ſignificat illam rationem ſecundũ quam talis quidditas poteſt concipi, quæ eſt quidditas in eſſe cognito ſecundum quam intellectus noſter poteſt moueri ad cognitionem illarum, pro quo vide Doctorem in 1. diſt. 36. quæſt. vnica ante literam H.

Ad quintum. ¶Ad quintum reſpondetur, ꝙ eſſe exemplatum à Deo poteſt cõtingere creaturæ tam ſecundum eſſe cognitum, quã ſecundũ eſſe reale, nam vt diximus in 1. Diſput. 16. q. 1. & 4. Idea in mente diuina, v. g. hominis eſt cognitio diuina terminata ad hominẽ, licet homo ſecundũ eſſe cognitũ poſsit dici Idea hominis in eſſe reali, vt dixi ibidẽ quæſt. 4. quare ſecundũ vtrũque eſſe poteſt creatura eſſe exemplata, nõ tamen oportet, quòd illud ſecundũ quod obiectiuè conuenit creaturæ exẽplar, ſit in aliquo eſſe reali ab æterno, cùm ſufficiat illud eſſe cognitum, quod habent creaturæ ex eo, quo à Deo cognoſcuntur.

Ad ſextũ. ¶Ad ſextum reſpõdetur dupliciter, primo quod nullæ res ſunt actu in prædicamento niſi dum concipiuntur & collocantur in tali ordine rationis per intellectum, ſicut etiã nulla res eſt actu ſubiectum, vel prædicatum niſi dum eſt obiectiuè & intellectu compo-

componente,& ideò ſiue res ſit,ſiue non ſit poteſt eſſe in prædicamento dummodo habeat eſſe cognitum. Dicuntur tamen res quando non actu concipiuntur eſſe in prædicamento potentialiter,quia poſſunt concipi & poni in tali ordine per intellectum. Quare quando dicimus(nulla roſa exiſtente) hæc eſt vera, roſa eſt ſubſtantia, veritas illa non eſt paſsio alicuius habentis eſſe extra intellectum, ſed eſt paſsio entis cogniti & apprehenſi. Vel ſecundo reſpondetur, quòd ſi prędicamentũ eſt coordinatio actualis rerũ in actu, reali, vero, extra intellectũ, quòd res antequàm creentur ſicut non habent aliquam veram entitatem, vel realitatem in actu,ſed tantum in potentia, ita non ſunt actu in prædicamento, ſed tãtum in potentia,ſi tamẽ prædicamentũ ſignificat ordinationem rerum potentialium factam per intellectum & rationem, tunc res ab æterno,& antequam creentur ordinantur in prædicamento ſicut etiam intelliguntur: ſed ex hoc non ſequitur quod habeant aliquam veram entitatem,vel realitatẽ in actu, ſed ſufficit,quòd eis non repugnet habere talem entitatem.

Ad ſeptimũ arg. ¶Ad ſeptimum reſpondetur concedendo maiorem & negando minorem,& ad probationem dicitur,quòd creatura non eſt menſurata ſecundùm rationem intrinſecam, ſed tantum ſecundùm rationem extrinſecam, quatenus concipitur menſurabilis per eſſentiam diuinam.

Ad octauũ argum. ¶Ad octauum reſpõdetur, quòd illud quod quidditatiuè eſt nihil, non poteſt fieri ens per mutationem phyſicam, quia de nihilo nihil fit,benè tamen poteſt aliquid fieri per creationem.

Ad vltimũ arg. ¶Ad vltimum reſpondetur negando minorem,quia creatura antequàm crearetur, nec erat eadem realiter, nec diuerſa, ſed tantum potentialiter.

TEXTVS.

NIHIL enim creatur quod nõ prius habuit eſſe intellectũ vel volitũ, & in eſſe intellecto fuit poßibile formaliter ſicut dictum eſt in prima ratione contra illam poſitionem , & tunc fuit quaſi in potentia propinqua vt poßit eſſe obiectum omnipotentiæ & poni in eſſe ſimpliciter.

EXPLICATIO LITERÆ.

ISTA litera ſatis manet explicata in explicatione literæ præcedentis , nempe quomodo res antequam ſint in eſſe ſimpliciter & reali,ſunt in eſſe quodam diminuto, ex eo quòd intelliguntur à Deo, in quo eſſe fundatur formaliter poſsibilitas obiectiua,quia tamen non admittitur à Thomiſtis operæpretium illã in præſentiarum diſputare.

QVÆSTIO VIII.

¶*Utrùm creaturæ antequam habeant eſſe per creationem ſint in potentia obiectiua.*

DE hac re duplex eſt principalis ſententia. Prima eſt Thomiſtarum.9.Metaphyſ.quęſt.1.& 2. qui tenent nullam eſſe potentiam obiectiuam realiter diſtinctam à potentia paſsiua & actiua. Pro cuius ſententiæ explicatione aduertũt, quòd aliud eſt dicere, hoc eſt poſsibile obiectiuum, & aliud hoc eſt in potentia obiectiua. Et ratio huius eſt, quia in primo ſenſu ſignificatur ꝙ hoc producibile eſt obiectũ quòd poteſt accipere eſſe per aliquam potentiã actiuam:in ſecundò autẽ ſignificatur quòd in eo eſt aliqua potentia realis à qua denominatur poſsibile. Primus autem ſenſus verus eſt,ſecundus autem falſus. *Notab. 1.*

¶Secundò eſt aduertendum, quòd vna & eadem eſt potentia à qua ſibi in exiſtente agens dicitur potens agere, & obiectum ab eo producibile dicitur eſſe poſsibile obiectiuum.Nec in obiecto oportet ponere aliquam potentiam realem,ſed ſufficit non repugnantia terminorum. *Notab. 2.*

¶Tertiò aduertunt, quòd potentia paſsiua ſecũdùm quam aliquid eſt ſuſceptiuũ actus denominat tam ſubiectum ſuſceptiuum, quàm actum ſuſceptibilem. Dicimus enim, quòd materia per potentiam ſuam eſt receptibilis formæ, & quòd forma eſt receptibilis in potentia materiæ. *Notab. 3.*

¶His igitur ſic conſtitutis probant ſuã ſententiam quamplurimis rationibus, quarum prima eſt.Licèt argumentare ab autoritate negatiua in his qui debent ſufficienter aliquam ſcientiam docere. Ex quo ſic ſi danda eſſet potentia obiectiua vtique de ea ali-

quam feciſſent mētionem Philoſophus aut Commentator, aut alij veteres Philoſophi, ſed ipſi nihil omnino de ea loquuti ſunt, vt patet. 5. Metaph. text. co. 17. & 9. Metaph. text. co. 2. & 2. de Anima, textu, co. 6. vbi dicit Philoſophus quòd actus & potentia non parùm diſtant, Commentator quoque ibi ait, quòd actus & potentia ſunt differentiæ valde oppoſitę, ergo. Nec valet dicere quòd loquitur de potentia actiua, & paſsiua, & nō de actu & potentia obiectiua, quia ſecūdùm eos, qui ponunt potentiam obiectiuā, actus & potentia ſunt differentiæ diuiſiuæ entis, ergo cum Commentator dicat, quòd actus & potentia ſunt differentiæ valde oppoſitæ, ille loquitur de illis, quæ ſunt diuiſiuæ entis, ſed ibi loquitur Philoſophus de potentia ſubiectiua, quia dicit quòd ex anima & materia fit vnum per ſe cum materia ſit potentia, & forma ſit actus, ergo illamet potentia, quæ eſt potentia diuiſiua entis, quam Scotus appellat obiectiuam, non diſtinguitur ab ea, quæ eſt ſubiectiua.

Secundum argum. ¶Secundò. Omnis potentia dicit ordinem ad aliquem actum cum carentia illius diſpoſitionis, quam habet res dum eſt in actu, ſed ea, quæ producta ſunt nullo præſuppoſito, vt cælum & intelligētia ante ſui productionem non intelliguntur vt carentes aliqua diſpoſitione, quam poſtmodùm acquiſierunt, ergo non eſt in eis ante ſui productionem aliquis reſpectus vel ordo fundatus ad aliquem actum, & conſequenter nec potentia aliqua dicens hunc ordinē. Maior eſt Commentatoris. 9. Metaph. co. 2. vbi dicit, ꝙ aliquid eſſe in potētia, ſignificat quod eſt in diſpoſitione oppoſita diſpoſitione illi, in qua eſt actu. Minor probatur, quia non poteſt intelligi aliquid eſſe in potētia ad ſeipſum, dum autem concipitur intelligi produci totum illud quod ante intelligebatur nō eſſe, intelligitur vt poſitum in eſſe, ita quod non concipitur aliquid quod ſit in potentia, & aliquid aliud quod in potentia, ergo non poteſt intelligi in tali natura producenda apprehēdi formalis ratio potentiæ, & per conſequens etiam non poteſt eſſe, quia omne, quod poteſt eſſe, poteſt etiam apprehendi.

Tertium argum. ¶Tertiò. Poſsibile obiectiuum dicitur ex hoc quòd eſt natum eſſe obiectum alicuius potentiæ realis, ſed non poteſt eſſe obiectū niſi aut potentiæ actiuæ, aut paſsiuæ, ergo nulla eſt potentia realis præter actiuam & paſsiuam. Maior patet, & minor probatur, quia potentia cuius dicitur obiectum, aut eſt ipſummet obiectū, aut eſt aliquid aliud. Non primum quia nihil eſt obiectum producibile à ſeipſo, ergo eſt aliquid aliud. Tūc ſic. Potentiæ cuius obiectum eſt producibile eſt aliquod principiū per quod illud obiectum poteſt eſſe poſt non eſſe, ſed principiū per quod non ens poteſt eſſe, eſt aut potentia actiua aut paſsiua, ergo.

¶Quartò. Si cęlum antequàm eſſet habebat rationem potentiæ obiectiuæ, quæro ſuper quid fundabatur, & ad quid terminabatur reſpectus importatus nomine potentiæ: aut enim fundabatur ſuper realitatem cæli conceptam, & terminabatur ad ipſam realitatem cæli, aut terminabatur ad eſſe cæli. Non primum quia idem non eſt in potentia ad ſeipſum, nec ſecundum, quia eodem modo quæritur de eſſe cæli antequam cælū eſſet, vtrùm eſſet in potentia obiectiua vel non, & ſecundùm Scotum oportet dicere quòd ſic, quia omnis entitas, quę non eſt & poteſt eſſe, eſt in potentia obiectiua, & non eſt dicendum, quòd eſſe eſſet in potentia ad eſſe. Nec poteſt dici quod eſſet in potentia ad aliquid aliud cum eſſe ſit vltima actualitas non relinquens vlteriorem potentialitatē, ergo. Patet igitur ex dictis, quòd cælum ante ſui productionem poterat denominari à potentia actiua Dei concretiuè, vt ſcilicet diceretur cælum eſſe poſsibile obiectiuum, non tamē poterat denominari abſtractiuè, ita quòd illa actiua potentia dicatur obiectiua, aut quòd ipſi cælo producendo inſit intrinſecè aliqua potentia præter non repugnantiam terminorum. *Quartum argum.*

¶Secunda ſententia eſt Doctoris vt patet in litera, quam etiam docet in. 1. diſt. in. 7. & diſt. 20. & in hoc. 2. diſt. 2. quæſt. 3. & diſt. 12. quæſt. 1. & diſt. 16. & 25. & in 3. diſt. 6. quæſt. 1. & diſt. 8. & principaliter. 9. Metaphyſ. quæſt. 1. & 2. & in. 4. diſt. 43. quæſt. 3. & 8. & in quodlibetis quæſt. 16. & communis eſt apud omnes Scotiſtas, Antonius Andreas. 7. Metaph. quæſt. 6. Pro cuius explicatione, & totius quæſtionis ſunt notanda nonnulla, quorum primum eſt. Inter iſtas duas opiniones aliquam eſſe differentiam, & aliquam conuenientiam. Cōueniunt quidem quia vtraque ponit creaturas antequā habeant eſſe reale productum habere eſſe poſsibile, quia iſta propoſitio poſsibilis eſt Antichriſtus erit, & iſta propoſitio eſt vera, poſsibile eſt Antichriſtum fore. Differunt *Secunda ſententia.* *Notab. 1.*

runt tamen, quia in ſententia Thomiſtarum talis poſsibilitas non ſumitur ex aliquo eſſe ipſius creaturæ, ſed à potentia actiua ipſius agentis; vt ſic, ideo talis propoſitio eſt vera, quia eſt aliqua potentia actiua potens reducere illam ad actum, & per conſequens in ipſa re tantum correſpondet potentia Logica, quæ eſt non repugnantia extremorum: Ex quo prouenit quòd in via Diui Thomæ tantum reperitur potentia Logica, & potentia paſsiua & negatur potentia obiectiua: At verò ſecundùm Doctorem non tantum reperitur potentia Logica & potentia paſsiua, ſed vltra has etiam reperitur potentia obiectiua, quæ non eſt tantum denominatio extrinſeca, ſed denominatio intrinſeca, & realis potentia fundata in illo eſſe cognito, quòd habent creaturæ ab intellectu diuino, ſiue in eſſe volito à voluntate diuina, de quo eſſe ſæpe ſæpius dixi in hoc. 2. & præcipuè diſputaui in. 1. diſput. 16. quæſt. 3.

Notab. 2. ¶ Secundò eſt notandum, quòd creaturę antequam intelligantur ab intellectu diuino tantum ſunt in potentia logica, quia vt ſic nullum ordinem dicunt ad aliquam potentiam productiuam, poſtquàm autem habēt eſſe intellectum ab intellectu diuino, quatenus intellectus diuinus per ſuam eſſentiam tanquàm per obiectum ſuum primarium intelligit creaturas, tunc creaturæ habent eſſe intelligibile formale, & in illo eſſe intellecto vel cognito, in quo producuntur non productione reali, quia nulla creatura eſt producta ab æterno in eſſe reali fundatur illa potentia realis obiectiua, quia ſtatim creaturæ dicit ordinem ad omnipotentiam Dei. Nam potentia actiua Dei, quæ dicitur omnipotentia (cuius obiectū eſt poſsibile propriè dictum, vt docet Doctor in. 1. diſt. 20.) non eſt intellectus diuinus formaliter, ſed quaſi præſupponit actionem diuini intellectus. Nam creatura per intellectū diuinum producta in eſſe intelligibili, ex eo quia intellecta ſtatim in ſecundo ſigno habet eſſe producibile, & poſsibile obiectiuum, quod non habebat antequam ab intellectu diuino intelligeretur, quare prius eſt quòd creatura habeat iſtud eſſe poſsibile obiectiuum, & iſtam potentiam obiectiuā, ſecundùm quam eſt obiectum omnipotentiæ, quam quòd potentia diuina producat illam in eſſe reali.

Notab. 3. ¶ Tertiò eſt notandum, quòd reale dicitur aliquid dupliciter: Vno modo per exiſtentiam realem, & hoc modo dicimus, quòd eſſentiæ per exiſtentiam realem habent eſſe reale, & quòd deſtructis primis ſubſtantijs nihil remanet, ſcilicet, in eſſe reali, ſecus autem in eſſe quidditatiuo. Secundo modo ſumitur reale vt opponitur fictioni & compoſitioni intellectus, & reale hoc modo prędicatur de omni priuatione, negatione, & potentia, dicimus enim verè in iſto cæco eſt cæcitas realis, & in iſto albo eſt realis negatio nigredinis, & in iſto ſubiecto eſt realis potentia ad formam, quam poteſt habere, & non habet; in quibus propoſitionibus ly realis non dicit exiſtentiam realem, ſed dicit quid non confictum, nec compoſitum ab intellectu, ſed aliquid intrinſecum, quod habet rationem entis.

¶ Quartò eſt notādum cum Doctore. 9. Metaph. quæſt. 2. vt præcedens doctrina clarior appareat, quòd ens in potentia non eſt formaliter nonens, quia tunc ſicut nonens prædicatur de impoſsibili, quia impoſsibile eſt nonens, etiam ens in potentia prædicaretur de impoſsibili, quod quam falſum ſit omnibus apparet, quare ens in potentia ſic ſe habet ad nonens, ſicut ſe habet priuatio. Priuatio autem eſt negatio quædam contracta tamen ad aliquod ſubiectum, ita ens in potentia eſt nonens quoddam cui tamen poteſt ſuccedere ens. Vnde ſicut priuatio eſt magis ens, quàm priuatio; ita ens in potentia eſt magis ens quàm negatio entis, nam nonenti abſolutè nihil ſuccedit, enti autem in potentia aliquid ſuccedit vel ſuccedere poteſt. Ex quo prouenit quòd illa dicatur potentia realis, vel illud dicatur ens in potentia reali, quòd poteſt realiter ſuccedere poſt non eſſe reale. Ex quo prouenit ſecundo, quòd cum creaturæ habeant antequam producantur in eſſe reali aliquod eſſe diminutum, ſcilicet, eſſe cognitum, cui poteſt ſuccedere eſſe reale verè dicūtur prout ſunt in illo eſſe cognito, cui poteſt ſuccedere eſſe reale, eſſe in potentia reali: non ad illud eſſe cognitum, quod iam habent ſed ad eſſe reale, quod poſſunt habere. Notab. 4.

¶ Quintò eſt notandum, quòd cum potentia dicat ordinem ad actum, quem poteſt recipere ſecundùm quòd talis ordo variatur, variatur & ratio potentiæ in potentia. Ordo autem potentiæ ad actum eſt duplex, quidam eſt ad actum formalem reſpectu illius in quo eſt potentia, quidam verò non. Si conſideretur ordo ad actum formalem reſpe- Notab. 5.

reſpectu illius, in quo eſt potentia, ſicut duplex eſt actus formalis, ita & duplex eſt ordo, & per conſequens duplex eſt potentia. Actus enim formalis, alter eſt proprius & intrinſecus, alter verò eſt alienus, & extrinſecus. Actus formalis ꝓprius & intrinſecus eſt ad propriã formã & intrinſecã. Alienus autẽ & extrinſecus, eſt ad formam alienã & extrinſecã. Quare potentia alia eſt ad proprium, alia ad alienam formam, & per conſequens alia ad proprium, alia ad alienum eſſe, vnde duplex eſt potentia, alia ad propriũ eſſe cuiuſcunque eſſentiæ ſiue illa ſit ſubſtãtialis, ſiue accidentalis. Alia autem eſt ad alienum eſſe, quòd eſt eſſe accidentale reſpectu illius cuius eſt potentia.

Notab. 6. ¶ Sextò eſt notandum vt præcedens doctrinã magis pateat, quòd corpus poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo quatenus eſt in potentia ad eſſe corporis, & tunc eſt in potentia ad propriam formam & proprium eſſe. Secundo modo quatenus reductum ad actum per eſſe corporis, eſt in potentia ad albedinem. Si conſideretur primo modo dicitur corpus in potentia obiectiua, quia vt ſic totum eſt in potentia ad exiſtentiam, & nihil habet in actu nec ex parte ſubiecti, nec ex parte termini. Et ratio eſt, quia ſubiectum eſt corpus, quòd habet eſſe cognitum, & eſſe poſſibile formale, quia licet aliquo modo poſſet dici habere eſſe in actu quatenus opponitur eſſe in actu enti in potentia logica, eſt tamen formaliter poſſibile, & ens in potentia quatenus opponitur enti in actu reali, quod eſt ſimpliciter eſſe in actu, & ſic potentia obiectiua eſt reſpectu totius entis in potentia taliter quòd nec ſubiectum ſuſceptiuũ eſſe in actu nullo modo habet eſſe in actu, nec ipſe terminus ſuſcipiendus: nempè ipſum eſſe in actu habet eſſe in actu, ſed tantum in potentia. Si autem conſideretur corpus in ordine ad albedinem tunc eſt in actu, & in potentia, in actu reſpectu propriæ formæ, qua conſtituitur in eſſe corporis, & eſt realiter & actu corpus, in potentia autem in ordine ad albedinem, & ad eſſe alienum, propter quod eſſe albi non eſt ſimpliciter eſſe ipſius corporis, ſed eſſe ſecundùm quid. Et iſta potentia in corpore dicitur ſubiectiua, nullatenus autem vt ſic obiectiua. Eodem modo philoſophandum eſt quantum ad aliquid in materia prima, reſpectu formæ ſubſtantialis. Si enim vera eſſet ſententia D. Thomæ negãtis in materia prima, omnem actum entitatiuum, tunc materia prima eſt ens in potentia non tantũ ſubiectiua ſed obiectiua ad formam ſubſtantialem, quia non tantum recipit formam ſubſtantialem, ſed etiam recipit proprium eſſe in actu cum ante receptionem formæ ſubſtantialis nullum eſſe in actu habebat, ſed totum in potentia. Si autem vera eſt ſententia Doctoris (vt credo) & materia prima habet eſſe reale in actu entitatiuo ante receptionẽ formæ ſubſtantialis, quia ante receptionem formæ ſubſtantialis materia habet eſſe productum extra ſuas cauſas, & per cõſequens eſſe reale & exiſtentiam realem, non illam, per quam res ſunt perfectæ & determinatæ & ſub aliquo definito genere & gradu rerũ conſtitutæ, (nam iſtam habet materia à forma, per quam conſtituitur in eſſe cõpleto) ſed illam, qua res ſimpliciter eſt in mundo extra nihil, quæ vocatur actus entitatiuus. Si igitur materia prima habet actum entitatiuum diſtinctum ab actu formali, tunc materia exiſtens ſub actu entitatiuo eſt in potentia ad actum formalem, & tunc materia prima non dicitur propriè in potentia obiectiua, ſed in potentia ſubiectiua, quia potentia obiectiua propriè eſt reſpectu totius entis & materia prima ante receptionem formæ ſubſtantialis non eſt in potentia ad eſſe cum hoc habeat ex ſuo actu entitatiuo, ſed eſt in potentia ad eſſe tale cum hoc habeat per formam. Neq; ex hoc velim intelligas formam ſubſtantialem accidere materiæ primæ, ſicuti albedo accidit corpori, quia materia prima cum non habeat eſſe completum, nec perfectum per ſuum actum entitatiuũ, & perficiatur per actum formalem, quãtum ad illud eſſe entitatiuum non accidit ipſi materiæ forma ſubſtantialis perficiens materiam quantum ad illud eſſe, & ſic non dicitur dare eſſe ſecundùm quid, ſed ſimpliciter quatenus per illud eſſe, quòd tribuit perficit illum actum entitatiuum, quẽ à ſuis cauſis habet materia. At verò corpus in ordine ad albedinem eſt in potentia accidentali, quia eſſe corporis (quatenus eſſe eſt) nõ perficitur per albedinem, ſed quatenus tale eſſe eſt in potentia ad albedinem, & quia illud eſſe, quod eſt in potentia ad albedinem habet ſuam eſſentialem rationem perfectam eſſentialiter, & non perficitur vt ſic per albedinem, ideò aliter ſe habet albedo reſpectu corporis, quam forma ſubſtantialis reſpectu materiæ primæ. Quòd ſi prædicta

attentè

attentè conſideres facillimè intelliges quã perperam nonnulli loquantur contra Doctorem impugnantes prædictam potẽtiam obiectiuam.

1.Corol. ¶Ex quibus infertur primò, quòd potentia obiectiua, & ſubiectiua non ſunt vna potentia, ſed duæ, quia potentia ſubiectiua reſpicit eſſe alienum, potentia autem obiectiua reſpicit eſſe propriũ. Et præterea quia fundamentum potentiæ ſubiectiuæ eſt ens reale, fundamentum autem potentiæ obiectiuæ eſt eſſe cognitum, cũ igitur relatio, quæ haber aliud, & aliud fundamentum, aliam, & alium terminum ſit alia & alia relatio, & potentia ſecundùm rationem potentiæ dicat relationem, dicendum eſt potentiam ſubiectiuam nõ eſſe potentiam obiectiuã, nec è contra, ſed aliam & aliam eſſe potentiam.

2.Corol. Ex quo infertur ſecundò, quòd quando potentia ſubiectiua & obiectiua concurrunt in eodem, vt contingit in materia prima (poſita opinione D. Thomæ, & etiam põ ſita opinione Doctoris quantum ad illam perfectionem eſſentialem, quã recipit actus entitatiuus ipſius materiæ à forma ſubſtantiali) adhuc tamẽ potentia obiectiua & ſubiectiua formaliter diſtinguuntur, quia potentia ſubiectiua tunc dicit materiam primam, prout receptiua eſt formæ ſubſtantialis, potentia autem obiectiua dicit actũ entitatiuum materiæ primæ, prout perficitur & completur per formam ſubſtantialem in via Doctoris, vel dicit eſſe reale, quòd recipit materia per formam ſubſtantialẽ in via Diui Thomæ.

Not. vlt. ¶Vltimò eſt notandum, vt vltimam manũ in hac re imponamus, quòd potentia paſſiua & dicitur de potentia obiectiua, & de potentia ſubiectiua, & ratio eſt, quia omne, qđ recipit eſſe quodãmodo patitur, & per cõſequens ſiue illud recipiat eſſe proprium, ſiue alienum, ſubſtãtiale, vel accidẽtale, ſemper dicitur in potentia receptiua ſiue in potentia paſſiua, vt potentia paſſiua diſtinguitur contra potentiam actiuam, & ſic potentia poteſt primo diuidi in potentiam actiuam & paſſiuam, & potentia paſſiua ſubdiuiditur in potentiam paſſiuam obiectiuam, & potentiam paſſiuam ſubiectiuam.

Prima conclusio. ¶Prima concluſio. Cteaturæ antequam habeant eſſe reale per creationem habent eſſe in potentia obiectiua. Hæc cõcluſio eſt Doctoris, & probatur nonnullis rationibus,

Primum argum. quarum prima eſt. Creaturæ antequam habeant eſſe reale productum per creationem poſſunt ptoduci à Deo, ergo ſunt in potentia ad produci à Deo, ergo ſunt in potentia ad produci, ſed non in potentia ſubiectiua, nec in potentia tantum logica, ergo ſunt in potentia obiectiua. Antecedens eſt manifeſtum, & probatur ſequela. Quia omne quod eſt tale aliqua forma eſt tale, ergo quod eſt poſsibile aliqua potentia eſt poſsibile.

¶Quòd ſi reſpondeas, quod eſt poſsibile nõ ab aliqua potentia paſsiua, ſed à potentia actiua Dei, & quòd ſufficit denominatio extrinſeca, ſicut eſſe iuſſum non eſt aliqua forma in pariete, ſed tãtum denominatio quædam extrinſeca à iuſsione, quæ eſt inuidente. Contra nulla relatio poteſt de nouo Deo aduenire, niſi ratione alicuius telationis creaturæ, ſed Deus dicitut modò potẽs creare pro iſto nunc aliquem angelum, & iſta relatio rationis, quæ importatur in iſto poſſe pro nunc creare conuenit ipſi Deo propter angelum, qui poteſt modo creari, ſed talis angelus non habet eſſe in potentia ſubiectiua, quia non habet aliquod eſſe reale, nec etiam eſt in potentia tantum logica, quia iſtam habet angelus etiamſi per impoſsibile Deus non eſſet, ergo potentia, quæ eſt in angelo ad creari nunc ratione cuius conuenit Deo illa relatio tationis importata in illo, quod eſt Deum poſſe creare nunc erit potentia obiectiua. Probatur cõſequentia. Angelus habet iſtam potentiam, quam (ſi pet impoſsibile Deus non eſſet) antea non habebat, ſed antea habebat potentiam logicam, ergo quam modò habet non eſt ſolum potentia logica, nec eſt ſolum denominatio extrinſeca, nec eſt potentia ſubiectiua, ergo eſt potentia obiectiua.

Secundum argum. ¶Secundò. Potentia, quæ reperitur in materia prima in ordine ad formam ſubſtantialem eſt alia ab illa, quæ reperitur in ſubiecto in ordine ad formam accidentalem, ſed potentia ſubiecti in ordine ad formam accidentalem eſt potentia ſubiectiua, ergo potentia materiæ non erit potentia ſubiectiua, nec eſt potentia logica, ergo eſt potentia obiectiua. Probatur maior. Materia in ordine ad formam ſubſtantialem ex natuta ſuà vel non habet entitatem realem vt ſentit D.Thom. vel habet actum entitatiuum perfectibilem in eſſe ſubſtantiali, ſed ſubiectum in ordine ad formã accidentalem habet eſſe reale non perfectibile ſecundùm eſſe ſubſtãtiale, ſed quatenus eſt in potentia ad eſſe acci-

accidentale, ergo. Modo probatur minor. Illud quod nullum eſſe reale habet non eſt in eadē potentia paſsiua ſecūdùm ſpeciē cū illo, ꝙ habet eſſe reale, ſed materia prima in via D. Thomæ nullum eſſe reale habet ante receptionem formæ ſubſtantialis, quale habet ſubiectum in ordine ad formam accidentalem, ergo cum potentia ſubiecti, ſit potentia ſubiectiua, potentia materię non erit potentia ſubiectiua. ¶Ad hoc argumentum reſpondent nonnulli dicentes, quòd in materia non eſt niſi potentia, qua poteſt tranſmutari ab agente, quæ dicitur potentia paſsiua, & per conſequens in materia non eſt ponenda potentia, quæ ſit ipſa forma, quoniā omnis potentia materiæ eſt ipſa materia, vnde in materia non ſunt ponendæ duæ potentiæ, altera ſecundùm quam eſt receptiua formæ, & altera ſecundùm quam eſt ipſa forma, vnde argumētum procedit ex falſo fundamento, ſcilicet, quòd in materia ſit potentia formæ, quæ poſtea eſt forma, quia non alio modo forma eſt potentialiter in materia, quàm per potentiam paſsiuam. ¶Iſta tamen ſolutio facillimè impugnatur, quia continet in primis in ſe duo fundamenta falſa, quorum primum eſt, quòd potentia ſuſceptiua formæ in materia non ſit diſtincta à potentia, qua materia eſt in potentia ipſa forma. Et ratio huius eſt, nam ſi vera eſt ſententia Diui Thomæ, quòd materia totum eſſe reale, quod habet, habet à forma, certiſſimum eſt quod non poteſt habere potentiam ſuſceptiuam vel ſubiectiuam alicuius formæ anteaquam habeat formā, quia quòd nō eſt, nulli poteſt eſſe ſubiectū, ergo quòd nō eſt, nullam poteſt habere potentiā ſubiectiuam, ſed materia prima nullum eſſe reale habet ante receptionem formę, ergo nullo modo poteſt habere ex natura ſua potentiam ſubiectiuam reſpectu formæ, & habet aliqualem potentiam, ergo habebit potentiam obiectiuam. ¶Secūdum autem fundamentum falſum quod ſupponit eſt, quia docet materiā primā non habere actū entitatiuū realē, & exiſtentiā realē diſtinctā ab exiſtentia formæ, ꝙ etiā fundamentum falſiſsimū eſt, quia materia prima habet eſſe reale productū extra ſuas cauſas ante receptionē formæ, ergo cum materia ſecundùm iſtum actum entitatiuum poſsit recipere formam ſubſtantialem, & in hoc conueniat cum potentia ſubiecti in ordine ad formam accidēntalem habebit illam duplicem potentiam.

Præterea ille actus entitatiuus, ſiue illud eſſe reale materiæ poteſt perfici ſecundùm ſuam ſubſtantiam in eſſe ſubſtantiali per eſſe formæ, qualiter non poteſt perfici ſubiectum per formam accidentalem, ergo cum materia & ſubiectum in aliquo conueniant, & in aliquo differant, & idem in quantum idem non poſsit eſſe cauſa identitatis & differentiæ reſtat dicendum, ꝙ alia eſt potētia ſubiectiua in materia prima, ſecundū quā nata eſt recipere formam in qua conuenit cum potentia ſubiecti, & alia eſt potentia obiectiua ſecundùm quam nata eſt perfici quantum ad eſſe ſubſtantiale ſecundùm quā diſtinguitur à potentia ſubiecti, & per conſequens materia prima quatenus poteſt eſſe per formam ex eo quòd illud eſſe, quod habet productum à Deo perficitur in eſſe ſubſtantiali diſtinguitur à ſeipſa ſecundū quòd eſt receptiua formæ. Vnde fundamentum Doctoris non eſt falſum ſed non intellectū, ſupponit enim Doctor, quòd materia prima habet actum entitatiuum realem ſuſceptiuum formæ ſubſtantialis ad modum quo ſubiectum habet eſſe reale ſuſceptiuum formæ accidentalis. Supponit etiam quòd ille actus entitatiuus eſt perfectibilis ſecūdùm ſuam ſubſtantiam, qualiter non eſt eſſe reale ſubiecti reſpectu formæ accidentalis, & ſic Doctor inuenit in materia prima potentiam ſubiectiuam & obiectiuam inter ſe formaliter diſtinctas.

Tertium argum. ¶Tertiò. Si idem eſt potentia ſuſceptiua materiæ, & potentia formæ in materia, ergo idem eſt formā eſſe receptibilem in materia, & formam educi de potentia materię, ſed conſequens eſt falſum, quia anima rationalis eſt receptibilis in materia, non tamen educibilis de potentia materiæ, ergo.

¶Ad hoc argumentum reſpondent nonnulli negando conſequentiam, & ratio eorum eſt, quia educi de potentia materiæ non eſt hoc ſolum, quòd potentia formæ ſit in materia, nam per potentiam formæ in materia nihil aliud intelligitur, quā quòd forma poſsit recipi in materia, & illam actuari. At verò per educi de potentia materiæ intelligitur forma per naturales tranſmutationes materiæ, & per agens naturale exire in actum, ita quòd agens naturale non ſolum diſponit materiam ad receptionem formæ, ſed etiam attingit formam productiuè, & in hoc diſtinguitur anima rationalis ab alijs formis, quoniam illæ educuntur in actum, & recipiun-

cipiuntur in materia per naturales tranſmutationes & per agens naturale: anima autem rationalis non deducitur ad eſſe per huiuſmodi tranſmutationes, nec per agens naturale, ſed per agens diuinum, licet per tales tranſmutationes materia diſponatur ad receptionẽ animæ rationalis. ¶Iſta tamen ſolutio ſeipſam falſificat, nam ſi educi de potentia materiæ non eſt idem quòd recipi in materia, ergo potentia, qua forma poteſt eſſe educendo illam de potentia materiæ, & potentia, qua forma poteſt recipi in materia non eſt eadem potentia, ſed alia, & alia, ſed illa potentia, qua in materia poteſt recipi forma eſt potentia ſubiectiua, ergo illa, qua ex materia poteſt educi forma non erit potentia ſubiectiua, nec eſt tantum potentia logica, ergo eſt potentia obiectiua. Præterea illi potentiæ actiuæ agentis naturalis, qua per varias tranſmutationes poteſt educere formam, reſpondet in materia aliqua potentia, ſed illa, quæ vt ſic reſpondet non eſt ſubiectiua, ergo eſt obiectiua. Probatur minor. Potentia ſubiectiua vel receptiua vt ſic non eſt obiectum potentiæ actiuæ. Probatur antecedens. Potentia obiectiua vt ſic tantum reſpicit formam vt actum eius & non potentiam actiuam agentis, ergo quod reſpicit potentiam actiuam agentis non erit potentia ſubiectiua, ſed aliquid aliud ab ipſa diſtinctum, ſed illud eſt in materia de cuius potentia agens naturale educit formam, ergo illud de cuius potentia forma educitur per agens naturale non erit potentia ſubiectiua ſed obiectiua.

Quartum argum. ¶Quartò. Secundùm Philoſophum. 8. Metaph. text. 15. illud quod eſt in potentia fit in actu, vbi Commentator ait, eſt igitur hic aliquid vnum, quòd primo eſt in potentia poſt transfertur ad actum, cuius tranſlatio non largitur ei multitudinem ſed perfectio nem in eſſe, ſed iſtud dictum Philoſophi & Commentatoris non poteſt intelligi de potentia ſubiectiua, ergo debet intelligi de potentia obiectiua.

¶Ad hoc argumentum reſpondent prędicti opinantes, quòd Ariſtoteles & Commentator ibi non intendunt, nec agunt de potentia formæ & de forma actu, ſed de compoſito, quod prius eſt in potentia agentis potentis vnire formam cum materia, illud idem fit in actu ex vnione formæ cũ materia per actionẽ agentis. ¶Iſta tamen ſolutio potius probat noſtram concluſionem quam diſſoluat argumentum, nam ſi compoſitum eſt in potentia materiæ cum non ſit in potentia ſubiectiua, erit in potentia obiectiua, quòd autem compoſitum non ſit in potentia ſubiectiua materiæ ſatis ex ſe patet cum non ſit forma informans.

Vltimum argum. ¶Vltimò. Aliter ſe habet roſa creanda per virtutem Dei, & roſa producenda per actionem agentis naturalis in ordine ad materiã, quia iſta eſt in potentia materiæ, illa verò minimè, ſed non ſe habent aliter quantum ad hoc quod eſt poſſe produci, ergo cum roſa creanda vt ſic eſt in potentia obiectiua, & roſa producenda in materia erit vt ſic in potentia obiectiua. Probatur conſequentia, quia reſpectu huius, quod eſt habere eſſe reale in potentia in ordine ad ipſam roſam realem non magis agit creatio quàm productio, nec è contra, nam tota ratio differentię ſumitur ex parte agentis limitati, vel illimitati.

Secunda concluſio. ¶Secunda concluſio. Potentia iſta obiectiua, quam habent creaturæ antequam à Deo producantur in eſſe reali fundatur in eſſe cognito vel volito, quod habent creaturæ ex co quòd ſunt cognitæ vel volitæ à Deo. Hec concluſio eſt Doctoris vt patet in litera. Et probatur, quia iſta potentia fundatur in aliquo eſſe creaturæ, ſed nullum aliud eſſe poteſt aſſignari pro fundamento, niſi eſſe cognitum vel volitum, ergo.

Secundum argum. ¶Secundò. Poſsibilitas rei obiectiua formaliter eſt ex ſua ratione formali, & quaſi principiatiuè ab intellectu diuino, ſed non aliter niſi quatenus creatura habet eſſe cognitum ab illo, ergo. Probatur maior. Poſsibile vt eſt obiectum omnipotentiæ propriè dicitur illud, quod poteſt eſſe & ſibi repugnat neceſſario eſſe (& ob hoc potentia generandi non pertinet ad omnipotentiam in diuinis, vt diximus in. 1. Diſput. 9. quæſt. 8. conclusione. 2.) ſed creatura ab intellectu diuino producta in eſſe intelligibili habet iſta duo formaliter ex ſua ratione, & quaſi principiatiuè ab intellectu diuino, ergo.

¶ *Reſpondetur argumentis.*

Ad primũ argum. ¶Ad primum quòd Ariſtoteles loquutus eſt de iſta potentia in pluribus locis ſuæ doctrinæ, præcipuè. 5. Metaph. text. com. 11. vbi notificat actum, quòd actus eſt, quando res eſt, non ita ſicut in potentia, qui locus non poteſt intelligi de potentia ſubiectiua, & per totum librum. 9. Metaph. imo huius potentiæ obiectiuæ ferè omnia quæ dicuntur. 9.

tur.9.Metaph.ſunt intelligẽda, & ad proba
tionẽ reſpõdetur, ꝙ ex anima & materia fit
vnũ per ſe, quatenus eſſe materiæ ſecũdum
eſſe ſubſtãtiale poteſt perfici per formam,
imò iſta eſt principalis ratio, quare ex mate
ria & forma fit vnũ per ſe, & nõ ex ſubiecto
& accidẽti, quia ſcilicet materia reſpectu for
mæ ſubſtãtialis nõ tantũ eſt in potẽtia ſubie
ctiua, ſed etiã in potẽtia obiectiua, quatenus
eſſe materiæ eſt perfectibile ſecũdum ſuum
ſubſtãtiũ ab eſſe formæ. Subiectũ autẽ eſt in
potẽtia ſubiectiua reſpectu accidentis, quia
eſſe ſubiecti nõ perficitur ſubſtãtialiter, ſed
tãtùm accidẽtaliter, & ideò quãdo Philoſo-
phus dixit, ꝙ ex anima & materia fit vnum
per ſe cũ materia ſit potẽtia, loquitur de po
tẽtia obiectiua; quæ quomodo diſtinguat à
ſubiectiua ſatis patet ex dictis in hac quæſt.

Ad ſecundum. ¶Ad ſecundũ reſpõdetur cõcedẽdo maiorẽ
& negando minorẽ, & ad probationem dici
tur, ꝙ aliquid habens eſſe in eſſe cognito eſt
in potẽtia ad ſeipſum prout habet eſſe reale.

Ad tertium. ¶Ad tertiũ reſpõdetur cõcedẽdo totũ, quia
cũ potẽtia obiectiua includatur ſub potẽtia
paſsiua, dato quòd omnis potentia ſit actiua
vel paſsiua, ſicut nõ excluditur per hoc po-
tentia ſubiectiua, ita nec potẽtia obiectiua.

Ad quartum. ¶Ad quartum reſpondetur, quòd iſta po-
tentia obiectiua fundabatur in realitate cæ-
li & cuiuſcunque creaturæ prout habet eſ-
ſe cognitum. Et ad probationem dicitur,
non eſſe inconueniens, quòd idem quate-
nus habet eſſe cognitum ſit in potentia ad
ſeipſum prout exiſtẽs in eſſe reali. Patet igi
tur ex dictis, quòd cælũ ante ſui productio-
nem non ſolum poterat denominari à potẽ-
tia actiua Dei concretiuè, vt ſcilicet dicere-
tur cælum eſſe poſsibile obiectiuum, verum
etiam poterat denominari abſtractiuè, ita ꝙ
ipſi cælo producẽdo intrinſecè inſit, præter
non repugnantiã terminorũ, quæ eſt poten
tia logica, alia potentia obiectiua, ſecundùm
quam cælum producendũ cadit ſub obiecto
omnipotentiæ. Et hæc de iſta quæſtione.

QVÆSTIO IX.

¶ *Vtrùm complexa neceſſaria habeant cauſam productiuam ſui eſſe.*

Prima ſententia. DE hac re duplex eſt principalis
ſententia. Prima eſt Pauli Son-
cinatis. 5. Metaph. quæſtio. 10.
pro cuius explicatione aduer-
tit, quod iſta tria, enuntiabile, enuntiatio, &
res per ipſam ſignificata diſtinguuntur in-
ter ſe. Enunciatio enim eſt iſta propoſitio;
homo eſt animal. Enuntiabile eſt hominem
eſſe animal. Res per ipſam enuntiationem
ſignificata eſt natura hominis, & animalis;
& identitas, ſiue vnitas earum, quæ ſignifi-
cantur per illam copulam verbalem, eſt.

¶Secũdò aduertit, ꝙ enuntiatio immediatè
ipſum enuntiabile ſignificat, & eo mediante
naturã correſpondentem, vnde licet enun-
tiatio habeat cauſam effectiuam, ſcilicet, in-
tellectum formantem enuntiationes, & con
ceptus complexos, & licet res habeant cau-
ſam agentem, ipſum tamen enuntiabile non
habet talem cauſam agentem.

¶Tertiò aduertit, quod huiuſmodi enuntia
bilia non dicantur entia, quia ſint aliquid in
re imò vt ſic ſunt nihil, ſed ſolum dicuntur
aliquid eo modo, quo omne ſignificabile cõ
plexè & verè dicitur eſſe aliquid & ens;
quare hominem eſſe animal, nec eſt homo,
nec eſt animal, nec aliquid diſtinctum ab ho
mine & animali, ſed eſt quid ſignificabile cõ
plexè. His igitur ſic conſtitutis probat ſuã
ſententiam (nempè quòd complexa neceſſa
ria non habent cauſam efficientem) quam
plurimis rationibus. Primò de omni haben- *Primum argum.*
ti aliquã cauſam poteſt rationabiliter quæ-
ri de tali cauſa, ſed de hoc enuntiabili homi-
nem eſſe animal, non poteſt quæri quoad
cauſam agentem, ergo non habet cauſam
agentem. Maior patet: minor probatur. De
quocunque quæri poteſt à quo fit, de eodẽ
quæri poteſt propter quid fit, quia omne
agens agit propter finem, & quicquid ha-
bet cauſam agentem, habet cauſam finalem,
ſed de hoc enũtiabili, hominem eſſe animal,
non poteſt quæri cauſa finalis, quia iuxta
Philoſophum.7.Metaph.text.59. quærere
propter quid homo eſt homo, nihil eſt quæ-
rere, ergo.

¶Secundò. Si identitas hominis cũ animali *Secundum argum.*
haberet cauſam, ergo veritas huius com-
plexi, cuius veritatis fundamentum eſt illa
identitas haberet cauſam, & per conſequens
à ſimili, identitas hominis cum animali non
habet cauſam, ergo hominem eſſe animal nõ
habet cauſam. Probatur antecedens. Nullũ
ens rationis habet cauſam, ſed talis identitas
eſt ens rationis, quia cum ſit relatio eiuſdem
ad ſe ipſum, eſt relatio rationis, ergo. Maior
probatur, quia terminus productionis rea-
lis eſt ens reale, ſed quælibet productio cau
ſæ agentis eſt realis, ergo productum per
illam

illam nõ poteſt eſſe ens rationis,& per conſequẽs ens rationis nõ habet cauſam agentẽ.

Tertium argum. ¶Tertiò.Si per impoſsibile Deus non eſſet & nulla cauſa agens,adhuc iſtud complexũ, homo eſt animal eſſet verum,ergo complexum non habet cauſam agentẽ. Antecedẽs patet,quia eſt perpetuæ veritatis. ¶Vltimo antequam roſa generetur poſsibile eſt, roſam eſſe roſam, ergo ſi ab aliqua cauſa agente eſt,roſam eſſe roſam,hoc complexum eſt aliquid reale. Patet ſequela, quia quilibet effectus cauſæ efficientis eſt aliquid reale, ſed roſam eſſe roſam non eſt aliquid reale, ergo nec habet eſſe à cauſa agente. Probatur minor. Si roſam eſſe roſam, eſt aliquid reale productum vel eſt ipſa roſa,& eius eſſe, vel eſt iſta oratio, roſa eſt roſa, Non primum quia per cauſam roſa non eſt. Nec ſecundum,quia enuntiabilia diſtinguuntur ab enuntiationibus,ergo.

Secunda ſententia. ¶ Secunda ſententia eſt Heruæi quolib. 1. Pro cuius explicatione aduertit,quòd complexa neceſſaria affirmatiua ſunt in triplici differentia. Quædam componuntur ex terminis, quibus nullum correſpondet eſſe,vt chimæra eſt chimæra. Quædam autem componuntur ex terminis diuinis intrinſecis,vt Deus eſt infinitus, quædam verò ex terminis ſignificantibus ens productum vt homo eſt animal.

Secundo aduerte. ¶Secundò eſt aduertendum,quòd complexa neceſſaria tertio modo dicta poſſunt dupliciter conſiderari. Vno modo quoad habitudinem terminorum. Secundo modo quoad eſſe reale actu: ſicut v. g. homo eſt animal, poteſt conſiderari prout prædicatum ex natura ſua eſt aptum cõuenire ſubiecto, ſiue homo & animal exiſtant, ſiue non, & hoc quia animal eſt de ratione hominis. Poteſt etiam conſiderari prout homo & animal ſunt actu,& non poteſt eſſe homo actu quin ſit animal actu,quæ connexio ſignificatur per copulam, quare iſtud complexum actu homo,eſt actu animal, eſt complexum reale actu ex parte ſignificati.

Tertio aduerte. ¶Tertiò eſt aduertendum, quòd neceſsitas complexorum poteſt eſſe duplex, ſcilicet, abſoluta,& connexionis. Abſoluta eſt,quæ nõ poteſt aliter ſe habere, Connexionis autem quòd licet poſsit non eſſe abſolutè,non tamen poteſt eſſe ſine aliquo alio, ad quod comparatur, verbi gratia, licet poſsit non eſſe curſus, non tamen poteſt eſſe ſine motu, nec homo ſine animali.

Vltimo aduerte. ¶Vltimò eſt aduertendum,quòd ſubiectum complexi neceſſarij poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo in ſenſu diuiſo:ſecundo modo in ſenſu compoſito. In ſenſu diuiſo vt cõſiderando hominẽ, vt hominem præciſè. In ſenſu autem compoſito vt conſiderando hominem vt actu exiſtentem,ita quòd ſicut album poteſt accipi pro ſubiecto albedinis, & pro albo vt ſtat ſub albedine, ita poteſt conſiderari homo vt homo, & homo vt exiſtens.His igitur ſic poſitis hanc aſsignant cõcluſionem.Complexa neceſſaria ſignificantia ens productũ,ſi cõſiderentur in habitudine terminorũ nullam habent cauſam effectiuam,ſi autem cõſiderentur quoad eſſe reale actuale habẽt cauſam effectiuã.Hanc cõcluſionẽ quoad primã partẽ non aliter probant quã argumentis adductis pro prima ſententia. Secũda autẽ pars eius probabitur infrà.

Notanda pro explicatione quæſtionis. ¶Pro maiori autẽ explicatione iſtius quæſtionis ſunt aduertẽda nonnulla, quorũ primum eſt. Quod ſi iſtæ duæ ſententiæ benè perpẽdãtur eãdẽ prorſus habẽt cõcluſionẽ.

Notab. 1. *Notab. 2.* ¶Secundò eſt notandũ,ꝙ cũ poſsibilitas ſit triplex,ſcilicet,logica,obiectiua,& ſubiectiua,ita & neceſsitas eſt triplex,ſcilicet,logica,obiectiua,& ſubiectiua. Neceſsitas logica poteſt dici illa, quæ reperitur inter aliqua,quibus repugnat nõ eſſe, ſicuti hominẽ eſſe animal,ita habent neceſſariam cõnexionem,quòd implicat dari potentiã logicã in homine ad non eſſe animal. Neceſſarium neceſsitate obiectiua poteſt dici illud, cui repugnat poſsibilitas obiectiua, & huius neceſsitatis nihil eſt creatum,ſed tantũ reperitur in diuinis. Filius enim diuinus habet poſsibilitatem logicam ad produci(quia illi non repugnat produci)& neceſsitatem obiectiuam quia licet habeat eſſe à Patre eſt formaliter adeò neceſſarius,ꝙ implicat & repugnat ſibi poſſe nõ eſſe. Neceſsitas autẽ ſubiectiua eſt in illo, ꝙ ita eſt ſubiectũ, ꝙ implicat ipſum nõ eſſe ſubiectũ, ſicuti quodlibet ſuppoſitũ creatũ,quia cũ non ſit ſummè ſimplex nõ poteſt nõ eſſe ſubiectũ accidentis.

Notab. 3. ¶Tertiò eſt notandum, quòd ſicut ſe habet poſsibilitas ad poſsibilitatẽ, ita ſe habet neceſsitas ad neceſsitatẽ, vnde ſicut poſsibilitas obiectiua infert poſsibilitatem logicam, ita neceſsitas obiectiua infert neceſsitatem logicam. Et ratio eſt,quia quòd ex ſua ratione formali habet neceſsitatẽ eſſendi non poteſt nõ eſſe, nec in illo eſt potẽtia logica ad nõ eſſe, intelligendo tamẽ in illo genere in

quo eſt neceſſarium, nam benè poteſt eſſe quòd aliquid habeat neceſsitatem obiectiuam in genere cauſæ formalis, & poſsibilitatem in genere cauſæ efficientis, ſicut v. g. angeli (poſtquàm ſunt) habent neceſsitatem obiectiuam in genere cauſæ formalis, cùm in ſe habeant principium formaliter neceſſarium ad ſemper eſſe, & in ſe non habeant principium, vnde poſsint non eſſe. At verò in genere cauſæ efficientis ſunt in potentia ad non eſſe, quia poteſt Deus illos non conſeruare & in nihilum redigere. Solum enim Filius diuinus & Spiritus ſanctus habent vtramque neceſsitatem, ſcilicet, obiectiuam & logicam, quia ex ſe formaliter habent vnde ſemper ſint & nunquam poſſunt non eſſe, nec poteſt Pater æternus Filium non producere, nec Pater & Filius Spiritum ſanctum non ſpirare, & ſic Filius & Spiritus ſanctus vtraq; gaudent neceſsitate.

Notab. 4. ¶Quartò eſt notandum, quòd ea, quæ ſunt in potentia logica non excludunt neceſsitatem, quia potentia logica non eſt potentia contradictionis, ſed tantum non repugnantia extremorum, & ſic quando inter extrema reperitur talis non repugnantia etiam ſi neceſſario coniungantur, dicimus quòd ſunt in potentia logica, ſecùs autem in potentia obiectiua, quæ in illo genere excludit neceſsitatem, & ſic contrarietas inter potentiam & neceſsitatem in eodem genere tantum reperitur in potentia & neceſsitate obiectiua, non autem in potentia & neceſsitate logica vel ſubiectiua, niſi ſumendo potentiam pro reſpectu.

Vltimo eſt notãdum. ¶Vltimo eſt notandum, quòd potentia logica ſemper eſt ens rationis, ſimiliter & neceſsitas. Potentia autem obiectiua eſt ens reale in potentia, neceſsitas autem eſt ens reale, quia eſt paſsio entis realis, & habentis eſſe, potentia autem ſubiectiua & neceſsitas ſemper ſunt entia realia in enti reali.

Prima concluſio. ¶Prima concluſio. Cuiuſcunque effectus neceſſarij neceſsitate obiectiua, eius neceſsitas habet cauſam efficientem. Hæc concluſio eſt Doctoris. 5. Metaphyſicæ, quæſtione. 3. Et probatur. *Primum argum.* Quælibet res creata quantumcunq; neceſſaria habet cauſam efficientem, quia oportet ponere vnum, à quo eſt cauſalitas omnium, ergo cuiuſcunque neceſsitatis creatæ danda eſt cauſa efficiens. Probatur ſequela, quia ſi neceſsitas effectus non habet cauſam, ergo aliquid eſt in cauſato, quod non habet cauſam, & per conſequens aliquid eſt in cauſato, quod eſt incauſatum, conſequens eſt falſum, ergo.

Secũdum argum. ¶Secundò. Nullum eſt ens reale creatum, quòd non habeat cauſam, ſed neceſsitas complexi quantum ad eſſe reale actuale eſt ens reale & non increatum, ergo habet cauſam.

Tertium argum. ¶Tertiò. Omnis exiſtẽtia creata habet cauſam, ſed complexa neceſſaria quatenùs ſignificant ens productum & obiectiuam neceſsitatem dicunt exiſtentiam realem, ergo neceſſariò habent cauſam.

Secunda concluſio. ¶Secunda concluſio. Complexa neceſſaria quatenùs dicunt neceſsitatem logicam nullam habent cauſam efficiẽtem. Probatur cõcluſio. Neceſsitas logica nullam habet cauſam efficiẽtem, ergo nec cõplexa neceſſaria quatenùs dicunt neceſsitatem logicã. Probatur antecedens. Neceſsitas logica tantum dicit neceſſariam habitudinem ſubiecti cũ prędicato, ſed talis neceſſaria habitudo vt ſic nullam habet cauſam efficientem. Probatur iſta minor. Talis neceſsitas vt ſic conuenit rei, etiam ſi per impoſsibile Deus non eſſet, quia adhuc ſi per impoſsibile Deus nõ eſſet inter hominem & animal eſſet neceſſaria connexio, ergo.

Secundum argum. ¶Secundò. Relatio rationis nullam habet cauſam efficientem, ſed iſta neceſsitas logica eſt relatio rationis, ergo.

¶*Reſpondetur argumentis.*

Ad primũ argum. ¶Ad primum reſpõdetur multipliciter. Primò, quòd Ariſtot. in illo loco conſiderauit illud complexum ſecundùm neceſsitatem logicam, vel in habitudine terminorũ, & ſic nullam habet cauſam nec efficientẽ nec finalem. Secundò reſpondetur, quòd ibi ly propter quid ſumitur pro quæſtione, propter quid in ratione demonſtrandi prædicatũ de ſubiecto, ſicut quãdo dicimus propter quid homo eſt riſibilis, & reſpondetur propter rationalitatẽ. Ita in propoſito, quærere propter quid homo eſt homo, & propter quid homo eſt rationale, nihil eſt quærere, ideſt, nulla datur cauſa, quæ ſit mediũ demõſtrãdi propter quid rationalitas cõpetit homini.

Ad ſecundum. ¶Ad ſecundum reſpondetur, quòd ipſum probat noſtram concluſionem ſecundam.

Ad tertiũ. ¶Ad tertium reſpondetur ſimiliter.

Ad quartum. ¶Ad quartum reſpondetur, ꝙ roſam eſſe roſam habet duplicem ſenſum, alter eſt iſtud prædicatũ conuenit ſubiecto quantũ ad neceſſariam connexionẽ, & vt ſic nullã habet cauſam. Alter eſt iſtud prædicatũ conuenit ſubiecto quoad realem exiſtentiam, & tunc illa

illa cauſa effectiua quæ dat roſæ exiſtere roſam, dat roſæ neceſsitatam exiſtēdi roſam.

TEXTVS.

DICO quòd cauſa poteſt primo & immediatè aliquod effectum nouum producere abſque omni nouitate in ipſa. Diſt. 1. quæſt. 2. ſolutione ad primum.

EXPLICATIO LITERÆ.

DOCTOR in hac litera ſupponit Deum eſſe actum puriſsimum, & per conſequens nullo modo in potentia ad aliquam perfectionem, & ſic explicat quomodo cum Deus ſit ab æterno poſsit in tempore aliquid producere: ad quod reſpondet Doctor nō eſſe inconueniens Deū eſſe ab æterno, & creaturam eſſe in tempore, quia non eſt inconueniens ponere nouitatem in effectu abſque nouitate in cauſa, & ad hoc adducit exemplum de Sole. Si enim Sol ſemper eſſet in ſe, & crearetur aliquod mediū illuminabile certū eſt quod abſq; aliqua mutatione Solis eſſet illud medium de nouo illuminatum, & eſſet nouitas in effectu abſque nouitate in cauſa. Sed vt hæc litera magis pateat ſit quæſtio. 10.

QVÆSTIO X.

¶ *Utrùm Deus poſsit aliquid de nouo creare.*

Primum argum. PRO parte negatiua arguitur primo. Si Deus poteſt aliquid de nouo creare, ergo Deus poteſt mutari. Probatur ſequela. Deus poteſt aliter ſe habere nunc quàm prius, ſed hoc eſt mutari, ergo. Probatur maior. Deus modo creat, & antea non creabat, ergo aliter ſe habet nunc quam antea ſe habebat.

Secundum argum. ¶Secundo. Creatio eſt mutatio, ſed non creaturæ, ergo Dei. Maior eſt manifeſta, & probatur minor, quia illud quod mutatur debet præeſſe mutationi, ſed creaturæ non ſunt antequam creentur, ergo non poſſunt mutari, & per conſequens ſi Deus poteſt de nouo aliquid creare, poterit de nouo mutari. ¶Confirmatur, quia Deus dat eſſe creaturæ, ideò creatura recipit eſſe, & non quia creatura recipit eſſe, ideò Deus dat eſſe, ergo prius eſt actio noua Dei, quàm nouum eſſe creaturæ, ſed non poteſt Deo aliquid de nouo aduenire ſine mutatione, ergo non poteſt Deus aliquid de nouo creare ſine mutatione, Deus autem non poteſt mutari, ergo nec poteſt aliquid de nouo creare.

Tertium argum. ¶Tertiò. Si Deus poteſt aliquid de nouo creare, vel illa actio, quæ eſt creatio eſt actio immanens vel tranſiens, ſed neutrum horum, ergo. Probatur minor. Non immanens quia per actionem immanentem nihil reale producitur ad extra, ſed per creationem producuntur creaturæ, quæ habent eſſe reale ad extra, ergo. Nec etiam tranſiens, quia actio tranſiens non identificatur cum agente, vel non poteſt eſſe noua in Deo, ſed creatio actiua eſt idem cum Deo ab æterno illi conueniens, ergo creatio actiua non poteſt de nouo Deo conuenire, & per conſequens, non poteſt de nouo aliquid creare.

Notab. 1. ¶ Pro explicatione huius quæſtionis ſunt notanda nōnulla, quorum primū eſt. Quod creatio poteſt ſumi & pro creatione actiua, & pro creatione paſsiua.

Notab. 2. ¶Secundò eſt notādum cum Doctore infrà literam aſsignatā in principio, quod ſtat nouitas in effectu abſque nouitate in cauſa, pręcipuè in agente libero, quia illa volitione, quā Deus habet ab æterno voluit me ſcribere pro iſto inſtanti, & ſic aliud eſt dicere Deus voluit aliquid ab æterno, & aliud eſt dicere Deus voluit aliquid pro æterno, nam Deus quicquid voluit, voluit ab æterno, nō tamē quicquid voluit pro æterno voluit, & ſic cum voluntate ab æterno poteſt Deus velle pro iſto inſtanti, quod non voluit pro alio inſtanti, nec ex hoc ſequitur aliqua mutatio in voluntate diuina, quia manente eadē voluntate poteſt Deus velle aliquid eſſe pro iſto inſtanti, quod volebat non eſſe pro alio inſtanti, & ſic illa volitio diuina non debet explicari per volitionem & nolitionē abſolutè, ſed per volitionem eſſendi pro aliquo inſtanti, & volitionem non eſſendi pro aliquo inſtanti, id eſt, illa volitio poteſt explicari per iſtas duas propoſitiones, volo ante Chriſtum fore pro tali inſtanti, & volo ante Chriſtum non fore pro alio inſtanti.

Notab. 3. ¶Tertiò eſt notandum, quod cum in qualibet mutatione ſubiectum debeat ſe aliter habere nunc quàm priùs, ſubiectum debet eſſe

commune vtriq; termino mutationis, aliàs enim non eſſet mutatio, nec verè diceretur iſtud mutari, ſi iſtud, quod aſsignamus non manet. Ex quo prouenit, quòd tunc dicatur propriè mutatio, quando vtrique termino mutationis eſt vnum commune ſubiectum actu exiſtens, ſicut. v. g. in alteratione, augmentatione, diminutione, & loci mutatione, nam in his motibus manens idem ſubiectum aliter ſe habet nunc quàm priùs. Quandoq; autem contingit, vt maneat idem ſubiectum, ſed non eodem modo, ſcilicet non actu exiſtens, ſed tantum in potentia, ſicut contingit in generatione, & corruptione, nam materia prima quæ eſt ſubiectum formæ ſubſtantialis, & priuationis non eſt ens in actu ſed tantum in potentia, & ſic non dicuntur propriè motus, ſed mutationes quædam. Quandoque etiam contingit quòd non ſit idem ſubiectum, nec actu, nec in potentia, ſed tantum eſt idem tempus continuum, in cuius prima parte, eſt vnum oppoſitum, & in alia aliud, vt cùm dicimus hoc fieri ex hoc, ideſt, poſt hoc, ſicuti ex mane fit meridies, ideſt, poſt mane, iſtud autem non eſt propriè mutatio, ſed tantum metaphoricè.

Notab. 4. ¶Quartò eſt notandum, quòd quando motus definitur, quòd eſt actus entis in potentia ſecundùm quòd in potentia, Iy in potentia debet ſumi pro potentia paſsiua, non autem in potentia actiua, quare motus eſt actus entis in potentia paſsiua, ſecundùm quòd in potentia paſsiua, vt contingit in alteratione, quando aqua frigida fit calida, tunc enim aqua mutatur quando recipit calorem, quem non habet, quia mouetur ad formam, quam non habet, quia omne quod mouetur, mouetur reſpectu formæ, ad quam eſt in potentia, & non reſpectu illius formæ, quam iam habet, quia reſpectu formæ habitæ non eſt motus, ſed quies, & per conſequens quando in definitione motus ponitur entis in potentia, intelligendum eſt de potentia paſsiua, ſiue receptiua, non autem de potentia actiua. Ex quo prouenit ſecundò, quòd ea, quæ ſunt in potentia actiua non dicantur moueri quatenùs tribuunt eſſe, niſi quatenùs eorum operatio eſt diſtincta ab ipſorum potentia actiua, quia tunc cùm potentia actiua illorum reducatur ad actum per talem operationem exiſtens in actu primo, eſt in potentia ad actum ſecundum, quòd ſi virtus & potentia actiua, ſiue actus primus eſt idem cum actu ſecundo, & ſemper coniunctà cum operatione, tunc non eſt in potentia ad illam, & per conſequens potentia illa actiua non poterit mutari tribuendo eſſe, ſed tantum ſubiectum recipiens modò illud eſſe, & modò non in tali receptione mutabitur, quare mutatio eſt recipientis eſſe & non dantis. Hoc autem patet exemplo. Si anima rationalis tribuens eſſe viuum corpori propter aliquod impedimentum, non tribueret tale eſſe brachio, amoto illo impedimento tribueret eſſe viuum brachio, ſicuti & reliquis partibus corporis, hoc tamen non eſſet cum mutatione ipſius animæ, licèt aliter ſe habeat nunc quàm priùs, quia fit per modum dantis eſſe, non tamen per modum recipientis, brachium autem eſt, quod mutatur, quia modò recipit eſſe, quod antea non recipiebat.

¶Vltimò eſt notandum, quòd in creatione duplex eſt terminus alter realis & ſimpliciter, alter ſecundùm quid, qualis eſt eſſe cognitum vel volitum creaturæ, vt diximus in præcedentibus, & cùm iſtud eſſe reale, & iſtud eſſe cognitum non habeant aliquam vnam naturam communem vtrique, hinc prouenit, quòd non ſit aliquod vnum commune ſubiectum ſecundùm rem, ſed tantum ſecundùm imaginationem, & per conſequens creatura, quæ priùs habet eſſe cognitum, & poſtea eſſe reale non eſt aliquid ſecundùm rem, ſed tantum quid in potentia logica, & quando magis aliquid confictum à noſtro intellectu. Vnde prouenit vt licèt accipiat eſſe poſt non eſſe non dicatur propriè & in rigore mutari. *Vltimo eſt notãdum.*

¶Prima concluſio. Deus poteſt aliquid de nouo creare. Hæc concluſio eſt de fide, & probatur, quia Deus poteſt de nouo producere ex nihilo, ergo poteſt aliquid de nouo creare. Antecedens eſt manifeſtum, & probatur ſequela. Deus aliquando potuit aliquid de nouo creare, ergo & modo poteſt aliquid de nouo creare. Antecedens probatur ex illo Geneſis. 1. In principio creauit Deus cælum & terram. Sequela autem patet, quia eadem potentia eſt modo in Deo, quæ fuit ab æterno, ergo cum non ſit repugnantia ex parte effectus, ſicut potuit aliquando aliquid de no- *Prima concluſio.*

de nouo creare, & modò poterit aliquid de nouo creare.

Secũdum argum. ¶ Secundò. Si aliqua ratione non poſſet Deus aliquid de nouo creare, maximè quia in illa creatione Deus mutaretur, cum aliter ſe haberet pro illo tunc, quàm antea, & prædicata contradictoria non poſſunt de aliquo prædicari ſucceſſiuè abſque aliqua mutatione, & per conſequens cum de Deo prædicarentur illa duo prædicata contradictoria, ſcilicet, creare & non creare, videretur in creatione mutatio, ſed iſta ratio nihil obſtat, ergo. Probatur minor. Stat nouitas effectus ſine nouitate in cauſa, ergo cum nouitate creationis bene ſtat non nouitas in Deo. ¶ Confirmatur. Poteſt aliqua creatura tribuere aliquod eſſe de nouo abſque nouitate in ipſa, ergo & Deus. Antecedens patet in anima rationali, vt diximus in penultimo nouitabili.

Secunda concluſio. ¶ Secunda concluſio. Creatio actiua eſt volitio diuina cum quadam relatione rationis in illa intellecta. Hæc concluſio probatur; nam creatio actiua eſt volitio diuina vt terminata ad creaturam, quatenùs per illam creatura accipit eſſe, ſed volitiò diuina ſic conſiderata eſt volitio cum quadam relatiò ne rationis, ergo.

Tertia concluſio. ¶ Tertia concluſio. Relatio paſsiua eſt relatio realis fundata in creatura, & terminata ad Deum ſecundùm rationem abſolutam tantùm formaliter diſtincta ab ipſa creatura. Probatur concluſio quoad omnes ſuas partes. Primò. Creatio paſsiua eſt aliquid reale in creatura, ſed non abſolutum, ergo reſpectiuum. Probatur minor. Secundum iſtam entitatem dicit creatura neceſſariam dependentiam ad Deum, ergo dicit intrinſecum ordinem; & per conſequens relationem, & non confictam ab intellectu, ergo realem.

¶ Secunda pars probatur. Talis relatio fundatur in illo, quod habet eſſe per creationem actiuam, huiuſmodi autem eſt ipſa creatura ſecundùm ſuum eſſe reale abſolutum, ergo, talis relatio fundatur in eſſe reali creaturæ.

¶ Tertia pars, ſcilicet, quòd talis relatio terminetur ad abſolutum in Deo. Probatur ex his, quæ diximus in primo, diſputatione. 8. quæſtione. 3.

¶ Vltima pars concluſionis patet ex dictis in eadem diſputatione.

Quarta concluſio. ¶ Quarta concluſio. Creatio paſsiua non eſt propriè & vera mutatio, licèt habeat modum mutationis. Hæc concluſio probatur, nam de ratione veræ mutationis eſt, quòd ſubiectum maneat idem ſecundùm eſſe reale ſub vtroque termino, ſed in creatione creatura non habet eſſe reale ſub vtroque termino, cum fiat ex nihilo ſecundum ſe totam, ergo. ¶ Confirmatur. Creatura in creatione non verè mutatur, ergo creatio paſsiua non eſt vera mutatio.

¶ Secunda autem pars probatur. Illud quod habet eſſe poſt non eſſe habet & modum mutationis, ſed creatura in creatione paſsiua habet eſſe reale poſt non eſſe reale, ergo habet modum mutationis.

Secundum argum. ¶ Secundò. Ad hoc quod eſt habere modum mutationis ſatis eſt quod ſubiectum, quod accipit eſſe reale, habeat modum eſſendi ſaltim ſecundùm imaginationem, ſed creatura antequam habeat eſſe reale per creationem habet eſſe cognitũ, & tranſit ab illo eſſe ad eſſe reale, ergo licèt non verè mutetur habet tamen modum mutationis. ¶ Et confirmatur. Quia licet in omni mutatione neceſſariò ſupponatur ſubiectum mutationis ſecundùm eſſe reale: ad modum autem mutationis ſatis eſt quòd ſubiectum præſupponatur ſecundùm aliquod eſſe, ſaltim imaginarium, huiuſmodi eſſe reperitur in creatione, ergo.

Ad primum arg. ¶ Reſpondetur argumentis. Ad primum negando ſequelam; & ad probationem dicitur, quòd Deus aliter ſe habet nunc, quàm prius, per modum dantis eſſe, non verò per modum recipientis.

Ad ſecundum arg. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, modũ reperiri mutationis in creatione eſt ex parte creaturæ, & ad probationem dicitur, quòd cum creatiò non ſit propriè mutatio, ſatis eſt, quod præſupponatur creatura ſecundùm aliquod eſſe, ſaltim imaginarium. ¶ Ad confirmationem dicitur, concedendo antecedens, & negando ſequelam, & ad probationem dicitur, quòd nouitas in cauſa eſt tantùm denominatio extrinſeca à nouitate in effectu, vel ſi eſt denominatio intrinſeca, eſt per relationem rationis fabricatam per actum noſtri intellectus. Pro qua re vide quæ latè dixi in. 1. diſputatione. 8. quæſt. 15. concluſ. 2. 3. 4. & 5.

Ad tertiũ argum. ¶ Ad tertium reſpondetur quæſtione ſequenti.

QVÆSTIO XI.

¶ *Vtrùm creatio actiua ſit actio tranſiens.*

Prima ſententia. DE hac re triplex eſt principalis ſententia. Prima eſt Gregorij de Arimino in. 2. diſtinctione. 1. quæſtione ſextà. Pro cuius explicatione aduertit, quòd hoc nomen, actio, accipitur quandoque pro potentia actiua, quandoque verò accipitur pro actu, vel operatione potentiæ actiuæ: In prima acceptione loquutus eſt Philoſophus, 9. Metaphyſicæ capite. 2. In ſecunda autem loquutus eſt 3. Phyſicorum textu. 10. & 19. vbi actum actiui dicit actionem, & actum paſsiui paſſionem, & quia actum actiui (inquantum huius) non eſt propriè niſi actus, qui eſt operatio, ſicut nec actiuum dicitur eſſe actiuum, ſiue actu agens, niſi dum actualiter operatur; ideò ibidem quaſi definiens actionem dicit, quòd eſt opus, & finis actiui, ſic etiam Damaſcenus libro. 3. capit. 16. deſcribens actionem non tam communiter, ſed ſpecialiter naturalem; dicit, quòd eſt operatio efficax; & ſubſtantialis naturæ motus.

¶ His igitur ſic poſitis, hoc nomen actio poteſt dupliciter accipi, ſcilicet, & pro potentia creatiua, & ſecundo modo pro actu ſiue operatione potentiæ creatiuæ. Hoc conſtituto probat ſuam ſententiam, ſcilicet, quòd creatio prout dicit operationem, vel actum potentiæ creatiuæ, eſt realiter diſtincta à Deo, (& per conſequens actio tranſiens) nonnullis rationibus, quarum prima eſt. *Primum argum.* Omne cuius potentia creatiua inquantum huius eſt principium, eſt entitas diſtincta à Deo, patet, ſed potentia creatiua eſt principium creationis inquantum creatio eſt, ergo creatio eſt entitas diſtincta à Deo. Maior eſt manifeſta, quia Deus non habet principium, nec cauſam. Minor autem probatur, quia omnis potentia actiua inquantum actiua, eſt principium ſui actus vel operationis, ſicut omnis potentia tranſmutatiua ſuæ tranſmutationis, & factiua ſuæ factionis, ergo.

Secundum argum. ¶ Secundo. Omnis operatio non coæterna Deo, ex Dei voluntate exiſtens, eſt entitas à Deo diſtincta, ſed creatio eſt huiuſmodi, ergo. Maior eſt manifeſta, & minor probatur ex Diuo Damaſceno libro. 1. capite quinto, dicente. Creatio eſt ex Dei voluntate opus exiſtens, & non eſt coæterna Deo.

Tertium argum. ¶ Tertiò. Creatio non eſt res diſtincta à re, quæ creatur, ſed res, quæ creatur realiter diſtinguitur à Deo, ergo & creatio. Probatur maior. Nam ſi aliqua res creatur creatione à ſe diſtincta, ſit illa, verbi gratia, angelus; aut igitur creatio angeli creatur à Deo creatione alia à ſe diſtincta, aut non, ſi alia creatione, vel illa eſt entitas diſtincta à creatione, qua angelus creatur, aut non, & ſic procedendum eſſet in infinitum, vel quod creatio non eſt res diſtincta ab angelo creato. Si dicas quòd creatio non eſt angelus, ſed ipſemet Deus. Contra. Creatio non eſt, quando creatura non eſt, quia cum ſit operatio inſtantanea, & in termino eius ſit creatura, implicat creationem eſſe in aliquo tempore, & non creaturam: ſed creatura eſt in tempore & non ab æterno, Deus autem ab æterno eſt, ergo creatio actio, non poteſt dici Deus, & per conſequens erit realiter diſtincta à Deo.

Quartum argum. ¶ Quartò. Omnis operatio immanens conuenit Deo ab æterno, ſed creatio non conuenit Deo ab æterno, ergo non eſt operatio immanens. Maior eſt manifeſta, quia omnis operatio immanens Dei eſt actus intellectus, vel voluntatis diuinæ, iſtæ autem operationes conueniunt Deo ab æterno. Minor autem probatur ex illo, quod habetur Geneſis cap. primo. In principio creauit Deus cælum, & terram.

Quintum argum. ¶ Quintò. Illa eſt ſimpliciter actio tranſiens, cuius terminus eſt extra ipſum agens, ſed terminus creationis actiuæ eſt extra ipſum Deum creantem, ergo creatio actiua eſt ſimpliciter actio tranſiens. Maior eſt manifeſta ex differentia, quam aſsignat Ariſtoteles inter actionem immanentem, & tranſeuntem, nam actio immanens eſt illa cuius terminus eſt intra ipſum agens; tranſiens autem cuius terminus eſt extra. Minor autem probatur, nam terminus creationis actiuæ eſt creatura in eſſe reali, creatura autem in eſſe reali eſt extra ipſum Deum, ergo creatio eſt realiter diſtincta à Deo.

Vltim. argum. ¶ Vltimò. Operationes immanentes Dei ſunt perfectiones formaliter, ſed creatio actio non eſt formaliter perfectio, ergo non eſt operatio tranſiens. Maior eſt manifeſta, & probatur minor. Nā tūc eſt creatio actio, quando eſt creatio paſsio, ſed creatio paſsio eſt in tempore, ergo aliqua perfectio ſimpliciter cōueniret Deo ex tempore, cōſequens eſt falſum, ergo nullo modo dicendum eſt creationem actiuam eſſe actionem immanentem.

Secunda ſententia. 1.p.q.65. art.3.q.1. concl.2. ¶ Secunda ſententia eſt aliorum aſſerentium creationem actiuam Dei nō eſſe actionem ſimpliciter tranſeuntem, quæ identificetur cum ipſa diuina potentia, aut eſſentia, vel cum creatura producta, ſed eſſe ſimpliciter, & abſolutè actionem immanentem intellectus, & voluntatis diuinæ, ſcilicet dicere quoddam practicum, quod explicatur illis verbis, Dixit Deus fiat lux, &c. habere tamen modum actionis tranſeuntis inquantum ponit effectum ad extra. Itaque creatio actiua eſt actio formaliter immanens, virtualiter tamen tranſiens, vel quod idem eſt, eſt actio immanens ſubiectiuè, & tranſiens productiuè. Hanc ſententiam probant quoad omnes ſuas partes nonnullis rationibus, quarum prima eſt. *Primum argum.* Actio tranſiens non ſubiectatur in agente ſed in paſſo, ſed creatio actiua non ſubiectatur in creatura, ſed in Deo, ergo creatio actiua non eſt actio tranſiens. Maior patet, quia ſi actio tranſiens eſt ſubiectiuè in agente, ergo agens in agendo vt ſic patitur. Patet ſequela, quia agens in agendo eſt ſubiectum actionis, ergo patitur recipiendo actionem. Minor autem probatur. Si creatio eſt actio tranſiens ſubiectata in creatura, ergo eſt actio media inter Deum & creaturam, ſed impoſsibile eſt quòd inter creaturam & creatorem reperiatur aliquod medium, ergo. Probatur ſequela. Nam omnis actio tranſiens, quæ ſubiectatur in paſſo eſt medium inter agens & paſſum, quia mediante illa actione agens producit effectum in paſſo. ¶ Confirmatur. Diuina virtus immediatè adeſt effectui, ergo per ſeipſam immediatè producit effectum, & non per aliquā actionem mediam.

Secundum argum. ¶ Secundò. Operatio tranſiens eſt actualitas quædam, & complementum potentiæ actiuæ operantis, ſed eſt impoſsibile quod actiua Dei potentia habeat ſuam actualitatem, & complementum in creatura: quoniam aliàs penderet à creatura, ergo impoſsibile eſt, quòd creatio ſit actio tranſiens ſubiectata in creatura, ſed omnis actio tranſiens ſubiectatur in paſſo, ergo.

Secunda pars huius ſententiæ probatur. ¶ Secundam autem partem, nempe quòd creatio non ſit actio tranſiens identificata cum eſſentia Dei, probant: quia ſequeretur, quòd eſſet perfectio intrinſeca ipſius Dei, ſed conſequens eſt falſum, ergo. Sequela eſt euidens, & probatur minor dupliciter. Primò, quia ſequeretur, quòd aliqua perfectio Dei adueniret illi in tempore, qua mutaretur ſubſtantia Dei. Probatur ſequela. Creatio, quæ eſſentialiter eſt actio tranſiens non poteſt eſſe, niſi quando actu tranſit in effectum ad extra, quia natura actionis tranſeuntis eſt quòd tranſeat in effectum extra potentiam, ergo ſi creatio eſſentialiter eſt actio tranſiens non eſt in Deo, niſi quando actu tranſit in creaturam ad extra. Secundò probatur illa minor. Nam ſiue creatio conueniat Deo ab æterno, ſiue ex tempore, illud tamen ſequitur, quòd aliqua perfectio conueniat Deo, quæ potuit non conuenire, hoc autem eſt falſiſsimum, ergo. Probatur ſequela. Quia creatio, quæ eſt actio tranſiens potuit non competere Deo, ſed ſi creatio eſt actio tranſiens identificata cum diuina eſſentia eſt perfectio ipſius Dei, ergo.

Tertia pars huius ſententiæ probatur. ¶ Tertia autem pars, ſcilicet, quòd creatio ſit actio formaliter immanens, probāt, quia eſt formaliter operatio, & non tranſiens, ergo immanens. . .

Quarta pars probatur. ¶ Quartam autem partem, ſcilicet, quòd eſt virtualiter tranſiens, id eſt, habens modum operationis tranſeuntis, probant: quia proprium eſt actionis tranſeuntis tranſire in effectum extra potentiam, ſed creatio actiua tranſit in effectum extra potentiam, ergo cum non ſit formaliter tranſiens, erit virtualiter tranſiens. ¶ Confirmatur, quia illa actio eſt virtualiter tranſiens, quæ poteſt producere effectum ad extra, huiuſmodi eſt creatio actiua, ergo.

Tertia ſententia. ¶ Tertia ſententia eſt Caietani. 1. parte, quæſt. 25. articulo. 1. vbi aſſerit, ꝙ ſi in Deo non eſt ponenda potentia executiua diſtincta ab intellectu, & volūtate tunc in rei veritate non eſt ponenda aliqua actio tranſiēs in Deo, ſed immanens tantū habēs efficaciam

tranſeuntium, iuxta illud, Ipſe dixit & facta ſunt. At vero ſi in Deo ponitur potentia executiua diſtincta ab intellectu, & voluntate, neceſſariò etiam ponēda eſt actio tranſiens, & per hoc ſufficienter ſaluatur dictum Diui Thomæ. 2. contra gentes. capite 23. & 25.

Quarta ſententia. ¶Quarta ſententia eſt Doctoris, quæ colligitur ex quam plurimis locis ſuæ doctrinæ, vbi agit de differentia inter actionem immanentem, & tranſeuntem, præcipuè in. 1. diſtin. 2. par. 2. quæſt. 4. & diſt. 3. quæſt. 7. & diſt. 6. & 13. & in hoc. 2. diſt. 3. quæſt. 10. & diſt. 25. quæſt. vnica, & in. 3. diſt. 1. & diſt. 26. & in 4. diſt. 13. quæſt. 1. & in quolibetis quæſt. 1. art. 3. & quæſt. 13. & 14. vbi aſſignat differentiam inter actionem tranſeuntem & immanentem dicens, quòd actio immanens, ſi ſumatur pro re acta, & ſi ſumatur pro ipſa actione eſt ſubiectiuè in agente, at verò actio tranſiens, ſi ſumatur pto actione eſt ſubiectiuè in agēte, ſi autem pro re acta, eſt ſubiectiuè in patiente. Vnde ſecundùm ſentētiam Doctoris, nulla actio prout actio eſt, eſt ſubiectiuè in paſſo, ſed omnis eſt ſubiectiuè in agēte, vt latius dicemus quęſt. ſequenti. Pro explicatione tamen huius ſententiæ, & totius quæſtionis ſunt notanda

Notab. 1. nonnulla, quorum primum eſt. Quòd actio de genere actionis eſt duplex, ſcilicet, immanens & tranſiens. Dixi notanter de genere actionis, quia intellectio & volitio, quæ communiter appellantur actiones immanentes propriè ſunt qualitates de genere qualitatis, vt dixi in. 1. diſput. 10. quæſt. 1. notabili. 4. ex Doctore in. 1. diſt. 3. quæſt. 6. litera V. & in quolibetis quæſt. 3. à litera Y. vſque ad literam FF. quam doctrinam amplectitur Soncinas. 9. Metaphyſicæ quæſt. 21. vbi dicit, quòd ſi propriè loquamur, ipſæ potius debent appellari operationes, quā actiones, & in quinto argumento probat ſecundam partem concluſionis, ſcilicet, quòd ſunt in genere qualitatis, quæ omnia deſumpſit ex Doctore in illa diſtinctio. 3. quæſtione. 6. litera V. Cum hoc tamen ſtat quòd ſit aliqua actio immanens de genere actionis, nempè illa, qua intellectus, & voluntas producunt prædictas qualitates. Vnde illa diuiſio actionis in immanentem & tranſeuntem, ſi actio immanens ſupponat pro iſtis qualitatibus eſt diuiſio æquiuoci in æquiuocata, ſi autem ſumatur actio immanens pro illa actione, qua illæ qualitates producuntur eſt diuiſio vniuoci in vniuocata, & ſuperioris in inferiora, & ratio huius eſt, vt optimè aduertit Lichetus in quolibetis quæſt. 13. quia non ſolum ad formam inductam per motū in paſſum ab agente eſt actio de genere actionis, ſed etiam ad formam inductam per mutationem in ipſomet agente, nam illa forma abſoluta cùm ſit noua eſt terminus alicuius actionis propriè dictæ.

¶Secundò eſt notandum, quòd ex prædictis ſumitur differentia inter actionem immanentem, & tranſeuntem, non qualem aſſignat Soncinas. 9. Metaphyſicæ quæſtione 20. dicens, quòd cùm omnis actio ſit circa aliquod ſubiectum, ſicut circa propriam materiam, ſicut ſecare eſt circa materiam duram, quæ diuiditur, & calefacere eſt circa id, quod calefit, & ſic vniuerſaliter de omnibus actiōnibus oportet iſtud concedere, quia non poteſt eſſe aliqua actio ſine termino actionis. Sunt autem quædam actiones per quas tranſmutatur obiectum actionis, & iſtæ appellantur actiones tranſeuntes dupliciter. Tùm quia vt dictum eſt obiectum per eas tranſmutatur: tùm quia recipiuntur ſubiectiuè in paſſo. Sunt verò aliæ actiones, per quas paſſum non tranſmutatur, & iſtæ appellantur actiones immanentes, manent enim ſubiectiuè in agente, tales autem ſunt tantùm operationes potentiarum cognoſcitiuarum, & appetitiuarum. Nam ex hoc quòd cognoſco quodcunque ſenſu, aut intellectu, nec ex hoc præciſè quòd appeto, & amo aliquam rem, non ſequitur quòd ipſa tranſmutetur. Qui enim videt lapidem non tranſmutat lapidem ex hoc præciſè quòd eum videt, nec lapis denominatur viſus per aliquàm formam in eo exiſtentem, ſed tantum denominatione extrinſeca, ſcilicet, per viſionem, quæ eſt in alio. Ex quibus patet, quòd actiones per quas nihil fit in obiecto actionis, ſunt in ipſis agentibus, & propter hoc dicuntur immanentes: illæ verò quæ habent aliquid aliud actum per eas, dicuntur tranſeuntes. Nec etiam illa, quam alij ſignant dicentes hanc eſſe plenariam differentiam inter actionem immanentem, & tranſeuntem, quòd actio immanens, aliter eſt complementum potentiæ quàm actio tranſiens. Nam actio immanens, eſt complementum potentiæ per modum finis, & per modum formæ. Et ratio eſt, quia cum potentia

Notab. 2.

potentia coniungitur ſuæ operationi imma nenti, conſequitur finem, ad quem ordinatur, eſt enim talis potentia propter operationem, ſcilicet intellectus propter intellectionem, & voluntas propter volitionem; & quoniam operatio manet in ipſa potẽtia, per ipſam perficitur tanquàm per formam, atque ita completur eius potentialitas, qua potentia ipſa erat receptiua propriè actionis. Actio verò tranſiens cum nõ maneat in agente, ſed recipiatur in paſſo non complet aut perficit agens per modum formæ, ſed tã tùm per modum finis. Licet enim in huiuſmodi actionibus vltimus finis ſit ipſum operatum, nihilominus tamen operatio ipſa nõ eſt extra rationem finis proximi vt habetur 9. Metaphyſi. Iſtæ enim explicationes non explicant naturam actionis immanentis, & tranſeuntis per intrinſecam rationem illarum, ſed tantùm per extrinſecam, nam intrinſeca ratio actionis eſt quòd per illam aliquid producatur; quòd autem in mutando, vel non immutando obiectum, perficiẽdo, vel non perficiendo potentiam, hoc vel antecedit, vel conſequitur ipſam actionem, & ſic eſt extra rationem actionis immanentis, vel tranſeũtis. Illa igitur erit formaliter actio tranſiens, quando forma terminans illam actionem, eſt extra ipſum agens, & illa erit formaliter immanens, quãdo forma terminans illam actionem eſt in ipſo agente. Ex quo infero cum ipſis opinantibus ſecundæ ſententiæ in quodam ſecundo obſeruando, quod de intrinſeca ratione operationis tranſeuntis non eſt quòd agens moueatur, ſed quòd exterior materia immutetur. Nã ſi artifex per ſolam conceptionẽ poſſet ſine mutatione ſui facere arcam quando vellet, & pro tẽpore, quo vult, eſſet ibi vera actio tranſiens, ſine mutatione operantis. Quod autem mutetur operans, dum efficit, prouenit ab eius imperfectione. Quemadmodum magnes trahit ferrum veriſsimè mouet localiter licet ipſe moueat immotus. Cum igitur Deus per ſuum verbum, quod eſt conceptio artis, quod habuit ab æterno res in eſſe produxerit quando voluit, eſt ibi vera actio tranſiens propter productionem exteriorũ effectuum, ſed nulla actio media inter conceptionem & opera facta, idque manifeſtè probatur. Si enim mediat aliqua actio, quæ dicatur tranſiens, vel fuit ab æterno, vel in tempore, ſi ab æterno, ergo ſtatim creaturas produxit, quia actio tranſiens nõ poteſt intelligi ſine effectu, ſi in tempore, ergo Deus fuit mutatus, quod eſt impoſsibile. Hæc ſententia eſt apertiſsima in D. Thom. 2. contra gentes cap. 35. ad ſecundam obiectionem. Ex quo ſequitur, quòd æterna actio Dei, qua voluit mundum in tempore producere, quæ erat formaliter immanens, quando effectus incœpit eſſe, dicitur formaliter tranſiens, ex ſola productione paſsiua creaturæ. Iſtud ſecundum obſeruandum adduxi hic de verbo ad verbum vt magis noſtra ſententia pateat.

¶Tertiò eſt notandum, quod cum quælibet actio præſupponat potentiam actiuam, tanquam eius principium, maxima differentia verſatur inter actionem diuinam, & actionẽ creaturarum. Nam actio in creaturis diſtinguitur realiter à principio actiuo, quia actio vel eſt aliquid additum potentiæ actiuæ, reducens illam ad vltimam actualitatẽ, vt docet Caiet. 1. par. quæſt. 25. art. 1. vel eſt relatio intrinſecus, vel extrinſecus adueniens, vel eſt aliquid ſubiectiuè in paſſo, & per cõſequens debet diſtingui à potentia actiua, ſeparabiliſque eſt ab ipſa, quia potẽtia creata non ſemper eſt in actu, ſed quandoq; agit, quandoque non agit, & ſic manifeſtè apparet realis diſtinctio inter principium creaturæ, & eius actionem. At verò in diuinis, inter potentiam actiuam, ſiue principiũ actionis, & actionem quoad eſſe abſolutum nulla poteſt reperiri diſtinctio, niſi illa tantum ſit fabricata per operationem noſtri intellectus, quia potentia actiua Dei cum ſit infinitè perfectiſsima non poteſt ſecundum ſe intelligi abſque vltima actualitate, & per conſequens abſque operatione, non poteſt diſtingui ab ipſa operatione. Quare potentia actiua Dei poteſt dupliciter concipi, & ſimiliter operatio Dei, vno modo per conceptũ deſumptum ab ipſa potentia Dei, qui dicitur conceptus totalis, & adæquatus ipſi potentiæ. Secundo modo per conceptus deſumptos à creaturis, qui dicuntur cõceptus partiales, & inadæquati ipſius potentiæ: ſi concipiatur potentia per conceptum ſibi adæquatum deſumptum ab ipſa potentia, non poteſt intelligi potentia Dei ſine eius operatione, vel non actualiter operans; ſi autem concipiatur potentia Dei per conceptum partialem conceptum à creaturis, tũc poteſt concipi potentia non concepta operatione, & hoc non eſt concipere potẽtiam abſque operatione, ſed eſt concipere poten- *Notab. 3.*

tiam non concipiendo operationem. Vt autem melius percipias præſentem doctrinã, vide quæ diximus in 1. diſputat. 7. quæſt. 3. notabili 1. ex Doctore in quolib. quæſt. 4. art. 3. quomodo in humanis aptitudo ad generandum, generatio, & paternitas realiter diſtinguũtur; at verò in Patre æterno ſunt idem prorſus realiter, & formaliter, & tantùm diſtincta ratione fabricata per actum noſtri intellectus concipientis iſta tria per conceptus inadæquatos deſumptos à creaturis, & non per conceptum proprium & adæquatum deſumptum à ſeipſis.

Notab. vltim. ¶Vltimò eſt notãdũ. Quòd creare eſt actus voluntatis diuinæ non abſolutè, ſed quatenus per illum creaturæ habent eſſe reale ex nihilo. Ex quo prouenit quòd aliud eſt dicere, actus diuinæ voluntatis, & aliud eſt dicere creatio, nam actus diuinæ volũtatis nullam importat relationem, nec determinationem ipſius actus circa aliquod obiectum; at verò creatio dicit actum diuinæ voluntatis cum quadam relatione rationis, vel ſaltim cum quadam determinatione, in ordine ad iſtum effectum, quam non habet ad illum. Sicut v.g. licet creatiò, & iuſtificatio quatenùs ſunt actus diuinæ voluntatis, non ſint alius, & alius actus, ſed idem omninò vnus; nihilominus tamen quatenus iſte actus voluntatis diuinæ induit rationem creationis, & eſt creatio, non induit rationem iuſtificationis, nec eſt iuſtificatio, & alia ratione eſt creatio, & alia ratione eſt iuſtificatio: eſt enim creatio quatenus Deus per illũ actũ, qui eſt ab æterno deducit creaturas ab illo eſſe cognito in quo ſunt quatenus intellectæ à Deo, & ab illo eſſe volito quatenùs volitæ à Deo ad eſſe reale. Eſt enim iuſtificatio, volitio, qua Deus producens gratiam in anima gratificat illam, vel remittendo illi peccata, vel deducendo illam ex puro eſſe naturali, vt ſi conderet illam in puris naturalibus ad eſſe ſupernaturale gratuitum, & ſic conſtat quod iſtemet actus voluntatis diuinæ, qui eſt volitio, ſecundũ aliã rationem eſt creatio, & ſecundum aliã eſt iuſtificatio.

Prima concluſio. ¶Prima concluſio. Volitio ſecundum eſſe abſolutum, & ſecundum ſe, & quatenùs eſt actus voluntatis diuinæ, eſt formaliter actus immanens. Hæc concluſio adeò manifeſta eſt, vt nulla indigeat probatione. Eſt enim volitio, vt ſic, operatio diuinæ voluntatis, ſed non eſt operatio tranſiens, ergo erit operatio immanens.

Secunda concluſio. M. Zumel. ¶Secunda cõcluſio. In Deo inuenitur actio tranſiens ſecundum proprietatem qualis eſt creatio, & gubernatio rerum, quæ ex propria ſua ratione & formaliter loquẽdo nullam perfectionem ponit in agente. Hanc cõcluſionem etiam aſsignant nonnulli ſuper primam partem D. Thom. quæſt. 65. art. 1. quæſt. vnica. dub. circa ſolutionem ad primum, quam dicunt D. Thom. 2. cont. gent. cap. 1. vbi docent, quòd vtraque operatio Dei immanens, & trãſiens pertinet ad Theologicam diſputationem. Eandem tenet de potentia quæſt. 10. art. 1. docens, quod ſecũdum vtramque operationem inuenitur proceſsio à Deo. Probant autem eam ratione. *Probatur primò.* Nam actio tranſiens eſt illa per quã aliquid producitur ab operante in exteriorem materiam, ſed in Deo inuenitur talis actio cum fiunt & gubernantur corpora, ergo.

Secundo probatur. ¶Secundò. Factio ſecundum proprietatem eſt actio tranſiens, ſed credimus Deum eſſe factorem iuxta illud ſymboli, Factorem cœli, & terræ, ergo in Deo eſt actio tranſiens ſecundum proprietatem. Maior eſt manifeſta ex communi differentia inter agere, & facere, actionem & factionem.

Secunda pars cõcluſionis probatur primò. ¶Secunda autem pars concluſionis patet ex dictis, quia actio tranſiens conuenit Deo, cum creaturas producit, ſed productio creaturarum nullam perfectionem ponit in Deo, ergo.

Secundo probatur. ¶Secundò. Quia apud omnes Philoſophos actio immanens eſt perfectio agentis, tranſiens verò eſt perfectio paſsi. Quare cũ Sol illuminat aerem, huiuſmodi luminis receptio, perfectio eſt aeris, non ſolis. Ex quo inferunt prædicti, quod actio trãſiens, præter relationem & motum, nihil abſolutum ponit in agente. Hæc omnia ingenioſe lector deſumpſi ab illis vt ſi ſuper primam partem quæſt. 25. art. 1. & infrà quæſt. 65. artic. 3. quæſt. 1. videris oppoſitum explices illud iuxta concluſionem ſequentem, quam tibi aſsigno.

Tertia concluſio. Nota hãc concluſionem. ¶Tertia concluſio. Volitio diuina, quæ formaliter eſt operatio immanens, ſecundum ſuum eſſe abſolutum, & ſecundum ſe conſiderata, virtualiter eſt actio tranſiens. Hæc concluſio eſt fundamentum concordię inter omnes prædictas ſententias, & ſic maximè notanda, & probatur primò. *Primo probatur.* Volitio diuina ſecundum ſe conſiderata, & ſecũdum ſuam entitatem abſolutã, & vt pro ab æterno conuenit Deo, & prout eſt perfectiſsimè

me operatio immanens, nata eſt in tempore habere productũ ad extra, ergo eſt virtualiter tranſiens. Antecedens eſt de fide, ſequela autem probatur. Illud eſt virtualiter tale ſecundum ſuam eſſentiam, quod natum eſt producere effectum illius, quod eſt formaliter tale, v.g. Sol ſecundum ſuam eſſentiam non eſt formaliter calidus, eſt tamen ſecundum ſuam eſſentiã virtualiter calidus, quia natus eſt producere calorem, ſicut producit illud, quod eſt formaliter calidum, ſed volitio diuina ſecundum ſuum eſſe abſolutum, ſecundum quod nõ eſt formaliter operatio tranſiens, nata eſt producere effectum in tẽpore, ſicut produceret operatio formaliter tranſiens, ergo ipſa ſecũdum eſſe abſolutum erit virtualiter tranſiens.

Quarta cõcluſio. ¶ Quarta concluſio. Creatio actiua Dei prout eſt correlatiua creationis paſſiuæ eſt operatio, vel actio formaliter trãſiens. Hãc cõcluſionem docet & D. Tho. in 1. diſt. 40. quæſt. 1. artic. 1. in corp. vide Dezam in 1. diſt. 27. quæſt. 1. notab. 1. Hæc concluſio (ni fallor) euidenter probatur. Primò. Iſta creatio actiua vt ſic non eſt operatio, vel actio immanens, ergo eſt operatio vel actio tranſiens. *Probatur primo.* Probatur antecedens. Nulla operatio immanens conuenit Deo ex tempore, ſed iſta creatio actiua conuenit Deo ex tempore iuxta illud. In principio creauit Deus cœlum, & terram, & iuxta illud, ipſe dixit & facta ſunt, ergo erit formaliter operatio, vel actio tranſiens. ¶ Confirmatur. Tunc creaturæ factæ ſunt quando Deus dixit, ergo tunc Deus dixit facienda, quãdo facta ſunt, ſed facta ſunt in tempore, ergo dixit in tempore, quatenùs dicere, dicit reſpectum ad fieri.

Secundo probatur. ¶ Secundò. Illa operatio eſt formaliter tranſiens, quando forma terminans illam rationem eſt extra ipſum agens, ſed forma terminans creationem actiuam, quatenùs dicit relationem ad creationem paſſiuam, eſt creatura in eſſe reali, quæ eſt extra ipſum Deum creantem, ergo iſta creatio actiua vt ſic eſt operatio formaliter tranſiens.

Tertio probatur. ¶ Tertiò. Omnis operatio immanẽs in Deo eſt perfectio formaliter infinita cõueniens Deo ab æterno, ſed creatio actiua, vt eſt correlatiua relationis paſſiuæ, non eſt perfectio infinita formaliter, & conuenit Deo ex tempore, ergo non eſt operatio formaliter immanens. Maior eſt manifeſta, & probatur minor. Perfectio formaliter infinita in Deo intra eandem ſpeciem non eſt alia, & alia. Vna eſt enim bonitas diuina, vna potentia, vna ſapientia, vna intellectio, & vna volitio, ſed creatio actiua prout correſpondet creationi paſſiuæ eſt alia, & alia, nã alia creatione fuit creatus Michael, & alia Gabriel, & præcipuè, ſi angeli eſſent creati ſicuti potuerunt creari ſucceſsiuè in alio & alio tempore, ibi manifeſtè appareret quomodo vna creatio actiua correſponderet alteri paſsiuæ, ergo cum in Deo poſsimus aſsignare plures creationes actiuas correſpondentes pluribus paſsiuis, & non poſsimus aſsignare plures bonitates, ergo aliter ſe habet bonitas reſpectu Dei, quam creatio actiua, ſed bonitas eſt perfectio formaliter infinita, ergo creatio actiua, vt eſt correlatiua creationis paſsiuæ, non erit perfectio formaliter infinita, & per conſequens non erit perfectio in Deo, & per cõſequens nec operatio immanens. ¶ Confirmatur. Si non eſt creatio paſsiua non eſt creatio actiua vt ſic, ſed operationes immanẽtes Dei haberẽt eſſe etiam ſi nulla ſit creatura in rerum natura, ergo creatio actiua, vt eſt correlatiua creationis paſsiuæ, non eſt formaliter immanens, & per conſequens cum ſit actio, erit formaliter tranſiens.

¶ *Reſpondetur argumentis.*

Reſpõdetur argum. pro prima ſententia. ¶ Argumenta enim pro prima ſententia licet videantur probare noſtram concluſionem, ſupponunt tamen duo falſa, quorum primum eſt. Quòd creatio, actio, non eſt diſtincta, à creatione paſsione. Secundum fundamentũ falſum eſt, quòd actio non eſt ſubiectiuè in agente, ſed in paſſo, & ex his duobus fundamentis falſis procedũt omnia ſua argumenta, quare negando illi ſua fundamẽta, concedimus concluſionem, nõ in ſuo ſenſu, ſed in ſenſu intento in noſtra vltima concluſione, & ſic ſi bene inſpicias, iſtud, videbis, quòd argumenta, quæ ſunt Gregorij nihil probant quia ſupponunt iſta fundamẽtã falſa, & ſunt tria priora argumenta. Reliqua autem tria noſtrã probant concluſionem.

Reſpõdetur argum. pro ſecũda ſententia. ¶ Ad argumenta pro ſententia Thomiſtarum. *Ad primum arg.* Ad primum reſpondetur negando antecedens, ſupponunt enim falſum ſicut Gregorius, ſcilicet, quod actio eſt ſubiectiuè in paſſo, vt dicemus quæſtione ſequenti.

Ad ſecundum arg. ¶ Ad ſecundum reſpondetur diſtinguendo antecedens, vel potentia actiua operãtis eſt vltimatè perfecta, & tunc operatio non eſt perfectio illius, ſed paſsi, vt cõtingit in creatione,

tione, vel non eſt vltimatè perfecta, & tunc tranſeat maior, & minor nihil probat, nec argumentum aliquid concludit.

Ad tertiū argum. ¶Ad tertium, quod probarit ſecundam partem ſuæ ſententiæ, reſpondetur, quod creatio actiua, ſi conſideretur ſecundum ſuum eſſe abſolutum, quatenùs dicit volitionem diuinam, quæ formaliter eſt operatio immanens, virtualiter tamen eſt tranſiens, eſt perfectio intrinſeca Dei ab æterno illi conueniens, quia ab æterno poteſt Deus per ſuam volitionem producere creaturam in tempore; at verò creatio actiua, quatenùs eſt correlatiua creationis paſſiuæ, & vt eſt operatio formaliter tranſiens, nō eſt perfectio intrinſeca ipſius Dei, ſed eſt quid cōueniens Deo ex tempore, nempè relatio rationis, qua intrinſecè denominatur creans, vel denominatio extrinſeca, qua extrinſecè denominatur creator à relatione reali quæ eſt in creatura à Deo. De qua re videnda ſunt, quæ diximus in 1. diſput. 8. quæſt. 15. concl. 4. & 5.

Ad quartum. ¶Ad quartum, quo probāt tertiam partem reſpondetur negando antecedens, iuxta ſenſum noſtræ quartæ concluſionis, qui eſt intentus in iſta quæſtione, nam de creatione actiua ſecundum ſuum eſſe abſolutum nulli poteſt eſſe dubium eſſe operationem formaliter immanentem, & virtualiter tranſeūtem, vt diximus in tertia concluſione.

Ad quintum. ¶Ad quintum, quo probant quartam partē ſuæ ſententiæ, reſpōdetur, quod ipſum probat noſtram ſententiam iuxta tertiam concluſionem. Et hæc de iſta quæſtione.

TEXTVS.

DICO quod in iſto inſtanti, in quo cauſat, adhuc cauſat vt priùs naturaliter ipſa cauſatione; & vt ſic nihil intelligitur niſi abſolutum, à quo ponitur ipſum cauſatum in eſſe, & ideò nihil poteſt accipi cauſa huius, quod eſt cauſari niſi illud ſit priùs, nec reſpectu huius inſtantis, nec reſpectu alterius, diſt. 1. quæſtione. 2. infrà literam E.

EXPLICATIO LITERÆ.

Doctor in hac litera ſoluit quandā obiectionem, quam ipſe fecit contra ſe circa ſolutionem primi argumenti, quo voluit probare, nō poſſe Deum aliquid creare abſque eo, quod mutaretur. Et argumentum erat huiuſmodi. Deus producit aliquid per creationem, ergo vel Deus, vel aliquid aliud à Deo ſe habet aliter nunc quàm priùs, & per conſequens, vel Deus, vel illud aliquid aliud mutatur. Conſequentia eſt manifeſta, quia mutari eſt aliter ſe habere nūc quàm priùs, ſed non poteſt hoc paſſo conuenire, nam illud, quod mutatur priùs præfuit, paſſum autem in creatione, id eſt, quod habet eſſe per creationem non præfuit, quia ante creationem nihil erat, ergo quod mutatur debet eſſe agens, ſed agēs eſt Deus, ergo creando aliquid, Deus mutatur. *Primum argum.*

Solutio. Ad hoc argumentum reſpōdet Doctor cauſam præcipuè primam poſſe producere effectum nouum nulla poſita nouitate in ipſa. Probat iſtam propoſitionem quodam exēplo. Nam ſi Deus crearet nūc vnum corpus diaphanum receptiuum luminis, & poneret illud in medio Sol illuminaret illud corpus de nouo, & priùs non illuminabat, & tamen nulla eſſet facta mutatio in ipſo Sole. Nam Sol eodem modo ſe habet, & vniformiter agit nunc ſicut priùs, effectus tamen eſſet nouus ſcilicet illuminatio illa corporis illius; & per conſequens non eſt inconueniēs, quòd ſit effectus nouus cauſa omnino inuariata & immutata: Contra iſtam ſolutionem

Impugnatio. arguit Doctor. Benè ſequitur quia agēs dat eſſe, ideò effectus recipit eſſe, & non è conuerſo quia effectus recipit eſſe, ideò agens dat eſſe, ergo quando Deus dat eſſe alicui, (creādo illud) aliquam habitudinem habet, & reſpectum nouum ad illam rem, quam creat, quem reſpectum antea quàm crearet nō habebat. Probatur ſequela. Quia ſi nullum talem nouum reſpectum habet, ergo non eſt maior ratio, quare Deus modo creet illam quam antea, v.g. Creet in iſto inſtanti modò Deus angelum in iſto inſtanti verum eſt dicere, modò in iſto inſtanti Deus creat angelum, & ante iſtud inſtans illum nō creabat, ergo in Deo nunc creante eſt aliquis nouus reſpectus ad creaturam, qui antea non erat in Deo, aliàs nō eſſet maior ratio quare dicatur modo Deus creans quàm antea. Ad hoc argumentum reſpondet Doctor ſupponens ex 1. diſt. 35. contra Henricum quòd ad abſolutum in cauſa, immediatè ſequitur abſolutum in effectu, & poſita cauſa & poſito effectu, ſtatim conſurgit in effectu relatio realis ad cauſam, quæ relatio terminatur ad abſolutum in cauſa, & non ad relatiuum,

iuxta

iuxta ea quæ diximus in 1.diſput. 8. quæſt. 3.ex Doctore in 1.diſt.30.quæſt.2. & quia cauſa non tantum terminat relationem effectus,ſed etiam refertur ad effectum, quandoque relatione reali (vt contingit in creaturis)quandoque verò relatione rationis(vt contingit in Deo) vt diximus in prædicta diſput.quæſt.vltim.ideò priùs refertur effectus ad cauſam,quàm cauſa referatur ad effectum. Dicitur autem quòd relatiō effectus ad cauſam,eſt prior relatione cauſæ ad effectum,non prioritate originis,& naturæ,(vt optimè aduertit Lichetus in 2.diſt. 1. quæſtione.2.in ſolut.ad primum principale)ſed debet ſic intelligi, quòd poſito abſoluto in *Nota hoc.* effectu ab aliqua cauſa,ſtatim de neceſsitate naturæ conſurgit relatio , quæ terminatur ad abſolutum in cauſa, quare talis prioritas poteſt appellari prioritas in intelligendo: quia cùm intellectus noſter nō poſsit ſimùl vtramque intelligere relationem,cum altera illarum ſit priùs intelligenda,ideò intellectus noſter priùs concipit relationem effectus ad cauſam , quàm relationem cauſæ ad effectum , quamuis ſimùl in eodem inſtanti vtroque relatio inſurgat. ¶Secundo ſupponendum eſt quod in agentibus & cauſis,duplex reperitur ratio, altera quæ dicitur ratio agendi,altera quæ dicitur ratio agentis. Ratio agendi eſt quidditas rei. Ratio autem agentis eſt ſingularitas, vel ratio ſuppoſiti, & illa ratio agendi eſt etiā ratio terminādi. ¶Tertiò eſt ſupponendum cum Doctore in 1.diſt.39.& in 2.diſt.25.quod cauſa nō tantum abſolutè ſumpta eſt prior ſuo effectu, ſed etiam vt actu cauſans, propter quod in 1.diſput.15.quæſt.9.dicebamus,quòd volūtas non ſolum eſt libera pro illo inſtanti antequàm eliciat actum volitionis, ſed etiam pro illo inſtanti,pro quo elicit, ita quòd voluntas pro illo inſtanti,pro quo vult poteſt non velle. His igitur ſic prænotatis reſpondet Doctot quod iſta propoſitio, quia agēs dat eſſe,ideò effectus recipit eſſe, duplicem habet ſenſum,nam vel ly (quia) reduplicat aliquam entitatem in cauſa abſolutam , ſiue relatiuam diſtinctam , ab ipſa quidditate,& natura cauſæ,quæ eſt ratio agendi , & tunc propoſitio eſt falſa, ſi autem,ly(quia)reduplicet actum primum cauſæ tūc propoſitio eſt vera,quia inter cauſam cauſantem,& effectū productū nihil mediat præter quidditas ipſius cauſæ cauſantis , ſecundum quam cauſa naturaliter præcedit ipſum cauſatum, cùm abſolutum in cauſa præcedat abſolutū in effectu. ¶Cōtra hanc tamen ſolutionem arguit Doctor,dicens contra. Illudmet abſolutum , quod habet cauſa quando cauſat, habet quando non cauſat , ergo quādo cauſat aliquid aliud habet vltra illud abſolutū. Probatur ſequela. Cauſa, antequàm cauſet, aliter ſe habet quā quando cauſat, vel cauſa aliter ſe habet,quando cauſat,quam quando non cauſat,ſed non ſe habet aliter,quantum ad illud abſolutum , quod eſt in cauſa , quia illud ſemper manet idem , ſiue cauſet, ſiue non cauſet,ergo aduenit illi quando cauſat aliqua realitas abſoluta,vel reſpectiua,præcedens illud cauſatum,ratione cuius dicatur modò cauſa cauſans,quæ anteà nō cauſabat. Ad hoc argumentum reſpondet Doctor in litera poſita in fronte quæſtionis dicens,dico quod in iſto inſtanti,&c. Pro qua ſolutione eſt aduertendum,quod cauſæ ſunt in duplici differentia,quædā ſunt naturales,quędam ſunt liberæ , cauſæ naturales ſunt illæ, quæ agunt per formam determinatā ad aliquam operationem,poſitis actiuo & paſsiuo,debitè approximatis & non impeditis. Cauſæ autem liberæ ſunt quæ agunt per formam ex natura ſua non determinata ad operationem,quantumcunque actiuum & paſſiuum ſint debitè approximata, & non impedita. ¶Secundò eſt aduertendū, quòd eſt indeterminatio cauſæ liberæ,& indeterminatio potentiæ actiuæ ; & etiam potentiæ paſsiuæ. Inter has autē indeterminationes, hæc eſt differentia,quòd indeterminatio potentiæ paſsiuæ determinatur per aliquod extrinſecum,ſcilicet per formam ab agente extrinſeco,at verò indeterminatio potētiæ actiuæ,non requirit aliquod extrinſecū determinans illam, ſed illa potentia actiua reducens ſe ad actum , determinat ſeipſam. ¶Tertiò eſt aduertendum, quòd quantumcunque volūtas ſit determinata ſemper manet libera,quia illa determinatio non extra hit voluntatem à ſua ratione quidditatiua ſcilicet à ratione libertatis. ¶Quartò eſt aduertendum quòd nulla cauſa poteſt agere ſi non eſt determinata ad operationem. His igitur ſic poſitis litera Doctoris manet perſpicua,quando dicit. Dico quòd in iſto inſtanti,in quo cauſat ſiue cauſa ſit naturalis, ſiue libera,adhuc cauſat,vt priùs naturaliter ipſa cauſatione(id eſt)recauſata,& vt ſic,nihil intelligitur niſi abſolutum,ſcilicet,quòd ſit ratio agendi,à quo ponitur ipſum cauſatum

tum in eſſe,& ideò nihil poteſt accipi cauſa huius,quod eſt cauſari (id eſt) iſtud cauſatum non poteſt eſſe cauſatum ab aliqua cauſa, niſi illa cauſa ſit prior in ratione cauſæ, non quantum ad eſſe relatiuum cauſæ ad effectum.ſed quantum ad eſſe abſolutū, quod in cauſa præcedit effectum, & quia cauſa,vt præcedit effectum,debet eſſe determinata, ideò ex falſa imaginatione,quia ſemper imaginamur cauſam eſſe indeterminatam vſq; ad illud inſtans,in quo cauſat,ideò ponimus differentiam inter cauſam,vt cauſatiuam,& cauſam vt cauſantem;& ſic videtur aſsignandum aliquid conſtituens cauſam in ratione cauſantis,diſtinguens illam à ratione cauſatiuæ,& non cauſantis, & per conſequens ꝙ aliqua relatio eſt ponenda in cauſa determinans illam in ordine ad effectum , & extrahens illam à ratione cauſæ cauſatiuæ , & reducens in cauſam cauſantem. Iſta tamē imaginatio falſa eſt,quia vel cauſa eſt naturalis, & tunc paſsiuo debitè approximato ſtatim agit abſque aliqua alia determinatione,ſi nō ſit impedita. Si autē cauſa libera eſt ſeipſam determinat abſque aliquo alio extrinſeco; præcipuè ſi eſt cauſa prima vti Deus,qui habens volitionem alicuius volibilis, determinat ſe ad agendum pro illo inſtanti,pro quo ipſe vult facere , & ſic nihil aliud requiritur ad hoc quod illud volitum eſſet in actu ex parte voluntatis diuinæ,præter diuinam volitionem ſecundum ſuum eſſe abſolutum, quod præcedat ipſum produci creaturarū, quia abſolutum in cauſa,id eſt, in voluntate diuina,eſt cauſa ſecluſa quacumque alia relatione quòd creaturæ ſint effectus Dei ſecundum eſſe abſolutum,ita quòd productio diuina terminatur ad eſſe abſolutum creaturarum , & illud eſſe abſolutum fundat ſtatim relationem quandam realem ad Deum producentem,quam relationem terminat Deus ſecundum rationem abſolutam,& ſtatim ex conſideratione noſtri intellectus conſurgit quædam relatio rationis, qua Deus dicitur creans creaturas. Et ex his ſatis patet quomodo cauſa in ordine ad effectum producē-dum non requirit aliquod medium præter rationem agendi , & paſſum approximatū, ſi cauſa naturalis eſt. Si autem eſt libera non requiret vltra volitionem,qua vult aliquod futurum pro aliquo tempore aliquid aliud, ſed ipſa ſecundum ſe eſt ſufficiens ad ponendum illud in eſſe pro illo tempore,pro quo vult illud futurum in actu. Sed quia iſta litera adhuc maximam nobis ingerit difficultatem,operępretium erit illam in quæſtione amplius explicare.

QVÆSTIO XII.

¶*Vtrùm actio ſit ſubiectiuè in agente.*

DE hac re multiplex eſt Doctorum ſententia. Prima eſt Caietani. 1.par.quæſt.25.art. 1.aſſerentis actionem tranſeūtem, *Prima ſententia.* præter motum & relationem, dicere aliquid ſubiectiuè in agente. Probat autem ſuam ſententiam, quia ſecundùm D. Thom. ibi in ſolut. ad quartum. actio tranſiens ſignificat aliquid ſubiectiuè exiſtens in agente creato, identificatum autem realiter ſubſtantiæ in agente increato, ſed motus ab hoc vt importat tantùm motum & relationem non ſignificat aliquid huiuſmodi,ergo motus ab hoc(modo expoſito)non eſt totum actionis tranſeuntis. Maior habetur,& in ſecundo contra gentes cap.9. ratione vltima,& quoad ſecundam partem habetur in mille locis vbi de creatione, & gubernatione,& quibuſuis alijs actionibus & potentijs diuinis ad extrà,eſt ſermo vt hic etiā patet. Minor autem patet reſolutiuè,cōſtat enim quòd Deo mouente,vel angelo,in neutro eſſet motus,relatio autem quamuis in angelo eſſet, in Deo tamen nullo reali modo eſſet,quia nec per inhæſionem,nec per idē-titatem vt in 2.contra gentes.ca.12. in principio probatur manifeſtè.

¶Secunda ſententia eſt Guillelmi de Rubione in 2.diſt.1.quæſt.1.aſſerentis,quòd nulla *Secunda ſententia.* actio,ſiue actiua productio cauſæ ſecundæ, eſt aliqua forma vna, diſtincta aliquo modo in re extrà ab ipſa cauſa ſecūda, paſſo & à forma in ipſo paſſo præſuppoſito introducta. Hanc ſententiam probat primò,quia actio non poteſt poni aliqua entitas abſoluta, nec poteſt poni aliqua entitas relatiua, nec media inter abſolutam,& relatiuā, ergo actio non poteſt poni aliqua entitas diſtincta ab ipſo agente,& forma producta. Antecedens patet inductiuè. Primò non eſt entitas reſpectiuā,quia nullus reſpectus eſt vltima perfectio,& finis potentiæ actiuæ , ſed actio eſt finis potentiæ actiuæ, & perfectio vltima , iuxta illud Philoſophi.9.Metaph. vbi dicit quòd viſum habemus vt videamus & non è conuerſo,ergo.

¶Secun-

¶Secundò. Nullus reſpectus eſt prior ordine naturæ ſuo termino, imò poſterior, ſed actio, & omnis productio eſt prior termino producto, ergo nulla productio eſt reſpectus terminatus ad terminũ productum.

¶Tertiò. Nullus reſpectus poteſt eſſe plurium terminorum realiter diſtinctorum, ſed omnis actio & productio cauſæ ſecundæ reſpicit plura realiter diſtincta, quia paſſum præſuppoſitum & terminum in ipſum introductum, ergo.

Secunda pars probatur. ¶Secunda pars quòd actio non ſit forma abſoluta probatur. Primò, quia tantũ ſunt tria prædicamenta abſoluta, ſcilicet ſubſtantia, quantitas, & qualitas, ſed actio, ſiue actiua productio, non eſt ſubſtantia, quantitas, vel qualitas, ergo non eſt entitas abſoluta.

¶Secundò. Ad omnem formam abſolutam poteſt eſſe actio productiua, ſed nullius actionis eſt actio nec productio, ergo.

¶Tertiò. Quod eſt eſſentialiter ad aliud eſt formaliter reſpectus, ſed actio eſt formaliter ad aliud, ergo.

¶Quartò. Nulla forma accidentalis abſoluta deſtruitur, niſi vel deſtructo eius ſubiecto vel ab agente contrario, ſed actio ſiue actiua productio deſtruuntur, & deſinunt eſſe earum ſubiectis manentibus nulliſque exiſtẽtibus agentibus eis contrarijs, habito enim termino ceſſat omnis actio, & paſsio cũ maneat vtriuſque ſubiectum, nec terminus appoſitus ſit agens eis contrarium, ergo.

¶Vltimò. Ad formam ſubſtantialem in materia præſuppoſita introducenda nulla forma accidentalis abſoluta præuia eſt neceſſaria, niſi illa per quam materia diſponitur ad formam ſubſtantialem recipiendam, ſed nec actiua generatio, nec paſsiua, eſt diſpoſitiua materiæ ad receptionem formæ ſubſtantialis, ergo huiuſmodi actiua productio, vel paſsiua non eſt aliqua forma accidẽtalis abſoluta. Minor probatur. Quoniã forma accidentalis, quæ materiam ad formam ſubſtantialem aliquam diſponit remanet in materia, quam diſponit, vel ipſa, vel ſaltim alia eiuſdem rationis cum ea poſt formam ſubſtantialem in ipſa materia introductam (vt apparet de igne ex aqua genito in quo manet caliditas & ſiccitas, quibus mediantibus materia aquæ fuit alterata, & ad formam ignis recipiendam diſpoſita, non tamen ſic intelligendo, quod huiuſmodi qualitates priores alterantes, remaneant ſaltẽ omnes, cum aliquæ in corruptione aquæ ſubiecta ipſarum pariter corrumpantur, ſed quia manent aliquæ illarum, & aliæ cum eis eiuſdem ſpecificæ rationis) ſed forma introducta in materia nulla remanet productio actiua, nec paſsiua in ipſa, ergo nec productio actiua eſt aliqua forma accidentalis abſoluta.

¶Tertia autem pars, nempè quod actio non eſt forma abſoluta includens reſpectũ. Probatur primo. Quia actio non poteſt eſſe forma abſoluta, nec reſpectiua per ſe vna, ergo nec poteſt eſſe vtrumque ſimul. *3. pars probatur.*

¶Secundò. Aut huiuſmodi reſpectus eſſet cum illo abſoluto idẽ realiter, vel diuerſus, ſi primum, ergo actio non eſt realiter niſi forma abſoluta, cuius contrarium ſuperius probatur, ſi ſecundum ponatur, ergo inter omnem cauſam ſecundam, & effectum ſibi poſsibilẽ, erunt plura media realiter diſtincta: quia actiua productio, & paſsiua, quarũ productionum vtraque, vt ſupponitur, includit plura realiter diſtincta, ſed hæc & multa alia, quæ ſequuntur ad poſitionem iſtam, ſunt abſurda, ergo.

¶Quarta pars, ſcilicet quod actio, ſiue actiua productio, non ſit aliqua forma diſtincta aliquo modo in re extrà ab ipſa cauſa ſecunda, paſſo, & à forma in ipſo paſſo præſuppoſito introducta probatur. Primò. Si ignis fuiſſet æternus potuiſſet habere imò neceſſariò habuiſſet paſſo exiſtente ipſi approximato, & diſpoſito ignem æternum, vel ſaltim ſplendorem, cuius productio non requirit paſſum ab igne diſtinctum, ergo nec actiua, nec paſsiua productio ignis, vel ſplendoris, eſt forma aliqua per ſe vna diſtincta à producente, & à producto. Antecedens probatur per D. Auguſt. 6. de Trinit. cap. 1. vbi dicit quòd ſi ignis eſſet æternus, & ſplendor ab ipſo genitus ſibi eſſet coæternus, & 20. de Ciuit. Dei cap. 31. dicit quod ſi pes fuiſſet in puluere ab æterno ſemper ei ſubeſſet veſtigium, quod nemo dubitaret à calcante eſſe factum, nec altero alterum prius eſſet, etſi alterum ab altero factum eſſet, ſed cùm introductio formæ ſubſtantialis in materia diſpoſita vltimè, ſit inſtantanea non minus ſubſtãtia ſempiterna generatiua ſi fuiſſet, vt ignis, habere potuiſſet ſi paſſum diſpoſitũ habuiſſet ſubſtantiam coæuam, vel genitam putà ignem, vel accidentalem formam, videlicet veſtigium, vel ſplendorem, ergo. *4. pars probatur.*

¶Secundò probatur conſequentia. Quoniã ſi ignis, vel cuiuſcunque alterius ſubſtantiæ actiua, vel paſsiua generatio eſt forma media

media inter genetãs & genitum in re extra cùm ponatur eſſe forma in materia introducto, deſinẽs, termino eius in materia introducto, eſt per conſequens forma temporalis, quia nullum eſſe incipiens & raptim tranſiens (quale eſt omne momentaneum ſiue inſtantaneũ) poteſt exiſtere ſempiternum. Ex quo ſic impoſsibile eſt aliquod temporale antecedere aliquod ſempiternũ, nec aliquod ſempiternum poteſt exigere aliquod temporale, ſed ab igne æterno poteſt eſſe genetatus alius ignis ſempiternus, ergo nec eius actiua generatio (agẽs ipſum) eſt aliquod tẽporale, ſed ſi eſſet forma aliqua per ſe vna inſtantanea à generante & genito, diſtincta eſt vtique temporalis, quia inſtantanea (niſi dicas, quod ignis generans continuè generat, & generatus continuè generatur, quod falſum eſt) ergo.

¶Secũdò. Nõ plus actiua productio & paſſiua producentis ex tempore, & producti, debent diſtingui ab ipſis producente, & producto, quam actiua productio, & paſsiua à producente, & à producto æterno realiter diſtinguantur, ſed nec actiua productio, nec paſsiua alicuius creaturæ æternæ (ſi ponatur maximè inſtantanea) eſſet forma aliqua per ſe vna à producente, & à producto diſtincta, ergo nec etiã aliqua productio ſucceſsiua. Patet conſequentia, quia non magis diſtinguitur iſta ſucceſsiua quã inſtãtanea.

Tertia ſententia. ¶Tertia ſententia communis eſt apud Thomiſtas, quam latè defendit Soncinas. 5. Metaphyſi. quæſt. 37. quæ aſſerit quòd actio ſubiectiuè eſt in paſſo. Pro cuius explicatione aduertit quod actio poteſt accipi tripliciter. Vno modo pro relatione producẽtis ad productum, putà pro relatione ignis ad ignem, vel ad calorem, & hic reſpectus eſt de genere relationis. Alio modo pro reſpectu agentis ad paſſum, ſiue tranſmutantis ad tranſmutatum, putà ignis ad lignum, in quo cauſat calorem. Tertiò. Accipitur actio, put de ea loquitur Philoſophus 3. Phyſi. dicens quod actio & paſsio ſunt vnus motus, de quo ait Cõmentator com. 9. quod de moto duplex eſt opinio. Quidã enim dicũt quod motus eſt idem cum perfectione ad quam vadit, ſed differt ab ea ſecundum magis, & minus. Aliqui autem dicũt, quod motus eſt generatio partis poſt partem, & via ad perfectionẽ, quæ eſt alia à perfectione. Ex quo patet, quod idem iudicãdum eſt de ſubiecto actionis, quod iudicatur de ſubiecto motus.

¶Secũdò. Aduertit, quod actionem eſſe in paſſo non poteſt demonſtratiuè probari. His poſitis probat ſuam ſententiam nõnullis rationibus quarum prima eſt. Omnis motus eſt ſubiectiuè in paſſo, ſiue immobili, ſed actio eſt motus, ergo. Maior eſt Philoſophi, & minor. 3. Phyſic. tex. 18. Conſequentia verò eſt formalis.

¶Secundò. Idem eſt actus ſenſibilis, & ſenſitiui vt dicit Philoſ. 3. de anima, ſed paſsio eſt ſubiectiuè in ſenſu, ergo actio ſenſibilis quæ eſt idem actus cum paſsione ſenſus eſt in ſenſu.

¶Tertiò. Quia Cõmentator. 3. Phyſi. com. 18. expreſſe hoc ponit, ibi enim dicit tria. Primum eſt quod motus eſt perfectio motoris, & moti, ſed non eodem modo, quia eſt perfectio motoris, non tãquam aliquid exiſtens in eſſentia eius, ſecundùm quem modum eſt perfectio moti. Secũdum eſt quod actio motoris, quæ eſt mouere eſt quidem eius, ſed non eſt in eo. Tertiũ eſt quod actio agentis, & patientis eſt vna in ſubiecto, & duo in definitione, ergo actio non eſt in agẽte ſed in paſſo.

¶Quartò. Secundùm eundem Commentatorem vbi ſuprà com. 20. non eſt inopinabile, quod actio agentis ſit in alio, eſt enim maniſeſtum per ſe, quòd doctrina eſt actio docentis, & eſt in definitione ad diſcentem. Et com. 21. ſic ait. Actio & paſsio ſunt vnum ſecundùm ſubiectum, & diuerſa ſecundùm definitionem.

¶Quintò. Si actio eſt in agente, vel eſt principium actiuum agentis, vel relatio ad patiẽs, vel aliqua entitas abſoluta de nouo producta dum agit, ſed nihil horum poteſt eſſe, ergo. Probatur minor quoad omnes partes. Primum non eſt principium actiuum agentis, quia principium actiuum eſt principiũ actionis, ergo ſi actio eſt principiũ actiuum erit principium actionis ſiue ſui ipſius, ergo. Et præterea quia quotieſcunq; eſt actio, agens ſemper actu agit, at non ſemper quotieſcunque eſt principium actiuum ſemper actu agit, nam in igne dùm eſt, ſemper eſt principium calefactiuum, cum tamen non ſemper ignis actu calefaciat, ergo actio non eſt principium actiuum. Secunda pars probatur. Nam relatio pertinet ad categoriam ad aliquid, actio verò diuerſam facit categoriam, ergo. Nec valet perfugium Scoti dicentis eſſe relationem extrinſecùs aduenientem quia ſiue ſit relatio intrinſecè ſiue extrinſecè

trinſecè ſemper ad relationem pertinet. Tertia pars probatur. Quia illa entitas abſoluta de nouo produceretur per aliã actionem, & illa actio per aliam, & ſic in infinitum. Et prætereà quia agens de nouo accipiens illam entitatẽ abſolutã, in agendo per ſe à ſeipſo pateretur, & moueretur, ergo.

Sextum argum. ¶Sextò. Si omnis actio eſt in agente, ergò omnis actio eſt immanens & nulli tranſiẽs, quod eſt contra Ariſt. 9. Metaph. text. 16.

Septimum argum. ¶Septimò. Agere eſt mouere, & eſſe agens eſt eſſe mouens, ergo actio eſt motus. Patet ſequela. Nam agens non mouet niſi per actionem, ſed motus non eſt in mouenti, ſed in mobili, & paſſo, ergo. ¶Confirmatur. Actio eſt ens ſucceſsiuum, ſed ens ſucceſsiuũ nõ eſt in agente, ſed in paſſo, ergo.

Vltim. argum. ¶Vltimò. Agens in agendo non mouetur, & eſt agens formaliter per actionem in ipſo inhærentem, ergo prius eſt actio, quam ſit forma producta ſed non eſt priùs relatio forma producta, ergo idem erit prius & poſteriùs ſeipſo.

Vltima ſentẽtia. ¶Vltima ſententia eſt Doctoris in quamplùribus locis ſuæ doctrinæ, quem ſequuntur omnes Scotiſtæ, & Iauellus. 9. Metaphyſic. quæſtione. 15. concluſione. 1. ¶Pro cuius explicatione, & totius quæſtionis ſunt notanda nonnulla. Quorum primum eſt. Quod omnes iſtæ ſententiæ in aliquo conueniunt, & in aliquo diſtinguũtur. Conueniunt quidem primò. Quia omnes fatentur (præter nominales) prædicamentum actionis eſſe prædicamentum reale realiter, vel formaliter diſtinctum, & à prædicamento relationis & à prædicamento paſſionis, cum habeant aliam, & aliam definitionem. Secundò cõueniunt in hoc, quòd forma producta ab agente poteſt denominare denominatione extrinſeca ipſum agẽtem in ratione agentis, ſicut & viſio in vidente denominat denominatione extrinſeca parietem viſum, ſicuti etiam diximus in 1. diſputatione. 8. quæſtione. 1 5. concluſione. 3. quòd Deus denominatione extrinſeca dicitur realiter dominus, à relatione reali, quæ eſt in creatura, & non ab aliqua relatione, nec reali, nec rationis quæ ſit in ipſo Deo, vt licet videre apud Doctorem in 1. diſtinctione. 30. quæſtione. 2. ante literam K. Tertiò conueniunt quia omnes fatentur, quòd forma, quæ habet eſſe ab agente, reſpicit ipſum agens & eius principium actiuum alterum vt quod, alterum vt quo.

¶Differunt tamen, quia Caietanus ponit actionem eſſe vltimam actualitatem principij actiui, qua agens, ex eo quòd erat in potentia agens, reducitur ad actum & fit actu agens, v. g. ignis antequam producat calorem, vt ignis eſt, eſt principium quod, forma autem ignis eſt principium quo, & antea quam producat calorem eſt productiuus, non producens, ſed tantum potens producere, quare eſt in potentia ad producere. Per actionem autem, qua calorem producit reducitur ad actum & fit actu producẽs, quare illa actio, vel productio nihil aliud eſt quam vltima actualitas principij productiui, quia principium productiuum per ipſam fit principium producens. Guillelmus autem de Rubione cum nominalibus ponit prædicamenta non eſſe res extra animam, ſed eſſe diuerſa prædicabilia incomplexa, quare actio ſecundum ipſum tantum ſignificat principium actiuum, connotando terminum productum. Authores tamen tertiæ ſententiæ ponunt actionem præter formam productam, & motum tantum eſſe denominationem extrinſecam, & non formã realem in agente exiſtẽtem. Doctor autem ponit actionem eſſe formam realem in ipſo agente ſubiectiuè exiſtentem vt latiùs in hac quæſtione patebit.

¶Secundò eſt notandum, vt optimè aduertit Antonius Andreas ſuper librũ ſex principiorum cap. de actione, ex Doctore in 4. diſt. 13. quæſt. 1. quòd actio eſt nomẽ æquiuocum, & multiplex multa ſub vna voce & non ſub vnico concepto ſignificans. *Notab. 2.* Primò enim actio dicitur de actiõne immanẽte, ſcilicet de intellectione, & volitione, quæ potiùs ſunt qualitates, de genere qualitatis vt optimè docet Doctor in 1. diſt. 3. quæſt. 6. litera V. & in quolibetis quæſt. 3. à litera Y. vſque ad literam FF. Quare autem iſtæ qualitates appellentur actiones videnda ſunt, quæ diximus in 1. diſput. 10. q. 1. notab. 4. ex Doctore in illa diſt. 3. q. 6. litera Z. Et quare illa diuiſio actionis in immanentẽ, & tranſeuntẽ fit diuiſio æquiuoci in æquiuocata vide ibi, & quomodo poſsit eſſe vniuoci in vniuoca. Secundò. Actio ſumitur pro productione, & reſpectu producentis ad productũ. Quare (& eſt aduertendũ) actio in rigore reſpicit paſſum, & materiã. Productio verò tantũ reſpicit productum. Tertiò. Actio dicit reſpectum inducentis ad inductum & educẽtis ad eductum, & hoc modo

ignis dicitur cauſa caloris in ligno, educens illum de potentia paſsiua, & inducens illum in ligno. ¶Quarto modo. Actio dicit reſpectum tranſmutantis ad tranſmutatum iuxta illam definitionem actionis, in qua dicitur, actio eſt ſecũdum quam, in id quod ſubijcitur, agere dicimur, & iuxta illud Philoſ. 9. Metaphyſicæ vbi definiens potentiam actiuam dicit, quòd eſt principium tranſmutandi aliud inquantum aliud, & in hac ſignificatione, actio proprium conſtituit prædicamentum diſtinctum à paſsione, & relatione. ¶Vltimo modo ſumitur actio pro re acta includendo illum reſpectũ quem exprimit hoc quod eſt ab alio, vt dicitur 3. Phyſi. vnde actio illo modo pertinet quantum ad illud connotatum ad aliquod genus abſolutum ſecũdum quod paſſiuum tranſmutatur, nempè quantitatem, qualitatem, & huiuſmodi, ſed quantum ad reſpectum ſignatum, ſcilicet ab alio adhuc poteſt ſumi equiuocè vt ſcilicet, ab, vt à producente, inducente, vel educente, vel ab, vt à tranſmutante. Primo modo pertinet ad genus relationis. Secundo modo ád genus paſsionis, quia idem eſt quod tranſmutatio paſsiua.

Notab. 3. ¶Tertiò eſt notandum, quòd dum ignis calefacit aquam in illo motu, & calefactione paſsiua, qua aqua calefit, ſunt tres reſpectus. Primus eſt producẽtis ad productum, qui reperitur inter ignem producentem, & calorem productum, & iſte reſpectus, eſt relatio realis pertinens ad prædicamentum ad aliquid. Secundus reſpectus eſt educentis ad eductum, & iſte reperitur inter ignem educentem calorem de potentia ſubiecti & ipſum calorem eductum. Tertius eſt reſpectus tranſmutantis ad tranſmutatum, & reperitur inter ignem producentem calorem, & aquam recipientem illum, ratione cuius aqua, quæ frigida erat tranſmutatur de frigiditate in caliditatem, & quia talis tranſmutatio fit à producente calorem in aqua, ideò ignis reſpicit aquam vt tranſmutans illam, & talis reſpectus tranſmutantis ad tranſmutatum conſtituit prædicamentum actionis. Sumitur autem iſta differentia, vt docet Doctor vbi ſuprà, ex eo quòd agens creatum aliquid producens, habet vnum reſpectum ad terminum primum ſiue totalem, qui dicitur productus: habet alium reſpectum ad terminum formalem, qui dicitur forma inducta, vel educta: habet etiam alium reſpectum ad ſubiectum iſtius formæ, quod dicitur paſſum, vel tranſmutatum. Et quia iſti reſpectus ſunt ad alios, & alios terminos, ideò ſunt alij, & alij reſpectus; nam reſpectus producentis ad productum terminatur ad eſſe ſimpliciter compoſiti, vel totius. Secundus autem terminatur ad eſſe formæ. Tertius autem terminatur ad ſubiectum, quatenùs accipit aliud eſſe, & non ſuum eſſe proprium. Primus & ſecundus reſpectus, ſunt relationes reales pertinentes ad prædicamentum ad aliquid. Vltimus autem eſt relatio extrinſecus adueniens formaliter pertinens ad prædicamentum actionis.

¶Quartò eſt notandum, quòd cũ creaturæ ſint agentia imperfecta, non poſſunt producere aliquam formam in aliquo ſubiecto, niſi in materia, & per conſequens cùm materia non poſsit eſſe ſine aliqua forma, neceſſariò ſequitur habere in ſe diſpoſitionem contrariam formæ, quam intendunt inducere, ſicut v. g. quando ignis intendit producere calorem in aqua, inuenit in illo ſubiecto diſpoſitionem contrariam calori, quem intendit inducere, & per conſequens, quia debet expellere illam diſpoſitionem contrariam, ideò debet agere mediante motu, & per conſequens omnis actio agentis creati fit mediante motu. *Notab.* 4.

¶Quintò eſt notandum, quòd motus, vt diffinit Ariſtoteles 3. Phyſicorum. text. 6. eſt actus entis in potentia, ſecundum quod in potentia, quæ diffinitio ſic explicatur. Contingit enim aliquod ſubiectum tripliciter ſe habere ad aliquam formam, vno modo quod in pura potentia ad ipſam, nihil penitùs habens de ipſa, ſicut aqua frigidiſsima nihil habens caliditatis, tunc eſt in potentia pura reſpectu caliditatis. *Notab.* 5.

¶Secundo modo ſe habet ſubiectum ad formam in actu in ſummo, id eſt, habens de aliqua forma totùm, quod poteſt habere, ſicut verbi gratia, ſi frigiditas vt octo, eſſet ſumma frigiditas quam aqua poteſt habere, & aqua haberet frigiditatem vt octo, tunc aqua haberet illam formam actu in ſummo.

¶Tertio modo contingit quòd ſubiectum habeat formam medio modo inter puram potentiam & actum, in ſummo ſcilicet habendo formam, habeat eſſe diminutum & imperfectum, reſpectu eſſe quod poteſt habere, ſicut verbi gratia, ſi frigiditas aquæ

eſſet

eſſet tantum vt quatuor, tunc frigiditas non haberet omne eſſe, quod poteſt habere, quia poteſt eſſe frigiditas vt octo. Subiectum igitur ſub forma iſto modo, ad huc dupliciter poteſt eſſe ſub illa, vno modo taliter quòd illud ſubiectum pro aliquo tempore quieſcat ſub illa forma imperfecta, non tendens ad vlteriorem perfectionem, ſicut ſi aqua quieſceret ſub quatuor gradibus caloris. Alio modo ſi ſubiectum exiſtens ſub tali forma imperfecta tenderet ad vlteriorem perfectionem, vel diminutionem. In primo caſu cùm ſit quies non eſt motus. In ſecundo autem eſt motus, quia ſubiectum actu mouetur ſecundùm aliquam formam tendens àb eſſe imperfecto ad perfectum, vel ab eſſe perfecto ad imperfectum, & ſic motus eſt actus entis in potentia ſecundùm quod in potentia, id eſt, ſecundùm quod tendit & fluit ad vlteriorem gradum, ex quo fit, quòd ad hoc quòd aliquis actus ſit motus, requirit huiuſmodi fluxum, aut tendentiam in vlteriorem gradum.

¶Ex quibus infertur, vt communiter omnes concedunt, quòd ratio motus tria includit. Primò. Formam ſub eſſe imperfecto, nam iſta propoſitio eſt vera, & quidditatiua, calefactio eſt calor. Secundò includit ordinem, & tendentiam ad vlteriorem gradum, & iſta tendentia nihil aliud eſt, quam habitudo eiuſdem formæ ſub eſſe imperfecto ad ſe ipſam ſub eſſe perfectiori. Tertiò includit ordinem poſterioritatis actus imperfecti ad ſeipſum ſub eſſe perfectiori, ita quòd tempore ſequenti erit perfectior, quam nunc, & tempore præcedenti erat imperfectior, quam nunc. Ex his autem tribus. Primum dicit in recto, & alia duo in obliquo, ita quòd motus eſt forma, vt tendit ab imperfecto eſſe ad eſſe perfectius.

¶Ex quibus infertur ſecundò, quòd in motu non reperiuntur tria, quorum alterum ſit res, quæ mouetur, & alterum, res, quæ acquiritur, & alterum res ab vtraque diſtincta, quæ dicitur motus, ſed illa eadem met forma, quam ſubiectum acquirit continuè, ſecundum quod eſt actus incompletus ipſius ſubiecti, tendens ad complementum, eſt motus, & per conſequens, nec illud præciſe, quod mobile habet actu, nec illud præciſe, quod habebit ad quod eſt in potentia, ſed vtrumque ſimul eſt motus, & de vtroque ſimul motus verificatur.

¶Ex quibus infertur tertio, quod priùs forma debet habere aliquale eſſe ab agente, quàm quòd ſubiectum moueatur, & ſit motus, nam priùs eſt quòd forma ſit, quam quòd forma ſit fluens, nam fluxus ille ſubiectatur in forma, & per conſequens videtur dicendum, quòd illa forma, ſecundùm quod forma, non habet eſſe per motum, ſed tantum ſecundũ quod eſt forma fluens, vel iam in eſſe perfecto.

¶Sextò eſt notandum cum Doctore in reportatis ſuper 4. diſtinctione. 13. quæſtione. 1. quod agens creatum reſpicit tria. Primò agit per motum producendo terminum totalem. Secundò inducendo terminum formalem. Tertiò alterando principium paſſiuum, & iſtud vltimum, eſt propriè actio de genere actionis quia iuxta doctrinam Philoſophi. 5. Metaphyſi. text. 17. potentia actiua, eſt principium transmutandi aliud in quantum aliud, & per conſequens actio, quæ eſt actus potentiæ actiuæ, erit tranſmutatio paſſi in quantum paſſum eſt. *Notab. 6.*

¶Ex quibus infertur primo, quòd actio & productio nõ ſunt idem reſpectus, quia productio tantum reſpicit terminum productum, non autem materiam, vel ſubiectum. Actio autem non reſpicit terminum productum ſed tantum materiam, vel ſubiectum tranſmutatum.

¶Ex quibus infertur ſecundò, quòd aliud eſt dicere, In omni productione agentis creati reperitur actio, & aliud eſt dicere, omnis productio agentis creati eſt actio. Prima propoſitio vera eſt, quia omne agens creatum producit ſuum terminum tranſmutando ſubiectum. Secunda autem propoſitio eſt falſa, quia facit hunc ſenſum, productio vt productio eſt reſpicit materiam.

¶Prima concluſio. Si actio ſumatur pro re acta, eſt ſubiectiuè in paſſo. Hæc concluſio eſt Doctoris in 4. diſtinctione. 13. quæſtione. 1. ante literam I. & communis eſt apud omnes tam Scotiſtas, quam Thomiſtas, eam ponit expreſsis verbis Chryſoſtomus Iauellus. 9. Metaphyſicæ. quæſtione. 15. concluſione ſecunda. & probatur à Doctore ex Philoſo. 3. Phyſicorum. textu 19. nam actio vt ſumitur pro re acta pertinet ad aliquod genus abſolutum *Prima concluſio.*

ſecundùm quod paſſum tranſmutatur, vt potè ad quantitatem, & qualitatem, & huiuſmodi, ſed quæcunque forma ſecundum quam paſſum tranſmutatur, eſt ſubiectiuè in paſſo, ergo.

¶ Secundò. Talis forma eſt ſubiectiuè in aliquo, ſed non in agente, ergo in paſſo. Probatur minor, quia ſi ponitur in agente, tunc eſſet in ipſo ſubiectiuè, & per conſequens agens mutaretur in agendo, vel agens inquantum agens, eſſet patiens, quod eſt falſum.

Secunda concluſio. ¶Secunda concluſio. Actio quatenùs actiò eſt ſubiectiuè in agente. Hæc concluſio eſt Doctoris in 4. in illa quæſtione ſupra citata, & omnium Scotiſtarum, quam defendunt quam plurimi ex Thomiſtis vti Caietanus 1. parte. quæſtione. 25. articulo. 1. & ex profeſſo Archiepiſcopus Hiſpalenſis in ſuo defenſorio Diui Thomæ ſuper primum diſtinctione. 27. quæſtione. 1. notabili. 3. quam dicit eſſe ſententiam D. Thomæ in quam pluribus locis ſuæ doctrinæ (libuit tamen totam eius doctrinam hic adducere, antequam probem concluſionem Doctoris.)

Notab. 3. ¶Dicit enim ibi tertiò, notandum eſt, prout accipi poteſt ex dictis ſancti Thomæ in diuerſis locis dupliciter dicuntur, vno modo ipſe motus cauſatus ab agente in paſſum, dicitur materialiter actio & paſsio. Idem enim motus, ſecundum quod eſt ab agente, dicitur actio, ſecundum verò quod recipitur in patiente, id eſt, ſecundum quod patiens afficitur ipſo motu, qui eſt forma fluens, dicitur paſsio, & ſic loquitur Phil. 3. Phyſicorum, vbi dicit quòd actio & paſſio ſunt idem motui ſcilicet ſubiecto, differunt tamen quantum ad rationes quidditatiuas, ſic etiam ſanctus Thomas loquitur de actione & paſsione in pleriſque locis. Alio modo dicitur actio ipſius motus cauſatio, vel originatio ab agente, & paſſio dicitur ipſius motus receptio, vel affectio in paſſum, (loquimur nunc de motu ſecundum quod propriè & ſubſtantialiter eſt forma fluens ab imperfecto ad perfectum,) & in hac actionis acceptione loquitur Diuus Thomas de actione, & paſsione 2. contra gentiles. capite. 57. vbi dicit in tertia ratione, licet motus ſit communis actus mouentis & moti tamen alia operatio eſt facere motum, & recipere motum, vnde duo prædicamenta ponũtur facere, & pati. Hæc ille. ¶ De iſto modo actionis videtur intelligere in commento ſuper lib. 3. Phyſicorum. lectione. 4. exponens illud Philoſophi, ſed eſt actiuum mobilis, dicit enim. Idem eſt quod mouens agendo cauſat, & quod motum, id eſt, quod mouetur patiendo recipit, & hoc eſt quod dicit Philoſophus quod mouens eſt actiuum mobilis, id eſt, actum mobilis cauſat. Hæc ille, ſed actus mobilis eſt motus, ergo cum illum cauſet mouens, ſequitur quòd ipſa cauſatio alius actus ſit à motu, quod autem immediatè ſequitur. Quare oportet vnum eſſe actum vtriuſque intelligi debet de actu, qui eſt motus. Vnde in eadem expoſitione ſanctus Thomas vtrumque modum actionis videtur tangere, & actionem, quæ eſt motus, quem dicit eſſe vnum actum motiui ſeu mouentis, & mobilis, & actionem, qua motus cauſatus tendit in id quod mouetur.

¶Iſto etiam modo videtur accipere actionem. 1. parte. quæſtione. 54. articulo. 1. in corpore, vbi dicit quod actio eſt actualitas virtutis ſcilicet motiuæ, cùm autem motus non ſit actus, ſeu actualitas motiui, ſed mobilis prout Philoſophus inquit. 3. Phyſicor. videtur, quod ſanctus Doctor accipiat actionem non pro motu ſed pro ipſius motus factione, ſeu productione, id eſt pro eo, quod eſt producere, vel efficere, ſeu cauſare motum. ¶Hoc etiam modo videtur loqui de actione de potẽtia Dei quæſtione. 8. articulo. 2. in corpore vbi ſic dicit, nihil prohibet aliquid eſſe inhærens, quod non ſignificatur vt inhærens, ſicut actio non ſignificatur vt in agente ſed vt ab agente, & tamen conſtat actionem eſſe in agente. Hæc ille. Cùm autem motus non ſit in agente, vel mouẽte ſicut in ſubiecto ſed in eo, quod mouetur, patet quòd ſanctus Doctor non loquitur ibi de actione, quæ eſt motus.

¶Iſto eodem modo videtur loqui de actione. 1. ſententiarum. diſtinctione. 32. quæſtione. 1. articulo. 1. in corpore, vbi dicit. Actio enim, ſecundum quod eſt actio, ſignificatur vt ab agente, & quòd ſit in agente hoc accidit ſibi inquantum eſt accidens. Hæc ille. Ex quo ſequitur, quod actio, de qua loquitur, ſit in agente ſicut in ſubiecto, vt accidens eius. Motus autem non accidens ipſius agentis, vel mouentis, ſed mobilis, ergo. ¶Sic denique videtur loqui ſanctus Doctor de actione. 1. parte. quæſt. 41. articul. 1. ad ſecundum. vbi dicit quòd actio ſecun-

ſecundùm primam nominis impoſitionem, importat originem motus, id eſt originationem, vel cauſationem motus. Et parùm infrà ait. Remoto igitur motu, actio nihil aliud importat quam ordinem originis, ſecundùm quod à cauſa aliqua, vel principio procedit. Hæc ille. Ex quo videtur quòd loquitur de actione, quæ non eſt eſſentialiter motus, ſed eius originatio, vel cauſatio.

¶Item in hac acceptione videtur loqui de actione 2. ſententiarum. diſtinctione. 40. quæſtione. 1. artic. 4. vbi arguit primo ſic. Quia, vt in 3. phyſicorum dicitur, idem motus, qui eſt in agente, eſt actio, & in patiente, paſsio ſecundum ſubſtantiam differens ratione, ſicut eadem eſt via ab Athenis ad Thebas & de Thebis ad Athenas, ſed cõtingit actionem eſſe malam, & paſsionem bonam, vnde dicitur, actio diſplicuit (ſcilicet Iudæorum) paſsio grata fuit (ſcilicet Chriſto) ergo contingit eundem actum eſſe bonum & malum. Ad hoc reſpondet dicendo, quòd cùm actio ſit in agente, & paſsio in patiente, non poteſt eſſe idem numero accidens quod eſt actio, & quod eſt paſsio, cum vnum accidens non poſſit eſſe in diuerſis ſubiectis, vnde etiam Auicēna dicit quòd non eſt eadem numero æqualitas in duobus æqualibus, ſed ſpecie tantùm, ſed quia eorum differentia non eſt niſi penès terminos, ſcilicet agens, & patiens, & motus abſtrahit ab vtroque termino, ideò motus ſignificatur vt ſine iſta differentia, & propter hoc dicitur, quod motus eſt vnus. Hæc ſanctus Thomas. Ex quibus verbis ſatis apparet, quod non loquitur ibi Doctor ſanctus de actione, quæ eſt motus, nam cùm dicat quòd actio eſt in agente ſicut in ſubiecto, & quòd vnum accidens non eſt in diuerſis ſubiectis, manifeſtè accipitur quòd non loquitur de actione, quæ eſt motus, cùm motus ſit in mobili, vel in paſſo ſicut in ſubiecto, & non in agente.

¶De iſta actione quæ ſcilicet antecedit, & cauſat motum, loquitur Albertus Magnus ſuper 3. Phyſic. titulo. 1. capite. 3. vbi recitatis quorundam opinionibus de motu inquit. Si nos loquimur de motu ſecundùm eſſe, quod habet in mobili, nos loquimur verè de eſſentia motus. Et parum infrà. Si autem attendatur in comparatione ad mouentem, à quo motus cauſatur, ſic motus eſt actionis agentis effectus, & non actio eius, quia actio eſt in agente, & motus in mobili, ſicut dixit obiectio ſuperius inducta, & tunc motus firmatur in actione, ſicut effectus in cauſa, & actio firmatur in motu, ſicut cauſa in effectu. Et non puto hoc eſſe verum quod mouere mouentis, ſit motus mobilis eſſentialiter niſi intelligatur, quòd hoc mouere, quod eſt à mouente eſt in mobili ſicut à ſuſcipiente mouere mouentis, ſed non ſuſcipit ipſum per modum eius quod eſt mouere, ſed per modum eius quod eſt moueri. Hæc Albertus. Et quaſi immediatè ſubiungit. Si autem conſideratur motus ſecundum quod eſt affectio mobilis, quæ affectio cauſatur à motu, hoc eſt, à forma fluente, de eſſe in eſſe eò quòd mouetur, ſic motus eſt in prædicamento paſſionis ſecundum rei veritatem. Hæc ille. Et parùm infra reſpondens rationibus probantibus quòd motus ſit actio, ait ſic. Ea igitur, quæ ad hoc inducta ſunt, quòd motus ſit in actione ſoluuntur per hoc, quòd actio dupliciter dicitur, ſcilicet materialiter, & formaliter (hoc eſt) id quod eſt actio ſecundum quod eſt agentis & comparatio agentis ad patiens, & primo quidem modo motus eſt actio agentis, quia eſt id quod eſt ab agente ſiue mouente. Secundò autem modo motus non eſt actio, ſed eſt effectus actionis, & per hoc patet ſolutio trium primorum. Hæc Albertus. Et parùm infrà dicit. Ea autem quæ inducuntur ad hoc quòd motus ſit in prædicamento paſsionis multi concedunt, ſed tamē poteſt dici ad ea quòd motus aliud eſt, quam affectio mobilis facta in motu, & per motum, & affectio quidem in paſsione eſt, motus autem non. Hæc ille. In quibus videtur concorditer ſentire ad ea, quæ ſupra inducta ſunt ex dictis ſancti Thomæ lib. 2. contra gentes. cap. 57. Ex ſupradictis concluditur ex dictis ſancti Thomæ, quod omnis actio ſiue immanens, ſiue tranſiens excepta actione, quæ eſt ipſe motus, eſt in agente ſicut in ſubiecto.

¶Idem etiam docet Albertus Magnus lib. 1. ſententiarum. diſtinctione. 26. articul. 13. ad penultimum. In actione, inquit, eſt id quod eſt accidens, & ſecundum hoc eſt in agente, & eſt id quod eſt actio, & ſecundum hoc eſt ab agente in patiens. Hæc ille. Quod autem dicit, id quod eſt actio eſt ab agente in patiens, eſt intelligendum obiectiuè, & terminatiuè, non ſubiectiuè,

non enim eidem actioni numero debetur duplex ſubiectum, vnum ſecundùm quod eſt accidens, & aliud ſecundùm quod eſt actio, nam vnitas numerica in omni accidenti, eſt ab vnitate ſubiecti. Et præterea actio inquantum eſt actio, ſecluſa ratione accidentis non habet reſpectum, vel habitudinem ad ſubiectum, ſed ad principium à quo eſt, & ad terminum, vel obiectum ad quod eſt. ¶Item idem Albertus libro. 2. diſtinctione. 40. articulo. 5. arguit primo loco ſic. Vnus numero actus fuit crucifixio Iudæorum, & paſsio Chriſti, quæ tamen placuit Iudæis, & actus Iudæorum diſplicuit Deo, ergo idem actus placuit, & diſplicuit. Ecce argumentum ad quod reſpondet. Ad primùm dicendum quòd non eſt idem, ſcilicet actus, actio, & paſsio, quia actio eſt in agente, ſicut accidens in ſubiecto, licet ſit ab ipſo ſicut à cauſa; & ideò licet paſsio placeat non oportet quòd actio placeat, quia non ſunt idem eſſentialiter, licet ſimul ſint, & vnum efficiatur ab altero. Hæc ille. Hactenus illuſtriſsimus Archiepiſcopus. Ex quibus omnibus ſatis manifeſtè manet probata concluſio noſtra ex dictis Diui Thomæ. ¶Nec ſolutio Soncinatus. 5. Metaphyſi. quæſtione. 37. poſt quintum argumentum, quo probat ſuam ſententiam, aliquid valet, quando dicit actionem eſſe in paſſo ſubiectiuè, in agente autem vt in principio à quo, & quod ad hunc ſenſum intelligendæ ſunt omnes propoſitiones, in quibus aliquando Sanctus Thomas viſus eſt dicere actionem eſſe in agente, etſi aliquando dicat eam eſſe in agente, vt in ſubiecto, accipit ibi ſubiectum pro omni eo, quod ſe habet modo ſubiecti, reſpectu formæ denominantis, agens enim ita denominatur ab actione, ac ſi in eo eſſet ſubiectiuè. Iſta tamẽ ſolutio voluntaria eſt D. Thomæ explicatio, nam ſi D. Thomas in locis ſupra citatis aſſerit, nihil prohibere aliquid eſſe inhærens, quod non ſignificatur vt inhærens, ſicut actio quæ non ſignificatur in agente, ſed vt ab agente, & tamen conſtat actionem eſſe in agente, ſi Diuus Thomas ibi loquitur de eſſe in agente inhærendo, quomodo poteſt explicari per denominationem? Et ſi in 2. ſententiarum. diſtinctione. 40. ſupra citata dicit quòd actio, & paſsio nõ ſint idem numero accidens, cùm ſint in diuerſis ſubiectis, quomodo poteſt exponi Diuus Thomas dicendo, quod ſunt in diuerſis ſubiectis, quia ita denominant diuerſa ſubiecta, ac ſi eſſent in diuerſis ſubiectis? & ſic vel D. Thom. mutabit ſententiam, vel tenet noſtrã concluſionem.

¶Vltra prædicta autem modo probo prædictam concluſionem. Si actio non eſt formaliter, & ſubiectiuè in agente, ſed in paſſo, ergo neceſſariò dat paſſo aliquod eſſe. Probatur ſequela. Quia nulla forma realis eſt in aliquo ſubiecto, niſi per informationem, ſed informatio formæ non eſt niſi tribuendo eſſe, ergo nulla forma realis eſt in aliquo ſubiecto, niſi tribuendo eſſe, ſed actio eſt forma realis, & eſt ſubiectiuè in paſſo, ergo tribuit paſſo aliquod eſſe, ſed non eſſe paſſum, quia hoc habet ſubiectum à paſsione, nec eſſe agens, quia tunc patiens eſſet agens, ergo vel inutiliter eſt in paſſo, vel eſt ſubiectiuè in agente. *Primo probatur.*

¶Ad hoc argumentum reſpondent nõnulli dicentes, quod actio dat ipſi paſſo aliquod eſſe, ſcilicet eſſe actuatum, vel actiuatum, vel ſecundo quòd dat ei eſſe ſubiectum actionis. *Solutio.*

¶Sed iſtæ ſolutiones nihil valent. Imprimis prima ſolutio nullam poteſt continere veritatem, nam illud eſſe actuatum, vel actiuatum, vel eſt diſtinctum ab eſſe quod tribuit forma ſubiecto, vel eſt idem, ſi eſt diſtinctum, ergo ſubiectum in receptione cuiuſcunque formæ ab agente inductæ dupliciter patitur, ſcilicet, & recipiendo eſſe à forma, & recipiendo eſſe ab actione. Si autem eſt idem eſſe cum eſſe formæ, ergo actio nullum eſſe tribuit ſubiecto. ¶Nec ſecunda ſolutio poteſt ſuſtineri, nam agens ad ſuam actionem præſupponit ſubiectum actionis, ergo per ſuam actionem non facit illud ſubiectũ. ¶Quare aliter poteſt reſponderi ad prædictum argumentum dicendo. Quòd cùm actio ſecundùm rem ſit paſsio rãtum denominat ſubiectum in quo recipitur, & ſic tantùm denominat paſſum ſecundũ eſſe patientis. ¶Iſta tamen ſolutio non euacuauat difficultatem, nam hoc tantùm eſt dicere, quòd paſsio eſt in paſſo, & per conſequens actio, vt ſaltim formaliter diſtincta à paſsione, nullum eſſe tribuit, quod eſt intentum in argumento. Probatur ſequela. Actio quatenus actio, non tribuit eſſe paſſo, nec agenti, ergo inutiliter ſe habet quatenus actio eſt. *Impugnatio.*

¶Secundò. Vbi eſt effectus formalis ibi eſt forma, ſed in agente eſt effectus formalis actionis, *Secundo probatur.*

actionis,ergo ibi eſt actio ſubiectiuè. Maior patet, quia effectus formalis eſt effectus inſeparabilis à forma. Minor autẽ probatur, *Solutio.* quia agens actione eſt agens. Ad hoc argumentum reſpondent nõnulli dicentes, quòd effectus formalis eſt duplex, quidam ſecundum rem & denominationem, vt paries eſt albus albedine realiter & denominatiuè, & de hoc conceditur maior, quidam verò eſt ſecundum denominationem tantùm, & de hoc negatur maior, quia denominatio poteſt fieri ab aliquo extrinſeco, ſicut v. g. locatum denominatur à loco, qui non eſt ſubiectiuè in locato ſed in locante, & paries denominatur viſus à viſione, quæ non eſt ſubiectiuè in pariete ſed in vidente. Sic in propoſito actio denominat agens denominatione extrinſeca, licet ſit ſubiectiuè in paſſo. *Impugnatio.* Sed contra iſtam ſolutionem ad oculum eſt impugnatio. Viſio enim non denominat parietem videntem nec denominatione intrinſeca, nec denominatione extrinſeca, ſed tantum parietem viſum, actio autem denominat agentem, agentem, ergo non eodem modo ſe habent actio reſpectu agentis, & viſio reſpectu parietis. ¶Et confirmatur. Forma denominans aliquid extrinſecè debet denominare aliud intrinſecè, ergo ſi actio denominat agens extrinſecè, debet aliud denominare intrinſecè, ſed nihil reperitur intrinſecè denominatum ab actione, vt probatum eſt in prima ratione, ergo nec poterit agens extrinſecè denominare. Maior patet in omnibus denominationibus extrinſecis, vt eſſe viſum, eſſe cognitum, eſſe volitum. Minor autem probatur quia actio non denominat intrinſecè agẽs, nec paſſum, quatenus actio eſt, ergo nec denominat extrinſecè ipſum agens.

¶Ad hanc confirmationem poſſent reſpondere prædicti opinantes dicẽdo, quod actio, quatenus paſsio eſt, denominat intrinſecè paſſum & extrinſecè agens. Contra ergo: paſsio quatenus paſsio eſt denominat extrinſecè agens, & non actio. Probatur ſequela, illud denominat extrinſecè agens, quod denominat intrinſecè paſſum, ſed paſsio, quatenus paſsio eſt, vel res, quæ eſt paſsio, quatenus paſsio eſt denominat intrinſecè paſſum, ergo paſsio quatenus paſsio eſt, vel res, quæ eſt paſsio, quatenus paſsio eſt, denominabit extrinſecè agens, & non quatenus actio eſt.

3. Probatur. ¶Tertiò. Omnis perfectio formaliter eſt in illo cuius eſt perfectio, ſed actio eſt perfectio agentis, ergo eſt ſubiectiuè in agente. Maior eſt manifeſta, quia nihil formaliter perficitur niſi per aliquid ſibi intrinſecum. Minor autem probatur, quia tunc agens eſt in vltima perfectione, quando actualiter operatur, ergo. ¶Ad hoc argumentum prædicti opinantes reſpondent dicendo, quòd loquendo de agente, quod tantum eſt agẽs. Minor eſt falſa, ſumendo (ly agentis) pro ſubiecto, licet ſit vera ſumẽndo (ly agentis) pro principio, vt illuminatio eſt ſolis, id eſt, à ſole. Et ad probationem dicitur, quòd concludit actionem eſſe ſignum vltimæ perfectionis in agente, nam ex eo quod agit arguitur vltima perfectio in eo, perfectius eſt enim eſſe actuale principium actionis quam potentiale. *Impugnatio.* ¶Iſta tamen ſolutio non ſoluit argumentum, quod probatur primo, quia agens, quod non eſt ſua actio, nec cuius virtus actiua eſt ſua operatio exiſtens in actu primo eſt in potentia ad operationem, & reducitur ad actum ſecũdum per talem operationem, ergo illius operatio formaliter perficit illud. ¶Secundò. Agens non vniformiter ſe habet non agendo & agendo, ergo actio aliquid ponit in agẽte. ¶Tertiò. Actio ſecundùm prædictos eſt ſignum vltimę perfectionis in agente, ergo antequam agens ageret nõ erat in vltima perfectione, & per conſequens aliquid eſt ponendum in agente diſtinctum ab ipſo agente, & eius potentia actiua, quod formaliter illud perficiat, & hoc eſt actio, quod facit illud formaliter agens, ergo actio eſt aliquid in agente.

Ad argumenta pro ſecũda ſententia. ¶Reſpondetur argumentis pro ſecunda ſententia dicendo, quod omnia illa probant, actionem non eſſe aliquid diſtinctum à potentia actiua & ab agente, & à forma inducta, quia nec entitas abſoluta nec reſpectiua, ſed ad omnia illa reſpondebitur quæſtione ſequenti. *Ad primũ argum.* ¶Ad argumenta autem, quibus probat, quod actio non eſt aliqua forma diſtincta aliquo modo in re extra, ab ipſa cauſa ſecunda à paſſo, & à forma in ipſo paſſo præſuppoſito introducta, reſpondetur concedendo maiorem & minorem, & negando conſequentiam. Et ad primam probationem dicitur, quod quantumcunque agens ſit inſtantaneus, ſi non eſt actus puriſsimus, præintelligitur prioritate naturæ in potentia ad ſuam operationem. ¶Ad ſecundam probationem conſequentiæ reſpõdetur dupliciter. Primo ſecundũ nõnullos,

quod actio eſt quid medium inter agẽtem, & formam actam, & licet operatio ſit inſtãtanea, in qua non reperitur prius & poſterius ſecundum tẽpus, reperitur tamen prius & poſterius ſecundum naturam.

Ad ſecundum arg. ¶Ad ſecundum reſpondetur concedẽdo maiorem, & negando minorem.

Ad argumenta pro tertia ſententia. ¶Ad argumenta pro tertia ſententia cõmuni apud Thomiſtas. *Ad primum arg.* Ad primum. Quod motus eſt ſubiectiuè in paſſo, actio autem de genere actionis non eſt motus, ſed res acta, qua tenus ab eſſe imperfecto tendit ad eſſe perfectum, illa eſt motus, & de illa iam diximus in prima concluſione, quod eſt ſubiectiuè in paſſo.

Ad ſecundum arg. ¶Ad ſecundum reſpondetur, quod in operationibus immanentibus etiam ipſi cõcedũt non eſſe philoſophandum, ſicut in tranſeuntibus, quare ſenſatio, & eſt ſubiectiuè in agẽte, & in paſſo. ¶Secundo reſpõdetur. Quod ſenſatio paſsiua de qua loquitur ibi Philoſophus eſt à forma, per quam ipſum ſenſibile afficitur, non autem ſenſatio actiua.

Ad tertiũ argum. ¶Ad tertium reſpondetur. Quod Commentator ibi loquitur de forma facta, quæ eſt perfectio extrinſeca ipſius agentis, non autem de actione, quæ eſt perfectio intrinſeca ipſius agentis.

Ad quartum arg. ¶Ad quartum reſpondetur, & eſt explicatio præcedentis ſolutionis, quod quando dicimus doctrinam eſſe in diſcente tanquam in ſubiecto, manifeſtè apparet, quod doctrina ibi eſt quædam qualitas afficiens intellectum diſcentis, qua efficitur ſciens, & iſta qualitas eſt forma facta, & de hac diximus iam in prima concluſione.

Ad quintum arg. ¶Ad quintum reſpondebitur quæſtione ſequenti.

Ad ſextũ argum. ¶Ad ſextum reſpondetur negando ſequelam. Nam actio aliqua, vt diximus quæſtione præcedẽti, & docet Archiepiſcopus Hiſpalenſis in ſuo defenſorio D. Thomæ ſuper primum diſt. 27. quæſt. 1. articul. 3. notabili. 1. non ideo dicitur tranſiens, quaſi ipſamet formaliter tranſeat ab agente impatiens (verba ſunt Archiepiſcopi) vel in rem exteriorem, ſicut quidam male & pueriliter videtur ſentire, nam accidens idem numero migrare nõ poteſt à ſubiecto in ſubiectum, nec poteſt eſſe in diuerſis ſubiectis ſecundum naturam, ſed tranſitus ille intelligi debet effectiuè, dicuntur nanque actiones tranſeuntes ea ratione, quod habeant pro obiecto, & termino rem extrinſecam agẽti, circa quam aliquem effectum habent & cauſam, vnde & creatio, actio dicitur tranſiens à ſancto Thoma in 1. diſtinctione. 40. quæſtione. 1. articulo. 1. in corpore, & 1. parte. quæſt. 34. articulo. 3. ad ſecundum. quæ tamen eſt ipſa eſſentia diuina, dicitur autem creatio actio tranſiens, quia rem extra Deũ creantem cauſat, vel producit. Per contrarium dicuntur actiones immanentes, quæ ſcilicet non habent pro obiecto & termino rem extrinſecam agenti, circa quam aliquid efficiant realiter, ſicut intelligere, & velle. Differentia igitur inter actiones tranſeuntes, & immanentes, inquantum huiuſmodi non ſumitur ex parte ſubiecti in quo ſunt, ſed ex parte obiecti, vel termini circa quæ ſunt. Hactenus illuſtriſsimus Archiepiſcopus: per quod reſponſum manet ſextum argumentum.

Ad ſeptimum arg. ¶Ad ſeptimum reſpondetur, quod eo modo quo actio eſt motus, eo modo agere eſt mouere. ¶Ad confirmationem reſpondetur, quod procedit de actione, quæ eſt forma facta.

Ad vltimum arg. ¶Ad vltimum reſpondebitur quæſt. 14. & hæc de iſta quæſtione.

QVÆSTIO XIII.

¶Vtrùm actio, quæ ſubiectiuè eſt in agente ſit forma abſoluta, vel reſpectiua.

Prima ſententia. DE hac re duplex eſt principalis ſententia. Prima eſt Archiepiſcopi Hiſpalenſis in ſuo defenſorio ſancti Thomæ ſuper primum diſt. 27. quæſt. 1. notabili. 4. vbi aſſerit, quod in actionibus, quæ non fiunt cum motu, vel ſe habent antecedenter ad motum, ſicut eius cauſatio, vel originatio, ſeu productio, præter habitudines agentis ad paſſum, vel producentis ad productum, vel è conuerſo, oportet intelligere aliquem actum ſecundum elicitum ab agente vel producẽte, qui habeat rationem productionis, emanationis vel cauſationis, aut quocunque alio nomine ſignificetur alicuius naturæ formæ, vel effectus circa rem, quæ eſt obiectum, vel terminus actionis.

Primum argum. ¶Hanc ſuam ſentẽtiam probat primo: nam ſi ſubſtracto motu in huiuſmodi actionibus nihil aliud remaneret, niſi relationes, vel habitudines, ſequerentur duo inconuenientia, vnum

vnum eſt, quòd actio & paſsio ſecundũ formales rationes & quidditatiuas eſſent relationes, & per conſequens de prædicamento ad aliquid, ac per hoc actio & paſſio non conſtituerent duo prædicamenta diſtincta à prædicamẽto ad aliquid, quòd eſt contra communem doctrinam Philoſophorum, & Theologorum. Probatur ſequela. Actio, & paſsio non habent à motu, circa quem ſunt, quòd reponantur in prædicamẽtis actionis, & paſsionis, cum motus non ſit in ipſis prædicamentis, ſed reponitur in prædicamento ſui termini, ergo ſi actio & paſſio (vniuerſaliter loquendo) non eſſent aliquid præter motum niſi habitudines vel reſpectus, neceſſario ſequeretur, quòd motu ſubſtracto, actio & paſsio eſſent de prædicamento relationis.

Secũdum argum. ¶Secundò probatur prædicta ſententia, nã aliud inconueniens eſt quòd ipſæ habitudines vel relationes, quæ remanerent ſublato motu nulla ratione poſſunt dici habitudines vel relationes agẽtis ad paſſum, vel producentis ad productum, & econuerſo magis quam aliæ quæcunque habitudines, vel relationes. Probatur ſequela. Nam ſolis relationibus non habet aliquid, niſi quod referatur ad aliud, & quod ſit relatiuum, non quod ſit agens vel producens, aut patiens vel productum, aliàs omnis relatio id haberet, quòd falſum eſt.

Tertium argum. ¶Tertiò. Relatione nihil producitur, ſed actione aliquid producitur, ergo actio non eſt relatio. Maior eſt Philoſophi. 5. Metaphyſicæ, minor autem de ſe patet, ergo in agente vltra relationẽ debet dicere aliquod abſolutum in agente.

Quartum argum. ¶Quartò. Vnum correlatiuum non eſt cauſa ſui correlatiui, quia ſunt ſimul natura, ſed producete eſt cauſa, vel principium producti, & conſtat, quòd formaliter habet eſſe per productionem, ergo productio illa non eſt ſola relatio ad productum. Probatur conſequentia. Producens eſt prius producto; ſed relatiuum eſt ſimul natura cum ſuo correlatiuo, ergo productio non eſt relatio.

Quintum argum. ¶Quintò. Secundùm Philoſophum. 5. Metaphyſicæ. c. de ad aliquid, relatio ſecundi modi fundatur ſuper actionem & paſsionẽ, ſed relatio non fundatur ſuper relationem, ergo actio non eſt relatio,

Vltim. argum. ¶Vltimò. Actio nõn eſt relatio intrinſecus adueniens, nec etiam eſt reſpectus extrinſecus adueniens, ergo nullo modo actio eſt relatio. Maior eſt manifeſta, & minor probatur, quia talis reſpectus extrinſecus adueniens confictus eſt ab Scoto. ¶Et præterea, quia ratio formalis relationis, quæ traditur ab Ariſtotel. eſt eſſe ad aliud, ergo quidquid per ſe habet talem rationem formalem ſiue extrinſecè ſiue intrinſecè pertinebit ad cathegoriam ad aliquid.

Secunda ſentẽtia. ¶Secunda ſententia eſt Doctoris in. 4. diſt. 13. quæſt. 1. litera. B. & omnium Scotiſtarũ ibi. Pro cuius explicatione & totius quæſtionis ſunt notanda nonnulla, quorum primum eſt. *Notab. 1.* Quòd actio, de qua loquimur in præſentiarum, vt diſtinguitur à productione actiua, eſt tranſmutatio actiua alterius tranſmutabilis inquantum alterum, quæ definitio deſumitur ex definitione ipſius potentiæ actiuæ tradita ab Ariſtot. 5. Metaphyſicæ, & ab Autore ſex principiorum cap. de actione, vbi dicit, quòd potentia actiua eſt principium tranſmutandi alterum inquantum alterum.

Notab. 2. ¶Secundò eſt notandum, vt dicebam quæſtione præcedenti ex Doctore in reportatis, quòd agens creatum reſpicit tria. Primo agit per motum producendo terminum totalem. Secundò, inducendo terminum formalem. Tertiò, alterando principium paſsiuum, ita quòd in omni productione habet reſpectum ad iſta tria, aliter tamen & aliter quia reſpectus producentis ad productum, & inducentis ad formam inductam eſt relatio realis conſurgens ſtatim poſito fundamento & termino, ſecluſo quocunque extrinſeco, at verò reſpectus agentis ad principium paſsiuum non conſurgit poſito fundamento, & termino ſecluſo quocunque extrinſeco, & ſic aliter ſe habet iſte reſpectus quam reſpectus producentis ad productũ. Et iuxta iſtos tres reſpectus ponitur triplex actio ſecundùm illam triplicem habitudinem. Vna eſt ad productum, & iſta dicitur actio productiua. Altera ad terminũ formalem eductum vel inductum, & iſta dicitur eductio vel inductio actiua. Tertia eſt ad ipſum ſubiectum tranſmutabile, quòd præſupponitur ad eductionem, vel inductionem formæ, & productionem totius, & iſta dicitur actio tranſmutatiua. Inter iſtas actiones eſt prima differentia. Quia actio primo & ſecundo modo pertinent ad prædicamentum ad aliquid, & non ad prædicamentum actionis. Actio autem tertio modo per ſe pertinet ad prędicamentũ actionis, & nullo

modo ad prædicamentum ad aliquid. Secundo autem differunt, quia nulla actio de genere actionis producit totum, ſed præſupponit partem totius termini producti, quia præſupponit materiam, & ſubiectum, at verò actio de genere relationis producit totũ, vel quando producit partem, vti formam, habet productum rationem totius, quia forma per talem productionem accipit eſſe reale, quod antea non habebat.

Notab.3. ¶Tertiò eſt notandum cum Doctore in. 4. diſt. 13. quæſt. 1. litera R. in ſolutione ad tertium, quòd quælibet relatio poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo quatenus relatio eſt. Secũdo modo quatenus talis relatio eſt, ſcilicet, in tali ſpecie conſtituta. Si conſideretur primo modo tantùm habet quòd reſpiciat terminum. Si autem ſecundo modo dicit relationem, ſcilicet talem, nẽpe productiuam, quare generare non eſt referri tantum, ſed referri relatione originis fundata ſupra memoriam fœcundam, & ſic generatio eſt relatio productiua.

Prima conclufio. ¶Prima concluſio. Actio, vt pertinet ad prædicamentum relationis, non eſt aliqua forma abſoluta noua. Hæc concluſio eſt Doctoris vbi ſupra litera B. & probatur rationibus illius. *Primo probatur.* Primò. Si actio eſt forma abſoluta, ergo ad actionem poteſt eſſe actio. Probatur ſequela. Ad formam abſolutam nouam poteſt eſſe actio, ergo ſi actio eſt forma abſoluta noua, ad illam poteſt eſſe actio. Antecedens eſt manifeſtum: & probatur ſequela. Illa forma abſoluta noua non eſt à ſe, nec à nihilo, ergo ab aliquo agente, ſed omne agẽs agit per actionem, ergo ad actionem eſſet actio, & ſic eſſet proceſſus in infinitũ, quòd eſt contra Ariſt. 5. Phyſic. vbi probat, quòd ad actionem non poteſt eſſe motus.

Secundo probatur. ¶Secundò. Si actio eſt forma abſoluta in agente, ergo antequam agens immutet paſſum, immutaret ſe ſecundum illam formam abſolutam. Probatur ſequela. Agens antequam immutet paſſum habet iſtam formam abſolutam, ſed non poteſt illam habere niſi immutando ſeipſum, nempè recipiendo formam, quam antea non habebat. Conſequens tamen falſum eſt, ergo.

Tertio probatur. ¶Tertiò. Si actio eſt forma abſoluta & noua in agente, vel eſt forma per ſe ſubſiſtens, vel inhærens, non per ſe ſubſiſtens, quia per formam ſubſiſtentem per ſe nihil denominatur formaliter tale, ſicuti per quantitatem ſeparatam nihil poteſt formaliter denominari quantum, ergo cũ agens denominetur formaliter agẽs per actionẽ, nõ poteſt actio eſſe forma per ſe ſubſiſtens. Si dicas quòd eſt forma inhærens agenti, ergo in agente eſt aliqua potentia ſuſceptiua vel paſsiua reſpectu illius, & per conſequens actiuum ante actionẽ erit in potentia paſsiua, ſed quòd habet potentiam paſsiuam quandoque ſub priuatione, quandoque ſub forma mutatur, ergo agens agendo ante mutaretur ſecundũ formam abſolutam, quam paſſum mutaretur ab ipſo.

Secunda conclufio. ¶Secunda concluſio. Actio de prædicamento actionis non eſt aliqua forma abſoluta in agente coæua ipſi agenti. Hæc concluſio eſt Doctoris vbi ſuprà prope medium. Et probatur primò. *Primo probatur.* Nam ſi actio eſt talis forma coæua ipſi agenti, ergo poteſt dari actio ſine paſſo. Conſequens tamen falſum eſt, iuxta illud quod docet Autor ſex principiorum, cap. de actione, vbi dicit, quod actio requirit nõ quod agat, ſed in quid agat, quia actio de ſua ratione formali nõ requirit, quòd efficiat vel producat aliquid, ſed quòd tranſmutet paſſum, & ex hoc in actione, qua aliquid corrumpitur, verè manet ratio actionis, licèt per actionem corruptiuam nihil producatur, ſed ſi actio eſt coæua ipſi agenti, eſſet actio quando nõ eſſet paſſum, ergo.

Secundo probatur. ¶Secundò. Non vniformiter eſt actio quando aliquid agitur, & quando nihil agitur, ergo actio non eſt coæua ipſi agenti. Antecedens patet, quia aliàs non eſſet maior ratio, quare illud poſtea fit aliquando quam modo, quia non fit aliquid, niſi quia agens agit, ergo ſi actio eſt coæua agenti agens ſemper agit, & per conſequens non eſt maior ratio quare nunc agat, quam poſtea. Conſequens tamen falſum eſt, ergo.

Tertia conclufio. ¶Tertia concluſio. Actio eſt forma reſpectiua in agente. Hæc cõcluſio eſt Doctoris vbi ſupra litera. C. & probatur. *Primo probatur.* Quia actio eſt forma realis in agente, ſed non eſt abſoluta, ergo reſpectiua.

Secundo probatur. ¶Secundò. Tranſmutatio paſsiua, quæ eſt formaliter paſsio, vltra naturam ſubiecti tãtum dicit relationem, ergo actio vltra agens & virtutem actiuam tãtum dicit relationẽ.

Quarta cõclufio. ¶Quarta concluſio. Actio, quæ ſubiectiuè eſt in agente, eſt reſpectus extrinſecus adueniens: quæ eſt in agente tanquam in ſubiecto, & in potentia actiua tanquam in fundamento. Hæc concluſio eſt Doctoris vbi ſupra, litera. E. Et probatur. Quia illa forma non

non eſt abſoluta, nec eſt relatio, quæ conſequitur poſito fundamento & termino, ergo erit reſpectus extrinſecus adueniens. Probatur conſequentia, quia ille eſt reſpectus extrinſecus adueniens, qui poſito fundamento & termino cum omni ſibi ab intrinſeco conuenienti non conſurgit ex natura extremorum, huiuſmodi eſt actio, quia poſito actiuo & paſsiuo (quæ ſunt fundamentum & terminus) nō conſurgit actio, cum requiratur approximatio, & quòd agens non impediatur, ergo. Pro hac concluſione & vtrùm reperiātur relationes extrinſecus aduenientes, vide quæſtionem. 16.

¶Reſpondetur argumentis pro contraria ſententia. *Ad primum arg.* Ad primum, quòd actio & paſsio, ſecundùm formales & quidditatiuas rationes ſunt reſpectus extrinſecus aduenientes, & non pertinentes ad prædicamentum ad aliquid, vt dicemus quæſt. 16.

Ad ſecundum arg. ¶Ad ſecundum reſpondetur, negando ſequelam, & ad probationem dicitur, quòd licèt ſolis relationibus conſiderata natura relationum præciſè, non habeat aliquid, niſi quod referatur, at verò relationibus talibus, nempè fundatis ſuper potentia actiua, & paſsiua, habet aliquid quod producat, & quod producatur, non tanquam principio quo formali productiuo, ſed tanquam actu productiuo. De qua re vide Doctorem in 4. vbi ſupra, & Antonium Andream ſuper librum ſex principiorum quæſtione. 7. in ſolutione ad primum, vbi ſic ait. Licet reſpectus non ſit principium productiuum vt quod, nec etiam vt formale productiuum, eſt tamen vt actus productiuus. Imò relatio de prædicamento relationis eſt productiua, quatenùs talis relatio eſt, vt diximus notabili. 3.

Ad tertiū argum. ¶Ad tertium patet reſponſio ex dictis ad ſecundum.

Ad quartum arg. ¶Ad quartum reſpondetur negando antecedens. Nam in diuinis Pater eſt principium Filij (licet non cauſa) & tamen Pater eſt relatiuum, & ad probationem dicitur, quòd cum ſimultate naturæ ſtat prioritas originis. De qua re videnda ſunt quæ diximus in primo, Diſputatione. 9. quæſtione. 5.

Ad quintum arg. ¶Ad quintum reſpondetur, quòd relationes non fundantur ſuper actionem & paſſionem, ſed ſuper potentiam actiuam & paſsiuam.

Ad vlt. ¶Ad vltimū reſpondebitur quæſtione. 16.

TEXTVS.

DICO quod cauſa poteſt primò, & immediatè aliquem effectum nouum producere abſque omni nouitate in ipſa. Diſt. 1. quæſt. 2. litera C. in ſolutione ad primum.

EXPLICATIO LITERÆ.

DOCTOR in hac litera reſpondendo ad primum principale docet, quo modo ſe habeat cauſa productiua reſpectu effectus producti, & dicit quòd poteſt cauſa productiua habere effectum de nouo productum abſque omni nouitate in ipſa cauſa productiua, quod intelligendum eſt de nouitate abſoluta, hoc eſt, quæ fit per formam abſolutam, ſecùs autem de nouitate relatiua, qua agens creatum ex eo quòd agit vel producit, mutatur non in aliud ſed ad aliud. Quæ autem differentia ſit inter Deū creantem, & hominem producentem ſatis patet, ſi attendamus, quòd relatio producentis ad productum in creaturis eſt relatio realiter diſtincta ab ipſo producente, & à potentia productiua, vt latè diximus in. 1. Diſputatione. 8. quæſt. 5. & eſt ipſi producenti inhærens, at verò in Deo talis relatio eſt rationis, quanuis in creatura ſit realis, vt diximus in illa Diſputatione. 8. quæſt. 15. Ex quo prouenit, quòd quanuis agens creatum mutetur per talem relationem ad aliū, non tamen Deus. Vt autem plenior de hac re habeatur notitia ſit quæſtio.

QVÆSTIO XIIII.

¶*Vtrùm creatio actiua ſit aliquid in Deo, an verò in creatura?*

DE hac re eſt prima ſententia quorundam ſuper octauum librum Phyſicor. cap. 2. quæſt. 1. arr. 3. cum Magiſtro Molina 1. par. quæſt. 25. art. 1. diſputatione. 2. conclus. 3. & quæſt. 45. art. 3. aſſerente creationem eſſe actionem tranſeuntem, qua Deus producit res creatas exiſtentem in ipſis rebus creatis, tanquam in ſubiecto, & non in Deo. Addunt prætereà ſentētiam D. Thomæ & Doctoris, qua docent creationem actiuam eſſe actum voluntaris cum ordine ad rem productam non videri probabilem. *Prima ſententia.*

bilem. Probant autem ſuam ſententiam multipliciter: Primò. Actio tranſiens non eſt in agente tanquam in ſubiecto, ſed in paſſo, vt ex Ariſtotele conſtat. 3. Phyſicorum, ergo actio, qua Deus producit res creatas, non eſt in Deo, ſed in ipſis rebus creatis, ac proinde eſt diſtincta à ſapientia, & volitione Diuina, quibus res creatæ à Deo producuntur. Quin potius ſcientia, & volitio diuina ſunt principia efficientia à quibus non ſecùs ea actio efficienter emanat, quàm calefactio, qua ignis aquam calefacit à calore ignis tanquam à principio efficiente.

Secundum argum. ¶Secundò. Deus ex æternitate habuit ſcientiam & volitionem, quibus res creatæ factæ ſunt, & tamen non produxit res ex æternitate, ergo actio, qua eas produxit, & à qua formaliter eas produxiſſe dicitur, neque eſt ſcientia, aut volitio, qua eas produxit, neq; aliquid, quod in Deo ſit formaliter, ſed aliquid in creaturis exiſtens vna cum eis ipſis ipſumq; productum.

Tertium argum. ¶Tertiò. Licèt motus aut mutatio, vt ab agente principio vel efficiente ſit actio, & vt in patiente ſit paſsio, nunquam tamen Ariſtoteles dixit principium efficiens eſſe actionem ipſam, aut eſſe de intrinſecâ ratione actionis, ergo velle Diuinum, quo Deus tanquam principio efficiente creat & producit res, non eſt appellandum creatio actiua, imò neque quidpiam intrinſecum creationi vel ergo dicturi ſunt creationem actiuam eſſe verum influxum realem & abſolutum, à velle diuino emanantem, idemq; ſecũdum rem cum creaturis productis, quo dato habemus intentum vel dicturi ſunt creationẽ nihil aliud eſſe, quàm reſpectum rationis ad res creatas, quod nulla ratione eſt concedendum: ridiculum nanque eſt aſſerere actionẽ creandi, per quam Deus formaliter res producit, & à qua formaliter dicitur creans eſſe merum ens rationis.

Quartum argum. ¶Quartò. Reſpectus eius quod ab alio & à quo aliud, qui inter Deum & creaturas cernuntur, proculdubiò conſequuntur creaturas productas, ſuntque poſteriores illis in genere cauſæ efficientis, ſed actio in genere cauſæ efficientis antecedit effectum, eſtque immediatior principio efficiente, quàm effectus per eã productus, ergo creandi actio, & creatio paſsiua non ſunt reſpectus illi, vt doctores contrariæ ſententiæ affirmant, neque eos includunt.

Quintum argum. ¶Quinto. Relatio effectus ad cauſam, quę in creatura comparatione Dei, tanquam cauſæ illius efficientis cernitur, eſt realis, vt autores contrariæ ſententiæ confitentur, ergo habet rationem aliquam fundandi ex his, quas Ariſtoteles. 5. Metaphyſicæ commemorat, ſed nõ habet aliam, quam actionem, per quã Deus producit creaturas: tum quia non oſtendent, quam aliam habeat: tum etiã quia relatio effectus ab omnibus connumeratur inter eas relationes, quæ pro ratione fundandi habent actionem, ergo huiuſmodi relatio eſt poſterior actione, per quã Deus producit res, ſed eſt ſimul natura cum relatione cauſæ, quæ ſe tenet ex parte Dei, quippe cùm cauſa, & effectus ſint correlatiua, ergo relatio illa neque eſt actiò, neque complet rationem actionis, per quam Deus producit creaturas.

Sextum argum. ¶Sextò. Actio & paſsio, neque ſunt relationes ſecundùm eſſe, neque complentur per relationes reales ſecundùm eſſe, alioquin vel non pertinerent ad prædicamenta actionis & paſsionis, ſed ad prædicamentum relationis, vel res vnius prædicamenti in ſua ratione formali complerетur intrinſecè per rationem formalem alterius prædicamenti, quo dato prædicamenta non eſſent primo diuerſa, neque intermixta, imo neque vnum per ſe, ergo actio non eſt motus cum relatione reali cauſæ aut principij efficientis ad effectum, vel motum, aut mutationem, neque paſsio eſt motus cum relatione oppoſita, quin potius huiuſmodi relationes cõſequuntur actionem, & paſsionem tanquam rationem fundandi. Actio ergo quando in productione effectus interuenit motus, eſt motus ipſe, non in ratione motus, ſed vt eſt influxus agentis, ſeu vt eſt ab agente, quod eſt quid abſolutum, ac formaliter diſtinctum à motu, & ipſius termino atque à paſsione. Paſsio item eſt idem motus, non in ratione motus, ſed vt receptio patiẽtis, vniuerſimq; paſsio eſt alicuius eſſe receptio, aut in ſubiecto, aut qua effectus aliquis recipit ſuum eſſe in ſeipſo, eſto producatur extra ſubiectum, quod ſimiliter eſt quid abſolutum, & formaliter diſtinctum à termino motu, & actione, & denique à reliquis rationibus formalibus aliorum prædicamentorum. Iuxta hanc ergo ſententiam dicendum eſt creationem, qua Deus res creatas produxit, eſſe influxum realem & abſolutum, quo creaturæ ex tempore emanant à Deo eundemque influxum habere realem entitatem cum creaturis

turis productis, verùm ab eis ſormaliter diſtinctum. Adde tamen influxum vt eſt Dei per eum tanquam per actionem conferentis eſſe rebus creatis, eſſe veram actionē de prædicamento actionis exiſtentem in creaturis ipſis, tāquam in ſubiecto, denominantemq; Deum ex tempore denominatione extrinſeca creantem, & producentem creaturas. Eundem verò influxum, vt eo creaturæ recipiunt eſſe, paſsiuæq; producuntur in rerū natura eſſe veram rationem de prædicamento paſsionis diſtinctam formaliter à creatione actiua, & à termino producto, nempe à creatura, quo pacto ſpectata creatio paſsiua dicitur. Quo fit vt non ſolùm mutatio, & motus rationem induant actionis & paſsionis, ſed omnes etiam vniuerſim influxus, ac productio rei eſſentialiter diſtinctæ, eſto neque motus ſit neque mutatio. Ariſtoteles autem, quia ſolùm loquebatur de actione, & paſsione naturalibus, quæ ſemper ſunt coniunctæ cum motu aut mutatione, eò quòd naturale agens producere nequeat, niſi ex ſubiecto præſuppoſito, mirandum non eſt, ſi actionem, & paſsionem, de quibus illi erat ſermo per motum, ac mutationem, tanquam per fundamentum rationis formalis, talis actionis & paſsionis explicauerit. Quòd ſi quis petat, vtrùm actiua, & paſsiua creatio ſit creatura, dicendum eſt eſſe creaturam vt creatura: id etiam dicitur, quòd concreatum non tamen indigete alia creatione, per quam creetur, ſicut enim motus mutatio, & paſsiones rerum naturalium, atque actiones non producuntur per alias mutationes, aut actiones, ſed ſeipſis comproducuntur, vnà cum terminis, ſic etiam creatio non creatur per aliam creationem, ſed ſeipſa comproducitur, & concreatur, vnà cum termino, ſeu quòd idem eſt ad productionem, & creationem termini. Ex quo intelliges creationem, quatenùs eſt actio tranſiens, qua Deus res creatas producit, non eſſe medium quid inter creatorem, & creaturam, quaſi detur quid reale quòd neque creator ſit neque creatura, dummodo creatura ſumatur latè, vt comprehendit etiam id, quòd cō creatur, vnaque cum alijs, ſeu ad productionem aliorum accipit ſuum eſſe à Deo, ſicut enim ex eo quòd agentia naturalia producant ſuos effectus per actiones diſtinctas formaliter à principijs efficientibus, quā à terminis, nō ſequitur dari rationem formalem realem, quæ media ſit inter agentia & res productas, quaſi detur ratio ſormalis realis, quæ neque producens ſit, neque producta, modo productum ſumatur late, vt comprehendit etiam comproductum, ita etiam in re propoſita non ſequitur dari medium inter creatorem, & creaturam, modò ſimiliter ſumatur latè, vt comprehendit etiam concreatum.

Secunda ſententia. ¶Secunda ſententia colligitur ex Doctore in hac litera à litera C. vſque ad literam F. & quæſt. 5. litera S. in ſolutione ad quintū, vbi docet reſpectus agentis eſſe in agente, ſcilicet, quòd creatio actiua dicit volitionē Diuinam, non abſolutè, ſed cum reſpectu quodam rationis ad creaturam productam, quæ ad ipſum Deum realiter refertur. Hanc ſententiam communiter docent omnes Scotiſtæ, & colligitur ex Diuo Thoma, vt conſtat ex his, quæ diximus quæſt. illa, Vtrùm actio ſit in agente: quam etiam docet Caietanus. 1. par. quæſt. 25. art. 1. & quæſt. 45. ar. 3. Ferrara. 2. contra gentes cap. 16. & 18. & Capreolus in. 1. diſt. 1. quæſt. 2. & noſter Ricardus diſt. 1. quæſt. 1. & principaliter quæſt. 3. vbi ſic ait, Reſpondeo quòd creatio actio, eſt realiter idem quod ipſe Deus.

¶Pro explicatione igitur huius quæſtionis eſt primò notandum, vt diximus quęſt. præcedenti ex Doctore in hac quæſt. quòd inter producens, & productum, præter virtutem productiuam nihil mediat reale abſolutum & reſpectiuum, ſed ad abſolutum in cauſa, immediatè ſequitur abſolutum in effectu. *Notab. 1.* Quare iſte influxus realis à prædictis poſitus videtur imaginarius: nam cùm ſit accidens debet præſupponere ſubiectum in quo ſit, nam nullum accidens eſt extra ſubiectum naturaliter, & cùm tale ſubiectum non ſit producens, vt ipſi fatentur, neque ſit terminus productus, quia vt ipſi docent, eſt immediatior agenti, quàm terminus ipſe productus: poteſt igitur intelligi talis influxus realis antecedenter ſe habens ad terminum productum, ſed non poteſt intelligi accidēs reale, niſi præintellecto ſubiecto, ergò talis terminus productus non poteſt intelligi ſubiectum illius influxus realis, aliàs prius intelligeretur ſubiectum illo influxu.

Notab. 2. ¶Secundò eſt notandum, creationem non eſſe propriè actionem, quidquid prædicti dicant, vt nos ſæpe ſæpius diximus, vt etiam optimè aduertit Palacios in. 2. diſt. 1. diſputatione. 1. fol. 3. col. 1. neque creare eſſe exactè, ſi loquaris agere, nam vt tradidit Gilbertus

tus Poretanus in ſuo libro ſex principiorum, actio eſt circa ſubiectum, nam virtus actiua eſt virtus tranſmutandi aliud inquantum aliud, & virtus paſsiua eſt virtus tranſmutari ab alio inquantum aliud:& per conſequens actio erit tranſmutatio, qua aliquid ad aliud tanquam aliud tranſmutatur, & cum trãſmutatio requirat ſubiectum tranſmutabile neceſſariò creatio, quæ nullum ſubiectum præſupponit non poteſt actio in rigore appellari, ſed dicenda eſt productio. Vnde quando communiter dicitur generationem actiuam in Diuinis eſſe actionem, non eſt intelligenda illa loquutio in rigore, ſed tantum ſecundùm communem modum loquendi, ſecundùm quem quamcunque productionem actionem appellamus, & vnumquemque producentem agentem. At verò in rigore vbi nulla eſt mutatio non eſt propria actio, ſicut neque eſt propriè paſsio, ſed tantum productio actiua, & productio paſsiua, & ita creatio actiua, & paſsiua, non ſunt dicendæ actio & paſsio, ſed productio actiua, & productio paſsiua, niſi velit quis abuti vocabulis. Poteſt autem patere hoc ex his, quæ Doctor dicit hac diſt. 1. quæſt. 5. litera S. & nos ſæpe ſæpius diximus in hac materia, nempè, quòd quando agens v. g. generans creatum producit genitum, vti ignis ignem, vel equus equum, generando agit, vel producendo agit, non quia productio ſit actio, ſed quia cùm ſit agens creatum, & non poſsit producere, niſi alterando materiam, hinc prouenit, quòd prius agat, quàm producat, nam ſi forma educitur de potentia materiæ, ad talem eductionem alteratur materia: vnde in producente quàm plurimi reſpectus reperiuntur. Eſt enim reſpectus alterantis ad alteratum, & talis reſpectus fundatur in potentia actiua agentis, & paſsiua materiæ, & eſt reſpectus educentis ad eductũ, & talis reſpectus fundatur in potentia eductiua educentis, & terminatur ad formam eductam, & eſt vltimus reſpectus producentis ad productum, quid fundatur in potentia productiua, & terminatur ad equum productum. Quia tamen talis producens non habet productum, niſi media eductione formæ, & non habet formam eductam, niſi media alteratione materiæ & ſubiecti, ideò generatio creata dicitur productio actiua vel actio productiua, quaſi quid conſtans ex actione, & productione. Productio autem illa, quæ nullam requirit alterationem in ſubiecto non eſt dicenda in rigore actio, ſed tantùm ſano modo, & ſecundùm communẽ modũ loquendi. Ex quo infertur quod crea tio actiua vel prout in creante non eſt dicenda actio ſed productio.

¶Tertiò eſt notandum, quòd in Deo, vt communiter docent ſcholaſtici, non eſt ponenda potentia executiua, diſtincta à voluntate, & volitione Diuina, ſed voluntas Diuina, ſiue volitio eſt quaſi virtus productiua, vel productio cuiuſcunque producibilis ad extra, nam quidquid Deus à dextra operatur per voluntatem operatur, quæ voluntas ſi concipiatur per conceptum ab ipſa, nullo modo diſtinguitur à volitione, niſi tantùm per operationem intellectus concipientis voluntatem, vt potentiam & principium, volitionem autem, vt operationem. Quia tamen volitio Diuina ab æterno eſt in Deo, & ipſe Deus, creatio autem actiua in tempore eſt, ideò creatio actiua non eſt dicenda volitio abſolutè tantum, ſed volitio cum reſpectu rationis ad creaturam productam ſecundùm Doctorem, vel volitio, quatenùs ad illam terminatur relatio realis, quæ eſt in creatura producta ad Deum producentẽ. Quare volitio cum illo reſpectu, vel cum illa denominatione extrinſeca eſt, quæ dicitur creatio actiua, & principium (quo producitur creatura) quaſi in actu ſecundo, nam loquimur de Diuinis ad modum, quo loquimur in humanis: vnde ſicut in humanis non dicitur ignis in actu ſecundo producens ignem, niſi dum habet ignem productum: ita, neque dicimus volitionem Diuinam quaſi in actu ſecundo reſpectu lapidis producendi, vſque dum lapis ſit productus in eſſe reali. *Notab. 3.*

¶Vltimò eſt notandum, quòd quanuis præſens quæſtio poſſet habere locum in ſententia illorum, qui dicunt actionem non eſſe in agente, ſed in paſſo, non tamen poteſt habere veritatem in ſententia illorũ, qui docent actionem eſſe formaliter, & realiter in agente, & non in paſſo. Nam ſi creatio actiua eſt in agente, nullo igitur modo poteſt eſſe in creatura, ſed neceſſariò debet eſſe in Deo: in Deo autem nihil aliud eſt quod poſsit inducre rationẽ creationis actiuæ, niſi intellectio vel volitio Diuina, quia tamen volitio eſt quid abſolutũ, dicẽda eſt principiũ creatiuũ vel productiuũ, quę quatenùs terminat creationẽ paſsiuã creaturę, vel relatione rationis *Notab. vltim.*

refertur

refertur ad creaturam, verè & propriſsimè dicitur creatio actiua, & actio tranſiens ſumendo actionem largo modo, iuxta ea quæ diximus, vel formaliter loquēdo productio tranſiens.

Prima conclusio. ¶Prima conclusio. Creatio actiua eſt formaliter & realiter in Deo. Hæc conclusio probatur primò. Creatio actiua eſt in creante & non in paſſo, ergo eſt formaliter in Deo, & non in creatura. Antecedens probatum manet quæſt. præcedenti, & conſequentia eſt manifeſta.

Secunda conclusio. ¶Secunda conclusio. Creatio actiua formaliter eſt volitio diuina cum relatione quadā rationis ad creaturam productam, vel quatenùs terminat creationem paſsiuam creaturæ. Hæc conclusio duas continet partes, Quarum prima explicat ſententiam Doctoris. Secunda autem ſententiam D. Thom. Et probatur quoad vtranque. Creatio actiua vltra virtutem creatiuam tantum dicit reſpectum in creante, ſed non dicit reſpectum realem, quia Deus non refertur relatione reali ad creaturam, ergo dicit reſpectum rationis. Antecedens patet ex Doctore in hac quæſtione dicente, quòd ad abſolutum in cauſa immediatè ſequitur abſolutum in effectu, ſed abſolutū in Deo ratione cuius creat eſt volitio, ergo ad volitionem neceſſariò ſequitur creatura per volitionem producta.

¶Ex quo infertur, quòd ſicut ad potentiam productiuam immediatè ſequitur productum, ita ad potentiam creatiuam, immediatè ſequitur creatura. Quia tamen nō poteſt volitio ſpecificari, niſi per ordinem quem creatura dicit ad illam, ideo volitio diuina, prout dicit ordinem ad lapidem creatum dicitur creatio actiua lapidis, & ad Angelum dicitur creatio actiua Angeli: talis autem ordo fit per relationem rationis, vel quia volitio terminat relationem realem creaturæ, ergo altero iſtorum modorum dicendum eſt creationem actiuam eſſe diuinam volitionem.

Ad primum arg. ¶Reſpondetur argumentis. Ad primum negando antecedens, vt diximus quæſtione præcedenti. Et prætereà quia cùm volitio diuina, vt ipſi fatentur, ſit principium efficiens creaturæ, neceſſariò etiam fatendum eſt, eandem volitionem eſſe creationem actiuam creaturæ. Nam forma & operatio formæ ſimul debent eſſe actus primus & ſecundus ſimiliter, niſi ſumas operationem pro re acta, ſed hoc non eſt loqui formaliter, vt docet Doctor vbi ſupra.

Ad ſecundum arg. ¶Ad ſecundum reſpōdetur concedendo maiorem & minorem, & diſtinguendo ſequelam, de volitione ſecundum eſſe abſolutum, vel de volitione, quatenùs dicit ordinem ad creaturam productā. Primo enim modo volitio non eſt creatio formaliter, ſed tantum virtualiter, nec operatio tranſiens formaliter, ſed tantum virtualiter, bene tamen ſecundo modo, & vt ſic reſpicit ex tempore creaturam.

Ad tertiū argum. ¶Ad tertium reſpondetur, Ariſtotelē nunquam dixiſſe principium efficiēs eſſe actionem ipſam formaliter, ſed neceſſariò etiam fatendum eſt, actionem eſſe formaliter, vbi eſt principium efficiens. Vnde dicēdum eſt creationem actiuam non eſſe influxum realem & abſolutum, vt ipſi volunt, quia talis influxus cùm non ſit in Deo nec in creatura (non in Deo vt ipſi fatentur, non in creatura, quia antecedenter ſe habet ad illam) imaginarius videtur, cùm ſit accidens, & in nullo ſubiecto collocatur, quare creatio nō eſt merum ens rationis, neque eſt volitio diuina abſolutè ſumpta, ſed eſt volitio diuina, vel cum relatione rationis ad creaturā productam, vel quatenùs terminat relationem realem creaturæ productæ ad ipſam.

Ad quartum arg. ¶Ad quartum reſpondetur concedendo maiorem & negando minorem. Si actio ſumatur pro reſpectu, ſecus autem ſi ſumatur pro principio actiuo, iuxta ea quæ diximus infra quæſt. 15.

Ad quintum arg. ¶Ad quintum negando antecedens, & ad probationem dicitur, quòd creatio dicit relationem rationis, non abſolutè, ſed prout coniuncta principio creatiuo, negandum etiam eſt creationem eſſe in rigore actionē. Quia vbi non eſt motus, non eſt actio ſicuti neque productio, vt productio eſt actio, ſed relatio de prædicamento ad aliquid. Quando tamen productio eſt cum mutatione ſubiecti, tunc productio includit actionem non formaliter, ſed realiter. Quare dicenda eſt talis productio, vel productio actiua, vel actio productiua.

¶Quòd ſi quæras, Vtrùm huiuſmodi actiua creatio ſit creatura an Deus: Reſpondetur, quòd ſimpliciter & abſolutè dicenda eſt Deus, quia ſecundùm eſſe abſolutum eſt volitio diuina, quæ Deus eſt. Si tamen formaliter loquaris, dicendum eſt, quòd neque eſt Deus neque non Deus, ſed productio diuina, iuxta ea quę diximus in diſputatione de Idæis, quòd cognitio prout terminata ad

lapidem

lapidem eſt idæa lapidis, quæ cognitio, vt ſic terminata, diſtinguitur ratione ratiocinata, vel eſt non idem formaliter cum cognitione abſolutè ſumpta: ita volitio prout terminata ad Angelum, quatenus per illam habet eſſe Angelus, diſtinguitur ratione ratiocinata, vel eſt non idem formaliter cum volitione diuina abſolutè ſumpta. Quia volitio abſolutè ſumpta primo reſpicit eſſentiã vt obiectum primarium in ratione diligibilis, deinde creaturas vt obiectum ſecundarium in ratione producibilium, vel productarum, & conſiderare volitionem diuinam, vt per illam habent eſſe creaturæ productum, & non conſiderare ſecundùm omnem ſuam perſectionem eſt conſiderare illam cũ aliquo modo, & per conſequens vt diſtincta virtualiter à ſeipſa. Et hæc de iſta quæſt.

T E X T V S.

ILLVD enim abſolutum, quod in cauſa præceſſit, tam natura, quam duratione ipſum effectum productum vel cauſatum, eſt etiam in ea in illo inſtanti priùs naturaliter, quàm cauſet, & ſecundùm illud abſolutum, ſecundùm quòd prius fuit cauſatiuum, eſt nunc cauſans, & non ſecundùm aliquid additum, nec abſolutum, nec reſpectiuum. Diſtin. 1. quæſt. 2. litera E. propè medium.

EXPLICATIO LITERÆ.

IN hac litera Doctor explicat quomodo Deus poſsit producere de nouo aliquem effectum, ſine hoc quòd ipſi Deo adueniat aliqua entitas de nouo, nec mutetur. Dicit ergo Doctor, quòd ad hoc quòd aliqua cauſa producat ſuum effectum, ſatis eſt ipſa cauſa, & virtus cauſatiua illius, quia ad abſolutum in cauſa ſequitur abſolutum in effectu. Pro quo aduerte, quòd cauſa. v.g. ignis producens ignem, ad producendum illum non indiget vltra ipſum ignem, & formam ſubſtantialem ipſius ex parte agentis aliquam entitatem abſolutam, vel reſpectiuã; quæ antecedenter ſe habeat ad abſolutum in effectu producto. Quare vt meliùs iſta percipiantur aduerte iſta inſtantia cum Tartareto ſuper iſtam literam Doctoris: in primo inſtanti eſt ignis cum ſua virtute actiua, ſiue productiua, in ſecundo inſtanti eſt ignis productus, in tertio inſtanti ignis productus refertur ad ignem producentem ſub ratione abſoluti, ideſt, illa entitas abſoluta, quæ eſt in igne producto habet dependentiam eſſentialem effectus ad cauſam ſuam, quia in eodem inſtanti, in quo intelligimus ignem productum quantum ad ſuum eſſe abſolutum, antequàm intelligamus in illo inſurrexiſſe relationem, intelligimus in illo abſoluto eſſentialem dependentiam ad ſuã cauſam producentem, nam oportet quòd illa abſoluta ſint prius quam relatio conſurgat, vel ſit inter illa. In tertio inſtanti inſurgit relatio effectus ad cauſam, & cauſæ ad effectum quando in cauſa poteſt oriri relatio realis. Quare in tertio inſtanti poſſumus aſsignare relationem in effectu ad cauſam, quam terminat cauſa ſecundùm eſſe abſolutum, vt latè diximus in. 1. diſputat. 8. quæſt. 3. ex Doctore in. 1. diſt. 30. quæſt. 2. In quarto autem inſtanti inſurgit relatio in cauſa ad effectum, quæ in Deo eſt rationis, in creaturis autem eſt realis. ¶Aduerte tamen, quòd iſta inſtantia ponuntur propter imbecillitatem noſtri intellectus, qui non poteſt multa ſimul intelligere. Hoc poſito dicit Doctor in litera, quod cauſa quæ modo agit vel cauſat, & antea non cauſabat, nõ habet aliquod abſolutum, nec reſpectiuum in ſe, ratione cuius videatur modo determinata, & antea non determinata, quia fallit imaginatio ex eo, quia multi credunt, quòd cauſa ſit indeterminata vſque ad illud tempus in quo cauſat, & tunc credunt, quòd aliqua relatio requiratur in ipſa determinans ipſam ad cauſandum. Hoc enim falſum eſt, ſed illud idem abſolutum, quod natura vel duratione præcedit ipſum productum, eſt etiam in ea cauſa in illo tempore prius quã cauſet, & ſic ſecundùm illud eſſe abſolutum priùs agens fuit cauſatiuum, nunc eſt cauſans, nec oportet, vt aliquid addatur, nec abſolutum nouum, nec reſpectiuum in cauſa. ¶Quòd ſi dicas, quare igitur prius non egit, & modo agit, ſi antea cauſa erat determinata ſicut modo. Ad hoc reſpondetur, quòd cauſa quædam eſt naturalis, quædam libera, cauſa naturalis eſt quæ agit per formam determinatam ad talem operationem, & ſic ſi paſſum ſit approximatum, & ipſa non ſit impedita, ſemper agit, vt patet in igne, qui quandiu habet lignum applicatum, & ipſe non impeditus ſemper calefacit, & ſic cauſam determinari ex parte ſui, eſt ipſam habere

bere formam qua cauſet. Cauſa autem libera eſt quæ agit per formam non determinatam ex natura ſua ad operationem, vti agẽs voluntarium. Modo ad propoſitum abſque aliqua mutatione in igne, poteſt ignis producere ignem in aliquo paſſo, quem anteà non producebat ex defectu forſan ipſius paſsi, & ſic mutatio eſt tantũ ex parte ipſius paſsi. In cauſis autem liberis tunc cauſa eſt determinata ad agendum, quando habet volitionem producendi aliquem defectũ. Vnde ſi habet volitionem producendi pro iſto tempore, tunc producit, & ſi habet volitionem producendi pro alio tempore, pro illo tempore producit abſque aliqua mutatione in ipſa cauſa libera: imò ſi produceret pro alio tempore pro quo non habuit volitionẽ producẽdi, verè mutaretur, quia requireret nouam volitionem. Reſtat igitur dicendum quod ad abſolutum in cauſa ſequitur abſolutum in effectu abſque hoc quod in cauſa ponatur aliqua forma noua abſoluta, vel reſpectiua diſtincta à forma, quam ipſa habet, qua cauſat. Quia tamen litera hæc Doctoris nõnullam contradictionem videtur habere, & repugnantiã cũ doctrina illius ſit quæſt. 14.

QVÆSTIO XV.

¶*Vtrùm inter agens & patiens, & inter cauſam & effectum, vltra virtutem actiuam ipſius cauſæ, mediet aliqua actio?*

Primum argum. PRO parte affirmatiua eſt primum argumentũ. Agens producens effectum, producit illum media productione, ergo inter agens, & effectũ productum debet mediare actio, ſiue effectus productus. Patet ſequela quia aliàs agẽs nõ eſſet agens, cum antequam haberet actionẽ, non eſſet agens, & modo actione eſt agens.

Secundum argum. ¶Secundò. Terminus ꝓductionis, ſiue actionis eſt productum, ergo productio antecedit ipſum productum, ſed illa productio nõ eſt virtus productiua, quia virtus productiua, vt ſic, non habet terminum, cum æquè ſit in agente, ſiue agens producat, ſiue non producat, ergo inter virtutem productiuam, & terminum productum debet mediare aliqua alia actio à potentia productiua, & termino producto diſtincta.

Tertium argum. ¶Tertiò. Cauſa, non tantum inquantũ cauſa & in actu primo, eſt prior effectu, ſed etiam inquantum cauſans, & in actu ſecundo eſt prior ſuo effectu, ſed actus ſecundus cauſæ eſt actio ſiue productio effectus, ergo inter cauſam & effectum neceſſariò debet mediare actio.

Quartum argum. ¶Quartò. Secundum Doctorem quæſt. vltima prologi. Voluntas elicit praxim mediante elitione de genere actionis, & dum elicit eſt prior praxi. Similiter diſt. 25. q. vnica. in hoc ſecundo volũtas intelligitur libera quãdo actu elicit, quia, vt elicit actum, eſt prior ipſo actu producto, ſed elicit per actionẽ de genere actionis, ergo inter cauſam & effectum productum debet mediare actio.

Notab. 1. ¶Pro explicatione huius quæſtionis ſunt notanda nonnulla quorum primũ eſt. Quod producens ſiue agens ſumitur dupliciter. Vno modo vt quod, ſecundo modo vt quo, & hoc ſecũdo modo adhuc dupliciter. Vno modo vt principium formale productiuũ, ſecundo modo vt actus productiuus. Exemplum primi. Ignis calefaciens eſt principiũ quod, reſpectu caloris geniti in ligno; calor autem in igne eſt principium quo, reſpectu illius caloris geniti, actio autem ſiue productio eſt actus productiuus ipſius caloris geniti.

Notab. 2. ¶Secundò eſt notandum vt diximus in explicatione literæ, quod cauſa eſt duplex, altera naturalis, altera libera. Cauſa naturalis agit ſecũdum formã per quã eſt, & ideo agit ſecundũ quod eſt, & per cõſequens ſemper agit quãdiu eſt, ſi ſit agens ſufficiens & efficax. Ex quo prouenit quod ad eſſe agentis naturalis, niſi impediatur, neceſſario ſequatur effectus. Cauſa autem libera agit non ſecundũ quod eſt, ſed ſecundũ quod vult, & ſecundum determinationẽ intellectus, & imperiũ voluntatis, & quia omnis effectus ſequitur ex actione ſecundũ exigẽtiã formæ, quæ eſt principiũ actionis, ideo in agẽtibus naturalibus cũ principiũ actionis, quod eſt natura, ſit ad ſuũ effectũ, ſi eſt efficax, & non impeditũ, poſita cauſa actiua, ponitur effectus. In agẽtibus autẽ liberis, cũ ſint agentia per voluntatẽ, in quibus præconceptio rei fiendæ, & determinatio voluntatis ſunt principium actionis, poſita ipſa voluntate nõ ponitur effectus, niſi ſecundum quod eſt præconceptus ab intellectu, & determinatus à voluntate, & quia præcõceptio intellectus, & determinatio voluntatis nõ ſolum verſantur circa rem fiendam, ſed etiã circa locum

& tempus, & reliquas conditiones intrinſecas, & extrinſecas, quia artifex non tantum determinat, & diſponit facere rem præciſe, ſed talem rem facere, & tali tempore, & tali loco, & ſic de ſingulis rei cõditionibus, quæ per artem diſponi debent. ¶Ex quibus prouenit quod in cauſis liberis & per voluntatẽ agentibus cauſa ſufficiente poſita, quanuis nullum ſit impedimentum, non neceſſario ſequitur, quod eius effectus ponatur, ſed tãtum ſequitur, quod effectus ponatur in eſſe ſecundum quod agens vult, & diſpoſuit; ac ſecundum modum ſui imperij quantum ad locum, & tẽpus, & alias circũſtantias ipſius effectus. ¶Ex quo prouenit ſecundo, quod ſtante eadem voluntate antiqua omnino inuariata de aliquo effectu producendo pro tali tempore, ille effectus producetur pro illo tempore abſque aliqua nouitate in ipſa voluntate antiqua.

Notab. 3. ¶Tertiò eſt notandum. Quod cauſa productiua alicuius effectus poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo ſecundum quod à nobis concipitur, ſi conſideretur ſecundum quod eſt, ſi eſt cauſa naturalis, ſemper eſt agens quantum eſt ex parte ſua, ſicut v.g. Ignis, & ſol, quanuis nullum eſſet calefactibile, nec illuminabile adhuc tamen ignis ex ſe ſemper eſt calefaciẽs, & ſol illuminans, & ſimiliter philoſophandum eſt in liberis. Quia voluntas nunquàm eſt otioſa ex parte ſua, quod ſi cauſæ naturales non impediantur, & habeant paſſum debitè approximatum, ſtatim conſurgit effectus productus abſque alia mutatione ipſius cauſæ; quia ipſa ſemper manet eadem, & eodem modo, quare nouitas tantum eſt in effectu, & in ſubiecto, vel materia. Si autẽ conſiderentur quatenus à nobis concipiuntur, tunc enim concipimus illas, quaſi potentes producere effectum in paſſo, & per conſequens in ordine ad effectum producẽdum, & ſic concipimus illas, non quatenus ex natura ſua producentes, ſed quatenus productiuæ, acſi tantum eſſent potentes producere, & non ex natura ſua producentes. Ratio autem huius diuerſitatis in hoc ſita eſt, quia intellectus noſter poteſt conſiderare illam formam, & cauſam naturalem in ordine ad ſeipſam, & poteſt illam conſiderare in ordine ad effectum producendum. Quando igitur conſiderat illam in ordine ad ſe, conſiderat illam vt formam operatiuam, & per conſequens tantum eſſe operando, quantum eſt ex natura ſua, quia calor quantum eſt ex natura ſua, ſemper eſt calefaciens. Quando autem conſiderat illam in ordine ad effectum, cum reſpiciat effectum non productum, ſed producendum, conſiderat illam, vt actiuam & productiuam, & non vt agentem, & producentem. Quia nũquam cauſa, nec eius forma eſt formaliter producens effectum, niſi effectus ſit aliquo modo productus ab illa. Sicut v.g. nunquam ignis eſt formaliter calefaciens lignum, niſi calor ſit aliquo modo productus, id eſt, ſecundum aliquem gradũ realem in ligno, & ſic nunquam ignis eſt formaliter producens in ordine ad effectũ, niſi effectus ſit formaliter productus; eſt tamen ignis formaliter producens in ordine ad ſe quatenùs habet formam, quæ ex natura ſua ſemper eſt producens, etſi non producat ex defectu aliquo extrinſeco.

¶Vltimo eſt notandum, vt aduertit Lichetus in 2. diſt. 1. quæſt. 2. propè finem. Quod actio poteſt capi dupliciter. Vno modo, quod ſit actio de genere actionis, alio modo pro ratione formali agendi, & primo modo eſt entitas reſpectiua. Secundo autem modo eſt entitas abſoluta, & primo modo eſt poſterior effectu, ſecundo autem modo eſt prior effectu. Eidem philoſophandum eſt in quacunque actione ſiue productione, ſiue ſit intellectus, ſiue voluntatis. *Notab. 4.*

¶Prima concluſio. Inter cauſam productiuam, & effectum productum mediat actio, quæ eſt ratio formalis agendi. Hæc concluſio eſt Doctoris, & communis eſt apud omnes; & probatur quia inter cauſam productiuam, & effectum productum mediat forma, qua cauſa productiua habet virtutem producendi, ſed ita eſt actio, quæ eſt ratio formalis agendi effectum productum, ergo. *Prima cõcluſio. Primo probatur.*

¶Secunda concluſio. Inter cauſam productiuam, & effectum productum non mediat actio de genere actionis. Hanc cõcluſionem tenentur fateri omnes, qui ponũt actionem eſſe entitatem quandã reſpectiuã, vel reſpectum in agente. Et probatur. Nullus reſpectus ponitur, niſi poſito fundamento & termino, ſed productio actiua (vt diſtinguitur à ratione formali producendæ) eſt relatio, & entitas reſpectiua, inter producentem, & productum, ergo præſupponit producentem & productum tanquam fundamentum & terminum: & per conſequens priùs natura eſt producens & productum, quam ipſa productio, & relatio. *Secunda concluſio.*

¶Secun-

Secundo probatur. ¶Secundò. Prius eſt quod ignis producat calorem in ligno ſecundum aliquem gradum caloris, quàm quod lignum afficiatur illo calore producto, ergo priùs eſt calor productus, quam tranſmutatio ſubiecti, ſed tranſmutatio actiua ſubiecti, (vt eſt relatio) præſupponit tranſmutationem paſsiuam, ergo actio, quæ eſt reſpectus, & de prædicamẽto actionis, non mediat inter agens & paſſum, vt aliquid antecedens ipſum paſſum, & paſſiuam formæ receptionem.

Tertio probatur. ¶Vltimò. Ad abſolutum in cauſa immediatè ſequitur abſolutum in effectu, ergo inter cauſam & effectum non mediat actio, quæ eſt relatio. Maior eſt Doctoris, vt patet in litera, & probatur, quia aliàs inter Deũ creãtem, & creaturam productam, mediaret aliqua entitas reſpectiua de nouo ante productionem paſsiuam ipſius creaturæ.

¶*Reſpondetur argumentis.*

Reſpõdetur argumentis. ¶Ad primũ, & ad omnia reſpondetur, quod procedunt de actione, quæ ſumitur pro ratione formali agendi, non tamen pro actione, quæ eſt relatio.

¶Ad illa loca Doctoris reſpondet Lichetus, quod verba Doctoris debent ſanè intelligi, & quando in vno loco expreſſe habetur intentio eius, ſi alibi aliter videtur dicere ſecũdum ſenſum verborum, debet exponi cõformiter intentioni ſuæ, & ſic voluntas elicit actum volendi media elitione, quæ eſt ratio formalis agendi, non autẽ illa, quæ eſt actio de genere actionis.

QVÆSTIO XVI.

¶*Vtrùm ſint aliqui reſpectus extrinſecus aduenientes.*

DE hac re duplex eſt principalis ſententia. Prima eſt omniũ Thomiſtarum aſſerentiũ nullum dari talem reſpectũ, quam defendit Soncinas. 5. Meraph. q. 39. & probat nõnullis tationibus. *Primum argum.* Primò. Reſpectus extrinſecus aduenies eſt ille, qui non ſtatim conſequitur rem poſito fundamento, & termino; ſed poſita re temporali, & tempore, ſtatim neceſſario conſequitur eam reſpectus ad tempus, qui reſpectus dicitur. Quando, ergo. Quando non eſt reſpectus extrinſecus aduenies. Maior patet. Minor probatur, & ſuppono de mẽte Philoſ. 4. Phyſ. textu 90. quod ſit tantũ vnum tẽpus, ſicut eſt tantum vnus primus motus. Tunc ſic; res temporalis neceſſariò eſt in tẽpore, ſed tempus eſt tantum vnum, ergo impoſsibile eſt dare tempus, ad quod res temporalis non habeat reſpectum.

Secundum argum. ¶Secundò. Et ſuppono quod potentia generatiua, ſit fundamentum paternitatis, quia, vel ipſa, vel generatio ſunt fundamentũ, ſed non generatio, quia tranſeunte generatione adhuc manet paternitas, tranſeunte autem fundamento nõ manet relatio, ergo. Ex quibus ſic, non implicat cõtradictionem, quod fundamentum paternitatis ſit, & ſimiliter terminus eius, & tamen quod paternitas nõ ſit, ergo nõ benè dicitur quod reſpectus intrinſecus neceſſario conſequitur fundamentum, & terminum. Conſequentia patet. Et probatur antecedens. Poſſet enim Deus cõmunicare Sorti virtutem vt per ſuum velle produceret Platonem, tũc ſic producat Sortes Platonem per ſuum velle, tunc conſtat quod Sortes non eſt pater Platonis, quia ipſum non genuit ex aliquo, & tamẽ in Sorte eſt potentia generatiua, & terminus poſitus ſcilicet Plato, ergo.

Tertium argum. ¶Tertiò. Aut hic reſpectus extrinſecus eſt ſecundum totum ſuum eſſe ad aliud, vel nõ, ſi non, eſt quid abſolutum, ſi ſic, ergo eſt de genere relationis, & per cõſequẽs nullus eſt reſpectus extrinſecus adueniens.

Secunda ſententia. ¶Secũda ſentẽtia eſt Doctoris in 4. d. 13. q. 1. litera C. vbi aſſerit, ſi debet ſaluari illa famoſa diuiſio prædicamentorum, quia ſecundum Auic. 3. Metaphy. cogimur obſeruare illam diuiſionem prædicamẽtorũ famoſam, qua dicuntur eſſe decem genera generaliſsima cogimur, inquam, propter Philoſophorum antiquam autoritatem, cui non debet facile contradici, neceſſe eſt dicere, quod reſpectus habeat ſufficientes rationes formales, ſufficientes, inquàm, ad diſtinctionẽ generũ. Hæc autẽ differentia ſufficiẽs ad iſtud quæ, probabilius colligitur, ex dictis auctorũ, eſt reſpectus extrinſecus, & intrinſecus aduenies. *Notab. 1.* Pro explicatione autẽ huius quæſtionis ſunt notãda nonnulla, quorũ primũ eſt. Quod relatio, & teſpectus differũt inter ſe, ſecundũ magis & minus cõmune, nã omnis relatio eſt reſpectus, nõ tamen omnis reſpectus eſt relatio, quare relatio proprium prædicamentũ obtinet, ſcilicet ad aliquid, reſpectus autẽ plura ſub ſe cõtinet prædicamenta, nã reſpectus tranſcendẽtales collocãtur in illis prædicamẽtis, in quibus illa quorũ ſunt reſpect⁹, & vltima ſex prædicamẽta

omnia ſunt reſpectus,nō tamen omnia ſunt vnum prædicamentum. Quod autem reſpectus non ſit relatio patebit infrà.

Notab. 2. ¶Secundo eſt notandum. Quod accidentia quædam ſunt abſoluta,quædam reſpectiua, abſoluta ſunt,quantitas,& qualitas. Reſpectiua verò,quædam ſunt intrinſecè aduenientia,quædam verò extrinſecè. Dicitur autem reſpectus intrinſecus adueniens ille,qui neceſſariò ſequitur ambo extrema poſita in actu,id eſt illud,quod poſitis extremis (ſcilicet fundamento,& termino)ſtatim neceſſario innaſcitur ex natura rei, ſicut poſitis duobus albis,neceſſariò conſurgit ſimilitudo. Dicitur autē reſpectus extrinſecus adueniens,qui non neceſſariò conſequitur,extrema etiam ambo poſita in actu, ſicuti poſito actiuo,& paſsiuo,non neceſſario conſequitur actio,quia poteſt impediri, vel propter diſtantiam extremorum,vel aliquo quouis modo.

Notab. 3. ¶Tertiò eſt notandum. Quod vltima ſex prædicamenta non poſſunt ſignificare aliquid abſolutum,nec poſſunt ſignificare abſolutū cum reſpectu,quia tunc eſſent entia per accidens,nec poſſunt ſignificare abſolutum aliquod cū denominatione extrinſeca, (vt volunt nōnulli 5. Metaphy. quæſt.23.) nā tale abſolutum cum denominatione extrinſeca,vel denominans extrinſecè, nō eſt ſubiectiue in denominato, ſed in denomināte,& ſic,actio nō eſſet in agente, ſed in paſſo:diximus autem,quod actio eſt inhæſiuè in agente,ergo actio,quatenus actio eſt, nō eſt aliquid abſolutū denominans extrinſecè agentem, cum actio intrinſecè denominet ipſum agentē,niſi forſan teneas, quod actio eſt forma facta, denominans extrinſecè ipſum agentem,hoc autē,vt diximus in præcedentibus, non poteſt dici, ergo nec quod actio,& paſsio ſignificant purum abſolutū cum denominatione extrinſeca, ad quā conſequitur quidam reſpectus.

Cōcluſio. Primo probatur. ¶Concluſio. Aliqui ſunt reſpectus extrinſecus aduenientes. Hæc cōcluſio eſt Doctoris & omnium Scotiſtarū, & probatur primo. Aliqui ſunt reſpectus,qui non conſequūtur extrema ex natura extremorū, ergo aliqui ſunt reſpectus extrinſecus aduenientes. Probatur ſequela. Aliqua differentia eſt inter reſpectus,quæ conſurgunt poſito fundamēto,& termino neceſſario, & illos, qui non conſurgunt neceſſario poſito fundamento, & termino,iſta autem differentia ſufficientiſsimè explicatur per hoc quod eſt, intrinſecus,vel extrinſecus aduenire,ergo. Probatur minor. Quia nullus reſpectus poteſt eſſe magis intimus alicui extremo,vel fundamento quàm quod neceſſario ipſum ſequitur poſito termino(quidditatiuè enim & formaliter nullus reſpectus eſt idem fundamēto)ſimiliter nullus reſpectus poteſt eſſe magis extrinſecus fundamento, quam qui non conſequitur ipſum neceſſariò, etiam poſito termino,ergo.

¶Secundò. Quando nihil aliud eſt niſi adiacentia temporis. Vbi verò,eſt circūſcriptio corporis procedens ex loci circunſcriptione. Poſitio autem,eſt quidam ſitus partium. Habitus verò,eſt adiacentia corporis,& eorum,quæ circa corpus ſunt, ſed iſta omnia ſignificant reſpectum,& non de prædicamēto relationis,ergo ſignificāt reſpectum extrinſecus aduenientem. Tota argumentatio probatur ex his,quæ docet Soncinas 5. Metaphy. quæſt.41.cōcl.1.& 2. In prima enim cōcluſione ſic ait,vltima prædicamēta ſignificant reſpectum. In ſecunda autem concluſione dicit. Iſti reſpectus non ſunt de genere relationis. Et paulo infrà ait. Et ideo ad talē reſpectum,qualis eſt. Vbi, poteſt eſſe motus:quare quando ipſi arguunt quomodo ad relationem poteſt eſſe motus,facile illis reſpondetur,quod ad reſpectum extrinſecus aduenientem,poteſt eſſe motus, licet non ad relationem. *Secundo probatur.*

¶Secunda concluſio. Iſti reſpectus extrinſecus aduenientes non pertinent ad prædicamentum relationis. Hæc concluſio eſt Doctoris & communis eſt apud omnes. *Secunda concluſio.*

¶*Reſpondetur argumentis.*

¶Ad primum concedendo maiorem, & negando minorem, & ad probationē dicitur, quod manente eadem re temporali & eodē tempore,tranſit res de quando in quando. *Reſpōdetur argumentis.*

¶Ad ſecundum reſpondetur negando maiorem,& ad probationem dicitur quod in tali caſu Plato productus per voluntatem non dicit dependentiam eſſentialem ad potētiā generatiuā fortis,ſic non mirum,quod non conſurgat relatio paternitatis,quia potētia generandi ibi habet ſe materialiter. *Ad ſecundum arg.*

¶Ad tertium reſpondetur. Quod talis reſpectus extrinſecus adueniens,totū ſuū eſſe habet ad aliud,non tamen eſt relatio de genere relationis propter differentiam ſuprà aſsignatam. Videda ſunt quæ diximus in 1. diſput.8.quæſt.4.notab.3. *Ad tertiū argum.*

DISPV-

DISPVTATIO SECVNDA DE CREATIONE CONtinet quatuor quæſtiones.

Prima, Vtrùm creare neceſſario conueniat tribus perſonis.

Secunda, Vtrùm ratio doctoris ſit vera.

Tertia, Vtrùm ſi per impoßibile tãtum eſſet vnica perſona in Diuinis illa poßit producere ad extra.

Quarta, Vtrùm inter Diuinas perſonas ſit aliquis ordo in productione creaturarum.

TEXTVS.

DICO quod illa cauſalitas perfecta neceſſario eſt in tribus diſtin. 1. q. 1. ante literam D.

EXPLICATIO LITERÆ.

POſtquam in præcedenti diſputatione egimus de creatione quantum ad rationem formalem illius, operæpretium erit impræſentiarum agere de eius principio effectiuo. In hac igitur litera vnicam aſſignat Doctor concluſionem, quæ talis eſt: Creatio cuiuſcunq; rei creabilis, & cauſatio cuiuſcunq; rei cauſabilis, ſiue in eſſe ſimpliciter, ſiue in eſſe ſecũdũ quid, neceſſario eſt in tribus perſonis. Hãc cõcluſionem probat Doctor hac diſt. & quæſt. litera D. tribus rationibus, quarũ prima eſt. Principiũ duarũ productionũ (ſcilicet neceſſariæ & cõtingẽtis) neceſſario eſt prius principium neceſſariæ, quã cõtingẽtis: ſed in Deo eſt principiũ productionis neceſſariæ (qualis eſt productio ad intra) & productionis contingentis (qualis eſt productio ad extra) ergo prius eſt in Deo principiũ productionis ad intra, quã productionis ad extra, ſed in illa productione ad intra cõmunicatur perſonis productis omnis fœcũditas, quæ ſibi nõ repugnat, ergo eis cõmunicatur virtus ꝓductiua creaturarũ, & per cõſequẽs, illa virtus productiua prius intelligitur eſſe in tribus perſonis, quã intelligatur eſſe principiũ ꝓximũ productionis ad extra, ergo nõ poteſt vna perſona aliquid ad extra producere, quin etiã aliæ producant. ¶ Secũdo. Quãdo aliqua potẽtia habet duplex obiectũ, ſcilicet primariũ, & ſecũdariũ; prius intelligitur obiectũ primariũ vniri potentiæ, quã ſecũdariũ, ſed reſpectu intellectus, & volũtatis diuinæ, ſic ſe habẽt eſſentia diuina, & quæcũq; res creabiles, nã eſſentia eſt obiectũ primariũ, res autem creabiles ſunt obiecta ſecũdaria, ergo prius natura intelligimus eſſentiã diuinã vnitam intellectui, & volũtati diuinæ, quã intelligamus intellectũ, & volũtatẽ diuinã, ad obiecta ſecũdaria terminari, ſed intellectus diuinus habẽs eſſentiã diuinã, ſibi præſentem in ratione obiecti, nõ eſt ſolũ potẽtia operatiua circa illã, ſed etiã eſt productiua notitiæ illi intellectui adæquatæ, tanquã principio productiuo, & ſimiliter volũtas, ergo intellectus cũ eſſentia erit principiũ productiuũ verbi vt quo, & volũtas cũ eſſentia erit principiũ quo Spiritus ſancti, & per cõſequens, anteaquã intelligamus principiũ productiuũ proximũ creaturarum in Deo, intelligimus tres diuinas perſonas in eſſe reali productas, & per cõſequens implicat principiũ productiuũ creaturarũ, nõ eſſe in tribus perſonis. ¶ Tertiò. Habitudo naturæ ad ſuppoſitũ, prior eſt habitudine eius ad actũ ſecũdũ; ergo habitudo naturæ diuinæ ad ſuppoſita diuina, prior eſt habitudine ad creare. Antecedẽs eſt manifeſtum, quia habitudo naturæ ad ſuppoſitũ pertinet ad eſſe. Conſequentia autẽ probatur, quia creare pertinet ad agere & agere ſupponit eſſe. Vt autem plenior de hac re habeatur cognitio, operæpretium erit præſentem diſputare quæſtionem.

QVÆSTIO I.

¶ *Vtrùm creare neceſſario conueniat tribus perſonis.*

DE hac re duplex eſt principalis ſententia: Prima eſt Henrici in quol. quol. 6. q. 2. vbi docet tria; quorũ primũ eſt, quod licet tota notitia, quæ eſt in Filio, eſt realiter in Patre, cũ nihil cognoſcat Filius, quod nõ cognoſcat Pater, & è contra; & ſimiliter de amore, totus amor, qui eſt in Spiritu ſancto, eſt realiter in Patre, & in Filio, quia nihil amat Spiritus ſanctus, quod nõ ament Pater & Filius; nihilominus tamẽ notitia; quæ eſt in Filio, prout in Filio, habet ſpecialẽ quãdã rationẽ, quã nõ habet, prout in Patre. Similiter amor (prout eſt in Spiritu ſancto) induit quandã ſpecialẽ rationẽ, quã nõ habet prout

Sententia Henrici.

in Patre, & Filio, & ratio huius eſt nã notitia prout in Patre tãtũ habet rationẽ notitiæ ſimplicis, at vero prout in Filio, habet rationẽ notitiæ diſpoſitiuæ, quia Filius in diuinis eſt ars, vel notitia declaratiua eorũ quæ Pater cognoſcit in ſimplici intelligentia. Similiter amor in Patre & Filio, habet rationem amoris ſimplicis cõplacẽtiæ, at verò in Spiritu ſancto habet rationẽ amoris affectatiui & impulſiui ad opus. Sumitur autẽ analogia ex his, quæ in humanis cõtingũt, nã artifex creatũ primo intuetur ſimplici intuitu formã operis, & ſecũdo ordinat, & diſponit de faciẽdo, & modo faciẽdi. Prima notitia dicitur notitia ſimplex. Secunda autẽ diſpoſitiuã. Ita philoſophãdũ eſt in amore, nam artifex, Primo cõplacet in forma operis. Secundo autẽ tali cõplacentia mouetur ad productionẽ illius, & ille amor quatenus agẽtẽ impellit ad operãdũ, dicitur amor impulſiuus, vel affectatiuus. Ita in propoſito, notitia, prout in Filio, eſt diſpoſitiua operis, & amor prout in Spiritu ſancto eſt affectatiuus, ſiue impulſiuus. ¶ Secundo aſſerit, quod ad hoc quod effectus producatur, nõ ſufficit ex parte intellectus notitia ſimplex, nec ex parte volũtatis amor ſimplicis cõplacẽtiæ, ſed vltra hoc requiritur ex parte intellectus, notitia diſpoſitiua, & ex parte voluntatis amor impulſiuus. ¶ Tertiò docet quod productio extrinſeca creaturarũ præſupponit in eſſentia diuina tres perſonas diuinas, vt quaſdã rationes formales eſſentiæ, per quas creaturæ immediatè producũtur, & præſupponit productiones tãquã per quas iſtæ rationes formales acquirũtur. ¶ His igitur ſic cõſtitutis, talẽ aſsignat cõcluſionẽ. Productio extrinſeca creaturarũ, præſupponit intrinſecã, ſicut cauſam per quã habet principiũ formale productiuũ immediatè. ¶ Hãc cõcluſionem

Primum argum. probat primo. Illud quod producitur per cognitionẽ ſimplicis notitiæ, & per amorẽ ſimplicis complacẽtiæ, ſicut per immediata principia producẽdi, producitur neceſſario naturaliter, ſed Deus nihil producit neceſſario naturaliter in productione ad extrà, ergo quicquid ad extra ꝑducit, producit per verbũ, & amorẽ productũ, tãquã per principia formalia immediata producendi. Maior probatur, quia talis notitia, & amor ad ſuũ effectũ producẽdũ modo naturali ſe habẽt, & ſic habẽt vnũ determinatũ modũ producẽdi, ſicut habet calor ad calefaciendũ, ergo ad hoc quod Deus produceret mũdũ, nõ de neceſsitate naturæ oportet quod ipſum produxerit, nõ per talẽ cognitionẽ ſimplicis notitiæ, & amorẽ ſimplicis cõplacentiæ, ſed per notitiã diſpoſitiuã, ſeu cõſiliatiuã de producẽdo & modo producẽdi, & per volitionem electiuã, & liberè inclinatiuã in opus, quaſi per actus ſuperuenientes prioribus actibus ſũ pradictis, ſed talis notitia diſpoſitiua, & talis amor affectatus ſunt verbũ, & Spũs ſanctus, ergo verbũ & Spũs ſanctus præſupponũtur ad productionẽ creaturarũ tanquã rationes formales. ¶ Secũdò ſicut ſe habet forma naturalis ad producẽdũ ſuũ effectum naturaliter, ſic ſe habet forma intellectualis, & volitio illã cõcomitãs ad producẽdũ effectũ intelligibiliter, & artificialiter, ſed forma naturalis nõ eſt principiũ immediatũ operis, ſecũdũ quod eſt perfectio agentis, ſed ſolũ inquantũ inducit reſpectũ ad opus, ergo cum cognitio eſſentialis, & amor eſſentialis non inducãt iſtũ reſpectũ; niſi prout ſunt in verbo, & amore producto, Verbũ, & amor productus in quocunq; artifice ſunt immediatũ principiũ operãdi artificialiter. *Secundum argum.* Patet ſequela quia cognitio eſſentialis (vt ſic) nullũ reſpectũ dicit ad res creãdas. Verbũ autem ex ipſa ratione verbi, dicit reſpectũ, & ordinẽ ad ipſas res creãdas, ergo productio extrinſeca creaturarũ præſuppònit verbũ, & Spiritũ ſanctũ tãquã rationes formales ꝑducẽdi.

Tertium argum. ¶ Vltimò ſic ſe habẽt cognitio eſſentialis, & verbũ, reſpectu productionis ad extra, ſicut ſe habẽt ſapiẽtia ſpeculatiua, & ſapiẽtia practica, ſed ſapiẽtia ſpeculatiua nõ eſt principiũ immediatũ operãdi, ſed ſolũ ſapiẽtia practica, ergo ſimiliter verbũ erit immediatum principiũ producẽdi ad extra, & non cognitio eſſentialis. Maior eſt manifeſta, quia ſapiẽtia ſpeculatiua eſt notitia vniuerſalis, notitia autẽ vniuerſalis tantũ cõſiderat operabile vniuerſale. Minor autem probatur quia cognitio eſſentialis, eſt perfectio eſſentialis, & ſolũ eſt ſpeculatiua, Verbũ autẽ diuinũ nõ eſt tãtũ ſapiẽtia ſpeculatiua ad cognoſcendũ, ſed practica, continens in ſe ideas, vt ſunt principia operãdi, ergo verbũ, & amor ſibi correſpõdens ſunt immediatũ principiũ operandi, & producendi in diuinis ad extrà. ¶ Confirmatur ex illo, quod habetur 1. ad Corinth. 2. vbi dicitur prædicamus Chriſtũ Dei virtutem, & Dei ſapientiam, ſed virtus habet rationem ſcientiæ practicæ, ergo.

Sententia Doctoris. ¶ Secunda ſententia eſt Doctoris, vt patet in litera & in tota illa quæſtione qui communiter

Notab. 1. niter recipitur ab omnibus. Pro cuius explicatione & totius quæſtionis ſunt notanda nonnulla. Quorum primum eſt quod in iſta quæſtione omnes Catholici dicunt productionem creaturarum in eſſe reali, præſupponere productionẽ diuinarũ perſonarũ in eſſe reali, propter rationẽ Doctoris traditã in explicatione literæ, ſcilicet, quod productio neceſſaria, ſemper præſupponitur productioni cõtingẽti, quia productio neceſſaria, neceſſario cõuenit principio ꝓductiuo, productio autẽ cõtingens, cõtingenter illi adeſt, & per cõſequẽs cũ productio diuinarũ perſonarũ, tã Filij quã Spiritus ſancti, ſit omnibus modis neceſſariſsima, neceſſario præſupponitur ad productionẽ creaturarũ.

Notab. 2. ¶ Secũdò eſt notãdũ, ꝙ iſta prioritas, quæ reperitur inter productionẽ neceſſariã, & cõtingẽtẽ; nõ ſumitur ex hoc, quod productio cõtingẽs dicat neceſſariã depẽdẽtiã ad productionẽ neceſſariã, ſed quia productio contingẽs neceſſario requirit principiũ productiuũ, & tale principiũ productiuũ non habet cõpletã rationẽ principij productiui ad extra, niſi prout cõmunicatũ tribus perſonis, ſicut etiam v.g. volũtas in productione Spũs ſancti nõ induit cõpletã rationẽ principij productiui, prout in Patre tantũ, nõ ex defectu ipſius volũtatis, ſed quia productio, per intellectũ propter ordinẽ; quem ſeruãt ipſæ potẽtiæ inter ſe (ſcilicet intellectus & volũtas) antecedit productionẽ per volũtatẽ, & quia in illo inſtãti in quo intelligimus Patrem per intellectum producere verbum antequam intelligamus Patrem per voluntatem aliquid producere cõmunicat verbo volũtatẽ, ideo productio Spiritus ſancti neceſſario prærequirit volũtatem in Patre & in Filio, ita (ſuo modo) in propoſito dicendũ eſt, cũ intellectus, & voluntas diuina, priùs ferantur in ſuũ obiectũ primarium, quam in ſecundarium, propter ordinẽ eſſentialẽ, quẽ ipſa obiecta inter ſe ſeruãt, ideo priùs intelliguntur productiones diuinæ in eſſe cõpleto, quã intelligamus intellectũ & voluntatẽ diuinã induere cõpletam rationẽ principij productiui ad extrà, ac per cõſequẽs implicat intelligere productionẽ creaturarũ, ante quã intelligamus diuinarũ perſonarũ productionẽ neceſſariã, & ſic productio creaturarũ neceſſario debet eſſe in tribus perſonis.

Notab. 3. ¶ Tertiò eſt notandũ. Quod in noſtra cognitione eſt neceſſariũ verbum expreſſum propter duo. Primũ propter indigentiã cognitionis, quę nõ poteſt aliter fieri, niſi haberet intrinſecũ verbũ expreſſum quod eſſet ratio formalis illius. Secũdo vero ꝓpter perfectionẽ propriã, & connaturalẽ naturæ intellectualis. Eſt nanq; intellectualis naturæ magna perfectio, quod in ſe habeat fœcũditatẽ quãdã, ita vt per actionẽ tã intellectus, quã volũtatis producat aliquid ad intra per modũ cuiuſdã termini. Quo cõſtituto dicẽdũ eſt, ꝙ in intellectu diuino neceſſariũ eſt expreſſum verbũ, nõ propter primã neceſsitatẽ, quæ ſumitur ex indigẽtia. Quia etiã ſi per impoſsibile tolleremus de medio verbũ expreſſum à diuino intellectu, adhuc maneret in ipſo intellectio eſſentialis, quæ cũ ſit infinitæ perfectionis nulla alia eget perfectione in ratione cognitionis eſſentialis. Sed neceſſariũ eſt verbũ expreſſum ꝓpter fœcũditatẽ diuini intellectus, & pari ratione neceſſarius eſt amor notionalis in volũtate, propter fœcunditatẽ voluntatis diuinæ. Ita ſane vt intellectualis natura in Deo intra ſemetipſam habeat omnẽ illã perfectionẽ, ſecundũ modũ ſubſtantialẽ, quæ reperitur, modo quodã accidẽtario in natura intellectuali creata, prout eſt in angelis & in nobis. Quę doctrina deſumitur à Doctore in 1. diſt. 2. q. 7. propter quã nõnulli, vt diximus in 1. diſp. 7. q. 8. dixerũt Doctorẽ noſtrũ voluiſſe probare myſteriũ Trinitatis ratione naturali. Nihilominus tamẽ, quãtũ ad præſentẽ quæſtionẽ expectat, eſſentialis cognitio diuina nõ terminatur ſecundario ad verbũ, tãquam ad rationẽ tantũ cognoſcẽdi, ſed tanquã ad rationẽ cognitam, in qua omnia cognoſcibilia relucent, & hoc prouenit ex hoc quod verbũ eſt naturalis, & viua ſimilitudo Patris, & quia Pater conſtituitur eſſentia, quæ eſt expreſſa ſimilitudo cuiuſcunq; repræſentabilis, ideo Verbum diuinũ ex vi ſuæ productionis, eſt repræſentatiuum cuiuſcunque repræſentabilis, & quia intellectus diuinus per intellectionẽ eſſentialem cognoſcens eſſentiã, cognoſcit omne repræſentabile, ideò ſecũdario terminatur ad Verbũ diuina intellectio, quòd non contingit in Spiritu ſancto, licet habeat eãdem numerò eſſentiam cũ Verbo quia nõ habet illam per modũ repræſentantis; cùm Spiritus ſanctus nõ habeat eſſe productũ per intellectũ, ſed per voluntatẽ nec eſſentiam cõmunicatam, per intellectũ ſed per voluntatẽ vt cõmuniter docẽt Theologi in primo ſententiarum.

¶ Ex quo infertur quòd aliter ſe habet ver-

bum noſtrum reſpectu noſtræ cognitionis, quam verbum diuinum reſpectu cognitionis diuinæ,& hoc in via Doctoris (& ſimiliter in via D.Thomæ, ſecundùm nonnullos, nam in via Doctoris verbum noſtrum ita eſt ſimpliciter neceſſarium ad intelligendū, quod implicat nos aliquid intelligere ſine verbo. Verbo enim intellectus noſter poſsibilis informatus tendit operando vitaliter in rem cognitā,quod operari vitaliter, vel quod tendere in rem cognitā nihil aliud eſt quā intelligere. Et hoc adeò verū eſt, ꝙ ſine verbo non poſſumus intelligere:ꝙ(vt diximus in.1.diſput.10.quæſt.3. & 4.) beati videntes eſſentiam diuinam,neceſſario producunt verbum. In via autem D. Thomæ licèt non requiratur verbum vt principium formale ad intelligendū, ſed vt terminus ipſius intellectionis,quia ex eo quòd quis intelligit,producit verbum terminans talē intellectionem,cū ſit neceſſarius terminus intellectionis, erit & neceſſarium verbum ad intelligēdū.(Nec hic diſputo an angeli intelligentes ſe,& beati videntes diuinam eſſentiā in via D.Thomæ producant verbū. De qua re videnda ſunt, quæ diximus in Diſput. citata)ad quamcunq; igitur intellectionem,ſecundùm probabiliorem ſententiam Thomiſtarum,requiritur Verbum,vt terminus intrinſecus ipſius intellectionis. Verbum autem diuinum non eſt ratio formalis, nec terminus intrinſecus intellectionis eſſentialis, quia Deus non intelligit per Verbum tanquam per rationem formalem intelligendi, nec intellectio eſſentialis, quatenùs eſſentialis,& communis tribus perſonis,terminatur immediatè ad Verbum, nam hic Deus indiuiduū Deitatis aliquo modo diſtinctus à tribus perſonis,per ſe ſubſiſtens,tribus perſonis realiter communicabilis, verè intelligit,illa tamen intellectio(vt ſic) non terminatur ad Verbum, quia pro illo tunc non intelligimus Verbum productum,licèt intelligamus Deum intelligentem,imò ſi per impoſsibile non eſſet niſi vna perſona in Diuinis,illa eſſet verè intelligens,& volens,& talis intellectio non terminaretur ad Verbū, quia nullum eſſet tunc Verbum in diuinis. Imò modo de facto Verbum diuinum eſt terminus intellectionis in via D. Thomæ, quatenùs intellectio eſt dictio,& non intellectio. Reſtat igitur dicendum,quòd Verbum diuinum ex eo poteſt terminare,& terminat intellectionem eſſentialem,quatenus ex natura ſua eſt repræſentatiuum cuiuſcūque repræſentabilis, quia vt diximus in. 1. diſput.10. quæſt.14. in ſolutione ad ſecundum. Verbum diuinum ex vi ſuæ productionis repræſentat illud,de quo naſcitur,& producitur, & ob hoc eſt naturalis ſimilitudo Patris,& eſſentiæ prout in Patre eſt,& quia eſſentia eſt repræſentatiua cuiuſcunq; repræſentabilis,ideò eſt repræſentatiuum cuiuſcunque repræſentabilis.

¶Quartò eſt notandum, quòd perſonæ diuinæ,& ſunt idem Deus, & ſunt diſtinctæ perſonæ. Idem Deus quatenùs habent eandem numero eſſentiam. Tres perſonæ quatenùs habent aliam,& aliam relationem. Iſtæ autem relationes non tribuunt ipſi Deo, nec ipſis perſonis virtutem aliquam creatiuam, ſed ſunt tantum quædam conditiones, ſine quibus creatio non eſſet in rerum natura. Quare vt optimè aduertit Lichetus hac diſtinctione & quæſt.fol.3.col.2.in fine,licèt hoc prædicatum (creare) prius verificetur de hoc Deo,quam de ſuppoſitis,non tamen ſequitur, quòd hoc prædicatum prius inſit Deo, quā Deus inſit ſuppoſitis, prius enim Deus eſt in ſuppoſitis, & poſt cōuenit huic Deo creare, & vltimo conuenit per ipſum Deum ſuppoſitis. Hactenus Lichetus. Quaſi dicat non eſt Deus creans, qui non ſit Pater, Filius,& Spiritus ſanctus,quia Pater,Filius, & Spiritus ſanctus ſunt qui creant,ſed creatio non conuenit illis, quia Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt, ſed quia hic Deus ſunt,licèt à parte rei non ſit creatio,niſi Pater,Filius,& Spiritus ſanctus creent. *Notab. 4.*

¶Prima concluſio. Cauſalitas perfecta reſpectu omnium cauſabilium ad extrà, neceſſariò eſt in tribus perſonis. *Prima cõcluſio.*

¶Hæc concluſio eſt de fide, & probatur ex illo quod habetur in Concilio Lateranenſi primo,in princ.vbi definitur ſanctam Trinitatem eſſe omnium rerum creatricem. Et in.c.firmiter.de ſumma Trinitate & fide catholica definitur, indiuiſam habere virtutem,& eſſe vnum principium vniuerſorum, & in Concil.Tolet.II. in confeſsione fidei definitur opera Trinitatis ad extra eſſe indiuiſa.Eandem veritatem docet D. Auguſt.5. de Trinit. cap. 14. quem refert Doctor hac diſt.& quæſt.litera F. prop: mediū, vbi dicit,quòd ſicut Pater, & Filius ad Spiritū ſanctum ſunt vnum principium, ſic omnes tres ſunt vnum principium creaturæ ad ipſam producendam,&.1.de Trinit. cap.4.5.& 6, & pro-

& probatur primò, ex illo D.Paul. 1. ad Corinth. 8. vbi dicitur. Ex quo omnia, per quẽ omnia, in quo omnia. Vbi ſecundum cõmunem ſanctorum expoſitionem loquitur D. Paulus de creatione rerum, quam tribuit D. Paulus Patri dicens ex quo, Filio dicens per quem, & Spiritui ſancto dicens, in quo. Et Prouerbiorum. 8. dicitur de ſapientia genita, ſcilicet de Verbo diuino, cum ipſo eram cuncta componens, id eſt creans, idem docet D. Ioannes cap. 1. omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, & Ioan. 5. quæcũque Pater facit & Filius; Pater meus vſq; modo operatur, & ego operor, & Pſalmo. 32. Verbo Domini cæli firmati ſunt, & Sapientiæ. 1. dicitur de Spiritu ſancto, ſpiritus Domini repleuit orbem terrarũ. Et probatur ratione. Ita ſe habent tres perſonæ Diuinæ reſpectu productionis creaturarum, quantum ad modum producendi per modũ vnius principij, ſicut ſe habent Pater, & Filius reſpectu productionis Spiritus ſancti, ſed productio Spiritus ſancti conuenit Patri, & Filio, quia antequã intelligamus Spiritum ſanctum produci, eſt in Patre, & Filio eadem virtus ſpiratiua, ergo cùm in tribus perſonis ſit eadem virtus creatiua, & cauſatiua cuiuſcunque creabilis & cauſabilis, perfecta cauſalitas cuiuſcunque cauſabilis neceſſariò eſt in tribus perſonis.

Secundo probatur. ¶Secundò. Quibus conuenit omnipotẽtia, conuenit prima cauſalitas, ſed tribus perſonis conuenit omnipotentia, ergo & perfecta cauſalitas. Maior eſt manifeſta, quia perfecta cauſalitas cadit ſub omnipotentia. Minor autem probatur ex illo quod habetur in ſymbolo Athanaſij: omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus ſanctus, ergo.

Secunda concluſio. ¶Secunda concluſio. Tres perſonæ diuinæ eundem modum habent operandi in productione rerum ad extrà.

Primo probatur. ¶Hæc cõcluſio eſt contra Origenem lib. 1. Periarchon, qui aſſerebat quòd Pater dat eſſe rebus, Filius autem dat eſſe ratione, Spiritus autem ſanctus dat eſſe iuſtum, quæ doctrina falſiſsima eſt, niſi per quandam accõmodationem intelligatur. Probatur tamen concluſio. Per eandem virtutem, per quam vna perſona producit, producunt & aliæ, ergo idem & eodem modo quod vna perſona producit producunt & aliæ.

Secundo probatur. ¶Secundò. Perſonæ diuinæ ſunt æquæ omnipotentes in producendo, ergo ſicut vna attingit effectum, quantum ad eſſe, & quantum ad modum, ita & alia, & per conſequẽs in effectibus creatis nihil reperitur productum ab vna perſona, quod non reperiatur productum ab alia. Probatur ſequela, quia aliâs nulla perſona eſſet omnipotẽs, nec vniuerſale principium nec Deus, hoc autem falſiſsimum eſt, ergo.

Tertia concluſio. ¶Tertia concluſio. Verbum, & Spiritus ſanctus in creatione rerum non ſunt formales rationes producendi.

Primo probatur. ¶Hæc concluſio eſt Doctoris contra Henricum, & probatur primò, quia ſequeretur, ꝙ Pater nõ creet. Probatur ſequela, nihil enim formaliter agit, quòd non eſt in actu, ſecundùm illud quod eſt proxima ratio agendi, ſed Pater æternus nõ eſt formaliter in actu per Verbum & Spiritum ſanctum, ergo. Verbum & Spiritus ſanctus non cõcurrunt in creatione, vt formales rationes agẽdi, vel ſaltim quando Pater creat non creat, conſequens tamen cõtradictionẽ implicat, ergo.

Secundo probatur. ¶Secundò. Si Verbum & Spiritus ſanctus concurrunt in creatione, vt formales rationes agendi, ergo Verbum & Spiritus ſanctus non creant. Probatur ſequela: ratio formales agendi, non agit illa actione reſpectu cuius dicitur ratio formalis agẽdi, ſed per ſe Verbum & Spiritus ſanctus ſunt rationes formalis creandi vel ad creandum, ergo non creant, conſequens eſt pluſquã falſum, ergo.

Tertio probatur. ¶Tertiò. Vel ſapientia diſponens, & amor affectans, ſunt propria Verbi, & Spiritus ſancti, vel appropriata, ſi ſunt appropriata, ergo communia tribus perſonis, ſi ſunt propria cum dicant reſpectum rationis ad creaturas (quia diſpoſitio ſecundùm Henricum dicit reſpectum rationis ad diſpoſita) ſequitur quòd aliquis reſpectus rationis erit proprius alicuius perſonæ diuinæ, conſequens eſt falſum, ergo.

Quarta cõcluſio. ¶Quarta cõcluſio. Productio creaturarum pertinet ad cognitionem, & volitionem eſſentialem.

Primo probatur. ¶Hæc concluſio colligitur ex præcedentibus, & probatur primò. Productio creaturarum pertinet ad cognitionem, & volitionẽ diuinam, ſed non notionalem, ergo eſſentialem. Maior eſt manifeſta, quia non eſt ponenda in diuinis potentia executiua diſtincta ab intellectu, & voluntate, vt diximus in 1. diſputatione. 23. in explicatione literæ in principio. Minor autem probatur, quia cognitio & volitio notionalis, non eſt com-

munis omnibus perſonis, ergo. ¶Secundò. Si Deus Pater producit creaturas per cognitionem notionalem, ergo creatio non conuenit Deo quatenùs Deus eſt, & per conſequens iſta propoſitio eſt falſa, Deo, inquantum Deus eſt, conuenit creare. Probatur ſequela, Deo inquantum Deus eſt non conuenit actio notionalis: ſed inquantum Pater & inquantum Filius, ergo.

¶*Reſpondetur argumentis.*

Reſpõdetur argumentis. ¶Ad primum negando antecedens, niſi quãdo producens produtit naturaliter. Ad probationem dicitur negando antecedens, quia non ita ſe habet Deus in productione mundi per ſuam voluntatem, ſicut ignis ad producendum ignem, quia voluntas diuina libere ſe determinat ad producendum, vel non producendum res ad extra, cùm poſsit illas producere, & non producere.

¶Ad ſecundum reſpondetur, concedendo maiorem ſuo modo, & negando minorem, Quia vt diximus in diſputatione præcedenti, ex Doctore hac diſt. quæſt. 2. litera E. ad abſolutum in cauſa, ſequitur abſolutum in effectu, & ſic nullus reſpectus rationis eſt de ratione agentis, nec rationis formalis agendi.

¶Ad vltimum reſpondetur negando antecedens. Et ad probationem dicitur, quòd illa cognitio, & volitio eſſentialis qua Deus producit creaturas, eſt formaliter practica.

¶Ad confirmationem quod ille locus non eſt ad propoſitum.

TEXTVS.

HABITVDO naturæ ad ſuppoſitum, prior eſt habitudine eius ad actum ſecundum, quia agere præſupponit eſſe, & habitudo naturæ ad ſuppoſitũ pertinet ad eſſe, & formaliter talis habitudo naturæ ad ſuppoſitum eſt eſſentialis, & in quid. Illa autem habitudo quæ eſt naturæ ad agere, non videtur ita eſſentialis. Natura igitur diuina prius habet eſſe in illis perſonis, quam ſit principium productionis extrinſecæ, diſt. 1. quæſt. 1. litera. E.

EXPLICATIO LITERÆ.

LItera hæc Doctoris, vt vidimus in explicatione literæ precedentis, eſt quędam ratio, qua probauit, quòd prima cauſalitas, reſpectu cuiuſcunque cauſabilis, neceſſario eſt in tribus perſonis, quia tamen ipſa in ſe maximam videtur continere difficultatem, operæpræcium erit illam in præſenti diſputare quæſtionem, cuius titulus talis ſit.

QVÆSTIO II.

¶*Vtrùm prædicta ratio Doctoris ſit vera.*

PRO parte negatiua eſt primum argumentum. Omnis perfectio eſſentialis in diuinis eſt prior proprietate ſuppoſitali, ergo habitudo naturæ ad agere, vel creare, prior eſt habitudine naturæ ad ſuppoſitum. Antecedens eſt Doctoris in 1. diſt. 5. quæſt. 2. & diſt. 26. & 28. & in quolibet. quæſt. 1. ſequela autem probatur, quia creatio actiua eſt quid eſſentiale in diuinis omnibus perſonis conueniens, ergo. *Primum argum.*

¶Secundò. Secundum Doctorem in 1. diſt. 2. par. 2. quæſt. 3. intellectus diuinus prius eſt operatiuus, quam productiuus, & ſimiliter voluntas, ſed creatio pertinet ad intellectum, & volũtatem diuinam, quatenùs ſunt potentiæ operatiuæ, habitudo autem naturæ ad ſuppoſitum, præcipuè in Filio & Spiritu ſancto, pertinet ad intellectum & volũtatem, quatenùs ſunt potentiæ productiuæ, ergo creatio priùs conuenit Deo quàm ratio ſuppoſiti, & per conſequens, prior eſt habitudo naturæ ad agere, quàm ad ſuppoſitum. *Secundum argum.*

¶Tertiò. Si aliqua ratione habitudo naturæ ad ſuppoſitum, prior eſt habitudine naturæ ad agere, maximè quia habitudo naturæ ad ſuppoſitum eſſentialius conuenit naturæ quam habitudo naturæ ad agere, hoc autem falſum eſt, ergo. Probatur minor. Nam ſecundum Doctorem in 1. diſtin. 4. quæſt. 2. creare conuenit huic Deo, & non ſuppoſito quia iſta propoſitio eſt vera. Deus creat, quatenus ly Deus ſtat pro hoc Deo, & non pro aliquo ſuppoſito, ergo creatio immediatius cõuenit Deo, quam ratio ſuppoſiti. Probatur ſequela, quia iſta propoſitio eſt mediata. Pater creat, & iſta immediata. Deus creat, ergo nihil mediat inter Deum, & creare. ¶Confirmatur. In quocunque inſtanti ponitur ratio perfecta formalis agendi, poteſt poni actio, ſed in primo inſtanti in *Tertium argum.*

natura

natura diuina eſt ratio formalis creandi per
fectiſsima, vt præintelligimus illam, non
intelligendo ſuppoſita, ergo poſſumus in-
telligere illam creantem, non intelligendo
ſuppoſita, & per conſequens habitudo na-
turę ad ſuppoſitum non eſt prior habitudi-
ne naturæ ad agere.

Quartum argum. ¶Quartò. Si habitudo naturæ ad ſuppoſitū,
eſt eſſentialior, & prior habitudine naturæ
ad agere, maximè quia (vt docet Doctor) na
tura prædicatur in quid de ſuppoſito, non
autem prædicatur in quid de actione, vt do-
cet Doctor hac diſtin. & quæſt. hoc autem
falſum eſt, quia ratio ſuppoſiti eſt quid ne-
gatiuum, natura autem eſt quid poſitiuum,
ergo. ¶Confirmatur. Si natura diuina præ-
dicatur in quid de ſuppoſito, ergo abſolutū
eſt de eſſentia relatiui. Conſequens tamen
falſum eſt, quia relatiuum totum ſuum eſſe
eſt ad aliud, totū autem abſoluti eſt ad ſe, er
go abſolutum non poteſt eſſe de eſſentia re
latiui. ¶Confirmatur ſecundo: ex ente abſo
luto, & reſpectiuo non fit vnum per ſe, nec
conſtitutum ex abſoluto, & reſpectiuo di-
cit vnum per ſe conceptum, ſed quando ali-
quid prædicatur in quid de alio, fit vnus per
ſe conceptus dę ipſis, ergo abſolutum non
prædicatur in quid de relatiuo, & per conſe
quens habitudo naturæ ad ſuppoſitum diui
num, non eſt eſſentialis & in quid.

Notab. 1. ¶Pro explicatione huius quæſtionis ſunt
notanda nonnulla. Quorum primū eſt quod
natura diuina ex ſua maxima perfectione
habet, vt non tantum exiſtat, & ſubſiſtat in
perſonis, ſed etiam exiſtat, & ſubſiſtat per
ſe, quia vt diximus in 1. diſputat. 6. quæſt. 2.
hæc eſt differentia inter ſubſtantias creatas,
& ſubſtantiam diuinam, quod natura diuina
habet ex ſe exſiſtentiam, & ſubſiſtentiam tri
bus perſonis communicabilem, natura tamē
creata tantum ſubſiſtit in ſuppoſitis. Ex qua
differentia prouenit, quod in ſubſtātijs crea
tis tantum inueniantur duo, ſcilicet, natura,
& ſuppoſitum, quia tantùm reperiuntur na
tura, & habens naturam, & habens naturam
in creatis, ſuppoſitum eſt, at verò in diuinis
(cum natura diuina, ſit exiſtens, & ſubſiſtēs
ex ſe, non prout in abſtracto, ſed prout in
concreto) vltra naturam & ſuppoſitum da-
tur hic Deus indiuiduum Deitatis diſtin-
ctum à ſuppoſitis, non realiter, quia tunc
eſſet quaternitas in diuinis, ſed aliquo mo-
do, qui Deus eſt habens Deitatem, ratione
cuius omnia prædicata eſſentialia conue-
niunt tribus perſonis. ¶Secundò eſt no- *Notab. 2.*
tandum. Aliter iudicandum eſſe de perſona
diuina, & de perſona creata, quia perſona di
uina eſt perſona relatiua, perſona autē crea-
ta eſt perſona abſoluta. ¶Ex quo prouenit,
quod perſonæ creatæ aduenit relatio, tan-
quam quid conſequens ipſam, & poſt eſſe
completum ipſius perſonæ, & ſic relatio ac-
cidentaliter prædicatur de illa, cùm omne,
quod aduenit alicui enti completo ſit acci-
dens illius, at vero cum perſona diuina ſit
formaliter relatiua, relatio non aduenit illi
in eſſe completo, ſed eſt formaliter conſtitu
tiua illius, vt diximus in 1. diſput. 7. quæſt.
3. & per conſequens de intrinſeca ratione
perſonæ diuinæ eſt illi relatio.

¶Tertiò eſt notandum quod licet perſonæ *Notab. 3.*
diuinæ ſint formaliter relatiuæ, non tamen
perſonæ diuinæ ſunt tantum relationes diui
næ, quia perſonæ diuinæ vltra relationes di
cunt eſſentiam diuinam, quia perſonæ diui-
næ vti Pater, &c. ita ſunt perſonæ, ꝙ ſunt
Deus, & adeò de intrinſeca ratione cuiuſcū-
que perſonæ diuinæ eſt ratio deitatis, quod
implicat intelligere perſonam diuinam ſe-
cundum ſuum eſſe reale, non intelligendo
illam eſſe Deum, ſicut implicat intelligere
hominem non intelligendo illum eſſe ani-
mal, quia qui intelligeret hominem, quate-
nùs rationalis eſt, non intelligendo illum
eſſe animal non intelligeret hominem, ſed
tantum rationem formalem hominis, ità
qui intelligeret perſonam diuinam, non in-
telligendo diuinitatem, nō intelligeret per-
ſonam, ſed formalem rationem perſonæ,
quia vt dixi in 1. diſput. 7. quæſt. 5. perſonæ
diuinæ ſunt conſtitutæ à parte rei ſecluſo
ordine ad noſtrum intellectum eſſentia &
relatione; & ſicut abſtractis relationibus nō
remanent perſonæ, in eſſe perſonæ, ita ab-
ſtracta natura diuina à perſonis, non rema-
nent perſonæ in eſſe perſonæ, ſed tantum
in eſſe relationis.

¶Quartò eſt notandum quod licet proba- *Notab. 4.*
biliter poſſet dici, quod ratio formalis per-
ſonæ in creatis, compleatur in illa duplici
negatione, quam ponit Doctor in quol.
quæſtione. 19. & in quam plurimis alijs
locis ſuæ doctrinæ, nihilominus tamen
in perſonis diuinis hoc non poteſt ſubſtine
ri; quia illa duplex negatio conſequitur, cō
pleta iam perſona diuina in eſſe perſonæ.
Dixi autem notantèr, quod duplex illa ne-
gatio complet perfectam rationem perſo-

næ in

næ in creatis, quia maxima controuerſia eſt inter Doctores ſcholaſticos Thomiſtas, & Scotiſtas per quid formaliter conſtituatur perſona, in eſſe perſonæ: Imò & inter ipſos Scotiſtas interſe. Quia durũ videtur quod perſona creata ſit formaliter negatiua, quare Lichetus in. 1. diſt. 28. quæſt. 2. ſubſtinet perſonam creatam conſtitui in eſſe perſonali per aliquod poſitiuum, quod eſt ratio incommunicabilitatis vt quod, & vt quo, nec hoc reputat contrarium doctrinæ Doctoris, quia Doctor nunquã aſſertiuè illud aſſeruit, imò cùm doceat in quam pluribus locis ſuæ doctrinæ, præcipuè in. 1. diſt. 23. & 26. & in 3. diſt. 1. quæſt. 1. & in quol. quod nulla negatio eſt alicui propria, nec incommunicabilis, niſi ratione alicuius affirmationis, videtur dicendum quod perſona creata formaliter cõſtituitur per aliquid poſitiuum, pro nunc tamen mihi videtur dicendum, quod perſona creata non intelligitur habere completam rationem perſonæ vſque dũ habeat illam duplicem negationem, nec exiſtimo ponendam eſſe aliquam entitatem realem deſtinctam à natura & ſingularitate, quæ conſtituat ipſam naturam ſingularem in eſſe perſonæ, ad quam conſequatur illa duplex negatio, vti volunt nonnulli ex Thomiſtis cum Caietano (& docet ſine aſſertione tamen, & ſaluo ſemper meliori iudicio Lichetus vbi ſupra prope finem) ſed dicendum eſt quod natura humana ſingularis terminata in ſe, & non dependens ab alio, eſt ſuppoſitum, & perſona, & talis terminatio non eſt aliquid reale diſtinctum ab ipſa natura humana ſingulari, niſi forſitàn tantum modaliter, & ſic cùm illa terminatio non poſsit intelligi ſine illa duplici negatione, ideò dico ꝙ ratio formalis perſonæ nõ intelligitur cõpleta niſi per illam duplicem negationem? Sicut v. g. Punctus in linea non eſt aliquid diſtinctum realiter ab ipſa linea, ſed ipſa linea taliter terminata, ꝙ vltrà non progreditur, & ſicut linea non habet completam rationem huius lineæ, niſi quatenus eſt terminata, & cùm non habeat completam rationem lineæ terminatæ, niſi quatenus vltra non progreditur, ita natura humana ſingularis non habet completam rationem perſonæ, niſi quatenus eſt terminata in ſe, nec eſt completa terminata in ſe, niſi quatenus nõ dependet ab alieno ſuppoſito.

¶ Poteſt etiam, & aliter prædicta explicari ſententia, ſicut v. g. natura limitata, vltra rationem naturæ dicit limitationem, quæ limitatio nihil aliud eſt, quam quidam determinatus modus eſſendi, qui completè non explicatur niſi per negationem. Ita igitur in propoſito dicendum eſt de illa duplici negatione quæ ponitur à Doctore, ratio formalis cõſtitutiua ſuppoſiti in eſſe ſuppoſiti.

¶ Vltimò eſt notandum, vt diximus in 1. diſputatione. 9. quæſt. 5. notabili. 2. triplex eſt ordo, ſcilicet durationis, naturæ, & originis. *Vltimo eſt notãdum.* Ordo autem naturæ ſumitur quandoq; pro ordine, qui reperitur inter naturas, quãdoq; verò pro ordine inter naturales perfectiones, quandoque vero pro ordine, qui eſt inter potentias comparatas ad ſua obiecta. Primo modo eſt ordo inter duas naturas ſpecificas, vt inter hominem, & angelum, & dicitur ordo perfectionis, ſecundum quem in vnoquoque genere eſt vnum primum, & perfectiſsimum, quod eſt metrum & menſura cæterorum, & iſte ordo non reperitur in diuinis, cum in diuinis ſit tantùm vnica natura, & vna perfectio. ¶ Secundus autem ordo, qui eſt inter naturales perfectiones, bene reperitur in diuinis, cùm actus voluntatis præſupponat etiam in diuinis actum intellectus, & non è contra. ¶ Tertius autem ordo (qui eſt inter potentias comparatas ad ſua obiecta) etiam reperitur in diuinis, nam tam intellectus, quam voluntas diuina, prius feruntur in eſſentiam diuinam: tanquam in ſuum obiectum primarium, quam in alia diſtincta ab ipſa eſſentia, quæ ſunt obiecta ſecundaria. Cùm igitur intellectus diuinus (tã quatenus eſt potentia operatiua, quã quatenus eſt potentia productiua) prius feratur in obiectum ſuum primarium, (quale eſt eſſentia diuina) hinc prouenit, quod prius competat Deo productio intrinſeca, quam productio extrinſeca ſecundum rem, licet ratio productionis ad intra non cõpetat Deo, quatenus Deus eſt, ſed quatenus Pater, vel Filius eſt, & ratio creationis competat Deo quatenus Deus eſt, quia tamen tam intellectus, quam voluntas diuina, prius reſpiciunt ſuum obiectum primarium quam ſecundarium, ideo prius intelligimus omnem productionem ad intra completam, & perfectã quam aliquo modo intelligamus productionem creaturarum. Vt etiã diximus iam quæſtione præcedente.

¶ Concluſio. Habitudo naturæ diuinæ ad ſuppoſitum diuinum prior eſt habitudine naturæ ad productionem ad extrà, Hæc cõcluſio

ſio eſt Doctoris vt patet in litera, & probatur. Non poteſt intelligi natura diuina exiſtens à parte rei ſine ſuppoſitis, ſed poteſt intelligi ſine ordine ad productionem ad extra, ergo immedior eſt, & prior habitudo naturæ ad ſuppoſitum, quàm ad productionem ad extra. Maior eſt manifeſta in omni opinione, quia tenentes, quòd relationes ſunt de intrinſeca ratione eſſentiæ diuinæ, tenentur etiam fateri prædictam maiorem. Et tenentes quod eſſentia diuina vt eſſentia non includit in ſua quidditate relationes, tenentur etiam fateri, quòd eſſentia diuina nō exiſtit ſine ſuppoſitis, licet habeat exiſtentiam propriam diſtinctam ab exiſtentia, & ſubſiſtentia ſuppoſitorum aliquo modo, nēpe virtualiter, vel ratione ratiocinata, vel non idem formaliter, ſicut v. g. licet natura humana Chriſti domini habeat exiſtentiam propriam, diſtinctam ab exiſtentia verbi, non tamen exiſtit ſinè verbo, ita in propoſito. Minor autem probatur. Nam talis ordo ad productionem ad extra eſt quædam relatio rationis in natura diuina, ergo.

¶*Reſpondetur argumentis.*

Ad primū argum. ¶Ad primū. Quod illa maxima quod eſſentialia ſunt priora notionalibus, intelligenda eſt cum limitatione, nempe quod ſint abſoluta, non includentia aliquem reſpectum rationis, & quia habitudo ad agere, & creare, includit reſpectum rationis, quam nō includit habitudo naturæ ad ſuppoſitum, ideo licet habitudo naturæ ad creare ſupponat perfectionem eſſentialem, vel immediate fundetur in perfectione eſſentiali, non tamē eſt prior habitudine naturæ ad ſuppoſitum.

Ad ſecundum arg. ¶Ad ſecundum reſpondetur, quòd intellectus diuinus dicitur operatiuus, quatenus per intellectionem eſſentialem Deus cognoſcit quodcumque cognoſcibile, dicitur autem productiuus, quatenus cum eſſentia diuina in ratione obiecti producit Verbum diuinum, & licet verum ſit, quòd intelligere (ſi conſideretur ſecundum ſuam naturam) præcedit dicere, vel producere Verbum; nihilominus tamen cum iſta reduplicatione, prout in Patre, prius eſt dicere quam intelligere, vt dixi in. 1. diſput. 1 o. quæſt. 6. contra nōnullos Scotiſtas, quam ſententiam docet etiam Lichetus hac diſt. & quæſt. fol. 4. col. 2. ibi ſed dubitatur. Ex quo prouenit, quod licet intelligamus Deum prius intelligentem, quàm Patrem producentem, & ſimiliter, licet prius intelligamus Deum volentem, quam Patrem producentem, pr iu tamen intelligimus Patrem per intellectum producentem Filium, & Patrem & Filium producentes per voluntatem Spiritum ſanctum, quam intelligamus Deum per voluntatem producentem creaturas.

Ad tertiū argum. ¶Ad tertium reſpondetur concedendo maiorem & negando minorem, & ad probationem dicitur, quod cū creatio importet duo, alterum de principali, & alterum de connotato, ſi conſideretur quantum ad illud quod importat de principali, ſcilicet, volitionem diuinam, ſecundum ſuum eſſe abſolutum, prius conuenit Deo, quam, quælibet productio ad intra, ſi autem conſideretur quantum ad connotatum, & prout illa volitio eſt in proxima diſpoſitione ad producendum aliquid ad extra, tunc prius ſunt productiones ad intra, quā illa volitio, vt ſic, quia volitio non habet iſtum modum, nec completam rationem potentiæ productiuæ ad extra, niſi prout eſt in tribus perſonis.

Ad confir. ¶Ad confirmationem reſpondetur per ſupradictam doctrinam concedendo maiorē & negādo minorē, quia in illo priori in quo intelligimus volitionem diuinam, non intelligendo ſuppoſita, non intelligitur volitio diuina, vt habens completam rationē principij productiui ad extra, intelligimus autē illam habere talem completam rationem quando intelligimus illam eſſe in tribus ſuppoſitis.

Ad quartum arg. ¶Ad quartum reſpondetur concedendo maiorem, & negando minorem, & ad probationem dicitur quod ratio ſuppoſiti, & perſonæ in diuinis, eſt formaliter poſitiua. *Ad confir.* ¶Ad confirmationem dicitur quod cum perſonæ diuinæ ſint formaliter relatiuæ, & ſint conſtitutæ eſſentia, & relatione, cum eſſentia diuina ſit de quidditate ipſarum, neceſſariò fatendum eſt abſolutum eſſe de quidditate relatiui, id eſt, perſonæ relatiuæ. Vtrùm autem eſſentia ſit de eſſentia relationis vide quæ diximus in 1. diſputatione. 8. quæſt. 9.

Ad ſecūdā confirm. ¶Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, quod illa maior tantum habet veritatem in creatis, in quibus, relatio non conſtituit perſonam in eſſe perſonæ, ſed ſupponit illā conſtitutam, ſecùs autem in diuinis, vbi relatio conſtituit perſonam in eſſe perſonæ, & ſic in diuinis ex abſoluto & reſpectiuo reſultat vnum per ſe: nempè perſona diuina æquè ſimplex quoad realitatem ſicut eſſentiam, licet non æquè ſimplex, quoad conceptum

ptũ quia eſſentia non eſt reſolubilis in plures conceptus vt importatur nomine eſſentiæ,bene tamen perſona,quia conſtituta eſt eſſentia & relatione.

TEXTVS.

AD quæſtionem igitur principalem patet,quod neceſsitate cauſalitas perfecta,reſpectu cauſabilium extrà, eſt in tribus,& hoc reſpectu omnium cauſabilium in quocunque eſſe cauſabili, ſiue ſimpliciter,ſiue ſecundum quid,ita quod non poſſet non eſſe in tribus diſt.1.q.1.litera M.

EXPLICATIO LITERÆ.

IN hac litera Doctor ſupponit quandam doctrinam ſæpe ſæpius à ſe repetitam, ſcilicet creaturas produci à Deo, & in eſſe ſimpliciter , quale eſt eſſe reale, quod habent ad extra , & in eſſe ſecundum quid, quale eſt illud eſſe cognitum , vel volitum, quod habent creaturæ , ex eo quòd ſunt cognitæ,vel volitæ à Deo. Hoc igitur ſuppoſito docet Doctor in hac litera quod productio diuinarum perſonarum præſupponitur ad productionem creaturæ in quocunq; iſtorum eſſe,& per conſequens , quod cauſalitas creaturarum(in quocunque eſſe)neceſſario eſt in tribus perſonis , nam ſi perſonæ diuinæ intelliguntur productæ antequam intelligamus creaturas habere iſtud eſſe cognitum,ergo cauſalitas creaturarum, quantũ ad iſtud eſſe neceſſariò eſt in tribus. Sequela eſt manifeſta,quia tale eſſe cognitum,vel volitum habent creaturæ , ex eo quod ſunt cognitæ,vel volitæ à Deo,ſed prius intelligimus productiones diuinas ad intra , quam intelligamus illas eſſe cognitas,vel volitas à Deo , ergo quia tamen ex iſta concluſione Doctoris colligitur Verbum diuinum non produci ex cognitione creaturarum. Pro maiori explicatione huius literæ, vide quæ dixi in 1.diſput.10.quæſt.14. Vtrum Filius in diuinis producatur ex cognitione diuinæ eſſentiæ, & creaturarum , & quæſt. 15. Vtrùm creatura priùs habeat eſſe expreſſum,vel repræſentatum per eſſentiam diuinam actu, & formaliter quam per intellectionem eſſentialem cognoſcatur. Et ſi vis intelligere iſtud eſſe cognitum vide quæ dixi in 1.diſput.16.quæſt.3.

TEXTVS.

SI per impoſsibile eſſet vna perſona abſoluta,conſequenter eſſet dicendum, quod in illa perſona abſoluta ſimpliciter eſſet talis cauſalitas perfecta , & ita cauſalitas perfecta ex ratione iſtius termini, non videtur neceſſariò includere , quod ipſa ſit in tribus,ſicut nec ex ratione iſtius termini includit rationem productionis ad intra, licet illa in re neceſſariò præſupponatur ſibi,ſicut nec poſſe ignire ex ratione ſui neceſſariò includit poſſe calefacere,licet in re præſupponatur diſt. 1 . quæſt. 1. infra literam M.

EXPLICATIO LITERÆ.

QVIA litera iſta Doctoris melius explicabitur in quæſtione , ſit titulus illius.

QVÆSTIO III.

¶*Vtrùm ſi per impoſſibile tantum eſſet vnica perſona in diuinis,illa poſſet producere aliquid ad extra.*

PRO parte negatiua eſt primũ argumentum. Talis perſona nihil poſſet producere ad intra,ergo nec ad extra. Antecedens eſt manifeſtum , quia illud,quod produceret ad intrà, eſſet quid ſubſiſtens in natura intellectuali, & diſtinctum realiter à perſona producẽte, ergo eſſet alia perſona,& per cõſequens non eſſet vna perſona,quod ſupponitur in quæſtione. Sequela autem probatur , quia intellectus diuinus maiorem actiuitatem habet reſpectu productionis ad intra,quam ad extrà,ergo ſi nihil poſſet ad intra producere , nec poſſet aliquid producere ad extrà. *Primum argum.*

¶Secundò. Vbi non eſt ratio formalis productiua,nec principium productiuum, non poteſt eſſe productio , ſed ſi vnica tantum eſſet perſona in diuinis,in illa nõ eſſet principium productiuum ad extra,ergo nec productio ad extra. Maior eſt manifeſta,& minor probatur. Nam principium productiuum creaturarum in diuinis eſt voluntas diuina , prout in tribus perſonis , vt diximus quæſt.2.ſed ſi vna tantum eſſet perſona, nõ poſſet perſona eſſe in tribus , ergo nec ha- *Secundum argum.*

bere

bere rationem principij productiui, & pet
conſequens, ſi vna tantum eſſet perſona in
diuinis, nihil poſſet ad extra producere.

Notab. 1. ¶Pro explicatione huius quæſtionis ſunt
notanda nõnulla, quorum primum eſt quod
in vnoquoque agente duplex teperitur ra-
tio ad agendum, altera quæ dicitut ratio agē
di, altera quæ dicitur ratio agentis, & idem
dicendum eſt de paſsione, ſicut. v. g. in igne
producente ignem, aliud eſt ratio agendi, &
iſtud eſt forma ſubſtantialis, vel accidenta-
lis: ſubſtanrialis reſpectu ſubſtantiæ ignis
producendi: Accidentalis reſpectu caloris
ptoducendi, quia, vt dixi in diſputat. 1. acci-
dens non poteſt producere ſubſtantiā, nec in
virtute ſua, nec in virtute ipſius ſubſtantiæ,
& ſic ignis producit ſubſtantiam ignis pet
ſuam formam ſubſtantialem, tamquam per
rationem formalem agendi, calorem autem
pet ſuum calorem, qui eſt ratio formalis agē
di igni: Aliud autem eſt ratio agentis, ſcili-
cet, ratio ſuppoſiti, vel ſingularis, quia actio
nes, vel ſunt ſuppoſitorum, vel ſingulatium,
quæ conditio intrinſeca eſt ad rationem agē
tis vt quod; quia quod non eſt ſuppoſitum,
vel ſingulare ſubſiſtens, vel exiſtens per ſe
non poteſt agere. Quare autem iſta duplex
ratio requiratur in vnoquoque agēte ea eſt,
quia inter agens & patiens, inter producens
& productum eſt aliqua conuenictia, & dif-
ferentia, nam ignis productus, & producens
cõueniunt quidem, & diſtinguuntur, conue-
niunt in natura ignis, vterque enim habet
formam ſubſtantialem ignis, qua eſt formali
ter ignis, & vterque habet formam acciden
talem ignis, qua vterque formaliter calidus
eſt. Diſtinguūtur autem propria in diuidua-
tione, aut ſingularitate. Illud igitur in quo
eſt ſimilitudo: & cõuenientia dicitur in igne
generāte ratio agendi. Illud igitur in quo di-
ſtinguūtur, dicitur ratio agentis.

Notab. 2. ¶Secundo eſt notandum. Quod ſi vna tantū
perſona eſſet in diuinis, licet in illa non repe
riretur iſta duplex ratio reſpectu productio
nis ad intra, quia nullum reperiretur produ-
ctum ad intra, & productio dicit intrinſecū
ordinem ad principium productiuum, & ter
minum productum, quia ſi non eſt produ-
ctum, nō eſt productio, nec principium pro
ductiuum, quantum ad ſuum eſſe completū,
& in actu, licet poſsit eſſe quantum ad apti-
tudinem, & quantum ad ſuum eſſe abſolutū,
vt patet in igne non producente ex defectu
ſubiecti, vel paſsi; in illo enim eſſet principiū
productiuum, ſecundum ſuum eſſe abſolutū,
non tamen in vltima actualitare, niſi quando
habet productum, & productionem, quod ſi
igni implicaret, habete productum, & pro-
ductionem, eſſet etiam impoſsibile habere
principium productiuum & rationem agen
di: Vnde ſi in diuinis tantum eſſet vnica per-
ſona, cum illa non poſſet habere productum
ad intra, licet haberet intellectum, & volun-
tatem, non poſſet habere rationem princi-
pij productiui: quia illis eſſet impoſsibilis
productio, & productum ad intra. At verò
reſpectu productionis ad extra, vttaque ra-
tio, (ſcilicet agendi & agētis) reperirietur in
Deo, quia in Deo teperiretur ratio ſubſiſten
tis, (quæ eſt ratio agentis) & volūtas diuina,
quæ eſſet ratio agendi.

¶Tertio eſt norandum quod principiū pro- *Notab. 3.*
ducendi ad extra eſt triplex. Aliud eſt funda
mentale, vel remotiſsimum: & iſtud eſt eſſen
tia diuina quæ eſt radix, & fundamentum
omnium diuinorum. Aliud eſt ptincipium
remotum, & eſt voluntas ipſa diuina, quæ eſt
principium omnis productionis contingen-
tis ad extrà. Aliud autem eſt principium pro
ximum & eſt actus diuinæ voluntatis, quo
tanquam proximo principio omnia ad ex-
tra producuntur, iuxta illud. Ipſe dixit & fa
cta ſunt, id eſt efficaciter voluit, & facta
ſunt, & iuxta illud. Omnia quæcumque vo-
luit Dominus fecit in cælo, & in terra. Et li-
cet hic diſtinguamus volitionem à volunta-
te, & voluntatem ab eſſentia, loquimur mo-
re noſtro per conceptus deſumptos à creatu
ris, in quibus operatio diſtinguitur à princi-
pio productiuo, & principium productiuū
quandoque diſtinguitur ab eſſentia: ſi autem
conciperemus volitionem diuinam per con
ceptum ſibi adæquatum, & ſimilicer volunta
tem diuinam nullam inueniremus diſtinctio
nem inter illas & eſſentiam, vt dixi in. 1. di-
ſputatione. 15. quæſtione. 3. notabile. 5. vbi
dicebam, quod ſi intellectus, & voluntas,
conſiderentur ſecundum quod ſunc entita-
tes à parte rei, nullum dicentes ordinem, nec
reſpectum, hoc modo intellectus & volun-
tas in diuinis nō ſunt duæ realitates, nec duæ
formalitates, ſed eadem realitas, & eadē for-
malitas niſi formalitas ſumatur pro ratione
conceptibili: iuxta ea quæ docuit Doctor in
reportatis in. 4. d. 3. quæſt. 1. vbi dicit, quod
quidditas quandoque ſignificat rationem
conceptibilem de aliquo, ſi autem formali-
tas ſignificet rationem formalem exiſten-
tem

tem à parte rei, ſicut eadem natura diuina
eſt intellectus, & voluntas, ita eadem forma
litas eſt intellectus & volũtas diuina, & hoc
modo adeo ſunt intrinſeca ratione eſſentiæ
diuinæ, quod implicat intelligere eſſentiam
diuinam, in ratione eſſentiæ diuinæ, abſque;
eò quod intelligamus illam eſſe intelligentē
& volentem, quare volitio diuina; eſt de for
mali ratione eſſentiæ, & voluntatis diuinæ,
quod ſi modo diſtinguimus illas eſt quia cõ-
cipimus volitionem, & voluntatem diuinã
per conceptus quibus concipimus volitio-
nem, & voluntatem humanam qui conce-
ptus non ſunt proprij ſed alieni.

Notab. 4. ¶Quartò eſt notandum cum Doctore hac
diſt. & quæſt. litera L. quod quando aliqua
cauſa eſt productiua plurium effectuum di-
ſparatorum, ex eo quod non producat vnũ,
non ſequitur quod non poſsit producere
aliud, ſicut. v. g. ſol eſt productiuus ranæ, &
vermis, ex hoc autem quòd non produceret
vermem, non ſequitur quòd non poſsit pro
ducere ranam. Quando verò cauſa eſt effecti
ua plurium effectuum, ſubordinatorum, ſi
per poſsibile, vel per impoſsibile, tollamus
ordinem vnius effectus ſubordinati ad aliũ
effectum non propter hoc tollēdus eſt, nec
negandus ordo ipſorum effectuum ad ſuam
cauſam. Vt autem prædictam doctrinam in-
telligas, aduerte quod quandocumque ali-
qua cauſa in creaturis comparatur ad plures
effectus ſubordinatos, eſſentialior eſt com-
paratio illius cauſæ ad ſuos effectus, quam
comparatio vnius effectus ſubordinati ad
alium effectum ſubordinatum. v. g. ſol enim
illuminat & calefacit, & prius illuminat quã
calefaciat, poſſumus igitur comparare ſolē
ad illuminationē, & calefactionem, & poſſu
mus comparare calefactionem ad illumina-
tionem, tamquam effectus vltimus, ſubordi
natus illuminationi, tanquam effectui prio-
ri: In hoc caſu licet calefactio dicat ordinem
ad ſolem, tanquam ad ſuam cauſam & etiam
ad illuminationem, tanquam ad alium effe-
ctum priorem, magis tamen dependet cale-
factio à ſole, quam ab illuminatione, quia de
pendentia vnius effectus ad alium effectũ,
eſt propter dependentiam, & ordinē, quam
ipſi duo effectus habent ad ſuam cauſam, &
per conſequens eſſentialior eſt dependen-
tia illorum ad ſuam cauſam, quam dependen
tia vnius ad alium: calefacere enim ex eo pē-
det ab illuminatione, quia ſol illuminans ca-
lefacit, & vterque effectus à ſole procedit,
cùm igitur ſit eſſentialior dependentia, quã
habet calefactio ad ſolem, quam illa quæ ab
illuminatione, ſi per poſsibile, vel per im-
poſsibile tolleretur illa dependentia, & or-
do, qui reperitur inter calefactionem, & illu
minationem, non ex hoc tollitur neceſſariò
dependentia & ordo, qui reperitur inter ca-
lefactionem & ſolē, & reddit Doctor ratio
nem, quia propter minus neceſſarium, non
eſt tollendum magis neceſſarium, ſicut. v. g.
neceſſarium eſt ſolem illuminando calefacе
re, quare calefacere neceſſariò præſupponit
illuminationem, & hoc eſt primum neceſſa-
rium. Secundò neceſſarium eſt quòd calefa-
cere, & illuminare præſupponant ſolem, tan
quam ſuam cauſam, à qua eſſentialiter depē-
dent, iſtud autem ſecũdum eſt magis neceſ-
ſarium quam primum, modo ſi ego dicam,
quod calefacere non præſupponit illumina
re, non tamen ex hoc ſequitur quod illumi-
nare, & calefacere, non præſupponant ſolē
tanquam ſuam cauſam. Modo ad propoſitũ
dicit Doctor. Aliquid eſt in Deo principiũ
productionis intrinſecę, & aliquid eſt in eo,
principiũ productionis extrinſecę, ita quod
iſtæ duæ productiones ordinatæ ſunt ad idē
principium, & magis neceſſarius eſt ordo
vtriuſque productionis ad cauſam, & princi
pium, quam alterius ad alteram, vnde ſi per
impoſsibile ponatur aliquod principium,
non eſſe principium productionis prioris,
(ſcilicet intrinſecæ) non propter hoc vide-
tur eſſe negandũ illud principium, eſſe prin
cipium productionis extrinſecæ, quia tantũ
negatur ille ordo productionis ad produ-
ctionem, quando ponitur ſi eſſet vnica tan-
tum perſona in diuinis.

¶Vltimò eſt notandum quod cùm volun- *Vltimo notab.*
tas diuina ſit principium productiuum crea
turarum, nõ maiorē vim recipit ex eo quod
ſit in tribus diuinis ſuppoſitis, quam ſi tantũ
eſſet in vna perſona diuina, quia eadem volũ
tas numero, quæ eſt in Patre, eſt in Filio, eſt
& in Spiritu ſancto nec maiorem virtutem
habet voluntas in tribus perſonis, quam in
Patre tantum, quia tota virtus voluntatis di
uinæ, prouenit illi ex eo quod eſt voluntas
eſſentiæ diuinæ, ita quod vt præintelligi-
mus illam (antequam intelligamus illã eſſe
in perſonis) eſt tam infinita, ſicut quando in
telligimus illã in Patre, Filio, & Spiritu ſan
cto, & per conſequens ex eo quod ſit in tri-
bus, non acquirit aliquam entitatem. Quòd
autem modo non ſit principiũ productiuũ
in po-

in potentia proxima, niſi priùs ſit in tribus ſuppoſitis diuinis, hoc prouenit illi, quia voluntas diuina priùs complet productionem ad intra, quam ſit principium productiuum proximum productionis ad extrā. ¶Ex quibus infertur primo; quòd ſicut voluntas diuina non eſt fœcunda in potentia proxima in Patre, antequam Filio communicetur reſpectu productionis Spiritus ſancti, propter ordinem, qui inter intellectum & voluntatem diuinam reperitur, ita voluntas diuina, non eſt principium proximum productionis ad extra, antequā ſit in tribus perſonis, propter ordinem qui inter productionem ad intra, & productionē ad extra ſeruatur. ¶Ex quibus infertur ſecundo, quòd pluralitas perſonarum diuinarum non eſt conditio neceſſariò requiſita ex parte ipſius productionis ad extra, quia productio ad extra tantum dependet eſſentialiter à voluntate, quatenus voluntas, quòd autem pendeat à voluntate in tribus, hoc prouenit, quia voluntas diuina prius eſt in tribus, & communicatur Filio & Spiritui ſancto, quā ſit principium productiuū proximum creaturarū. Pro hoc notabili, & hac quæſtione vide quę diximus in 1. diſput. 11. quæſt. 8. per totā.

¶Concluſio. Si per impoſsibile in diuinis vna tantum eſſet perſona, illa poſſet producere omnes creaturas. Hæc concluſio eſt Doctoris vt patet in litera, & probatur primo quia vbicumque eſt ſufficientiſsimum principium quod, & quo, & ſufficiētiſsima ratio agentis, & agendi, ibi poteſt eſſe productio, ſed ſi vna tantum eſſet in diuinis perſona, eſſet in illa ſufficientiſsimum principiū quod, & quo, & ſufficientiſsima ratio agentis, & agendi, ergo. Maior eſt manifeſta, & minor probatur, quia illa perſona eſſet ſubſiſtens, & haberet voluntatem æque perfectam, & potentē, ſicut modo eſt in tribus, ergo ſicut modo exiſtēs in tribus poteſt pducere creaturas, etiā in caſu poſito eſſet ſufficiētiſsimū principium proximū productiuū creaturarū, & poſsit creaturas omnes producere. *Primo probatur.*

Corol. ¶Ex quo infertur primo cum Tartareto ſuper iſtam literam, quod productio ad extra non includit formaliter productionem ad intra, nec præſupponit illam nunc de facto, ita quòd includat illam formaliter in ſua ratione formali & diffinitione. Et ratio huius eſt ex Doctore, quia tunc non poſſemus dicere quòd negata productione ad intra, poſſet eſſe productio ad extrā, quanquā per impoſsibile illa negaretur, quod patet, nā ſi ego nego quod rationale eſt animal etiā neceſſario debeo ſimpliciter negare quod homo eſt animal, nā rationale ita eſt de intrinſeca ratione hominis, quod eſt ratio formaliſis illius, & eſſet cōtradictio per locū intrinſecum, eſſe rationale & non eſſe hominem, ſed non eſt contradictio per locum intrinſecum eſſe productionem ad extra, & non eſſe productionem ad intra, ergo productio ad extra modo de facto non includit formaliter productionem ad intra, nec in ſua ratio ne formali illam præſupponit.

¶Secundò probatur concluſio. Nam Philoſophi, Sarraceni, & Iudæi poſuerunt productionem ad extra, & non productionem ad intra, ergo inter productionem ad intra & ad extra non eſt per locum intrinſeco neceſſaria habitudo quantum ad rationem formalem vtriuſque productionis. Confirmatur, quia neceſsitas talis habitudinis tantum prouenit ex ordine neceſſario qui eſt inter ipſas productiones. *Secundo probatur.*

¶*Reſpondetur argumentis.* *Reſpōdetur argumentis.*

¶Ad primū concedendo maiorem & negando minorē. Et ad probationē dicitur, quod illud nō prouenit ex maiori, vel minori actiuitate, ſed quia ſi vna tantum eſſet perſona nihil poſſet producere ad intra, quia illud productū deberet eſſe alia perſona, & ſic hypotheſis implicaret cōtradictionē per locū intrinſecū, nō autē implicat cōtradictionē per locū intrinſecū, quod non ſit productio ad intra, & quod ſit productio ad extra. *Ad primū argum.*

¶Ad ſecūdū reſpōdetur cōcedendo maiorē, & negādo minorē, & ad probationē dicitur negādo antecedēs, quia de ratione principij productiui tōtū eſt, quod voluntas ſit in aliquo, quod autē ſit in tribus, prouenit illi ex cōnexione, quæ eſt inter productionē intrinſecā, & extrinſecā, id eſt, quia productio ad intra præſupponitur cōpleta ante productionem ad extra. *Ad ſecundum.*

TEXTVS.

Reſpondeo, Pater producit lapidem prius origine, quam Filius, hoc eſt à ſe, & Filius non à ſe, & tamen Filius eadem productione producit lapidem, & in eodem inſtanti naturæ: & in eodem inſtanti naturæ poſſunt aſsignari omnes gradus originis, & ideo non ſequitur quod ſit bis productus niſi priùs naturaliter, & in priori inſtanti naturæ produceretur à Pa-

tre, quàm à Filio, quod non eſt verum, nam in illo inſtanti naturæ, in quo Pater producit lapidem in tali eſſe, Filius habet eandem naturam, & per conſequens, omnem fœcunditatem productiuam, quæ ſibi non repugnat, & ita virtutem producendi lapidem, & ante illud inſtans ordine naturæ non præintelligitur lapis productus in eſſe cognito. diſtin. 1. quæſt. 1. ante literam I.

EXPLICATIO LITERÆ.

IN hac litera Doctor reſpondet cuidam dubitationi à ſe propoſitæ, ſcilicet, ſi Filius in diuinis habet virtutem productiuam communicatam à Patre, videtur quòd prius Pater producat, quam Filius, & per cõſequens quòd res productæ à Patre, & à Filio, bis producantur, vel ſaltim quòd Filius non producat. Huic autem dubitationi reſpondet, quòd iſta prioritas quæ reperitur inter Patrem & Filium eſt prioritas originis tenens ſe ex parte ipſorum producentium, non tamen ex parte rei productæ, & ſic non ſequitur quòd bis producatur, vel quod Filius non producat, quia in illo inſtanti in quo Pater producit lapidem, in eodem inſtanti naturæ Filius habet omnem fœcunditatem productiuam, quia habet eandẽ numero naturam cum Patre, & quia in illo inſtanti in quo habet eãdem numero naturam cum Patre, lapis non habet eſſe productum, ergo ſimul cum Patre producit lapidem, ſed quia Pater producit lapidem per virtutem nõ cõmunicatã ab alio, Filius autem producit lapidem per virtutem communicatam à Patre, ideo Pater priùs origine producit lapidem, quàm Filius, quia Pater à ſe, Filius autem non à ſe illum producit. Quia tamẽ præſens litera longiorem requirit explicationẽ ſit titulus quæſtionis.

QVÆSTIO IIII.

¶Vtrùm inter diuinas perſonas ſit aliquis ordo in productione creaturarũ.

Primum argum. PRO parte negatiua eſt primum argumentum ſi inter perſonas diuinas eſt aliquis ordo in ꝓducendo creaturas ſiue in eſſe reali, ſiue in eſſe cognito, ergo, vel lapis bis producitur, vel Filius non producit lapidem, vel ſaltim (tertiò) producit illum poſtquam iam lapis eſt productus à Patre. Probatur ſequela. Nam bene ſequitur, Pater priùs origine producit lapidem, quam Filius, ergo lapis prius origine eſt productus à Patre quàm à Filio, & per conſequens ſi Filius poſterius origine producit lapidem, vel lapis bis producitur, vel Filius non producit illum, vel ſi illum producit, producit illum poſtquã iam productus eſt à Patre.

¶Secundò. Ideò Pater producit lapidem in eſſe cognito quia intelligit lapidem, ergo ſi prius origine intelligit lapidem, quàm Filius, Filius non poterit illum producere in eſſe cognito. Probatur ſequela: Ideò concedimus Filium in diuinis non poſſe producere per intellectum alium Filium, quia Pater æternus communicauit illi intellectum habentem iam terminum productum adæquatum, ergo ſi lapis habet eſſe cognitum à Patre per intellectum, antequàm diuinus intellectus Filio communicetur, Filius per intellectum non poterit lapidem in eſſe cognito producere. *Secundum argum.*

¶Tertiò. Si Filius intelligens lapidem producit illum in eſſe cognito, hoc erit quia habet notitiam actualem lapidis, tunc ſic, vel Filius habet illam notitiam actualem virtute eſſentię, vt eſt in memoria Patris, vel vt eſt in memoria Filij, ſi in memoria Patris, ergo iam lapis habuit eſſe productum antequam Filio communicaretur, ſi in memoria Filij, ergo lapis non habuit eſſe productum prius origine à Patre, quam à Filio, & per conſequens nullus ordo reperitur inter diuinas perſonas in productione rerum, ſiue in eſſe reali, ſiue in eſſe cognito. *Tertium argum.*

¶Pro explicatione huius quæſtionis ſunt notanda nonnulla. Quorum primum eſt quòd cùm ordo intrinſecè, & eſſentialiter includat prioritatem, & poſterioritatem, quia implicat ordinem eſſe, vbi nõ eſt prius & poſteriùs ſecundum exigentiam illius ordinis, cùm illa dicant ordinem inter ſe, quæ comparationem aliquam habent ad aliquod principium, ideò ſicut triplex reperitur comparatio, ita triplex reperitur ordo, & per conſequens triplex reperitur prioritas, ſcilicet durationis, naturæ, & originis. Ordo durationis diuiditur in æternitatem, & in æuum, & in tempus. Ordo naturæ diuiditur in ordine, qui eſt inter duas naturas, & in ordine, qui reperitur inter naturales perfectiones, & in ordine *Notab. 1.* *Triplex ordo.*

qui

qui eſt inter potentias comparatas ad ſua obiecta.

Primus ordo naturæ. ¶Primus ordo naturæ reperitur inter duas naturas ſpecificas, quarum altera altera eſt perfectior, vt qui reperitur inter hominē & angelū, inter hominē & equum; ſecūdū quē in vnoquoque genere eſt vnū primū, & perfectiſsimum, quod eſt metrū, & menſura cæterorū, & iſte ordo nullatenùs reperitur inter diuina, quia in diuinis tantū eſt vna perfectio, quā dicūt omnia, quæ ſunt in Deo, ſiue formaliter ſiue identicè.

Secundus ordo naturæ. ¶Secundus autem ordo naturæ, qui inter naturales perfectiones reperitur, quarum altera alteram præſupponit, & non ècontra, bene datur in diuinis, nā actus diuinæ voluntatis præſupponit actū intellectus diuini, & ſic in productionibus priùs intelligimus productionē Filij, quā Spiritus ſancti, quia productio per intellectū, ſecūdū ſuam naturā, præſupponitur productioni per voluntatem. Imò ex eo Filius producit Spiritum ſanctū, quia in illo priori intelligimus productionem per intellectū eſſe cōpletā, antequam intelligamus productionem Spiritus ſancti, & ſic voluntatē diuinā eſſe priùs Filio cōmunicatam, quàm producatur Spūs ſanctus.

Tertius ordo naturæ. ¶Tertius autem ordo naturæ, etiam reperitur in diuinis, quia iſta propoſitio veriſsima eſt. Ideo Deus intelligit creaturas, quia intelligit ſuā eſſentiam. Iſta autē falſa eſt (formaliter loquendo,) ideo Deus intelligit ſuam eſſentiam, quia intelligit creaturas; prius igitur intelligimus cognitionem diuinam terminatā ad eſſentiam, quàm terminatam ad creaturas.

Ordo originis. ¶Ordo autem originis, licet ſecundum cōmuniter loquentes, ſit etiā triplex, ſcilicet inter originans, & originatum, & inter duas origines, & inter vnum eſſentiale, & alterum notionale, tamen ſecundum Doctorem, cū ordo originis requirat diſtinctionem realē, ita quod vbi non eſt diſtinctio realis, non reperitur in rigore ordo originis, ſed tantum præſuppoſitionis, & naturæ, vt modo explicaui; ideo tantum eſt duplex ordo originis in rigore.

In rigore duplex eſt ordo originis.

Primus ordo originis. Primus quā do vnus producit alium, & ſic eſt ordo origi nis inter Patrem & Filium. Pater enim producit Filiū, Filius autē producitur à Patre.

Secundus ordo originis. Secundus autem ordo originis eſt quando duo per idem principium producunt alium, illud tamen principium eſt in illis ordine quodam, ſicut v. g. Pater & Filius producūt Spiritum ſanctum per eandem virtutem ſpiratiuam, illa tamen virtus ſpiratiua eſt in Patre & in Filio ordine quodam, nam in Patre eſt à ſe, in Filio autem eſt à Patre propter quod, vt diximus in 1. diſput. 9. quæſt. 5. licet Pater & Filius ſimul producant Spiritū ſanctum, priùs tamen origine Pater producit Spiritum ſanctum, quàm Filius, quia Pater producit per virtutem ſpiratiuam, quam habet à ſe, Filius autem per eādem virtutem ſpiratiuam, quam habet à Patre.

Notab. 2. ¶Secundò eſt notandum quòd in vnoquoque inſtanti durationis, vel temporis poteſt aſsignari totus ordo naturæ, & originis, & in vnoquoque inſtanti naturæ aſsignabilis eſt totus ordo originis, ſicut v. g. In eodem inſtanti tēporis quo anima rationalis infunditur corpori, dat eſſe viuū, & eſſe hominis, priùs tamen natura vnitur corpori, quā det eſſe viuum, & priùs natura dat eſſe viuum, quam det eſſe hominis, ſed omnes iſtæ prioritates includuntur in eodem inſtanti temporis. Et in illo inſtanti naturæ, in quo homo accipit eſſe hominis, & in quo eſt cōpletus totus ordo naturæ eſt tunc aſsignandus totus ordo originis, quem omnes propriæ paſsiones homines ſeruant inter ſe, nam primo homo eſt riſibilis, ſecūdo flebilis, tertio beatificabilis, & ſic de alijs paſsionibus, quarum prius origine vna intelligitur habere eſſe, (ſecundum noſtrum modum concipiendi) quam alia, licet omnia ſint in vno inſtanti ordinis naturæ.

Nota hoc. Simili modo de inſtanti originis dicendum eſt in diuinis, nam in illo inſtanti, in quo intelligimus voluntatem diuinam, vel intellectum diuinum priùs terminati ad eſſentiam diuinam, quàm ad obiecta ſecundaria, tunc reperitur inſtās naturæ tertio modo & quia ad hoc quod intellectus diuinus cognoſcat eſſentiam, & obiecta ſecundaria, intelligimus ipſum intellectum præſupponere eſſentiam in ratione obiecti, ideo inuenimus rationem prioritatis originis ſecundum communiter loquentes, ſi autem prioritatem originis in rigore ſeruemus in illo inſtanti naturæ, ſumendo inſtans naturæ ſecundo modo, quatenùs intellectus diuinus priùs complet productionem Filij, (ad noſtrum modum intelligendi, quā voluntas producat Spiritū ſanctū, quod inſtās dicitur etiā præſuppoſitionis, quia productio per voluntatem præſupponit productionē per intellectum, in illo igitur inſtanti, priùs intelligimus Patrem producentem, quā Filiū

productũ, licet ſimul natura ſint Pater producens, & Filius productus.

Notab. 3. ¶Tertiò eſt notãdum. Quod in diuinis tam per actum intellectus, quàm voluntatis, duplex eſt actus, alter operatiuus, & alter productiuus, actus operatiuus eſt intellectio, ſiue volitio eſſentialis, actus autem productiuus eſt dictio, ſiue productio Verbi, quæ à Thomiſtis appellatur cognitio notionalis, & eſt ſpiratio, ſiue productio Spiritus ſancti quæ à Thomiſtis appellatur amor notionalis, & iſti duo actus ita ſe habent inter ſe, quod vterque præſupponit intellectũ; ſiue voluntatem diuinam, & eſſentiam ſibi præſentem in ratione obiecti, aliter tamen, & aliter, nam actus operatiuus præſupponit memoriam fœcundam tanquam principiũ operatiuum; actus autem productiuus præſupponit memoriam fœcundam tanquam principium productiuũ. Et ratio huius eſt, quia, vt dixi in 1. diſput. 5. quæſt. 4. vtraque notitia tam eſſentialis, & ingenita, quam notionalis, & genita neceſſariò & intrinſecè requirunt intellectum diuinum & eſſentiam in ratione obiecti, & quia intellectus diuinus illa notitia ingenita taliter intelligit, acſi ipſam produxiſſet, ideo quia ex memoria fœcunda (ideſt ex intellectu & eſſentia in ratione obiecti) reſultat notitia ingenita, quaſi per modum emanationis (noſtro modo concipiendi) & non elicitur ab ipſa memoria fœcunda, nec producitur, ſed eſt innata, ideo illa notitia vocatur operatio, & memoria fœcunda principium operatiuum, & quia ſi memoria fœcunda illam notitiam nõ haberet naturaliter innatam, poſſet illam producere, ideò ſic memoria fœcunda dicitur principium talis notitię, quæ eſt ſimpliciter improducta, & ipſa notitia, dicitur quaſi producta, ideſt, ita ſe habens, acſi intellectus diuinus illam produceret: non tamen quod aliquo modo producta ſit ſed eſt ſimpliciter improducta, & ingenita. Productio autem Verbi ſupponit memoriam fœcundã tanquam principium productiuum quo, & Verbum quod eſt terminus dictionis, vel talis productionis dicitur notitia producta, vel genita, ſimpliciterque producta & ſimpliciter genita, vt habetur in ſymbolo vbi fatemur verbum eſſe genitum.

Notab. 4. ¶Quartò eſt notandũ. Quod ſicut in productione Spiritus ſancti eſt prioritas originis inter Patrẽ & Filiũ, ita in productione creaturarũ (in eſſe cognito) eſt aſsignãdus ordo originis inter diuinas perſonas. Pro quo aduerte quod talis ordo originis poteſt intelligi tripliciter. Vno modo quod ordo ille originis ſumatur ex parte obiecti, vel lapidis cogniti. Secũdo modo ex parte notitiæ, vel cognitionis. Tertio modo ex parte ſuppoſitorũ intelligentiũ illud obiectũ, vel producentium illud obiectũ in eſſe cognito. Si cõſideretur ordo originis. Primo modo certum eſt, quòd nõ eſt ordo originis ex parte ipſius originati, vel obiecti producti in eſſe cognito, quia lapis non priùs producitur in eſſe à Patre, & ſecundo à Filio, & tertio ab Spiritu ſancto, ſed ex parte obiecti ideſt ex parte ipſius lapidis, ſimul eſt productus à tribus perſonis. Nec etiã eſt ordo originis ex parte cognitionis, qua lapis producitur in eſſe cognito; quia Pater nõ habet primo intellectionẽ, vel cognitionẽ de lapide & Filius ſecundò habet aliã cognitionẽ, & Spũs ſanctus. Tertiò alia cognitione cognoſcit, ſed eadẽ cognitione Pater, Filius, & Spiritus ſanctꝰ cognoſcũt lapidẽ. Eſt igitur ordo originis inter diuinas perſonas ſiue ex parte originantiũ, vel ſuppoſitorũ producẽtiũ lapidẽ in aliquo eſſe, quia inter Pater, Filiũ, & Spiritũ ſanctum datur ordo, quia Pater à ſe, Filius per volitionẽ cõmunicatã à Patre & Spiritus ſanctus per volitionem communicatam à Patre, & Filio. Creaturas in tali eſſe producuntur.

Prima cõcluſio. ¶Prima cõcluſio. Inter diuinas perſonas nõ eſt aliqua prioritas durationis, nec tẽporis, ſiue prioritas ſimpliciter. Hæc concluſio eſt de fide. Et probatur ex D. Aug. ex ſymbolo Athanaſij, vbi dicitur in hac Trinitate nihil prius, aut poſteriùs, nihil maius, aut minus, ſed omnes tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales. Eandẽ docet D. Aug. lib. 3. cõtra Maximũ cap. 14. Eandẽ D. Ambr. lib. 1. de fide ad Grat. & probatur, quia prioritas temporis eſt prioritas ſucceſsiuorũ, & eorũ quæ poſſunt eſſe & non eſſe, ſed perſonæ diuinæ nõ poſſunt nõ eſſe, nec tẽpore mẽſurãtur, ergo inter illas nõ eſt prioritas tẽporis.

Secunda concluſio. ¶Secunda concluſio. Inter diuinas perſonas nõ eſt prioritas naturæ, quæ reperitur inter vnã, & aliã naturã. Hæc cõcluſio etiã eſt de fide, & probatur quia talis ordo requirit diſtinctionẽ realem; & neceſſariò includit imperfectionem in altero extremorũ, ſed nihil reperitur in diuinis quod dicat imperfectionẽ, ergo neq; reperitur talis prioritas naturę quæ inter vnã & aliã naturam reperitur.

¶Tertia

Tertia con cluſio. ¶Tertia concluſio. In diuinis reperitur ordo naturæ, qui dicitur ſuppoſitionis, qualis eſt, qui reperitur inter naturales perfectiones, vel qui reperitur inter potētias comparatas ad ſua obiecta. Hæc concluſio eſt Doctoris hac diſt. & quæſt. litera H. & probatur, quia, ſecundum communem ſententiam Theologorum, eſſentialia ſunt priora notionalibus, & productio Spiritus ſancti præſupponit productionem Filij, ergo in diuinis eſt ordo ſuppoſitionis.

Quarta cō cluſio. ¶Quarta concluſio. In diuinis eſt prioritas originis inter diuinas perſonas, tā reſpectu productionum ad intra, quam reſpectu productionum ad extra. Hæc concluſio eſt Doctoris, & probatur ex D. Auguſt. lib. 3. contra Maximum, cap. 14. vbi ſic ait. Genitorē & genitum eſſe non eſt inæqualitas ſubſiſtentiæ, ſed ordo naturæ, non quo alter eſt prior altero, ſed quo alter eſt ab altero. Idē docet in lib. de triplici habitaculo cap. 6. vbi ſic ait. Pater præcedit Filium non tempore ſed origine. Eandem docet Hugo de ſancto Victore. 6. de Trinita. cap. 6. vbi dicit. Prius & poſterius hoc loco intelligi volumus, nō temporis ſucceſsione, ſed ordine naturæ, vel origine. Et probatur ratione, quia prioritas originis in diuinis, nihil aliud eſt quā quod aliquis non ſit ab alio, & quod alius ſit ab illo, ſed in productione ad intra Pater à nullo eſt, & Filius eſt à Patre, ergo reſpectu productionis ad intra, datur inter diuinas perſonas prioritas originis. Secunda pars concluſionis patet. Pater producit creaturas per virtutem non communicatam ab alio. Filius autem producit creaturas per virtutem cōmunicatā à Patre, Spiritus ſanctus producit creaturas per virtutē cōmunicatā à Patre, & Filio, ergo inter diuinas perſonas reſpectu productionis ad extra etiā reperitur prioritas originis. Et per cōſequēs in diuinis eſt prioritas originis inter diuinas perſonas tam reſpectu productionum ad intra, quam productionis ad extra.

Quinta cō cluſio. ¶Quinta concluſio. Iſta prioritas originis non eſt prioritas in quo, ſed à quo. Hæc concluſio eſt Doctoris in 1. diſt. 10. quæſt. vnica, & omnium Scotiſtarum quicquid nonnulli (falſo tamen) aſſerant in ſuis commentarijs ſuper primam partem D. Thomæ. De qua re quia in 1. diſpur. 9. quæſt. 5. longam fecimus impugnationem, & Doctoris doctrinæ oſtenſionem, pro nūc dicta ſatis ſufficiant.

¶Reſpondetur argumentis.

Reſpōdetur argumentis. *Ad primū argum.* ¶Ad primum reſpondetur negando ſequelam, & ad probationem dicitur, quod illa prioritas originis non eſt ex parte obiecti producti, ſed ex parte ſuppoſitorum producentium, quia Pater non producit per virtutem communicatam ab alio, ſicuti Filius, nec Filius producit per virtutem non communicatam, ſicuti Pater, cum igitur Pater producat per virtutem quam habet à ſe, & Filius per virtutem cōmunicatam à Patre, & Spiritus ſanctus per virtutē communicatam à Patre & Filio, Ideo inter diuinas perſonas reperitur ordo originis ex parte ſuppoſitorum producētium creaturas ſiue in eſſe reali, ſiue in eſſe cognito.

Ad ſecundum. ¶Ad ſecundum reſpondetur per prædictam ſolutionem.

Ad tertiū argum. ¶Ad tertium reſpondetur quod eadem notitia, vel volitione, qua Pater producit producit Filius, ſed non volitione prout eſt in Patre, ſed volitione communicata à Patre, & ſic Filius habet virtutem producendi per illam volitionē, per quam Pater producit, & propter hoc ex parte volitionis non eſt ordo originis, cū ordo originis, vt diximus, requirat diſtinctionme realē inter originās & originatum, propter quod iſte ordo tantum reperitur ex parte ſuppoſitorū. Et hæc de iſta diſputatione.

DISPVTATIO TERTIA DE CREATIONE CONtinet quatuor quæſtiones.

Prima, Vtrùm aliqua creatura poßit habere aliquam actionem reſpectu termini creationis.
Secunda, Vtrùm ad creandum requiratur per ſe virtus infinita propter diſtantiam infinitam inter ens, & non ens.
Tertia, Vtrùm impoßibilitas creationis conueniat creaturæ ex eo quòd creatio eſt productio entis inquantum ens.
Quarta, Vtrùm creatura poßit ſaltim inſtrumentaliter ad creationem concurrere.

TEXTVS.

AD illam primam quæſtionem de creatione, dico quòd creatio nō tantum videtur importare relationē ad Deū in ratione cauſæ efficientis, ſed etiam reſpectum ad non eſſe præcedens, & hoc ordine durationis, vt accipitur proprie creatio. diſt. 1. quæſt. 5. litera. Q.

EXPLICATIO LITERÆ.

IN hac litera Doctor ſupponit creationē ſoli Deo conuenire in genere cauſæ efficientis, quia vt dicemus in quæſtione, omnia quæcumque creata ſunt, & habent eſſe productū ex nihilo à Deo immediate creata ſunt. Duo igitur importat creatio. Alterū ſcilicet reſpectum ad Deum in genere cauſe efficientis, & alterum ſcilicet reſpectum ad non eſſe ipſius creaturæ, quod producitur ex nihilo, prius habuit non eſſe, quam eſſe, & licet non ſit ſimpliciter neceſſariū quod prius habuerit non eſſe loquendo de prioritate durationis, quia ſecundum probabilem ſententiam potuit Deus ab æterno aliquid producere ad extra ex nihilo, & tunc non eſſe, tantum natura præcederet ipſum eſſe, loquendo tamen de facto, creaturæ productæ à Deo per creationem prius tempore habuerunt non eſſe, quàm eſſe. Quia tamen circa principalem rationem creationis eſt nobis concertatio cum infidelibus, & circa probationem conclusionis cum fidelibus ſit titulus quæſtionis.

QVÆSTIO PRIMA.

¶ *Vtrùm aliqua creatura poßit habere aliquam actionem reſpectu termini creationis.*

HANC quæſtionem latè diſputat Doctor in 4. diſtin. 1. quæſt. 1. per totam vbi recēſet ſententiam Auicēnæ, & rationes D. Thomæ quibus probat concluſionem contrariam doctrinæ Auicēnæ & vtrumque impugnat, ſcilicet & ſentētiam Auicēnæ, & rationes D. Thomæ. Vt autem recto ordine procedamus, eſt in primis ſententia Auic. 9. Metaph. c. 4. aſſerētis poſſe aliquam creaturam ſimpliciter aliquid creare producendo illud ex nihilo, id eſt, nullo præſuppoſito ſubiecto, imò de facto, ſecunda intelligentia produxit tertiam, & tertia quartam, & ſic de reliquis. Eandem ſententiam videtur tenere Auerroes. 12. Metaphy. commento. 44. quantum ad ordinem intelligentiarum, licet quantum ad modum producendi maximè inter ſe diſtinguantur. Dicebat enim Auicen. quod prima intelligentia eſt omnino increata, nempè Deus, & iſta intelligentia intelligendo ſe producit aliam intelligentiam per ſe ſubſiſtentē, quæ vocatur ſecunda intelligentia, & illa productio fuit creatio illius ſecundæ intelligētiæ à prima quæ eſt alterius rationis, & naturæ à prima intelligentia, & iſta ſecunda intelligentia intelligendo primam intelligentiam à qua producta eſt, producit tertiā, & intelligendo ſe ipſam producit ſuum orbem, & intelligendo ſe dependere à prima producit animam ſui orbis, & ſic de reliquis. At verò Auerroes vbi ſuprà, aſſerit quòd Deus produxit primam intelligentiam, hæc vero intelligendo Deum & ſeipſam producit ſecūdam, & ſecunda intelligendo Deum & ſeipſam producit tertiam, & ſic de alijs. Cùm autem intelligentiæ habeant eſſe per creationem, reſtat dicendum iuxta iſtos, creaturam aliquam poſſe habere aliquam actionem

nem reſpectu termini creationis. Hanc ſententiam probat Auicen. duplici ratione: quarum prima eſt: à cauſa omnino vna non eſt immediatè niſi vnus effectus, ſed prima intelligentia eſt cauſa omnino vna, quia ſimplex, inuariabilis, & immobilis, ergo ab illa non poteſt eſſe niſi vnicus effectus, ſed tertia intelligentia eſt effectus diſtinctus à ſecunda intelligentia, ergo non poteſt eſſe productus à prima, nec habet eſſe à ſe, ergo habet eſſe productum à ſecunda, & non niſi per creationem, ergo aliqua creatura poteſt attingere terminum creationis. Maior probatur, quia ſi à cauſa omnino vna poſſent eſſe immediatè plures effectus non daretur aliqua ratio quare inter ſe diſtinguerentur.

¶Secundò. Perfectio eſt in aliqua natura poſſe producere ſibi ſimile, ſed intelligentiæ habent perfectiſsimam naturam, ergo ſi natura imperfectior, qualis eſt natura humana poteſt producere ſibi ſimile, multo magis intelligentiæ, ſed non producunt niſi per creationem, ergo aliqua creatura poteſt creare.

Secunda ſententia. ¶Secunda ſententia eſt Doctoris vt patet in litera, pro cuius explicatione & totius quæſtionis ſunt notanda nonnulla. Quorum primum eſt, quod iſta quæſtio poteſt in duplici ſenſu diſputari. Primus eſt, vtrùm creatura vt cauſa principalis poſsit producere aliam creaturã ex nihilo. Secundus eſt vtrũ ſaltim tanquam cauſa inſtrumentalis.

Notab. 2. ¶Secundò eſt notandum pro impugnatione rationum D. Thomæ, quod quæſtio præſens duplicẽ poteſt habere ſenſum. Primus eſt, vtrum ſolius Dei ſit creare omnẽ rem creabilem, & in hoc ſenſu non eſt diſputatio impræſentiarum. Secũdus ſenſus eſt, vtrùm aliqua creatura poſsit creari ab alia creatura. Et in hoc ſenſu eſt quæſtio impræſentiarum.

Notab. 3. ¶Tertio eſt notandum, quod eſſe creatum poteſt ſumi dupliciter, vno modo ſecundum totam ſuam communitatem, quatenus de toto ente creato prædicatur. Secundo modo pro quocumque quod veram habet rationem entis: ſicut. v. g. eſſe hominis poteſt ſumi dupliciter, vno modo in communi ſecundum quod de quocumque habente naturam humanam prædicatur, ſecundo modo poteſt ſumi pro illo eſſe, quod particulariter eſt in quocunque indiuiduo naturæ humanæ, ſecundum quod vere dicimus quod Petrus habet eſſe ſimpliciter hominis, licet non habeat illud eſſe, quod eſt in quolibet homine, ſed ita eſt ſibi proprium illud quod habet, quod non eſt alteri communicatum.

¶Prima concluſio. Nulla creatura, nec ſpiritualis, nec corporalis produxit aliquando aliquam aliam creaturam ex nihilo. Hæc concluſio communis eſt apud omnes Catholicos, & diffinita eſt in capitulo firmiter de ſumma Trinitate, & fide Cathol. eam docet D. Auguſt. 3. de Trinitate capite. 8. 10. & 14. & 12. de ciuitate Dei. capite. 24. & de fide ad Petrum cap. 3. Dam. libro. 2. fidei orthodoxæ capite. 3. & probatur ex illo ad Hebræos. 3. qui autẽ omnia creauerit Deus eſt, & Malach. 2. nunquid non Deus vnus creauit nos, & ſecundo Machab. 7. peto te nate, vt ſuſcipias cælum & terrã, & omnia, quæ in eis ſunt, vt intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus, & Eccleſiaſt. 18. qui viuit in æternum creauit omnia ſimul. D. Cyril. libro. 2. contra Iulianum dicit hos diaboli eſſe qui dicit angelos creauiſſe aliquam creaturam. Et probatur rationibus & primo illis, quæ communiter adducuntur ex Diuo Thoma. Primò. Nulla creatura poteſt habere virtutem infinitam ſed ad creandum vt cauſa principalis requiritur in ipſa cauſa virtus infinita, ergo nulla creatura poteſt creare vt cauſa principalis. Maior eſt manifeſta, quia virtus ſequitur entitatem, ſed nulla creatura poteſt habere entitatem infinitam in genere entis cum habeat eſſe participatum, ergo. Probatur modo minor. Ad producendam aliquam formam de aliqua potentia requiritur aliqua virtus, & quò potentia magis remota eſt à forma, maior virtus requiritur in agente, ergo ad producendam formam ex nulla potentia requiritur virtus infinita. *Prima concluſio.*

¶Secundò. Ad creandum, vt cauſa principalis, requiritur quod cauſa habeat virtutem productiuam totius entis, ſed nulla creatura poteſt habere huiuſmodi virtutem, ergo. Maior probatur, quoniam creatio eſt productio entis inquantum ens, ergo virtus creatiua eſt productiua entis inquantum ens, & per conſequens totius entis. Probatur etiam minor. Creatura, quæ haberet virtutem productiuam totius entis, eſſet etiam productiua ſui ipſius, hoc autem eſt impoſsibile, ergo & quod creatura poſsit creare.

¶Tertiò,eſſe, eſt proprius effectus creationis,ſed eſſe eſt proprius effectus Dei, ergo creatio eſt actio propria ipſius Dei ſolius,& nulli creaturæ poteſt competere vt cauſæ principali. Maior patet,& minor probatur, quia effectus vniuerſaliores debēt reduci ad vniuerſaliores cauſas ſecundum Ariſtot. 2. Phyſi.textu.38.ſed eſſe eſt effectus vniuerſaliſsimus,ergo debet teduci ad vniuerſaliſsimam cauſam,huiuſmodi eſt Deus,ergo nullo modo poteſt creaturæ competere. His rationibus probat D.Thomas prædictam cōcluſionem, quæ quantum valeant dicemus infrà in proprijs quæſtionibus, ne præſens nimis longa fiat.

Henricus. ¶Henricus autem de Gandauo, quem refert Doctor vbi ſupra,probat eandem cōcluſionem alijs rationibus. Quarum prima eſt. Super diſtantiam infinitam non poteſt virtus finita,ſed diſtantia extremorum creationis, eſt diſtantia infinita, ergo ſuper illam non poteſt virtus finita, ſed ſolum virtus infinita:creatura non poteſt habere virtutem infinitam,ergo nec poteſt eſſe cauſa principalis creationis.Maior probatur, quia quanto diſtantia eſt maior,tanto tranſitus eſt difficilior,& quanto tranſitus eſt difficilior, tantò virtus requiritur maior,& quia iſte tranſitus eſt infinitus,ergo requiritur virtus infinita.Modo probatur minor,quando eſt diſtantia infinita poteſt intelligi maior,ſed nō poteſt intelligi maior diſtantia, quam inter ens,& nihil,ergo diſtantia illa eſt infinita.

¶Secundò. Inter omnia contradictoria eſt æqualis diſtantia, ſed diſtantia inter aliqua contradictoria eſt infinita, vt inter Deum & non Deum,ergo & inter nihil,& aliquid, & per conſequens virtus productiua alicuius ex nihilo erit infinita.

¶Tertiò. Inter totum ens & purum nihil, eſt infinita diſtantia,ergo virtus productiua entis ex nihilo debet eſſe infinita.

Ægidius. ¶Ægidius autē de Roma, vt refert Doctor, probat prædictam concluſionem alijs rationibus.Quarum prima eſt.Nullū agens creatum poteſt aliquid agere niſi aliquo præſuppoſito,ergo nullum agens creatum poteſt creare. Conſequentia patet, quia creatio eſt productio entis ex nihilo.Antecedēs autem probatur, quia omne agens inferius præſupponit effectum agentis ſuperioris, ſcilicet materiam, ergo non poteſt aliquid agere niſi paſſo præſuppoſito.

¶Secundò. Creatura non poteſt agere niſi mediante motu, ſed motus non poteſt eſſe niſi præſuppoſito ſubiecto, quia motus eſt in mobili ſicut in ſubiecto,ergo creatura nō poteſt aliquid creare. Maior probatur,quia nullum ens creatum eſt purus actus, purum ens,vel purum eſſe, ergo actio eius non erit pura,ſed erit mixta cum motu, & per conſequens actio agentis præſupponit motum,& ſic ſubiectum, vnde nullo modo poterit creare.

Doctor. ¶Doctor autem alijs rationibus probat prædictam concluſionem. Quarum prima eſt: nullus actus accidentalis eſt productiuus ſubſtantiæ ſed ſi angelus eſt productiuus eſt per intellectum,& voluntatem, vel ſaltim per potentiam executiuam,actus autem intellectus, vel voluntatis eſt accidens, ergo angelus non poteſt producere,vel creare aliquam ſubſtantiā. Maior probatur quia omnis cauſa,vel eſt vniuoca,vel ęquiuoca, ſi eſt vniuoca producit effectum ipſius rationis cum ipſa,ergo cum ſubſtantia ſit perfectior accidēte,nulla creatura merè ſpiritualis poteſt creare ſubſtantiā,ſi autem cauſa eſt ęquiuoca,eſt præſtantior ſuo effectu,ſed accidēs non eſt præſtantius ſubſtantia producta, ergo.

¶Secundò. Nulla forma materialis poteſt creari à creatura,ergo nulla creatura poteſt aliquid creare. Patet ſequela quia nulla creatura poteſt producere formam immaterialem. Probatur antecedens:forma quæ creatur,prius natura habet eſſe, quam informet materiam,ſed nulla forma materialis poteſt prius habere eſſe à natura creata, quā informet materiam,ergo nulla talis poteſt creari à creatura. Maior patet quia ſi forma, quæ creatur non haberet priùs eſſe quam informaret materiam,ſequeretur quod ſolum haberet eſſe per illam actionem,qua informaret materiam,& per cōſequens haberet eſſe per generationem,vel mutationem, & non per creationem.Patet ſequela, quia illa informatio eſt mutatio,& per conſequens nō eſt creatio, ſed nulla forma materialis producta à creatura prius habet eſſe, quam informet materiā, imo priùs natura informat materiam,quam habeat eſſe,ergo. Probatur minor,nam ignis generat ignem ex terra,& ſic ſupponit terram,ergo.

¶Tertiò.Nulla forma materialis poteſt eſſe principium creandi aliquid probatur. Sicut forma materiæ requirit materiā in eſſendo:ita etiam & in agendo, ergo non poteſt agere

agere nulla præſuppoſita materia,& per cõ ſequens non poteſt aliquid creare,conſequẽ tia probatur,quia forma materialis non poteſt producere formam perfectiorem ſe,ſed ſi produceret formam materialem nulla præ ſuppoſita materia,produceret formam perfectiorem ſe,quia forma producta eſſet abſo lutior forma producente,cum forma producta non præſupponeret materiam, ergo nullus angelus , nec aliqua forma ſubſtantialis creata ſiue materialis,ſiue immaterialis, nec forma accidentalis poteſt aliquid creare.

¶Quarto. Forma ſubſtantialis non poteſt eſſe principium producendi materiam,ergo non poteſt creare ſuppoſitum ex materia & forma,Probatur antecedens, Nullum prius poteſt produci per id , quod eſt poſterius ſed materia eſt prior quacumque forma ſubſtantiali:ergo forma ſubſtantialis nõ poteſt producere materiam.

¶*Reſpondetur argumentis.*

¶Ad primum reſpondetur quod illa maior habet veritatem in cauſa naturali naturaliter determinata ad vnũ effectũ, ſicuti ignis non poteſt producere in ſe ignem, ſecus autem in cauſa libera, & præcipue illimitata, qualis eſt Deus,quæ tantum poteſt producere,quantum vult dummodo non ſit repugnantia ex patre rei producendæ.

¶Ad ſecundum reſpondetur. Quod ſi in aliqua natura eſt perfectio producere ſibi ſimile, ita in natura angelica eſſet imperfectio producere ſibi ſimile. Quare autem ſit imperfectio productio in angelis reſpondetur quia ſunt talis naturæ. Reliqua autem quæ ad iſta pertinent quæſtionem in quæſtionibus ſequentibus poſſunt videri.

QVÆSTIO II.

¶*Vtrùm ad creandum requiratur per ſe virtus infinita propter diſtantiam in finitam inter ens, & non ens.*

De hac re eſt prima ſententia Henrici de Gandauo & de Ægidij de Roma tenentium partem affirmatiuam, vt vidimus in præcedenti quæſt.

¶Secunda ſententia eſt aliorum aſſerentium eſſe ſimpliciter neceſſariam virtutem infinitam in creante,non propter diſtantiam infinitã,quæ eſt inter ens & non ens, ſed quia creans producit rem ex nulla potentia.Hãc ſententiam probant primo, quoniam virtus facientis,non ſolum conſideratur ex ſubſtãtia facti;ſed etiam ex modo faciendi: Maior enim calor nõ ſolum magis,ſed etiam citius calefacit,ergo virtus creantis non ſolum cõſideranda eſt ex perfectione rei factæ, ſed etiã ex modo faciendi. Tũc ſic. Tanto maior virtus requiritur in agẽte, quãto potẽtia eſt magis remota ab actu,ergo vbi nulla eſt potentia , requiritur infinita virtus ex parte agentis.Probatur conſequentia, ſicut ſe habet potentia ad potentiam,ita ſe habet virtus ad virtutem;ſed nulla eſt proportio potentiæ ad nullam potentiam,ergo nec virtutis ad virtutem, & per cõſequens debet eſſe virtus infinita.

¶Secundò. Ex eo Ariſtotel.4.Phyſi.textu. 72.probat quod motus in vacuo fieret in nõ tempore,quia ſicuti ſpatij pleni ad vacuum nulla eſt proportio, ita nec velocitatis motus ad nullam velocitatem eſt aliqua proportio,ergo à ſimili inter aliquam potẽtiam, & nullam potentiam nulla eſt proportio, & per cõſequens, nec inter virtutẽ,quæ producit aliquid ex aliqua pòtẽtia,& illã, quæ producit ex nulla potentia erit aliqua proportio,ſed virtus producens ex aliqua potentia eſt finita,ergo quæ producit ex nulla potentia eſt infinita.

¶Tertiò. Si ad producẽdum ex nulla potentia nõ requiritur virtus infinita ſimpliciter, ſequitur quòd virtus potens facere aliquid ex aliqua potentia, & virtus potens facere aliquid ex nulla potentia,eſſent æquales, cõſequens eſt abſurdum,ergo. Probatur ſequela.Conſtituamus quod agens producens ex nulla potentia ſit in proportione dupla ad illud , quod producit ex certa potentia.Tunc ſic.Sumatur potentia quæ in duplo excedat elongationem ab actu comparata ad priorẽ: agens producens ex hac potentia habebit duplam virtutem ad illud quod producit ex priori,quoniam ſicut ſe habet potẽtia ad potentiam ſi ſint comparabiles , ita virtus ad virtutem,ergo hoc agens habet æqualẽ virtutẽ cũ illo,quod ex nulla potentia agebat.

¶Tertia ſententia eſt D. Thomæ in. 4. diſt. 5.quæſt.1.art.3.in fine in ſolutione ad quintum.vbi dicit quod non eſt diſtantia infinita inter ens & non ens ex parte ipſius entis, niſi ens ſit infinitum,quia tantum diſtat aliquid ab vno oppoſitorum,quantum participat de altero, vnde non diſtat infinitum ad non eſſe,niſi quod eſſe inf[illegible]tum habet, ſci-

licet Deus, cui quãto reliqua entia ſunt proximiora, tanto magis à non eſſe diſtant, ſicut D. Aug. aſſerit quod angelus factus eſt prope Deum, materia prope nihil, ſed verum eſt quod dicta diſtantia eſt quodammodo infinita ex parte non entis ſimpliciter, eo quod nec determinatam diſtantiam ab aliquo ente ſignato tranſcendit, quia nihil poteſt magis diſtare ab ente quam non ens. Contigit enim aliquam diſtantiam eſſe infinitam ex vna parte, & finitam ex altera, ſicut quandocumque fit comparatio finiti ad infinitum, niſi enim eſſet aliquo modo talis diſtantia finita, non diſtaret minus vna creatura à Deo quam altera, & niſi eſſet aliquo modo infinita, poſſet intelligi aliquid magis diſtans à creatura quacumque quam Deus, creatio autem non reſpicit hanc diſtantiam ex parte non entis, ſed magis ex parte entis quod eſt terminus creationis. Hactenus D. Thom. Ex qua litera facile colligitur non requiri virtutem infinitam propter diſtantiam infinitam, & per conſequens, nec virtus infinita eſt ſimpliciter neceſſaria, ſed tantum eſt virtus neceſſaria ſecundum quid.

¶Vltima ſententia eſt Doctoris in. 4. diſt. 1. quæſt. 1. Pro cuius explicatione & totius quæſtionis ſunt notanda nõnulla. Quorum primũ eſt. Quod prædicta ſententia D. Thomæ, ſi recte perpendatur, eadem eſt cũ ſentẽtia Doctoris, vt in proceſſu quæſtionis patebit.

Notab. 2. ¶Secundò eſt notandum cum Doctore in 4. diſt. 1. q. 1. quod duplex eſt diſtantia inter aliqua duo, quædam eſt poſitiua, quædam vero negatiua, diſtãtia poſitiua eſt inter extrema poſitiua, diſtantia autem negatiua eſt inter extrema, quorum alterũ nõ eſt poſitiuũ, ſed negatiuum, vt quæ reperitur inter duo contradictoria, ſcilicet inter hominẽ & non hominem.

¶Diſtantia poſitiua diuiditur in immediatam, & in immediatam. Immediata eſt cuius alterũ extremũ neceſſarium eſt de quolibet verificari, ſicut. v. g. Omne quod eſt, vel eſt Deus, vel creatura. Mediata autẽ eſt cuius alterum extremũ nõ eſt neceſſe de quolibet verificari, & eſt illa, quæ reperitur inter quãtitates, diſtat enim palmus à digito, ſed non diſtantia immediata, quia non omne, quod non eſt palmus, eſt digitus cum bene poſſit dari aliqua diſtantia, quæ non ſit inter palmum, & digitum.

¶Tertiò eſt notãdum. quod in diſtantia poſitiua immediata quanto extremum eſt nobilius, tanto diſtantia eſt maior, & ratio eſt, quia diſtantia non eſt aliud quam exceſſus, quem habet extremum nobilius ſuper ignobilius, quod ſi exceſſus eſt infinitus, qualis reperitur inter Deum, & creaturam, tãta eſt diſtantia, ſcilicet infinita. Quando autem diſtantia eſt mediata, tanta eſt diſtantia quanta eſt medij interiacentis inter duo illa extrema ſicut. v. g. tantum diſtat vnus paries ab alio, quantum eſt medium inter ipſos parietes. Diſtantia vero negatiua tanta eſt inter duo extrema, quantum eſt extremum poſitiuum, quod ſi extremum poſitiuum eſt infinitum, erit infinita, ſi autem finitum erit finita. Et ratio huius eſt, quia diſtantia negatiua non attenditur ex parte medij, quia inter illa extrema non eſt medium, & ſic ſemper eſt diſtantia immediata, cum inter duo contradictoria nullum ſit medium, & præterea quia illa diſtantia non poteſt attendi ex parte termini negatiui. Et ratio eſt, (& maximè notanda,) quia extremum negatiuum non diſtat ab extremo poſitiuo, niſi in deficiendo, ſed extremum negatiuum tantum negat, quantum poſitiuum ponit, ergo cum in omnibus præterquã in iſta Deus, non Deus, extremum poſitiuum ponat aliquid finitum, ergo omnis diſtantia negatiua neceſſario eſt finita, quando alterum extremum eſt finitum, & ſic diſtantia, quæ reperitur inter quodcunque ens creatum, & non ens, neceſſario eſt finita, quia non ens tantum negat, quantum ens creatum ponit. *Notab. 3.* *Notab. 4.*

¶Quartò eſt notandum, quod infinitum capitur dupliciter, Vno modo pro illo quod excedit in infinitum omne finitum, & huiuſmodi eſt Deus. Secundo modo ſumitur infinitum pro indeterminato, & tunc dicetur aliqua diſtantia infinita hoc modo quando non eſt determinata, ſed poteſt eſſe maior, & minor. Ex quo infertur quod quando alterum extremum contradictionis non eſt infinitum ſimpliciter diſtantia eſt finita ſimpliciter, ſed quia in contradictorijs non eſt determinata diſtantia, ideò diſtantia inter cõtradictoria dicitur infinita non primo modo ſed ſecundo.

Notab. 5. ¶Quinto eſt notandum. Quod inter ens & non ens, nõ eſt ſimpliciter neceſſaria infinita diſtãtia ſicuti inter Deũ & non Deũ, quia licet ens prædicetur de Deo, nõ tamẽ conuertitur

titur cum Deo, & ſic ens inquantum ens, nec eſt finitum, nec infinitum, ſed non finitū & non infinitum, & per conſequens cū ens, quod abſtrahit à Deo, & creatura non ſit infinitum, nec diſtantia, quæ reperitur inter ens, vt abſtrahit à Deo, & creatura, & non ens, non eſt infinita ſimpliciter & primo modo, ſed tātum ſecundo modo, ſcilicet indeterminato.

Vltimo notab. ¶Vltimò eſt notādum, quòd cùm inter poſitiuum, & negatiuum nulla ſit proportio quia inter poſitiuum & negatiuum nulla eſt proportio, nihilominus tamen ex hoc non ſequitur, ergo nulla eſt proportio inter virtutem, quæ poteſt in poſitiuum, & illā, quæ poteſt in negatiuum, quia illæ virtutes inter ſe ſunt entia poſitiua, & illa non proportio, quæ reperitur inter extrema, quorum alterum eſt negatiuum, non eſt propter diſtantiam quæ inter illa reperitur, ſed quia nulla datur proportio negatiua, quia proportiò negatiua, eſt nulla proportio, & nulla proportio, non eſt proportio, quare proportio requirit extrema poſitiua.

¶Concluſio. Impoſsibilitas cauſalitatis in creatura reſpectu creationis non prouenit ex finitate, vel infinitate. Hæc concluſio eſt Doctoris & probatur. Virtus infinita nō eſt neceſſariò requiſita ad creationem, ergo impoſsibilitas creationis in creatura non prouenit ex defectu virtutis infinitæ. Probatur antecedens. Diſtantia quæ eſt inter non eſſe creaturæ, & eſſe creaturæ, eſt ſimpliciter finita, ergo. Probatur antecedens, tanto non eſſe hominis diſtat ab homine, quanto eſſe hominis diſtat à non eſſe hominis, ſed eſſe hominis diſtat finitè quia diſtantia ſequitur entitatem, & entitas hominis eſt finita ſimpliciter, ergo & non eſſe hominis tantum diſtat finitè ab eſſe ipſius hominis, ſed quod eſt ſimpliciter finitum non requirit ſimpliciter virtutem infinitam, ergo. Cùm creatio terminetur ad eſſe finitum, deducens illud ex non eſſe infinito, non requirit ſimpliciter virtutem infinitam.

¶Secūdò. Probabiliſsima ſentētia eſt. Quod virtus creandi poteſt creaturæ communicari, ſed non eſt probabile, quod virtus infinita poteſt creaturæ communicari, ergo virtus infinita non eſt ſimpliciter neceſſaria ad creationem. Probatur conſequentia. Tenentes ꝙ virtus creandi non poteſt cōmunicari creaturæ, fatentur etiam non eſſe improbabilem ſententiam oppoſitam, ſed omnes tenētur fateri, quòd virtus infinita non poteſt creaturæ communicari, ergo. Probatur minor. Omnes tenentur fateri, quòd eſſe infinitum in genere entis, non poteſt creaturæ cōmunicari, ergo nec virtus infinita in genere virtutis. Patet ſequela, quia virtus ſequitur entitatem. Nec obſtat ſi reſpondeas, quòd Chriſtus Dominus inquantū homo erat finitus ſimpliciter in genere entis, gratia autem habitualis licet eſſet finita in genere qualitatis, erat tamen infinita in genere meriti: & valoris, quia meruit pro infinitis ſi infinita eſſent peccata, & infiniti eſſent peccatores. Contra hanc ſolutionem quòd non euacuet difficultatem, ſic formo argumentum. Si à gratia habituali Chriſti domini ſeparemus reſpectum, quem dicit ad ſuppoſitum diuinum eſſet finita, & in genere entis & in genere valoris, ergo dato quod modo ſit infinita in genere valoris & gratiæ, non prouenit illi ex ſua ratione formali, ſed ex ordine, quem dicit ad ſuppoſitum diuinum, ſed nulla creatura poteſt dicere iſtum ordinē, niſi habeat ſibi vnitum ſuppoſitum diuinum, ergo non eſt eadem ratio in virtute merendi & virtute creandi. ¶Præterea aliter ſe habet cauſa moralis reſpectu ſui effectus, quàm cauſa effectiua. Quare vt dicemus infrà, creatura poteſt eſſe inſtrumentum morale creationis, ergo dato quod gratia Chriſti habitualis ſit infiniti valoris, vt cauſa moralis, non ex hoc ſequitur quod ſit dabilis in aliqua creatura aliqua virtus infinita in genere cauſæ efficientis, niſi ſit virtus inſtrumentalis.

¶Tertiò probatur concluſio. Si per impoſsibile Deus non eſſet infinitus, & eſſet actus purus, poſſet creare, ergo creatio non requirit ſimpliciter virtutem infinitam, & per conſequēs impoſsibilitas creationis nō prouenit in creatura, ex eo quod eſt ſibi impoſſibilis virtus infinita. Probatur antecedens. Actus purus in operando nullam requirit potentiam ſubiectiuam, quia ſicut actus purus in eſſendo nullam requirit potentiam vt ſit, ita actus purus in operando nullā requirit potentiam ad operationem, ergo ſi per impoſsibile Deus eſſet infinitus, ſi eſſet actus purus, poſſet aliquid creare. Probatur ſequela. Quia poſſet aliquod producere nullo præſuppoſito ſubiecto.

¶Reſpondetur argumentis. Ad primum cōcedendo antecedens, & negando ſequelam, Et ad probationem dicitur, concedendo maiorem, & minorem, & negando conſequentiam *Reſpōdetur argumentis. Ad primū argum.*

tiam, & ratio eſt, quia cum virtus & virtus ſint extrema poſitiua ſemper eſt danda aliqua proportio inter illas. Inter potentiam autem & nullam potentiam, non eſt dabilis aliqua proportio, quia inter illas eſt nulla proportio, & ſic committitur fallacia concludẽdo, ergo nec virtutis ad virtutẽ, & eſt optimum exemplum in ſimili, vt optime aduertit Tartaretus in.4.diſt.1.quæſt.1. quia nulla eſt proportio lineæ ad punctum, ergo nulla eſt proportio virtutis, quæ poteſt ſuper punctum, & virtutis quæ poteſt ſuper lineam, non eſt bona conſequentia, quia virtus potens producere lineam, poteſt & producere punctum cum producendo lineam, producat punctum.

Ad ſecundum arg. ¶Ad ſecundum reſpondetur negando ſimilitudinem, & conſequentiam, ſed inferendũ eſt, ergo virtus, quæ producit ex nulla potẽtia eſt maior virtus.

Ad tertiũ argum. ¶Ad tertium reſpondetur negando ſequelam & ad probationem reſpondetur quod illud argumentum ſupponit falſum & ſophiſticum eſt.

QVÆSTIO III.

¶*Vtrum impoſsibilitas creationis conueniat creaturæ, ex eo quod creatio eſt productio entis in quantum ens.*

Sententia D.Tho. PRIMA ſententia eſt D. Thomæ.1.part.quæſt.45. art. 5. vbi probat, creationem ſoli Deo cõuenire, quia ad creandum, vt cauſa principalis, requiritur quod cauſa habeat virtutem productiuam totius entis, ſed nulla creatura poteſt habere huiuſmodi virtutem, ergo nulli creaturæ poteſt conuenire creatio. Maior probatur quoniã creatio eſt productio entis in quantum ens, ergo virtus creatiua eſt productiua entis in quamtum ens, & ex conſequenti totius entis. Probatur etiam minor. Creatura quæ haberet virtutem productiuam totius entis, eſſet etiam productiua ſui ipſius: hoc autem eſt impoſsibile, ergo.

¶In explicatione huius rationis Diui Thomæ maxime laborant Thomiſtæ volentes reſpõdere cuidam argumẽto Doctoris, quo probat prædictam rationem non eſſe ſufficientem, & ratio in qua fundatur argumentum Doctoris eſt, quia ex eo D. Tho. probat creaturam nõ poſſe creare, quia effectus vniuerſaliores oportet in cauſas vniuerſaliores reducere, ſed inter omnes effectus vniuerſaliſsimus eſt ipſum eſſe, ergo eſt proprius effectus cauſæ vniuerſaliſsimæ, vnde dicitur in lib.de cauſis, quod nec intelligentia, nec anima rationalis dat eſſe, niſi inquantum operatur virtute diuinæ. Ex hoc vlterius, cum producere eſſe abſolute (non inquantum hoc, vel illud) pertineat ad rationem creationis, ergo ſequitur quod creatio eſt propria actio Dei. Hanc autem rationem impugnat Doctor in.4.diſt.1.quæſt.1. litera C. quærens vtrum vniuerſale tam in ſubiecto quam in prædicato, ſumatur eodẽ modo, nam cauſa vniuerſalior poteſt dupliciter intelligi: primo ſecundum virtutem, vel per ſectionem, & ſecundo ſecundum prædicationem, ſi cauſa vniuerſalior ſumatur in maiori, & in minori pro vniuerſaliori ſecundũ perfectionem, maior eſt vera, & minor eſt falſa, quia eſſe non eſt perfectius alijs, in quibus includitur &c. Ad iſtam rationem Doctoris reſpondet Ferrara.2. contra gentes cap.21 quod accipitur vniuerſalitas in effectu quidem ſecundum prædicationem, in cauſa verò ſecundum perfectionem. Inquit enim. Sed cauſalitatem vniuerſalis accipio, non tãtum, quantum ad communem rationem vniuerſalis, quod de pluribus prædicatur, ſed etiam quantum ad totum ambitum illius rationis communis, ſic enim effectus vniuerſaliſsimus ſecundum prædicationem, ſecundũ totũ eius ambitum, (id eſt,) quantum ad omnia quæ participant illa ratione, eſt à cauſa vniuerſaliſsima ſecundum perfectionẽ, quia quanto virtus cauſæ eſt altior, & perfectior, tanto ad plura ſe extẽdit, & ſic oportet obiectum formale virtutis vniuerſalioris ſecundum perfectionem, eſſe vniuerſalius ſecundum prædicationem, alioquin non ad plura perfectior virtus ſe extenderet. Cùm autem inſtatur quia effectus cõmunis poteſt eſſe à cauſa imperfecta, dicitur quod poteſt quidẽ eſſe à cauſa imperfecta materialiter, & ſecũdario & per accidens, vt ſaluatur in aliquo particulari determinato, non autem formaliter & primo & per ſe, & ſecundum totum eius ambitum quomodo dicimus vniuerſaliſsimum effectum ſecundum prædicationẽ requirere cauſam vniuerſaliſsimam ſecundũ cauſalitatem & perfectionem. Et ſic patet omnes Scoti obiectiones procedere ex non intelligentia rationis, & fundamenti ſancti Thomæ. Hactenus Ferrara.

¶Alij

¶Alij autem ſuper primam partem D. Thomæ quæſt.50.art.5.concluſione.6.in qua docẽt, quod eſſe creatum eſt proprius effectus Dei, aduertunt quod eſſe non eodem modo tribuitur Deo, ſicut alij effectus naturales vt calidum, & frigidum. Quoniam iſti effectus tribuuntur Deo ſicut primæ cauſæ vniuerſaliſsimæ & inadæquatæ: eſſe autem tribuitur Deo, ſicut cauſæ adæquatæ & proportionatæ huic effectui, quoniam ſolus Deus eſt, cui ratio eſſendi conuenit per eſſentiam, cæteris vero per participationem. Perfectiones autem aliorum effectuum naturalium conueniunt per eſſentiam alijs cauſis naturalibus, vt igni per eſſentiam conuenit eſſe calidum, & aquæ eſſe frigidam. Vnde iſti effectus per ſe primo & adæquatè reſpõdẽt cauſis particularibus, Deo autẽ vt cauſæ inadæquatæ & vniuerſaliſsimæ. Hoc igitur ſuppoſito, dicunt prædictam concluſionem eſſe D.Thomæ.1.parte quæſt.8.art.1.& quæſt.45.art.5. vbi D.Thomas inquit quod inter omnes effectus vniuerſaliſsimus omniũ eſt, ipſum eſſe, & ob id proprius effectus primæ & vniuerſaliſsimæ cauſæ, quæ eſt Deus. Sed addit D.Tho.ex lib.de cauſis propoſit.3.quod nulla cauſa dat eſſe niſi in quantum operatur operatione diuina. Idem docet D. Thom.2.contra gentes cap.21.& lib.3.cap.66.& eſt communis ſentẽtia omnium diſcipulorum D.Thomæ. At vero quem ſenſum habeat hæc propoſitio non eſt facile explicare propter varias Thomiſtarum ſententias. Primus nanque ſenſus huius propoſitionis (eſſe eſt proprius effectus Dei) eſt, quod eſſe à ſolo Deo cauſatur in rebus, ita quidem vt cætera agentia non efficiant eſſe. In hoc autem ſenſu propoſitio eſt falſa, & merito exploſa ab Scoto in.4.d.1.quæſt.1. Et Ferrara.2.contra gentes cap.21.carpit Scotum ob id quod reprehẽdat D.Tho. in hac part. quia Sanctus Thomas nũquam ſomniauit dicere quod agentia particularia non cauſant nec concurrunt ad ipſum eſſe. Quare ſecundus ſenſus huius propoſitionis eſt quod Deus eſt propria cauſa eſſendi ſimpliciter ſecundum totum ambitum entis per participationem, & non tantũ alicuius modi eſſendi particularis, & conſequenter ſenſus eſt, quod eſſe eſt formale & adæquatum obiectum diuinæ potentiæ, nam aliæ cauſæ licet cauſent eſſe: non tamen cauſant quidquid eſſe participat, ſed ſolum id quod participat aliquem peculiarem modum eſſendi, vt eſſe equum, eſſe ignem. Vnde eſſe non eſt formale & adæquatum obiectum alicuius agentis particularis, & ob eã cauſam dicimus, quod eſſe eſt proprius effectus Dei, & non creaturæ. Itaque ſolus Deus habet pro obiecto adæquato & formali ipſum eſſe, nam ipſe ſolus eſt cauſa cuiuſcumque participantis eſſe, & cuiuſcumque pertinentis ad eſſe rei. Angelus enim ad eſſe rei pertinet, cuius eſſe non eſt ab alio agente producibili niſi à Deo, & idem dices de materia prima. Præterea eſſe ſimpliciter & abſolute ſine limitatione & contractione, eſt proprius Dei effectus, reliqua autem agentia non ſunt ſimpliciter cauſa eſſendi ſed eſſendi hoc, vel illud. Habet rurſus optimum ſenſum ſi dicamus, quod eſſe eſt proprius effectus Dei, id eſt eſſe per ſe primo, eſt effectus Dei, nam per ſe quidem Deus efficit eſſe, quia efficit ens, in quantũ ens abſolute, etenim Deus eſt qui producit eſſe creatum poſtquam antea nihil erat. Rurſus Deus primo efficit eſſe, quoniam eſt cauſa eſſendi: non tantum ratione partis ſed ſecundum totum. Agens vere ſecundarium nõ primo per ſe producit ens, quia non eſt cauſa omnium, quæ pertinent ad eſſe, alioqui crearet, materiam enim non producit ſed eã ad agendum præſupponit, & in hoc ſenſu explicatur propoſitio hæc à Caietano ſupra quæſt. 8. art. 1. Cum ergo propoſitio hæc D.Thomæ optimum habeat ſenſum ſuæ veritatis, abſolute eſt concedenda. ¶Addunt præterea prædicti expoſitores, quod aliqui dicunt cauſas ſecundas facere eſſe; & quod eſſe eſt effectus communis omnium agentium. Et hæc proculdubiò ſententia eſt D. Thomæ.3.contra gentes cap.66. Agentia tamen ſecundaria dant eſſe virtute Dei. Quod ſi dicas, ergo omnis effectus eſt proprius Dei, & non ſolum ipſum eſſe: nam quicumque effectus fit, virtute Dei fit. Reſpondetur quod dicitur proprius effectus Dei, quia ſolus Deus conſeruat eſſe vniuerſaliter. Quod enim eſt tale per participationem, pẽdet à tali per eſſentiam: omnes vero creaturæ habent eſſe per participationem. Vnde etiam dicitur proprius effectus Dei ipſum eſſe, quoniam cætera dant eſſe virtute Dei. Et ita inſinuat D.Thom.in quæſt.8.art.1.ſupra. Nam inquit quod eſſe eſt proprius effectus Dei, ſicut ignire eſt proprius effectus ignis, quoniã omne, quod ignit virtute ignis id facit. Quæ ſententia proculdubiò eſt D. Thomæ.3.contra gentes.cap.66. Et ita etiã dicen-

dicendũ eſt quod eſſe eſt proprius effectus Dei, quia ſolus Deus virtute propria facit eſſe, ſicut ſolus ignis virtute propria facit ignem. ¶ Quod ſi dicas, ergo facere leonem eſt proprius effectus Dei, quia ſolus Deus virtute propria facit leonem, cætera vero virtute Dei: Reſpondetur negando conſequentiam, quia leo etiam propria virtute facit leonem, non quidem independenter, ſed quia facit per formam, quæ eſt ei naturalis & eſſentialis, leo vero facit eſſe, per eſſe participatum à Deo, quod non eſt ei eſſentiale. Vnde quando tale per participationem producit ſibi ſimile, productio tribuitur illi quod eſt tale per eſſentiam, & quoniam creatura eſt ens per participationem quando dat, & producit eſſe, illa productio tribuitur Deo qui eſt ens per eſſentiã. Si obijcias. Etiã leo ꝓducit formam leonis per formam participatam à Deo. Reſpondetur quod eſſe non conuenit creaturæ ab intrinſeco, forma verò conuenit leoni per ſe, & eſſentialiter & ex natura ſua. Vnde producere eſſe, excedit virtutem propriam cauſæ ſecundæ, ſicut facere arcam excedit virtutem ſerræ. Et ob id à quibuſdam dicitur quod eſſe ſequitur per ſe ad productionem formæ leonis, non vt illa productio eſt à leone, ſed vt eſt à Deo, ſicut actionem ſerræ ſequitur de per ſe arca, nõ vt eſt à ſerra, ſed vt eſt ab artifice, & ſic philoſophantur in hac controuerſia.

Sententia Doctoris. ¶ Secunda ſententia eſt Doctoris diſt. 1. q. 1. litera B. Pro cuius explicatione & totius quæſtionis ſunt notanda nõnulla. Quorum

Notab. 1. primum eſt, quod illa quæſtio. Vtrum ſolius Dei ſit creare, & an creatura poſſit habere aliquam actionem reſpectu termini creationis, poteſt in duplici ſenſu diſputari. ¶ Primus eſt vtrum ſolius Dei ſit creare omnem rem creabilẽ, Et in hoc ſenſu nõ poteſt verti in quæſtionem, quia non poteſt dubitari, an creatura aliqua poſſit producere, vel creare omnem rem creabilem, nam quando aliqua quæſtio includit implicationem contradictionis per locum intrinſecũ, nec eſt proponenda, nec diſputanda, & cum iſta quæſtio, Vtrum aliqua creatura poſſit creare omnem rem creabilem, includat prædictam contradictionem, quia ex ea ſequitur quod poſſet creare ſe ipſam, ideo in hoc ſenſu non diſputatur in præſentiarum, quod ſi bene perpendas argumenta Diui Thomæ quibus probat creationem ſoli Deo conuenire, quia effectus vniuerſales debent reduci in cauſas vniuerſales, & quod creatio eſt productio entis in quantum ens, & totius entis, tãtum probant, quod creatio omnium creabilium collectiue tantum Deo poteſt conuenire, quia productio totius entis tantum enti improducto poteſt conuenire, qualis eſt Deus. Et hoc adeo certiſsimum eſt, vt non oporteat verti in quæſtionem. ¶ Secundus autẽ ſenſus eſt, Vtrum aliqua creatura poſſit producere aliam creaturam nullo præſupoſito ſubiecto, & per conſequens poſſet illam creare. Et in hoc ſenſu dicit Doctor in il la quæſt. litera. D. D. quod poteſt intelligi dupliciter, vno modo quod reſpectu illius creationis, ſit cauſa principalis, ſecundo modo tanquam inſtrumentalis, & in primo ſenſu docet ibi Doctor nullatenus poſſit creatura aliam creaturam creare, vbi ponit tres concluſiones. Quarum prima eſt quod nulla natura mere intellectualis creata poteſt creare ſubſtantiam. ¶ Secunda autem concluſio eius eſt, quod nulla forma materialis poteſt creari à creatura. ¶ Tertia eius concluſio eſt, quod nulla forma materialis poteſt eſſe principium creandi aliquid. ¶ Ex quibus omnibus concludit nullam creaturam poſſe aliam creaturam creare, tanquam cauſa principalis, ſcilicet, per formam intrinſecam actiuam reſpectu termini in ſuo ordine agẽdi. Rationes autem, quibus D. Thomas probat prædictam cõcluſionem, ſunt adeo vniuerſales, vt licet probent creationem omnium creabilium collectiue, non tamen oſtendũt quare creatio huius creabilis repugnet iſtæ creaturæ.

¶ Secundo eſt notandum, quod rationes D. Thomæ fundantur in duabus propoſitionibus. Quarũ prima eſt, quod eſſe ſimpliciter, eſt proprius effectus ipſius Dei. Secunda autem eſt quod proprius terminus creationis, eſt eſſe ſimpliciter. Iſtas autem propoſitiones impugnat Doctor vt falſas, pro quo eſt aduertendum. *Notab. 2.*

¶ Tertio. Nota quod in quolibet compoſito, quod habet eſſe productum, & eſt materia, & eſt forma, & eſt totum, ex ipſis partibus reſultans, ſiue diſtinctum realiter, ſiue formaliter à partibus, (quia pro nunc nihil intereſt quomodo à partibus diſtinguatur.) Materia enim cum habeat eſſe productum reale extra ſuas cauſas diſtinctum ab eſſe formæ, neceſſario habet ſuam exiſtentiam realem ipſi materiæ conuenientem diſtinctam ab exiſtẽtia formæ, & ſimiliter forma diſtinctam *Notab. 3.*

&am exiſtentiam habet ab exiſtentia mate-
riæ:toto enim compoſito competit, ſubſi-
ſtentia diſtincta realiter ab exiſtentijs par-
tium, ſi totum realiter diſtinguitur à parti-
bus ſimul ſumptis, vel tantum formaliter, ſi
totum à partibus ſimul ſumptis tantum for-
maliter diſtinguitur. Ex quibus infertur
quòd à quocumque generatur totum quan-
tū ab illo forma accipit eſſe in materia, quia
forma materialis prius informat materiam,
quam habeat eſſe, nam iſta cauſalis eſt vera.
Ideò forma materialis habet eſſe quia infor-
mat materiam, non tamen è contra, qualiter
contingit in anima rationali, quæ prius natu
ra habet eſſe productum, & dicit reſpectum
ad cauſam producentem, quam habeat eſſe
informans, & dicat reſpectum ad informatū,
cùm igitur totum quantum habeat eſſe à for
ma formaliter, & à generante effectiuè, &
generans effectiuè faciat formam informare
materiam, ex qua informatione ſequitur eſ-
ſe in materia ideò generans totum quantū
producit eſſe formæ in materia.

Notab. 4. ¶Quartò eſt notandum, quòd aliqua cauſa,
& aliquis effectus dicitur vniuerſalior dupli
citer: vno modo quantum ad prædicationē,
ſecundo modo quantum ad perfectionem.
Illud dicitur vniuerſalius quantum ad prædi
cationem quod de pluribus prædicatur, &
hoc modo ens vniuerſalius eſt Deo. Illud au
tem eſt vniuerſalius quantum ad perfectio-
nem, quod eſt perfectius alio, & hoc modo
Deus eſt vniuerſalior omnibus entibus licet
non prædicetur de omnibus illis, de quibus
Corol. 1. prædicatur ens. ¶Ex quo infertur primò
quod non ſequitur, hoc eſt vniuerſalius quā
tum ad prædicationē, ergo eſt vniuerſalius
quantum ad perfectionem, nam tunc ens eſ-
Corol. 2. ſet perfectius Deo. ¶Ex quo infertur ſecun
dò quòd quanto aliquid eſt vniuerſalius quā
tum ad prædicationem, tanto eſt imperfe-
ctius. Vnde omnium imperfectiſsimum eſt
ens, & ratio Doctoris eſt quia quandocum-
que aliquid includitur in aliquibus, nunquā
illud eſt perfectius illis, imo ſemper eſt im-
perfectius illis, in quibus includitur, quia il-
lud tale ſemper contrahitur, & determina-
tur per vltimam illam differentiam, qua con
ſtituitur in eſſe tale, quæ vltima differentia,
quæ contrahit, & determinat illud, ad eſſe
tale, contrahit, & determinat perficiendo, &
propter hoc homo perfectior eſt anima-
li, quia rationalitas (quæ contrahit animal
ad eſſe hominis) contrahit illud perficiendo
eſſe animalis in homine, & ob hoc ſuperio-
ra quoad prædicationem dicuntur ſemper
eſſe in potentia reſpectu inferiorum. Cum
igitur ens incluſum in omnibus entibus crea
tis determinetur, & contrahatur per omnes
differentias inferiorum recipiendo perfe-
ctiones illarum, ideò licet ens ſit vniuerſa-
lius, quantum ad prædicationē, non ob hoc
eſt vniuerſalius quantum ad perfectionem.
¶Quinto eſt notandum, quòd vniuerſale *Notab. 5.*
quantum ad prædicationem non eſt ali-
qua natutura communis, quæ eadem nu-
mero ſit pluribus communicata, talis enim
communicatio in identitate numerali re-
pugnat creaturæ, ſola enim natura diuina
eadem prorſus numero eſt in tribus ſup-
poſitis, natura autem creata, alia numero
eſt in Petro & alia numero eſt in Paulo, &
ſic natura humana v.g. quæ alia eſt in Petro,
& alia in Paulo licet ſit ſingulariter in Pe-
tro, & ſingulariter in Paulo, eſt tamē vniuer
ſalis quantum ad prædicationem ex duplici
cauſa. Quarum prima eſt quia natura huma-
na in diuiduata per differentiam indiuidua-
lem Petri, ſi conſideretur ſecundum ſuam ra
tionem, non magis includit illam proprieta
tem indiuidualem, quam proprietatem in
diuidualem Pauli, & quia ex natura ſua non
eſt determinata magis ad iſtam, quam ad il-
lam, licet ipſa ſit vna in ſe ex natura ſua pro
pter illam indifferentiam quam habet dici-
tur minus vna, & illa vnitas naturæ, (vt ante
cedit proprietatem indiuidualem), dicitur
vnitas ſpecifica, & quia vnitas numeralis in
diuidui eſt determinata, vel conſequitur de-
terminationem, quam non conſequitur vni-
tas ſpecifica, ideo vnitas ſpecifica eſt minor
vnitas vnitate numerali. ¶Ex quibus infer- *Corol. 1.*
tur primò quòd non dicitur natura humana
communis omnibus indiuiduis eiuſdem na-
turæ, quia eadem numero ſit in omnibus in
diuiduis, ſed quia natura, quæ eſt in hoc indi
uiduo, (ſi conſideretur ſecundum ſuam ratio
nem) eſt indifferens ad recipiendum omnes
differentias indiuiduales, quæ ſunt, & poſ-
ſunt eſſe intra latitudinem ipſius naturæ &
ſic de omnibus naturis in particulari, quæ in
ſingulis indiuiduis naturæ humanæ reperiū
tur. Et propter iſtam indifferentiam dicitur
natura humana communis omnibus indiui-
duis illius naturæ, ideſt communicabilis quā
tum eſt ex parte ſua ſi ab aliquo non deter-
minetur, & propter hanc communicabilita-
tē dicitur natura humana vniuerſalis in præ
dican-

dicando id eſt, iſta ſecunda intentio, quæ eſt prædicari fundatur in iſta indifferentia naturæ humanæ. Et ob hãc cauſam docẽt nõnulli vniuerſale logicũ fieri per abſtractionẽ, quia abſtractio cũ denudet naturã à cõditionibus indiuiduãtibus relinquit illã in ſua indifferẽtia, & communitate, quę communitas, & indifferentia cùm ſit fundamentum proximũ illius ſecundæ intentionis poſito illo, & in diuiduis, ſtatim conſurgit hoc quod eſt naturam illam prædicari de multis. Vnde licet vniuerſalitas formalis ſit illa ſecunda intentio, vniuerſalitas tamen fundamentalis eſt illa communitas, & indifferentia naturæ. Tenentes autem cum Doctore vniuerſale logicum fieri per comparationem, tenemur fateri naturam humanam non habere perfectam rationem fundandi iſtam vniuerſalitatẽ quouſque intellectus comparauerit naturam illam ad indiuidua, facta tamen tali comparatione natura humana ſit fundamentum proximum illius ſecundæ intentionis, & vniuerſalitatis. Colligitur igitur ex dictis quòd alia natura numero eſt in Petro, & alia natura numero eſt in Paulo.

Corol. 2. ¶Ex quo infertur ſecundò quòd ſicut ſe habet natura humana reſpectu ſuorum indiuiduorum, ita ſe habet ens creatum reſpectu omnium creaturarum, imo latius ſe habet ens creatũ reſpectu omnium creaturarum, quàm natura humana, & ratio huius eſt, quia omnibus indiuiduis naturæ humanæ communis eſt vnus cõceptus formalis deſumptus ab illis, cui conceptui formali correſpõdet vnicus conceptus obiectiuus, ſcilicet natura humana, quæ, (vt præintelligitur ante differentiam indiuidualem) indifferens eſt ad omnes proprietates indiuiduales illius naturæ. At verò omnibus entibus creatis, licet correſpõdeat vnicus conceptus formalis, non tamen correſpondet illis aliquis vnus conceptus obiectiuus, quia ens ſpirituale non habet aliquid commune vniuocum quoad conceptum obiectiuum cum ente materiali, quia non datur aliqua vna natura realis, quæ dicatur ens, quæ vt præintelligitur ante illam differentiam (ſcilicet ſpirituale) ſit indifferens ad ſpiritualitatem, & materialitatem, ſed ille conceptus formalis ſumitur ab eodem modo ſe habendi, ſcilicet quia ſicut ens ſpirituale habet eſſe productũ

Corol. 3. ab alio, ita & ens materiale. ¶Ex quo infertur tertio quod ens, vt eſt terminus transcẽdentalis, nõ eſt aliqua vna natura ſed omnes naturæ pro vt habent eſſe, quibus, vt ſic, conuenit vnicus conceptus formalis, quatenus concipiuntur vt habentes eſſe.

¶Vltimò eſt notandum, quòd licet in quolibet producto reperiantur eſſe, & eſſe tale, ſcilicet eſſe ſumptum ſimpliciter, & eſſe ſumptum cum determinatione, non tamen ſe habent vt duo, taliter quòd vnum poſſit eſſe ab vno & alterum ab alio, ſed tantum diſtinguũtur quantum ad rationem concipiendi, fundatam tamen in ipſa re cõcepta, & ratio huius eſt quia in ente limitato nõ eſt alia natura ratio entis, & alia natura ratio limitati, ſed natura limitata quæcumque illa ſit vtrũque includit in ſua ratione formali, quatenus eſt natura limitata, & per conſequens quod eſt cauſa naturæ limitatæ eſt cauſa illius eſſe, quod in illa natura limitata reperitur. Vltimo notab.

¶Prima cõcluſio. Nulla creatura poteſt creare omne creabile. Hæc concluſio eſt manifeſta, quam probant rationes D. Thomæ, quas ſupra adduximus quæſt. 5. Prima cõcluſio.

¶Secunda concluſio. Impoſsibilitas creationis reſpectu alicuius termini creabilis non conuenit creaturæ ex eo quòd creatio eſt productio totius entis, vel quia effectus vniuerſaliores debent reduci in cauſam vniuerſaliorem. Hæc cõcluſio eſt Doctoris & probatur. Nam, vel cauſa vniuerſalior & effectus vniuerſalis ſumuntur ambo ſecundum perfectionem, vel ſecundum prædicationem, vel cauſa ſumitur ſecundum vniuerſalitatem perfectionis, & effectus ſecundum vniuerſalitatem prædicationis. Si argumẽtum procedit de vniuerſalitate perfectionis. Maior eſt vera, & minor eſt falſa, nam maior ſic ſe habet: effectus vniuerſalior ſecundum perfectionẽ debet reduci in cauſam vniuerſaliorem ſecũdum perfectionem. Minor autem falſa eſt, quæ ſic habet, ſed eſſe eſt effectus vniuerſaliſsimus. Si enim eſſe conſideretur ſecundũ perfectionem in entibus creatis, omnia prędicata quæ determinant & cõtrahunt ipſum ens, ſunt perfectiora ipſo ente (ſi vis vide pro hac ratione Antonium Trombetam lib. 1. Met. quæſt. 11. vbi diſputat, vtrum inferius dicat eſſe perfectius quam ſuperius, & magis commune, vel è contra) quia ens reſpectu illorum eſt in potentia, & vt determinabile, & per conſequens cum illa ſe habeant vt actus & vt perfectio. Ens igitur tantũ eſt vniuerſalius ſecundum prædicationem, ſi autem in maiori accipiatur, & in minori vniuerſalitas ſecundum prædicationem, tunc con- Secunda concluſio.

cõſequẽs eſt ſalſum quia inſert, ergo productio entis debet reduci in Deũ, qui eſt cauſa vniuerſalior ſecũdũ prædicationem, hoc autẽ conſequẽs falſum eſt; ſi autẽ vniuerſalius ſumatur in maiori ſecũdũ prædicationẽ, & in minore ſecũdũ perfectionẽ. Maior nõ eſt ad propoſitũ, & minor eſt ſalſa, ergo illa ratio D. Tho. non probat prædictã cõcluſionẽ. Nec ſolutio Ferrarienſis dicẽtis ꝙ accipitur vniuerſalitas in effectu ſecũdũ prædicationẽ, & in cauſa ſecũdũ perfectionem aliquid valet, quia hoc nihil aliud eſt quã dicere, ꝙ nulla creatura poteſt creare omne ens creabile, iſta autẽ reſpõſio nõ reſpõdet quæſtioni, nã quæſtio in præſentia rũ eſt, vtrũ aliqua creatura poſsit creare aliquod creabile, reſpõdere autẽ ꝙ nõ poteſt creare omne creabile, non eſt reſpondere ad queſtionẽ. Quare doctiſsimus aliàs Ferrara certè in hoc non percepit mẽtẽ Scoti.

¶ Secundò. Si aliqua creatura poſſet creare aliquod creabile, iſta talis attingeret terminũ creationis, ſed iſta talis non attingeret ens, inquãtũ ens, ſecundũ totũ ſuũ ambitũ, quia tãtũ attingeret hoc ens, inquantũ hoc ens, ergo creatio non repugnat creaturæ, ex eo quòd nõ poteſt creare hoc ens.

¶ Tertiò. Si aliqua creatura poſſet producere hominẽ nulla præſuppoſita materia, verè crearet hominẽ, ergo ratio quare non poteſt creare eſt, quia nõ poteſt agere nulla præſuppoſita materia.

¶ Quartò. Qui producit hominẽ, verè producit ens inquantum ens, ſecundum totam ſuam realitatem, & entitatem, licet non ſecundum communicationem prædicationis, ergo creatio non repugnat creaturæ, quia nõ poteſt producere ens inquãtũ ens.

QVÆSTIO IIII.

¶ *Vtrùm creatura poſsit ſaltem inſtrumẽtaliter ad creationem concurrere.*

PRO explicatione huius tituli ſupponẽdũ eſt, ꝙ in hac quæſtione duæ poſſunt queſtiones diſputari, altera eſt de poſsibili, ſcilicet vtrũ poſsit Deus aliquã creaturã aſſumere vt inſtrumẽtũ creationis, altera verò an de facto aliquã creaturã Deus aſſumpſerit vt inſtrumẽtũ creationis. ¶ Secũdò ſupponẽdũ eſt, ꝙ iſta queſtio etiã in alio duplici ſenſu põt diſputari, nã rẽs creabiles ſunt in duplici differẽtia, queдã enĩ ſubſtãtiæ ſunt, quædã verò accidentia, & per conſequẽs & creatio duplex põt cõſiderari altera ſcilicet qua ſubſtãtię ex nihilo producũtur, & altera qua accidẽtia ex nihilo poſſunt ꝓduci, qualia ſunt v.g. accidẽtia ſupnaturalia vti gr̃a & charitas, fides, & ſpes, & reliqua quæ ſunt per ſe habitus infuſi. Dixi notãter per ſe habitus infuſi, nã habitus per accidẽs infuſi vti ſciẽtia infuſa acquiſibilis tñ per operationẽ intellect⁹, & ſpecies infuſæ Adamo, & Angelis in inſtãti ſuæ creationis nõ fuerũt creatæ, ſed productæ à Deo per accidẽtalẽ mutationẽ ſupernaturalẽ, quia illæ ſpecies nõ fuerũt productæ de nihilo, ſed de ſubſtãtia intellectus, tãquã de ſubiecto præexiſtẽte, à quo depẽdẽt in genere cauſæ materialis tã vt fiant, quã vt cõſeruẽtur, at verò habitus per ſe infuſi vt gr̃a & fides ſunt ſimpliciter ex nihilo ꝓducti quãuis cõtrariũ doceat Caiet. 1. 2. q. 112. & nõnulli ex recẽtioribus ex eo, ꝙ creari eſt propriè ſubſiſtẽtiũ, & gr̃a non ſubſiſtit, ſed eſt accidẽs inhærens ſubiecto. Et ſecũdo quia gr̃a pẽdet à ſubiecto, in quo eſt, neq; põt eſſe ſine eo, & ſecũdũ pleroſq; autores anima rationalis eſt ſuſceptiuũ naturale ipſius, ſed ꝙ creatur, nõ pẽdet niſi à ſuo efficiẽte ꝓ momẽto ſuæ creationis, nã ſi eo momẽto à ſubiecto pẽderet, educi videretur de potẽtia illius. Et tandẽ, quia gr̃a nõ anihilatur cũ deſinit eſſe in anima, ergo neq; cũ incipit eſſe creatur. Cõſeqnẽtia eſt manifeſta qa corruptio nõ eſt anihilatio neq; ꝓductio eſt propriè creatio. Antecedẽs autẽ ꝓbatur, qa Deus nihil anihilat, ſed diligit omnia, quę ſunt. Quare gr̃a, & quicũq; habitus ſupernaturales neq; creantur, neq; cõcreãtur, ſed per accidẽtariã mutationẽ ſupernaturalẽ, à Deo producũtur educẽdo illa non de potẽtia naturalis ſubiecti, ſed de potẽtia tãtũ obediẽtiali animæ, vel angeli. Cũ igitur ad creationẽ requiratur ꝓductio entis ex nihilo, ideſt, nullo ſuppoſito ſubiecto & accidẽtia nõ ſint entia ſed entis entia hinc ꝓuenit iuxta p̃dictos nulla accidentia creari. Quare creationẽ definiũt dicẽtes ꝙ creatio eſt actio, qua quippiã per ſe ſubſiſtẽs ꝓducitur ex nihilo. Addũt tamẽ ꝙ cũ creatio quãdoq; ſumatur fuſe, ideo amouẽda eſt ab illa definitione illa particula per ſe ſubſiſtẽs, & ſic creatio erit productio cuiuſcũq; entis nullo præſuppoſito ſubiecto, & quãuis poſsit Deus accidẽs extra ſubie-

ctū creare, nā tūc accidēs eſt per ſe exiſtēs, quia dū ita virtute Diuina producitur, cōſeruaturq́; , eſt actus indepēdēs ab alio quatenns neque in aliquo, vel ſub aliquo à quo eius eſſe dependeat actu exiſtit qui modus exiſtēdi ſat eſt ad propriā creationē terminādā, qn̄ verò in ſubiecto producitur non creatur; neq; cōcreatur, ſed de potētia obediētiali illius ſubiecti ꝓducitur. Cōtrariū huius docet doctor, in quā pluribus partibus ſuæ doctrinæ præcipuè in 2. diſt. 37. q. vnica litera S. prope mediū, & litera X. vbi docet gratiā, qn̄ deſinit eſſe in anima, anihilari, & in. 4. diſt. 1. q. 4. & 5. ſupponit gratiā creari, quā etiā ſentētiā docēt oēs Scotiſtæ & ferè oēs Theologi antiqui & ſapiētiſsimus Magiſt. Vega. lib. 7. de iuſtific. ca. 13. vbi docet gratiā creari, & alienū à ratione eſſe vt nobiles ſentiūt autores aſſerere formā adeò præcellētē educi de potētia ſubiecti, eſt em̄ gr̄a adeò ſupnaturale donū vt ex natura ſua intrinſeca faciat hominē participē naturæ Diuinę, ꝓpter qđ dicūt nōnulli, ꝙ gr̄a ex ſua natura habet cōſtituere habētē ipſam Dei filiū, ſiue naturalē, ſiue adoptiuū. Ita magiſter frater Ioannis Vincentius in ſua Relectione de gr̄a Chriſti quæſt. 2. fol. 175. in ſolut. ad 2. argum. dicēs, ſi ſubiectū habens gratiā fuerit ſecūdū ſe extraneū à natura Diuina gratia cōſtituit illum Dei filiū adoptiuū formaliter, ſi autē fuerit naturalis Dei filius (vt eſt Chriſtus) cōſtituit illū filium Dei naturalē, nō quidem formaliter, ſed diſpoſitiuè, diſpoſitione cōcomitante. Addit tamen dicens, imò neq; neceſſum eſt, vt filiū Dei, vel adoptiuū, vel naturalē ipſum habentē cōſtituat: nā ſi Spiritus ſanctus humanitatē gratia habituali exornatā aſſumeret, neq; naturalis, neq; adoptiuus Dei filius cenſeretur. Et fol. 147. in ſolutione ad vltimū. quæſtionis 1. ſic ait, recētiores quidā Theologi libenter concedūt, ꝙ ſi Spiritus ſanctus humanitatē aſſumeret habituali gratia præditā eſſet inquantū homo filius Dei per gratiā habitualē. Verùm mihi hæc ſententia vehemēter diſplicet. Hactenus Magiſter Vincentius ſed ſententia illorū Theologorū reſpectu Spiritus ſancti quāuis mihi aliquādo placuit nō ratione gratiæ habitualis tantū, ſed ratione vnionis hypoſtaticæ, quæ eiuſdē rationis eſſet cū vnione hypoſtatica ratione vnionis Chriſti Domini, modò tamē diſplicet, & quia non eſt præſentis ſpeculationis rationes, quibus nunc moueor dicā Deo dāte in Diſputationibus ſuper tertiū ſententiarum, quando de filiatione naturali Chriſti Dn̄i ſermonē habeamus, nūc tamen ſufficit ad noſtrā diſputationē inceptā quòd gratia habitualis, & habitus gratiæ adeò excellēs ſit, vt meritò dicatur creari, nō tamen educi de potētia obediētiali animæ, ſed ꝓduci à Deo per creationē eo ſaltem modo, quo creatio pōt accidentibus cōuenire, & talis creatio propriùs dicitur cōcreatio, vel creatio in aliquo, licet ex nihilo. Quare iuxta iſtā ſentētiā dicendū eſt habitus per ſe infuſos, quāuis in ſubiecto creētur verè ex nihilo produci & nō eſſe in potētia obediētiali ſicuti neq; in potētia naturali aliquo modo ipſius ſubiecti. Quibus ſic conſtitutis rationes contrarium probantes nihil valent. Ad primā igitur facile reſpōdet, ꝙ cū creatio ſit ꝓductio entis ex nihilo, ideſt nullo præſuppoſito ſubiecto, ex quo fiat, cū accidētia entia ſint, & eſſe habeāt, & realiter diſtinctū quādoq; à ſubiecto, vt in accidētibꝰ ſupernaturalibus ſatis patet, manifeſtè fit, ꝙ quāuis in ſubiecto producantur, poſsint in ſubiecto creari, licet nō ex ſubiecto, quia quāuis poſsint à ſubiecto cōſeruari, non tn̄ pēdēt ab illo in fieri, qa ſubiectū reſpectu illorū nō agit ad ſui productionē, ſed ad ſui cōſeruationē, & per hoc patet ad ſecūdū, ꝙ gr̄a pēdet à ſubiecto, in quo eſt quia cōſeruatur à ſubiecto, in quo eſt, nō tn̄, quia efficitur, nā creatio, & cōſeruatio quatenus cōſeruatio ſumitur pro cōſeruatione, qua cauſæ ſecūdæ nonnulla entia à Deo creata, ſed tn̄ ipſarū tutelæ cōmiſſa pro ſua parte tuētur, vt v. g. forma materiā, hæc enim ſic ab illius actus perfectioneq́; quare dependet, vt ſi ea omnino deſtitueret, neq; eius operā Deus nouo vehemētioriq́; influxu compēſaret, in nihilū eſſet recaſura, ita etiā de ſubiecto, & accidēte per ſe infuſo. Et cōſeruatio hoc modo ſumpta non eſt idē re cum creatione, vt prædicti autores fatētur, quia nulla cōſeruatio pōt eſſe idē re cū creatione, præter eā, qua cōfertur eſſe ex nihilo, qualis eſt illa, qua Deus immediatè conſeruat, qua creat, nā iſta cōſeruatio non re, ſed ratione, vel formaliter à creatione diſtinguitur, ſed nullū agens creatū poteſt alicui rei cōferre eſſe ex nihilo in agēs principale, ergo cōſeruatio cauſæ ſecundæ, vel quæ cauſam ſecūdā includit nō eſt idē re cū creatione. Ad tertiū autē reſpōdetur gratiā anihilari

hilari cũ deſinit eſſe. His igitur ſic cõſtitutis põt etiã præſens quęſtio diſputari, vtrũ ſcilicet poſsit creatura ſumi, vt inſtrumẽtũ creationis reſpectu ſubſtantiæ creandæ, vt v.g. ſi poſſet Deus aſſumere aliquã creaturã, vt inſtrumẽtũ creationis ad creãdũ aliquẽ angelũ, vel ſecũdo ſi poſsit Deus aſſumere aliquã creaturã vt inſtrumentũ creationis ad creãdũ aliquã formã ſubſtãtialẽ; vt. v.g. animam rationalem, vel ad creandũ aliquam formam accidentalem, vt v. g. habitum charitatis, & gratiæ, neque eſt eadẽ quæſtio de angelo, & de forma ſubſtãtiali, vel accidẽtali, nã cũ, vt diximus ſuprà diſpu. 1. q. 6. notab. 4. & dicemus in corpore quæſtionis agẽdo de cauſalitate ſacramẽtorũ, inſtrumẽtũ dicitur per ſubordinationẽ effectus ad effectũ, & talis ratio inſtrumẽti nõ requirit, ꝙ ipſum inſtrumẽtũ attingat formã à principali agẽte intẽtã, ſed ſatis eſt, vel ꝙ ad iſtam diſponat, vel ꝙ ſit diſpoſitio ad illã, ſicut v.g. qñ faber lignarius ſerra ſcindit lignũ, vt faciat ſedẽ, vtitur ſerra vt inſtrumẽto ad faciẽdã ſedẽ, & ad ſcindẽdũ, & eſt ſerra inſtrumẽtũ ſciſionis, quia illa ſcindit nõ tñ ſerra attingit formã ſedis, quia vltra ſerrã ad faciẽdũ ſedẽ alijs etiã vtitur inſtrumẽtis, & ob hoc ſerra dicitur inſtrumẽtũ ſedis cõficiẽdæ per ſubordinationẽ effectus ad effectũ, ita igitur in propoſito cũ forma ſubſtãtialis, vel accidentalis in ſubiecto aliquo creetur, poterit creatura aliqua operationẽ aliquã habere circa aliquod ſubiectũ, quæ quidẽ operatio eleuetur à Deo vt fiat inſtrumẽtũ creationis illius formæ per ſubordinationẽ effectus ad effectũ, quæ quãuis nõ attingat ipſam formã per creationẽ productã adhuc tamẽ verè, & ꝓpriè inſtrumẽtũ reſpectu illius productionis appelletur, quia tñ reſpectu angeli producẽdi nõ eſt dabilis aliqua actio, quæ ordinẽ aliquem dicat reſpectu angeli producẽdi, ideo videtur ꝙ nulla creatura poſsit aſſumi vt inſtrumẽtũ creationis reſpectu illius, quia cũ actio creaturæ per ſeipſam, neq; vt eleuata poſsit attingere nihil, videtur, ꝙ nõ poſsit neq; vti vt inſtrumẽto educere aliquid ex nihilo, & per cõſequẽs neq; aſſumi vt inſtrumẽtũ ad creandũ reſpectu eorũ, quã nullo modo dicunt aliquẽ ordinẽ ad aliquod ſubiectũ. Neq; obſtat quod inſtrumẽtũ nõ habet aliquã actiuitatẽ diſtinctã à motione principalis agẽtis, & per cõſequẽs, ſi Deus ſua actione poteſt (vt poteſt) producere creaturã ex nihilo, ꝙ poſsit etiã mediãte aliqua creatura vt inſtrumento illã ex nihilo producere, non inquam, obſtat hoc, quia quanuis inſtrumẽtũ nõ habeat aliquã actiuitatẽ propriã diſtinctã ab operatione principalis agẽtis, ad huc tamẽ actio principalis agẽtis participata in inſtrumẽto debet modificari ab illo aliàs inſtrumẽtũ ſolũ haberet rationem cõditionis, ſine qua nõ, & nõ rationẽ inſtrumẽti, ſicut v.g. quãuis calamus non habeat actiuitatẽ aliquã propriã ad ſcripturã faciẽdã diſtinctã à motione principalis agẽtis, habet tamẽ hoc ꝙ calamus poteſt modificare actionem principalis agẽtis reſpectu ſcripturæ conficiendæ, ꝙ nõ poteſt facere malleus, vel ſedes, vel quodlibet aliud ex eo, ꝙ nõ poteſt recipere actionẽ principalis agentis in tali diſpoſitione, & modo, vt poſsit agẽs per illã ſcripturã cõficere, & cũ nulla creatura poſsit modificare actionem Dei, ideo nõ video quomodo poſsit, vt inſtrumentũ aſſumi ad productionẽ alicuius rei ex nihilo attingẽdo ipſam rẽ ex nihilo ꝓductã. Quòd ſi adhuc cõtẽdas poſſe Deũ pro ſua libertate ſuã actionem modificare per quãcunq; creaturã tãquã per inſtrumẽtũ facilè tibi acquieſcã. Pro nũc tamẽ ſecũdã quæſtionẽ tibi diſputatã trado, ſi poſsit creatura vt inſtrumentũ aſſumi creationis ab omnipotẽti manu Dei reſpectu formæ ſubſtãtialis, vel accidentalis ex nihilo producẽdæ nõ attingẽdo terminũ productum ſed tantũ per deordinationẽ effectus ad effectũ, diſputãdo tamẽ illam de facto, vt diſputari ſolet in cauſalitate ſacramẽtorũ nouæ legis, in quibus vt dicemus Deo dãte in diſputationibus ſuper quartũ, quãdo de illis in genere agamus cauſalitas nõ eſt extra rationẽ formalẽ illorũ, ſed de intrinſeca, & formali ratione illarũ, nã ſignificatio illorũ nõ eſt qualiſcũque, ſed cauſatiua grãæ quæ per creationẽ habet eſſe, vnde quãuis cauſalitas, & ſignificatio in alijs aliã & aliã rationẽ formalẽ induant, at verò in ſacramentis nouæ legis vnã prorſus rationẽ formalẽ cõſtituũt, ſicut v.g. in locutione vociferatiua videmus, quæ nõ eſt locutio tãtũ, neque vociferatio tãtũ, ſed vociferatiua locutio, quę nõ poteſt explicari niſi per duos terminos, ita ſignificatio cauſatiua eſt vnica ſignificatio, & vna ſimplex ſpecies ſignificationis, quæ nõ poteſt explicari niſi per duos terminos. Sacramẽta igitũ nouæ legis quę grãm ſigni-

Quomodo ſacramẽta nouæ legis cauſent gratiam.

ſignificant cauſando illā, ſi effectiuè gratiā producāt, vel tātū moraliter, nō ſatis inter Theologos Scholaſticos cōſtat. Quidam enim, quia nō vidēt quomodo poſsit creatura inſtrumētaliter cōcurrere ad creationē negāt ab illis talē phyſicā actiuitatē ſupponētes gratiam creari, alij verò quāuis doceāt gratiā educi de poētia obedietiali, docēt eſſe cauſas inſtrumētales inſtar cauſarū moraliū, nō verò inſtar cauſarū naturaliū, ita Molina prima parte q.45.art.25.diſpu.2.fol.1556.in principio: alij vero docēt doctorē ſenſiſſe eſſe cōditiones ſine quib⁹ nō: vt autē quid in hac re ſentiēdū ſit etiā iuxta doctoris ſententiā præſentibus explicemus, de hac re multiplex eſt inter doctores ſentētia, ac eſt Gabrielis in 4.d.1.q.2.cō-

1. *Senten.* cluſione.7.quā etiā defendit Enricus quolibeto 4.q.37. Duran.d.1.q.4. Ricardus art.4.q.2. Marſilius q.1.art.3. circa finem Ocham.d.1.q.1. Altiſiodorēſis lib.4.de ſacramentis nouæ legis in cōmuni. Ij omnes tenēt ſacramēta nouæ legis cauſare gratiā, quatenus Deus firmiter decreuit illis aſsiſtere, & producere gratiā in ſuſcipiētibus talia ſacramēta, ſi ipſi ſuſcipiētes nō ponāt obicē. Adducūt autē ad hoc exēplū dicētes ſacramēta noſtra nō magis cauſare gratiam ex natura ſua, quā literę regię cauſant dignitatē & honorē, qui propter ipſas alicui cōfertur, vel nō aliter cauſare gratiā, quàm vas in quo defertur medicina infirmo eſt cauſa ſanitatis infirmo, & ſic ſacramēta noſtra nihil aliud ſunt quā vaſa in quibus defertur paſsio & ſanguis Chriſti Dñi. Vnde tota cauſa noſtræ ſalutis per ſe eſt paſsio Chriſti Dñi, & ſanguis eius, ſacramēta autē dicūtur cauſæ quatenus cōtinent iſtā cauſā noſtræ ſanctitatis. In hāc ſentētiam citatur D. Bonauen. in 4.d.1.q.4. licet ſi verba eius perpēdātur, nihil affirmatiuè determināt. Na poſtquā poſuit vtramq; ſentētiā ſic ait. Vtraq; harū poſitionū ſatis videtur probabilis, hæc tamē mihi videtur ad ſuſtinendū facilior, neſcio tamē quę ſit verior, quia dū loquimur de his quæ ſunt miraculi nō multū adhærēdū eſt rationi, cōcedimus ergo ꝙ ſacramēta nouæ legis ſunt cauſę & efficiūt & diſponūt extēſo nomine, vt dictum eſt, & hoc ſecurū eſt: vtrū autē plus habeat neq; volo affirmare neq; negare, & ſecūdū hanc vltimam viam omnia quæſita patent. Hactenus D. Bonauentura. Ex qua litera facile colligitur quid ſenſerit de hac re.

¶Secūda ſentētia eſt Alexā. Alē. 4. par. quę- 2. *Senten.* ſtiū. 8. mēbro. 3. ar. 5. quā defendit D. in 4. diſt. 1. q. 1. ar. 4. Tho. de Argēt. & Capreol. ibidē. Ferrara 4. cōtragētes c. 57. Hiſpalēſis in 4. D. 1. q. 1. Qui omnes aſſerūt ſacramenta nouæ legis ideo cauſare gratiā, quia cauſant in ſubiecto aliquā diſpoſitionē, ad quā cōſequitur gratia. Et ratio huius ſententiæ eſt, quia ad gratiā ſuſcipiendā in ſingulis ſacramentis neceſſaria eſt ſpecialis præparatio in ſuſcipiēte, & talis præparatio ſpecialis immediatè efficitur à virtute ſacramēti, & licet iſta ſpecialis præparatio cōmunis ſit omnibus ſacramētis, habet tamē ſpeciale nomē, licet cōmuniter appelletur quandoq; ornatus, quādoque diſpoſitio, vnde huiuſmodi præparatio nō ponitur ad receptionē gratiæ gratū faciētis in quātū abſolutè eſt gratia gratū faciēs, prout ordinatur ad actus meritorios vitæ æternæ, ſed ſpecialiter & directè ponitur ad receptionē gratiæ prout gratia ordinatur ad cauſandū effectus quoſdā ſacramentales, & ratio huius eſt quia ſicut forma non recipitur in ſubiecto indiſpoſito, ita neq; talis forma recipitur in ſubiecto ſine tali diſpoſitione, & per cōſequēs cū gratia ſecūdū aliū & aliū effectū recipiatur ante baptiſmū per cōtritionē, in baptiſmo per modū regenerationis, in euchariſtia per modū alimēti, ideo requiritur in anima ſuſcipiēte talē gratiā alia & alia diſpoſitio, quæ cauſetur à ſacramento ex opere operato, qua anima ſit diſpoſita ad recipiēdū gratiā non abſolutè, ſed ſecundū illū effectū ſacramētalē. Hæc autē ſententia patet ex eo, quia ſi modo aliquis naſceretur ſanctificatus ex vtero matris, adhuc tamē eſſet baptizādus, quia licet habeat gratiā ex vi illius ſanctificationis, nō tamē habet gratiā cū illo effectu ſacramentali ſcilicet incorporari Chriſto. Quare ille talis eſſet iuſtus, nō tamē mēbrū Chriſti, & ſic indigerer baptiſmo, nō vt eſſet iuſtus, ſed vt eſſet incorporatus cū Chriſto & mēbrū eius. Hāc igitur diſpoſitionē, quæ requiritur in anima ad iſtū effectū ſacramētalē, cauſāt ſacramēta nouę legis ex opere operato, quæ diſpoſitio cōmuniter appellat ornat⁹, & ob hoc dicūtur ſacramēta cauſare ipſā gratiā.

¶Tertia ſentētia cōmunis eſt apud omnes 3. *Senten.* Scotiſtas, quā dicūt doctores hac D. & q. & d. 2. q. 1. quā defendit magiſter Cano in relectione de ſacramentis. Ledeſma in 4. q. 3: ar. 1. qui aſſerūt ſacramēta nouæ legis nullate-

Moli. 1.p. latenus poſſe eſſe cauſas phyſicas gratiæ,
eſſe tamẽ cauſas morales: fundamẽtũ huius
ſentẽtię eſt quia ſecũdũ omnes doctores, &
ſecũdũ ſententiã D. Tho. gratia habet eſſe
per creationẽ, nulla autem creatura poteſt
aſſumi, vt inſtrumẽtũ creationis, nulla er-
1. Notab. go creatura poteſt cauſare gratiã. Vt autẽ
explicẽt ſuã ſentẽtiã aduertũt, quod cauſæ
ſunt in duplici differẽtia, quædã enim ſunt
per ſe, quædã vero ſunt per accidẽs, cauſæ
per ſe adhuc ſunt duplices, quædã eñ ſunt
phyſicæ, & naturales, quædã verò ſunt mo
rales, cauſæ eñ phyſicæ ſunt, quę per vir-
tutẽ, & formã propriã attingũt effectũ ſiue
immediatè ſiue mediatè, vti ignis propria
virtute, & forma attingit calorẽ ꝓductũ in
aqua, vel in ligno. Cauſæ atẽ morales ſunt
quæ nõ per propriã virtutẽ & formã pro-
ducũt, ſed per intentionẽ quatenus quodã-
modo morali & libero inducũt agẽtẽ libe-
rũ ad ꝓducẽdũ effectũ, huiuſmodi aũt cau
ſę operãtur cõſilio pręcepto, vel precibus.
2. Notab. ¶Secũdo aduertũt quod cauſæ phyſicæ di
cũtur cauſæ naturales, nõ vt opponuntur
cauſis ſupernaturalibus, ſed vt opponun-
tur cauſis moralibus. Quare omnis cauſa,
quæ per propriã virtutem & formã attin
git effectum productum, appellatur in prę
ſentiarum cauſa phyſica, & naturalis.
3. Notab. ¶Tertio aduertũt, quod vtrũq; genus cau
ſarũ diuiditur in cauſam principalem, & in
cauſam inſtrumẽtalẽ, cauſa phyſica princi-
palis eſt, quæ propria virtute operatur in-
tẽdẽs aſsimilare ſibi effectũ, ſed per virtutẽ
ſuſceptã à principali agẽte operatur vti pe
nicillus. Cauſa autẽ inſtrumẽtalis nõ intẽ-
dit aſsimilare ſibi effectum quia non habet
propriã formã. Cauſa autem moralis, quę-
dã eſt principalis, quædã eſt inſtrumẽtalis,
principalis eſt illa, quę propria intentione
inducit alterũ ad aliquid faciẽdũ, ſicuti qui
pretio, vel precibus inducit aliquẽ ad cõſe
rendã libertatẽ captiuo: cauſa vero inſtru-
mẽtalis moralis eſt illa, quæ nõ propria in-
tẽtione, ſed vt ſubeſt intẽtioni alterius in-
ducit ad aliquẽ effectũ vti pretiũ, vel donũ,
vel cõſiliũ. His igitur ſic cõſtitutis pręſens
1. Argu. ſentẽtia explicatur hoc modo, cũ ſacramẽ-
ta nouę legis cõtineãt, & ſint pretiũ noſtrę
redẽptionis, & ſubſint intẽtioni Chriſti D.
redimẽtis genus humanũ per paſsionẽ ſuã,
hinc fit quod habeãt eandẽ rationẽ, quam
habet pretiũ pro quacunq; re, pretium au-
tẽ non eſt dicendũ cauſa phyſica, ſed cauſa
ſolũ moralis, ergo & ſacramenta noſtra de
bent dici cauſæ morales, & non phyſicæ. *2. Argu.*
¶Secũdo: ſacramẽta noſtra nõ habẽt maio
rẽ actiuitatem, quã paſsio Chriſti, ſed paſ-
ſio Chriſti tantũ eſt cauſa meritoria & mo-
ralis nõ tamen phyſica noſtræ iuſtificatio
nis, ergo & ſacramenta. Minor patet quod
nõ eſt nõ poteſt habere rationẽ inſtrumen
ti phyſici, ſed paſsio Chriſti modo non
eſt ſed fuit, ergo non poteſt eſſe inſtrumẽ-
tum phyſicum noſtræ iuſtificationis, &
per conſequens neque noſtra ſacramenta
cum eò ſint cauſæ noſtræ iuſtificationis
quatenus continent paſsionem Chriſti.
¶Vltimo quia ſi ſacramẽta ſunt cauſæ phy *3. Argu.*
ſicæ reſpectu gratiæ, ergo, vel agũt per for
mã phyſicã naturalẽ, vel ſupernaturalẽ, nõ
per naturalẽ, quod de ſe patet, quia cauſa,
& effectus debẽt proportionari, neque per
ſupernaturalẽ, quia ipſa ſunt naturalia, &
materialia, ergo non poſſunt eſſe ſubiecta
virtutis ſupernaturalis. Dicẽdũ igitur eſt
ſacramenta noſtra cauſas eſſe morales gra-
tiæ non autẽ phyſicas reſpectu gratiæ quæ
per ſacramenta confertur.
¶Quarta ſentẽtia eſt D. Tho. tertia parte *4. Senten.*
q. 62. art. 1. & 2. quã defendunt Caietanus
ibi & Sotus in 4. d. 1. q. 3. art. 1. & ſere om-
nes diſcipuli D. Tho. huius tẽporis, qui aſ-
ſerunt ſacramenta nouæ legis cauſare gra-
tiam in anima digne ſuſcipiente, non ſolũ
per modum cauſæ moralis, ſed etiam per
modum inſtrumenti phyſici, & cauſæ na-
turalis, & licet omnes conueniant in præ-
dicta concluſione, differunt tamen inter ſe
in modo explicandi illam.
¶Eſt igitur primus modus explicandi ma
giſtri Soto aſſerẽtis, ideo ſacramenta nouę *Primus*
leges effectiuè concurrere ad productio- *modus ex*
nem gratiæ, quia effectiuè concurrunt ad *plicandi*
noſtram iuſtificationẽ & efficienter faciũt *hanc ſentẽ*
hominem licet efficienter non attin- *tiam.*
gant ipſam gratiam. Fundamẽtũ huius ſen
tentię eſt, quia ad hoc quod aliquis ſit gra
tus ex natura rei non expoſtulat aliquam
qualitatem, ſed ſicut Deus voluit quod eſ-
ſemus ipſi Deo grati per gratiam, quæ
eſt qualitas nobis inhærens iuxta determi
nationem Concilij Tridentini, ita etiam
poſſet facere quod eſſemus illi grati abſq;
tali qualitate. Nam eſſe Deo gratum ni-
hil aliud eſt, quàm eſſe à Deo dilectum, &
ſicut inter homines aliquis eſt ab alio di-
lectus abſque aliqua qualitate illi inhæ-

renti,

rēte, quia ideo diligor à Petro, quia Petrus diligit me, & ego ſum obiectū illius dilectionis ſub qua me proſequitur. Ita in propoſito poſſet fieri inter nos & Deū, & ſicut quando quis inter homines facit duos amicos eſt cauſa amicitiæ illorum: ita cùm ſacramenta faciant homines amicos Dei, ſunt cauſa illius amicitiæ, & quia talis amicitia non fit niſi mediāte gratiæ qualitate, quæ à Deo fit per creationem, ideo ſacramenta dicuntur cauſæ mediatæ illius gratiæ, immediatæ autem eſſe grati. Vnde cō ncludit Soto dicens: igitur qui ſanè intelligere cupit, quomodo ſacramenta conſerāt gratiam, id primū cōſtituat fingendo nullā huiuſmodi qualitatem eſſe neceſſariam, nā profectò patres nunquam de illa diſputare cogitarunt.

Secundus modus explicandi. ¶ Secūdus modus explicādi prædictā concluſionē eſt epiſcopi Oxomēſis quæſt. 62. art. 3. & 4. vbi ſic ait: ſacramēta ſunt cauſæ gratię iuſtificantis, quæ verè, & propriè ipſius gratiæ productionē attingunt, non quantū ad eſſe ſed quantum ad infundi, pro quo aduertit quod in infuſione gratiæ duo reperiūtur, alterum eſt ipſa ſuſceptio gratiæ ſecundū potentiā obedientialem, cùm naturalis vis non poſſit eſſe ad donū ſupernaturale. Alterum eſt illius qualitatis ſuſceptæ & infuſæ ex nihilo productio. Primū autem ſacramenta inſtrumentaliter attingunt quatenus actione ſacramētali affecto corpore anima afficitur ad ſuſcipiendā gratiam, quæ infunditur, & huius mutationis animæ ad recipiēdam gratiā immutato corpore, res creata, & producta inſtrumētum eſſe poteſt, illud verò ſecundū (nempe creare gratiā) Deus efficit immediatè, & nullū aſſumit inſtrumentum, quia creationis & productionis ex nihilo nullū eſſe poteſt, & paulo infra, itaque ſacramentū non imprimit diſpoſitionem aliquam ad gratiam, ſed motum à Deo principali agente attingendo ſua actione naturali corpus ſuſcipiētis ſacramentū, mouet, & immutat animā, vt gratiam effectam à Deo recipiat.

¶ Fundamentū huius ſententiæ eſt quia ſancti patres qui ponunt iſtam virtutē in ſacramentis loquūtur ad mentem D. Auguſtini aſſerentis, quæ eſt tanta virtus aquę vt corpus tangat, & cor abluat? ergo ex eo quod corpus immutatur per illam ablutionem anima immutatur ad receptionem gratiæ.

Tertius modus explicandi. ¶ Tertius modus explicandi prædictā concluſionem eſt aliorum cū Caietano aſſerentiū ſacramenta effectiuè attingere productionem ipſius gratiæ, vel ipſam gratiam productam, & fundamentū huius ſententiæ eſt quia gratia nō creatur, (vti præcedentes ſententes ſupponunt) quia creari ſolum conuenit rei ſubſiſtenti per ſe, & cū gratia nō ſubſiſtat per ſe, cùm ſit accidens; ideo eius productio non eſt creatio. Pro hoc fundamento citant D. Thomā. 1. 2. quæſt. 110. articul. 2. ad 3. & de potentia quæſt. 3. articulo. 8. ad 3. & de veritate quæſt. 27. art. 3. ad 9. quod ſiquis quærat ab illis, per quā igitur actionem producitur gratia? Reſpōdent dicentes quod per alterationem ſpiritualem perfectiuā animæ educendo illā de potentia obedientiali ipſius animæ, à qua depēdet in fieri, & conſeruari, & talis productio gratiæ appellatur quādoque creatio, impropriè tamen, & largè, quatenus fit nullis noſtris præcedentibus meritis, & nulla potentia naturali cōcurrente ex parte ſuſcipientis, & ſic quodāmodo fit ex nihilo, propriè tamen loquendo non eſt dicendum gratiā creari, neque concreari, ſed comproduci ad productionē hominis grati, ſicut albedo comproducitur ad productionē hominis albi. Cùm igitur ſacramēta poſſint educere inſtrumentaliter effectiuè prædictā qualitatē de potentia obedientiali animæ, ideo inſtrumentaliter phyſicè cōcurrunt ad productionem gratiæ.

Quartus modus explicandi. ¶ Vltimus modus explicandi prędictā ſententiam eſt aliorum, qui fere coincidit cū ſententia Caietani, qui aſſerunt quod quando dicimus ſacramenta cōcurrere ad productionem gratiæ per modum cauſæ phyſicæ, non eſt intelligendū, quod concurrant per aliquam virtutem naturalē, ſed intelligendum eſt quod concurrant per aliquā virtutem ſupernaturalem ipſis communicatā, quæ tamen in modo agendi ſe habet vt cauſa naturalis, vel per modum cauſæ naturalis. Vt autem explicent ſuā ſententiā aduertunt primò quod ſacramenta non ſolum cauſant gratiā per hoc quod inducant, excitent, vel moueāt Diuinam voluntatem ad hoc, quod Deus ſe ſolo producat gratiam in anima, ſicut conſulens, rogans, vel aliter inducens voluntatē artificis poteſt dici cauſa rei artificialiter; nam hoc totum pertinet ad genus *1. Notab. Pro iſto explicandi modo.*

moris,

motis, & agens vt ſic non attingit entitatem ipſius effectus ſecundum ſe, neque habet determinatam, & neceſſariam habitudinem ad illud, ſed ſemper dependentem à libera alterius voluntate. At verò ſacramenta cauſant per hoc quod Deus aſſumit illa, vt inſtrumentum, quo gratiam efficiat, ſicut artifex aſſumit ſerram, vel ſecurim ad faciendum ſcamnum. Et ſic hæc differentia verſatur inter cauſalitatem moralem & iſtam effectiuam, quia cauſalitas moralis antecedenter ſe habet ad effectum, productum, & ad motionem, qua Diuina voluntas executiuè producit ipſam gratiam vt patet in oratione B. Stephani reſpectu cōuerſionis & iuſtificationis D. Pauli: conuerſio enim illa & iuſtificatio habuit ſe quaſi cōſequenter & ſubordinatè ipſi orationi quæ fuit cauſa moralis & propter hoc non poteſt dici propriè loquendo inſtrumētum illius conuerſionis, quia actio inſtrumēti ſubſequitur motioni principalis agētis & illi ſubordinatur. Cùm igitur ſacramenta ſubordinantur actioni Dei non ſunt dicendæ cauſæ morales, neque cauſam inducendo, excitando, vel mouendo ſed ipſum effectum attingendo.

Notab. 2. ¶Secundò aduertunt, quòd gratia vti dicebamus in præcedente explicatione non creatur.

Notab. 3. ¶Tertiò aduertunt, quòd quanuis corporale non poſsit agere in ſpirituale virtute propria per modum cauſæ principalis, poteſt tamen virtute participata à ſuperiori agente per modum cauſæ inſtrumentalis, & ad hoc eſt exemplum in naturalibus, videmus enim quòd corpora naturalia producunt ſpecies intentionales in ſenſibus virtute luminis cæleſtis, & ſimiliter qualitates materiales producunt vt inſtrumenta animæ animas brutorum quoad ſubſtantiam, & ſimiliter ſecundum aliquos phantaſma ſenſibile & corporale vt ſubſtat lumini intellectus agentis immutat effectiuè intellectum poſſibilem producendo in eo ſpecies intelligibiles, ſimiliter ignis inferni cùm ſit corporalis, effectiuè tamen torquet ſpiritus, non ergo mirum eſt quod ſacramenta corporalia effectiuè producant ipſam gratiam, vt inſtrumenta Diuina per virtutem illis communicatam.

Notab. 4. ¶Quartò aduertunt, quòd iſta virtus ſacramentis communicata non eſt aliqua qualitas ipſis inhærens per modum permanentis, ſed per modum tranſeuntis, neque eſt aliud quā motio paſsiua, qua mouentur à Deo in ordine ad iſtum effectum gratiæ: ſicuti calamus ex hoc ipſo quod à perito ſcriba mouetur habet vim formatiuam characterum, ita ſacramentum ex hoc ipſo quod mouetur à Deo habet vim effectiuam gratiæ, ſine aliqua qualitate ſuperaddita.

Notabil. vltim. ¶Vltimò aduertunt, quòd de ratione inſtrumenti eſt, quod habeat aliquam actionē propriam & præuiam correſpondentem propriæ formæ. Et ratio huius eſt quia cauſa inſtrumentalis ſecundum Philoſophum pertinet ad genus cauſæ efficientis, de ratione autem efficientis eſt, quod habeat aliquā actionem. Vnde ſicut agens inſtrumentale ſubordinatur agenti principali, ita inſtrumentum debet habere actionem ſubordinatam actioni principalis agentis, & per conſequens debet habere actionem præuiam actione principalis agentis, aliàs vel nihil deſeruiret inſtrumentum, vel eius actio imò impertinenter omnino ſe haberet. Neque eſt neceſſarium, quod inſtrumentum inducat aliquam diſpoſitionem præuiam realiter diſtinctam ab effectu principalis agentis, ſed ſatis eſt quod determinet illius actionem ad certum, & determinatum ſubiectum, & ad certum, & determinatum effectum, & talis determinatio ſubiecti habet ſe per modū diſpoſitionis in ordine ad effectū principalis agētis. Quare in ſacramentis nō eſt neceſſariū aſsignare aliquid productum ab illis per modū diſpoſitionis, quod ſit diſtinctum à gratia, ſed ex hoc ſolùm dicitur gratia effici ab illis quia non producitur à Deo niſi per hoc quod ſubiectum determinatur, & immutatur mediante ſacramento ſecundum effectum gratiæ, & ſimiliter dicendum eſt de effectu tranſſubſtantiationis in ordine ad verba conſecrationis, non enim imaginandum eſt quod verba conſecrationis cauſent in pane aliquam qualitatem realem, qua mediante diſponatur panis ad tranſſubſtātiationem in corpus Chriſti, ſed immediatè producūt ipſam trāſſubſtantiationem inquantum ex motione, & determinatione Dei deſignant, & determinant ipſum panē, vt tranſſubſtantietur, & talis determinatio, & deſignatio conuenit ipſis verbis ex propria ratione ipſorum & quatenus ſubditur motioni Diuinæ induit rationē inſtrumenti reſpectu illius myſterij.

Vltima ſententia. ¶Vltima ſentētia eſt Doctoris pro cuius explicatione, & totius quæſtionis ſunt notāda nonnulla, quorum primū eſt quod circa iſtā

tia naturali præfuit in potentia naturali, ergo ſi gratia educitur de potentia obediētiali animæ præfuit in potentia naturali animæ. Cōſequens tamen falſum eſt, ergo. ¶ Et præterea, quia nihil naturalius animæ quàm obedire Deo agenti ſupernaturali, ergo nulla potentia eſt naturalior animæ quàm potentia obedientialis. Dicendum igitur eſt, (vt late dicemus in diſputationibus de gratia) iſtam ſupernaturalem qualitatem, quæ nobis infunditur à Deo, habere eſſe per creationem nullo ſuppoſito ſubiecto, ex quo fiat, vel ex quo educatur, licet præſupponatur ſubiectum in quo fiat, vel in quo producatur.

Notab. 4. ¶ Quarto eſt notandum, quòd inſtrumētum vt docet Doctor in 4.d.6.quæſt.5.litera D. dicitur multipliciter. Primo modo, omnis cauſa ſecunda reſpectu cauſæ primæ poteſt dici inſtrumentum. Secundo modo, omnis qualitas producta ab agente naturali pro ſubſtantia generanda, quatenus eſt alteratiua dicitur inſtrumentum. Tertio modo dicitur inſtrumentum organum, ſeu pars organica, iuxta quem modum doctor in 2.diſt.16.potentias animæ appellat inſtrumenta animæ. Quarto autem modo ſumitur inſtrumētum propriè pro re artificiali. Inter iſta autem inſtrumenta hæc eſt differentia vt docet doctor in 4 diſt.1.quæſt.5.litera F. quod inſtrumentum communiſsimè acceptum quale eſt inſtrumentum primo & ſecundo modo. Habet ſuam actiuitatem diſtinctam ab actiuitate principalis agentis. Inſtrumentum autem tertio modo dicitur cauſa actiua ad diſpoſitionem præuiam, non tamen reſpectu effectus producti, quia illud inſtrumentum non attingit effectum productum. Inſtrumentū autem quarto modo, vel artificiale non habet propriam actiuitatem ſecundum probabiliorem ſententiam, vt patet exemplo in ſecuri, & ſerra, quæ neque attingunt per ſe effectum productum, neque effectiue producunt aliquam diſpoſitionem, ad quam neceſſario ſequatur effectus productus. Et ratio huius eſt, nam ſerra ad ſcindendum non habet niſi quantitatem, figuram, & motum localem, certum autem eſt quod quantitas non eſt actiua, neque figura, neque motus, ergo ſerra non habet in ſe aliquod principium effectiuum ratione cuius dicatur habere actiuitatem: neque etiam durities poteſt poni ratio, quare effectiuè agat, quia ſi Deus de potentia abſoluta conſeruaret aliquod mole in eadem quantitate, & figura, mouendo illud æquè diuideret, ſicuti ſerra, & in illo moli non eſſet aliqua durities cauſa actiua illius ſectionis. Quare dicendum eſt, ideo ſerram ſcindere lignum, quia duo corpora non poſſunt eſſe ſimul in eodē loco naturaliter, propter in compoſsibilitatem formalem inter illa, & per conſequens vnum aliud expellit formaliter, agens autem, vel expellēs vnum corpus per aliud, effectiuè illud expellit, quod manifeſtè apparet in monetario, qui per ſigillum imprimit figuram, & tamen tale ſigillum non habet actiuitatem propriam reſpectu figuræ imprimendæ, ſed tantum expellit formaliter aliam & aliam partem, ad cuius expulſionem agens principale inducit figuram. Et ſic dicendum eſt ad rationem inſtrumenti phyſici nō eſſe neceſſariū, quod ipſum habeat actiuitatem propriam diſtinctam ab actiuitate principalis agentis, ſed tātum eſt neceſſarium quod habeat aliquid ratione cuius poſsit aſſumi vt inſtrumentū ab aliquo agente. Ex quo infertur quod quādo Doctor in 4. impugnat ſententiam D. Tho. circa cauſalitatem ſacramentorum dicens diſt.1.quæſt.5.ante literam A. Cōtra. Creatura non poteſt agere inſtrumentaliter ad terminum creationis ſecundū ipſummet tantum intendit improbare ſententiam D. Thomæ dicentis ad rationem inſtrumēti eſſe neceſſarium, quod habeat in ſe aliquod principium actiuum, cui reſpondeat aliqua operatio, tanquā propriæ formæ diſtincta ab operatione principalis agentis, etſi hoc eſt verū, cum ſecundum fere omnes expoſitores D. Thomæ antiquos gratia creetur implicat ſacramenta phyſicè concurrere inſtrumentaliter ad productionē gratiæ attingēdo ipſam, quia talis actio creaturæ debet eſſe circa aliquod ſubiectum, & creatio eſt productio entis ex nihilo nullo ſuppoſito ſubiecto, ex quo fiat, ergo implicat quod aliqua creatura poſsit agere circa nihil. Neque ſolutio (aliquorum Thomiſtarum dicentium, quod ſacramenta primo & per ſe efficiūt hominem gratum, & ſic ſatis eſſe quod attingāt ipſum hominem attingendo corpus licet non attingāt ipſam animam, vel ipſam gratiam, quia licet anima ſit inmediatum ſubiectum ipſius gratiæ, at verò immediatum ſubiectum eſſe grati eſt homo, & ſic effectiuè attingunt illud eſſe gratum non tamen gratiam) aliquid valet. Quia iſta ſolutio non euacuat difficultatem in ſentētia D.Tho. In primis queſtio

eſt an ſacramenta noſtra inſtrumentaliter cō currant ad productionem gratiæ, nō autē ad productionem hominis grati. Et ſecūdo quia quæſtio eſt de gratificatione quæ fit per ſacramenta, non autem de illa quæ poſſet fieri à Deo, ergo gratificatio, quæ fit per ſacramē ta & per gratiam ſi attingunt affectiue gratificatum, effectiue attingunt gratiam, nam nō poteſt aliquis attingere effectum formalem alicuius formæ non attingendo illam formā, ſicut non poteſt quis attingere dealbationem, non attingendo albedinem, ergo ſi noſtra ſacramenta effectiuè attingunt noſtram gratificationem effectiuè etiam attingunt ipſam gratiam, qua formaliter ſumus grati. Et tertio quia ſi ſacramenta habent talem virtutem actiuam reſpectu ſubiecti, & non reſpectu termini, vel illa virtus eſt perfectior termino producto, vel æquè perfecta, vel minus perfecta, ſi eſt minus perfecta, ergo non eſt inſtrumentum virtualiter continens ipſam gratiam productam, patet ſequella quia illud inſtrumentum non habet actionē connaturalem, & adæquatam ipſi gratiæ, ergo ex hoc quod aqua abluit corpus non eſt dicenda inſtrumentum gratiæ, quæ per baptiſmū producitur niſi intelligatur ad modum quo Doctor illam efficientiam ponit, ſcilicet, per ſubordinationem effectus ad effectum.

Noteb. 4. ¶Quarto eſt notandum cum Doctore vbi ſupra (ſcilicet Diſtin. 6. quæſt. 5.) quod inter inſtrumentum & cauſam ſecundam reſpectu effectus producti, hæc eſt differentia quod cauſa ſecunda, etiam quando non operatur, habet formam, quæ eſt ſibi ratio agendi ratione cuius dicitur conſtituta in actu primo ad operationem ante operationem. Et ſecundo talis ſecunda cauſa per illam formam licet ſubordinata agenti principali attingit effectum productum, at verò inſtrumentum quatenus inſtrumentum eſt non habet formam, quæ ſit ſibi ratio agendi ad operationē ante ipſam operationem. Et ratio huius eſt, quia inſtrumentum quandoque eſt actiuum vti contingit in qualitate alterante, quæ dicitur inſtrumentum ſubſtantiæ ad generandū ſubſtantiam, ſed talis qualitas alterans nō eſt inſtrumentum reſpectu alterationis, reſpectu cuius habet formam, quę ſit ſibi ratio agē di, ſed eſt inſtrumentum reſpectu ſubſtantiæ generandę, in ordine ad quam nullam habet actiuitatem, quia calor naturalis v.g. non attingit ipſam ſubſtantiam genitam, & ſic ante productionem ſubſtantiæ genitæ non habet aliquam propriam formam ratione cuius dicatur conſtitutus in actu primo, quæ antecedat ipſam operationem, quia tantum habet formam in ordine ad alteratum. Quod ſi autem aliquod inſtrumentum actiuum ſit, in hoc diſtinguitur à cauſa ſecunda, quia tale inſtrumentum nullam habet formam in eſſe quieto, ideſt conſtituentem illud in actu primo ante ipſum actū ſecundum, ſed tota eius forma conſiſtit in actuali motione, & operatione. Quare omnia inſtrumenta poſſunt reduci ad duplex genus inſtrumentorum, ſcilicet ad inſtrumentum naturæ, & ad inſtrumē tum artis, & illud genus inſtrumentorum poteſt etiam reduci ad triplex genus inſtrumentorum, quorum primum eſt illorum, quæ non attingunt immediatè, & proximè ipſum effectum principalis agentis ad quem vltimo ordinatur eorum actio, ſed tantum attingunt aliquem effectum, vel diſpoſitionem, quam efficiunt per actionem ſibi connaturalem, ex qua ſequitur effectus principalis agentis ſine noua actione ipſius inſtrumenti. Exemplum huius eſt in qualitate alterante reſpectu ſubſtantiæ generandæ, calor enim naturalis alterans materiam effectiuè præparat illam ad introductionem formæ carnis, non tamen producit ipſam carnem, licet ſit inſtrumentum ad illius productionem, ſecundum genus inſtrumentorum eſt illorum, quę proximè, & immediatè attingunt vltimum effectum principalis agentis, ita vt ipſa ſola inſtrumenta immediatè efficiant illam actionem, & principale agens nullam aliam actionem habeat proximè, & perſe, ſed ſolum quā efficit medio inſtrumento, vt conſtat in ſemine animalis, quod dicitur inſtrumentum hominis generātis, tertium autem genus inſtrumentorum eſt, quæ attingunt proximè & immediatè effectum & actionem principalis agentis, non tamen ipſa ſola inſtrumenta, ſed ſimul cum eis proximè & immediatè influit ipſum agens principale per propriam formam & virtutem ſuam: ſicut v.g. phantaſma dicitur inſtrumentum intellectus agentis ad productionem ſpeciei intelligibilis, quatenus intellectus agens cū phantaſmate producit ſpeciem intelligibilem. Hæc autē omnia inſtrumenta ſunt inſtrumenta naturalia, licet iſtud vltimum genus inſtrumentorum potius ſit dicenda cauſa ſecunda, quàm inſtrumentum. Inſtrumenta autem artificialia adhuc ſunt in multiplici differentia: quædam

enim ſunt quæ deſeruiunt ad defendendũ corpus, alia autem ad deferendũ corpus, & in varia loca diſtribuendũ, ſicuti calamus. Alia autem ad efficiendum per motũ, vel cõtactum vt inde reſultet ſonus, alia autẽ ad expellendum & ſic de alijs, in quibus reſultat effectus intentus ſine aliqua propria actione inſtrumẽti, vel ſine actione correſpondente propriæ formæ inſtrumẽti, quæ conſtitueret illud in actu primo ante propriã operationẽ, ſed totus effectus correſpõdet iſti inſtrumẽto prout ſubeſt motio ni principalis agẽtis, ita quod tota ratio agẽdi in inſtrumẽto eſt illa motio quà à principali agenti mouetur.

vltim. Notab. ¶Vltimo eſt notandũ quod inſtrumenta poſſunt cõſiderari, vel in ordine ad agens naturale, vel in ordine ad agẽs ſupernaturale, & ratio huius differentiæ eſt quia cũ inſtrumenta vt ſic totam ſuam actiuitatẽ habeant ab ipſa motione, qua mouẽtur ab agente principali cũ agens principale poſſit eſſe, & naturale & ſupernaturale, hinc prouenit, quod inſtrumentum & reſpiciat agẽs naturale & agẽs ſupernaturale. Ex quo infertur primo, quod cũ agens naturale ſit virtutis limitatę & determinatę, quod ipſũ inſtrumentum etiã ſit determinati modi & figuræ in ordine ad effectũ intẽtum à principali agẽti. Et ſic quis ſcribit calamo, & nõ malleo, & ſecat ſerra, & nõ calamo, quia virtus agẽtis principalis, cùm ſit limitata, operatur ſecundum quandã connexionem ſeu naturalem proportionẽ in ordine ad effectum producendũ at verò inſtrumenta in ordine ad agens ſupernaturale, cùm dicant ordinem ad virtutẽ illimitatam & infinitã, poſſunt moueri ſecundum beneplacitum ipſius agentis, & ſic Deus poteſt ſcribere malleo ſicuti calamo. Ex quo infertur ſecũdo quod ſicuti in malleo nõ eſt aliqua virtus actiua reſpectu ſcripturæ in ordine ad agẽs naturale & limitatũ, ita neq; in calamo ſed tantũ reperitur in calamo diſpoſitio ad deferendum artramentum, & diſtribuendũ in alia, & alia parte, & reſpectu huius calamus non eſt inſtrumentũ, ſed cauſa ſecunda. Ex quo infertur vltimò, quod ad rationẽ inſtrumẽti præciſam, & formalẽ tantũ requiritur, quod illud poſsit aſſumi ab agẽte principali, id eſt, quod illud tale poſsit recipere motionẽ agẽtis principalis in ordine ad effectum producendũ. Quare non eſt dicendum, quod inſtrumentũ prius ſit in actu primo quàm ſecundo, quia tota ratio inſtrumenti conſiſtit in actu ſecundo.

¶Prima concluſio: ſacramenta nouæ legis ſunt ſimpliciter cauſę inſtrumẽtales gratiæ quæ confertur per illa. Hæc concluſio cõmunis eſt apud omnes. *1. Conclu.*

¶Secunda cõcluſio: ſacramenta nouæ legis nõ ſunt cauſæ per accidens, vel ſine quibus non gratiæ quæ producitur. Hæc cõcluſio eſt contra Durandum, & Gabrielẽ hac D. quæſt. 4. & 5. & probatur quia ſacramẽta ſunt propriæ cauſæ inſtrumẽtales gratiæ, ſed cauſa per accidens, vel ſine qua non nõ eſt propriè cauſa, ergo. Probatur Minor quãdo nix infrigidat, nix eſt cauſa frigiditatis, non tamẽ albedo, quæ ineſt illi licet ſit cauſa per accidẽs in frigiditate, & quando ſtatuarius facit ſtatuã, nihil tefert an ſit albus neq; niger, licet per accidẽs cõcurrat albedo ad productionẽ ſtatuæ, & applicatio ignis ad lignum quæ cauſa eſt ſine qua non ad combuſtionem, nihil agit ad cõbuſtionẽ, ergo vt ſacramenta propriè cauſent gratiã, quia per ſacramenta mundamur & iuſtificamur, iuxta illud D. Pauli ad Titũ. 3. ſaluos nos fecit per lauacrũ regenerationis, ergo non ſunt dicẽda cauſa per accidẽs, vel ſine qua non. *2. Conclu.* *1. Probat.*

¶Secũdo, ſi ſacramenta eſſent cauſæ per accidens, vel ſine qua nõ, ita ſe haberent reſpectu gratiæ quæ producitur, ſicut ſe habet cognitio reſpectu amoris, ſed cognitio pro prieloquendo non cauſat amorem, cùm à ſola voluntate producatur, ergo neque ſacramenta propriè cauſarent gratiam. *2. Probat.*

¶Vltimo quia ſi ſacramenta eſſent cauſę ſine qua non, cur ſancti patres & concilia adeo fuerunt ſoliciti de modo cauſalitatis, qui erat in ſacramentis. *vltim. Proba.*

¶Tertia cõcluſio: ſacramẽta nouę legis nõ ex eo ſunt cauſa gratię quia cauſat diſpoſitionẽ ad illã in anima, quæ, vel ſit ornatus, vel character. Hæc cõcluſio probatur primo talis character, vel ornatus ſecundũ ſe, vel eſt forma naturalis, vel ſupernaturalis, ſi naturalis, ergo nõ eſt diſpoſitio ad gratiã, ſi ſupernaturalis, ergo, ęquè habet eſſe per creationẽ ſicuti ipſa gratia, & per cõſequẽs ſicuti ſacramenta nõ poſſunt attingere productionẽ gratiæ, quę habet eſſe per creationẽ, ita neque poſſunt attingere productionem characteris, vel ornatus, quia eſſe habent per creationẽ. Neque obſtat ſolutio quorumdam dicentium verſari differentiã *3. Conclu.* *1. Probat.* *Solutio.*

maxi-

maximam inter illum ornatum, & gratiã, quia ornatus ille non eſt forma principaliter intenta ab agente, ſicuti eſt gratia, & ſic non eſt inconueniens quod attingant productionem illius ornatus, & non productionẽ gratiæ. Contrà talis ornatus quo modocunque ſit eſt forma ſpiritualis non educibilis de potentia materiæ, ergo ſacramenta non poſſunt attingere illum ornatum etiam ſi ſit ſecundariò intentus.

Impugnatio.

4. Conclu. ¶Quarta concluſio. Sacramẽta nouæ legis non concurrunt ad productionem gratiæ attingendo illã tanquã inſtrumenta phyſica, ſi inſtrumentũ Phyſicum requirit actionem præuiam intentã ab agente diſtinctã à motione principalis agentis. Hęc cõcluſio eſt Doctoris in tota illa quæſt. 5. diſt. 1. in qua tantum probare intendit, quod inſtrumentum quatenus inſtrumentũ eſt non requirit aliquam actionem propriam correſpondentẽ propriæ formæ, ſiue illa forma cõueniat illis ex natura ſua ſiue infundatur à Deo, ſed tota cauſalitas inſtrumentorũ conſiſtit in moueri à principali agente. Et

1. Probatur. probatur prædicta concluſio. Si ſacramẽta habent aliquam virtutem quæ antecedenter ſe habeat ad motionem principalis agẽtis, vel illa eſt naturalis, vel ſupernaturalis, ſed neutrum horũ poteſt dici, ergo. Probatur minor: primo nõ poteſt eſſe naturalis, quia talis virtus naturalis debet habere operationẽ naturalem; operatio autẽ naturalis debet eſſe circa aliquid, gratia autẽ habet eſſe per creationẽ, & producitur ex nihilo, ergo per illam vitutem naturalẽ non poſſunt ſacramẽta attingere gratiã. Quòd ſi dicas quod poſſunt attingere illã per illam virtutem naturalem eleuatam: cõtra eleuatio non extrahit illam operationem à ratione accidentis, ergo illa operatio neceſſario requirit ſubiectũ circa quod operatur, ſed gratia nullo ſubiecto ex quo ſuppoſito producit, ergo. Neq; etiã poteſt eſſe virtus ſupernaturalis, nã talis ſupernaturalis virtus, quæ eſſet in ſacramẽto, vel eſſet tota in toto & tota in qualibet parte, vel extẽderetur ad extenſionẽ ipſius ſacramẽti, non primũ neque ſecundũ, ergo. Probatur minor, nã eſſe totã formam in toto, & totã in qualibet parte, ſolũ formæ rationali eſt conceſſum, & ſecundo forma ſupernaturalis non poteſt ſubijci in ſubiecto materiali, neque etiam ſecundum, quia forma ſupernaturalis non poteſt extendi, ergo.

¶Secundo quia nõ eſt ponenda pluralitas ſine neceſſitate, ſed talis virtus quæ antecedenter ſe habeat ad motionem principalis agentis non eſt neceſſaria, ergo neq; ponẽda. Probatur minor: ad rationem inſtrumenti ſatis eſt quod cauſet effectum intentum à principali agente, vel attingendo ipſum effectum productum, vel modificando actionem principalis agentis, ſed ad iſta non eſt neceſſaria aliqua virtus ſupernaturalis, quæ antecedenter ſe habeat ad motionem, ergo. *2. Probat.*

¶Vltimò: ſi talis virtus ſupernaturalis ponitur in ſacramentis maximè quia Deus indiget illa virtute vt poſsit vti ſacramẽtis vt inſtrumentis, ſed talis virtus ad hoc non eſt neceſſaria, ergo. Probatur minor: primo quia cùm illa virtus concurrat in genere cauſę efficiẽtis poteſt Deus ſupplere illam: ſecundo Deus eſt agens illimitatum, & infinitæ virtutis, ergo quacunq; re poteſt vti vt inſtrumento, ſed ſi eſſet neceſſaria aliqua virtus, quæ antecedenter ſe haberet ad motionem non poſſet vti quacunque re vt inſtrumento, ergo talis virtus ſiue naturalis ſiue ſupernaturalis, quæ antecedenter ſe habeat ad illam motionem nõ eſt neceſſaria in inſtrumẽto phyſico, & per cõſequens ſacramẽta nouæ legis reſpectu gratiæ, quam producunt non ſunt inſtrumenta phyſica hoc modo. *Vltim. Probatur.*

¶Quinta concluſio. Sacramẽta nouæ legis non ſunt inſtrumenta phyſica educentia gratiam de potentia obedientiali animæ. Hæc concluſio communis eſt apud omnes doctores antiquos, & fere apud omnes modernos, exceptis Caietano, & ſequacibus, & probatur: gratia non educit de potentia obedientiali animæ, ergo ſacramenta non educunt illam phyſicè de potentia obediẽtiali animæ. Probatur antecedẽs, gratia eſt habitus ſpiritualis, & donũ à Deo infuſũ; & ſupernaturalis virtus ſecundum ſuam entitatem, ergo habet eſſe per infuſionem, & productionem extrinſecam, nullũ præſupponens ſubiectum ex quo, quod autẽ educitur de potentia obedientiali aliquod præſupponit ſubiectum ad ſui productionem, ergo: ſecundo quia communis ſententia eſt quod gratia creatur, non ergo educitur de potentia obedientiali, & tertio quia ſi educitur de potentia obedientiali, ergo præfuit in potẽtia naturali, quarto quia ſi educitur de potentia obedientiali, ergo inter animam, *5. Concl. 1. Probat.*

animam,& gratiam eſt naturalis proportio ex natura animæ, & ex natura gratiæ, ideſt,ſecluſo quocunque extrinſeco, probatur ſequella, quia inter ſubiectũ, ex quo educitur forma,& ipſam formam eductam ex illo eſt naturalis proportio, ſed conſequens eſt falſum. Probatur minor: gratia & anima ſunt alterius, & alterius ordinis ex natura rei,ſed proportio eſt inter extrema eiuſdem ordinis,ergo inter extrema alterius & alterius ordinis non poteſt eſſe naturalis proportio. Confirmatur,quia ſi gratia educitur de potentia obedientiali animæ,ergo anima ex natura ſua appetitu naturali fertur in ipſam gratiam,patet ſequela, quia gratia eſt forma educta ab illa potentia, ergo illa potentia naturaliter fertur in illam tanquam in ſuam formam, conſequens eſt falſum. Si homo eſſet conditus in puris naturalibus non inclinaretur naturaliter in gratiam ſicuti neque in viſionẽ beatificam,ergo.

Solutio. ¶Quod ſi reſpondeas iſtud argumentum nihil concludere,quia etiam albedo educitur de potẽtia materiæ ipſius parietis, vel ſaltim formæ ſubſtãtiales irrationales educũtur de potẽtia materiæ,& tamẽ materia nõ inclinat naturaliter in illas formas ſubſtãtiales quatenus ſpecie diſtinguuntur vt habemus in diſpu. 1. ſuper primũ ſent. q. 7. ergo licet gratia educatur de potentia obedientiali animæ,non ex eo ſequitur inclinatio naturalis ad ipſam gratiã. Cõtra hãc ſolutionem eſt argumentum nam prædictũ argumentum tãtum facit contra ſententiã Caietani & Caietanus non fatetur potentiam neutram ſed vel inclinationem naturalem,vel reſiſtentiam naturalem, ergo ſi gratia educta de potentia obedientiali non dicit remittentiam naturalem,dicet inclinationem naturalem,& per conſequẽs anima in puris naturalibus cõdita naturaliter inclinabitur ad ipſam gratiam quod Caietanus non concedet.

Impugnatio.

6. Conclu. ¶Sexta concluſio. Sacramenta nouæ legis ſunt cauſæ morales efficientes gratiã. Hæc concluſio eſt Doctoris in 4. d. 1. quæſt. 5. in ſolutione ad primum primæ quæſtionis,& communis debet eſſe apud omnes doctores,& probatur ſic ſe habent ſacramenta reſpectu gratiæ,quæ nobis confertur per illa, ſicut ſe habet meritum reſpectu gloriæ, quæ nobis confertur per illud, ſed meritum eſt cauſa moralis efficiens gloriam, ergo & ſacramenta. Maior eſt doctoris ibi,minor autem probatur,cauſa moralis eſt,quæ mouet efficientem ad aliquid operandum,vel per conſilium,vel per preces, vel per pretium & aliquo alio modo morali,ſed merita mouent Deum ad conferendam gloriam,ergo ſunt cauſæ morales efficiẽtes gloriam. Minor eſt de fide,ergo.

1. Probat.

2. Probat. ¶Secundo. Sic ſe habent ſacramenta reſpectu gratiæ,ſicut ſe habet pretium applicatum reſpectu debiti ſoluendi, ſed pretium eſt cauſa moralis faciens ſolutionem, ergo & ſacramenta ſunt cauſæ morales efficientes gratiam.

3. Probat. ¶Tertiò. Sacramenta ſunt inſtrumenta Chriſti Domini in quantum redemptor, ſed Chriſtus Dominus in quantum redemptor fuit cauſa moralis principalis noſtræ ſalutis & gratiæ,ergo ſacramenta ſunt cauſæ inſtrumentales morales noſtræ ſalutis & gratiæ. Maior eſt manifeſta,& probatur minor, nam Chriſtus Dominus in quantũ redemptor operatus eſt noſtram ſalutem per modum meriti & ſatisfactionis,ſed modus meriti & ſatisfactionis eſt modus cauſæ moralis, ergo cùm Chriſtus Dominus vtatur ſacramentis tanquam inſtrumentis cauſæ moralis, ipſa ſacramenta erunt inſtrumenta moralia.

4. Probat. ¶Quartò. Chriſtus Dominus in quantum homo habuit poteſtatem excellentiæ ad inſtituenda ſacramenta,quibus virtus ſanguinis, & paſsionis eius nobis applicaretur, ſed Chriſtus Dominus in quantum homo non potuit inſtituere ſacramenta,vt eſſent inſtrumenta phyſica gratiæ, ergo inſtituit illa, vt eſſent inſtrumenta moralia. Probatur minor inſtituere ſacramenta vt ſint inſtrumenta phyſica gratiæ, ſolùm pertinet ad Chriſtum, quatenus eſt prima cauſa principalis phyſica gratiæ, ſed hoc conuenit Chriſto quatenus Deus eſt, & non quatenus homo, quia humanitas Chriſti ſolum inſtrumentaliter concurrit in genere phyſico, vt inſtrumentum coniunctum verbo ad cauſandum gratiã, ergo cùm ſint inſtrumẽta Chriſti Domini quatenus homo eſt,erunt vt ſic inſtrumenta moralia. Eſt tamen obiter aduertendum quòd an voluntas Dei ſit cauſa moralis,vel phyſica tantùm inter Thomiſtas non ſatis conſtat,Caietanus enim, & Soto tenent vtramque induere rationem,dicũtque Deum non ſolum eſſe cauſam phyſicã gra-

gratię, ſed etiam moralem, quia Deus libere vtitur ſacramentis, & cauſa moralis, & libera idem ſunt. Ex quo inferunt quod ſacramenta ſunt cauſæ inſtrumentales morales, non ſolum quatenus reſpiciunt volũtatẽ Chriſti Domini vt homo eſt, ſed etiã quatenus reſpiciunt voluntatem verbi Diuini, at verò magiſter Cano, & alij tenent ſacramenta eſſe tantum inſtrumenta moralia quatenus reſpiciunt voluntatem Chriſti Domini vt homo eſt, non autem quatenus reſpiciunt voluntatem verbi.

Vlt.cõclu. *1. Probatur.* ¶ Vltima concluſio. Sacramenta nouæ legis ſunt cauſæ inſtrumentales phyſicę reſpectu gratiæ, quæ per ipſa ſacramẽta producitur. Hæc cõcluſio colligitur ex doctore in illa diſt. & quæſt. Et probatur primo, quia ibi ſic ait, tenendo igitur, quòd inſtrumentum non eſt propriè actiuum, vbi reſoluit quæſtionem dicens: ex hoc patet quomodo ſacramenta poſſunt eſſe inſtrumẽta gratiæ, certiſſimum autem eſt quod ibi nõ loquitur de inſtrumento morali, ergo loquitur de inſtrumento phyſico. Secundò ſecundum doctorem in illa diſt. & quæſt. ad rationem inſtrumenti phyſici ſatis eſt, quod ſit ſuſceptiuum productiuum alicuius effectus prioris ordinati ad effectũ poſteriorem, ſed ſacramenta noſtra ſunt ſuſceptiua motionis Diuinæ in ordine ad producendam gratiam, quæ motio eſt effectus prior ordinatus ad effectum poſteriorem, ergo ſecundum doctorem erunt inſtrumẽta phyſica.

3. Probatur. ¶ Tertiò. Secundum doctorem ita ſe habẽt ſacramẽta reſpectu noſtræ iuſtificationis, ſicut ſe habet inciſio venæ reſpectu ſalutis acquirendæ in ſanguine miſſionis, ſed talis inciſio inſtrumentaliter & phyſicè concurrit reſpectu ſalutis, quatenus ab agente principali ſubordinatur, ergo & ſacramenta quatenus ſubordinantur à Deo in ordine ad gratiam phyſicè concurrent, vt inſtrumenta in ordine ad gratiam.

4. Probat. ¶ Quartò. Secundum doctorem ſi motio ſerræ eſſet proxima diſpoſitio ad inductionem alicuius formæ, & nõ ex natura ipſius motionis, ſed ex diſpoſitione ipſius agentis ſimul cooperantis, vel ſi daretur aliquod agens ita perfectum, quod per motionem ſerræ ſcriberet, vel depingeret, licet ſerra ex natura ſua non ſit inſtrumentum ad ſcribendum, vel depingendũ, quatenus ſubordinatur potentiæ & motioni illius agentis verè eſſet inſtrumentum illius ſcripturæ, ita quod poſſet peti ab illo agente, vt illam motionem ſerræ quæ ex natura ſua ſerrat & ſcindit, perficeret faciendo quod nõ ſcinderet, ſed ſcriberet. In hoc igitur caſu certũ eſt quod ſerra concurreret inſtrumẽtaliter phyſicè ad ſcripturam, quatenus mota, & non ſolum quatenus mota, ſed quatenus mota ab iſto agente, taliter tamen quod licet motio ſerræ abſolutè non ſit ex natura ſua diſpoſitio neceſſitans ad inducendam formam ſcripturæ, quatenus tamen ſubditur iſti agenti, eſt diſpoſitio immediata ad inductionem talis formæ, & vt ſic inſtrumentaliter & phyſicè concurrit, ergo licet ablutio ex natura ſua tantum habeat abluere corpus, quatenus autem ordinatur ab agente principali, nempè à Deo, & ſubditur motioni Diuinæ abluendo corpus, iuſtificat animam. (Ideſt) illa ablutio corporis, prout ſubordinatur motioni Diuinæ eſt proxima diſpoſitio ad producendã gratiam, ſed proxima diſpoſitio ad inductionẽ alicuius formæ eſt inſtrumentum phyſicũ agentis principalis reſpectu formæ quæ inducitur, ergo. Probatur iſta minor ex doctore diſt. illa quæſt. 4. litera D. vbi dicit, quòd ſit diſpoſitio neceſſitans ad formam habens rationem cauſæ actiuæ, & non ſit diſpoſitio habens rationem cauſæ receptiuæ, ſicuti eſt organizatio corporis, quaſi dicat duplex reperitur diſpoſitio in ordine ad aliquam formam, altera qua diſponitur ſubiectum, per quam, vel in qua recipitur forma, & talis pertinet ad cauſam materialem. Altera eſt diſpoſitio neceſſitans ad formam in ratione inſtrumenti, per quã agens operatur, ſicut v.g. calor naturalis & alimẽtum ſunt duo inſtrumenta animæ ad generationem carnis, & diſpoſitiones neceſſitãtes ad formam carnis, non materialiter, ſed effectiuè, ſed tales diſpoſitiones ſunt inſtrumenta phyſica, ergo cùm ſacramenta nouæ legis ſint diſpoſitio reſpectu gratiæ neceſſitans ad illam, quatenus ſuſcipiuntur, & nõ habent rationem ſuſceptiui, ergo habent rationem inſtrumenti phyſici. Patet ſequela, vt ſic non habent rationem inſtrumenti moralis, ergo phyſici.

¶ Quintò. Sic ſe habent ſacramenta ſecundum doctorem reſpectu gratiæ, ſicut ſe habet motio ſecuris, ſed non tantum ſecuris, ſed illa motio habet rationem inſtrumenti phyſici, ergo & ſacramenta. Maior eſt manifeſta, *5. Probatur.*

niſeſtã,& minor eſt doctoris illa diſtin. & quæſt. litera G.

6. Probat. ¶Sextò. Si aliqua ratione ſacramenta non poſſunt dici inſtrumenta phyſica in via doctoris, maximè quia ipſe docet litera Y. in hoc diſtingui ſacramenta noſtra à ſacramẽtis antiquis, quia ſacramenta noſtra cauſant gratiam tãquam ſignum efficax, illa autem veteris legis non (loquendo de ſacramẽtis, id eſt, de cęremonijs illius legis) & reddit rationem quare iſta ſit differẽtia diſtinctiua, quia non diſtinguntur per illud quod neutri illorum poteſt cõuenire, ſcilicet actiuè agere ad aliquid ſpirituale in anima, ſed iſta litera non excludit prædictam efficientiã, ergo. Probatur minor. Nam vt dicemus in 4. Ratio formalis ſacramenti eſt ſignificare, & per cõſequens penes diuerſum modum ſignificandi debet ſumi diuerſitas ſacramentorum, & cùm cæremoniæ legis veteris non ſignificarent gratiam efficaciter, quam noſtra ſignificant, ideo illæ cęremoniæ vt docet doctor illa diſt. quæſt. 6. litera K. non erant propriè ſacramenta, & ſic licet noſtra ſacramenta ſignificent gratiam, ratio formalis illorum ſumẽda eſt ex ſignificatione, & non ex hoc quod cauſent aliquid in anima. Reſpondetur quod ibi doctor loquitur de ſacramentis ex natura ſua, quæ vt ſic nihil poſſunt agere in anima, vel ſecundo reſpondetur iuxta ea, quæ docet doctor diſtinctione illa litera F. quòd non eſt neceſſarium ad rationem ſacramenti, ꝙ cauſet aliquid in anima, quia cùm ſacramentum ſit quædam diſpoſitio ad gratiam, ſatis eſt quod cauſet aliquid in ſuppoſito, in quo eſt ipſa gratia, quia quando diſpoſitio non eſt diſpoſitio ex natura rei, ſed in ordine ad agens voluntariè cauſans terminum, ſatis eſt quod diſpoſitio & forma ſint in eodem ſuppoſito, licet non ſint in eodem ſubiecto.

7. Probat. ¶Septimò, ſecundum doctorem. Virtus in ſacramentis nouæ legis eſt illa efficacia ſigni reſpectu ſignati: ita illa diſt. & quæſt. litera R. ſed talis efficacia ſigni non poteſt eſſe tantum moralis, ergo erit effectiua etiam. Probatur minor. Sacramenta nouæ legis ſignificant cauſando, ergo ſignificant efficienter.

¶Vltimò. Si aliqua ratione ſacramenta nõ ſunt inſtrumenta phyſica, maximè quia non attingunt gratiam productam, ſed hoc non obſtat ad rationem inſtrumenti, nam motus eſt cauſa termini, tamen non attingit terminum, ergo. Vlt. probatur. ¶Reſoluendo igitur quæſtionem dicendum eſt ſacramenta nouæ legis eſſe cauſas inſtrumentales morales gratiæ Chriſti Domini qui eſt cauſa moralis principalis, & eſſe cauſas inſtrumenta les phyſicas, licet effectiuè non attingant ipſam gratiam productam, neque aliquam diſpoſitionem ad illã, ſed ſicut motio ſerræ poteſt dici inſtrumentum phyſicum, & ſimul diſpoſitio, ita ſacramenta & ſuſceptio ſacramenti poteſt dici inſtrumentum phyſicum, & vltima diſpoſitio ad gratiam, quæ non ſe tenet per modum recipientis.

¶Ad argumenta autem pro tertia ſententia adducta facillime reſpondetur, quòd illa tãtum probant cauſalitatem moralem, non tamen improbant cauſalitatem phyſicam, nec eſt inconueniens aliquod vnum eſſe inſtrumẽtum phyſicum & morale, ſicut v. g. malleus aureus eſſet inſtrumentum phyſicum ad cõterẽdum vincula, quibus captiuus aliquis detineretur, & eſſet inſtrumentum morale, quatenus aureus eſſet, quia pretium redemptionis illius captiui in ſe habebat, ita ſacramenta noſtra & phyſicã, & moralem efficientiam habere poſſunt.

¶Ad ſecundũ reſpondetur concedendo maiorem, & negando minorem, & ad probationem reſpondetur, quòd paſsio Chriſti quanuis nõ maneat in re, manet tamẽ virtute, & hoc ſufficit ad rationem cauſalitatis inſtrumenti phyſici.

¶Ad tertium reſpondetur, quòd ſacramẽta ſunt cauſæ phyſicæ gratiæ per ſubordinationem effectus ad effectum vt latè explicatum eſt in corpore quæſtionis, & ſecundo poſſet reſponderi ſecundum nonnullos non implicare creaturam aſſumi vt inſtrumentum phyſicum etiam reſpectu gratiæ producendæ attingendo illam quia eũ non appareat repugnantia, & non ſit impoſsibile apud Deum omne verbum. Multa poteſt Deus facere, quæ non poteſt intellectus noſter percipere, & hæc de iſta quæſtione.

DISPV-

DISPVTATIO QVARTA DE CREATIONE CONTINET DUAS QUÆSTIONES.

Prima, Vtrùm aliquid à Deo potuerit ab æterno produci.
Secunda, Vtrùm entia ſucceſsiua, & corruptibilia potuerint eſſe ab æterno.

TEXTVS.

DICO de cauſa, quòd cauſa nõ cauſat inquantum præcedit effectũ duratione, ſed eſt cauſa, inquantum præcedit effectum natura, ſi igitur omnis cauſa pro illo inſtanti pro quo cauſat neceſſariò cauſat, & nulla contingenter, ergo omnis cauſa inquantum cauſat neceſſariò cauſat, & nulla contingenter diſt. 1. quæſt. 3. iuxta literam F.

EXPLICATIO LITERÆ.

DOctor in hac litera reſpondet ad illam quæſtionem, qua quærit vtrum potuerit aliqua creatura ab æterno produci, & quamuis ad argumenta pro vtraque ſententia reſpondeat, magis tamen inclinatur in partem affirmatiuam ex eo, quòd non innititur contradictio in iſtis terminis aliud à Deo, & eſſe ſempiternum. Et ſecũdò, quia rationes, quæ videntur probare contradictionem, ſunt ſpeciales de aliquo, & non probãt hoc de omni alio à Deo. Vt autem prædicta litera facilius intelligatur ſit quæſtio.

QVÆSTIO PRIMA.

¶*Vtrùm aliquid à Deo potuerit ab æterno produci.*

1. Argu. PRO parte negatiua eſt primum argumentũ. Nulla creatura eſt neceſſaria, ergo nulla creatura potuit eſſe ab æterno. Antecedens eſt manifeſtum, quia omnis creatura eſt producta à Deo, Deus autem nihil extra ſe producit neceſſariò, ſed voluntariè, & cõtingenter, vt omnes Theologi fatentur. Conſequentia probatur ex Ariſtot. 1. Periher. Omne quod eſt quãdo eſt neceſſe eſt eſſe, cùm igitur omnis creatura ſit contingens, ergo ſignandum eſt aliquod inſtans antequam ſit, in quo poſsit dici contingens ſiquidẽ quando eſt neceſſariò eſt, & per conſequens ſi datur aliquod inſtans temporis antequam ſit, ſequitur quod non eſt ab æterno.

¶Secũdò. Omnis creatura eſt facta à Deo, ergo recepit eſſe poſt non eſſe, & per conſequens ſignandum eſt aliquod inſtans tẽporis, in quo fuerit verum dicere creatura habuit non eſſe, & per conſequens ab æterno non potuit habere eſſe. Confirmatur ſi creatura creatur à Deo debet creari in vnico inſtanti fluente, ſed nullum inſtãs fluẽs poteſt eſſe ab æterno, ergo. Probatur maior. Si aliqua creatura crearetur in tẽpore, cùm tempus habeat priùs & poſteriùs, ſequeretur, quod priùs fieret quàm eſſet facta, etſi habet prius iam non eſt ab æterno. Probatur minor. Omne inſtans coexiſtit alicui tempori, ſed nullum tempus poteſt eſſe ab æterno, ſicut neq; aliquod ens ſucceſsiuum (vt dicetur dubio ſequenti) ergo neque inſtans. 2. Argu.

¶Tertiò. Si mũdus potuerit creari ab æterno, ſequeretur, quod modo eſſent tranſacti dies infiniti, ſed quolibet die poſſet Deus creare vnam animam, vel vnum Angelum, ergo poſſent modo dari infinitæ animæ, vel infiniti Angeli, ſed repugnat dari infiniti tum in actu, ergo. 3. Argu.

¶Pro explicatione huius quæſtionis eſt notandum primo, quòd doctor in hac quæſtione refert duas ſententias. Prima, quorũdam partem tenentium negatiuam, quam probãt rationibus ſupradictis, & aliis eiuſdem rationis, refert etiam ſententiam oppoſitam, tanquam communiorem, & probabiliorem, quam docet D. Thom. 1. 2. q. 46. art. 2. & Durãdus, & quàm plurimi alij hac diſt. 1. 1. Notab.

¶Secundò eſt notandum, nullo modo dubitandum eſſe reperiri in Deo ab æterno volun- 2. Notab.

voluntatem perfectam,& potentiā ad pro ducendum creaturas,quapropter, ſi creatura nō potuit ab æterno eſſe,talis impotētia non eſt refundenda in Deū,ſed in creaturā, nam quæcunque creatura(quantum eſt ex parte Dei)poteſt fieri ab æterno;ſiquidem omnis creatura à Deo producitur per voluntatē,quæ cùm non expectet diſcurſum intellectus,poteſt operari in inſtanti æterno,quòd fieri non poſſet,ſi Diuinus intellectus diſcurreret,quoniam cùm diſcurſus fiat in tempore,iam tempus præcedet volitionem,& ſic illa non eſſet æterna.

3.*Notab.* ¶Tertiò eſt notandum , quòd ſcientia Dei non eſt diſcurſiua,ita vt vnam rem poſt alteram cognoſcat , ſicut nos cognoſcimus, ſed vnico intuitu omnia Deus perfectè videt,nam cognoſcendo ſeipſum omnes creaturas cognoſcit in ipſo relucētes, ſiquidem omnes in ipſo habent eſſe , & in ipſo vita ſunt,iuxta illud Ioan.1.quod factum eſt in ipſo vita erat.

4.*Notab.* ¶Quartò eſt notandum,quòd creatura eſt in duplici differentia, quædam habet eſſe permanens,& fixum,vt angelus, anima rationalis,& cælum,quædam autē habet eſſe ſucceſsiuum,vt tempus,& motus, vel corruptibile,vt homo,& lapis.

Vlt. Notabil. ¶Vltimò eſt notandū,quòd præſens quæſtio in duplici ſenſu poteſt diſputari, primus eſt,vtrum creatura aliqua potuerit eſſe ab æterno,taliter quod ſui eſſe nō habuerit principium,aut cauſam:ſecundus ſenſus eſt,vtrum potuerit eſſe ab æterno, taliter, quod non habuerit principium ſuæ durationis,quanuis habuerit cauſam ſui eſſe.

Prima cōclufio. ¶Prima cōcluſio. Impoſsibile eſt aliquam creaturam poſſe fuiſſe ab æterno , taliter quod non fuerit facta à Deo. Hæc concluſio eſt de fide,& probatur Geneſ.1.In principio creauit Deus cælum , & terram : & Ioan.1.Omnia per ipſum facta ſunt,& probatur ratione: quia ſolus Deus poteſt eſſe per ſe ens,fons,& origo omnium rerū quæ participant rationem entis, ergo quodcunque aliud à Deo debet habere eſſe à Deo. Et præterea. Quia in cauſis eſſentialiter ſubordinatis non datur proceſſus in infinitum,ergo deueniendum eſt ad aliquam primam cauſam,quæ ſit cauſa aliorum. ¶Confirmatur ex Ariſtotele.12. metaphyſi. qui primam cauſam docet eſſe omniū cauſam, & D.Aug.lib.11.de ciuit.Dei ca.4. inquit non enim ſolæ propheticæ voces vetum & mundus ipſe ornatiſsima ſua mobilitate,& viſibilium omnium pulcherrima ſpecie,tacitus ſe factum eſſe à Deo proclamat, vniuerſaque eius membra pſallunt , quod inquit propheta,ipſe fecit uos & nō ipſi nos.

Primo probatur.

Secunda concluſio. Primo probatur. ¶Secunda concluſio. Fide credendum eſt mundum non fuiſſe ab æterno,ſed in temporis initio creatum fuiſſe. Hæc concluſio probatur,nam vt beatus Gregorius ſuper Ezechielem dicit,prophetauit Möyſes de præterito dicēs,In principio creauit Deus cælum & terram. Probatur etiam ex illo Prouer. 8. Dominus poſſedit me antequā quidquam faceret ab initio,& Ioan.17.Clarifica me pater claritate quam habui, antequam mundus fieret. Confirmatur,quia ante mundi creationē non fuit aliquis homo, qui de hac veritate poſſet teſtimonium ferre.

Tertia cōcluſio. Primo probatur. ¶Tertia concluſio:poſsibile fuit mundum, & quamlibet creaturam permanentem ab æterno produci à Deo. Hæc concluſio probatur,nam ſi aliqua impoſsibilitas daretur, vel eſſet ex parte agentis, vel ex parte rei productæ, non primum , quia cùm Deus omnipotens ſit, non eſt impoſsibile apud eum omne verbum,vt dicitur Lucæ. 1. neque etiam ex parte creaturæ,quoniam illa ante creationem nullum habet eſſe in ſe, ergo nullam habet repugnantiam.

Solutio. ¶Si dicas hanc repugnantiam eſſe ex parte modi faciendi , nempè quia repugnat creaturæ eſſe coæuam ſuæ cauſæ. *Replica.* Contra, multi effectus reperiuntur,qui ſunt coæui ſuis cauſis,ergo non repugnat creaturę eſſe ſuæ cauſæ coæuam. Antecedens probatur,nā ſtatim vt creatus fuit ſol cœpit illuminare,& ſimiliter ignis , vnde D.Aug.6. de Trinit.ſi ſol aut ignis eſſet æternus ab æterno illuminaſſet , & ſemper caleſeciſſet,aliàs enim nunquàm illuminaſſet , aut caleſaceret,quia poſt eius creationem non accreuit ei aliqua noua potētia,ergo ſimiliter dicendum eſt de prima cauſa,quod non repugnat habere effectum ſibi coæuū.Cōfirmatur ſi Deus operaretur ex neceſsitate naturæ poſſet habere effectum coæternū ſibi,vt omnes fatentur doctores ; ſed libertas,quam habet in operando non tollit,neque minuit eius omnipotentiam,ergo.

Reſpōdetur argumentis. ¶*Reſpondetur Argumentis.*

Ad primū argumen. ¶Ad primum concedendo antecedens,& negando ſequelam,& ad probationem dicitur,ꝙ illa propoſitio philoſophi (omne

 quod

quod eſt quando eſt neceſſe eſt eſſe) vera eſt in ſenſu compoſito, ſecus autem in ſenſu diuiſo, & ex natura extremorum.

Ad ſecundum arg. ¶Ad ſecundum reſpondetur negando ſequelam, de ijs enim tantum quę fiunt in tẽpore, verum eſt dicere, quod habent eſſe poſt non eſſe, at verò de his quæ fierent ab æterno licet fierent ab alio, ſcilicet, à Deo, nunquam tamen caruerint ſuo eſſe, neque etiam eſt neceſſarium ex natura creationis, vt res fiat poſtquam non fuit, ſed poteſt eſſe res ſuæ cauſæ coæua, vnde creatio (quæ eſt productio entis ex nihilo) non dicit ordinem termini à quo, ſed dicit ſolam negationem ſubiecti ex quo, vt ſit idem, quod non ex alio, tanquam ex materia. Ad confirmationem reſpondetur, quòd ſi aliqua creatura ab æterno crearetur in vnico inſtanti, tale inſtans non eſſet fluens, ſed permanens, quod appellaretur æuũ, quòd omni tempore coexiſteret.

Ad tertiũ argum. ¶Ad tertium reſpondetur negando quali-bet die poſſe Deum creare vnam animam, ita quod eſſent infinitæ & ratio huius eſt, quia infinitum non eſt producibile, quapropter, ſicut in quolibet inſtãti vnius horæ poſſet Deus producere vnam animam, vel vnum Angelum, non tamen in infinitis inſtantibus quæ ſunt in hora poteſt producere infinitas animas, nõ ob aliud, niſi quia infinitum non eſt poſsibile (quamuis ab aliquibus contrarium huius modo doceatur quod non eſt præſentis ſpeculationis) ſic quamuis eſſent dies infiniti non crearentur animæ infinitæ, quamuis philoſophi non negarent eſſe poſsibile dare infinitatem in accidentaliter ſubordinatis, cum Auicenna 6. Metaphy. cap. de cauſis.

QVÆSTIO II.

¶*Vtrùm entia ſucceſsiua, & corruptibilia potuerint eſſe ab æterno.*

1. Argu. PRO parte affirmatiua eſt primum argumentum, cælum potuit eſſe ab æterno, ergo & moueri ab æterno, ſed motus eſt ens ſucceſsiuũ, ergo entia ſucceſsiua potuerunt eſſe ab æterno. Probatur conſequentia, nam cælum ſtatim cùm fuit creatus habuit omnes ſuas cauſas motrices, quas modo habet. ¶Confirmatur. Si cælum ab æterno non potuit moueri, & potuit ab æterno eſſe, ergo neceſſarium fuiſſet ipſum qui euiſſe per tempus infinitum, quod videtur inconueniens, quia inſtãs primum quo cœpiſſet moueri diſtaret à creatione cæli diſtantia infinita.

¶Secundò. Si ignis eſſet æternus ab æterno poſſet calefacere, ſed calefactio eſt ens ſucceſsiuum, ergo etiam ſucceſsiua poſſunt eſſe ab ęterno. Probatur maior, quia ſtatim vt ignis habuit eſſe habuit eandem potentiam, & virtutem ad calefaciendum, quam modo habet, quoniam hæc virtus eſt ſibi naturalis, & non ab extrinſeco cõueniens. *2. Argu.*

¶Tertiò. Homo potuit creari ab æterno, ergo aliquod corruptibile potuit eſſe æternum. Antecedens patet, quia ſicut angelus, & anima poſſunt eſſe ab æterno, quia vtrũque habet eſſe per creationem, ita cùm homo poſsit ex nihilo creari, cùm non ſit aliqua repugnantia ex parte illius, poterit ſimiliter ab ęterno creari, & eſt ens corruptibile, & ſucceſsiuum, ergo aliquod corruptibile & ſucceſsiuũ potuit ab æterno creari. *3. Argu.*

¶Pro explicatione huius dubij eſt notandum primo, quod ens ſucceſsiuum (vt ſucceſsiuũ eſt) debet habere partes, quarũ vna alteri ſuccedat, vt patet in motu & tẽpore, quod cõmuniter diffinitur, vt ſit numerus motuum ſecundũ priùs & poſterius, propter quod implicat dari motum inſtantaneũ, & aliquid in inſtãti moueri, quia inſtãs non habet partes, quæ poſſent motum numerare. *Notab. 1.*

¶Secundò eſt notãdũ, eſſe implicationem contradictionis aliquam creaturam corruptibilem poſſe per tempus infinitum durare, quia ſequeretur, quod creatio illius præcederet per tẽpus infinitũ, eius corruptionẽ, ꝙ eſt cõtra naturã rei corruptibilis. *Notab. 2.*

¶Prima concluſio. Nulla generatio naturalis potuit eſſe ab æterno. Hæc cõcluſio probatur, nã ſi aliquo modo generatio poſſet eſſe æterna, maximè ponẽdo hominẽ creatum ab æterno cum virtute perfecta ad generandũ, ſed adhuc hoc poſito nõ poſſet generatio eſſe æterna, ergo. Probatur minor, ille homo creatus ab æterno aut prius fuiſſet, & poſtea genuiſſet, & hoc modo generatio nõ fuiſſet æterna. Aut non prius fuiſſet, quã genuiſſet, ſed ſtatim cum fuit genitus; & hoc fieri nõ potuit, quoniã agẽs per motũ neceſſariò præexiſtit termino motus, non ſolum natura, ſed duratione, & tẽpore, ſed generans agit per motum alterationis, *Prima cõcluſio. Primo probatur.*

tionis, cuius terminus intrinſecus eſt generatio, ergo generatio naturalis non potuit eſſe ab æterno.

Secunda concluſi. Primo probatur. ¶Secunda concluſio. Nullus motus potuit eſſe ab æterno. Hæc concluſio probatur, omnis motus cùm ſit ens ſucceſsiuum debet habere partē poſt partem, ergo in motu principium, medium, & terminus non poſſunt eſſe ſimul, & per conſequens, dato quod principium poſſet eſſe ab æterno, tamen medium, & terminus nō poſſunt eſſe æterna, quia debent diſtare à principio, aliàs motus non eſſet ens ſucceſsiuum.

Probatur ſecundo. ¶Secundò. Si aliquis motus eſſet æternus maximè motus cæli (ſi cælum ipſum eſſet æternum) ſed implicat talem motum eſſe æternum, ergo nullus motus poteſt eſſe æternus. Probatur minor. Prima reuolutio cæli, vel diſtat à ſecunda in infinitū, vel diſtantia finita, ſi diſtantia finita, ergo nullo modo motus potuit eſſe ab æterno, quia talis reuolutio non potuit eſſe æterna, cùm habuerit principium, & finem; ſi tamē anima diſtat in infinitum à ſecunda, hoc videtur inintelligibile, & ſimiliter ſequeretur, quod talis reuolutio non eſſet eiuſdem rationis cum reliquis, quæ durant tantū per ſpatium 24. horarum.

Tertia cōcluſio. Primo probatur. ¶Tertia concluſio. Nulla creatura materialis relicta ſua natura potuit ab æterno produci. Hæc concluſio ſic eſt intelligēda, poterat quidem Deus quamcunque creaturā materialem ab æterno creare, ſi illā vellet miraculoſè ſubſtentare tempore infinito, quod poſſet relicta tamen natura corruptibili in ſuo eſſe, & naturæ ſuæ non potuit ab æterno produci, quia ſi talis res quocunque tempore corrumperetur, ſemper eſſet verū dicere quod creatio rei præceſsit in tempus infinitum eius corruptionem, quod eſt contra naturam rei corruptibilis, vt corruptibilis eſt. Ex qua concluſione infertur quod nulla ſpecies rerū corruptibilium potuit eſſe ab æterno, quia ſpecies aliqua nullo modo poteſt produci, niſi in aliquo indiuiduo, ſed nullum eius indiuiduum potuit eſſe ab æterno. Maior probatur ex Philoſopho dicente quod ſpecies, & quodlibet vniuerſale nihil eſt præter ſingularia.

Reſpondetur argumentis. *¶Reſpondetur Argumentis.*

Ad primū argum. ¶Ad primum concedendo, ſi cælum eſſet ab æterno poſſe quidem incipere ab æterno, tamen tunc nulla eſſet in cælo ratio motus, quoniam de ratione motus cùm ſit ens ſucceſsiuum, & habeat partem poſt partē, non poſſet illi conuenire. Vnde quanuis prima pars motus potuerit eſſe ab æterno, non tamen eius terminus, qui complet rationem motus; eſſet igitur tūc motus cæli (quo inciperet moueri ab æterno) alterius rationis à motu iſto, quomodo mouetur. Quòd ſi de motu iſto intelligas, neganda eſt ſequela propter repugnantiam quæ reperitur inter hæc duo, habere partem poſt partem & eſſe ab æterno. ¶Ad cōfirmationem reſpondetur, quòd in tali caſu eſſet quies in cælo oppoſita motui, quo modo mouetur, non tamen eſſet quies oppoſita illi modo mouendi, quo cælum poſſet moueri. ¶Vel ſecundo reſpondeo, non eſſe inconueniens dari quietem ab æterno, nam quies habet rationem rei permanentis.

Ad ſecundū arg. ¶Ad ſecundum reſpondetur, quòd quia calliditas procedens ab igne non procedit ab illo per motum, ſed per ſimplicem emanationem, quia ibi nullus eſt motus localis, vel alterius rationis, & ſimiliter lumē quod procedit à ſole non procedit per motum ipſius ſolis. Hinc prouenit quod ſi ignis produceretur ab æterno poſſet producere ab æterno calorem, at verò quia calefactio dicit reſpectum ad ſubiectum, in quo recipitur, & quod fit calidum per motum alterationis. Ideo aliud eſt dicere quod potuit producere calorē ab æterno, & aliud, quod potuit producere calefactionē, calefactio autem (quia poſſet eſſe inſtantanea, & ſucceſsiua, quia ſtat ſubiectum eſſe vltimè diſpoſitum, vel non eſſe vltimè diſpoſitum) ideo ſi ignis produceretur ab æterno, & aliquod calefactibile vltimè diſpoſitum. Tūc non ſolum calor, ſed & calefactio potuit produci ab æterno, ſicut ſi ſol, & aer producerentur ab æterno poſſent lux & illuminatio ab æterno produci.

Ad tertiū argum. ¶Ad tertium reſpondetur, quod corruptibile manens corruptibile non potuit ab æterno produci, & per conſequens, neque homo vt corruptibilis eſt, poſſet tamen Deus de potentia abſoluta producere hominem incorruptibilem, & tunc illum ab æterno producere, & per hæc ſatis patet ad prædictas duas difficultates, vt de illis aliqualis habeatur notitia, cum earum diſputatio ad 8. phyſic. pertineat. Hactenus de Creatione.

DISPVTATIO QVINTA
DE SVBSTANTIA ANGELORVM
continet ſex quæſtiones.

Prima, Vtrùm Angelus ſit compoſitus ex materia & forma.
Secunda, Vtrùm eſſe, & eſſentia realiter diſtinguantur, an vero formaliter.
Tertia, Vtrùm ſuppoſitum ſuprà naturam addat aliquam entitatem realem ab ipſa realiter diſtinctam.
Quarta, Vtrùm de potentia Dei abſoluta poſſit Deus plures Angelos creare in eadem ſpecie?
Quinta, Vtrùm natura angelica ſit corruptibilis?
Sexta, Vtrùm principium indiuiduationis in materialibus rebus creatis ſit aliqua entitas poſitiua determinans ipſam naturam?

TEXTVS.

DICO igitur quod omnis natura, quæ non eſt de ſe actus purus poteſt illam realitatem ſecundùm quam eſt natura eſſe potentialis ad realitatem illam quâ eſt hæc natura. Diſt. 3. q. 7. litera B.

EXPLICATIO LITERÆ.

POſtquã in præcedẽtibus actũ ſit, de his, quæ pertinent ad creationẽ actiuam, quatenus creatio actiua non tantum dicit actionem diuinæ voluntatis, ſed etiam reſpectum rationis ad creaturam, pro vt habet eſſe reale productum ex nihilo: Impræſentiarum agendũ eſt de termino iſtius actionis, & fundamento relationis, quæ dicitur creatio paſsiua. Et quia (iuxta illud quod habetur in capit. firmiter de ſumma Trinitate, & fid. catho) duplex eſt creatura, quam Deus ab initio temporis ſimul cõdidit, iuxta illud Eccle. 18. qui viuit in æternum creauit omnia ſimul, tam ſcilicet ſpiritualia, quàm corporalia: angelicam enim naturam, & humanam, cum natura angelica præſtantior ſit natura humana, iuxta illud Pſalm. 8. minuiſti eum paulominus ab Angelis, operæpretium erit, prius (poſt diſputationem de Deo) naturam Angelorũ diſputare, quam aliarum rerum creatarum diſputationem incipere, vt autem in hac diſputatione facilius procedamus, ſupponendum eſt primò, ſecundum ſacram ſcripturam, eſſe Angelos in rerũ natura, quicquid ex Philoſophis colligatur, iuxta illud Ariſtot. 4. phyſ. tex. 52. & 57. quos reijcit, ibi ipſe Ariſt. ſed vt colligitur ex capit. firmiter, nulli ex catholicis poteſt in dubium verti an ſint Angeli in rerum natura.

¶Secundo eſt aduertendum quod nomen, Angelus, non eſt nomen naturæ, ſed officij, iuxta illud D. Ambroſij ſuper illud ad Hebręos. 1. qui facit Angelos ſuos ſpiritus, vbi ſic ait, ſi nomen quæris officij Angelus eſt; ſi vero naturæ, ſpiritus eſt, & D. Auguſtin. ſuper Pſalm. 103. ſerm. 1. & lib. 16. contra Fauſtum cap. 20. & 18. de ciuitate cap. 35. Vnde illa verba, qui facit Angelos ſuos ſpiritus, ſic ſunt intelligenda, qui facit ſpiritus ſuos Angelos, id eſt, nũtios. Et propter hoc homines iuſti, qui diuinam voluntatem annunciant, dicuntur Angeli, vt docet D. Auguſti. hom. 2. in Apocalyp. & D. Ambroſ. vbi ſupra, & ob hoc D. Ioãnes Baptiſta appellatur Angelus, iuxta illud Matthæi. 11. ecce ego mitto Angelum meum quandoque etiam ſacerdotes dicuntur Angeli in ſcriptura, iuxta illud Malachiæ 2. legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt, & loquitur de ſacerdote. Et D. Paulus præcipit mulieribus cooperto capite eſſe in Eccleſia propter Angelos; id eſt propter ſacerdotes, ſiue Eccleſiæ miniſtros. Quandoque enim Angelus dicitur de homine iuſto, vt D. Auguſti. aduertit 8: de ciuitate Dei cap. 13. & 9. capit. vltimo, vbi explicat illud Pſalm. 49. Deus deorum Dominus loquutus eſt, id eſt Deus Angelorum, ſiue iuſtorum. ¶Quãdoque etiam nomen Angelus dicitur de homine malo, & ſic explicat Theodoretus illud D. Pauli 2. ad Corint. 12. datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus ſatanæ, ſed quando dicitur de homine malo, non dicitur ſimpliciter Angelus, ſed Angelus ſatanæ. ¶Quandoque etjam Angelus ſecũdum Philoſophos ſi erat inferior dicebatur dæmõ, id eſt ſciẽs, ſi autem ſuperior appellabatur Deus, iuxta illud, quod ſcribit Apuleius de Deo Socratis, id eſt de Angelo Socratis, vt docet D. Auguſtinus lib. 8. ciuitate cap. 13. *Notab. 2.*

¶Ter-

¶Tertiò eſt notandum, quod quanuis nomen Angelus, nomen ſit officij, etiam ſumitur à Doctoribus Scholaſticis ad ſignificandum naturam Angelorũ, propter quod D. Dionyſius explicans quid ſit Angelus, dicit eſſe imaginem Dei, manifeſtationem occulti luminis, ſpeculum purum ſplendidiſsimum, & in hac ſignificatione Angelus ſignificat naturam quãdam intellectualem, optima mente prædità, ab humano conſortio ſeiotam, & corporeitatis prorſus expertem, vnde idem eſt dicere Angelus impræſentiarum, quod ſubſtantias perfectas, & ſpirituales, inter omnes creaturas naturali dignitate præſtantes.

¶Vltimò eſt aduertendum, quod ſumendo nomen. Angelus, in hac ſignificatione vltima, de fide eſt, eſſe Angelos in rerum natura; quia colligitur prædicta veritas ex quã plurimis locis ſacræ Scripturæ. Ita Luc. 1. miſſus eſt Angelus Gabriel, & Matth. 1. Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph. & Matth. 7. Angeli eorum ſemper vident faciem patris, & in veteri teſtamento, præcipuè in Prophetis communis mẽtio ſit de Angelis, & in Apocaly. Quare Actorum. 23. dicitur hæreſim Saduceorũ negare eſſe Angelos in rerum natura Imò non deſunt, qui doceant cum Marſilio in. 2. quæſt. 2. art. 1. conclu. 1. non ſolum de fide probari eſſe Angelos in rerum natura; verum etiam naturali ratione poſſe cognoſci de qua re videndus eſt Auguſt. Eugubin lib. 6. de peremni philoſophia vbi multa colligit teſtimonia Philoſophorum, quibus confirmatur Angelos eſſe: quæ veritas poteſt probari experientia illa communi hominum dæmoniacorum, qui à Dæmonibus agitati occulta manifeſtant, latine loquuntur, & multa faciunt, quæ abſque tali agitatione eſſent ſibi impoſsibilia.

¶His igitur ſic prælibatis pro introductione omnium diſputationum circa naturam Angelorum Doctor in præſenti litera ponit modũ quo natura angelica habet ſuam compoſitionem ex realitate, & realitate, quarum altera habet eſſe potentiale & altera actuale, vt autem præſens litera & doctrina facilius intelligatur. Sit quæſtio prima.

QVÆSTIO PRIMA.

¶Vtrùm Angelus ſit compoſitus ex materia & forma.

De hac re eſt prima ſententia Bonauẽt. in. 2. diſt. 3. quæſt. 1. ante num. 7. aſſerentis naturã angelicam eſſe compoſitã ex diuerſis naturis, & quod illæ duæ naturæ ſe habent per modum actualis & poſsibilis, & ita materiæ & formæ; & ideo ꝙ illa poſitio videtur eſſe verior, ſcilicet, quod in Angelo ſit compoſitio ex materia & forma. Hanc ſententiam probat primo in principio quæſtionis, quia nullũ mutabile eſt ſimplex, ſed Angelus de ſua natura eſt mutabilis, & mutatur, ergo habet compoſitionem. Tunc ſic cuicumque ineſt mutatio ineſt principium mutabilitatis, ſed principium mutabilitatis eſt materia, ergo. Maior eſt manifeſta, & minor probatur ex. D. Aug. 12. cõfeſsionũ, & ex Boetio lib. 1. de Trinit. vbi dicit, nihil quod eſt mere forma, accidentibus poteſt ſubijci. 1. *Sẽtẽtia D Bonau.*

¶Secundò. Nihil idem, & ſecundum idem agit, & patitur, ſed Angelus idẽ agit, & patitur, ergo habet aliud, & aliud principium ſecundum quod agit, & ſecundum quod patitur, ſed principium ſecundum quod agit, eſt forma, & principium ſecudum quod patitur, eſt materia, ergo in Angelo eſt compoſitio formæ & materiæ.

¶Tertiò. Omnis diſtinctio ſecũdum numerum, venit à principio intrinſeco & ſubſtantiali (quia omnibus accidentibus circumſcriptis differentiæ numero ſunt diuerſæ) ſed non venit à forma, ergo venit à principio materiali. Maior eſt manifeſta. Minor probatur per Philoſophum, qui dicit lib. de cælo & mundo, cum dico cælum dico formã, cum dico hoc cælum dico materiam.

¶Quartò. Oſtẽditur per naturam eſſentialis compoſitionis. Angelus enim definitur, & ita participat naturam generis, & differentiæ; naturam in qua conuenit cum alijs, & naturam, in qua differt ab alijs, ergo cum neceſſe ſit totam veritatem definitionis realiter inueniri in quolibet Angelo, neceſſe eſt in eo ponere naturarum diuerſitatem, ſed impoſsibile eſt plures naturas concurrere ad conſtitutionem tertij, quin altera habeat rationem poſsibilis, altera rationem actualis, quia ex duobus entibus in potentia nihil fit, ſimiliter nec ex duobus entibus in actu ergo.

¶Secũda ſententia eſt Durandi in 2. diſt. 3. quæſt. 1. aſſerentis Angelum non eſſe compoſitum ex genere & differentia. Probat 2. *Sententia Durã.*

autem ſuam ſententiam, quia Angelus eſt ſubſtantia ſimplex, ergo non habet vnde ſumantur genus, & differentia.

¶Secundò. Nam ſecundum D.Tho.7. Metaphy.lect.11.& de ente & eſſentia cap.5. &.3.de anima lect.8.ſuper tex. 9. in rebus ſpiritualibus ſuppoſitum & natura non diſtinguuntur,ſed natura angelica non eſt cõpoſita,ergo nec ſuppoſitum.

3.Sententia Marſi. ¶Tertia ſententia eſt Marſilij in. 2. quæſt. 2 art.1.aſſerentis Agelum nullo modo eſſe compoſitum ex partibus diuerſarum rationum ſiue tales partes appellentur forma & materia,ſiue actus & potentia, ſiue eſſe & eſſentia.

4.Sententia communis. ¶Vltima ſententia communis eſt quam etiam docet D.Tho.1.part.quæſt. 50. art. 2.Pro cuius explicatione, & totius quæſtionis eſt primo notandum quod ſi D. Bonauent.quæſt.citata,& quæſt. ſequenti attente legatur,non aſſerit aliquid contrariũ communi ſententiæ,ſed illam explicat, & iuxta illam multa loca ſanctorum Patrum, quæ videntur dicere,in Angelis eſſe materiam,vnde D.Bonauentura incipit quæſtionem ſuam ſecundam dicens,dato quod Angelus habeat compoſitionem ex materia & forma,largo ſumpto nomine materiæ ; ad omne potentiale, quod cum alia venit ad conſtitutionem tanquam fundamẽtum rei.

¶Secundo eſt notandum maximam eſſe differentiam inter Scotiſtas, & Thomiſtas nam.Thomiſtæ aſſerunt, eſſentiam rei non habere ſuam actualitatem ab exiſtentia; quanuis fateantur,quod quæcumque quidditas,vel natura,quantumcumque ſecundũ rationem quidditatiuam ſit actualis, relata tamen ad eſſe,habet rationem potentiæ,ſapientia nanque,& bonitas, actuantur per hoc quod eſt eſſe;& ſimiliter humanitas; & idcircò eſſe eſt actualitas cuiuſcumque formæ,& nulla natura ſignificatur in actu vltimato, niſi pro vt ſignificatur eſſe in actu exercito. At vero ſecundum Doctorem; exiẽſtia adeo intrinſece includitur in eſſe reali; vt implicet aliquid habere eſſe reale abſque actuali exiſtentia,vnde maxime decipiuntur qui dicunt, eſſentiam creatam intrinſece conſtitui ineſſe entitatis actualis, non per exiſtentiam ipſam, ſed per habitudinem ad exiſtentiam,ſeu per capacitatem exiſtentiæ.Dicunt enim iſti;rem,eſſe entitatem actualem,nihil aliud eſſe, quam eſſe proxime capacem exiſtentiæ, taliter quod exiſtentia ipſa eſt conditio quædam, ſiue vltimus quidam terminus,& actus illius entitatis,ſiue capacitatis.Sed hoc videtur inuoluere quandã cõtradictionem,nam eſſentia(vt præſcindit ab actuali exiſtentia) tantum dicit eſſe obiectiuum, quod in ordine ad eſſe reale eſt purum potentiale, nihil habens actualitatis, & per exiſtentiam realiter conſtituitur in rerum natura extra ſuas cauſas,& extra nihil. Ex quo infertur quod eſſentia, & exiſtentia extra Deum, nõ ſunt duæ entitates reales realiter diſtinctæ;ſed eſt eadem res, pro vt obiectiue eſt plures,ideſt ex eo quod intellectus concipit iſtam rem ſub ratione quidditatis, dicitur eſſentia:ex eo autem quod intellectus concipit eamdem rem,vt actualiter exiſtentem,dicitur exiſtentia. Ex quo infertur ſecundo quod exiſtentia & eſſentia, potius ſunt duæ rationes conceptibiles de eadem re,quã duę realitates, vel duę entitates. Pro hoc corollario vide quæ Doctor docet in. 1.diſtinct.8.quæſt.3.lit. I. prope medium.

¶Tertiò eſt notandum hanc eſſe differentiã inter exiſtentiam Dei, & exiſtentiam aliarum rerum,nam exiſtentia Dei ita eſt,de intrinſeca ratione naturæ diuinæ, quod implicat intelligere naturam diuinam, non intelligendo illam exiſtentem,& ſic exiſtentia includeretur in definitione eſſentiæ diuinæ,ſi eſſentia eſſet definibilis: at vero in reliquis entibus,exiſtentia eſt primum prędicatum accidentale, id eſt non quidditatiuum,quia ad rationem quidditatiuam,ſatis ſunt ea quæ pertinent ad neceſſariam connexionem,inter ſubiectum & prædicatum,& omnia,quæ ad iſtam neceſſariam cõnexionem non ſunt neceſſaria, dicuntur accidentia,& horum eſt exiſtentia,quia quidditas rei creatæ abſtrahit ab actuali exiſtentia.

¶Vltimò eſt notandum quòd aliter reperitur compoſitio in rebus materialibus,aliter vero in ſpiritualibus, ſiue in angelis. Nam in rebus materialibus,ſumitur a materia,& forma;quæ ſunt duæ entitates realiter diſtinctæ,at vero in Angelis ſumitur ab eadẽ natura ſecundum quod ſecundum ſeipſam habet rationem determinabilis,& determinantis:& ratio huius eſt quia in Angelis nõ reperiuntur duę entitates realiter diſtinctę quarum altera ſit (ſpiritualis) veluti materia illorum & altera ſit quæ contrahat & & determinet illam ſpiritualitatem, & ſit veluti

veluti forma;ſed ipſa natura angelica ſecundum ſeipſam tenet determinatum gradum in entibus: quod non contingit in natura materiali, materia enim prima nullum gradum entis determinat, ſed eſt in potẽtia ad omnia entia, determinatur tamen ad tale, vel tale ens, per talem, vel talem formam. At vero natura ſpiritualis (qualis eſt angelica) non ſolum continet quidquid ſibi commune eſt cum alijs (nempe vna ſpecies angelica, non ſolum continet naturam ſpiritualem in qua cum alijs conuenit) ſed præterea continet determinatum gradum: & iſta duo non ſunt duæ res, quales ſunt materia & forma in compoſito matariali: Sed vna eadem res, taliter determinata ſicut. v. g. anima ſenſitiua & rationalis in homine non ſunt duæ animæ neque duæ res, ſed vna ex qua poteſt intellectus formare diuerſos cõceptus, quorum vnus (nempe cõceptus ſenſitiuæ) includit id quod multis eſt commune; & alius includit gradum (nempe rationalitatem) quo ab alijs ſub illo communi diſtinguitur, vltimo tamẽ intellectus format conceptum vtriuſque, ideſt vtranque complectens perfectionem, qui conceptus eſt

1. Coroll. totius naturæ ſpecificæ. ¶ Ex quo infertur quod non eodem modo ſumitur ratio generis, & ratio differentiæ in rebus ſpiritualibus, & in rebus materialibus: nam in rebus materialibus, duo reperiuntur, à quibus ſumitur ratio generis, & ratio differentiæ. Iſtorum enim duorum alterum dicitur proximum, alterum vero remotum. v g. in natura humana duo reperiuntur, à quibus ſumitur ratio generis, & ſimiliter ratio differentiæ, quorum alterum eſt proximum, alterum remotum. Proximum eſt ipſa natura humana, quatenus concipitur conceptu naturæ ſenſitiuæ, in quo conceptu conuenit cum natura equina, & alijs. Remotum autem eſt materia prima, ex qua cum formarationali componitur natura humana. Dicitur autem remotum quia licet materia prima ſimul informetur forma rationali; & quatenus eſt vegetatiua, & quatenus ſenſitiua, & quatenus rationalis, nihilominus tamen ordine quodam, à forma rationali recipit perfectiones formæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ; taliter quòd materia prima cõcepta per modum recipientis eſſe vegetatiuum, concipitur vt potentia ad eſſe ſenſitiuum, perfectibiliſque per ipſum, & materia prima concepta per modum recipientis eſſe ſenſitiuum, concipitur vt potentia perfectibilis per rationalitatẽ: & propter hoc quia ſemper materia in ordine ad vltimam perfectionem, quam tribuit illi forma, dicitur potentia, & determinabilis, ideo ab ipſa ſumitur ratio generis, licet remote. Alia autẽ duo ſunt, à quibus ſumitur ratio differẽtiæ, alterũ proximũ alterũ remotũ, proximum eſt ipſa natura ſpecifica. v. g. humanitas, quæ cũ vna entitas ſit, concipitur vt ſenſitiua, cõcipitur etiã vt rationalis, & totũ hoc, ſcilicet, animal rationale, ſignificat illã entitatẽ realẽ, quę eſt humanitas, alio, & alio cõceptu, ſcilicet, & quatenus ſenſitiua & quatenus rationalis, & quatenus ſenſitiua rationalis. Quatenus ſenſitiua fundat cõceptũ generis, quatenus rationalis conceptũ differẽtiæ, quatenus ſenſitiua rationalis conceptũ ſpeciei; vnde quãuis vna res ſit haber tamen in ſe, à quo proxime poſsit ſumi ratio generis, & ſimiliter ratio differentiæ. Remotũ autẽ à quo ratio generis ſumitur, eſt forma rationalis, quatenus cõſtituit mateiiã primã in vltimo eſſe & cõplemẽto. At vero in rebus ſpiritualibus, in quibus non eſt materia & forma realiter diſtincta, tota ratio generis & differentiæ ſumitur ab ipſa natura ſpecifica, quatenus alio, & alio cõceptu cõcipitur, vti de natura materiali dictum eſt.

¶ Ex prædictis infertur ſecũda ratio, quare licet perſona diuina cõcipiatur alio, & alio cõceptu, ſcilicet, & vt eſſentia, & vt relata, & vt eſſentia relata, non tamen habet in ſe vnde poſsit ſumi ratio generis, & ratio differentiæ quia nihil reperitur in perſona diuina, quod cõcipiatur vt potẽtia, nec vt perfectibile, & ob hoc, licet in diuinis reperiatur cõſtitutio, nullo tamẽ modo reperitur compoſitio, nec quaſi compoſitio. **2. Coroll.**

¶ Prima concluſio Angeli ſunt cõpoſiti, nõ cõpoſitione materiæ, & formæ, ſed cõpoſitione actus. & potẽtiæ; eſſe, & eſſentiæ; generis, & differẽtiæ. Hæc cõcluſio (quæ communis eſt Scotiſtis & Thomiſtis) quinque cõtinet partes, quarũ prima eſt cõtra Marſiliũ (qui ſi pie interpretetur prædictã etiam docet ſententiã, vt in concluſione ſecunda patebit) & probatur, quia Angeli non ſunt ſubſtantiæ ſimpliciter ſimplices, nec actus puri ergo habent annexã & intrinſecã potentialitatẽ, ergo ſunt cõpoſiti. Antecedens eſt manifeſtũ, quia eſſe actũ purũ ſoli Deo conuenit, taliter quod formæ accidentales, & ſpecies accidentium, vt colligitur ex **Prima cõcluſio.**

Doct. 8.Meta.q. 1.ex.1.d.2.q.7.infra literā H.H. vbi dicitur; ſi daretur albedo quæ eſſet ſpecies ſimplex nō habēs in ſe duas naturas,&c.Secūda autē, & reliquæ partes cōcluſionis probātur quia in Angelis non eſt materia,proprie loquēdo,vt ipſe D. Bona. fatetur,ſed tātū eſt materia(vt materia dicitur de quocūq; potētiali),ergo nec in Angelis eſt cōpoſitio formæ,& materiæ. ¶ Præterea eſſentia Angeli in ordine ad exiſtētiā eſt in potentia ad illā,ergo cū Angelus habeat eſſentiā exiſtētē,imo ſit eſſentia exiſtēs,erit cōpoſitus eſſentia,& exiſtētia.Cōfirmatur.Quia quãuis quæcūque natura ſecūdū ſe cōſiderata,habeat rationē actus, inordine tamen ad exiſtētiā, habet rationem potētiæ,quia nulla natura (præter diuinā) eſt ſuum eſſe,& ſuum exiſtere. Vltima autē pars probatur, quia Angelus eſt in determinato genere,ergo cōſtat ex genere,& differētia. Patet ſequela quia certiſsimū eſt nō eſſe genus ſupremū, & per cōſequens ſi in genere eſt,erit in genere ſubalterno. Cōfirmatur.Angelus definitur ergo conſtat genere & differentia.

Secunda concluſio. ¶Secunda cōcluſio. Angelus eſt cōpoſitus ex duabus realitatibus & ab vna ſumitur ratio generis ab alia autē ratio differētię,vide pro hoc doctorē in 1.diſtin.8.q. 3. lit. Y.& quæſtionem ſequentem.

Tertia concluſio. ¶Tertia concluſio. Si materia ſumatur pro omni illo ꝙ habet rationē potētiæ, Angeli ſunt cōpoſiti ex materia & forma.Hæc cōcluſio ab omnibus debet cōcedi,& iuxta eā intelligēda eſt ſententia D.Bonauē.& Alex. Alenſ.

¶Ad argumēta autē pro prima ſentētia reſpōdetur.Ad primū,ꝙ Angeli ſunt mutabiles ſecūdū perfectiones accidentales, & ſic habēt cōpoſitionē nō ſolum ex eſſentia & exiſtētia,ſed etiā ex ſubiecto & accidente, quia intellectio,& volitio perficiūt intellectū & volūtatē Angeli,& per cōſequēs intellectus,& volūtas ſunt in potentia ad illas,& hoc eſt quod Boetius vult dicere,quãdo dicit,nihil quod eſt mere forma accidētibus pōt ſubijci; ac ſi dicat, ꝙ in illo qđ nullā habet rationē potētiæ,& ſubiecti,nō poteſt eſſe aliquod accidēs,at vero Angeli habēt rationē potētiæ & ſubiecti,& hoc modo non ſunt formæ ſimplices , qualis eſt Deus:ſunt autē formæ ſimplices, quatenus ſimplicitas opponitur compoſitioni ex re, & re,ex forma & materia.

¶Ad ſecundū reſpōdetur iuxta prædicta,ſi materia ſumatur,vt dicit quid potētiale; & dicitur de quocūq; quod habet rationē ſubiecti,in Angelis reperitur materia:quia vere reperitur ratio ſubiecti,& potētiæ, ſecus autē ſi materia ſumatur pro altero principio rei naturalis, & per hoc reſpōdetur ad tertium & quartum.

¶Ad argumēta pro ſentētia Durandi facilis eſt ſolutio ex dictis in vltimo notabili. Nec ſentētia Marſilij cōtraria eſt noſtræ ſententiæ,quia de nullo ſanæ mētis poteſt credi, præcipuè Theologo,quod ponat Angelos formas ſimplices ſicuti Deus,quare intelligēdus eſt ſic,nempe, quod eſſe, & eſſentia, quæ cōponūt Angelū,non ſunt duæ partes realiter diſtinctæ,ſicut nec ſunt duæ res, vt autem præſens quæſtio facilior reddatur, ſit ſecunda quæſtio.

QVÆSTIO II.

¶Vtrùm eſſe & eſſentia realiter diſtinguantur,an vero formaliter.

DE hac re eſt prima ſententia Henrici de Gandauo quol. 1. q.8.& quol.3.q. 9.aſſerentis, quod eſſentia & exiſtētia ſunt eadē realitas,& natura:& tātū diſtinguūtur,ſecūdū quod dicūt aliā,& aliā habitudinē, & relationē, nā ſi iſta realitas conſideretur,vt reſpicit naturā diuinā,tanquā eius ideā,& exēplar,dicitur eſſentia: ſi autē quatenus reſpicit Deū,vt cauſam efficientē,à quo fit, & producitur,dicitur exiſtētia.¶ Secūda ſentētia eſt Durādi in.1.d. 8.q.2.aſſerētis,quod eſſe & eſſentia nec diſtinguūtur realiter, nec formaliter, nec ex natura rei,ſed tātū ratione. Fūdamentū huius ſentētiæ, eſt quia abſtractū & concretū tantū diſtinguūtur ratione,vt patet exēplis, currere enim & curſus,tātū ratione diſtinguūtur,ſed eſſe & eſſentia,ſunt abſtractū & cōcretū,ergo tantū ratione diſtinguūtur. *Secunda ſententia.*

¶Tertia ſententia eſt quorūdā Thomiſtarū ſuper. 1.partē D.Tho.quæſt.3. art.4.(alter dubio.2.alter quæſt. vnica),qui aſſerunt in vniuerſis rebus creatis , eſſe & eſſentiam realiter diſtingui,ita vt ipſum eſſe,ſit realitas diſtincta à realitate eſſentiæ:quā ſentētiā dicūt D.Thomæ ibi,&.2.cōtra gentes. c.52.& de ente & eſſentia c.5. & Capreol. in.1. d.8.q.1. Caiet.in opuſcul.de ente & eſſent.c.5.q.10.& Ferrarieſ.a.cōtra gent. *Tertia ſententia.*

cap.

cap. 52. Soncin. 4. Metaph q. 12. Iauel. tra-
ctatu de tranſcend. cap. 4. Probant autem
ſuam ſententiã: quia verbum Dei aſſumpſit
humanitatem, & non aſſumpſit eſſe exiſtẽ-
tiæ creatum, ergo eſſe exiſtentiæ & huma-
nitas realiter diſtinguuntur. Patet conſe-
quentia: quia quãdo duo ita ſe habẽt, quod
vno exiſtente in rerum natura, alterum nõ
eſt, nec exiſtit, illa duo realiter diſtinguun-
tur, ſed exiſtente humanitate Chriſti in re-
rum natura, nõ eſt eſſe exiſtentiæ creatum
eiuſdem humanitatis, ergo eſſe exiſtentiæ
creatum, & humanitas realiter diſtinguun-
tur. Maior eſt manifeſta & minor proba-
tur. Nam in ſexta ſynodo generali actione
11. dicitur loquens de Chriſto humanitate,
in ipſo (ideſt in verbo) & non in ſe habuit
exiſtentiam vnam cum Verbo.

Secundum argum. ¶Secũdo. Cõpoſitio ex eſſe & eſſentia eſt
realis & vera cõpoſitio, ſecluſa quacunque
intellectus operatione, ex eſſe & eſſentia
fit vnũ per ſe reale cõpoſitũ, quia eſſe & eſ-
ſentia copulãtur inter ſe, in ratione actus &
potentię, ergo extrema huius cõpoſitionis
realis debent eſſe extrema realia, ergo non
ſunt idẽ realiter inter ſe. Quia impoſsibile
videtur quod eadẽ entitas ſit actus & poten
tia, & quod ſint duo extrema realia.

Tertium argum. ¶Ter-
tiò. Quãdo aliquid cõuenit alicui, & nõ eſt
de conceptu intrinſeco eius, aut quidditati-
uo, prouenit ab extrinſeco, & facit aliquã
cõpoſitionẽ cũ re, cui copulatur: ſed eſſe nõ
eſt de conceptu quidditatiuo eſſentiæ crea
tæ, ergo prouenit ab extrinſeco, & facit cõ
poſitionẽ cũ eſſentia, ergo pluſquã ratione
diſtinguitur ab eſſentia.

Quartum argum. ¶Quartò. Eſſentia
de ſe eſt indifferẽs ad eſſe & nõ eſſe, ſed eſſe
nõ eſt indifferens ad eſſe & nõ eſſe, quoniã
nõ eſſe eſt terminus contradictorius ipſius
eſſe, & cõſequẽter eſſe nõ dicit indifferẽtiã
ad nõ eſſe, ergo nõ ſunt vna & eadẽ realitas
eſſentia & eſſe.

Quintum argum. ¶Quintò. Eſſentia habet in
trinſecã, & æternã cõnexionem cũ ſuppoſi
to, exiſtentia verò habet cõnexionẽ cõtin-
gentẽ, & pendentẽ à libera Dei voluntate,
ergo ſunt duæ res diſtinctæ. Patet antece-
dens: quia hęc eſt perpetuę veritatis, homo
eſt animal rationale, iſta verò eſt contin-
gens, homo eſt.

Sextum argum. ¶Sextò. Si eſſe & eſſentia
ſunt idem in creaturis, ſequitur quod eſſe
Angeli eſt per ſe ſubſiſtens. Patet ſequela:
quia ipſa ſubſtantia Angeli eſt per ſe ſubſi-
ſtẽs, & eſt abſtracta, ergo eſſe Angeli, quod
identificatur cum eſſentia: & conſequenter
non eſſet ab aliquo participatum, & habe-
ret omnem perfectionem eſſendi, quod ſo-
lum eſt proprium diuini eſſe. Diſcurſus hic
manifeſtatur à ſimili, ſi eſſet albedo ſuaptè
natura abſtracta, haberet omnem perfectio
nem poſsibilem albedinis, quia non habe-
ret vnde limitaretur, ergo eſſet per ſe ſubſi-
ſtens, & haberet omnẽ perfectionem eſſen
di poſsibilem, ergo. Vlterius & eſt confir-
matio argumenti. Si eſſentia eſt idem reali-
ter cum ipſo eſſe, ſequitur quod ſaltim in
Angelis, eſſe Angeli eſſet infinitum, & non
limitatum. Probatur ſequela. Nam ſi dare-
tur albedo ſeparata, & non in aliquo ſubie-
cto à ſe diſtincto, illa eſſet albedo infinita,
& illimitata, quoniã haberet omnes gradus
ſibi poſsibiles eo quod non limitatur ab ali-
quo ſubiecto, in quo recipiatur, ergo ſi eſſe
Angeli non reciperetur in eſſentia Angeli,
tanquam in ſubiecto à ſe diſtincto à quo li-
mitaretur, ſequitur, quod haberet omnem
perfectionem in eſſendo, & ita eſſe Angeli
eſſet infinitũ. Quod vero eſſe Angeli nõ ſit
in eſſentia eius, tãquã in ſubiecto diſtincto;
probatur, quia cõtraria opinio docet quod
ſunt eadem realitas eſſe & eſſentia in Ange
lis, imo cum eſſentia Angeli ſit per ſe ſubſi-
ſtens, (quia Angelus eſt forma abſtracta)
quicquid eſt eadem realitas cũ eſſentia, eſt
per ſe ſubſiſtens. ¶Confirmatur. Ab æter-
no fuit verũ, quod homo eſt animal rationa
le veritate intrinſeca, ſed exiſtentia cœpit
ex tempore, ergo non eſt eadẽ realitas cum
eſſentia. Quapropter eſſentia per ſe forma
liter cõuenit creaturis, exiſtentia vero per
accidens & per aliud. Vnde hæc vera eſt,
equus eſt animal inhibile, non ex exiſtente
equo, iſta autẽ eſt falſa, equus exiſtit; ergo
nõ ſunt eadẽ realitas eſſentia, & exiſtentia.

¶Septimò. Omnis eſſentia creata habet eſ- *Septimum argum.*
ſe per participationẽ, ſed participans & par
ticipatũ nõ ſunt idem, ergo eſſentia & eſſe
participatum, non ſunt vna & eadẽ realitas.
¶Confirmatur. Ex diuinis literis habemus
quod ꝓpriũ eſt Dei quod ſit ſuũ eſſe, ergo
eſſentia creata nõ poteſt eſſe ſuũ eſſe, ergo.

¶Vltima ſententia eſt Doctoris in quãplu- *Sententia Doctoris.*
ribus locis ſuæ doctrinæ, præcipuè in. 2. d.
1. q. 2. & d. 3. q. 1. & ibi Lichetus, & in. 3. d.
6. q. 1. quam tenet omnis ſchola Scotiſtarũ
in. 1. d. 36. q. 1. & ibi Bargius fol. 276. quam
etiam docent nõnulli ex diſcipulis D. Tho
mæ vt Magiſt. Soto & Victoria.

¶Pro explicatione tamen huius ſentẽtiæ *1. Notab.*

& totius quæſtionis eſt primum notãdum, quid ſit eſſe eſſentiæ, & eſſe exiſtentiæ. Eſſe eſſentiæ nõ eſt aliud à quidditate, quia eſſe eſſentiæ, eſt illud, de quo dicitur definitio, quia definitio indicat eſſe nõ exiſtentiæ, ſed eſſentiæ. Exiſtẽtia vero nihil aliud eſt, quam id quo formaliter res extra ſuas cauſas actualiter eſſe intelligitur. Vnde vt cõtrariũ opinãtes aduertũt ſuper. 1.par.q. 50.art.2.q.3.notab.2. tam ſubſiſtentia quã exiſtẽtia ſunt aliquid reale quo res cõſtituitur extra nihil, quoniã exiſtentia eſt prima actualitas, per quã res educitur extra nihil, & paulò poſtea vt reſpondeant cuidã obiectioni ſic aiunt. Et vt ſatisfaciamus obiectioni, aduerte quod exiſtẽtia eſt id, quo res formaliter eſt extra cauſas ſuas, & quo formaliter extra eaſdẽ intelligitur eſſe actualiter. Vnde quidam explicantes quid nominis exiſtentiæ, dicunt, quod exiſtentia dicitur quaſi extra ſiſtentia, hoc eſt, extra potentialitatem actualitatis. Proprius igitur, & præciſus conceptus exiſtentiæ eſt, ſcilicet, id, quo vnaquæque res formaliter habet, vt ſit actualis entitas in natura, & extra nihil, ſeu extra cauſas ſuas, ſicut v. g. anima Chriſti, vel humanitas, priuſquã crearetur actu nihil erat, ſed ſolum in potentia, cum primum ergo intelligitur exire ex illa potentia in actum, & deſinere eſſe nihil, intelligitur actu exiſtens, & exiſtentia illius, erit modus ille, vel illa actualitas, quo intrinſecè vel formaliter conſtituitur extra nihil.

2. *Notab.* ¶Secundò eſt notandũ, vt diximus ſup. Diſput.1.q.7.notab.2. quod cũ creatura ex ſe nullũ habeat eſſe, ita debemus illã cõſtituere in triplici potẽtia. Eſt enim primò in potẽtia logica, ſecũdò in potẽtia obiectiua, tertiò autẽ in potẽtia ſubiectiua ſiue reali (quo modo autẽ diſtinguantur iſta tria, vide ibi, quomodo autẽ diſtinguãtur potentia obiectiua & ſubiectiua, vide quæ dixi in illa Diſput.q.8.not.5. & 6. & per totã illã quæſt.

3. *Notab.* ¶Tertiò eſt notandũ, ꝙ quæcunque natura creata poteſt cõſiderari dupliciter, vno modo ſecundũ eſſe obiectiuũ, quod habet ante realẽ exiſtẽtiã, ſecũdò modo ſecundùm eſſe ſubiectiuũ, quod habet per realẽ exiſtẽtiã, nõ ad exiſtendũ, ſed ad ſubſiſtẽdũ. Si cõſideretur primo modo (v.g natura humana) nõ eſt aliquid reale productũ, ſed tãtũ dicit illã neceſſariã cõnexionem inter ſubiectũ, & prædicatũ, cũ ordine ad potentiã productiuam: & totum hoc tantum dicit naturam humanam in potentia ad eſſe reale, id eſt, naturam humanã, quatenus habet eſſe producibile, eſſe autẽ productibile, vel eſt tãtum denominatio extrinſeca à virtute productiua deſumpta, vel eſt eſſe ſecundũ quid, ſicuti eſſe cognitũ & volitũ. De quo late dixi in.1.Diſput.16.q.3. Si autem cõſideretur, ſecundũ quod eſt in potentia ſubiectiua ad ſubſiſtendũ, tunc natura humana habet eſſe reale productũ per exiſtentiã, quæ eſt modus intrinſecus eius, & eſt actu exiſtens, eſt tamen in potentia ſubſiſtens, quia nõ datur natura humana, quæ non ſit in aliquo ſuppoſito proprio vel alieno; & ſic natura humana ſuppoſitata, ſicut præintelligitur natura realis, antequam intelligatur ratio ſuppoſiti, ita præintelligitur exiſtens anteaquam intelligatur ſubſiſtens. Et quãuis ipſa natura cum iſta reduplicatione, prout in ſuppoſito, prius intelligatur ſubſiſtens, quàm exiſtens, abſolutè tamẽ, prius intelligitur exiſtens, quã ſubſiſtens: iuxta ea quæ dixi in.1.Diſput.10.quæſt.6.cõcluſ.2. De animali in homine, vel prout in homine.

¶Quartò eſt notandum, quod eſſentia & exiſtentia (vt optimè aduertit Liquetus in 2.d.3.q.1.ibi ad quæſt.) poſſunt cõſiderari dupliciter: vno modo ſecundũ quod vtraq; habet eſſe obiectiuum, ſiue in potentia, vel ſecundùm quod vtraq; habet eſſe reale, ſecundo modo ſecundùm quod altera habet eſſe obiectiuũ, & altera habet eſſe reale. *4. Notab.*

¶Prima cõcluſio. In quocunq; eſſe cõſiderẽtur exiſtẽtia, & eſſentia, pluſquã ratione diſtinguũtur. Hæc cõcluſio eſt contra Durand. Et probatur. Ea, quæ ſecluſa operatione intellectus habẽt aliã & aliã definitionẽ (ſiue definitio ſignificet quidditatẽ, ſiue rationem cõceptibilẽ) pluſquã ratione diſtinguũtur, ſed ſic ſe habẽt eſſentia & exiſtẽtia, ergo. Probatur minor, (& aſſumo eſſentiã & exiſtẽtiã, vt tantũ habẽt eſſe obiectiuũ, ſiue poſsibile) eſſentia vt ſic, tantũ dicit prędicata quidditatiua, ſed exiſtẽtia nullo modo eſt prædicatũ quidditatiuũ eſſentiæ, ergo intellectus poteſt cõcipere eſſentiã perfectè, in ratione eſſentiæ ſine eo, quod cõcipiat exiſtentiã. Probatur minor, quia ſicut exiſtẽtia realis eſt modus intrinſecus eſſentię, prout habet eſſe reale, ita exiſtẽtia ſecũdũ eſſe poſsibile eſt modus intrinſecus eſſentiæ, ſecundùm quod habet eſſe poſsibile, ſed res & modus rei pluſquam ratione diſtinguuntur, ergo. *Prima cõcluſio.*

¶Secun-

Secunda cõcluſio. ¶Secunda concluſio. Eſſentia in eſſe obiectiuo, ſiue poſsibili, & exiſtentia realis diſtinguuntur realiter negatiuè, vel ſunt non idem realiter, non tamen diſtinguuntur realiter poſitiuè. Hæc concluſio eſt Doctoris, & probatur quoad vtranque partem. Nam eſſentia ſecundùm eſſe poſsibile eſt ab æterno, ſed exiſtentia realis eſt in tempore, ergo exiſtentia realis, non eſt idem realiter cum eſſentia, ſecundùm eſſe poſsibile. ¶Cõfirmatur. Eſſe, & non eſſe, non poſſunt de eodem ſimul verificari, ſed de eſſentia ſecundùm eſſe poſsibile, & exiſtentia ſecundùm eſſe reale, verificâtur eſſe & non eſſe, ergo. Probatur minor. Quia verum eſt dicere, quod eſſentia ſecundùm eſſe poſsibile non eſt actu, qualiter eſt exiſtentia realis, & de exiſtentia reali verum eſt dicere quod non habet eſſe poſsibile, qualiter habet eſſentia, ergo eſſentia & exiſtentia, vt ſic conſideratæ, ſunt non idem realiter, vel diſtinguuntur realiter negatiuè (de hac non identitate reali vide quæ dixi in. 1. Diſput. 8. q. 14.) Secũda pars cõcluſionis probatur. Diſtinctio realis poſitiua eſt inter extrema realia realiter diſtincta, ſed eſſentia prout habet eſſe poſsibile, non eſt extremum reale, ergo inter ipſam & exiſtentiam realem, non erit diſtinctio realis. Minor probatur, quia eſſentia, antequam producatur, nullum eſſe reale habet, aliâs, vt optime concludit Doctor contra Henricum in hoc 2. diſt. 1. q. 1. nihil poſſet creari, nec produci ex nihilo, nam omnis natura, quæ creatur prius habet eſſe poſsibile, & tamen illud eſſe poſsibile, non tollit quin ex nihilo creetur, ergo eſſentia ſecundùm eſſe poſsibile non eſt aliquid reale.

Tertia cõcluſio. ¶Tertia concluſio. Eſſentia & exiſtentia, prout habent eſſe à parte rei, non diſtinguuntur realiter nec formaliter poſitiuè, ſed tantum formaliter negatiuè, vel ſunt nõ idem formaliter. (De hac nõ identitate formali, vide quæ dixi in primo, Diſput. 8. q. 13.) Hæc concluſio eſt Doctoris quam expreſsè ponit Lichet. in. 2. diſt. 3. quæſt. 1. ibi. Sed ſi quæratur, vbi ſic ait, dico breuiter, quòd eo modo præciſe diſtinguitur (ſcilicet eſſentia ab exiſtentia) ſicut diſtinguitur à ſuo modo intrinſeco, quæ non diſtinguitur realiter, vt patet; nec formaliter poſitiuè, cum gradus intrinſecus non dicat aliquam formalitatem diſtinctam à formalitate rei cuius eſt, vt patet à Doctore in. 1. vbi ſupra: diſtinguitur ergo præciſè ex natura rei, accipiendo diſtinctionem ex natura rei, pro minima diſtinctione, quę haberi poteſt præter opus intellectus, videlicet quando præter opus intellectus, aliquid ex natura rei conuenit vni, quod non conuenit alteri, & ſic exiſtentiæ conuenit ex natura rei eſſe modum intrinſecum, qui modus ſimpliciter repugnat rei, cuius eſt talis modus. Hactenus Lichetus. Probatur tamen cõcluſio. Primò. Realitas rei, nõ eſt res realiter diſtincta ab ipſa, ſecundùm quod habet eſſe reale, ſed eſſentia habet eſſe reale per exiſtentiam, ergo non diſtinguitur realiter ab exiſtentia. Maior eſt manifeſta, quia ſi realitas eſt res diſtincta à re, prout habet eſſe reale, ergo poſſumus ſaltim per intellectum concipere rem realem, vel ſecundùm eſſe reale, non concipiendo realitatem vel antequã concipiamus realitatem. Probatur ſequela. Quia, quanuis quantum ad eſſe, aliqua diſtincta realiter inter ſe dependant intrinſecè, non tamen quantum ad concipi, ſed implicat concipere rem realem, non cõcipiendo exiſtentiam, ergo implicat exiſtentiam realiter diſtingui ab eſſentia, ſecundũ quod habet eſſe reale. ¶Secundò. Nulla res poteſt eſſe alia ab eo, quo formaliter eſt extra nihil, ſed eſſentia formaliter eſt extra nihil per exiſtentiam, ergo eſſentia non poteſt eſſe alia res ab ipſo eſſe, quo formaliter eſt extra nihil. Probatur maior: quoniam dato oppoſito quod ſit alia res diſtincta, ſequitur, quod eadem res numero formaliter eſt extra nihil, & formaliter non eſt extra nihil. Patet, quoniam ſi eſſentia, vt ſic eſt alia res diſtincta ab eo quo formaliter eſt extra nihil, tunc talis eſſentia, quatenus eſt ſic diſtincta, vel eſt aliquid, vel nihil, ſi aliquid, ergo eſt extra nihil, ſi nihil, ergo eſſentia, quatenus eſt diſtincta ab eo, quo formaliter exiſtit, non eſt aliqua realitas: conſequens eſt impoſsibile, ergo. ¶Ad hoc argumentum reſpondent prædicti opinantes dupliciter. Primò, quod eſſe non eſt alia res ab eſſentia creata, quia exiſtentia non eſt res propriè loquendo, nec quidditas, nec etiam eſt ens propriè, quatenus ens dicit actum eſſendi, quia non eſt ens quod exiſtit, nec eſt ens propriè, ſecundùm quod ens ſignificat eſſentiam, vnde abuſiuè dicitur, quod eſſe & eſſentia ſunt duæ res, aut duo entia, quapropter reſpõndent negando maiorem. ¶Iſta tamen ſolutio non euacuat diffi-

difficultatem, nec reſpondet argumento, quia quamuis exiſtentia, & eſſentia, nõ ſunt duæ res in rigore, non poteſt negari (ſi realiter diſtinguũtur inter ſe) quod ſunt duo entia, vt ens diſtinguitur contra nihil, quia eſſentia eſt aliquid, vt diſtinguitur contra nihil, & exiſtentia eſt aliquid, vt aliquid diſtinguitur contra nihil, & exiſtentia, realiter nõ eſt eſſentia, ergo ſunt aliqua duo realiter diſtincta, & tunc procedit argumentũ de eſſentia, prout eſt aliquid diſtinctum cõtra nihil, quod vt diſtincta ab exiſtentia realiter, & eſt aliquid, & eſt nihil, hoc autem implicat cõtradictionem, ergo. ¶Secundò tamen reſpõdent quod dato, maiorem eſſe concedendam, ad probationem eius reſpondetur quod eſſentia præciſa ab ipſo eſſe exiſtentiæ, licet nihil ſit in actu in genere exiſtentium, eſt tamen ens, & aliquid in genere eſſentialium, vnde eſſentia quandiu eſt ſub exiſtentia dicitur aliquid vtroque modo. Iſta tamen ſolutio minus veritatis habet, quam præcedens, & inuoluit contradictionem: nam ſi eſt nihil in genere exiſtentium eſſentia, præciſa ab ipſo eſſe exiſtentiæ, ergo eſt ſimpliciter nihil, ſi eſt ſimpliciter nihil, quomodo poteſt fundare diſtinctionem realem. Præterea eſſentia, vt abſtrahit ab exiſtentia, tãtum habet eſſe poſſibile, quod autem tantum habet eſſe poſſibile, eſt ſimpliciter nihil, aliàs nulla eſſet creatio, ergo dicere quod eſt aliquid in genere eſſentialium, & quod eſt nihil in genere exiſtentium, vel eſt dicere quod eſt nihil, & quod nõ eſt nihil, vel eſt dicere quod eſt ſimpliciter nihil, ſed quod eſt ſimpliciter nihil, non poteſt fundare diſtinctionem realem, ſed tantum nõ identitatem realem, vt quando eſſentia ſumitur ſecundum eſſe poſſibile, & exiſtentia ſecundum eſſe reale, iuxta ea quæ diximus in ſecunda concluſione, ergo ſi eſſentia ſumatur, vt eſt in genere entium exiſtentium, nullo modo poteſt realiter diſtingui ab exiſtentia.

Quarta cõcluſio. ¶Quarta concluſio. In ſola natura diuina, eſſentia, & exiſtentia, tantum per operationem intellectus diſtinguũtur. Hæc concluſio eſt Doctoris vbicunque loquitur de exiſtentia diuina. Et probatur, quia exiſtentia eſt de intrinſeca ratione eſſentiæ diuinæ, taliter quod implicat intelligere eſſentiam diuinam per conceptum deſumptũ ab ipſa eſſentia diuina, non intelligendo illam exiſtentem, ergo. Dixi notanter per conceptũ deſumptum ab ipſa, quia per conceptum deſumptum à creaturis, bene poſſumus concipere eſſentiam diuinam, non concipiendo illam exiſtentem, ſed ille conceptus eſt improprius, & inadæquatus, imo adeò alienus à propria ratione eſſentiæ diuinæ, quod ſi eſſentia diuina tantum eſſet id, quod per illum conceptum repræſentatur, eſſentia diuina non eſſet eſſentia diuina. Cõfirmatur, quia nõ magis diſtinguũtur eſſentia, & exiſtentia in Deo, quã Deus, & Deitas, ſed iſta tantum ratione diſtinguuntur, ergo. Maior eſt manifeſta, quia cum Deus ſit puriſsimus actus, ſuum eſſe eſt ſua eſſentia, & econtra.

Ad argumenta pro tertia ſententia. ¶Ad argumenta pro tertia ſententia reſpõdetur. Ad primum cõcedendo maiorem, & negando minorem, & ad probationem negatur minor, quia humanitas Chriſti Domini ſicut habuit ſuam entitatem actualẽ productam, diſtinctam ab entitate Verbi diuini, ita habuit ſuam exiſtentiam creatam, diſtinctam ab exiſtentia Verbi diuini, quia humanitas Chriſti Domini, vt actualis entitas, ordine naturæ ſupponitur aſſumptioni, & quod aſſumitur oportet vt ſit aliquod ens in actu, quia Verbũm nõ aſſumit eſſentiam humanitatis, prout intelligitur eſſe in potentia obiectiua, ſed prout intelligitur eſſe in actu; eſt autem in actu per exiſtẽtiã, ergo humanitas Chriſti Domini habuit, & habet propriam exiſtentiam (licet nõ ſubſiſtentiam) diſtinctam ab exiſtentia Verbi diuini. Ad illud autem quod adducitur ex ſexta ſynodo reſpõdetur, quod illa vltima particula (ſcilicet cum Verbo) non reperitur in originali, ſed ſic legitur. In illo itaque, & nõ in ſemetipſa habuit exiſtentiam vnã, & hoc veriſsimũ eſt, quia facit hunc ſenſum, quod ſuſtentata à Verbo diuino, habuit propriã exiſtentiam: quaſi dicat, humanitas Chriſti Domini, omnia quæ conueniunt illi ex vi præciſa humanitatis, habuit quatenus ſuſtẽtata à Verbo diuino, & non quatenus ſuſtẽtata à ſe, vel ab alio ſuppoſito; & ſic habuit exiſtentiam propriam, ſicut etiam habuit animam rationalem, & iſte fuit ſenſus Concilij, quia ibi tantum voluit determinare, humanitatem Chriſti in eodem inſtanti temporis in quo incepit eſſe in rerum natura, ſtatim fuiſſe Verbo vnitam, quare ly exiſtentiam vnam (ſi præcedens explicatio nõ placet) poteris explicare, de per ſe exiſtentia, & hoc certiſsimũ eſt, quod humanitas Chr̃i Dñi ſemper habuit vnã per ſe exiſtentiam

tiam qualis fuit verbi diuini. Illa autem per ſe exiſtentia idem eſt quod ſubſiſtentia.

¶Ad ſecundum reſpondetur quod ipſum probat noſtram ſecundam cōcluſionem; ſi loquatur de eſſentia, ſecundū quod habet eſſe poſsibile, quia tūc eſſentia, & exiſtentia, nō ſunt idē realiter, ſi autē loquatur de eſſētia, & exiſtētia, vt ſunt duo extrema realia, vt videtur loqui; inuoluit cōtradictionē, quod eſſentia ſit extremū reale pro vt diſtincta ab exiſtētia; vt dixi in 3. concl. & ipſi fatētur in ſolut. ad 9. quare ad argumentum in forma reſpondeo cū Fratre Gratiano Brixia ſuper Doctorē in 2. diſt. 3. queſ. 6. quod compoſitio eſt duplex, altera propriè ſumpta, altera impropriè: propriè ſumpta eſt illa quæ fit ex re actuali, & re potentiali, vt quæ fit ex materia, & forma, illa vero, quæ fit ex realitate, & realitate potentiali, & actuali in eadē re, eſt minus propriè compoſitio, ita & Doctor ibi litera. L.

¶Ad tertiū reſpōdet, quod exiſtētia eſt extrinſeca, & intrinſeca quidditati, extrinſeca quantū ad rationē quidditatiuā, intrinſeca autē, quātū ad rationē realē, & quia accidit quidditati habere eſſe reale, conſiderata quidditate in ratione quidditatis, ideo optime concludit argumentū, quod pluſquam ratione diſtinguūtur, ſed ex hoc non infertur quod diſtinguantur realiter.

¶Ad quartū reſpōdetur, quod ex ipſo tantū infertur nō identitas formalis, non tamē diſtinctio realis, eodē enim argumētō probaretur quod calor, & calor, vt quatuor, realiter diſtinguerētur quia calor, vt calor eſt in differēs ad hunc, vel illū gradū, calor autē vt quatuor, eſt determinatus, nullus tamē cōcedet talē diſtinctionē realē, vel ſecundò reſpōdetur quod iſtud argumētū probat noſtrā ſecundā concluſionē; quia procedit de eſſentia, ſecundū quod habet eſſe poſsibile, & nō exiſtens in rerū natura, & de exiſtentia exiſtēte eo modo, quo poteſt exiſtere, & in hoc ſenſu nihil cōtra nos, quāuis nō probet ſuā concluſionē cū aliud ſit nō eſſe idē realiter, & diſtingui realiter, vt ad oculū patet: cū diſtinctio realis requirat extrema realia & eſſentia, ſecundum illud eſſe poſſibile, non eſt extremum reale. Et per hoc reſpōdetur ad quintum.

¶Ad ſextū reſpondetur, negando ſequelā, & diſcurſum, & omnia quæ in illo cōtinentur, quia quamuis daretur albedo ſeparata, & non in aliquo ſubiecto, nō eſſet infinita, quia in ſacramēto altaris damus quātitatē, ſeparatā à ſubiecto, & tamen eſt finita, idē dicitur de eſſentia Angeli, & exiſtentia, quod quamuis nō reciperetur in ſubiecto, adhuc tamen nō eſſet infinita, quanto magis quod exiſtentia eſt in eſſentia tanquā modus in re, licet nō ſit ſubiectum realiter diſtinctū. ¶Ad confirmationē reſpōdetur, quod (ſi bene perpendatur) probat noſtrā tertiā conclu. & non ſuā, vt dixi ſupra, quia pro eodē reputant nō eſſe idem realiter, & diſtingui realiter.

¶Ad ſeptimū concedendo maiorē & minorē, & conſequentiā, quia verū eſt, quod eſſentia diuina à qua reliquæ participant ſuū eſſe, nō eſt idem cū naturis participantibus illud eſſe. Sed hoc argumentū ad quid, quia tam eſſentia creata, quā exiſtentia habent eſſe per participationē. ¶Ad confir. concedendo antecedens, & ſequelam, ſi intelligatur quod eſſe creaturarū, non eſt creaturarū eſſentia, eo modo quo eſſe Dei, eſt eius eſſentia; ſed inde non colligitur, quod diſtinguantur realiter, eſſe & eſſentia in creaturis. & hæc de iſta quæſtio.

QVÆSTIO III.

¶*Vtrùm ſuppoſitum ſupra naturam addat aliquam entitatem realem ab ipſa realiter diſtinctam.*

DE hac re eſt prima ſententia Durand. in 1. diſtin. 34. quæſtio. 1. & Henri. quod. 4. aſſerētium, quod ſuppoſitum, & natura de principali ſignificato idem ſignificant, & tātum diſtinguūtur, quia ex modo ſignificandi ſuppoſitū ſiue concretū aliquid connotat, quod non connotat natura. Primam partē huius ſententiæ probat Duran. quia nō plus differt concretū, & abſtractū in prędicamēto ſubſtantię, quàm in prædicamento accidentis, ſed in prædicamento accidentis concretū, & abſtractū idem penitus ſignificant, vt album & albedo; album enim ſolam qualitatem ſignificat, ſicut albedo, vt dicitur in prędicamentis; ergo in prædicamento ſubſtantiæ concretum, & abſtractum (vt homo & humanitas) penitus idem ſignificant.

¶Confirmatur. Quia idem importatur per nomen hominis, & eius definitionem, ſed per definitionem hominis non importa-

tur niſi quidditas & natura, definitio indicat quid eſt res, quid autem, quærit de quidditate ergo, ſola quidditas, vel natura importatur per nomen hominis, quod eſt nomen ſuppoſiti.

¶Secundam autem partem probant quia abſtractum ſignificat naturam ſecundum ſe abſque habitudine ad aliquid aliud, & ideo ex ſuo modo ſignificandi nihil connotat præter naturam, concretum autem ſignificat per modum habentis naturam vt homo habens humanitatem, & album habens albedinem, & quia habens naturam eſt quandoque realiter diuerſum à natura, ſicut homo habens albedinem eſt aliquid realiter diuerſum ab albedine, ſequitur quod concretum ex ſuo modo ſignificandi connotat aliquid, quod quandoque eſt realiter diuerſum à forma importata per abſtractum, vt in exemplo poſito de albo, quandoque autem non, quia quandoque non eſt realiter diuerſum, quod habet, & quod habetur: differenter autem importatur per concretum forma, quæ principaliter ſignificatur, & habens formam, quod connotatur, ex modo ſignificandi, quia vt patet reſoluendo nomen concretum habens formam importatur in recto, forma autem in obliquo, vt album habens albedinem, ergo.

¶Secūda ſententia eſt D. Thomæ. (vt eius expoſitores aſſerunt ſuper primam partē quæſtione 3. artic. 3. & quæſtio. 50. arti. 2. concluſ. 4.) ſcilicet quod ſuppoſitum, & natura in rebus creatis diſtinguitur realiter à natura, non taliter quod diſtinguātur ſicut duæ res, quarū vna nihil includit alterius, qualis eſt diſtinctio inter Petrum, & Paulum, ſed diſtinguūtur realiter quia aliquid reale includitur in ſuppoſito, quod non includitur in natura indiuidua. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia ſuppoſitum addit aliquid reale poſitiuum ſuprà naturam, quod poſitiuum non tantum eſt quidam modus realis eſſendi, quo natura ita ſe habet, quod per ſe ſubſiſtit, quia talis modus naturæ ita ſe habendæ, non eſt diſtinctus ſicut res à re à natura, nec eſt alia realitas à realitate naturæ, ſed diſtinguitur formaliter à natura, ſed addit aliquam realitatem realiter diſtinctam à natura per quam conſtituitur in eſſe ſuppoſiti. Hanc ſententiam vltra prædictos docent Capreol. in 3. diſtin. 5. quæſtio. 3. conclu. a. & in reſpō ſione ad argument. Caieta. 3. part. quæſt. 4. artic. 2. Ferrar. 4. contra gent. cap. 43. Probant autem ſuam ſententiam quam pluribus rationibus, quarum prima eſt deſumpta ex S. Mattheo. tex. 15. vbi diuidit ſubſtantiam in eſſentiam, & ſuppoſitū, & proportionabiliter in prædicamento ſubſtantiæ diuiditur in primā, & ſecundam vbi prima ſubſtantia dicitur maximè ſubſtantia, ſed neceſſe eſt conſtituere aliquid poſitiuū intrinſecum conſecutiuum eſſentiæ, & ſecundæ ſubſtantiæ, ergo pariter etiam aſſignandum eſt aliquid reale poſitiuum intrinſecum conſtituens ſuppoſitū, quod eſt eſſe per ſe ſeparatum ab omnibus alijs. ¶Cōfirmatur quia hæc nomina, ego, tu, hic homo, ex communi conſenſu ſignificant aliquid reale intrinſecum primæ ſubſtantiæ, & re vera ſignificant ſuppoſitum, ergo.

¶Secundo perſona diuina conſtituitur in eſſe perſonæ per aliquid reale poſitiuum, ergo & perſona creata. Patet ſequela, quia perſona vnico conceptu (quanuis analogo) dicitur de perſona creata & increata.

¶Tertio. Secundū fidē catholicā perſonalitas verbi ſupplet in myſterio incarnationis perſonalitatē naturæ humanę, ergo perſonalitas humana eſt aliquid reale, quia negatio nō ſuppletur. ¶Cōfirmatur ſi Chriſtus dimitteret humanitatē, in humanitate illa dimiſſa eſſet alia perſona numero à perſona verbi, propria ipſi humanitati, ergo ſine dubio illa perſonalitas eſſet ſubſtantia, alias non eſſet alia.

¶Quarto. Suppoſitū in Angelis dicit naturā angelicā & ſubſiſtentiā, & cōplementū perſonale, ſed natura Angeli tantū dicit formam, qua Angelus eſt Angelus, ergo.

¶Quinto. Suppoſitū ſupra naturā nō addit ſolā negationē, ſed potius entitatē quādam realē poſitiuā, ergo realiter à natura diſtinctā. Antecedēs probatur multipliciter, vel ſuppoſitū (quaten' ſuppoſitū eſt) dicit perfectionem, ſed negatio, vt ſic, nō importat perfectionē vllam, ergo ſuppoſitū non conſtituitur negatione, nec addit ſolā negationē ſupra naturā. Secundo negatio actualis dependentiæ, & aptitudinalis, aut conuenit formaliter omni naturæ per ſua principia eſſentialia, aut per aliquam entitatē realē poſitiuam ſuperadditam naturæ, ſi primū, ergo omnis natura, in eo quod eſt natura, eſt ſuppoſitū & perſona. Patet cōſequētia, quia tūc natura nec actu pēderet ab aliquo

quo nec aptitudine, imo ſequeretur quod nulla natura eſſet aſſumptibilis à Deo. Patet ſequela, ſi verum eſſet quod omnis natura formaliter per ſua principia formalia nec actu pendet nec poteſt dependere ab aliqua, ſed hoc eſt hęreticum: ergo: Vnde infertur quod illæ negationes, (quas cõſtituit Scotus) adueniunt naturæ per aliquam entitatem poſitiuam, ad quam conſequuntur, & per quam ſuppoſitum à natura diſtinguitur. Rurſus Petrus in quantum eſt perſona Petri (hæc & ſingularis) importat naturam poſitiuam: ergo perſonalitas Petri eſt entitas poſitiua diſtincta à natura. Præterea negatio eſt formaliter nihil: ergo ſi ſuppoſitum conſtituitur formaliter negatione, ſequitur quod ſuppoſitum formaliter eſt nihil. Imo ſequitur, quod cum omnis natura rationalis ſit inclinata & propenſa in propriam perſonalitatem, quod formaliter inclinatur ad nihil. Imò ſequitur tertio quod cum dicunt Theologi verbum non aſſumpſiſſe perſonam, intelligũt, quod non aſſumpſit nihil, id eſt, illas negationes quas conſtituit Scotus. Tandem probatur quia omnis natura eſt propenſa in ſuam ſubſiſtentiam, & perſonalitatem, ſed appetitus naturalis, & realis neceſſario debet eſſe in naturam aliquam poſitiuam realem, ergo. Vltimo quia Chriſtus eſt vniuoce homo nobiſcum, ergo ſicut de facto perſonalitas Chriſti eſt realiter diſtincta ab eius humanitate, ita homo quicumque debet Chriſto aſsimilari in hoc, quod eius perſonalitas ſit diſtincta ab eius humanitate.

Tertia ſententia. ¶ Tertia ſententia communis eſt apud Scotiſtas, ſcilicet, quod ſuppoſitum ſupra naturam ſingularem non addit aliquam entitatem poſitiuam in creatis, ſed tantum duplicem negationem, actualis, & aptitudinalis dependentiæ. Pobant autem ſuam ſententiam ex Doctore in. 3. diſt. 1. quæſt. 1. & in quodl. quæſt. 19. art. 3. Pro cuius explicatione eſt aduertendum quod Doctor in illa diſt. & quæſt. 3. mediat inter duas ſententias, quarum altera erat, quod ſuppoſitum ſupra naturam addit entitatem quandam poſitiuam realem. Altera erat, quæ ponit ſolam negationem additam ipſi naturæ, & cõtra vtranque ſententiam arguit ibi, contra primam, quia tunc eſſet aliqua entitas poſitiua in natura humana, quæ eſſet inaſſumptibilis à verbo, & contra ſecundam, quia ſequeretur quod anima ſeparata eſſet perſona, quia habet illam negationem actualis dependentiæ. Quare in hac re dicit quod non aſſerendo poteſt mediari inter iſtas vias, nec concedendo cum prima via aliquã entitatem poſitiuam eſſe in natura intellectuali creata, cui repugnet contradictoriè communicari communicatione aliqua repugnante perſonæ, quia nulla videtur entitas poſitiua in natura creata, quæ non ſit poſsibilis dependere ad verbum, & ita communicabilis eo modo, quo dicitur natura cõmunicari ſuppoſito, vt qua ſuppoſitum dicitur ens in natura, puta humanitate dicitur homo, & hac humanitate hic homo. Nec cum ſecunda concedendum eſt, quod ſola negatio dependentiæ ad perſonam extrinſecam eſt completiuum formale in ratione perſonæ creatæ: ſed diſtinguendum eſt, inter dependentiam actualem, potentialem, & aptitudinalem, & hoc vocando aptitudinalem, quæ ſemper, quantum eſt de ſe, eſſet in actu, quomodo graue aptum natum eſt eſſe in centro, vbi ſemper eſſet quantum eſt de ſe, niſi eſſet impeditum. Potentialem vero, abſolute illam, vbi nulla eſt impoſsibilitas, ex repugnantia, vel in cõpoſsibilitate terminorum, & iſta poteſt eſſe, quãdoq; reſpectu potẽtiæ actiuæ ſupernaturalis, non tamen naturalis. Licet igitur ſola negatio dependentiæ actualis non ſufficiat ad rationem perſonæ, nec tertia inde pendentia poſſet poni in natura creata ad verbum, nulla enim eſt natura vel entitas creata, cui repugnet contradictoriè dependere ad verbum, tamen negatio dependentiæ aptitudinalis poteſt concedi in natura creata perſonata in ſe, ad verbum: alioquin violenter quieſceret in perſona creata, ſicut lapis violenter quieſcit ſurſum, & ita iſta negatio dependentiæ, non quidem actualis tantum, ſed etiam actualis & aptitudinalis talis complet rationem perſonæ in natura intellectuali, & ſuppoſiti in alia natura creata. Nec tamen hæc in dependentia aptitudinalis, ponit repugnantiam ad dependentiam actualem, quia licet non ſit aptitudo talis naturæ ad depẽdendum, eſt tamen aptitudo obedientiæ, quia natura illa eſt inobedientia perfecta ad dependendum per actionem agentis ſupernaturalis: & quando datur ſibi talis dependentia, perſonatur perſonalitate illa, ad quam dependet. Quando autẽ non datur, per-

perſonatur in ſe, iſta negatione formaliter, & non aliquo poſitiuo addito vltra illam entitatem poſitiuam, qua eſt hæc natura. Ex qua litera colligunt omnes expoſitores Doctoris, & ex his, quæ docet in 1. diſtin. 23. q. vnica: ratione perſonæ vltimã & formalem non eſſe aliquam entitatem poſitiuam, ſed tantum duplicem illã negationẽ dependentiæ actualis, & aptitudinalis. Quãdo igitur aliqua natura creata nõ depẽdet ab aliquo actualiter, nec aptitudinaliter, tunc talis natura eſt per ſe exiſtens, & ſuppoſitum, ſiue perſona. Vnde iuxta iſtã viam primo intelligitur natura cum ſua ſingularitate poſitiua, ſecundo quod non dependet actualiter ab alio, nec etiam habet aptitudinem, ſiue inclinationem ad aliud, & tertio intelligitur ſuppoſitum & perſona.

Notab. 1. ¶Pro explicatione tamen huius quæſtionis ſunt notanda nonnulla, quorum primũ eſt, quòd ſuppoſitum & perſona in hoc tantũ diſtinguũtur, quia perſona dicitur ſuppoſitum in natura intellectuali. Suppoſitũ autem dicitur illud idem, quòd perſona ſecluſo hoc quod ſit in natura intellectuali. Suppoſitum igitur nihil aliud eſt quam natura ſingularis per ſe exiſtens, ſiue ſubſiſtens, & tota difficultas huius quæſtionis conſiſtit in hoc, ſcilicet, quid ſit illud, per quod natura ſingularis ſit per ſe exiſtens, vel ſubſiſtens.

Notab. 2. ¶Secundò eſt notandũ, quòd ratio ſuppoſiti vel perſonæ, qua vltimatè conſtituitur natura ſingularis in eſſe incõmunicabilis, & perſonæ, non eſt aliqua forma informãs ipſam naturam ſingularem, quia tunc non poſſet perſonalitas Verbi ſupplere vices illius, ſed tantum eſt terminus purus, ac vltimus naturæ ſubſtãtialis rationalis, ac per conſequens ita Philoſophandum eſt de illa, ſicut de termino puro, ac vltimo cuiuſcunque rei, quare ita ſe habet iſta ratio ad naturam ſingularem, ſicut ſe habet pũctus ad lineam, nam linea puncto terminatur, nec dicitur hæc linea vna numero ab alia numero diſtincta, niſi quia habet hunc punctum, ab alio, numero diſtinctum ipſam terminantem. Ex quo infertur quod cum ratio termini nõ dicat aliquam cauſalitatem, quòd perſonalitas verbi terminans naturã humanam, non cauſat aliquid per modum cauſæ, quia tantum ſe habet per modum termini.

¶Tertiò eſt notandum, quòd perſonã, vel naturam per ſe ſubſiſtentem poſſumus primo conſiderare iuxta ſententiam Thomiſtarum, ſcilicet, conſiderando ipſam naturam habentem ſingularitatem, & illam entitatem poſitiuam, quæ (vt ipſi dicunt) realiter diſtinguitur à natura ſingulari, vltimateque complet illam, & deinde duplicem negationem communicabilitatis, vt quo, & vt quod, quę negationes inſunt ipſi perſonæ propter illam entitatem poſitiuam, quæ vltimatè complet ipſam naturã, & reddit illam ſuppoſitum, vel perſonam. *Notab. 3.* *Nota hoc valde.* Poteſt etiam conſiderari perſona iuxta ſententiam Scotiſtarum, ſcilicet, conſiderando, primò naturã ſingularem, atque indiuiduam; & ſecundò quod non dependet, nec terminatur aliquo extrinſeco, nec dicit inclinationem, ſiue aptitudinem ad illud. Et tertiò, ex hoc ipſo quod iſta natura ſingularis & indiuidua nõ dependet ab alio, nec dicit aptitudinem ad illud, ſtatim conſidero illam per ſe ſtantem, ſiue ſubſiſtentem, & per hoc ſuppoſitum, vel perſonam. Ex quo clarè colligitur quomodo illa duplex negatio ponitur in natura indiuidua, non propter aliquam affirmationem, (quæ in ipſa reperiatur diſtincta aliquo modo ab ipſa natura indiuidua) ſed propter negationem actus dependendi ad ſuppoſitum extrinſecum. Et ratio huius eſt, quia quæcunque natura creata ſubſtantialis habet duplicem rationem, alteram propriam, alterã vero communẽ, quæ dicitur potentia obedientialis; & hoc commune eſt omnibus rebus, ſicut v.g. graue habet duplicem rationem, alteram ſibi propriam, & alteram cõmunem, ratio ſibi propria eſt grauitas, ſiue eſſe graue, & per hanc diſtinguitur à quocumque quod non eſt graue: ratio ſibi cõmunis eſt eſſe partem vniuerſi, & eſſe in potentia obedientiali reſpectu cuiuſcumque ad bonum vniuerſi pertinentis. Ex hac igitur duplici ratione inſurgit in ipſo graui duplex naturalis inclinatio, altera, quia appetit propriam perfectionem ipſius grauis inquantũ graue eſt, & ob hoc moueri deorſum eſt ſibi naturale, moueri autem ſurſum eſt ſibi violentum, ſi autem graue conſideretur, quatenùs eſt pars vniuerſi, appetit naturaliter perfectionem vniuerſi, & vt ſic ne detur vacuum aſcendit ſurſum motu naturali, quia ille motus conuenit illi iuxta potentiam obedientialem, quæ potentia obedien-

obedientialis dicit ipſam naturam grauis, prout dicit ordinem ad vniuerſum, ſicut igitur graue ſtatim deſcenderet deorſum cum primum mouetur ſurſum ſi à cauſa ſuperiori non præueniretur: ita in præſentiarum philoſophandum eſt. Natura enim humana poteſt conſiderari dupliciter, Vno modo ſecundùm ſuam propriam rationem, & quatenus eſt natura humana, & quatenus ea quæ ſunt naturæ humanæ aut ſic ſibi conueniunt, Secundo modo, quatenus eſt in potentia obedientiali ad Deum. Si primo modo conſideretur, naturalem inclinationem habet ad per ſe ſubſiſtendum per ſubſiſtentiam propriam. Si autem ſecundo modo, naturaliter appetit obedire Deo, & per conſequens ſubſiſtere per ſubſiſtentiam ſibi poſſibilem à Deo illi determinatam. Vnde ſicut in graui conſideramus naturam grauis, quatenus graue eſt, & naturam grauis, quatenus eſt in potentia obedientiali ad motus ſurſum, ita in natura humana poſſumus conſiderare illam, & vt natura humana eſt, & vt eſt in potentia obedientiali ad Deum. Si conſideremus illam primo modo, habet naturalem inclinationem ad ſubſiſtendum in ſe, & non in alio. Si autem ſecundo modo habet naturalem inclinationem ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia diuina vel alia quauis ſibi poſsibili, à Deo determinata. Ex quo prouenit ſecundò, quod ſicut in graui, ad motum deorſum non ponimus aliquid, (ſi non eſt præuentum à cauſa ſuperiori) vt (ne detur vacuum) aſcendat ſurſum, ſed eo ipſo, quo non mouetur ſurſum dicimus moueri deorſum) ita natura humana (quæ naturaliter appetit ipſum per ſe ſubſiſtere, ſicut graue moueri deorſum) ſi non præuenitur à cauſa ſuperiori, nẽpe à Deo, per ſeipſam ſine aliquo poſitiuo addito) per ſe ſubſiſtit. Vnde iſta per ſe ſubſiſtentia, cõſequitur ad iſtud, quod non ab alio dependeat actualiter, nec aptitudinaliter, id eſt, ſicut eo ipſo, quod graue non præuenitur à cauſa ſuperiori, vt aſcendat ſurſum, mouetur deorſum, ita natura humana, eo ipſo (quod à Deo non præuenitur) per ſe ſubſiſtit, & eſt perſona. Cum ergo ad hoc quod non præueniatur, non ſit neceſſaria aliqua entitas poſitiua, ideò nec ad rationem perſonæ vltra naturam ſingularem indiuiduam non eſt neceſſaria aliqua entitas poſitiua. Et ita mihi videtur intelligenda ſententia Doctoris & Scotiſtarum.

¶ Vltimò eſt notandũ, quòd quanuis prædicta maximam probabilitatem habeant) pro nunc tamen videtur mihi dicendum, quod quanuis illa duplex negatio non conſequatur ad aliquam entitatem poſitiuam realiter diſtinctam à natura ſingulari, indiuidua, nihilominus tamen, neceſſariò præſupponit modum realem, non diſtinctum realiter à natura ſingulari, ſed tantum formaliter negatiuè. Itaque conſidero ego naturam ſingularem, & ex eo, quod non præuenitur à Deo, conſurgit in illa quidam modus realis, qui dicitur per ſe ſubſiſtentia, ad quam conſequitur illa duplex negatio dependentiæ, & ad illam duplicẽ negationẽ dependentiæ, ſequitur illa duplex negatio cõmunicabilitatis, quia ad eſſe ſuppoſiti vel perſonæ ſequitur nõ poſſe communicari, nec vt quo, nec vt quod. *Vlt. not.*

¶ Prima concluſio. Ratio ſuppoſiti vel perſona ſupra naturam non addit ſolam materiam vel ſola accidentia. Hæc concluſio eſt de fide contra quoſdam, quos refert Diuus Thomas quodlib. 2. artic. 4. & contra quoſdam, quos refert Durand. in. 1. diſtinct. 34. quæſtio. 1. & probatur, quia de fide eſt in Chriſto Domino reperiri corpus & animam rationalem, & non propriam perſonalitatem, ergo cum in Chriſto Domino reperiatur materia, & nõ perſonalitas, perſonalitas ſupra naturam non addit ſolam materiam. Secunda autem pars probatur, quia accidentia non faciunt vnum per ſe, nec pertinent ad prædicamentum ſubſtantiæ, perſonalitas autem pertinet ad prædicamentum ſubſtantiæ, & facit vnum per ſe, quia aduenit enti in completo, ergo. *Prima cõcluſio.*

¶ Secunda concluſio. Probabile eſt perſonalitatem addere ſuprà naturam entitatem realem poſitiuam realiter à natura diſtinctam. Hæc concluſio probatur, quia communiter defenditur à diſcipulis Diui Thomæ tanquam eius ſententia. 1. par. quæſt. 3. art. 3. & quæſt. 29. & 3. par. quæſt. 2. art. 2. & quæſt. 4. art. 2. & 4. & quæſt. 16. art. vltim. in reſponſionibus argumentorum, & quodlib. 2. q. 3. art. 4. Eandem docet D. Bonauentura, Ricardus, & Alber. in. 3. diſtinctione. 5. & 6. Alexander Alenſis. 3. parte quæſtione. 4. membro. 6. vſque ad 8. Probatur autem, quia nulla negatio realiter aduenit alicui, niſi ratione alicuius af- *Secunda concluſio.*

K firma-

firmationis. Ideò enim paries non eſt albus à parte rei, quia habet alium colorem vnde quanuis poſsit conſiderari abſque vllo colore, naturaliter tamen non poteſt reperiri abſque vllo colore, ſi ergo in ſubiecto quod eſt in potentia neutra ad quamcunque affirmationem, non eſt dabilis negatio à parte rei ſine affirmatione præ ſuppoſita, ergo nulla negatio ineſt alicui, niſi ratione alicuius affirmationis.

Tertia conclufio. ¶Tertia concluſio. Probabile eſt ſuppoſitum ſupra naturam ſingularem nihil addere poſitiuum ſed tantum duplicem negationem dependentiæ actualis & aptitudinalis. Hanc concluſionem probant nonnulli ex diſcipulis Scoti ex Doctore in 1. diſtinct. 23. & 25. & ex 3. diſtin. 1. quæſt. 1. & quodlib. 19. articulo. 3. quam docet Ioannes de Neapoli & Henric. quodlib. 4. quæſtione. 3. Explicant tamen illam dicentes, quòd ſicuti in natura accidentali (nempè in quantitate) reperitur modus eſſendi in alio, ſcilicet, in ſubiecto, cui inhæret, ſupernaturaliter tamen manente eadem natura quantitatis, imò cum eadem exiſtentia, cum qua erat in ſubiecto, conſequitur modus eſſendi ſubſtantiæ, qui erat eſſe per ſe, ſeparatum à ſubiecto: ita natura ſingularis, & integra, quæ naturaliter habet modum eſſendi per ſe, & ſeparatũ, ſupernaturaliter tamẽ per aſſumptionẽ ad vnionẽ hypoſthaticã, cõſequitur alium modum eſſendi in alieno, ſcilicet, ſuppoſito, ergo ſicuti eadem natura accidentalis cum ſua exiſtentia, ſine eo, quod addatur ei aliqua entitas poſitiua, conſequitur, & acquirit iſtos duos modos eſſendi, naturalem, ſcilicet & ſupernaturalem, ita natura ſubſtantialis & completa, ſine hoc, quod addatur ei aliqua entitas poſitiua habet diuerſos modos eſſendi, alterum naturalem, dum eſt per ſe ſeparatim à quocunque ſuppoſito extrinſeco, qua ratione dicitur habere propriam perſonalitatem, alterum ſupernaturalem dum non eſt per ſe ſeparatim ſed in alieno ſuppoſito.

Confirm. ¶Confirmatur. Si eſſet aliqua entitas poſitiua illud, quod addit ſuppoſitum ſupra naturam, ergo Verbum non poſſet dimittere illam naturam, quam ſemel aſſumpſit. Probatur ſequela, quia ſi dimitteretur, non poſſet illa natura eſſe per ſe ſeparatim, niſi adderetur illi illa noua entitas poſitiua, ſed non apparet à quo poſſit illam habere, ergo. Si reſpondeas quod naturali ſequela conſequeretur illa entitas naturam dimiſſam per emanationem quandam, ſicuti propriæ paſsiones conſequuntur eſſentiam, & ſicuti motus grauis, vel leuis ſequitur eorum naturam. Contra, quia vt docet D. Thom. de ente & eſſentia, cap. 5. impoſsibile eſt quod ipſa exiſtentia cauſetur ab eſſentia efficienter ſicuti cauſantur paſsiones. Et ratio eſt. Nam Ariſt. 3. Phyſic. tex. 17. dicit, impoſsibile eſt quod aliquid cauſet aliquid efficiẽter quin ſit & exiſtat, ergo eſſentia prout præintelligitur exiſtẽtiæ nõ poteſt efficienter cauſare exiſtẽtiam. Patet ſequela, nã aliàs ſequeretur quod idem poſſet cauſare ſeipſum, quod vt impoſsibile refutat Ariſt. 2. de Anima, tex. 47. Patet, nam nullum aliud inconueniens ſequitur ex hoc quod aliquid cauſet ſeipſum, quod non ſequatur, ex hoc quod eſſentia cauſet exiſtentiam, quia ſi aliquid cauſat ſeipſum efficienter ſequitur quod iam ſit vt cauſare poſsit, vt autem poſsit cauſari requiritur quod non ſit, ergo ſimul eſſet & non eſſet. Sic in propoſito, vt eſſentia poſsit cauſare exiſtentiam efficiẽter debet exiſtere, vt autem poſsit cauſari non debet exiſtere, ergo ſimul deberet exiſtere & nõ exiſtere. ¶Confirmatur ex D. Tho. 2. contra gentes, cap. 68. vbi in ſecunda ratione expreſsè docet quod forma non poteſt cauſare exiſtentiam efficienter, quia cauſa & effectus nunquã habent eãdem exiſtẽtiam.

Concluſio autoris. ¶Vltima concluſio. Probabilius mihi apparet, quod ratio ſuppoſiti vel perſonæ addit ſupra naturam ſingularem, & indiuiduam, modum quendam realem poſitiuum, ſcilicet, eſſe per ſe: ad quem cõſequitur duplex illa negatio, vel qui non poteſt perfectè explicari niſi per illam duplicem negationem. Hanc concluſionem Lichetus defendit in. 1. diſtin. 28. & colligitur ex multis locis Doctoris. Probatur tamen exemplo, & ratione. Exemplo. Nam ſubſtantia quanuis ab Ariſt. definiatur, quod in nullo eſt, & nulli inhæret, illa tamẽ duplex negatio, nõ eſt ratio formalis ſubſtãtiæ, ſed eſſe per ſe, ad quod cõſequitur illa duplex negatio. Similiter linea quanuis dicatur hæc, ex eo quod vltra nõ progreditur, nihilominus tamẽ ratio lineæ, quatenus hæc, conſiſtit in hoc, quod eſt puncto terminata, ad quã terminationem conſequitur illa duplex negatio, ſcilicet, vltra non progreditur, nec poteſt

teſt protendi. Nam ſi vltra protenditur iam erit alia linea. Ita in propoſito, ratio quare natura humana eſt perſona, non eſt formaliter illa duplex negatio incommunicabilitatis, ſed eſſe terminatam quod eſt quaſi punctus in linea, & modus quidam realis ad quem conſequitur, vt nec actu nec aptitudine ab alio extrinſeco dependeat.

Secundum argum. ¶ Secundò probatur ratione. Nulla negatio actualiter ineſt alicui reſpectu alicuius affirmationis poſsibilis, niſi reſpectu alicuius affirmationis, quam in ſe actualiter habeat, ergo iſta duplex incommunicabilitas conuenit naturæ ſingulari propter aliquam affirmationem in illa realiter exiſtentem. Probatur ſequela. Tales negationes non conueniunt naturæ ex ratione formali ipſius naturæ, ergo debent conuenire ratione alicuius de nouo poſiti in ipſa natura. Patet ſequela, quia natura perſonata aliter ſe habet nunc quam prius, quia antea non erat perſonata, ergo per aliquid in ipſa repertum, quod antea non reperiebatur, illud autem non poteſt eſſe illa duplex negatio, quia negatio non ponitur in aliquo per ſe, ergo debet eſſe affirmatio, ſed non entitas realiter diſtincta à natura, ergo modus quidam realis, non idem formaliter cum natura.

Tertium argum. ¶ Tertiò. Perſonalitas creata eſt perfectio naturæ, ergo non negatio. Si reſpondeas quod negatio perfectionis non eſt perfectio, at vero negatio imperfectionis perfectio eſt, & cùm iſta duplex negatio ſit negatio imperfectionis, erit perfectio ipſius naturæ. Contra. Natura ante iſtam duplicem negationem eſt imperfecta, & perfectibilis, ſed negatio nihil poteſt perficere per ſe, ergo nec per ſe poteſt eſſe perfectio. Probatur minor: quia negatio nihil ponit in natura, ſed natura creata perſonalitate perficitur, ergo perſonalitas aliquid ponit in natura, & per conſequens perſonalitas non poteſt eſſe negatio.

Vltima cõcluſio. ¶ Vltima concluſio. Perſonalitas non eſt entitas realiter diſtincta à natura. Hæc concluſio eſt contra Autores ſecundæ ſententiæ, & probatur, quia non eſt ponenda pluralitas ſine neceſsitate cogente, ſed nulla neceſsitas cogit nos ad ponendum prædictam entitatem realiter diſtinctam, cum ſatis ſit non identitas formalis (vt diximus quæſtione præcedenti de eſſentia & exiſtentia) ergo.

¶ Confirmatur. Quia quæcunque entitas realis reperta in natura, eſt in potentia obedientiali, ſicuti & ipſa natura, non tantum dependentia effectus ad cauſam, ſed etiam hac dependentia naturæ ad ſuppoſitum, quia nulla realitas naturæ eſt inaſſumptibilis, ergo.

Ad primũ argum. pro prima ſententia. ¶ Ad argumenta pro prima ſententia. Reſpondetur ad primum, quod ſicut album ſignificat albedinem & ſuppoſitum, ita Petrus ſignificat naturam, & rationem ſuppoſiti, & cum album pluſquam ratione diſtinguatur ab albedine, ita Petrus pluſquam ratione diſtinguitur ab humanitate, nec idem eſt dicere homo & humanitas, Petrus & humanitas, quia ly homo non conuertitur cum Petro, cum Petrus ſupra hominem addat rationem ſuppoſiti. Et per hoc reſpondetur ad confirmationem.

Ad ſecundũ argum. pro ſecũda ſententia. ¶ Ad argumenta pro ſecunda ſententia reſpondetur, quod illa tantum probant noſtram concluſionem. Nec ex hoc quod ponatur in natura aliqua affirmatio, vel aliquid poſitiuum intrinſecum, quod ſit ſubſiſtentia, & complementum perſonale ipſius naturæ ſequitur, quod realiter à natura diſtinguatur. Vnde ad quintum argumentum reſpondetur concedendo antecedens, & negando ſequelam quam tenebantur probare. Ad vltimum reſpondetur concedendo antecedens, & negando ſequelam, quia perſonalitas Chriſti eſt extrinſeca naturæ humanæ omnibus modis, id eſt, quia nullo modo profluit, nec conſequitur naturam humanam ex ratione formali ipſius: at vero perſonalitas propria, quamuis ſit extrinſeca naturæ, quia non eſt de quidditate illius, eſt tamen aliquo modo intrinſeca quia profluit à principijs intrinſecis ipſius ſi aliunde non impediatur.

¶ Ad argumenta pro ſententia Scotiſtarum facilis eſt reſponſio, ſcilicet, quod ille modus per ſe exiſtendi conſequitur naturam exiſtentem, licet non ſubſiſtentem, quia per illam ſubſiſtit, &c.

TEXTVS.

TEnenda eſt ergo concluſio ſimpliciter oppoſita, quod ſcilicet ſimplici-

pliciter poſsibile eſt, plures Angelos eſſe in eadem ſpecie.

EXPLICATIO LITERÆ.

DOCTOR in hac litera tres ſupponit propoſitiones, quarum prima eſt. Omnis natura quæ non eſt actus purus, poteſt ſecundum illam realitatem, ſecundum quam eſt natura, eſſe poſsibilis, ad realitatem illam, qua eſt hæc natura, & per hoc excluditur eſſentia diuina quæ eſt actus purus, & nulla potentialitas eſt in ea, & quia illa natura, quæ non eſt actus purus poteſt eſſe hæc, per aliquid actuale, aliquo modo diſtinctum ab ea, quod in ſe non includit, & quia nullam entitatem ſingularem includit, ideo non repugnat ſibi eſſe quæcunque talibus realitatibus.

¶Secunda propoſitio. In eo quod eſt neceſſe eſſe (ſcilicet in Deo) eſt determinatio in natura ad eſſe hæc, & ratio eſt, quia quicquid poteſt ibi eſſe, eſt, cum in neceſſarijs non differat eſſe à poſſe, nam ſi differrent, aliquid poſſet eſſe, & non eſſet, & per conſequens non eſſet neceſſarium ipſum eſſe, vnde in tali neceſſario eſt determinatio ad intra, & non eſt nec poteſt eſſe determinatio per aliquod extrinſecum, quare ſi talis natura, vt in Deo, non eſſet de ſe hæc, ſed poſſet eſſe, in multis de facto eſſet, & ſi poſſet eſſe in infinitis de facto eſſet, quia non eſſet à quo poſſet determinari vt non ſit in infinitis.

¶Tertia propoſitio. In natura contingenti & potentiali non eſt determinatio in natura ad eſſe hæc, vnde poteſt ibi eſſe multitudo determinabilis à Deo, ita vt ſi in ſpecie Angelica velit Deus vnicum tantum eſſe Angelum, vel plures, hoc poterit facere pro ſuæ voluntatis arbitrio. His igitur ſic conſtitutis ponit Doctor in hac litera hanc concluſionem. Poſsibile eſt plures Angelos eſſe in eadem ſpecie, quia iſta concluſio latè probabitur in quæſtione ſit quæſtio quarta.

QVÆSTIO IIII.

¶Vtrùm de potentia Dei abſoluta poſſit Deus plures Angelos creare in eadem ſpecie, &c.

Prima ſententia. DE hac re eſt prima ſententia Diui Bonauenturæ in. 2. diſtinctione. 3. articulo. 2. quæſtione. 1. numero. 27. aſſerentis in Angelis ponendam eſſe diſtinctionem quantum ad perſonalitatem tantummodo, aut in omnibus aut in aliquibus, & quod oppoſita ſententia, ſcilicet, quod tot ſunt ſpecies quot indiuidua, non videtur rationabilis in ſpiritibus, vt nullus communicet cum alio in natura ſpirituali & ſpecifica. Probat autem ſuam ſententiam primò, quoniam differentia Angelorum innoteſcit nobis, vel per Scripturam vel ex dictis Sanctorum, vel per officia, ſed multi Angeli ordinantur ad eandem operationem, & commune videntur habere officium, ergo.

Secunda ſententia. ¶Secunda ſententia eſt quorundam Thomiſtarum ſuper primam partem quæſt. 50. artic. 4. aſſerentium, quod licet de potentia abſoluta poſſent eſſe plures Angeli ſolo numero diuerſi intra eandem ſpeciem ſpecialiſsimam, de facto tamen omnes Angeli quotquot modo ſunt differunt ſpecie, itaque quot ſunt Angeli tot ſunt ſpecies, & nulli eorum differunt ſolo numero. Hanc ſententiam probant quoad vtranque partem, quia tamen quoad primam nobiſcum ſentiunt, quoad ſecundam tamen probatur. ***Primum argum.*** Primo, quia illam ſentiunt, & defendunt Diuus Thomas de ſpirituali creatione, articulo. 8. & 2. contra gentes, capite. 93. Caietan. de ente & eſſentia, capite. 5. quæſtione. 9. Capreolus in. 2. diſtinctione. 3. quæſtione prima, concluſione. 5. Thom. de Argent. quæſtione. 1. articulo. 2. Abulenſis paradox. 4. capit. 34. & ſuper capit. 21. Numerorum, quæſtione. 99. ***Secundum argum.*** Secundò probatur ratione, primò, differentia quæ ſumitur à forma, eſt ſpecifica, vnde homo & equus ſpecie differunt, quia differunt forma, ſed omnes Angeli ſunt puriſsimæ formæ ſequeſtratæ ab omni materia, igitur ſi differunt forma differunt ſpecie. Hæc ratio eſt Ariſtotelis 12. Metaphyſicæ, textu 49. Secundò, ſpecie diuerſæ, nihil aliud ſunt quam diuerſi quidam gradus eſſentiales inter ſe diſtincti & differentes, ſicut docet Ariſtoteles. 8. Metaphyſ. text. 10. vbi ait, quòd ſpecies rerum ſunt ſicut numeri, in quibus detracta vel addita vnitate ſoluitur ſpecies, & noua conſtituitur, ſed iſtæ ſubſtan-

tiæ intellectuales & purè ſpirituales ſunt quidem gradus eſſentiales inter ſe differentes maiori vel minori perfectione, ergo ſunt ſpecie diſtincti. Vnde Ariſtoteles 12. Metaphyſicæ, text. 49. dicit, quod ſi darentur duo prima principia, quæ ſolo numero differrent, neceſſario conſtarent ex materia, quia indiuidualis diſtinctio ex ſola materia poteſt deſumi, igitur cum Angeli non conſtent ex materia non poſſunt ſolo numero differre.

Confirm. ¶Confirmatur. Omnis diſtinctio ſumenda eſt vel à forma vel à materia (ſi loquamur de diſtinctione ſubſtantiali indiuidua) ſed in Angelis materia non eſt principium indiuidualis diſtinctionis, quia in eis non reperitur: forma verò non poteſt eſſe principium indiuidualis diſtinctionis, ſed ſpecificæ & eſſentialis, quoniam omnis diſtinctio, quæ tanquam à radice originatur à forma, vt ſic, eſſentialis eſt, & ſpecifica cum ſit forma principium conſtitutiuum eſſentiæ, igitur de facto omnis Angelorum diſtinctio eſſentialis & ſpecifica eſt.

Tertium argum. ¶Tertiò. Multiplicatio indiuiduorum non eſt per ſe intenta à natura niſi ob ſpeciei æternitatem, & conſeruationem, & idcirco in incorruptibilibus, quæ cernimus non reperitur niſi vnicum indiuiduum in vna ſpecie, ſicut vnus ſol, & hunc ordinem ſeruauit tanquam valde conſonum diuina prouidentia, ſed ſpecies Angelica in vno indiuiduo poteſt perpetuo conſeruari, ergo in vna ſpecie vnum tantum debet indiuiduum conſtitui.

Confirm. ¶Confirmatur. Quia propterea multiplicantur indiuidua, quia tota plenitudo, & perfectio ſpeciei non reperitur plenariè in vno ſolo indiuiduo, v. g. in vno homine non reperitur tota plenitudo humanæ ſpeciei ad quam ſpectat quod ſe communicet, & idcirco fœmina indiget, ſed in vnoquoque indiuiduo naturæ Angelicæ reperitur tota plenitudo ſuæ ſpeciei, quia non pertinet ad eum quod generet alium, nec quod conſeruetur in alio, cum ipſe ſit incorruptibilis, ergo non eſt niſi vnicum indiuiduum Angelicum in vnaquaque ſpecie. Confirmatur. Profectò ſi daretur natura humana ſeparata ab omni materia, illa eſſet vna ſimpliciter, & nullam pateretur diuiſionem. Vnde Platonici, qui ponebant naturas ſpecificas à materia ſeparatas, conſtituebant in eis omnimodam vnitatem, cuius ratio ea erat, quoniam à forma vt forma eſt, non poteſt ſumi aliqua numeralis diſtinctio, ſed quæcunque Angelica ſpecies exiſtit ſeparata ab omni materia, igitur eſt vna nullam admittens diſtinctionem numeralem.

Confirm. ¶Confirmatur. Quoniam ſi per impoſsibile Deus produceret hominem, quem concipimus abſtractum ab indiuiduis in quibus eſt, talis homo non poteſt eſſe niſi vnus qui ſeipſo diſtingueretur ab equo ſic producto, ergo cum natura Angelica ſit ita abſtracta, imo magis à materia quam eſſet ille homo, ſequitur quod non poterit eſſe niſi vnus Angelus intra eandem ſpeciem.

Vltimò. ¶Vltimo perſuadetur hæc veritas argumento Caietani de ente & eſſentia. 15. quæſtione. 9. Pro quo ſupponit Caietanus quod cum duplex ſit ordo rerum inter ſe, alter per ſe, qualis eſt ordo ſpecierum, alter vero per accidens, qualis eſt ordo indiuiduorum iuxta ſententiam Philoſophi 3. Metaphyſ. & 8. textu. 10. ille ordo eſt purior & ſimplicior, qui totus eſt per ſe nihil habens per accidens, vt docet Ariſtot. 12. Metaphyſicæ, text. 52. & conſequenter ea erunt melius & perfectius ordinata, quæ habent ordinem per ſe, vacant autem ordine per accidens. Supponit deinde Caietanus ex eodem Ariſtotele textu. 51. quod bonum intrinſecum totius vniuerſi conſiſtit in ordine, ſicut etiam bonum ſanitatis conſiſtit in quadam commẽſuratione qualitatum. Quibus ſuppoſitis argumentum Caietani tale eſt. Illa entia, quæ in rerum natura excellentiora ſunt, & puriora, debent eſſe magis, & perfectius ordinata, igitur debent eſſe ordinata ordine puriori, ergo ordine per ſe, ergo non habent plura indiuidua eiuſdem ſpeciei intra ſe. Conſequentia patet ex ſuppoſitis.

Tertia ſententia Caietani. ¶Tertia ſententia Caietani eſt aſſerentis de potentia abſoluta Dei non poſſe eſſe plures Angelos in eadem ſpecie infima; ita docet de ente & eſſentia capite. 5. quæſtione. 9. Pro cuius explicatione aduertunt nonnulli tria eſſe de ratione naturæ ſpecificæ, prout diſtinguitur ab alijs gradibus rerum. Primum eſt quod ratione eius gradus, quo formaliter conſtituitur in vltimo eſſe, importat certam aliquam naturam, & in hoc diſtinguitur à tranſcenden- *Notab. 1.*

 tibus

tibus hoc vltimum conſtitutiuum naturæ ſpecificæ, quia non important determinatam naturam & ab indiuiduis, quia non important ſecundùm eam rationem, qua formaliter conſtituunt aliquam certam naturam, ſed modum & determinationem naturæ. v. g. Petrus non importat naturam diſtinctam ab humana, ſed ſolum addit illi principium indiuiduationis quo determinatur ad eſſe huius indiuidui. Secundum eſt quod cum huiuſmodi natura finita ſit, & ob hoc excluditur natura diuina à ratione naturæ ſpecificæ, quia cum ſit infinita & purus actus non ponitur ſub genere nec componitur ex genere & differentia. Tertium eſt quod etiam hæc natura ſit vltimo terminata formaliter, hoc eſt quod actus, quo vltimo conſtituitur in ſuo eſſe, ſit vltimus, & non relinquat eam in potentia ad aliquem actum formalem, & per hoc diſtinguitur à natura generica. Hæc tria inueniuntur in natura angelica.

Notab. 2. ¶Secundò aduertunt ex D. Tho. in quæſt. de ſpiritualibus creaturis quod naturã ſpecificam communicari alicui indiuiduo aliqua media differentia indiuiduali ipſi ſuperaddita falſum eſt, quia natura ſpecifica in Angelis ſeipſa eſt indiuidua & non ſit ſingularis per aliquam differentiam ſibi ſuperadditam. Nec obſtat quod natura angelica ſit indiuidua aliqua differentia indiuiduali, quia de ratione cuiuſcunque indiuidui eſt quod ſit indiuiſum à ſe & diuiſum à quolibet alio: hoc autem ſine aliqua differentia nequit intelligi: talis autem differentia non poteſt eſſe ſpecifica, ergo debet eſſe indiuidualis ſuperaddita. Probatur minor. Quia differentia ſpecifica eſt formalis, ergo non poteſt conſtituere indiuiduũ in ratione indiuidui alioquin indiuidua, vt indiuidua, diſtinguerentur formaliter.

¶Et præterea, quia differentia indiuidualis limitat, & determinat naturam ſpecificam, ergo differentia ſpecifica non poteſt eſſe indiuidualis, aliàs idem limitaret ſeipſum. Reſpondetur negando minorẽ, & ad primã probationem, conceſſo antecedente, neganda eſt conſequentia, quia vbi differentia formalis eſt omnino incommunicabilis, bene poteſt eſſe indiuidua, & quamuis indiuidua, vt indiuidua ſunt, non differãt, formaliter tamen vt talia indiuidua ſunt, hoc eſt quod nullum gradum poſitiuum addunt naturæ ſpecificæ, bene poſſunt ita differre. Et ad ſecundam probationem negandum eſt antecedens ſi vniuerſaliter intelligatur. Illud enim vt in plurimum, poteſt eſſe verum de differentia indiuiduali quæ ſuperaddita naturæ ſpecificæ. Ad rationem autem differentiæ indiuidualis, ſatis eſt quod ratione ipſius natura ſpecifica ſit incommunicabilis indiuiduis, ad hoc autem impertinens eſt quod talis natura conſtituatur, etiam in eſſe naturæ ſpecificæ, per eandem differentiam vel per aliam. Vnde differentia in Angelis æquè primo & immediatè conſtituit naturam ſpecificam & indiuiduum. Et ratio huius eſt, quia differentia ſpecifica, quatenus eſt quidam actus vltimo completus formaliter & irreceptibilis in alio, & ex conſequenti incommunicabilis indiuiduis, conſtituit naturam ſpecificam in Angelis, ergo quantum eſt ex parte ſua, æquè immediatè conſtituit eam in ratione naturæ ſpecificæ, & in ratione omnino incommunicabilis ſeu ſingularis. Antecedens patet, quia in illa differentia actualitas & irreceptibilitas nullo modo diſtinguuntur, nec fundamentaliter, aut virtualiter, ergo impoſſibile eſt quod aliquid conſtituat ſecundùm ſuam actualitatem, & non vt eſt irreceptibile. Et ex hoc patet conſequentia, quia ſi nihil poteſt conſtituere ſecundùm vnam rationem, quin conſtituat illud ſecundùm alteram, ſequitur quod æquè primò conſtituat naturam ſpecificam in eſſe naturæ & in eſſe incommunicabilis, quoniam ratione ſuæ actualitatis conſtituit eam in eſſe naturæ, & quatenus eſt irreceptibilis reddit eam omnino incommunicabilem, ſicut v. g. differentia generica æquè primò & immediatè conſtituit gradum genericum in eſſe naturæ genericæ, & in eſſe potentialis & contrahibilis per differentias formales, quoniam ipſa conſtituit, vt eſt actus non vltimus & incompletus, & ſimiliter differentia ſpecifica in rebus materialibus æquè immediatè conſtituit gradum ſpecificum in eſſe naturæ ſpecificæ, & in eſſe determinabilis per differentias indiuiduales, quoniã conſtituit quatenus eſt actus vltimo completus formaliter, receptibilis tamen in materia, & ex cõſequenti determinabilis differẽtijs indiuidualibus. Si autẽ hæc differentia præſtaret illa duo ſeruato ordine inter ipſa neceſſario eſſet diſtinguẽdus gradus ſpecificus ab indiuiduo, qm̃ eius cõſtitutio præſupponeretur conſti-

conſtitutioni indiuidui, quod falſum eſt.

3. Notab. pro Caiet. ¶Tertiò aduertunt quod vnitas ſpecifica dupliciter poteſt ſumi: vno modo propriè aut ſtrictè, ſecundo modo latè, ſiue largo modo, ſi ſumatur largo modo, eſt quædam vnitas communicabilis, & communis conueniens ſpeciei vniuerſali, & hac ratione ſumitur à Porphyrio cap. de ſpecie, cum in quit. Participatione ſpeciei plures homines ſunt vnus homo, & hoc modo ſumitur contra vnitatem numericam, ſi autem ſecundo modo ſumatur vnitas ſpecifica, non eſt communis etiam fundamentaliter, nec poſtulat quod huic, cui conuenit ſit natura communis, nec condiſtinguitur contra vnitatem numericam, ſed poteſt coincidere cum ea dummodo conſequatur differentiam formalem, & conſtitutiuam naturæ ſpecificæ. Ex his autem duobus modis vnitatis ſpecificæ, prior non conuenit ei, quod in Angelis appellatur ſpecies infima, quoniam ſpecies Angeli non eſt ſpecies vniuerſalis, ſed ſolum eſt natura ſpecifica. Vnitas tamen ſpecifica ſecundo modo bene cõuenit naturæ angelicæ, quoniam licet propria vnitas naturæ angelicæ ſit numerica, tamen hæc aliquo modo & latè poteſt dici ſpecifica, quia conſequitur ad differentiam formalem & conſtitutiuã naturæ ſpecificæ, & ita conſtat quod eo modo, quo in Angelis eſt vnitas ſpecifica, non diſtinguitur à numerica, quia ſicut vnitas ſpecifica ſumitur prædictis duobus modis, ita etiam & diſtinctio ſpecifica, quæ ipſi opponitur, ſumitur & alijs duobus modis, ſcilicet, prout opponitur priori vnitati ſpecificæ, & prout opponitur poſteriori, & quod duo Angeli conuenientes in eodem genere proximo non diſtinguuntur ſpecie priori modo, ſed poſteriori, ad quod ſatis eſt quod differant differentijs formalibus & ſpecificis, hoc eſt conſtitutiuis naturæ ſpecificæ, quanuis non vniuerſalis aut communis. Nec obſtat quod in Angelo reperiatur duplex indiuiſio, ſcilicet, formalis & indiuidualis, quoniam vnitas non eſt indiuiſio negatiua, ſed modus poſitiuus per eam explicatus, in Angelo verò non multiplicantur poſitiua, quæ ſunt rationes illarum negationum, ſed eadem differentia eſt ſufficiens fundamentum vtriuſque, quoniam ſecundùm propriam rationem eſt vltima actualitas formalis, & irreceptibilis in alio, & ex conſequenti incommunicabilis indiuiduis. Vnde non eſt imaginandum quod ſit aliquid in Angelo, quod ſit fundamentum diſtinctionis & ordinis inter gradum ſpecificum, & differentiam indiuidualem, ſicut datur fundamentum diſtinctionis, & ordinis inter gradum genericum, & differentiam ſpecificam, propter differentiam, quæ inter naturam genericam & ſpecificam reperitur in Angelis. ¶His igitur ſic conſtitutis probant ſuam ſententiã quamplurimis rationibus, & dicunt ipſam eſſe ſententiam Diui Thomæ, nam. 1. parte quæſt. 41. artic. 6. vt probet non poſſe in diuina natura eſſe plures Filios, aut plures Spiritus ſanctos vtitur eo fundamento quo in quæſtione. 50. articulo. 4. probat non poſſe eſſe plures Angelos intra eandem ſpeciem infimam, ſcilicet, quod forma omnino ſubſiſtens per ſe, & nullo modo importans ordinem ad materiam, aut ad recipriuum, non poteſt eſſe niſi vna numero, ſed illo loco adducit propoſitionem hanc ad colligendum impoſsibilitatem ſecundùm potentiam Dei abſolutam, quoniam de ea erat quæſtio, ergò etiam in iſto exiſtimauit eſſe ſufficientem ad colligendum ſimilem impoſsibilitatem, imo de facto eam voluit colligere.

¶Secundo probatur ratione fundata etiam in doctrina Diui Thomæ, quia natura ſpecifica in Angelis ex differentia, qua conſtituitur in ſuo eſſe, redditur omnino incommunicabilis, ergo repugnat ipſi etiam per Dei potentiam vt addatur illi aliquis modus, aut aliqua differentia indiuidualis, qua communicetur indiuiduis. Et vlterius ergò repugnat eſſe plura indiuidua intra illam naturam. Prima conſequentia patet, quia repugnat omnino incommunicabili ſecundùm propriam differentiã quod communicetur, ergò & quod ei addatur id quo formaliter ſit cõmunicatio. Secũda etiã probatur, quia non poſſunt eſſe plura indiuidua intra aliquam ſpeciem, niſi talis ſpecies determinetur pluribus differentijs indiuidualibus, aut principijs indiuiduationis, ſi ergo repugnat naturæ angelicæ quod ipſi addantur huiuſmodi differentiæ, ergo & repugnabit quod intra eam ſint plura indiuidua. Secundum argum.

¶Tertiò. Sicut Petrus etiam de potentia abſoluta non poteſt continere ſub ſe indiuidua, quoniam ratione proprij cõſtitutiui eſt incommunicabilis, ita natura ſpecifica in Tertium argum.

Angelis, ergo. Confirmatur, quia ideo intra vltimam ſpeciem non poſſunt eſſe plures ſpecies, quia ipſa cõſtituitur in ſuo eſſe in vltima actualitate formali, & ex conſequenti non eſt capax aliarum actualitatum quibus formaliter multiplicentur ſpecies, ergo ſimiliter intra ſpeciem infimam Angelorum non poſſunt eſſe plura indiuidua, quoniam repugnat quod ipſi addantur differentię indiuiduales, quæ ſunt ſimpliciter neceſſariæ ad eorum multiplicationem.

Quartum argum. ¶Quartò. Forma Angeli in vnico indiuiduo continet non ſolum omnem perfectionem debitam ſuæ naturæ, verum etiam omnem poſsibilem ſuæ ſpeciei, igitur in ſpecie vnius Angeli non poteſt reperiri conſortiũ alterius indiuidui. Probatur conſequentia, quoniam in quolibet indiuiduo ſemel productо continetur de facto omnis perfectio debita, & poſsibilis illi ſpeciei Angelicæ. ¶Confirmatur. Quoniam indiuidualis proprietas in Angelo ſumitur ex principio intrinſeco eſſentiali, itaque ab eadem differentia, qua Gabriel eſt in ſua ſpecie, ab eadẽ habet ſingularizationem, & indiuiduationem, non enim ſumitur indiuiduatio à proprietate extrinſeca & accidentali, quia accidentalis proprietas & extrinſeca aduenit indiuiduo iam conſtituto, ſed in ſententia Diui Thomæ non poſſunt eſſe plures proprietates indiuiduantes in eadem ſpecie Angelica cum ab eodem principio prorſus Angelus ſit Angelus, & ſit hic Angelus indiuiduus & ſingularis, ergo. ¶Confirmatur ſecundò. Quia forma Angelica, quæ eſt vnũ & totale principium naturæ ſpecificæ, cum ſit vnum & idem, non poteſt eſſe cauſa pluriium proprietatum.

Vltima ſententia. ¶Vltima ſententia eſt Doctoris vt patet in litera quam defendunt alij expoſitores Diui Thomæ. 1. parte, quæſtione. 50. articulo 1. dub. 6, quæſtione. 2. eandem docet Ferrara. 2. contra gentes cap. 93. & Capreol. in 2. diſt. 3. quæſtio. 1. in ſolutione ad 2. argum. Durandi. Prò cuius explicatione, & totius

1. Notab. quæſtionis eſt notandum primò, quod in Angelis, vt dictum eſt ſuprà, eſt vera compoſitio ex actu & potentia, & ex genere & differentia, quare eſſentia & natura ipſius Angeli, vt abſtrahit à ſuo modo intrinſeco, qualis eſt exiſtentia, licet non ſit compoſita ex partibus quantitatiuis, eſt tamen compoſita ex genere & differentia ſecundùm Logicos, quia Angelus ponitur in determinato genere vel ex actu & potentia ſecundùm Metaphyſicos, quia licet ſit forma ſimplex, vt oppoſita rebus materialibus, eſt tamen ſimpliciter compoſita, vt opponitur illi naturæ, quæ eſt puriſsimus actus per eſſentiam, & ſic in natura Angelica ponendum eſt aliquid, quod habeat rationem potentiæ, & aliquid, quod habeat rationem actus, quæ non ita diſtinguũtur ſicut in materialibus materia & forma, quæ realiter diſtinguuntur, ſed minori diſtinctione quanuis in ſeipſa contineat vtramque rationem, tanquam partes Metaphyſicæ componẽtes ipſam naturam, quia quantumcunque conſideretur natura Angelica abſtracta, ſemper tamen intelligitur cõpoſita ex iſta duplici ratione.

¶Secundò eſt notandum, quod iſta duplex ratio, non tantum eſt duplex ratio obiectiua conceptibilis ab intellectu in ipſa natura, ſed eſt duplex ratio realis à parte rei in ipſa natura Angelica, à quibus ſumitur ratio generis & differentiæ, quare compoſitio in Angelis nõ eſt compoſitio rei & rei, ſed compoſitio realitatis, & realitatis, & ab vna, ſcilicet, quæ habet rationem potentiæ, ſumitur ratio generis, ab alia verò, quæ habet rationem actus ſumitur ratio differẽtiæ. Et in hoc diſcordat noſtra ſententia à ſententia Thomiſtarum, quia ſecundum Thomiſtas iſta compoſitio non eſt compoſitio realitatum, ſed eſt duorũ conceptuum obiectiuorum, & cum duplici cõceptu obiectiuo bene ſtat vnitas realitatum. At vero ſecundùm Doctorem in. 1. diſt. 8. quæſt. 3. litera Y ratio generis & differentiæ in quocunque reperitur, ſemper ſumitur ab alia & alia realitate, quarum altera habeat rationem actus, & altera rationem potentiæ, & in hoc ponit differentiam inter conceptum perfectum rei, & modi proprij, ſicuti inter conceptum eſſentiæ & exiſtentiæ, & conceptum rei quæ conſtat ex genere & differentia, nam conceptus rei & modi proprij, licet requirat diſtinctionem inter illud, à quo ſumitur conceptus communis, & illud à quo ſumitur conceptus proprius, non vt diſtinctio realitatis & realitatis, ſed vt diſtinctio realitatis, & modi proprij, & intrinſeci eiuſdem, & iſta diſtinctio ſufficit ad habendum conceptum perfectũ & imperfectum de eodem, id eſt ad habendum conceptum communem, & conceptũ proprium ſicut. v. g. quando concipio albedinem *2. Notab.*

dinem vt quatuor, poſſum concipere illam vt albedinem conceptu communi, poſſum etiam concipere illam cõceptu vt quatuor & conceptu proprio, iſti tamen duo conceptus ſumuntur ab eadem re, & ab eadem realitate, quia modus non eſt alia realitas ab illa, cuius eſt modus. ſed eadem, licet ſit modus illius. At verò genus & differentia neceſſariò ſumuntur ab alia & alia realitate, quia vt docet Doctor ibi ſi aliquis intellectus perfectè moueatur à colore ad intelligendum realitatem coloris, & realitatem differentiæ quantumcunque habeat perfectum conceptum adæquatum primæ realitatis non tamen habet in hoc conceptum realitatis, à quo accipitur differentia nec è conuerſo, ſed habet ibi duo obiecta formalia, quæ nata ſunt terminare conceptus proprios diſtinctos. Ex quibus infertur quod in natura angelica aliter ſe habent actus & potentia, quam eſſentia & exiſtentia, nam eſſentia & exiſtẽtia nõ ſunt duæ realitates, ſed vna res cum ſuo modo intrinſeco, at vero actus & potentia ſunt duæ realitates cõponẽtes naturam angelicam compoſitione methaphyſica, & alterius rationis à compoſitione noſtra.

3. Not. ¶Tertiò eſt notandum quòd vltra compoſitionem, quæ reperitur in Angelis ex actu & potentia, reperitur & alia ex natura & ſuppoſito. Et ratio huius eſt, quia, vt docet Doctor in illa diſtinct. 8. quæſt. 3. litera BB. indiuiduum in his, quæ non habent eſſe per eſſentiam, & de ſe non habent eſſe, ſed habent capacitatem ad illud eſſe, includit aliquam perfectionem, quam non includit natura, & perconſequens cum indiuiduum dicat aliquam eutitatem perficientem naturam, illa entitas erit actus reſpectu naturæ & natura erit potentia reſpectu illius. Loquor autem hic de natura indiuidua, vt diſtincta contra naturam ſingularem quia ſingularitas tantum eſt modus intrinſecus naturæ realis, at vero indiuiduatio, ſiue ſuppoſitatio, eſt modus extrinſecus & ſic requirit modum realem, cui annexa eſt illa duplex negatio incommunicabilitatis vel entitatem realem ab ipſa natura ſingulari realiter diſtinctam, & quia talis modus realis, eſt perfectio naturæ, ideo in Angelis reperitur compoſitio ex natura, & ratione ſuppoſiti, quæ cum non ſit compoſitio generis & differentiæ, non requirit duplicem realitatem, ſed ſatis illi eſt realitas cum modo, quod non contingit in natura ſpecifica, quia differentia ſpecifica addit naturam ſupra naturam genericam, at vero differentia indiuidualis non addit naturam, ſed tantum determinationem naturæ. Vnde quamuis differentia indiuidualis determinet naturã ſicut differentia ſpecifica non tamen per modum quidditatis, ſed per modũ modi extrinſeci ipſius naturæ. Ex quo infertur primo, quod illa natura, quæ non eſt ſuum eſſe prius natura eſt natura & natura ſingularis quam ſit contracta ad eſſe huius ſuppoſiti quod nõ alteri⁹ & ratione huius talis indifferentiæ dicitur ſpecies & natura ſpecifica & fundamentum ſecundæ intentionis vniuerſalitatis & comparata ad indiuiduum ipſius dicitur ſuperior, & vniuerſalis, & vna vnitate ſpecifica, ſiue formali quę vnitas eſt minor vnitate numerali, & non determinata ad hanc differentiam indiuidualem, ſiue ſuppoſitalem, magis quam ad illam, quod patet, quia alias verbum diuinum non poſſet aſſumere naturam angelicam in vnitatẽ ſuppoſiti, ſi natura angelica ex ſe non eſſet indeterminata ad hanc, vel illam rationem ſuppoſiti, quia certum eſt ſecundũ omnes, quod verbum non poteſt aſſumere naturam ſuppoſitatam, bene tamen non ſuppoſitatam; ergo natura angelica non eſt ex ſe determinata ad ſuppoſitalitatem, & per conſequens ex natura ſua non repugnat illi alia ratio ſuppoſiti; neque etiam repugnat ex impotentia Dei, vt omnibus patet. Quod ſi dicas, quod quamuis natura non ſit determinata ad hoc vt ex ſe ſit ſuppoſitatã eſt tamẽ determinata vt non poſsit habere plura indiuidua eiuſdem rationis (ſicut. v. g. licet natura humana ex ſua ratione intrinſeca non includat riſibilitatem,) eſt tamen determinata, vt poſita in actu completo habeat riſibilitatem: ita in propoſito. Iſta tamẽ reſpõſio non ſatisfacit, quia quando quidditas rei non poteſt cognoſci, niſi ab effectu ipſius, & non conſtat nobis eſſe omnes angelos alterius & alterius ſpeciei, ſicut cognoſcimus omnes homines eſſe riſibiles, non eſt denegandum potentiæ Dei talis pluralitas indiuiduorum in eadem ſpecie.

¶Prima cõcluſio. Angeli ſunt in magno numero. Hæc concluſio eſt de fide, & probatur ex quam plurimis locis ſacrę Scripturæ vt ex illo Pſal. 76. currus Dei decẽ millibus multiplex millia lætantium: qui locus communiter exponitur à ſanctis de angelis. Prę- *Prima concluſio.*

terea Danielis. 7. dicitur millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millium aſsiſtebant ei. Præterea Lucæ. 2. dicitur quod factus eſt cum angelo exercitus angelorũ. Præterea Apocalyp. 5. dicitur: vidi, & audiui vocem angelorum multorum.

Secunda concluſio. ¶Secunda concluſio. Numerus angelorum excedit numerum animarum rationalium, hæc concluſio conformis eſt fidei, & modo loquendi ſacræ Scripturæ, quæ vehementer extollit numerum angelorum. Et præterea, quia ſingulis hominibus deputantur ſinguli angeli ad cuſtodiam. De hac concluſione vide D. Thom. 2. cont. gent. cap. 92.

Tertia cõcluſio. ¶Tertia concluſio. In multitudine angelorum reperitur alia & alia ſpecies. Hæc concluſio eſt Doctoris in hac diſtinctione, & ferè omnium Theologorum, & probatur quia D. Paul. ad Coloſſen. 1. numerans ordines angelorũ dicit, alios eſſe thronos, alios virtutes, alios dominationes, &c. ergo ad minus dicendum eſt quod (angeli officio & nomine ordinis aut hierarchiæ differentis) differunt ſpecie.

Quarta cõcluſio. ¶Quarta concluſio. Non implicat contradictionem dari plures angelos eiuſdem ſpeciei in eadem natura, ita quod ſolo numero diſtinguantur. Hæc concluſio eſt Doctoris vt patet in litera. Eandem defendunt Ferrara. 2. cont. gent. cap. 93. Capreol. in 2. diſt. 3. quæſt. 1. in ſolut. ad ſecundum arg. Durandi, & expoſitores D. Thom. 1. par. quæſt. 50. art. 4. præter Caietanum, & probatur rationibus ipſorum primo. D. Tho. opuſculo. 16. de vnitate intellectus contra Auerroiſtas docet in ſimili, quod dato quod non eſſet de natura intellectus, quod multiplicaretur, non propter hoc oportet, quod intellectum multiplicari includeret contradictionem, quia nihil prohibet aliquid non habere in ſua natura cauſam alicuius, quod tamen habet illud ex alia cauſa; ſicut graue ex natura ſua habet quod non ſit ſurſum, tamen eſſe ſurſum non includit contradictionem. Sic ergo inquit S. Tho. quod ſi per impoſsibile naturaliter eſſet vnus intellectus omnium, quia non habet cauſam multiplicationis, poſsit nihilominus ſortiri multiplicationem ex ſupernaturali cauſa, neque eſſet implicatio contradictionis. Præterea quia non eſt denegandũ aliquid diuinæ potentiæ, niſi manifeſtam habeat contradictionem. Iuxta illud Lucæ. 1. quia non eſt impoſsibile apud Deum omne verbum; & quamuis nos plene, & euidẽter non percipiamus, quomodo diſtinguerentur illi duo angeli intra eandẽ ſpeciẽ, nihilominus plura nouit Deus facere, quam nos intelligere: nam Philoſophi reputant quod à priuatione perfecta & conſummata ad habitum non eſt poſsibilis regreſſus, at Deus nos docuit mortuos poſſe reſurgere, & cæcos ad viſum reparari, Philoſophi etiã impoſsibile reputãt accidẽs poſſe eſſe ſine ſubiecto, & quod Deus fieret homo, & moreretur, & tamẽ Philoſophis reclamãtibus Deus poſteà monſtrauit oppoſitum.

¶Et Marſilius inquit quod Deus poteſt facere mũdum per omnia ſimilem huic, quod ſi ita foret, tunc ſpiritus angelici in altero exiſtentes eſſent in eſſentia ſimiles ſpiritibus huius vniuerſi. ¶Et præterea perſuadetur; quoniã Deus poteſt annihilare Gabrielem, & ſucceſsiue iterũ reparare naturam, & ſpeciem illius in altero indiuiduo, alioquin ſequeretur, vel quod Deus non poſſet iterum reproducere eundem numero Gabrielem, vel quod annihilare Grabrielem Deus non poſſet reparare illam ſpeciem, niſi compulſus ad idem numero indiuiduum, quod antea perierat. Igitur plura indiuidua poſſunt intra eandem ſpeciem eſſe, & fieri, & negare talem potentiam Deo videtur abſurdũ, & ita credit Dur. in. 2. diſt. 3. quæſt. 3. vbi adducit teſtimonium ex D. Aug. 3. de liber. arb. in confirmationem huius ſentẽtiæ, & hoc probant argumenta Durãdi eo loco, & hoc etiam decernere voluerunt articuli Pariſienſes, nempe nota erroris inurere ſententiam dicentem Deum non poſſe plures eiuſdem ſpeciei facere intelligentias ob eam cauſam quod intelligentiæ carent materia. Adde etiam quod Deus creat plures animas rationales eiuſdem ſpeciei magis, & minus perfectas eſſentialiter, vt Caiet. docet, & magis & minus aptas ad exercenda opera vitæ, vt ipſe D. Tho. inſinuat infra quæſt. 85. ar. 7. & ibi Caiet. & Capræolus in. 2. diſt. 32. quæſt. 1. & Ferrar. 1. contra gent. cap. 3. Imo eſt opinio probabilis plurium Philoſophorum quod animæ rationales ſe ipſis indiuiduantur, cur ergo Deus non poterit producere pleroſque Angelos in eadem ſpecie, diuerſimodè aptos ad opera eiuſdem ſpeciei exercenda: nam ſicut diuerſa diſpoſitio corporis animandi, eſt tanquam ratio cur producantur animæ diuerſimodè perfectæ, ſic ergo, poterit Deus nullo

nullo motiuo extrinſeco exiſtente, ſed pro ſua ſola voluntate, plures creare angelos eiuſdem ſpeciei. Igitur dubitandum nō eſt de hac re. Et idcirco aſſeuerare oportet quod Deus per abſolutam ſui potentiam facere poteſt, vt quanuis natura, & eſſentia Michaelis de facto habeat omnem ſibi debitam perfectionem, nihilominus etiam habeat aliam, atque aliam maiorem, & maiorē perfectionem, etiam ſubſtantialem. Nam quanuis lumen ſolis de facto habeat modo omnem perfectionem ſibi debitam, in ratione luminis, nihilominus Deus poteſt augere, & perficere ipſum lumen ſolis, & in hoc nulla eſſet contradictio, ergo poteſt Deus eadem ratione ſpecificam naturam Michaelis conſtituere in alio indiuiduo, quoniam ſi natura ſpecifica poteſt eſſe magis & minus perfecta ſubſtantialiter (vt Caiet. etiam credidit de anima rationali) nihil prohibet quod ſit in pluribus indiuiduis, & quod in vno ſit magis perfecta, in altero vero minus. Vel dicendum eſt, quod poteſt Deus addere proprietatem aliquam ſubſtātialem naturæ Michaelis, quæ illi non ſit prorſus extrinſeca, ſed potius aliquo modo proueniat ab ipſa ſpecifica forma, non quidem abſolute conſiderata, ſed pro vt ſubeſt actioni diuinæ ſupernaturali; & abſolutæ Dei potentiæ cui ipſam naturam aut formā ſubſtantialem, vel augeat, vel minuat intra latitudinem ſpeciei, & naturæ in ſubſtantiali perfectione. Volo dicere poſſe Deū producere eandem naturam, & eſſentiam Michaelis ad quam pertineat per ſe indiuidualiter ſubſtantialis aliqua perfectio maior, aut minor, quam ſit illa, quæ in angelo Michaele modo reperitur, & cōſequēter Deus facere poteſt, quod angelus habeat potentias proportionatas, & diſpoſitas, ad operationes magis & minus perfectas, & id eſt ſatis, vt multiplicentur indiuidua in eadem ſpecie Michaelis: ſane magis repugnat naturis rerum, quod ſit accidens ſine ſubiecto, & quod tantum corpus, ac tale Chriſti domini quantum eſt in ſe ipſo contineatur ſub tam parua quantitate panis in Euchariſtiæ ſacramento, quam quod ſint plures angeli eiuſdem ſpeciei, ſed primum factum eſt ex diuina potentia, ergo ſecundum non eſt illi denegandum. Hactenus prædicti expoſitores D. Thomæ. Vltra quos probatur noſtra concluſio rationibus Doctoris in hac quæſtione pro quibus videndus eſt Lichetus ibidē cōtra Caiet. Tertio tamē ego ſic probo concluſionem. Vnus angelus non ſolum differt ſpecie ab alio Angelo, ſed ētiā numero, ſed nullus Angelus habet materiā, ergo differentia numeralis in Angelis non ſumitur à materia, vel, ergo ad differentiā numeralē non eſt neceſſaria materia. Quod ſi reſpondeas, quod ab eadem differētia ſpecifica ſumitur & diſtinctio ſpecifica, & indiuidualis, quia differentia indiuidualis in Angelis conſequitur diſtinctionem ſpecificam. Contra, ergo non eſt dabilis in natura angelica differentia ſpecifica ſine indiuiduali. Conſequens eſt falſum, quia ſi verbum diuinum aſſumeret naturam angelicam in vnitatem ſuppoſiti, in illa eſſet vera ratio ſpecifica, & completa ratio naturæ in ratione naturæ, non tamen eſſet in illa differentia indiuidualis propria, ſicuti nec reperiretur in illa propriū indiuiduum nec ſuppoſitū cū à Verbo aſſumeretur ad vnitatem ſuppoſiti, ergo differētia indiuidualis in illa natura, quæ conſtituit indiuiduum naturæ angelicæ ab alia realitate debet ſumi, quam ab ipſa differentia ſpecifica.

¶Quartò. Si implicaret contradictionem, maxime quoniam ita ſe habet differentia ſpecifica & indiuidualis in natura angelica, ſicut ſe habet Petrus in natura humana, taliter quod etiam de potentia Dei abſoluta nō poteſt continere ſub ſe indiuidua, quoniam ratione proprij conſtitutiui eſt incommunicabilis, ſed hoc fundamentum falſiſsimū eſt, ergo Maior eſt contrarie opinantium & Minor probatur, quia vt dixi in præcedēte ratione, ſequeretur quod verbum diuinū non poſſet aſſumere naturam angelicam in vnitatē ſuppoſiti, ſicut implicat verbū aſſumere Petrum in vnitatem ſuppoſiti.

¶Quintò. Prædicti opinantes fatētur quod natura angelica eſt natura ſpecifica & non ſpecies vniuerſalis, & quod propria vnitas huius naturæ, vt ſic, eſt vnitas numerica, licet late, & aliquo modo poſſet dici ſpecifica, quia conſequitur ad differentiam formalem, & conſtitutiuam naturæ ſpecificæ, ergo potius eſt dicendum quod angeli primo & per ſe diſtinguuntur numero, & ſecundario ſpecie, quam quod primario diſtinguuntur ſpecie, & ſecundario numero. Patet ſequela quia propria vnitas huius naturæ eſt numerica, & aliquo modo ſpecifica.

¶Sextò. Propria vnitas huius naturę eſt numerica & non per materiam, ergo differen-

tia

tia indiuidualis non ſumitur in Angelis à materia.

Quinta conc.uſio. ¶Quinta concluſio. Poſsibile eſt de facto omnes angelos quotquot ſunt eſſe alterius & alterius ſpeciei. Probatur cõcluſio. Poſsibile eſt, imo de facto contingit (vt in ſole & luna) vnã ſpeciem in vnico indiuiduo conſeruari, ergo poſsibile eſt in qualibet ſpecie angelica Deum conſtituere vnicum tãtum angelum. Confirmatur: quia in quibus non eſt repugnantia intrinſeca ad eſſe, vel non eſſe, poteſt Deus pro ſua voluntate facere vtrumque, ſed nulla eſt repugnantia quod ſit defacto vnicus tantum Angelus in qualibet ſpecie, ergo potuit Deus illud facere.

Sexta concluſio. ¶Sexta concluſio. Poſsibile eſt de facto plures angelos ſolum numero differentes eſſe intra eandem ſpeciem infimam. Hæc cõcluſio probatur ratione, qua præcedens & videtur Diui Dionyſij lib. de cæleſt. Hierar. c. 6. vbi ait. Primam hierarchiam eſſe per omnia æqualem, ſed non eſſet æqualis per omnia ſi angeli omnes in eadẽ hierarchia differrẽt ſpecie, ergo. Idem docet D. Baſilius lib. 3. contra Eunomium vbi docet quod ex diſtincto ordine non colligitur diuerſa natura, quando quidem ordo angelicus eſt diuerſus ſub vnitate naturæ, & eſſentiæ, qui locus non poteſt intelligi de vnitate generica neque ſpecifica, alias reſponſio Diui Baſilij non eſſet efficax. Idem docet D. Damaſ. lib. de duab. volunt. Chriſti. cap. 2. vbi ait Angelos eſſe eiuſdem ſpeciei & naturæ & ſub ſpeciei vnius communione ſolum differre characteriſticis proprietatibus. Propterea multi Angeli ſunt æquales in dignitate gratiæ, & etiam in dignitate naturæ, ergo. Patet ſequela, quia Angelis donata fuit gratia iuxta proportionem naturalium, & per conſequens plures angeli poſſunt reperiri in eadem ſpecie.

¶Vltimò. Duæ animæ rationales diſtinguũtur numero, ergo duo angeli poſſunt diſtingui numero. Ad hoc reſpõdẽt nõnulli quod animæ diſtinguuntur numero non ſeipſis, ſed per ordinem ad aliud, & aliud corpus numero diſtincta. Cõtra. Talis ordo ſupponit eſſentiam animæ, ſed non indiſtinctam ab alia, ergo diſtinctam. Confirmatur. Corpus nunquam eſt hoc corpus niſi per accidentia, ſed anima rationalis prius vnitur materiæ, quam accidentia, ergo prius eſt in materia, quam materia ſit hoc corpus & per cõſequens non indiuiduatur per ordinẽ quod dicit ad hoc corpus. ¶Confirmatur ſecundo. Talis ordo nõ eſt aliquid diſtinctum ab ipſa anima, ergo ſe ipſa indiuiduatur, quanuis per ordinem indiuiduetur, ſed anima rationalis etiam eſt forma ſimplex, ſicuti Angelus, ergo ſicut in anima non requiritur materia ad ſui indiuiduationem, ita nec angelus, & per conſequens poſsibile eſt plures Angelos productos eſſe intra eandem ſpeciem infimam. An Deus produxerit nec ne fateor me neſcire.

Reſpondetur argumentis ad primum. ¶Reſpondetur argumentis. Pro ſecũda ſententia, in quantum opponitur noſtræ concluſioni ad quæ ita tenebantur ipſi reſpondere ſicuti & nos, nam ſi illa veritatem aliquam habent, vt non tantum probent de facto, ſed etiam de potẽtia Dei abſoluta, imo ſi non probant de potentia Dei abſoluta nihil probant. Quare vel dicendum eſt cum Caietano, non poſſe Deum de potentia abſoluta producere plura indiuidua inter eandem ſpeciem infimam angelorum, vel cũ doctore: & quia prædicta argumenta procedunt de potentia Dei abſoluta, ideò reſpondetur ad primum cum Doctore hac quæſt. litera D. quod aliud eſt dicere, differre in forma, & aliud differentia formæ: vel aliud eſt dicere differentia formalis, & aliud differentia formarum, ſicut aliud eſt dicere plures humanitates, vel plures in humanitate, quanuis igitur duo Angeli ſint diſtinctæ formæ, non tamen ſunt diſtincti formaliter ſicuti quanuis duo homines habeant diſtinctas humanitates, non tamen habent diſtinctionem in humanitate, ſed potius conuenientiam, ita in propoſito.

Ad ſecundum. ¶Ad ſecundum reſpondetur concedendo maiorem, & abſolutè negãdo minorẽ quia in quolibet angelo non ſolum datur natura angelica, ſed etiam proprietas indiuidualis poſitiua, qua natura angeli limitatur, & determinatur, vt ſit ſub tali, vel tali ſubſiſtentia, & ab hac proprietate angelus eſt indiuiduum naturæ angelicæ, quare ſubſtantiæ iſtæ intellectuales, quanuis ſint purè ſpirituales, non tamen ſunt purè ſimplices, vt optimè aduertit Doctor hac quæſt. Litera B. & nos diximus, quæſt. 1. quia hæc differentia inter alias reperitur inter naturam angelicam, & diuinam: quia cum natura diuina ſit neceſſaria ad eſſe exſeipſa, ex ſe ipſa habet determinationem ad eſſe hoc, & ſic implicat in natura diuina per locum intrinſecum poſſe eſſe alia, quam quæ ſunt: quia quid-

quid quid poteſt eſſe in natura diuina, eſt ibi,& hæc eſt ratio fundamẽtalis, & à priori, quare in diuinis non poſſunt eſſe plures Filij; nec plures Spiritus ſancti: at vero in illa natura, quæ de ſe non eſt actus purus,qualis etiã eſt natura angelica, determinatio ad vnũ,vel plura indiuidua prouenit ab extrinſeco,ſcilicet à Deo,qui pro ſua voluntate poterit plura,vel vnũ producere indiuiduum in quacumque ſpecie angelica.

Ad confirmationem. ¶Ad cõfirmationẽ reſpõdetur quod materia ſumitur dupliciter,vno modo pro altera parte compoſiti:ſecundo modo pro differentia indiuiduali, iuxta illud commune dictum,qui dicit cælum dicit formam, qui dicit hoc cælum dicit materiam,& quanuis in Angelis non ſit materia primo modo,bene tamen ſecundo modo,quia vt dixi in ſolutione ad primum in angelis vltra naturã angelicam, datur proprietas indiuidualis, quæ dicitur materia ſecundo modo, & hoc modo poſſumus dicere qui dicit angelũ dicit formã,id eſt naturã angelicã,qui vero dicit hũc Angelum dicit materiam, id eſt proprietatem indiuidualem, vel dicit partem ſubiectiuã,& quod hic ſit legitimus ſenſus patet cõtra ipſos arguentes,qui ponũt dari de potentia abſoluta duos Angelos intra eandem ſpeciem, in tali caſu differẽtia indiuidualis non eſſet ſumenda à forma, ſed à materia,& certiſsimum eſt ſecundum ipſos non dari in illis materiã, quæ ſit altera pars compoſiti.

¶Ad tertium reſpondetur illo argumento tantum probari non eſſe neceſſariam multitudinem angelorum propter ſpeciei conſeruationem,non tamen non eſſe poſsibilem illam multitudinem, imo de facto forſan ſunt producti propter cauſas adductas à D. Bonauentura,vel propter alias neceſsitates ſibi,& mihi ignotas,ſatis mihi eſt quod potuit Deus illos producere, & quod multi ex ſanctis dicunt eos produxiſſe.

Ad confirmationem. ¶Ad confirmationẽ reſpõdetur quod aliter ſe habet natura angelicã quantum ad ſuum eſſe & produci,quam humana, quia humana regulariter loquendo, quantum ad ſuum produci,indiget generatione, & per conſequens mari & fœmina,at vero natura angelica eſt alterius rationis. Nec argumentum aliquid aliud probat,quam quod ſi faciamus iudicium circa actualem multiplicationem angelorum ex his,quæ videmus in inferioribus iſtis,dicendum eſſet Deum vnicum angelum produxiſſe in qualibet ſpecie,vel potius & melius quod Deus ad quãlibet ſpeciem angelicam producendam nõ indiget niſi vnico indiuiduo.

Ad ſecundam confirmationem. ¶Ad ſecundã confirmationem reſpondetur concedendo Maiorem,ſed hoc eſſet,quia eſſet tantũ vnica natura humana, quare ſi eſſent quatuor naturæ humanæ ſeparatæ ab omni materia, adhuc tamen non eſſent ſpecie diſtinctæ, ſed ſolum numero, quanuis non haberent materiam,quæ eſſet altera pars compoſiti.

Ad tertiã confirmationem. ¶Ad tertiã cõfirmationẽ reſpõdetur quod in tali caſu eſſet vnus homo,quia non poſſumus concipere plures homines abſtractos ab indiuiduis,in quibus ſunt, & quia poſſumus concipere plures humanitates abſtractas ab indiuiduis in quibus ſunt,ideo ſi illas Deus produceret diſtinguerentur numero, quanuis nullam haberent materiam.

Ad vltimum. ¶Ad vltimum reſpondetur quod illud argumentum Caietani tãtum probaret factum, ſi certi eſſemus in Angelis non eſſe niſi vnicum indiuiduum,in qualibet ſpecie , ſecus autem poſsibilitatem.Imo nec factum probat quia pluralitas indiuiduorum non impedit ordinem per ſe naturę,imo oſtendit pulchritudinem naturæ.Vel ſecundo reſpondetur quod quanuis doctrina Caietani haberet verum in multiplicatione indiuiduorum,quando talia indiuidua multiplicãtur propter conſeruationem ſpeciei, vt in rebus corruptibilibus contingit, ſecus autem quãdo multiplicatio indiuiduorum fit propter ipſius ſpeciei pulchritudinem,vel aliã cauſam nobis ignotam.

Ad argumenta pro tertia ſententia. ¶Ad argumenta pro tertia ſentẽtia quæ eſt Caietani reſpondetur.Ad primum quod ni fallor illa eſt vera ſententia D.Thomæ nec poſſum percipere quomodo Angeli differant differentia ſpecifica , & quod Deus poſsit de potentia abſoluta producere plures angelos intra eandem ſpeciem, ſicut nec poſſum percipere quomodo duæ ſpecies poſsint differre ſolo numero etiam de potentia Dei abſoluta.

¶Ad ſecundum reſpondetur concedendo totum,& propter hoc ponimus in natura angelica vltra naturam ſpecificam differentiam indiuidualem ; realitatem poſitiuam determinantem,& contrahentem naturam ad eſſe incommunicabile, quæ proprietates indiuiduales nullo modo repugnant naturæ angelicæ.

¶Ad tertium reſpondetur negando paritatem

tem rationis quia Petrus dicit naturam determinatam & contractam, angelus autem dicit naturam indeterminatam & contrahibilem, quod patet ex eo quod Petrus non eſt aſſumptibilis à verbo diuino, at vero natura angelica aſſumptibilis eſt.

¶Ad quartum reſpondetur diſtinguendo antecedens de perfectione ſpecifica, vel indiuiduali, & concedẽdo de perfectione ſpecifica, negando tamen de perfectione indiuiduali, & ſic in quolibet indiuiduo tota perfectio quidditatiua continetur, non autem indiuidualis. ¶Ad primam confirmationem reſpondetur negando antecedens, ſed ab illa realitate, quæ determinat naturam angelicam ad eſſe hoc indiuiduũ. ¶Ad ſecundam confirmationem reſpondetur negando antecedẽs præcipuè in ordine ad potentiam Dei abſolutam. Et hæc de iſta quæſtione.

QVÆSTIO V.

¶Vtrùm natura angelica ſit corruptibilis.

Prima ſententia. DE hac re eſt prima ſententia Gabrielis in. 2. diſt. 2. quæſt. 1. in probatione. 6. concluſionis aſſerentis quòd tam Angeli quam ſubſtantiæ corruptibiles æqualiter dependent à Deo, tamquam à cauſa conſeruante, & per ſubtractionem diuinæ conſeruationis, ita definit Angelus, ſicut ſubſtantia corruptibilis, vnde non plus determinat ſibi angelus ex ſe eſſe perpetuum, quam ſubſtãtia corruptibilis, quia ita Deus poteſt perpetuò conſeruare ſubſtantiam corruptibilem, ſicuti angelum. Poteſt autem iſta ſententia probari primo ex illo D. Pauli primæ ad Timot. 6. vbi loquens de Deo ait, quod ſolus habet immortalitatem. ¶Et confirmari ex illo Concilij. Conſtantinopol. 6. actione prima vbi dicitur, quod Angeli & anima rationalis per gratiam Dei ſunt incorruptibiles nõ per naturam, dicitur enim in epiſtola Sophronij Epiſcopi Hieroſolymitani ad Sergium, quæ recipitur in eadem ſynodo actione. 13. ſic hominum animæ permanent incorruptæ, ſicut angeli incorruptibiles perſeuerant, non natura, re vera incorruptam, propriè, aut mortalem habentes eſſentiam, ſed gratiam à Deo ſortiti ſunt, quę immortalitatem largitur, & incorruptionem eis prouidet ex quo loco manifeſtè probari prædicta ſententia videtur.

¶Secunda ſententia eſt omnium Theologorum. *Secũda ſententia.* Pro cuius explicatione eſt primo notandum, quod quæſtio præſens poteſt in *1. Notab.* duplici ſenſu diſputari, primus eſt vtrum angeli poſſint corrumpi per quamcumque potentiam, ſecundus eſt vtrum in angelis ſit aliqua potentia vt poſſint corrumpi.

¶Secundo eſt notandum quod corruptio ſumitur *2. Notab.* dupliciter, vno modo proprie, ſecundo modo impropriè. Propriè dicitur mutatio ſeu tranſitus de eſſe ad non eſſe in ſubiecto, impropriè vero ſumitur pro quacũque deſitione alicuius rei, & hoc modo dicitur etiam de annihilatione. Ex quo infertur quod potentia ad corruptionem etiam eſt duplex, altera ad propriè corruptionem, altera ad corruptionem latè.

¶Tertiò eſt notandum quod potentia ad *3. Notab.* corruptionem ſiue illa ſit propria corruptio, ſiue non, poteſt dupliciter intelligi, altera intrinſeca, quæ eſt potentia in ipſa re exiſtens ad non eſſe talis rei, alia vero extrinſeca, quæ eſt poteſtas exiſtens extra rẽ ſufficiens tamen ad inferendum illi corruptionem.

¶Prima concluſio angeli ſunt in perpetuũ *Prima cõcluſio.* duraturi. Hæc concluſio difinita eſt in Concilio. 6. Conſtantinopol. actione. 11. vbi diffinitur Deum creaſſe angelos incorruptibiles & perpetuo duraturos. Et probatur ex illo. 1. Iudæ. 1. vbi de angelis malis dicitur quod reſeruati ſunt à Deo vinculis perpetuis. Et in hac concluſione non eſt dubitandum cum vltra hæc teſtimonia, eſt communis ſenſus omnium ſanctorum præcipuè D. Dionyſij ca. 3. 4. & 6. de diuinis nominibus.

¶Secunda concluſio. Angeli non ſunt corruptibiles *Secunda concluſio.* corruptione propriè dicta etiam de potentia Dei abſoluta. Probatur concluſio, quia angeli etiam de potentia Dei abſoluta non ſunt generabiles, ergo nec corruptibiles antecedens patet quia angeli non habent materiam. ¶ Confirmatur quia nihil poteſt propriè corrumpi niſi aliquo ipſius remanente, ſed angelo deſinente eſſe; nihil põteſt ipſius Angeli remanere, quia definet eſſe per annihilationem, ergo.

¶Tertia concluſio. Angeli ſunt corruptibiles *Tertia concluſio.* corruptione impropriè dicta. Probatur concluſio. Angeli ſunt annihilabiles, ergo corruptibiles. Patet antecedens, quia Deus poteſt omnem creaturã vertere in nihilũ.

¶Reſpon-

¶ Reſpondetur argumẽtis. Ad primũ quod Deus dicitur immortalis ab intrinſeco, & ab extrinſeco, at vero Angelus eſt incorruptibilis ab intrinſeco, corruptibilis tamen ab extrinſeco.

¶ Ad ſecundum reſpondetur quod Concilium tantum voluit intelligere, quod angeli, & animæ rationales, non habent ſuam incorruptibilitatem à ſe, ſicut nec eſſe, ſed à voluntate diuina, quæ ex nihilo produxit illos, & hanc voluntatem appellauit Concilium gratiam. Quid autem ſenſerint Philoſophi circa eſſentiam & naturam Angelorum videndus eſt Auguſtinus Eugubinus lib. 8. de perenni Philoſop. per totum. Et hæc de iſta quæſtione.

TEXTVS.

AD quæſtionẽ ergo reſpondeo quod ſic diſt. 3 quæſt. 6. litera. C.

EXPLICATIO LITERÆ.

QVIA in præcedentibus quæſtionibus dictum eſt, in natura angelica reperiri indiuidua, ſiue intra eandem ſpeciem, ſiue in alia, & alia: meritò in hac diſputatione vltimò quærendum eſt per quid tam ſubſtantia materialis, quam immaterialis ſit indiuidua. Quam quæſtionem diſputat Doctor in hac quæſt. in textu citato, quærens Vtrùm ſubſtantia materialis ſit indiuidua per aliquam entitatem poſitiuam per ſe determinantem naturam ad ſingularitatem. Cui quæſtioni reſpondet affirmatiuè. Quia tamen difficilis ſe ſe nobis offert diſputatio ſit quæſt. 6.

QVÆSTIO VI.

¶ Vtrùm principium indiuiduationis in materialibus rebus creatis ſit aliqua entitas poſitiua determinans ipſam naturam.

Prima ſententia. DE hac re eſt prima ſententia Durãdi in 2. diſt. 3. q. 2. num. 14. aſſerentis quod nihil eſt principium indiuiduationis, niſi quod eſt principium naturæ & quidditatis. Probat autem ſuam ſentẽtiam primò quia eorum, quæ ſunt idem, in quantum huiuſmodi, ſunt eadem principia ſed natura vniuerſalis & indiuidua, ſeu ſingularis ſunt idem ſecundum rem, differunt autem ſecundum rationem, quia quod dicit ſpecies indeterminatè, indiuiduum dicit determinatè quæ determinatio, & indeterminatio ſunt ſecundum eſſe, & intelligi. Vniuerſale enim eſt vnum ſolum ſecundum cõceptum, ſingulare vero eſt vnum ſecundum eſſe reale. Nam ſicut actio intellectus facit vniuerſale, ſic actio agentis naturalis terminatur ad ſingulare, ergo eadem principia ſecundum rem, & differentia ſolum ſecundũ rationem, ſunt quidditatis & indiuidui.

Secunda. ¶ Secundo illud quod conuertitur cum ente, & de eiſdem prædicatur, non dicit aliquid additum ſuper ea, de quibus dicitur, ſed eſſe indiuiduum conuertitur cum ente accepto, ſecundum eſſe reale, quia nihil exiſtit in re extra, niſi indiuiduum, vel ſingulare, ergo eſſe indiuiduum non conuenit alicui per aliquid ſibi additum, ſed per illud, quod eſt. ¶ Per quid, ergo eſt ſortes indiuiduum? Reſpondetur per illud, per quod eſt exiſtens, & hæc ſunt extrinſecè finis & agens, cuius eſt producere ſingulare, ſicut & ipſum ſingulare eſt, ſicut enim actiones ſunt ſingularium ita ad ſingularia terminantur. Intrinſece ſunt hæc materia, & hæc forma. Quod ſi quæras per quid forma eſt hęc, dico per illud, per quod eſt in re extrà, & hoc eſt extrinſece agens, materia autem cõcomitatiue in quantum forma pure materialis, ſine materia non exiſteret. Idem dico de materia: niſi quod ſua indiuiduatio plus dependet à forma, quàm è conuerſo, quia forma magis eſt ratio eſſendi materiæ, quã è conuerſo, ſubſtantiæ autem ſeparatæ nullo modo indiuiduantur niſi ſeipſis. Et eſt hoc intelligendum, quod ſi natura communis pluribus ſuppoſitis eſſet in eis vna ſecundum rem, quemadmodum in diuinis, oporteret tunc propter naturam communem, & eius principia quærere aliud, quod eſſet principium conſtituendi ſuppoſitum, quemadmodum in diuinis relatio, eo quod in natura communi non differũt ſuppoſita. Sed nunc, cum natura communis diuerſis indiuiduis, ſit ſolum vna ſecundum rationem, & diuerſa ſecundum rẽ, non oportet præter naturam, & principia naturæ quærere alia principia indiuidui, ſed eadẽ, vt ſunt exiſtentia, ſicut natura communis & indiuiduum ſolum differũt vt concepta, & exiſtens. Vnde addit Durandus. Si quidditas, vel natura communis accipiatur, pro vt concepta, indiuidua eiuſdem ſpeciei non

non differunt in quidditate, vel natura cōmuni, quia in quidditate ſic accepta, conuenientia ſolum eſt ſecundum rationem, ſicut & vnitas naturæ ſecundum ſpeciem, eſt ſolum vnitas rationis. At vero ſi natura & quidditas ſumantur ſecundum realem exiſtentiam indiuidua eiuſdem ſpeciei differūt in natura, & quidditate, & in principijs naturæ ſecundum realem exiſtentiā acceptis.

Secūda ſententia. ¶Secunda ſententia eſt aliorum, vt referūt nonnulli ſuper. 1. p. D. Thom. quæſt. 3. art. 2. quæſt vnica (quæ ni fallor eadem eſt cum ſententia Durandi) aſſerentium, quod quæcumque ſubſtantia eſt indiuidua, & ſingularis per ſuam actualem exiſtentiam. Hanc ſententiam explicant prædicti dicentes, quod principium radicale indiuiduationis eſt forma, à qua tanquam à radice originatur exiſtentia, at vero forma ipſa, à qua formaliter habet indiuiduum, quod ſit tale eſt ipſa exiſtentia. Probant autem iſtā ſententiam primò. Quoniam actus in quātum actus eſt determinat & diſtinguit, ergo vltima diſtinctio qualis eſt numerica, & indiuidualis eſt per vltimum actum, ſed vltimus actus rei eſt exiſtentia, ergo vltima diſtinctio, qualis eſt indiuidualis, & numerica fit per exiſtentiam, tanquam per vltimū actū. Probatur minor quia omnis entitas cuiuſcumque prædicamenti ſi conſideretur vt diſtincta cōtra exiſtentiam ſemper remanet in potentia in ordine ad actum exiſtentiæ, ergo exiſtentia eſt vltimus actus.

¶Secūdò. Deſtructis vniuerſis accidētibus quę ſunt in compoſito ſubſtantiali, ſi ſolum maneat ſubſtantia ipſa cum ſola exiſtentia tunc ſane talis ſubſtantia cum exiſtentia eſt vere ſingularis, & indiuidua ſecluſa quantitate, vel ſignatione quantitatis, ergo cum in illa ſubſtantia indiuidua ſolum reperiatur forma, & materia cum exiſtentia, & materia non poſſit eſſe principium formale indiuiduationis, quoniam eſt principium potentiale, & pura potentia, & principium indiuiduationis debet eſſe principiū actualitatis, cum indiuiduare naturam ſit actuare illam, ſequitur quod principium indiuiduationis referendum eſt in formam tanquam in principium radicale indiuiduationis, & in ipſam exiſtentiam tanquam in rationem formalem, & exiſtentia ſeipſa eſt indiuidua, & indiuiduationis principiū formale.

¶Addunt tamen in fauorem huius ſententiæ ſolutiones ad quædam argumenta Soncinatis, qui. 7. Met. quæſt. 32. dicit hāc opinionem eſſe irrationalem. Et primum argumentum eſt huiuſmodi. Exiſtentia præſuponit ſubſtantiam iam indiuiduatam, & ſingularem, ergo exiſtentia non facit naturam indiuiduam. Probatur antecedens: quando forma vnitur materiæ, non vnitur materiæ nudæ, ſed quātæ ergo prius ipſum cōpoſitū habet partes indiuiduatas & diſtinctas per illā quantitatem, quā adueniat ipſa exiſtentia. ¶Cōfirmatur. Quando in illo priori forma vnitur materiæ, tunc vnitur huic materia, ſingulari, & præſupponit materiam eſſe hanc, alias non magis vniretur huic materiæ, quam alteri, ergo. His rationibus reſpōdent quod eadem argumenta poſſunt fieri contra D. Tho. & Thomiſtas ſi loco illius termini, forma, pōnas illum terminum, quātitas, hoc modo quando quantitas aduenit materiæ, non aduenit materiæ communi, & vniuerſali, ergo aduenit materiæ ſingulari & particulari, igitur quantitas præſupponit materiam eſſe ſingularem, & particularem, & tamē omnes Thomiſtæ dicūt quod quantitas, vel materia ſignata quantitate eſt principium indiuiduationis, ergo ſi hoc argumentum nihil concludit contra Thomiſtas cum ſit in ſimili forma, nihil etiam concludet contra prædictam ſententiam.

¶Secundò. Quoniam cū quantitas aduenit materiæ, immediatè aduenit toto compoſito in opinione D. Thomæ, ergo iam compoſitum ipſum eſt ſingulare, & indiuiduum antequam adueniat quantitas ipſi, nā prius eſt eſſe compoſitum, quam adueniat quantitas quæ in ipſo compoſito ſubiectatur. Et quando dicitur in argumento quod prius eſt quantitas quam exiſtentia, quia prius eſt, formam vniri materiæ quantæ, quam eſſe compoſitum, negatur hoc, imo de facto vnio formæ ad materiam immediatè eſt ad ſubſtantiam materiæ, & quoniam quantitas ſubiectatur in toto compoſito tanquam in proprio receptibili, prius eſt compoſitū eſſe & habere exiſtentiam quam quod ipſa quantitas ſit in cōpoſito. Quod patet, quia de intrinſeca ratione compoſiti ſubſtantialis eſt exiſtentia, quantitas vero eſt extrinſeca ſuppoſito, & compoſito, ergo prius noſter intellectus intelligit exiſtentiam in compoſito, quam quantitatem. Confirmatio autem argumēti nihil probat, quoniam cum à naturali agente materia ſit applicata, & appropriata, ideo magis vnitur forma huic

Tertia ſententia.

hinc materiæ, quam alteri. ¶Tertia ſententia eſt Caietani de ente & eſſentia. q. 5. aſſerentis (cum communi ſententia Thomiſtarum) quod materia cum quantitate vel ſignata quantitate eſt principium indiuiduationis naturæ. Pro cuius explicatione dicit primò, quòd materia ſignata, nihil aliud eſt quam materia capax huius quantitatis, ita quod non iſtius, hæc nanque materia eſt pars intrinſeca Socratis de diffinitione eius, ſi diffiniretur. Imaginandum eſt enim quod agens particulare, puta hoc ſemen continuè appropriat materiam ad formam inducendam, hoc modo quod ſicut ſemen humanum appropriat materiã ad animam, ita hoc ſemen ad hanc animã, vnde cum in primo inſtanti generationis Socratis, quod eſt primum eſſe Socratis, & primum non eſſe formæ præcedentis & accidentium, primo ordine naturæ fiat particulare compoſitum, deinde naturali ordine ſequuntur omnia accidentia, in illo priori ſecundùm naturam, quo compoſitum particulare terminat per ſe primo generationem, materia quæ eſt pars intrinſeca eius, ſcilicet, Socratis, ita eſt appropriata ipſi Socrati ab agenti particulari, quod non eſt capax alterius quantitatis, quam Socrates ſibi determinat, omnium enim natura conſtantium determinata eſt ratio magnitudinis, & augmenti, vt dicitur 2. de Anima, & talis materia vocatur materia ſignata. Nihil ergo addit materia ſignata ſuprà materiam niſi capacitatem huius quantitatis, ita quod illius, capacitas autem materiæ reſpectu huius quãtitatis nihil aliud eſt, quàm potentia receptiua huius quantitatis ita quod non illius: potẽtia autem receptiua nihil realiter diſtinctum in recto dicit, ſed addit aliquid reale diſtinctum ſecundùm rationem tantum à materia, ſicut materia propria nihil addit ſupra materiã realiter diſtinctum ab ipſa, dicit tamen aliquid reale in materia, quod non explicat materia ſecundùm ſe. Materia enim ſignata non eſt diffinibilis, niſi per hanc quantitatem ſi diffiniretur, ſicut propria potentia non niſi per proprium actum definitur, vt dicitur 3. Phyſicorum, text. comment. 16. Materia autem ſecundùm ſe hanc quantitatem in ſua diffinitione non exigit: vnde materia propria indiuidui, & materia ſignata, & materia ſub certis dimenſionibus idem important, & propterea Sanctus Thomas non dixit materiam ſignatam, materiam cum certis dimenſionibus, ſed ſub certis dimenſionibus. Et alibi dicit, quod ſicut materia in ordine ad formas generales, putà formam totalem & partialem, diſtinguit genericè corpora cæleſtia ab inferioribus, ita materia in ordine ad hanc vel illam quantitatem diſtinguit numeraliter in rebus materialibus. Materia igitur ſignata non dicit aggregatum ex materia & quantitate, ſed materiam in recto ſignificat, quantitatem vero in obliquo, ſicut potentia materiæ ſignificat materiam in recto, in obliquo vero actum, quem reſpicit eo quod non niſi per actum eſt diffinibilis. Et ſic manifeſtum eſt quid importet materia ſignata. Probatur autem quod materia ſignata modo præexpoſito ſit intrinſecum principium indiuiduationis. Illud eſt intrinſecum principium indiuiduationis, cui primò repugnat communicari pluribus, per modum quo vniuerſale communicatur particulari, ſed huiuſmodi eſt materia ſignata, ergo. Maior eſt manifeſta, & probatur minor, quæ duo includit in ſe, ſcilicet, quod materiæ ſignatæ repugnat communicari pluribus, & quod primo ei repugnat. Primum horum ex ſe patet, materiam enim capacem huius quantitatis tantum, impoſsibile eſt plurificari. Secundum autem probatur. Illud competit primò materiæ ſignatæ, quod circumſcripto quocunque alio ſibi conuenit, & ipſo circumſcripto nulli alteri conuenit, ſed nõ communicari pluribus, vt vniuerſale particulari, circumſcripto quocunq; alio exiſtente in ſubſtantia ſenſibili conuenit materiæ ſignatæ, & ipſa circumſcripta nulli alteri conuenit, ergo non communicari pluribus primò conuenit materiæ ſignatæ inter omnia, quæ in ſubſtãtia ſenſibili inueniuntur. Probatur minor quoad vtranque ſui partem, quoad primam ſic. Id quod materia ſignata præciſè ſumpta ſibi vendicat, ita quod ſub eius oppoſito non eſt intelligibilis, conuenit ſibi circumſcripto quocunque alio, patet iſta ex terminis, ſed incommunicabilitas conuenit materiæ ſignatæ præciſè, vt ſic acceptæ, ita quod ſub eius oppoſito materia ſignata non eſt intelligibilis, non enim poteſt intelligi

materia propria indiuidui communicabilis, ergo. Secunda pars finalis patet exemplariter, quia circumſcripta Socratis materia ſignata, ſeu materia propria, quod idem eſt, certum eſt quod non remanet hic, nec forma eius remanebit hæc: nec ipſa materia.

¶Secundo. Fruſtra fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora: ſed abſque quibuſque alijs ex materia ſignata ſufficienter ſaluatur indiuiduatio ſubſtantiæ compoſitæ, ergo. Confirmatur. Quia cum in ſubſtantia compoſita non ſit niſi materia, forma, & compoſitum ex his, & accidentia quæcunque indiuiduo accidunt, nullam aliam intrinſecam cauſam habent, niſi aliquid horum, & ſic ad inueſtigandam indiuiduationis cauſam, non oportet extra hoc vagari. ¶Eſt igitur materia ſignata intrinſecum indiuiduationis principium, quo intrinſecè, licet particulariter, Socrates eſt hic. Dico autem particulariter, quia non arbitror materiam ſignatam eſſe ipſam indiuidualem proprietatem, ſeu differentiam, ſed potius differentiæ indiuidualis eſſentiale principium. Opinor enim quod proportio materiæ ſignatæ ad proprietatem, ſeu differentiam indiuidualem ſit ſicut proportio animæ humanæ ad differentiam hominis conſtitutiuam, ſicut enim anima intellectiua non eſt ipſa differentia (putà rationale) ſed id vnde ſumitur, ita materia ſignata non eſt ipſa differentia indiuidualis, ſed id vnde ſumitur, & quod cauſat eam intrinſecè. Et ſicut homo eſt homo, & per rationale, tanquam per principium formale totale, & per animam intellectiuam, tanquam per principium parciale intrinſecum formale, à quo rationale mendicat & cauſatur, ita Socrates eſt hic per differentiam indiuidualem, tanquam per totale quoddam denominans: quod nihil aliud eſt, quam gradus indiuidualis, ſicut differentia ſpecifica eſt gradus ſpecificus, & per materiam ſignatam tanquam per priorem cauſam intrinſecam, à qua ipſa indiuidualis differentia mendicat. Vt ſic inter nos & Scotum in hoc ſtet diuerſitas, quod ipſe differentias indiuiduales abſque eſſentiali dependentia à materia ſignata multiplicat. Nos autem ſicut animal contrahere neſciremus ad hominem, & bouem ſine formis partium, à quibus differentiæ contrahentes animal cauſantur, ſic ſpeciem (putà hominem) contrahere ad indiuiduum non nouimus ſine materia ſignata, quæ eſt cauſa indiuiduarum differentiarum, & conſequenter primũ principium indiuiduationis intrinſecum. Moueor ad hoc dicendum, quoniam teneo Socratem ſubſtantialiter ſumptum in recta (ſcilicet) linea prædicamentali ſub ſpecie eſſe vnum numero, non vnitate de prædicamento quantitatis, ſed ſubſtantiali, quam neceſſe eſt antecedi, cum ſit entis paſsio ab indiuiduali gradu, quem ipſa indiuidualis differentia importat.

Nota hoc.

¶Quarta ſententia eſt aliorum ſuper primam partem Diui Thomæ quæſtione. 3. articulo. 2. quæſtione vnica, pro cuius opinionis intelligentia obſeruant, quod duo ſunt de ratione indiuidui, ſcilicet, incommunicabilitas, & diſtinctio: & inter hæc duo, ſola incommunicabilitas eſt, quæ facit ſingulare, & indiuiduum, Diſtinctio vero vnius indiuidui ab altero indiuiduo, habet ſe tanquam complementum indiuiduationis, quod ſequitur ad naturam ſingularem & incommunicabilem, & materia dat incommunicabilitatem, quantitas verò diſtinctionem: vnde materia ſub quantitate eſt principium indiuiduationis. Nec obſtat ſi dicas. In illo priori in quo materia vnitur formæ ſubſtantiali, prius natura eſt quod vnio materiæ fiat ad actum ſubſtantialem, quã ad accidentalem, & prius ſecundùm naturam forma actuat materiam, quam de facto illi accidentia inſint. Ruſus in illo priori, in quo forma eſt in materia, intelligitur compoſitum, ergo indiuiduum, & ſingulare, & nondum ibi intelligitur quantitas, ſola materia, ergo quantitas non eſt principium indiuiduationis cum materia, ſed ſola materia. Confirmatur. Quia quantitas cum ſit accidens, immediatè recipitur in toto compoſito, ergo totum compoſitum præſupponitur ante quantitatem, ergo indiuiduum. Reſpondetur, quòd in re nullum eſt inſtans in quo forma vniatur materiæ abſque quantitate, quoniam hæc forma non vnitur, niſi huic materiæ, quia nõ vnitur materiæ vniuerſali, ſed huic materiæ, hæc autem materia nõ eſt hæc, nec diſtincta ab hac materia niſi per quantitatem, & ſic nullum eſt inſtans,

ſtans, in quo forma vniarur materiæ abſque quantitate. Vel ſecundò reſpondetur, quod quanuis in genere cauſæ diſpoſitiuæ, quantitas, & reliqua accidentia præcedant vnionem formæ ad materiam, cæterum in genere cauſæ formalis, & abſolutè loquendo, hæc accidentia ſunt poſteriora ipſa vnione formæ ad materiam, quoniam accidentia ſunt effectus formæ, & compoſiti & in illo priori, in quo in genere cauſæ diſpoſitiuæ accidentia præcedunt, poſſunt indiuiduare, & ſingularizare ſubſtantiam. Vel tertio reſpondetur, quod in illo priori, in quo forma vnitur materiæ ante omnem quantitatem, iam ſubſtantia eſt indiuidua, quantum ad primam, & potiſsimam rationem indiuidui, quæ eſt incommunicabilitas, non tamen eſt indiuidua illa ſubſtantia completè quantum ad ſecundam conditionem indiuidui, quæ eſt diſtinctio, à quolibet alio indiuiduo, quia in illo priori nondum intelligitur quantitas in materia, & ita nondum etiam intelligitur diſtinctio huius indiuidui ab alio indiuiduo.

¶ Secundò aduertunt in quadam quarta concluſione quod illud, in quo poſita eſt ratio indiuiduationis cuiuſlibet naturæ, eſt incommunicabilitas, quoniã eſſe communicabile facit vniuerſale, & commune per ordinem ad inferiora: vnde omne indiuiduum intrinſecè continet eſſe incommunicabile, cætera vero, quæ in vnoquoque indiuiduo conſiderari poſſunt, nõ pertinent ad perfectionem eſſentialem, ſed ſolum ſe habent tanquam complementum prioris indiuiduationis, quare, quod indiuiduum ſit demonſtrabile, diſtinctum, & ſenſibile non conſtituit eſſentialiter indiuiduum, ſed ſupponit eſſe conſtitutum, perficit tamen vltimo rationem indiuidui & ſingularis.

¶ His igitur conſtitutis prædicti autores duas aſsignant concluſiones reſponſiuas quæſtioni, quarum prima eſt, quòd materia & forma quatenus realiter ſunt ad extra, ſunt principium indiuiduationis, ſed ordine quodam, quia materia eſt primum principium radicale, forma vero principium proximum, & hoc quidem quantum ad eſſentialem rationem indiuiduationis, hoc eſt quantum ad incommunicabilitatem, at vero quantum ad irreceptibilitatem, ſola materia eſt principium indiuiduationis, quantum ad diſtinctionem verò vnius indiuidui ab altero, materia ſignata quantitate. Denique & quantitas concurrit ad indiuiduationem, ſicut vera cauſa diſpoſitiua.

¶ Probant autem iſtam concluſionem quo ad omnes ſuas partes, quoad primam primò, quia in quolibet indiuiduo ſubſtantiæ materialis tria conſiderantur intrinſeca, ſcilicet forma, materia, & compoſitum ex vtriſque, ſed huiuſmodi compoſitum, & indiuiduum ſubſtantiale, à quibuſdam differt ſpecie, à quibuſdam differt ſolo numero, ergo ſicut diſtinctio ſpecifica ſumitur à forma, tanquam à primo principio, & à prima radice, ita diſtinctio indiuidualis & numerica, & indiuidualis vnitas ſumitur tanquam à primo principio, & à prima radice à materia, ergo materia eſt primum principium indiuiduationis. Rurſus quæcunque natura eſt vniuerſalis, quatenus habet eſſe obiectiuum, & apprehenſum ab intellectu, ergo eadem natura habet eſſe ſingulare, & habet vnitatem indiuidualem, quatenus habet eſſe ad extra, ergo natura, quæ eſt materia & forma, quatenus habent eſſe ad extra, ſunt principium indiuiduationis. Vnde ſicut natura, quatenus habet eſſe obiectiuum in intellectu, non ſolum habet vniuerſalitem, ſed vnitatem quandã formalem, ita & natura ipſa, prout eſt ad extra, non ſolum eſt principium indiuiduationis, & ſingularitatis, ſed etiam eſt principium vnitatis indiuidualis & numeralis. *Primũ argum. pro prima parte.*

¶ Præterea. Prima materia ſecundùm ſe eſt vna numero omnium generabilium & corruptibilium, quia ſecundum ſeipſam non habet quod diſtinguatur, nec quod differat, ergo ipſa eſt principium primum vnitatis indiuidualis. *Secundum argum. pro ſecũda parte.*

¶ Quod vero forma ſit principium proximum indiuiduationis, oſtenditur primò, quoniam in actu indiuiduationis, quando indiuiduatur, & ſingularizatur natura, forma eſt quæ potiſsimè terminat materiam, ergo forma eſt, quæ proximè concurrit, tanquam principium proximum in actu indiuiduationis: eo præſertim quod indiuiduare, eſt actuare, & terminare naturam, ergo cum materia non actuet, ſequitur quod nõ poteſt eſſe principiũ proximum, ergo forma (cuius eſt actuare, & terminare) *Primum argum. pro tertia parte.*

minare) debet eſſe principium proximum indiuiduationis.

Secundum argum. ¶Ad hæc, quia ſecundùm veram Philoſophiam & Ariſtotelem, vbique locorum: forma eſt, quæ facit hoc aliquid, ergo ipſa eſt proximum principium indiuiduandi naturam, cum materia tantum ſit radicale.

Tertium argum. ¶Vlterius, ſi Deus anihilaret animam Petri, & aliam produceret in eodem corpore organico Petri, tunc tale compoſitum eſſet diſtinctum à priori, ſed non eſſet diſtinctum numero ratione materiæ, nec ratione quantitatis, nec organorum, ergo nulla alia poteſt eſſe cauſa huius diſtinctionis numericæ niſi forma ſubſtantialis, ergo forma eſt, quæ concurrit tanquam proximum principium ad indiuiduationem, & vnitatem numeralem.

Arg. pro 4. parte. ¶Quod autem materia ſit principium indiuiduationis, quantum ad irreceptibilitatem probatur primò, quia ipſa eſt primum & vltimum ſubiectum ante quod nõ eſt aliud, ergo ſola ipſa eſt principium indiuiduationis, quantum ad irreceptibilitatem. Ex quo infertur, quod reliqua accidentia indiuiduantur à ſubſtantia, & radicaliter à materia, quantum ad hanc irreceptibilitatem.

Primũ argum. pro 5. parte. ¶Quod quantitas concurrat tanquam diſpoſitiua cauſa ſiue qua non. Probatur primò. Certa res eſt quòd quantitas non conſtituit indiuiduum, aliàs non eſſet ens per ſe, nam ſi non concurrit conſtituendo indiuiduum, tanquàm indiuidui principium, ſequitur, quòd ſaltim concurrit tanquam principium diſpoſitiuum.

Secundum argum. ¶Præterea. Agens naturale producit formam determinatam in ſubiecto determinato, & indeterminata etiam parte materiæ, diſtincta ab alia materia, ſed vt hæc materia ſit partita, & diuiſa ab alia, requiritur, quod diuidatur ratione quantitatis, ergo. Probatur minor. Nam vbicunque reperitur iſta partitio, & multiplicatio in rebus materialibus, hoc tribuitur quantitati, ſicut enim ignis eſt cauſa omnium calidorum, ſic quantitas eſt cauſa cuiuſcunque diuiſionis, ergo diſtinctio illa huius materiæ ab altera tribuenda eſt quantitati in ipſo inſtanti generationis ipſius indiuidui.

¶Ex quibus omnibus colligitur, quod hoc indiuiduum eſt hoc, per hanc formam & hanc materiam, at verò forma eſt hæc, quia recipitur in hoc ſubiecto determinato, & hæc materia eſt hæc primò, quia terminatur ab hac forma. Secundò, quia præſupponitur eſſe diſtincta ratione quantitatis ab alia parte materiæ. Eſt tamen maximè obſeruandum, tanquam rationi ſatis conſonum, quod forma & materia inter ſe ſe mutuò ſe iuuant, quantum ad rationem indiuiduationis, in diuerſo tamen genere cauſæ, ſic docet Ariſtoteles 2. Phyſicorum, text. 30. vbi inquit, quòd cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſæ. Vnde in productione cuiuſcunque rei quanuis accidentia præcedant in genere cauſæ diſpoſitiuæ, & materialis, at vero in genere cauſæ efficientis, & formalis ſequuntur, & poſteriora ſunt. Sic ergo quantitas in indiuiduatione naturæ ſubſtantialis præcedit in genere cauſæ diſpoſitiuæ, & ſequitur formam in genere cauſæ efficientis, & formalis. Ex quibus colligitur, quod eſt intolerabile illud, quod dixit Caietanus in prima parte, & ſine cauſa mutauit ſententiam, ſcilicet, quod materia vt præhabens quantitatem, eſt principium indiuiduationis, & diſtinctionis indiuidualis, quoniam quantitas, quæ in materia continetur, eſt quantitas indeterminata, & continetur, aut præhabetur in materia, ſicut fructus indeterminatè continetur in terra, ergo ſub iſta ratione, materia non poteſt indiuiduare, aut quantitas ſub iſta ratione non poteſt concurrere ad indiuiduationem.

¶Secunda autem concluſio huius ſententiæ eſt, quod materia ſignata, quæ principium eſt indiuiduationis iuxta interpretationem iam poſitam, eſt materia determinata, & appropriata, & quaſi ſigillata ad hanc formam ſubſtantialem. Pro hac concluſione aduertunt, quod licet agens naturale ſua ſingulari actione diſponat, & approprièt materiam, & determinet ad hanc formam per diſpoſitiones aliquot, & qualitates, verumtamen in inſtanti ipſo generationis omnes illæ diſpoſitiones, & qualitates euaneſcunt, & fugiunt ad corruptionem ſubiecti, in earum tamen virtute manet materia per ſeipſam determinata ad hanc formam, quam recipit immediatè in eodem inſtanti. Rurſus, materia & forma mutuò ſe determinant, & ſibi inuicem ſunt cauſæ, ſic quod materia

non

non eſt capax alterius formæ, nec forma eſt receptibilis in alia materia. Et rurſus materia eſt etiam ſignata quantitate, quia in genere cauſæ diſpoſitiuæ præcedit quantitas ad determinandam rationem huius formæ, non alterius. Iam probatur concluſio. Talis materia ex ſe ipſa primo eſt incommunicabilis ab alijsque diſtincta, ergo prima ſubſtantia indiuidua ab ipſa ſortitur has conditiones, quibus efficitur indiuidua. Præterea ſi hæc concluſio & præcedens ſunt veræ, ceſſant omnia inconuenientia poſita, eo quod talis materia ſignata eſt ſubſtantia, & ita poteſt conſtituere primam ſubſtantiam in eſſe indiuiduali ſubſtantiali per ſe loquendo. Quod ſi interroges an ſi daretur de potentia Dei abſoluta compoſitum aliquod ſubſtantiale, ſine quantitate, & alijs accidentibus, an tale compoſitum eſſet indiuiduum. Reſpondetur, quod tale compoſitum in illo caſu, eſſet indiuiduum, quantum ad primam, & præcipuam conditionem indiuidui, non tamen intelligeretur eſſe indiuiduum, quantum ad ſecundam, quia conciperetur tunc vt incommunicabile, quæ eſt præcipuè conditio indiuidui non autem eſſet, nec conciperetur tunc ab alio diuiſum materialiter, quod pertinebat ad ſecundam conditionem, & minus principale indiuiduationis. Ita Capreol. in 2. diſtinctione. 3. quæſtione prima, reſponſ. ad 4. Scoti contra ſecundam concluſionem, & Ferrara libro primo contra gentes, capite. 21.

Sententia Doctoris. ¶ Vltima ſententia eſt Doctoris, pro cuius explicatione & totius quæſtionis eſt primum notandum, quòd in tota iſta diſtinctione. 3. à prima quæſtione vſque ad. 6. incluſiuè, intendit Doctor inueſtigare illud per quod, tanquam per rationem formalem indiuiduum conſtituitur in eſſe indiuidui, & ſic in prima quæſtione inquirit, vtrùm natura materialis habeat ex ſeipſa hanc indiuiduationem nullo ſibi addito, & reſpondet negatiuè. *Notab. 1.* *Prima quæſtio.* ¶ Quare in ſecunda quærit, vtrùm illud quod aduenit naturæ ratione cuius ſit indiuidua, & incommunicabilis ſit poſitiuum, an vero negatiuum, & concludit contra Henricum quod indiuiduum, non eſt indiuiduum per ſolas negationes, ſed neceſſe eſt vt per aliquod poſitiuum intrinſecum huic homini, vel huic lapidi repugnet ſibi diuidi in partes ſubiectiuas, tanquam per propriam rationem formalem illius repugnantiæ, & tale poſitiuū eſt cauſa indiuiduationis. *Secunda quæſtio.* ¶ Poſito iam neceſſarium eſſe aliquid poſitiuum, quod ſit cauſa indiuiduationis, quęrit in tertia quæſtione, an tale poſitiuum ſit actualis exiſtētia naturæ, & reſpondet negatiuè: & ratio eſt, quia exiſtentia naturæ humanæ eſt idem realiter ipſi naturæ, de qua re latè diximus ſuprà, & per conſequens exiſtentia diuiditur à diuiſione naturæ, & determinatur determinatione naturæ, cum igitur exiſtentia non ſit primum diſtinctiuum, nec primum determinatiuum, ſed habeat à quo diſtinguatur & determinetur, non igitur poterit eſſe principium indiuiduationis. *Tertia quæſtio.* ¶ Quia tamē aliquid aliud ab exiſtentia requiritur principium indiuiduationis quærit in quarta, an illud tale ſit quantitas, & reſpondet quod nec quantitas, nec materia quantitate ſignata, poteſt eſſe tale principium, quia nec accidens, nec aliquid derelictum ab accidente poteſt eſſe principium indiuiduandi ſubſtantiam, præcipuè quia ex principio indiuiduationis, & naturæ efficitur vnum per ſe, ex accidente vero & ſubſtantia efficitur vnum per accidens. *Quarta quæſtio.* ¶ Propter hoc autem quærit quæſtione. 5. Vtrùm materia (quia ſubſtantia eſt, & efficit vnum per ſe cum forma) ſit tale principium indiuiduandi naturam, cui quæſtioni reſpondet negatiuè, quia ſicut, ſecundum Philoſophum, datur forma communis, & forma particularis, ita datur materia communis & materia particularis, ergo cum materia de ſe non ſit hæc, non poterit eſſe principium indiuiduandi naturam. *Quinta quæſtio.* ¶ Quare quæſtione ſexta quærit, vtrùm illud poſitiuum additum naturæ ratione cuius natura ſit indiuidua, & incommunicabilis cum non ſit exiſtentia, nec quantitas nec materia, an ſit eiuſdem generis cum natura, id eſt, an natura ſit, hæc, per aliquod ſibi additum de prædicamento ſubſtantiæ. *Quæſtio ſexta.*

Notab. 2. ¶ Secundò eſt notandum, quòd per indiuiduationem naturæ Doctor nihil aliud intelligit, quam repugnantiam ad diuiſibilitatem ſubiectiuam, id eſt, in aliud, & aliud indiuiduum, quia ſicut naturæ ſpecificæ repugnat diuidi in plures ſpecies, quia non poteſt habere ſub ſe plures ſpecies, ſicut poteſt habere genus, cui non repu-

repugnat diuidi in plures ſpecies, ita indiuiduo (v.g. Petrus quia non poteſt habere plura ſub ſe indiuidua repugnat ſibi diuiſibilitas in plures partes ſubiectiuas, ſiue in plura numero: & ſicut differentia ſpecifica eſt ratio, quare repugnet ſpeciei diuidi in plures ſpecies, ita differentia indiuidualis eſt ratio, quare repugnet indiuiduo diuidi in plura indiuidua, & hanc rationem huius repugnantiæ inquirimus in hac quæſtione, ſiue quod in hac quæſtione perquirimus eſt rationē formalē, per quā ita Petrus eſt determinatus ad eſſe hunc, vel natura Petri ita eſt determinata ad eſſe hanc, quod ſtante tali poſitiuo addito ipſi naturæ, implicet talem naturam per aliam differentiam determinari, & habere ſub ſe aliud indiuiduū, vel indiuidualem differentiam, quam repugnantiam non habet natura ex ſua ratione formali, cum ſit pluribus indiuiduis cōmunicabilis, & ad plures differentias indiuiduales indifferens.

Notab. 3. ¶ Tertiò eſt notandum, quod vt conſtat ex Philoſopho 5. Metaph. ens & vnum conuertuntur, taliter, quod eo modo aliquid eſt vnum, quo eſt ens, & ècontra, ita vt ſi eſt ens entitate tranſcendentali, eſt & vnū vnitate tranſcendentali, & ſi eſt vnum genere habet vnitatem genericam, ſi autem ſpecie, ſpecificam, ſi autem eſt indiuiduum habet vnitatem numericam, quia vnaquæque vnitas ſuam propriam entitatem conſequitur, & per conſequens, vnitas numeralis conſequitur etiam ad ſuam propriam entitatem.

Nota hoc. Ex quo prouenit (& eſt fundamentum huius quæſtionis) quod cum talis vnitas numeralis, quæ realis eſt ſecundùm omnes, non conſequatur ad vnitatem ſpecificam, quia vnitas ſpecifica eſt minor vnitate numerali, ideò ponenda eſt in indiuiduo alia entitas diſtincta ab entitate ſpeciei, ad quam conſequatur vnitas numeralis, tanquam propria vnitas ipſius entitatis.

Notab. 4. ¶ Quartò eſt notandum, quod vnitas ſpecifica, non eſt vnitas intentionis per actum intellectus fabricata, ſed eſt vnitas realis ſpecifica, vt latè probat Doctor in hoc 2. diſtinctione. 3. quæſtione. 1. & hæc vnitas eſt vnitas naturæ ſecūdū ſe, cū fluat à principijs naturæ ex ratione ipſius naturę, tanquā paſſio eius, & natura ſecundū hanc vnitatem ſibi propriā) eſt indeterminata, & indifferēs ad hāc vel illā differentiā indiuidualem, & quamuis natura nunquā habeat eſſe reale niſi ſub aliqua iſtarum, quia tamē ſi conſideretur vt prior natura (ſecundum ſuum eſſe) qualibet iſtarum, nullam illarum in tali includit, & vt ſic conſiderata eſt obiectum metaphyſicæ, & vniuerſalis in potētia, potens fundare ſecūdam intentionem, & diffinibilis definitione quidditatiua, quāuis vnitas non ingrediatur in diffinitione quidditatiua, ſed ſit paſſio eius, & ita philoſophandum eſt de vnitate indiuiduali quæ non eſt de ratione formali naturæ, nec eius propria paſſio, ſed accidēs illius, eſt tamen propria paſſio indiuidui quatenus indiuiduum eſt.

¶ Quinto eſt notandū, quòd iſta vnitas realis, minor vnitate numerali, quæ conſequitur naturam, vt eſt prior naturaliter entitate indiuiduali, & vt eſt prior naturaliter ſeipſa, vt eſt hæc, eſt vnitas propriæ naturæ, & vnitas realis, & paſſio eius, quæ vnitas etiam reperitur in vnico indiuiduo, ſicut & natura, ideſt, ſicut natura vna eſt in vnoquoque indiuiduo, ita vnitas realis (conſequens ipſam naturam) eſt vna in vnoquoq; indiuiduo. Quare licet in Petro ſit vna numero natura, eſt tamen duplex vnitas, quarum altera conſequitur entitatem naturæ, altera vero entitatem indiuidualem; & ſic natura ibi eſt vna primo & per ſe ab vnitate illa quæ illam conſequitur ex ſua formali ratione, & eſt vna denominatiuè, ab vnitate quæ conſequitur differentiam indiuidualem. Sicut v. g. color in albedine eſt vnum ſpecie, & vnum genere, vnum genere de ſe, ideſt, ab illa vnitate quæ conſequitur naturam genericam: eſt etiam vnum ſpecie, ſed non de ſe, id eſt, non per rationem coloris, neque ratione alicuius quod per ſe ineſt colori, vt color eſt: ſed denominatiuè tantum, à differentia ſpecifica albedinis eſt vna ſpecie, quia ſibi primo repugnat diuidi in plura ſpecie, poſtquam habet determinationem à differentia ſpecifica: at vero albedo eſt vna ſpecie per ſe, quia à ſua differentia formali habet, quod non poſſit diuidi in plura ſpecie diſtincta. Ita ſimiliter dicēdū eſt de hac natura exiſtēte in hoc ſuppoſito, quod ipſa ex ſua ratione formali eſt vna vnitate ſpecifica: ideſt nō determinabilis per plures differētias ſpecificas, quia per ſe primo cōuenit illi, eſſe vnam ſpeciem: at vero eſt vna vnitate numerali denominatiuè, quia ex ſua formali ratione nō habet determinationē, magis ad iſtā differentiam ***Notab. 5.***

indi-

indiuidualem, quam ad illam: vnde vnitas numeralis, formaliter loquendo, eſt totius indiuidui, quare quanuis differentia indiuidualis ſit primo vna, ideſt ratiõ formalis, illius vnitatis, quia ab illa differentia indiuiduali habet (verbi gratia Petrus) quod ſit vnus indiuidualiter, tamen illa vnitas eſt paſsio totius, cõſequens ipſum eſſe totius, quanuis conſequatur eſſe totius magis ratione vnius partis quam alterius.

Notab. 6. ¶ Vltimò eſt notandum (ad intelligendum quid ſit entitas indiuidualis) quod differentia indiuidualis, & ſpecifica, in aliquo conueniunt, & in aliquo diſtinguuntur: (loquor autem de conuenientia logica in conceptu formali, non autem in conceptu obiectiuo) Differentia ſpecifica poteſt ad tria comparari, vel ad illa quæ ſunt infra ipſam differentiam, ſcilicet, ad indiuidua illius ſpeciei, & vt ſic repugnat diuidi in plura differentia ſpecie, & ſic etiam repugnat ipſi ſpeciei diuidi in plura ſpecie, quia (verbi gratia homo) poteſt diuidi in plures homines differentes numero, non autem in plures homines differentes ſpecie, quia nõ ſunt dabiles etiam de potentia Dei abſoluta: ita etiam differentia iſta indiuidualis nõ poteſt diuidi in plura numero, imo, & ipſum indiuiduum non poteſt in plura numero diuidi. Conueniunt igitur vtraque differentia in hoc quia ſpecificæ repugnat diuidi in plura ſpecie, & indiuiduali in plura numero. Differunt tamen, quia ſpecifica poteſt diuidi in plura numero quia nõ excludit omnem diuiſionem, quia cum illa ſtat multitudo numeralis, ex eo quod habet vnitatem minorem vnitate numerali, at vero differentia indiuidualis omnem diuiſionem excludit, ſcilicet, & illam quę eſt in partes eſſentiales ſubiectiuas, & illam quæ eſt in partes numerales ſubiectiuas. Secundò poteſt comparari differentia ſpecifica ad illud quod eſt ſupra ſe, ſcilicet, ad naturam genericam, & tunc comparans differentiam ſpecificam ad genus ab alia entitate ſumit differentiam ſpecificam, & ab alia rationem genericam, & ſic differentia ſpecifica eſt actus naturæ genericæ. Propter quod dixi ſupra, quod compoſitio ex genere & differentia in Angelis ſumitur ab alia & alia realitate. At vero in rebus materialibus ſumitur ab alia & alia re. Ita etiam dicendum eſt de iſta differentia indiuiduali, quod eſt quaſi actus determinans naturam ſpecificam, cõtrahens illam ad eſſe indiuidui. Eſt tamẽ maxima differentia quia differentia ſpecifica ſemper ſumitur à forma alia à qua ſumitur genus, vel ab alia realitate generis: at vero differentia indiuidualis non ſumitur ab alia forma, à forma ipſius ſpeciei, ſed ab vltima realitate formæ ſpecificæ. Sicut, verbi gratia, homo dicit naturam ſenſitiuam rationalem, & hoc totum includit aliam & aliam formam, ſcilicet, formam ſenſitiuam, & formam rationabilem, & à forma ſiue natura ſenſitiua ſumitur ratio generis, à forma autem rationali ſumitur ratio differentiæ. Ita Petrus (qui eſt hic homo) habet duplicem rationem, alteram quod eſt homo, & propter hanc conſtituitur in ſpecie humana, alteram autem, propter quam eſt talis homo, & propter hanc conſtituitur in eſſe indiuidui. Ratio ſpecifica ſumitur ſemper à forma addita naturæ genericæ, quia natura generica non continet actualiter, nec virtualiter formam ſpecificam, ſed tantum potentialiter: at vero differentia indiuidualis non ſumitur à forma addita naturæ ſpecificæ, ſed ab vltima realitate naturæ ſpecificæ, ſiue formæ conſtituentis naturam ſpecificam in ratione vltima ipſius naturæ: quia (verbi gratia) Petrus dicit naturam humanam in vltima realitate ſubſtantiali, ſibi poſsibili. Quæ realitas non ſumitur ab aliqua forma ſuperaddita ipſi naturæ humanæ, ſed ab ipſa natura humana ſecundùm quod eſt in vltima actualitate, quia natuta humana non tantum potentialiter continet iſtam differentiam indiuidualem, quatenus eſt ſuſceptiua & determinabilis per ipſam, ſed etiam continet illam virtualiter, quatenus habet in ſe principium per modum cuiuſdam emanationis ad producendum illam. Secundò differunt, quia differentia ſpecifica componit in eſſe quidditatiuo ſuum compoſitũ, quia ipſa eſt entitas quidditatiua ſiue dicẽs quidditatem: at vero differentia indiuidualis nõ conſtituit compoſitum in eſſe quidditatiuo, ſed in eſſe alterius rationis, quia in eſſe indiuiduali materiali ſiue ſubijcibili: quia in eſſe quidditatiuo nullo modo ingreditur differentia indiuidualis, quia conſiderando hominem in ratione hominis nullo modo conſideratur ratio huius hominis, quatenus hic homo eſt, & propter hoc Ariſtotel. 5. Metaphyſ. & 6. & 7. text. cõmen. 41. capit. de partibus definitionis dicit, quòd in

in quibuſcunque non eſt materia, idem eſt quod quid eſt, & id cuius eſt, ac ſi dicat in ijs in quibus quidditas includit in ſua ratione formali differēriam indiuidualem, idem eſt quidditas & id quod haber quidditatem quia differentia indiuidualis appellatur à Philoſopho materia, & indiuiduū pars materialis. Differentia autem ſpecifica, ſiue natura, dicitur forma, & ideò omnis realitas ſpecifica conſtituit in eſſe formali, quia in eſſe quidditatiuo, realitas autem indiuidui conſtituit in eſſe materiali, quia in eſſe indiuidui, & ſubiecti. Tertiò poteſt comparari vna differentia ſpecifica ad alias differērias ſpecificas, & tunc ſi ſumatur ab vltima identitate, vel realitate formę, ſunt primo diuerſæ inter ſe, quia quanuis anima equi, & anima hominis non ſint primo diuerſæ: at verò differentiæ quæ ſumuntur ab vltima realitate animæ rationalis, & ab vltima realitate animæ equi ſunt primo diuerſæ, ita etiam differentia indiuidualis eſt primo diuerſa ab alia differentia indiuiduali.

Prima conclusio. ¶ Prima concluſio. Principium indiuiduationis tam in rebus materialibus quam immaterialibus creatis eſt entitas poſitiua. Hæc concluſio eſt Doctoris, quam etiam docet Caietanus vbi ſupra: & probatur. Nulla negatio ineſt alicui cum repugnantia ad oppoſitum niſi per aliquam affirmationem, ſed quæcunque natura creata indiuiduata habet huiuſmodi negationem cum repugnantia ad oppoſitum: ergo per aliquam entitatem poſitiuam: ſed huiuſmodi eſt differentia indiuidualis, ergo.

Secunda conclusio. ¶ Secunda concluſio. Iſta differentia indiuidualis eſt vltima realitas entis. Hæc concluſio eſt Doctoris, & omnium Scotiſtarū: & probatur. Quia illud eſt differentia indiuidualis quod vltimatè determinat naturam, & conſtituit illam in gradu indeterminabili, ſed huiuſmodi eſt differentia iſta indiuidualis, ergo. Maior patet, quia natura quæcunque creata de ſe eſt indifferens, & indeterminata ad hanc, & illam differentiam indiuidualem, ergo differentia indiuidualis erit illud quod vltimo determinat naturam, ita quod illi repugnet per aliud determinari, & per conſequens, indiuidualis differentia erit vltima realitas naturæ, ſiue cuiuſcunq; entis, quod eſt determinabile, ſiue illud ſit materia, ſiue ſit forma, ſiue cōpoſitū, dummodo poſsit cōſiderari, quatenus determinabile & determinatum eſt, non per differentiam ſpecificam, quia iſta addit naturam, & rem diſtinctam à natura generica, ſed per differentiam indiuidualē, quæ ſupra naturam non addit aliam naturā, ſed tantum realitatem ipſius naturæ.

Tertia conclusio. ¶ Tertia concluſio. Iſta differentia indiuidualis (quæ vltima realitas entis eſt) non eſt aliquid realiter diſtinctum, ſed tantum formaliter negatiuè. Hæc concluſio eſt Doctoris: & probatur. Quia vltima realitas naturæ eſt modus ipſius naturæ, ſed modus tantum diſtinguitur formaliter negatiuè ab illo, cuius eſt modus, ergo & iſta differentia indiuidualis tantum diſtinguitur formaliter negatiuè ab ipſa natura cuius eſt.

¶ Confirmatur. Entitas naturæ & iſta differentia indiuidualis nō ſunt duæ res, ſed duæ realitates: quarum vna formaliter non eſt alia, ergo non poſſunt diſtingui realiter. Patet ſequela, quia diſtinctio realis eſt diſtinctio inter rem & rem, ergo. Neque etiam formaliter poſitiuè, quià diſtinctio formalis poſitiua eſt inter duas formas poſitiuas, ſed natura & vltima realitas naturæ nō ſunt duæ formæ poſitiuæ (ſicut non ſunt duæ naturæ poſitiuæ) ergo. Probatur minor. Vltima realitas (præciſè conſiderata) non dicit aliquam naturam, ſed dicit de formali realitatem vltimam, connotando illam naturam cuius eſt, ergo. ¶ Confirmatur. Minus diſtinguitur vltima iſta realitas à natura cuius eſt, quam diſtinguitur differentia ſpecifica à natura generica, quam contrahit, & determinat: ſed differentia ſpecifica (vt rationalitas in homine) tantum diſtinguitur formaliter poſitiuè à natura generica, ſcilicet à natura animalis in homine, ergo cum iſta diſtinguatur tantum formaliter poſitiuè, illa ſcilicet differentia indiuidualis diſtinguetur formaliter negatiuè.

Quarta conclusio. ¶ Quarta concluſio. Differentia iſta indiuidualis reductiuè eſt in illo prædicamento, in quo eſt natura cuius eſt vltima realitas. Hæc concluſio probatur, quia iſta vltima realitas conſtituit indiuiduum prædicamenti ſubſtantiæ, & indiuiduum prædicamenti accidentis, ergo ſi eſt vltima realitas ſubſtantialis naturæ, erit in prædicamento ſubſtantiæ, ſi autem accidentalis naturæ in prædicamento accidentis. Probatur maior, quia per iſtā vltimam realitatē cōſtituitur Petrus in ratione primæ ſubſtātiæ & hęc quātitas in ratione indiuidui quātitatis, & hæc qualitas in ratione indiuidui quali-

qualitatis,ergo iſta vltima realitas reductiuè eſt in illo prædicamento in quo eſt natura quæ per illum determinatur.

¶Secundo abſolutè loquendo impoſsibile eſt quod conſtitutiuum alicuius rei ſit in alio prædicamento, ab eo, in quo res illa collocatur: cùm ergo prima ſubſtantia vt prima ſubſtantia ſit indiuidua & per ſe in prædicamento ſubſtātiæ neceſſario debet conſtitui in eſſe primæ ſubſtantiæ per aliquam entitatem poſitiuam ſubſtantialem, alias ſi prima ſubſtantia conſtitueretur per aliquod accidens non eſſet ens per ſe, ergo forma indiuiduationis conſtitutiua primæ ſubſtantiæ debet eſſe ſubſtantia & non accidens. Probatur ſequela. Nam ſi conſtitutiuum primæ ſubſtantiæ eſt accidens, ergo prima ſubſtantia eſt in prædicamento accidentis. Patet. Quoniam per illud res eſt in prædicamento per quod formaliter conſtituitur in ſuo eſſe. Confirmatur. Deus poteſt conſeruare ſubſtantiam indiuiduā ſine accidentibus ergo principium indiuiduationis ſubſtantiæ erit ſubſtantia.

¶Tertiò. Subſtantia, vt ſic, eſt prior omnibus accidentibus, ergo non poteſt indiuiduari ab accidentibus. Confirmatur. Subiectum accidentis indiuidui & ſingularis debet eſſe ſingulare, & non vniuerſale, ſed ſubſtantia in re eſt ſubiectum omnium accidentium ſingularium, ergo ſubſtantia, vt ſubiectum eorum, debet eſſe indiuidua & ſingularis, ſed prius natura eſt ſubiectum, quàm accidentia ſingularia recipiatur, ergo in illo priori ſubſtantia eſt indiuidua & ſingularis ante reliqua accidentia.

¶Vltimò. Generatio terminatur ad ſubſtantiam ſingularem, & indiuiduam, quæ per ſe eſt terminus generationis, accidentia verò conſequuntur: ergo ſubſtantia prius naturâ eſt, & intelligitur eſſe vna & indiuidua ante omnia accidentia, ergo conſtitutiuū ſubſtantiæ indiuiduæ, non poteſt eſſe accidēs.

Quinta cõclusio. ¶Quinta concluſio. Differentia indiuidualis in accidentibus non poteſt eſſe ſubſtantia. Hæc concluſio probatur primo. Deus poteſt conſeruare accidens indiuiduum ſine ſubſtantia, ergo indiuiduatio illius accidentis non poteſt eſſe ſubſtantia. Probatur ſequela. Quia Deus non poteſt conſeruare aliquid in aliquo eſſe, ſine formali ratione conſtitutiua illius in illo eſſe, ſed formalis ratio conſtitutiua indiuidui in eſſe indiuidui eſt differentia iſta indiuidualis, ergo nō poteſt Deus ſupplere iſtam indiuidualem differentiam ſed poteſt conſeruare accidēs ſine ſubſtantia, ergo.

Vltima concluſio. ¶Vltima concluſio. Principium indiuiduationis non poteſt eſſe materia ſignata quantitate. Hæc concluſio eſt Doctoris & probatur, quia materia ſignata quantitate vel dicit ſolam materiam, vel dicit ſolam quantitatem, vel dicit materiam cum ordine ad hanc quantitatem, ſed neutrum horum poteſt eſſe principium indiuiduationis, ergo. Probatur minor, quia materia tantum eſt prima ratio indiuiduationis ipſi indiuiduo, ſicut eſt prima ratio eſſendi: cùm materia ſit primum principium ex quo aliquid fit. Neque quantitas, quia ſi quantitas eſſet tale principium indiuiduandi ſequeretur quòd duo ſuppoſita ſubſtantialia, & duæ ſubſtantiæ numero diſtinctæ poſſent eſſe vna numero ſubſtantia, & vnum numero ſuppoſitum. Probatur ſequela. Nā de fide eſt quod facta tranſubſtantiatione panis in corpus Chriſti ibi ſolum remanet quantitas cum reliquis accidentibus ſine ſubſtantia panis, tunc temporis ſit caſus, quod Deus creet ſubſtantiam panis de nouo, & afficiat illam eadem quantitate & iiſdem accidētibus quibus præcedens ſubſtantiā (conuerſa in corpus Chriſti) erat antea indiuidua, tunc quidem ſubſtātia de nouo creata habet eadem principia indiuiduationis, quæ habebat præcedens, quia habet eandem quantitatem, ergo eſt eadem numero cum præcedente. Patet ſequela. Quia vtrobique eſt idem principium vnitatis numericæ. Neque etiam materia cum ordine ad hanc quantitatem, quia vel talis ordo dicit aliquid in materia, vel non; ſi non, ergo cum materia ſecundum ſe non ſit principium indiuiduationis, neque materia cum tali ordine erit principiū indiuiduationis: ſi autem dicit aliquid, vel illud eſt ſubſtantia, vel accidens, ſi eſt ſubſtantia, ergo non poteſt eſſe principium indiuiduā di accidens: ſi accidens, ergo nō poteſt eſſe principium indiuiduandi ſubſtantiam. Cōfirmatur. Materia cum iſto ordine ad quantitatem eſt principium differentiæ indiuidualis in ſubſtantia indiuidua, ergo nō eſt principium formale indiuiduandi ſubſtantiam. Probatur antecedens. Prius natura intelligimus materiam taliter diſpoſitam ab agente, quam formam vniri materiæ: ſed materia eſt diſpoſita per ordinem ad hanc quantitatem, & ad reliqua accidentia, quæ

concomitantur ipſam formam, quam quod forma vniatur materiæ; ergo prius intelligimus materiam ſignatam, quam materiam vnitam formæ, ſed non poſſumus intelligere principium indiuiduationis, niſi prius intelligamus formam vnitam materiæ, ergo principium indiuiduationis non eſt materia ſignata quantitate, ſed vltima realitas cuiuſcumque entis habentis naturam determinabilem & per talem differentiam determinatam.

Nota argumenta Caietani & eorum ſolutiones. Primum argum.

¶In hac igitur quæſtione Caietanus arguit contra Doctorem ponentem talem vltimã realitatem, cuius argumenta nullam habẽt difficultatem imo ſi aliquid probarent contra noſtram ſententiam, idem prorſus probarent contra ſuam. Quod magis videtur vrgere eſt illud quod ſic ait. Omnis actus ſingularis præexigit potẽtiam ſingularem, ſed iſta potentia eſt natura ipſius indiuidui, ergo ante aduẽtum huius proprietatis hæc natura eſt ſingularis & per conſequens natura non ſit ſingularis per illam proprietatem. Maior eſt Scoti & prob. ex 2. Phyſic. tex. com. 38. vbi docet comparationes cauſarum.

Solutio.

Reſpondetur negando antecedens, quia non requiritur tanta vnitas in potentia, quanta reperitur in actu; nam in differẽtia ſpecifica eſt vnitas ſpecifica: at vero in natura generica, eſt vnitas generica & non ſpecifica, quare actus ſingularis nõ præexigit potentiam ſingularem, ſed potentiam ſingularizabilem.

Secundum argum.

¶Secundò arguit Caietanus. Principia indiuiduationis ſunt primo diuerſa, ſed ecceitas Petri & Pauli non ſunt primo diuerſæ, ergo. Probatur minor. Id quod magis conuenit cum vno, quam cum alio, non eſt primo diuerſum ab eo, cum quo magis conuenit; ſed ecceitas Petri magis conuenit cum ecceitate Pauli, quam cum ecceitate albedinis, ergo illę duæ nõ ſunt primo diuerſæ. Maior eſt manifeſta, quia illa quæ ſunt primo diuerſa in nullo conueniunt. Minor autem probatur, quia ecceitas Petri & Pauli, conueniunt in ſpecie: ecceitas Petri, & albedinis differunt genere. Secundo probatur eadem minor. Illa magis conueniũt quę magis aſſimilantur, ſed illæ duæ priores magis aſſimilantur, ergo.

Reſpondetur arg.

¶Reſpondetur quod hoc argumentum, petit illam difficultatem quæ dicantur primo diuerſa. Cui reſpondetur quod primo diuerſa ſunt illa quæ non conueniunt in aliquo quidditatiuè. Hoc autem dupliciter poteſt intelligi. Primo quod non conueniunt in aliqua realitate quidditatiua, & communi. Vel ſecundo, quod non conueniunt in aliquo conceptu obiectiuo; quare ſubſtantia & qualitas ſunt primo diuerſa quia non conueniunt in aliqua realitate communi vtrique, neque in aliquo conceptu obiectiuo, ſed tantum in conceptu formali, iuxta Doctorem in 1. diſt. 3. quæſt. 1. & idem dicendum eſt de quantitate & qualitate, quibus non datur aliquis vnus conceptus obiectiuus, quia ratio accidentis nõ eſt aliquid vnũ determinabile per quantitatem, & qualitatem, ſed tantum eſt quædam ratio concepribilis in vtraque deſumpta ab eodem modo ſe habendi, & ſic tantum habent vnum conceptum formalem; & hoc in intellectu confuſe concipiente, non tamen vnum conceptum obiectiuum: iuxta ea quæ dixi in 1. diſput. 14. quæſt. 1. notab. 5. Contra nonnullos Scotiſtas male Doctorem interpretantes. His poſitis reſpondetur argumẽto. Illas duas proprietates non habere aliquid reale commune in quo conueniant, quãuis ab illis poſſet abſtrahi aliquis conceptus formalis deſumptus non ab aliqua realitate vtrique communi, ſed ab eodem modo determinandi naturam. Pro quo videndus eſt Lichetus in 2. diſt. 3. quæſt. 7. in principio. Neque obſtat quod differẽtia Petri, & Pauli indiuidualis conueniunt in hoc quod eſt indiuiduare eandem naturam: differẽtia autem Petri, & albedinis non conueniunt in hoc. Reſpondetur, quod talis conuenientia non conuenit illis, ex hoc quod ſunt differentiæ indiuiduales, ſed quia identificantur cum natura cuius ſunt, & cum primo diuerſitas ſumenda ſit inter aliqua, ex rationibus formalibus ipſorum, ſi iſtæ differentiæ indiuiduales conſiderentur quatenus ſunt proprietates indiuiduales, non conueniunt in aliquo communi, ſi autem conſiderentur, quatenus ſunt talis naturæ, conueniunt inter ſe quia conueniunt in natura cum qua identificantur, & quia differentia indiuidualis albedinis, & differentia indiuidualis Petri, non identificantur in natura, ideo ſunt primo diuerſæ tam ſecundum rationem formalem, quàm materialem: hoc autem non tollit rationẽ primæ diuerſitatis, licet tollat rationem maioris diuerſitatis.

Tertium argum.

¶Tertiò arguit Caietanus. Quod conuenit vni, & repugnat alteri indiuiduo eiuſdem ſpeciei,

ſpeciei, præexigit neceſſario ipſorum diſtinctionē, ſed proprietas indiuidualis Petri conuenit Petro, & repugnat Paulo indiuiduo eiuſdem ſpeciei, ergo proprietas indiuidualis præexigit diſtinctionem Petri à Paulo, & per conſequens differentia indiuidualis non eſt principium diſtinctionis Petri à Paulo. *Solutio.* Reſpondetur cōcedendo maiorem, & diſtinguendo minorem, ſcilicet, vel differentia indiuidualis cōuenit Petro iam conſtituto, & tunc concludit argumentum, quod non eſt principium diſtinguēdi Petrum à Paulo, quia vnumquodque per id diſtinguitur ab alio, per quod conſtituitur, quia tamen differentia indiuidualis nō aduenit Petro conſtituto eſt ſed conſtituendo illum, non præexigit diſtinctionē ipſius à Paulo, ſed facit illam.

4. Argu. ¶Quarto. Arguit Caietanus ex Ariſtot. & commentatore 12. Metaphyſicæ text. 49. vbi fit hæc conſequentia. Primum cælum (ideſt primum principium) eſt vnum ſpecie, & plura numero, ergo habet materiam quæ conſequentia nulla eſſet ſi proprietas indiuidualis poneretur diſtinguere indiuidua, eiuſdem ſpeciei. Gloſſa autē (ſic intelligentijs per materiam indiuidualē proprietatem,) apparet deſtructiua textus ex commentatore ibi dicente, Omne quod eſt vnū ſpecie plura numero, habet materiam, ſed iam declaratum eſt quod primum cælum nō habet materiam. Ex quibus verbis apparet quod de illa materia loquitur, quam declarauit non eſſe in primo principio, ergo. *Solutio.* Reſpondetur, quòd illa autoritas Philoſophi intelligenda eſt iuxta illud 3. Metaph. cap. de vno text. com. 12. vbi ait vnum numero ſunt quorum materia vna, ſpecie quorum ratio vna. Ex quibus verbis colligitur quod ſicut ratio ibi ſumitur pro quidditate, ita materia ſumitur ibi pro illo quod determinat illam quidditatem ad eſſe hoc numero, & per cōſequens pro illa proprietate indiuiduali, ratione cuius natura humana eſt Petrus, vel ratione cuius, homo eſt Petrus, & ſicut Petrus eſt ſubiectus hominis, & dicitur pars ſubiectiua, ſiue materialis. Ideo & illa differentia indiuidualis dicitur materia, iuxta illud primo cæli tex. comm. 92. Cum dico cælum, dico formam, cum dico hoc cælum, dico materiam, quaſi dicat cum dico naturam cæli, dico cælum, cum dico autem proprietatem indiuidualem cæli coniunctam ipſi naturæ, dico hoc cælum. Et hæc ſufficiant pro reſpōſione Caietani.

¶Ad argumenta Durandi in principio poſita reſpondetur. *Ad argu. Durand. ad primū.* Ad primum concedendo maiorem, & negando minorem, quia inter naturam, & ſingularitatem, & indiuiduationem, hæc eſt differentia, quod natura tantum dicit prædicata quidditatiua, ſingularitas autem eſt modus intrinſecus ipſius naturæ à parte rei exiſtentis, taliter, quod implicat dari naturam realem ſine ſingularitate propria. Indiuiduatio autem eſt modus extrinſecus ipſius naturæ, quia quanuis repugnet dari aliquam naturam ſingularem, quæ nō ſit indiuiduata indiuiduatione propria, vel aliena, non tamen repugnat ſed de facto datur natura ſingularis realis, ſine propria indiuiduatione ſicut datur ſine propria ſubſiſtentia qualis eſt natura humana Chriſti Domini; imo nec repugnat de potētia Dei abſoluta dari naturam humanā ſingularem ſine aliqua indiuiduatione, ſiue ſine aliqua ſuppoſitalitate: Quare ſingularitas & indiuiduatio non ſunt idem formaliter in natura.

¶Ad ſecundum reſpondetur concedendo maiorem & negando minorem, quia quanuis de facto indiuiduū & ſingulare ſint idē in eodem ſuppoſito, ab alio tamen habet natura quod ſit ſingularis, & ab alio quod ſit indiuidua, vt ex ſolutione ad primū patet. *Ad ſecundum.*

DISPV-

DISPVTATIO SEXTA

DE LOCO ANGELORVM

continet duodecim Quæſtiones.

PRima, Vtrùm Angeli ſint in loco.

Secunda, Vtrùm locus Angeli ſit aliquod ſpatium corporale.

Tertia, Vtrùm fundamentalis ratio exiſtendi in loco ſit Angelo ſua ſubſtantia.

Quarta, Vtrùm ex eo, quòd ſubſtantia Angeli vnitur loco, reſultet in illa relatio aliqua, vel vbi.

Quinta, Vtrùm locus Angeli habeat terminum ſecundùm magnitudinem, & paruitatem.

Sexta, Vtrùm Angelus poßit eſſe in loco quantumcunq; minimo.

Septima, Vtrùm Angelus neceſſariò ſit in puncto ſiue in loco indiuiſibili.

Octaua, Vtrùm Angelus requirat determinatum locum.

Nona, Vtrùm Angelus poßit eſſe in pluribus locis inadæquatis.

Decima, Vtrùm idem Angelus poßit eſſe in pluribus locis.

Vndecima, Vtrùm de potentia abſoluta poßit Deus idem numero corpus in diuerſis locis collocare.

Duodecima, Vtrùm plures Angeli, & plura corpora poßint eſſe de potentia Dei abſoluta in eodem loco.

TEXTVS.

AD propoſitum igitur, iſta applicando de Angelo, dico; quod Angelus non neceſſario eſt in loco, quia multo magis poſſet fieri Angelus ſine creatione creaturæ corporalis; vel facta creatura corporali, poſſet fieri, & eſſe extra omnem creaturam corporalem, & tamen in Angelo eſt potentia paſsiua qua poſſet eſſe in loco diſt. 2. quæſt. 6. lit. I.

EXPLICATIO LITERÆ.

POſtquam in præcedenti diſputatione actum ſit de ſubſtantia Angelorum, in preſente Diſputatione operæpretium erit diſputari de exiſtentia Angeli in loco, & in hac litera Doctor duas aſsignat cõcluſiones, quarũ prima eſt, quod Angelus nõ neceſſario eſt in loco ſicut corpus. Secunda autem concluſio eius eſt, quod Angelus eſt in loco. Vt autem explicet vtramque concluſionem aduertit in hac quæſtione; ibi ad quæſtionem igitur ſoluendam, quod vt intelligamus locum Angelorũ oportet prius intelligere locum corporũ: ad quod aduertit, quod quinq; conueniunt corpori, ſecundum quod eſt in loco, (loquendo de corpore præter vltimum.) Primũ eſt, quod omne corpus eſt in loco actuali. Secundo quod eſt in loco determinato, ideſt in loco æquali: quia cum vnicuique corpori proprius locus correſpondeat, talis locus, neq; excedit corpus, neque exceditur à corpore. Tertio eſſe in loco commenſuratiue (id eſt) quod locatum correſpõdeat toti loco, & pars locati parti, ipſius loci determinatè: pro quo vide Doctorem in 4. diſt. 10. q. 1. artic. 2. Quarto eſſe in loco determinato, (ideſt) quod ita ſit in iſto, quod non in illo, & hoc eſt diffiniri, & determinari loco: & hoc intelligendum eſt ex natura ipſius corporis, quia ſecus de potentia Dei abſoluta, vt docet Doctor in 4. diſtin. 10. quæſt. 2. Quinto eſſe in loco naturaliter, vel violenter, & hoc non ratione loci ſimpliciter, ſed ratione qualitatis, vel alicuius in exiſtentis ipſi loco. Exponendo igitur iſta quinque per ordinem ponit Doctor quinque articulos, & quinque concluſiones. Prima eſt quod omne corpus aliud à primo habens quantitatem eſt in loco actu. Ratio huius concluſionis eſt quia tale corpus eſt præciſe incontinente illud actualiter, ergo.

¶Secunda autem concluſio eius eſt, quod corpus aliud à primo propter quantitatem qua facit latera continẽtis diſtare propter eandem quãtitatem habet locum determinatum, ſiue æqualem: quia locus adæquat ſibi locatum, & locatum adæquatur loco.

¶Tertia concluſio eſt, quod propter eandẽ quantitatem eſt corpus in loco commenſuratiuè, ideſt, quod pars ſuperficiei loci correſpondet parti ſuperficiei locati, & tota ſuperficies loci correſpondet toti ſuperficiei

cei locati. De hac correſpondentia, & cōmenſuratione loquitur Doctor in 4. diſtin. 10. quæſt. 1.

¶Quarta concluſio eſt, quod corpus eſt in loco determinatè, ita quod ſic eſt in iſto quod non eſt in alio: hoc autem patet, quia ſi corpus eſt in loco commēſuratiuè. locus adæquat ſibi locatū commenſurans illud, & definiens illud adeſſe in iſto loco, quod nō ſit in alio. Vnde, naturaliter loquendo, omne quod eſt in loco circunſcriptiue, eſt in loco definitiue.

¶Quinta concluſio eſt, quod corpus quantum eſt in loco naturaliter, vel violenter, non propter quantitatem ipſius corporis, ſed propter naturalitatem. Ratio huius cōcluſionis eſt quia in corpore cōtinēte ſunt qualitates conſeruatiuæ vel deſtructiuæ locati, & propter hoc quod eſt in loco, vel conſeruatur à loco, vel deſtruitur, ſi conſeruatur, eſt locus corporis naturalis, ſi autem deſtruitur, eſt illi locus violentus. His igitur ſic conſtitutis prima concluſio Doctoris de Angelo ſic probatur. Poſſet Deus facere Angelum nullo exiſtente loco, ergo Angelus non neceſſario eſt in aliquo loco. Antecedens patet, & ſequela eſt manifeſta. Eſt tamen aduertendum, vt aduertit Gratianus de Brixia quod concluſio Doctoris eſt intelligenda de exiſtentia Angeli in loco eo modo, quo corpus eſt in loco tribus primis modis, ſcilicet, actualiter, æqualiter, & commēſuratiuè, & ratio Doctoris eſt, nam ſi corpus quantum non neceſſario eſt in loco, quamuis habeat quātitatem, quia poteſt eſſe extra omnem creaturam corporalem, quanto magis Angelus cum careat quantitate. Secunda autē concluſio Doctoris probatur ex eo, quia Angelus habet in ſe potētiam paſſiuam, qua neceſſario poteſt eſſe in loco, ergo Angelus eſt in loco. Pro maiori autem explicatione huius literæ ſit quæſtio prima.

QVÆSTIO PRIMA.

¶Vtrùm Angelus propriè ſit in loco an tantum metaphoricè.

DE hac re eſt prima ſentētia Durandi in 1. diſtin. 33. quæſt. 1. num. 2. vbi aſſerit quod Angelus non eſt in loco. Probat autem ſuam ſententiam, quia ſi locus conuenit Angelo, maximè, vel propter limitationem ſuæ eſſentiæ, vel propter eius operationem, vel quia Angelus eſt pars vniuerſi, ſed propter neutrum horum eſt in loco, ergo. Probatur minor. Primo, non ratione limitationis, quia limitatio, vel eſt ſecūdum quantitatem, vel ſecundum eſſentiam, certum autem eſt Angelum non habere limitationem ſecundum quantitatem, cum non ſit quantus quantitate mollis, ergo. Neque etiam ratione limitationis eſſentiæ conuenit eſſe in loco, quia ſi limitationi eſſentiæ reſponderet locus diffinitiuè, ſicut limitationi quantitatis reſpondit locus circumſcriptiuè, tunc ſicut ſe habet quantum finitum ad locum vt ab eo circunſcribatur, ita ſe habet ſubſtantia finita ad locum, vt ab eo diffiniatur, ſed quantum finitum ſic ſe habet ad locum, vt circunſcribatur, quod circunſcribitur à loco ſibi æquali & nō poteſt circunſcribi à maiori vel minori, ergo ſic ſe habebit eſſentia Angeli quia finita ad locū, vt diffiniatur à loco ſolum ſibi æquali, vel ſic proportionato eſſentiæ ſuæ quod non poterit diffiniri loco maiori, vel minori, hoc autem eſt abſurdum, quia eſſentiæ Angeli nullus locus eſt æqualis, vel inæqualis, cum quantitas loci, & eſſentia Angeli ſint penitus diuerſarum rationum; neque eſt aliqua proportio inter eſſentiam Angeli, & locum, vt tantus locus debeatur Angelo, & non maior, neque minor, neque aliquis Doctor hoc ponit, ergo illud ex quo ſequitur eſt falſum, ſcilicet, quod limitationi eſſentiæ reſpondeat locus diffinitiuè. Et per eādem rationem dicendum eſt, quòd non cōpetit Deo eſſe vbique, ita quod infinitate ſubſtantiæ ſit ei ratio vbique eſſendi, ſed eſt vbique ſolum ratione ſuorum effectuū, ſi enim competeret Deo eſſe vbicunque ratione ſuæ eſſentiæ infinitæ, tunc competit ei eſſe neceſſario vbique, & nullo modo in loco finito, ſed in loco infinito, ſicut ècontrario dicitur de Angelo, quod ratione ſuæ eſſentiæ finitæ conuenit ei eſſe in loco finito, & nullo modo in infinito. Eſſe autem vbique; non eſt eſſe in loco infinito, ergo infinitas diuinæ eſſentiæ, non eſt ipſi ratio eſſendi vbique.

¶Et ſi dicatur quod non eſt ſimile de corpore quanto reſpectu loci circunſcribentis, & de Angelo reſpectu loci diffinientis, & de Deo reſpectu loci infiniti, quia Deus, & Angelus ſunt ſubſtantiæ liberæ, & ideo ratione

tione ſuæ libertatis Angelus poteſt eſſe in maiori, vel minori loco, finito tamen, Deus autem, & in infinito, ſi aliquis locus infinitus eſſet, & in finito, quia finitum continetur intra infinitum, non ſic autem de quanto corporeo, quod non eſt talis libertatis, propter quod neceſſario eſt in loco ſibi æquali, neque poteſt eſſe in maiori vel minori: ſed iſtud non valet, quia quãuis Deus, & Angelus ſint ſubſtantiæ liberæ, hoc tamen ſolum eſt reſpectu eorum quæ ſubiacent ſuæ operationi, & nõ reſpectu eorum quæ competunt eis circũſcripta omni operatione, ſed ea qui competunt Deo, vel Angelo ratione finitatis, vel infinitatis ſubſtãtiæ, competunt eis circunſcripta omni operatione quia finitas vel infinitas eſſentiæ prior eſt omni operatione ſubſtantiæ, ergo in Deo, vel in Angelo nõ eſt libertas, quod ſint in maiori, vel minori loco, finito, vel infinito, ſi tamen finitas, vel infinitas eſſentiæ eſt eis ratio eſſendi in loco, & declaratur per ſimile. Homo enim eſt quoddam quantum corporeum liberæ naturæ reſpectu multorum quæ ſubiacent ſuæ operationi, tamen ſicut non eſt in poteſtate eius, quod ſit maior, vel minor quãtitate mollis, ſic non eſt in poteſtate eius quod ſit in loco maiori, vel minori, ſed neceſſario eſt in æquali. Similiter licet Deus, & Angeli ſint ſubſtantiæ liberæ reſpectu exteriorum, ad quæ comparantur mediantibus ſuis operationibus, tamen ſicut non eſt in poteſtate eorum, quod ſint maioris vel minoris perfectionis in eſſentia, ſic non eſt in poteſtate eorum, quod ſint in maiori loco, ſi tamen quantitas perfectionis eſſentialis eſt eius ratio eſſendi in loco.

¶ Idem patet ſecunda via, ſcilicet, ex operatione ſic. Eſſe præſens immediatè alicui, eſt in plus, quam eſſe propinquum ſecundum locum; quod patet, quia non conuertitur conſequentia, nam rectè ſequitur iſtud eſt immediatè propinquum alicui ſecundum locum, ergo eſt ei immediatè præſens: ſed non ſequitur: iſtud eſt immediatè præſens illi, ergo eſt ei propinquum ſecundum locum. Anima enim eſt immediatè præſens corpori, & vniuerſaliter forma materiæ & tamen non ſunt propinqua ſecundum locum, neque remota, quia alterius rationis eſt præſentia formæ ad materiam, & accidentis ad ſubiectum quam ſit præſentia ſecundum locum, & ſitum, neque eam includit: nam demus, quod Deus creaſſet aliquẽ Angelum ante mundum corporeum, ſi iſte Angelus fuiſſet compoſitus ex materia & forma (vt quidam ponũt) forma fuiſſet præſens materiæ immediatè & tamen nõ eſſet ei propinqua ſecundum ſitum: vel loquẽdo ſine calumnia, accidens (quodcunque illud ſit) fuiſſet præſens ſubiecto immediatè abſque propinquitate loci, vel ſitus. Modo etiam incorporalibus, forma, & materia, ſubiectum, & accidens neque ſunt propinqua propriè nec remota, licet ſunt indiſtincta ſecundum locum ratione quantitatis totius, ſed hoc accidit præſentiæ materiæ ad formam cum præcedat omnem quãtitatẽ. Ex hoc arguitur ſic. Ex eo quod eſt cõmunius non licet inferre quod eſt minus commune, ſed eſt fallacia conſequentis, ſed aliquid eſſe immediatè præſens alteri eſt in plus, quam eſſe ei immediatè propinquũ ſecundum locum, vt declaratum eſt, ergo ex immediata præſentia non licet inferre immediatam propinquitatem ſecundum locum: ſed ſolum requiritur, quod actiuum ſit immediatè præſens paſſiuo ordine naturæ priuſquam agat in ipſum, ergo non licet inferre quod oporteat ipſum prius eſſe propinquum ſecundum locum paſſiuo quam agat in paſſiuum, non oportet ergo eſſentiam Angeli, antequam agat ſecundum ſe, eſſe prius in loco, quadam quaſi propinquitate ad hunc locum, & diſtantia ad alium vt alij ponunt, ſed ſufficit quod ſit ei immediatè præſens non ſitu, ſed ordine, ergo.

¶ Tertia via ſumitur ex eo quod Angelus eſt pars vniuerſi, ſic. Vniuerſum poteſt nominare vniuerſitatem corporum, & perfectionum corporalium tantum, vel vniuerſitatem rerum tam corporalium, quam ſpiritualium; Accipiendo primo modo vniuerſum, cum omne corpus & omnis perfectio corporalis habeat habitudinem ad locum, & ſitum cuius differentiæ ſunt intrà & extrà, neceſſe eſt quod quælibet pars huius vniuerſi ſit intra vniuerſum, ſed Angelus non eſt pars huius vniuerſi, propter quod, non oportet, quod ſit intra hoc vniuerſum ſecundum aliquem ſitum, vel locum. Si autem vniuerſum accipiatur pro vniuerſitate omnium rerum tam corporaliũ, quam ſpiritualium, ſic Angelus eſt pars vniuerſi, ſed ex hoc non poteſt argui quod ſit in aliquo loco diffinitiuè imo potius oppoſitum, cuius ratio eſt quia inconueniens eſt differen

tias

tias vnius partis vniuerſi extendi ad oẽs qa totũ æquaretur parti, vel pars toti, ſed extra, & intra, propè, & longè, ſub, & ſupra, hic, & ibi, & conſimilia ſunt propriæ differentiæ vniuerſi corporei ratione quantitatis cui per ſe competit ſitus, ergo inconueniens eſt quod extendantur ad omnes partes vniuerſi, ſimpliciter dicti, cuius pars eſt vniuerſum corporeum, non ergo extendũtur ad ſubſtantias incorporeas cuiuſmodi ſunt Angeli.

¶ In ſolutione ad primum. num. 39. dicit, quod Angelo conuenit eſſe in loco ratione eſſentiæ non quidem circunſcriptiuè neq; diffinitiuè, ita quod eſſentiæ competat determinatus ſitus, & propinquitas, & diſtantia ſitualis, ſed ſecundum ordinem, qui dictus eſt, conuenit etiam Angelo eſſe in loco per operationem, quoad manifeſtationẽ, & hoc modo nihil prohibet, quin quandoq; ſit nuſquàm. Et ratio prioris eſt, quia quod facit ſitus in corporalibus, hoc facit ordo in ſpiritualibus, ſecundum Auguſtinũ, ſed videmus in corporalibus, quod corpus cæleſte habens cauſalitatem ſuper omnia generabilia, & corruptibilia, præſens eſt omnibus, ſecundum ſitum, hoc modo, vt agat in omnia, ergo Angelus habens cauſalitatem ſuper aliqua corpora quoad motum locale, præſens eſt omnibus ſecundum ordinem, ita vt poſsit in illa omnia agere cum voluerit, & cum non ſemper agat ratione ſuæ libertatis, hoc tamẽ intereſt hic, & ibi, quia præſentia corporis cæleſtis ad omnia generabilia & corruptibilia, cum ſit ſecũdum ſitũ, non eſt ad quodlibet corpus ſecundum ſe, & immediate, ſed eſt ad vniuerſitatem corporum contentorum, vt ad vnum alterabile habens partes, quarũ quędam ſunt propinquiores cælo immediatæ ſecundum ſitum, quædam vero remotiores & mediatæ, ac ſi totum corpus contentum infra cælum eſſet vnum continuũ, & æthereo geneum immediatè contẽtum cælo, ſecundum ſui vltimum, & non ſecundum ſui intimum, impediente hoc natura quantitatis, & ſitus in vtroque ratione quorũ quod eſt immediatum vni, eſt mediatum alteri, ſed præſentia Angeli ad quodlibet corpus mobile ab ipſo cum non ſit ſecũdum ſitum, non impeditur per vnum corpus quin ſit immediatè ad quodlibet aliud, ſicut ponendo animam rationalem non eſſe quantam, dicimus quod ipſa ſecundum ſe totam exiſtens in vna parte corporis (puta in capite) non impeditur quin ſit immediatè tota in parte diſtante (ſcilicet in pede) & idem eſt de Angelo reſpectu cuiuſlibet corporis, quod poteſt mouere, niſi quod Angelus nõ eſt forma, & actus corporis ſicut anima.

¶ Numero autem 35. Ad tertiũ dicit, quod non eſt inconueniens omnes, vel ſaltim aliquos Angelos habere ſimilem habitudinẽ præſentiæ ad omnia corpora, vt ſic omnia ſint plena dijs, hoc enim nullam confuſionẽ ponit in Angelis, nec quoad naturas eorũ, nec quoad ſitum, cum non ſit præſentia ſitualis.

Secunda ſententia.

¶ Secunda ſententia eſt aliorum aſſerentiũ, titulum quæſtionis duplicem poſſe habere ſenſum. Primus eſt, vtrum Angelo conueniat ex ſua natura, aliquando eſſe in loco. Ita vt quiuis poſsit eſſe in loco, non tamen ſit neceſſarium ſemper eſſe in eo. ¶ Secundus ſenſus eſt. Vtrùm eſſe in loco, ita conueniat Angelo ex ſua natura, vt nunquã poſſet exiſtere actu extra omnem locum, ſed neceſſario poſtulet aliquem non determinatè hunc, vel illum. ¶ Secundo ſupponunt quod per eſſe propriè in loco, non intelligunt, eſſe determinatè in loco, eo modo quo corpora ſunt in illo, ſed habere aliquã vnionem, aut præſentiam realem reſpectu loci; ratione cuius res quæ eam habet dicatur propriè eſſe in loco. ¶ Quare titulus huius quæſtionis aliquid includit, quod pertinet ad quæſtionem de re, qualis eſt, vtrum Angelo ex ſua natura, conueniat habere, aut poſſe habere prædictam vnionem ad locum. Et aliquid pertinet ad quæſtionem de nomine, qualis eſt an talis vnio poſsit propriè appellari modus exiſtẽdi in loco.

Titulus quæſtionis.

Primum dictum.

¶ His poſitis dicunt primo, concedendum eſſe ſimpliciter, & abſolutè, Angelum ſecũdum ſuam ſubſtantiam, poſſe eſſe vnitum, & realiter præſentem loco. Probant autem iſtum dictum, quia in ſcriptura ſæpè dicitur, Angelos recedere ab vno loco, & accedere ad alium, ergo ſignificat ipſos, fuiſſe realiter præſentes ſecundum ſuam ſubſtantiam vni loco, & poſtea fieri præſentes alteri. Conſequentia patet. Quia alias non poterit explicari quomodo fuerit factus ille acceſſus, & receſſus. Antecedens patet. Eſai. 14. quomodo cecidiſti de cælo Lucifer. Luc. 10. Videbam Sathanam tanquàm fulgur de cælo cadentem, & Apocalyp. 12. de dracone, & Angelis eius dicitur, neque

locus

locus eſt inuentus eorum amplius in cælo. ¶Secundo quia ſi hoc non poſſet Angelo conuenire, maximè propter eius immaterialitatem, ſed hoc non obſtat, ergo. Probatur minor, quia Deus non obſtante ſua immaterialitate, eſt ſecundum ſubſtantiā pręſens omni loco, & ita eſt vbique, vt probat D. Tho. 1. par. quæſt. 8. & animæ rationales cū ſunt à corporibus ſeparatæ ſunt præſentes ſecundum ſuam ſubſtantiam, aut cælo (ſi ſunt beatæ) aut inferno (ſi ſunt damnatæ) ergo. ¶Secundum dictum iſtorum eſt, quod Angelo conuenit ex propria natura poſſe eſſe præſentem prædicto modo, aut vnitum loco. Probatur primo, quia Angelo conuenit ex propria natura poſſe moueri localiter, ergo & poſſe eſſe illo modo pręſentē alicui loco vero, vel imaginario. Patet ſequela, quia non poteſt intelligi quod aliquod moueatur ad aliquem locum, & quod non fiat ei præſens, ergo neq; quod ex propria natura poſsit moueri localiter, & quod non poſsit etiam ex propria natura fieri præſens loco. Secundo. Angelo conuenit ex propria natura, poſſe eſſe agens immediatum, immediatione ſuppoſiti, ergo poſſe eſſe immediatum ſeu vnitum ſecundum ſuam ſubſtantiam loco, in quo ita poteſt agere. ¶Tertiū dictum iſtorum eſt, ſuppoſito quod Angelus exiſtat, conuenit illi ex propria natura ſemper eſſe præſentem, aut vnitum ſecundùm ſuam ſubſtantiam alicui ſpatio vero vel imaginario. Probant primo, quia Angelus ſuppoſito quod exiſtat, ex propria natura habet quod debeat exiſtere, aut intra mundum iſtum, aut extra, ſed quomodocunque exiſtat, neceſſarium eſt quod ſit præſens alicui loco vero, vel imaginario, ergo. Probatur minor, quia ſi Angelus eſt intra mundum, neceſſarium eſt quod ſit præſens alicui corpori, vel parti ipſius mundi, ſi vero ſit extra mūdum, neceſſarium eſt quod ſit præſens ſpatio imaginario, quia ibi poſſet Deus (ſi vellet) producere aliquod corpus, ergo. Secundò. Angelus habet ex propria natura virtutem actiuam limitatam, ad certam partem ſpatij, ergo etiam poſtulat ex propria natura, quod ſemper eius virtus, & ex cōſequenti propria ſubſtantia cū exiſtit ſit actu præſens alicui ſpatio reali, vel imaginario. Patet ſequela, quia nō poteſt deſignari in ſpatio certa ſphera virtuti actiuæ Angeli, niſi ſuppoſito quod talis virtus ſit in aliqua parte ſpatij. Alioquin enim non magis diſtabit ab vno termino, quam ab alio, & ex conſequenti, nulla erit ratio cur potius extendi poſsit, ad vnum terminum, quam ad alterum. Confirmatur. Quia reſpectu cuiuſcunque virtutis actiuæ limitatæ (ſi actu exiſtat,) poteſt deſignari terminus, vt patet in virtute relatiua ponderis, & in virtute calefactiua, quæ cum ſit limitatæ virtutis, neceſſario erit in aliquo ſpatio, ſed virtus actiua Angeli, actu exiſtentis eſt actu limitata per ordinem ad ſpatium, quoniam eſſe hoc modo limitatam, eſt ipſi intrinſecum, & ex conſequenti neceſſario conuenit ipſi actu, cum actu exiſtit, ergo poteſt deſignari in ſpatio aliquis terminus ipſius, ſed hoc eſt impoſsibile, niſi ipſa ſit in aliqua parte ſpatij, vt probatum eſt, ergo neceſſe eſt quod virtus actiua Angeli, actu exiſtentis, ſit in aliqua parte ſpatij.

Secundum dictum. *Tertium dictum.* *Confirm.*

¶Vltimò. Nam quemadmodum natura immaterialis ex propria natura habet, ſecundum ſuam durationem tempori coexiſtere, ita ſecundum ſuam ſubſtantiam eſſe præſentem & vniri loco, aut ſpatio, ergo ſicut impoſsibile eſt, quod actu habeat durationem, quin ſecundum eā coexiſtat alicui tēpori, vero, vel imaginario, ita impoſsibile eſt quod actu habeat ſuam ſubſtantiā, quin ſecundum eam vniatur, & ſit præſens alicui loco vero, vel imaginario. Confirmatur. Quia non magis abſtrahit ſubſtantia immaterialis à loco, quam à tempore; ſed impoſſibile eſt quod exiſtat, & quod non coexiſtat alicui tempori vero, vel imaginario, ergo etiam eſt impoſsibile quod ſi exiſtit, nō ſit præſens aut vnita alicui loco vero, vel imaginario.

Vlt. arg.

¶Vltimum dictum iſtorum eſt, (quo reſpō dent quæſtioni,) ſatis eſſe Angelum ſecundum ſuam ſubſtantiam eſſe præſentem, & immediatè alicui loco vnitum, aut ſpatio, vt dicatur propriè eſſe in loco tanquam res quæ eſt in loco. Probant autem iſtud dictū primi teſtimonijs ſacræ Scripturæ ſupra adductis pro primo dicto, in quibus ſignificatur Angelos eſſe in loco, cui ſunt præſentes, & nulla eſt ratio cur non poſsit propriè accipi, ergo concedendum eſt Angelos propriè eſſe in loco cui ſunt præſentes ſecundùm ſuam ſubſtantiam. Secundo cum Angelus deſerendo aliquod ſpatium, cui eſt prædicto modo præſens fit eodem modo præſens alteri ſpatio, dicitur propriè moueri

Vlt. dictū iſtorū eſt, & notab. *Probatur primo.* *Probatur ſecundo*

ueri localiter, ergo acquirit locum propriè ſumptũ. Patet ſequela, quia nũquã eſt motus proprie ſumptus, ſine ſuo termino proprie ſumpto. *Probatur tertio.* Tertio, quia propriè eſſe alicubi, propriè dicitur eſſe in loco, ſed Angelus qui prædicto modo, eſt præſens alicui ſpatio, ꝓpriè dicitur eſſe illic, ergo etiã dicetur propriè eſſe in loco. *Tertia ſententia.* ¶Tertia ſententia eſt aliorũ, ſuper primã partẽ D. Tho. q. 52. ar. 1. concl. 3. aſſerẽtiũ, quod quãuis Angeli verè & realiter ſint in loco diffinitiuè, modus tñ ille exiſtẽdi in loco qui Angelis tribuitur, & ſubſtãtijs immaterialis, eſt improprius modus exiſtẽdi in loco, & metaphoricus. Probant autẽ ſuã ſentẽtiã ex D. Tho. ibid. & in 1. diſt. 37. q. 3. art. 1. & in 2. diſt. 3. *Primum argum.* ¶Secũdo probatur ratione. Quia Angeli dicũtur eſſe in loco per trãſlationẽ quandã, à modo exiſtendi in loco, quo corpora exiſtũt. Tũ etiã, quia propriè eſſe in loco dicit ordinẽ ad locũ cõueniẽtẽ alicui rei ex natura, & cõditione ſua, hũc autẽ ordinẽ non habẽt Angeli cũ ſint à loco independẽtes, ſed tãtũ corpora quæ pẽdẽt à loco, & tempore, *Secundum argum.* ergo. ¶Itẽ probatur. Nã quidquid eſt in loco propriè, mouetur proprie per locum, ſed Angelus nõ poteſt moueri propriè per locũ, vt docet Ariſt. 6. Phyſi. vbi ait quod impartibile nõ mouetur propriè per locũ, er- *Confirm.* go. Cõfirmatur ex D. Auguſt. 8. ſup. Geneſ. ad literam ca. 30. & ſeq. vbi probat Deũ nõ eſſe propriè in loco ſed abuſiuè. Idẽ oſten- *Tertium argum.* dit in lib. 83. quæſtionũ quæſt. 20. ¶Item ſi aliqua ratione cõcedendũ eſt Angelos propriè eſſe in loco, maximè quia ſi Angelus impropriè, & metaphoricè ſeu abuſiuè eſt in loco, ſequeretur quod nõ debemꝰ cõcedere quod ſimpliciter, & abſolutè Angelus eſt in loco. Patet ſequela. Quia quod non eſt propriè tale, nõ debet dici ſimpliciter tale, ſed hoc nõ obſtat, ergo. Probatur minor, nã eſſe in loco propriè eſt eſſe, ſicut in vaſe, vnde eſt eſſe ſicut cõtẽtũ, & cõprehenſum à loco, hoc autẽ nõ põt propriè Angelo cõuenire, ſed tãtũ metaphoricè. Dicitur tamẽ ſimpliciter & abſolutè eſſe in loco, quia verè, & propriè habet aliquid, nẽpè operari circa locũ, aut applicare ſuã virtutẽ ad locũ, ratione cuius illi tribuatur denominatio eſſendi in loco ſicut Deus nõ dicitur propriè iraſci, nihilominus abſolutè dicimus ꝙ eſt iratus cõtra homines, qa verè & propriè habet aliqd, nẽpè punire, ratione cuius illi tribuitur hæc denominatio. Itaq; quãuis nõ propriè ſit in loco, ſed metaphoricè, nihilominus abſolutè, & ſimpliciter, Angelus eſt dicẽdus eſſe in loco. ¶Adde etiã ꝙ propriè dicimus D. Petrum eſſe in cælo ratione partis per ſinedochẽ, licet totus Petrus nõ ſit in cælo, cũ ergo Angeli nõ poſsint eſſe in loco niſi metaphoricè ſequitur quod cũ dicimus eſſe in loco, ſemper id intelligimꝰ in ſenſu explicato.

Sententia Doctoris. ¶Vltima ſentẽtia eſt Doctoris. Pro cuiꝰ explicatione, & totius quæſtionis eſt notãdũ primo, ꝙ tota difficultas huiꝰ quęſtionis eſt *Notab. 1.* in explicãdo qd ſit eſſe in loco, vt abſtrahit ab eſſe in loco circũſcriptiuè & diffinitiuè. Nã ſi nõ eſt aliquid cõmune omnibꝰ his modis exiſtẽdi alicubi, certiſsimũ eſt, nõ poſſe de omnibus ꝓpriè prædicari, ſed de vno tãtũ, & de alijs per metaphorã, vt in omnibus æquiuocis cõtingit v. g. Quia nõ datur aliquid cõmune in ratione canis, Latrabili, Piſci, & ſideri. Ideo canis nõ propriè dicitur de his omnibus ſed propriè dicitur de latrabili, de reliquis autẽ per quãdã metaphorã, ita in propoſito. ¶Secũdò eſt aduertendũ, ꝙ An- *Notab. 2.* gelꝰ dicitur eſſe intra locũ, nõ vt aliquo modo depẽdẽs ab ipſo, ſed tãtũ vt loco illo limitatus, atq; finitus, & ita licet locus circũdet eius operationẽ, quia tñ nõ depẽdet ipſe illo modo à loco, ſed locus ab ipſo, ideo nõ dicitur cõprehẽdi loco, ſicut v. g. ſi gutta ſucci na vndiq; attraheret paleas potius ipſa diceretur tenere & cõprehẽdere paleas, quã teneri, & cõprehẽdi ab illis. Vnde D. Damaſc. poſtquã dixit Angelũ nõ eſſe in loco, ipſe ſe explicauit dicẽs, ꝙ per cõprehẽſum locũ nihil aliud intelligit quã finitũ & limitatũ loco. Ideo enim dicit Deũ nõ cõprehẽdi loco, quia vbiq; eſt, & virtus eius ad ampliora ſe extẽderet, ſi amplior locus eſſet. Virtus autẽ Angeli ad certũ locum ſe extẽdit, vt non poſsit ad ampliorem, & hac ratione dicitur cõprehẽſa loco. Hinc enim proceſsit cõmunis illa diſtinctio apud Theologos quod Angelus nõ ſit circunſcriptiuè in loco, quia eſt independẽs ab ipſo, ſed tantũ in loco finito vltra quem non poteſt extendi eius operatio, Deus autem neutro modo propter immenſitatem eſt in loco, & ſic D. Damaſc. libro. 1. cap. 17. & Gregor. moral. 2. cap. 3. inquiũt, Angelicos ſpũs eſſe in loco circũſcriptiuè (qui intelligẽdi ſunt) ac ſi dicant, ꝙ ſunt in loco limitato, & finito; nã poſtea D. Damaſcenus ſubdit, quod Angeli nõ cõtinẽtur muris, neq; portis, neq; clauſtris, aut ſignaculis, his enim interminabiles ſunt, ſicut

& ab eis indepẽdẽtes. Vnde q̃n Theologi dicũt, Angelos diffiniri loco, id enim D. Damaſc. & Greg. dicũt circũſcribi loco, vtrũq; enim ſignificat illud verbũ circunſcribi, ſcilicet limitari, & contineri, & comprehendi.

Notab. 3. ¶ Tertiò notandũ, quod licet reſpectu corporũ locus & vbi (vt notet Soncin. 5. meth. q. 40.) ſint eadem res, tamen ratione diſtinguitur, id eſt, diffinitione, q̃a locus vt locus nihil aliud dicit, niſi ſuperficiẽ vltimã corporis cõtinẽtis: quare eſſe in loco ꝓpriè eſt à loco cõtineri, vel eſt reſpectus cõtinentis & cõtẽti. Vbi (autẽ) dicit reſpectum præciſe præſentialitatis abſtrahendo à continentia. Vnde ſi aliquid eſt præſens alicui ſpatio verò, vel imaginario abſq; continẽtia habebit propriè vbi quãuis propriè nõ habeat locũ, vide ſolut. arg. pro a. ſentẽtia, & quæſtionẽ ſequẽtẽ in notabil. 3. pro ſentẽtia Doctoris.

Notab. 4. ¶ Vltimò eſt notãdũ, quòd Angelus quãuis ita ſit in hoc vbi, quod nõ ſit in alio, nõ tamẽ facit diſtare latera cõtinẽtis, neq; facit ſuperficiẽ cõtinẽtẽ in actu, hoc enim propriũ eſt corporũ, quia corpus nõ poteſt eſſe in loco, quin faciat vltimã ſuperficiẽ corporis continẽtis eſſe in actu. Nã tũc ſuperficies intelligitur eſſe in actu, quãdo corpus cõtẽtũ actu facit diſtare latera eius. Vnde pars (quanuis ſit in toto,) nõ tamẽ eſt in toto tanquã in loco, quia nõ facit per ſe diſtare latera cõtinẽtis, vt patet de materia, & forma, & in partibus etiã integralib⁹ quæ nõ ſunt in toto quãtitatiuo, ſicut locatum eſt in loco, ſed ſicut pars in ſuo toto. Ita Ariſtot. 4. phyſic. textu commenti. 23.

Prima cõcluſio. ¶ Prima cõcluſio. Angeli ſunt in loco. Hæc cõcluſio cõmunis eſt omnibus ſcholaſticis, & probatur primo, ex illo Eſai. 14. vbi dicitur de Lucifero, quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, & Luc. 10. Videbã Sathanã ſicut fulgur de cælo cadẽtẽ, & Apoc. 12. loquens de malis Angelis, quòd non eſt inuẽtus locus eorũ ampli⁹ in cælo. Et ꝓbatur ratione. De Deo verè dicitur quod eſt in loco, ergo & de Angelo. Antecedẽs probatur primo, ex illo Ierem. Cælũ, & terrã, ego impleo, & ex illo Pſal. 138. Si aſcẽdero in cęlũ tu illic eſt, ergo etiã de Angelis dicẽdũ eſt, eſſe in loco. Cõfirmatur. Anima ſeparata à corpore eſt in loco, ergo & Angelus. Antecedens patet. Nã ex ſcriptura cõſtat Lazarũ portatũ fuiſſe ab Angelis in ſinum Abrahæ. ¶ Præterea quia ſecũdũ fidẽ animæ iuſtorũ qui ex hoc mũdo decedũt, vel ſunt in cęlo, vel in purgatorio, & animę impiorũ qui ex hoc mũdo decedũt ſecũdũ fidẽ ſunt in inferno, ergo. Cõfirm. vlt. ex illa oratione eccleſiæ in qua dicit; Viſita quæſum⁹ Dñe habitationẽ iſtã & omnes inſidias inimici ab ea lõge repelle, & Angeli tui ſancti habitent in ea, &c. ergo.

Secunda concluſio. ¶ Secũda concluſio. Angeli nõ ſunt in loco ſicuti corpora. Hæc cõcluſio eſt Doctor. in hac diſt. &. q. & prob. quia corpora ſunt in loco circũſcriptiuè, ſed Angelus nõ eſt circũſcriptiuè in loco, ergo. Probatur minor, quia Angelus nõ eſt in loco ſitualiter, nec vt cõtẽtus loco, neq; vt loco mẽſuratus. Dicitur autẽ nõ eſſe in loco ſitualiter, nõ quia angel⁹ modo nõ ſit ſurſum, & modo deorſum, quia vt docet D. Damaſc. lib. 2. c. 3. quando ſunt in cælo nõ ſunt in terra, & ècõtra, ſed dicitur Angelus nõ eſſe in loco ſituatus quia natura ſua non determinat ſibi eſſe ſurſum, vel deorſum ſicut corpus natura ſua hoc determinat, quia quãuis quantitas, prout Mathematica eſt, & abſtrahẽs ab omni materia vel ſubiecto nõ determinat ſibi aliquã differẽtiã poſitionis, determinat tamẽ illã vt accidens eſt huius, vel illius formæ naturalis, & quia hoc cõuenit illi natura ſua vt ſit tale accidens, hinc eſt quod natura ſua corpus, & omnia quæ in corpore ſunt determinãt ſibi aliquã differẽtiã poſitionum. Angelus vero cũ ſit omnino incorporeus, & à materia ſeparatus nõ determinat ſibi talẽ poſitionẽ naturã ſua, ſed mera volũtate propria, vel Dei, & ſic nõ eſt ſituatus loco. Primò quia caret ſitu, qui eſt ſpeciale prædicamẽtũ. Secũdò, quia caret differẽtia poſitionis in ſeipſo, in quo differt ab omni corpore. Tertiò, quia natura ſua nõ determinat ſibi aliquã differẽtiã poſitionis, & in hoc nõ ſolũ differt à corpore, ſed etiã differt à pũcto, quia omne corpus naturale & quæ in ipſo ſunt, ſiue diuiſibilia, ſiue indiuiſibilia, (ratione formæ ſubſtãtialis, cui natura ſua cõpetunt) determinãt ſibi aliquã differẽtiã poſitionis, tã reſpectu toti⁹ vniuerſi, cæleſtis, & elemẽtalis quã etiã reſpectu hominis, aut animalis, hoc autẽ Angelo ex natura ſua non põt cõpetere. Neq; etiã Angelus cõmenſuratur loco, quia quãuis eius operatio poſsit loco cõmẽſurari, quia operatio eius trãſiens (cũ ſit extẽſa) loco cõmẽſuratur, Angelus tamẽ manet incõmenſuratus ſicut & anima rationalis, quãuis, quãdo mouet corpus, ſcilicet, manũ, aut pedẽ, menſuretur loco, tamẽ ipſa anima manet incõmẽſurata, quia eſt omnino indiuiſibilis,

ſibilis, atq; adeò tota in toto & tota in qualibet parte. Ita etiã intelligẽdũ eſt de Angelo, quod cũ ſit indiuiſibilis, manet totus in qualibet parte loci, licet eius operatio trãſiens loco menſuretur, & extendatur. Imo quãuis daremus cum nonnullis Thomiſtis operationẽ trãſeuntẽ eſſe rationẽ exiſtẽdi in loco ipſi Angelo, ſicut quantitas eſt ratio eſſendi in loco ſubſtãtiæ materiali, adhuc tamẽ nõ commenſuratur Angelus loco, ſicut ſubſtãtia materialis cõmẽſuratur, quia quãtitas eſt forma locati ipſi intrinſeca, & extrinſeca loco, at vero operatio trãſiens Angeli eſt forma intrinſeca loco, ideſt inhęret loco, & eſt extrinſeca ipſi Angelo locato, & hinc prouenit quod quãuis ſubſtãtia materialis, aut accidẽs materiale cõmenſurentur loco ad menſurationẽ quãtitatis, nõ tamẽ eſt neceſſe Angelũ loco cõmenſurari ad menſurationẽ operationis trãſeuntis. Neq; etiã Angelus eſt in loco, vt contentus quia vt docet Doctor hac diſt. q. 5. Angelus dicitur eſſe intra locũ, nõ vt aliquo modo depẽdens ab ipſo, ſed tãtum vt in loco illo limitatus atq; finitus. Cum igitur corpora ſint in loco ſitualiter, & commenſuratiuè, & vt cõtenta, & Angelus nullo horum modorũ ſit in loco, ergo Angelus nõ eſt in loco ſicuti corpora.

Tertia cõcluſio. ¶Tertia cõcluſio. Angeli non ſunt vbique, hęc concluſio eſt cõtra Durandũ & probatur ex illo, Eſai. 14. & Luc. 10. in prima concluſione citatis vbi dictũ eſt Angelos deſere locũ & adquirere locũ, ergo nõ ſunt vbique ſecundo, ſi aliqua ratione Angeli ſunt vbiq; maximè vt dicit Durandus quia poſſunt vbiq; operare, ſed iſta ratio eſt inſufficiens, quia ex illa ſolũ colligitur Angelum poſſe eſſe vbique, ergo.

Quarta cõcluſio. ¶Vltima cõcluſio. Angeli ſunt impropriè in loco abuſiuè & metaphoricè, quãuis propriè habeãt vbi, hæc cõcluſio quoad primã partẽ cõtra authores ſecundæ ſententiæ probatur ex D. Gregor. Nazian. quẽ refert D. Thom. in 1. d. 37. q. 1. art. 1. Aſſerẽte abuſiuè eſſe Angelos in loco, & D. Damaſc. lib. 2. c. 17. dicit nõ corporaliter ſed intelligibiliter tãtum Angelus dicitur eſſe in loco. Et probatur ratione eſſe propriè in loco eſt eſſe ſicut cõprehenſum, & cõtentũ à loco, ſed hoc non poteſt Angelo conuenire propriè, ſed tãtũ metaphoricè, ergo. Cõfirmatur, quia proprie eſſe in loco dicit ordinem ad locũ conuenientẽ alicui rei ex natura & cõditione ſua, ſed hoc nõ poteſt Angelo cõuenire, vt diximus in probatione ſecundæ cõcluſionis, ergo. Cõfirmatur ſecũdo, quia ſi eſſe in loco propriè tantum eſſet eſſe hic, etiã Deus propriè eſſet in loco. Cõſequens eſt cõtra D. Auguſt. 8. ſup. Geneſ. ad literã ca. 30. & ſeq. & lib. 83. quæſtionũ. q. 20. vbi probat Deum non eſſe in loco propriè ſed tantum abuſiuè, ergo.

¶Secũda pars cõcluſionis ꝓbatur, quia habere ꝓpriè vbi nihil aliud eſt quã eſſe hic, & habere vbi diffinitiuè, nihil aliud eſt quã ita eſſe hic, quod non alibi, ſed Angeli propriè ita ſunt hic, quòd non alibi, ergo propriè habent vbi. ¶Secũdò. Habere vbi diffinitiuè, cõuenit nõ ſolũ Angelo, ſed etiã cuilibet corpori ſecũdũ eſſe naturale, & de potẽtia ordinaria, ſed in corporibus, vbi diffinitiuè tãtũ dicit reſpectũ iſtius præſentialitatis ad iſtũ corpus, quatenus corpus eſt præſens iſti vbi & nõ alteri, ergo & in Angelis, vbi tãtũ dicet relationẽ præſentialitatis ad iſtũ locũ, & per conſequens. Cũ talis reſpectus poſſit Angelo cõuenire propriè, ergo & vbi propriè põt Angelo cõuenire. *Vbi propriè vide Angelis.* Cõfirmatur. Nã accidit corpori ſecundum quod eſt hic, & nõ alibi, quod ſit ibi ſitualiter cõmẽſuratus loco, & loco cõtẽtus quia hoc conuenit corpori quatenus corpus eſt in loco, nõ tãtũ diffinitiuè, ſed etiã circũſcriptiuè, ſed Angelus nõ eſt in loco circũſeriptiuè vt omnibus eſt in confeſſo, ergo propriè cõuenit illis eſſe hic quod nõ alibi, & per cõſequẽs habere tale vel tale vbi, & ſic Angelis propriè cõuenit vbi. ¶Tertiò. Angeli propriè mouẽtur, ergo propriè habent vbi. Patet ſequela, quia motus eſt acquiſitio noui, & noui vbi. *Reſpondetur argumentis.* Reſpõdetur argumentis. Ad illa adducta pro ſententia Durãdi reſpõdebitur, infra per ſuas quæſtiones.

¶Ad argumẽta adducta pro ſecũda ſentẽtia facillime reſpõdetur, quòd prædicta ſentẽtia intelligẽda eſt iuxta noſtrã tertiã cõcluſionẽ. Si autẽ adhuc velint cõtẽdere. Angelos propriè eſſe in loco facillimè cõuincuntur, ex eo quod ipſi dicunt in ſuo tertio dicto vbi aſſerũt, quod ſuppoſito ꝙ Angelus exiſtat, ſemper eſt præſens, aut vnitus loco vero, vel imaginario. Ex quo ſic ſi Angelus eſſet in loco imaginario, tũc verè haberet vbi diffinitiuũ, nõ tamẽ haberet verum locũ, ergo nõ eſt idẽ habere verum locũ, & habere verũ vbi: & per hæc patet ad iſtam quæſtionem.

TEXTVS.

Et iſta potẽtia vel fundatur immediatè in eius ſubſtantia, qua poſſet eſſe in loco, vel in ipſa inquantũ eſt natura limitata actualiter exiſtens, vel in aliquo extrinſeco ipſi Angelo; quidquid ſit illud, & idem, nõ oportet quærere aliquam intrinſecam rationẽ eſſendi Angelũ in loco neceſſario: quia ibi nulla eſt, ſed tantũmodo eſt in ipſo potentialitas paſsiua qua poteſt eſſe in loco, quia nõ repugnat ſibi, Diſt. 2. quæſt. 7. lit. I.

EXPLICATIO LITERÆ.

Doctor in hac litera duas aſsignat cõcluſiones, quarũ prima eſt, ꝙ Angelus nõ neceſſario eſt in loco quia poteſt poni extra quẽcunq; locum. Secũda autẽ concluſio Doctoris eſt quod ratio exiſtẽdi Angelo in loco, quãdo actualiter exiſtit, eſt potentia paſsiua ipſius Angeli, vel eius ſubſtantia, quia tamen in hac re non omnes cõſentiũt Doctori. Ideo quærendum eſt in præſentia rum quid ſit locus Angeli, & quæ ratio exiſtendi in illum. Quare ſit quæſt. 2.

QVÆSTIO II.

¶*Vtrùm locus Angeli ſit aliquod ſpatium corporale.*

Prima ſententia. De hac re eſt prima ſẽtẽtia Gabriel. in 2. d. 2. q. 2. art. 3. dubio primo aſſerentis. Ad dubiũ hoc dicitur, quòd innititur falſę imaginationi. Imaginatur enim quod Angelus coaſsi ſtat partibus intrinſecis loci, ſicut anima corpori, ꝙ ita non eſt, ſed Angelus loco diffinitus præſens eſt corpori locato, ab illo loco quo diffinitur Angelus. Et eſt præſens cuilibet parti illius corporis locati, tã partibus in profundo, quã in ſuperficie, nõ ſic partibus loci. Eſt quidem aliquo modo præſens loco, & cuilibet parti eius vltimæ ſurſum, deorſum, deſtrorſum, ſiniſtrorſum, &c. per immediationem: ſic quod inter ipſum & partes extremas loci nihil mediat. Et illo modo tãget partes loci, nõ autẽ intrat eas. Vnde quæcunq; pars vltima loci accipiatur ſi diuidatur in duas medietates interiorẽ, & exteriorẽ, nõ eſt præſens interiori medietati, ſic autẽ eſt præſens corpori locato. Vnde nũquã locus Angeli cõtinet ſolũ Angelũ, alioquin eſſet vacũ quia locus nõ repletus corpore, ſed cõtinet corpus aliquod cui aſsiſtit Angelus totus toti, & cuilibet eius parti, & continendo corpus illud etiã cõtinet Angelũ vnde ſi Angelus coaſsiſteret Petro, & omnibus partibus eius, corpus Petri nõ eſſet locus Angeli, ſed locus corporis Petri eſt locus etiã aſsiſtentis Angeli. Et in illo loco corpus Petri eſt cõmenſuratiuè, & Angelus diffinitiuè, ſicut de facto corpus humanũ nõ eſt locus animæ inhærentis, neq; generaliter materia formæ ſibi inhærentis, ſed locus corporis, eſt locus etiam animæ rationalis, & locus ſubiecti & materiæ, eſt etiã locus inhærentiſ formæ.

¶Secũda ſententia eſt Ricardi in 1. diſt. 37. circa ſecũdũ principale. q. 2. Aſſerentis Angelũ eſſe in ſpatio corporali tãquã in loco. Hanc ſentẽtiã videtur tenere Hẽric. quodl. 2. q. 9. vbi pro eodẽ ſumit Angelũ eſſe in loco, & eſſe in aliquo ſitu, ratione cuius dicatur eſſe in aliqua parte vniuerſi, ſcilicet ſupra, aut infrà. *Secunda ſententia.*

¶Tertia ſentẽtia eſt aliorũ aſſerẽtiũ locum Angeli eſſe quẽdã modum ſe habẽdi ipſius ſubſtãtiæ Angeli in ſpatio, qui modus nõ diſtinguitur realiter à ſubſtantia Angeli, imo eſt idẽ realiter cũ illa, explicatur tamẽ & intelligitur per ordinẽ ad ſpatiũ. Probant autẽ ſuã ſentẽtiã quia alius modus videtur inintelligibilis. In primis enim corpus nõ poteſt eſſe locus Angeli, tũ quia nullo modo informat, aut modificat, aut cõtinet ipſum Angelũ, hoc autẽ eſt de ratione loci, ergo corpus nõ poteſt eſſe locus Angeli. Tũ etiã quia præſentia duorũ corporũ in eodẽ ſpatio, vt ſi Deus cõſtitueret ea in illo penetratiuè. Non ſufficeret vt vnũ diceretur locus alterius, qa nulla eſſet ratio cur potius vnũ, quã alterũ haberet rationẽ loci, ergo neque ſimilis præſentia corporis, & Angeli ſufficiet, vt corpus dicatur locus Angeli. *Tertia ſententia.*

¶Secundò autẽ quod neq; ſuperficies ambiens huiuſmodi corpus ſit locus Angeli patet ex eo quia neq; cõtinet, neq; vlla ratione modificat ipſum Angelũ. Quod vero neq; ſpatiũ poſsit aſsignari locus Angeli, ex eo oſtẽditur qa ſpatiũ nihil eſt, & in nihilo nõ poteſt fundari exiſtẽtia localis, neq; eſſe aliquid in loco, ergo dicẽdũ eſt locũ Angeli nihil aliud eſſe, quã modus ille habẽdi ſe Angelũ in loco, qa nihil aliud põt aſsignari ꝙ habeat rationẽ loci reſpectu Angeli.

¶Quarta ſentẽtia eſt illorũ (qui in quęſtione præcedenti aſſerebant Angelũ propriè eſſe in loco) qui aſſerunt locũ Angeli eſſe

ſpatiũ

ſpatiũ verum, & reale, vel imaginariũ. Pro
explicatione ſuæ ſententiæ aduertũt quod
nomine ſpatij intelligunt extẽſionẽ aliquã
non vtcunque cõſideratam, ſed per ordinẽ
ad ſitum quem res dicuntur habere, quate-
nus ſecundum eã attenditur diſtãtia & pro-
pinquitas localis rerum. Nam v. g. linea, &
ſuperficies, quanuis ſit quædam extenſio (ſi
abſolutè ſecundum ſe cõſideretur, non ha-
bet rationem ſpatij localis, ſed ſolum quan
do prædicto modo ſumitur. Huiuſmodi au
tem extenſio interdum eſt vera & realis, vt
cùm eſt alicuius veri corporis. Aliquando
vero imaginaria quæ non eſt aliud quam ca
pacitas & non repugnantia ad recipiẽdum
corpus, ſi diuina virtute producatur eſtque
tanta huiuſmodi capacitas, & ex cõſequẽti
ipſum ſpatium locale eſt tantum, quantum
eſt corpus quod in ſe poteſt recipere. Ap-
pellatur vero huiuſmodi ſpatium imagina-
rium quia non eſt actu reale, ſed cõceptum
ad extenſionem realem, non tamen eodem
modo, quo concipiuntur entia impoſſibi-
bilia, vt chimera; ſed ſuppoſita prædicta nõ
repugnantia per modũ aliqualis fundamen
ti. Et quanuis ſpatium ſumatur his duobus
modis, & in vtroque poſſit eſſe Angelus,
cum eſt in loco, non tamen eſt in illis, vt in
duobus locis, cum neque poſſit eſſe in ſpa-
tio reali quin ſit in imaginario, neq; in ſpa-
tio reali tanquàm in vltimo habenti ratio-
nem loci, & terminantis præſentiam, aut
vnionem localẽ ipſius Angeli, ſed vt in eo,
quo mediante, eſt in ſpatio imaginario; cui
vltimo, & ſimpliciter cõuenit ratio illa: ſo-
lũ enim dicitur ſpatiũ reale (v. g. aer,) locus
Angeli, quatenus Angelus ita eſt ipſi inti-
mè vnitus, vt etiã ſit præſens, & vnitus ſpa-
tio imaginario, quod ei correſpõdet. Quod
facile intelligetur ſi explicationis gratia
ſupponamus Angelũ eſſe corporeum, nam
hoc poſito neceſſariũ erit quod repleat ſpa
tium imaginarium quod occupat corpus ꝙ
eſt illo modo vnitum, & in hoc ſenſu intel-
ligenda eſt hæc ſententia quãdo dicit locũ
Angeli aliquãdo eſſe ſpatium reale, & ima-
ginariũ ſimul, ſeruato ordine inter ipſa. In
hoc autem tantũ intẽditur explicare diſcri
men inter Angelũ, & corpora, cũ ſunt in lo
co, quod corpora nõ occupant ſpatium ve-
rũ, & reale, quoniã naturaliter nõ admittũt
ſicut alia corpora, ne detur penetratio di-
menſionũ, ſed ſolum ſunt in ſpatio imagina
rio, Angelus autẽ bene poteſt eſſe in ſpatio
quod ſit aliquid reale, quoniam eſt omnino
immaterialis, & incorporeus. Dicitur etiã
quod aliquãdo locus Angeli eſt ſpatiũ ima
ginariũ, ſolũ quoniã nõ repugnat quod An
gelus aliquãdo ſit ſolũ in eo, vel Deo anihi-
lante corpora, vel ipſo Angelo ſe mouente
extra vltimam ſuperficiem corporũ cæle-
ſtiũ quia in hoc nulla apparet repugnãtia.
¶ His igitur ſit poſitis probant prædicti au
thores ſuã ſententiã, nempè quod Angelus
habet pro loco ſpatiũ verũ reale, aut imagi
narium. Primò, quia per ordinẽ ad ſpatium *Primum*
imaginariũ vltimo, & ſimpliciter cõueniũt *argum.*
Angelo diſtãtia, & propinquitas localis, er
go & eſſe in loco, & ex cõſequẽti huiuſmo
di ſpatium eſt locus Angeli. Conſequentia
probatur. Quia v. g. diſtantia localis eſt di-
ſtãtia locorũ, ſicut diſtantia formalis eſt di-
ſtãtia, & inæqualitas inter formas, ergo ſi-
cut nõ poteſt intelligi diſtinctio formalis
inter aliqua, niſi per ordinẽ ad formam, ita
nec diſtinctio localis, niſi per ordinem ad
loca in quibus ſunt. Itẽ quia res vna dicitur
diſtare ab alia, quia locus in quo eſt diſtat à
loco alterius, & tanta eſt diſtantia rerum,
quãta locorũ in quibus ſunt, eadem eſt ra-
tio de propinquitate, ergo id habet rationẽ
loci reſpectu cuiuſcũque rei, ratione cuius
cõueniũt illi diſtãtia, & propinquitas loca-
lis. Item quia ſi modo eſſet Angelus vnitus
alicui corpori diſtincto ab ſpatio, & adhuc
corpus eſſet adeo diſtãs ab Angelo vt non
poſſet Angelꝰ agere in ipſum, quãuis Deus
anihilaret corpus illud, cui Angelus eſt vni
tus, & ſpatiũ reale quod occupat, maneret
huiuſmodi Angelus, ita diſtans localiter ab
illo corpore ſicut antea, ergo diceretur di-
ſtare per ordinẽ ad ſpatiũ imaginarium in
quo maneret. Patet antecedẽs, quia etiã fa-
cta illa anihilatione non poterit Angelus
agere in illud alterũ corpus à quo diſtabat,
& hoc nõ propter defectũ virtutis, vt con-
ſtat, ergo propter diſtantiam localem.
¶ Secũdò. Interuallũ (quod quia eſt interie- *Secundum*
ctum inter Angelum & aliquam rem eſt *argum.*
cauſa diſtantiæ inter Angelum, & rem illã)
eſt ſpatium imaginarium, ergo etiam id
in quo eſt Angelus tanquàm in loco, eſt
ſpatium imaginarium. Cõſequentia patet.
Quia ſi Angelus acquirat aliquid illius in-
terualli, erit proximior illi rei à qua diſta-
bat, ergo etiã erit in loco proximiori, atq;
ex cõſequẽti pars ſpatij imaginarij habebit
rationem loci reſpectu Angeli. Antecedẽs

 pro-

probatur, quia (ſi v. g.) ſphera actiuitatis Angelo exiſtentis in terra terminatur in orbe lunæ, non poterit agere in orbem ſolis, propter defectum approximationis localis requiſitæ vt Angelus agat, etiam ſi Deus anihilet omnia corpora intermedia, & tamen in iſto caſu non eſſet diſtantia ratione corporis interiecti, quia ex ſuppoſitione nullum eſſet corpus medium inter illũ Angelum, & orbem ſolis; ſed ſolũ ratione ſpatij imaginari, ergo huiuſmodi ſpatium eſt cauſa diſtantiæ localis.

Tertium argum. ¶Tertio probatur impugnatione aliarum ſententiarum. Nam primo falſum videtur quod corpus exiſtens in ſpatio ſit locus Angeli, quoniam mutato huiuſmodi corpore poteſt Angelus manere in eodem loco. Neque poteſt idem obijci de ſpatio, quoniam licet mutetur ſpatium reale, manet idẽ ſpatium imaginarium cui conuenit vltimo ratio loci reſpectu Angeli: & de ſuperficie ambiente corpus illud. Probatur facilius, quia locus per modum continentis ſolũ debetur corporibus. Illa vero ſententia quæ ponit talem modum ſe habendi qui conuenit Angelo ex eo quod vnitus eſt loco, nõ explicat id in quo Angelus eſt tanquàm in loco.

¶Vltimo probatur authoritate D. Thom. qui 1. par. quæſt. 52. art. 3. in ſolut. ad ſecundum admittit Angelum eſſe ſimul cum corpore, in eodem loco quia nullus eſt locus qui non ſit plenus corpore ſenſibili. Vbi neceſſario dicendum eſt quod nomine loci intelligit ſpatium imaginarium quoniam hoc poteſt repleri aut occupari, corpore ſenſibili, & non alia corpora ſecundum leges naturæ.

Secũdum dictum. ¶Secundò. Aſſerũt prædicti authores ſpatium imaginarium nõ ideo dici locũ Angeli, quia præciſe habeat ſibi vnitam ſubſtantiam Angeli, neque quia propriè circunſcribat, aut contineat eam ſicut vas, ſed quia ita habet eam ſibi præſentem & vnitam, vt ſit terminus extra quem non eſt præſens, & quem Angelus poſtquàm eſt perductus nõ poteſt acquirere, aut deſerere niſi per motum localem. Probat autem iſtud dictũ ſola explicatione terminorũ. Pro qua aduertunt quod quanuis de ratione loci actualis ſit immediata vnio, & præſentia rei, quæ eſt ad ipſum, non tamen ſufficit quæcunq; vnio immediata, nã & forma vnitur immediatè materiæ ſecundum ſuam ſubſtãtiam, & vnum corpus vnitur alteri ſecundũ externas ſuperficies, & ſuper naturaliter poteſt vniri intimè, & penetratiuè, & tamen nec materia eſt locus formæ neque quodcunque corpus eſt locus alterius ſibi vniti, prædicto modo, quare requiritur ſpecialis quidam, & particularis modus vnionis qui duabus conditionibus exprimitur. Quarũ prima eſt, quod locus ſit aliquo modo terminus vnionis, ſeu præſentialitatis rei, quæ eſt in loco, ita vt extra eum non reperiatur naturaliter. Secũda eſt quod poſt huius rei productionem, non poſsit ab ea naturaliter acquiri, niſi per motum localem.

¶Secundo aduertũt quod dupliciter locus poteſt eſſe terminus præſentiæ rei quæ eſt in loco, ſcilicet, circunſcriptiuè, aut cõmẽſuratiuè; vt cum res quæ eſt in loco commenſuratur ipſi loco, inquantum tota eſt in toto loco, & pars in parte eius. Aut diffinitiuè ad quod non requiritur quod res quę eſt in loco, commenſuretur ipſi loco prædicto modo, ſed ſatis eſt quod ita ſit in eo loco, & in tanto loco vt neque ſit in alio, neque in maiori: non tamen cõueniunt iſti modi terminandi rem locatam cuicunque loco, ſed prior conuenit loco rerum corporearum, poſterior vero loco rerum ſpiritualium. Neque obſtat quod etiam locus rerum corporearum terminet eas ita, vt nõ ſint extra eum, quoniam vt iſte modus terminãdi attribuitur in particulari loco rerum ſpiritualium, hoc habet peculiare quod eſt ſine cõmenſuratione, quoniam res quæcunque ſpiritualis ita eſt in loco, vt ſit tota in toto loco, & tota in qualibet parte eius.

¶Tertio aduertunt, quòd illa conditio ſecũda ſuprapoſita, nempè, quod poſt rei productionem non poſſet adeò naturaliter acquiri, nec deperdi niſi per motum localem, debet intelligi quando locus nõ acquiritur, aut deſeritur, vt pars loci in quo Angelus manet. Nã cũ Angelus eſt in loco ſibi inadæquato, bene poteſt deſerere aliquã partem eius, & permanens in eodẽ loco, poteſt acquirere aliã partẽ ſine motu locali: verum adhuc poſita iſta limitatione ſunt qui negent eã conditionẽ requiri ad locũ Angelorum, quoniam dicunt non eſſe neceſſarium quod Angelus ſit alicubi, tanquàm in loco, quia non eſt neceſſarium quod ſemper operetur ad extra, neq; quod habeat ſuã virtutem applicatam alicui loco, & conſequẽter dicunt quod eum eſt nullibi, poteſt incipere eſſe

re eſſe in loco ſine motu locali, per hoc ſolū quod incipit operari in eo, aut ei applicat ſuā virtutem, & ceſſando ab vtroq; deſerit etiam eum ſine motu locali. Sed hoc fundamētū falſum eſt, vt infrà dicemus. Vnde poteſt deſumi argumentum ad probādum quod Angelus ſemper eſt in aliquo loco: quia non poteſt acquirere locum totalem de nouo quin deſerat aliquem, ſcilicet, eum in quo eſt. Neque poteſt deſerere, eum in quo eſt quin acquirat alium, ſed acquiſitio huius loci & deſertio alterius nō poteſt naturaliter fieri ſine motu locali, ergo neceſſarius eſt ſemper huiuſmodi motus, vt Angelus acquirat, aut deſerat prædicto modo locū. Cōfirmatur. Quia locus eſt terminus per ſe primo motus localis, non quidē producendus ſed acquirendus per eū: ſiquidem quod producitur per motū localē, id nō eſt locus ſed vbi, ergo per ſe neceſſarius eſt motus localis, vt naturaliter acquiratur ab aliqua re, poſtquā eſt producta. Patet conſequentia: quia cōmuni eſt omnibus motibus vt neceſſarij ſint ad naturalē productionē terminorū, ad quos per ſe primo ordinantur, ſaltim poſtquàm res cū quibus cōproducuntur ſunt productæ. ¶Ex qua doctrina infertur primo, quod quàuis Deus ſecundū ſuā ſubſtantiam ſit immediatè præſens cuicunque ſpatio, etiā imaginario, tamē illud ſpatium nō habet propriè rationē loci reſpectu Dei, quia nulli ſpatio conueniunt reſpectu Dei, eaq́ue dicta ſunt per ſe requiri ad locum. Ita D. Tho. 1. par. q. 8. art. 2. licet dicat abſolutè Deum eſſe in omni loco vt res eſt, non tamen cōcedit illum eſſe formaliter in omni loco vt locus eſt, ſed cauſaliter tantū, ſcilicet, quatenus producit corpora, quæ replent omnia loca. ¶Secundo infertur, quod corpus Chri dū eſt in ſacramēto quàuis ſit præſens mundo ſubſtātiarum ſpiritualium, hoc tamen eſt ſine cōmenſuratione ad partes ſpatij quod occupāt ſpecies cōſecratæ tamen nō eſt in eo tāquā in loco, nō ſolū eo modo, quo cætera corpora ſunt in loco, ſcilicet, circunſcriptiue, ſed neque illo, quo dictum eſt ſubſtantias ſpirituales eſſe in loco, ſcilicet commenſuratione ad ipſum, & ratio eſt quia vnitū alicui ſpatio tanquā termino ſuæ preſentiæ, ita enim eſt præſens vt ſimul ſit & poſſit eſſe præſens alijs ſpatijs, neq; vnio ſine præſentia quam habet reſpectu ſpatij eſt per ſe acquiſibilis, aut deperdibilis per motum localē, ſed acquiritur per conuerſionem panis in ipſum, & corrumpitur per deſitionem ſpecierum.

¶Quarta ſententia eſt omniū Thomiſtarū aſſerentiū Angelū eſſe in loco per operationē tranſeuntem vel per applicationem ſuæ virtutis operatiuæ circa aliquē locum. Ex quo colligitur quod illud circa quod operātur tranſeunter, vel applicāt ſuam virtutē operatiuam eſt locus ipſius Angeli. *Quarta ſententia.*

¶Vltima ſententia colligitur ex his quæ diximus quæſtione præcedēti. Pro cuius explicatione & totius quæſtionis ſunt notanda nōnulla quorū primum eſt. Quod in hac quæſtione nō quærimus de loco, & vbi Angeli quod reſultat ex vnione ipſius Angeli cū ipſo loco, ſiue pro reſpectu qui eſt inter Angelū, & locū cui eſt vnitū. Neque etiam inquirimus rationē formalem exiſtendi in loco, nā de hac dicemus quæſtione ſequēti, ſed quæſtio in præſentiarū eſt de eo cui Angelus eſt præſens tanquàm loco & vnitur, ita vt dicatur eſſe in eo localiter & in hoc cōueniunt oēs ſententiæ in hac quæſtione. *Vlt. ſententia.* *Notab. 1.*

¶Secūdo eſt notandū quod eſſe in loco pro nunc cōtingit dupliciter, vel circunſcriptiuè, vel diffinitiuè vt diximus quæſtione prǫcedenti. Ex quo ſequitur quod cum eſſe in loco de vtroq; verificetur, præciſe & ſecūdū ſe neque dicit circūſcriptionē, neque dicit diffinitionem, ſed quid cōmune vtriq; deſumptū nō ab aliqua natura vtriq; cōmuni, ſed ab eodē modo ſe habēdi. Quare eſſe in loco circunſcriptiuè vltra eſſe in loco dicit cōmenſurationem partium locati ad locū & ecōtra, in quo totū correſpōdet toti, & pars parti. Eſſe autem in loco diffinitiuè vltra eſſe in loco dicit determinationem & limitationem quia ita hic quod non alibi, quare nō implicat de potentia Dei abſoluta dari vnum corpus quod ſit in pluribus locis circunſcriptiuè, implicat tamen etiam de potentia Dei abſoluta dari vnum corpus quod ſit in pluribus locis diffinitiuè, quia implicat aliquid eſſe hic quod non alibi, & aliquid eſſe hic quod & alibi. Non tamen implicat aliquid eſſe hic & ibi cum commenſuratione partium locati ad ipſum locum, de qua re alibi, ergo eſſe in loco abſtrahit ab eſſe in loco circunſcriptiue, & eſſe in loco diffinitiuè. *Notab. 2.*

¶Tertio eſt notandum quod vbi eſt circunſcriptio corporis locati à circunſcriptione loci procedens. Quæ diffinitio tradita ab autore. 6. principiorū debet intelligi, quatenus *Notab. 3.*

 tenus

tenus circunſcriptio non ſignificet cōmenſurationem, ſed determinationem conuenientem locato ex natura rei. Vnde aliter philoſophandum eſt de loco Angeli conueniente illi ex natura ſua, quia vnuſquiſque Angelus determinat ſibi talem locum, at vero de potētia Dei abſoluta poſſet vnus Angelus eſſe in pluribus locis quia non magis repugnat eſſe in pluribus locis Angelo quā corpori, ſed tunc Angelus non eſſet in loco diffinitiuè ſed alio modo. Quare vt prædicta diffinitio conueniat omnibus modis habendi vbi, ideſt, vt conueniat vbi, ſecūdum quod habetur per modum exiſtendi in loco diffinitiue, & circunſcriptiuè; explicanda eſt in omni rigore metaphyſico, & ſic ly circunſcriptio idem ſignificat quod determinatio, ac ſi dicat, eſt determinatio corporis locati à determinatione loci procedens, quaſi dicat corpus locatum habet duo, habet enim quod eſt indeterminato vbi, habet & ſecundo commenſurationem totius ad totum, & partium inter ſe. Similiter Angelus exiſtens in loco habet determinationem reſpectu huius vbi, ſicut & corpus, diſtinguitur tamen à corpore in modo exiſtēdi in loco penes commenſurationem, non tamen penes determinationem in ordine ad locum, & quia reſpectu corporis, vel reſpectu modi quo corpus eſt in loco, commenſuratio habet rationem differentiæ, & vbi rationem generis. Ideo Doctor in hac diſtin. & quæſtione litera G. docet quod corpus quantum eſt in loco in actu, quia in preciſo continente actualiter, & reddit rationem, quia non poteſt eſſe corpus quantum in loco quin iſtud vltimum (quod eſt primum continens) faciat illud eſſe actio, quia facit latera corporis continentis diſtare. Ex qua doctrina infertur. Quod ſi corpus eſſet in loco, non faciens diſtare latera corporis continentis, nō eſſet in loco actu, ſed tantum in potentia; haberet tamen tale corpus proprie, vbi, quia haberet determinationem illam qua verum eſſet dicere corpus ita eſt hic quod non alibi, & ſic patet quomodo commēſuratio ſe habet vt actus reſpectu vbi, & vbi ſe habet vt potentia reſpectu commenſurationis, & per conſequens ly circunſcriptio poſita in diffinitione vbi non ſignificat commenſurationem, ſiue (quam communiter appellamus) circūſcriptionem, ſed illam determinationem corporis quæ in corpore locato præintelligitur ad commenſurationem; nam corpus locatum ex eo quod determinatè dicit ordinem ad hoc vbi. Ideo eſt hic, & quia dicit hunc ordinem cum quadam commenſuratione ideo eſt hic vt in loco actuali & propriè. Ita etiam philoſophandum eſt reſpectu exiſtendi in loco diffinitiuè, nam hoc quod eſt (diffinitiuè) ſupra vbi, addit determinationem cum negatione ad alium locum, nam quod eſt hic diffinitiuè, ita eſt hic quod non eſt alibi. Abſtrahendum igitur eſt ab eſſe hic diffinitiuè, & ab eſſe hic circunſcriptiuè, eſſe hic, & hoc eſt vbi, quare eſſe hic, vel vbi, reſpectu corporis eſt determinatio ipſius corporis exiſtentis in loco à determinatione loci procedens, & non à commenſuratione loci procedens. Eſſe autem hic, vel vbi reſpectu Angeli eſt determinatio ipſius Angeli à determinatione loci procedens, non à diffinitione, qua Angelus ita eſt hic quod non alibi, quia ſi Deus, Vt dixi. Poneret vnum Angelum in duobus locis, talis Angelus in vnoquoque illorum locorum propriam haberet rationem vbi, quia de illo verè diceretur quod eſt hic, non tamen verè diceretur quod eſt hic diffinitiuè vnde quamuis dicat determinatum ordinem ad illud ſpatium in quo eſt, qualem non dicit ad ſpatium in quo nō eſt, ſed tantum poteſt dicere quia poteſt & illud vbi quod non habet habere, non tamen dicit determinatum ordinem diffinitiuum in neutro illorum locorum, quia in neutro non eſt ita hic quod non alibi; quia in quolibet ita eſt hic, quod & alibi, vnde ſicut in corpore eſſe hic eſt potentiale ad commenſurationem, & eſſe in loco circunſcriptiuè, ita in Angelo eſſe hic eſt in potentia ad diffinitionem, vel ad eſſe in loco diffinitiuè. Et propter hoc docebat Doctor vt diceba mus quæſtione præcedenti quod Angelus ex natura ſua nō neceſſario eſt in loco, quia poſſet Deus creare Angelum nulla creatura corporali exiſtente, vel ponere Angelū extra omnem creaturam corporalē, & per conſequens extra omnem locum, non tamen poſſet Angelus poni extra omne vbi, quia implicat quod Angelus ſit in rerum natura, & non dicat determinatum ordinem ad aliquod vbi, ita quod non ſit verum dicere Angelus eſt hic, & ſic aliud eſt in Angelo eſſe hic, & eſſe in loco etiam diffinitiuè quod maximè notabis pro omnibus his quæſtionibus. *Nota hoc.*

¶Prima

Prima cõcluſio. ¶Prima concluſio. Omne illud, ſecundum quod vere dicitur de Angelo quod eſt hic, habet rationem vbi, reſpectu Angeli. Hæc cõcluſio amplectitur omnes prædictas ſententias quantum ad illud quod habent veritatis. Et probatur primò à diffinitione vbi. Eſt enim determinatio corporis locati à determinatione loci, ergo omne illud quod habet rationem determinantis reſpectu Angeli, habebit rationem vbi illius, reſpectu illius. Confirmatur. Angelus poteſt eſſe in maiori, vel minori loco, intra ſpheram ſuæ actiuitatis, hoc autem non poteſt eſſe, niſi quia poteſt determinari ad tantũ, vel tantum locum, ergo talis determinatio à quocunque proueniat, fundamentaliter conſtituit rationem vbi formaliter, & omne illud à quo poteſt prouenire talis determinatio habebit rationem vbi fundamentaliter.

¶Secundò. Aliqua ſuperficies realis poteſt continere Angelum tali continentia, vt Angelus contentus ſit infra hanc ſuperficiem continentem, ita quod nihil Angeli ſit extra, ergo ſuperficies realis poteſt habere rationem vbi reſpectu Angeli. Antecedens eſt Doctoris in hac quæſt. infra lit. P. & ſequela eſt manifeſta. Quia ad rationem vbi nihil aliud requiritur. ¶Confirmatur. Angelus proprie eſt in loco diffinitiuè, ergo omne illud quod poteſt diffinire Angelum habebit rationem loci diffinitiui: ſed eſſe in loco diffinitiuè includit propriè vbi, ergo omne illud quod poteſt diffinire Angelũ, propriè habebit rationẽ vbi reſpectu illius.

Secunda concluſio. ¶Secunda concluſio. Spatium imaginariũ minus propriè habet rationem vbi quam ſpatium reale. Hæc concluſio colligitur ex Doctore hac quæſtione, liter. G. vbi docet quod lapis, quantum ad omne abſolutum ſibi conueniens, tantum habet potentiam paſſiuam qua poſſit eſſe in loco. Poſito tamen lapide in exiſtentia actuali, & poſita præſentia eius reſpectu alicuius corporis locantis, tunc eſt in loco. Ex quo ſic deduco rationem eſſe in loco, vel eſſe vbi, eſt reſpectus realis, ergo requirit fundamentum, & terminum realem, ſed locus imaginarius non eſt aliquid reale, ergo non poteſt fundare, neque terminare reſpectum realem. Antecedens eſt manifeſtum, quia quanuis vbi ſit reſpectus extrinſecus adueniens, eſt tamen reſpectus, & per conſequens cum nõ ſit aliquid fabricatum per opus intellectus, erit reſpectus realis. Minor autem probatur. Quia ſpatium imaginarium tantum habet eſſe per imaginationem. Confirmatur. Spatium reale propriè poteſt dicere, & cauſare talem reſpectum in Angelo, eo modo quo reſpectus cauſantur, ergo ſpatium imaginarium impropriè cauſabit talem reſpectum, vel ergo reſpectus cauſatus ab ſpatio imaginario tantum erit per imaginationẽ, & per conſequens tale ſpatium minus propriè habebit rationem vbi etiam fundamen taliter quam ſpatium reale. Imo ex eo tale ſpatium habet rationem vbi reſpectu Angeli quia ſpatium reale verã habet rationẽ.

Ad argumenta pro tertia ſententia ad primum. ¶Ad argumenta pro tertia ſententia adducta reſpondetur. Ad primum negando antecedens, & ad probationem dicitur cum Doctore hac quæſtione litera P. quod ſuperficies aliqua corporis continet Angelum cõtinentia loci, quæ continentia localis alterius rationis eſt à continentia formæ vel ſpeciei, quia forma continet materiam perficiendo illam, locus autem non perficit locatum, niſi quando eſt locus naturalis locati, at vero reſpectu Angeli tantum ponit reſpectum quendam præſentialitatis ad hoc vbi, qui reſpectus non perficit ipſum Angelum, quanto magis ipſum vbi, à quo tanquã à termino talis reſpectu cauſatur. Neque etiam talis continentia localis eſt continentia ſpeciei reſpectu indiuidui, quia ſpecies continet indiuiduum tribuendo illi eſſe quidditatiuum quod non facit locus reſpectu locati. Eſt tamen continentia localis nihil aliud quã contentum eſſe intra hanc ſuperficiem continentem, & nihil eius eſſe extra, & hoc verum eſt in quocunque contento diffinitiuè quia nihil eius eſt extra locum continentem. Ad ſecundam probationem antecedentis neganda eſt paritas rationis. ¶Ad ſecundum reſpondetur negando ſequelam. Ad ſecundam partem ipſius argumenti reſponſum eſt in ſecunda concluſione.

Ad argumenta pro quarta ſententia. ¶Ad argumenta pro quarta ſententia. Ad primum reſpondetur diſtinguendo antecedens de diſtantia, vel propinquitate reali, de qua loquimur in præſentiarum, & iſta ſumitur per ordinem ad ſpatium imaginarium: ſed per ordinem ad ſpatiũ reale, imò diſtantia fundata in ſpatio imaginario ſumitur per ordinem ad ſpatium reale quod ibi imaginamur. Ad primam probationem reſpondetur, quod ipſa probat noſtrã ſenten-

 tiam,

tiam, nam ſi nulla eſſent loca niſi imaginaria, nulla eſſet diſtantia niſi imaginaria, & per conſequens diſtantia realis,& propinquitas ſumenda eſt per ordinem ad locum realem. Ad ſecundam probationem reſpondetur, quòd quanuis Deus anihilaret ſpatiū reale quod Angelus occupat, diſtaret adhuc Angelus à corpore, cui erat vnitus per diſtantiam imaginariam, quæ diſtantia propriè non eſt diſtantia, ſicut non eſt diſtantia realis, ſed potius non propinquitas negatiua. Sicut à ſimili diſtinctio quæ eſt inter ens & nihil, non eſt propriè diſtinctio ſed non identitas negatiua. ¶Ad ſecundum reſpondetur negando antecedens: & ad probationem dicitur concedendo maiorem, & minorem, & negando conſequentiam, quia vt dixi ſupra, in tali caſu eſſet non propinquitas inter Angelum, & orbem ſolis, non tamen diſtantia realis, ex defectu illius interualli interiecti, quod eſt conditio neceſſario requiſita ad diſtantiam realem.

Ad tertium. ¶Ad tertium reſpondetur quantum ad primam impugnationem, quod quanuis corpus exiſtens in loco deſtruatur, manet tamen locus, & Angelus in illo tanquam in proprio vbi, quod ſi ipſe locus anihiletur, adhuc tamen Angelus manet ibi non per reſpectum aliquem poſitiuum quem dicat ad illum vbi, ſed per reſpectum poſitiuū diſtātiæ ad alia loca, id eſt, ideo Angelus eſt hic, in tali caſu, quia non eſt alibi, quod non contingit quando Angelus habet propriū vbi reale, quia tunc dicitur de illo quia Angelus eſt hic, ideo non eſt alibi: at vero in caſu poſito quod Deus anihilet locū in quo Angelus eſt, tunc Angelus quia non eſt alibi, ideo eſt hic. ¶Ad vltimum reſpondetur, quia Angelus non eſt in loco replens illum ſicut corpus, ideo nō eſt inconueniēs quod Angelus, & corpus ſint in eodem loco reali, qualiter non poſſunt eſſe duo corpora in eodem loco reali ſecundùm leges naturæ.

QVÆSTIO III.

¶Vtrùm fundamentalis ratio exiſtendi in loco ſit Angelo ſua ſubſtantia.

Prima ſententia. De hac re, ſententia prima eſt Thomiſtarum. Quæ adhuc nō ſatis conſtat inter illos, nam alij docent rationem fundamentalem exiſtendi in loco, eſſe Angelo ſuā operationem actualem. Alij vero dicunt eſſe applicationem ſuæ virtutis. Omnes tamen fatentur, quod ratio exiſtendi in loco non poteſt eſſe Angelo ſua ſubſtantia. Quantū ad iſtam vltimam partem probant nōnulli hanc ſententiam, quia ſicut Petrus, ſiue ſubſtantia eius eſt in loco, non tamen ſubſtantia eſt immediata ratio exiſtendi in loco, ſed quantitas Petri contingens locum, ita & multo magis ſubſtantia incorporea non erit propria ratio exiſtendi in loco. Probatur conſequentia. Nam ſi ſubſtantiæ corporea, cui competit propriè eſſe in loco, non eſt immediata ratio exiſtendi in loco, ergo multo minus in corporea ſubſtantia per ſe ipſam immediatè erit in loco, ſed per aliquid aliud quod reſpectu ſui ſe habeat proportionabiliter ad quantitatem reſpectu corporis, & ſit veluti quātitas virtualis per quam virtuoſe contingit locum, & cōtinet illum. ¶Secundò. Si ſubſtantia incorporea ratione ſuæ eſſentiæ immediatè eſſet in loco, non habita ratione ad operationem, ſequitur quod Angelus non eſſet in loco diuiſibili, ſed ſolum indiuiſibili. Probatur ſequela. Quia ipſa ſubſtantia Angeli ſecūdùm ſe eſt indiuiſibilis, ergo neceſſe eſt (ad hoc vt ſit in loco diuiſibili) quod comparetur ad ipſum ſecundùm aliquem effectum virtualem vel actualem. Denique ſubſtantia Angeli ſecūdùm ſe eſt indifferens ad quem cunque locum, ergo vt ſit in loco ſingulari neceſſe erit aſsignare aliquid præter ipſam, ratione cuius ſit in iſto loco. ¶Alij vero ſuper eandem primā partem, quæſt. 52. artic. 1. quæſt. 4. concluſ. 2. probant neque exiſtentia, aut ſubſtantia Angeli, poteſt eſſe ibi ratio exiſtendi in loco, & ſimiliter dicendum eſt de virtute, ſeu potentia. Probāt autem ſuam concluſionem primò, quia tota ratio propter quam ſubſtantia ipſa non poteſt eſſe ratio formalis exiſtendi in loco, eſt quia ex Scriptura, & dictis Sanctorum, manifeſtaque ratione colligitur intra ſpheram ſuæ virtutis, in maiori & minori loco ſe collocare, cum ergo neq; eſſentiam ipſam, neque potentiam in poteſtate eius ſit facere minorem, impoſsibile eſt quod aliquid horum ſit illis ratio exiſtendi in loco, qua propter ſententia Scoti non eſt ſatis probabilis, & manifeſtè impugnatur à Durando in primo, diſtinctione. 37. articulo primo. Nam ſi ſubſtantia eſt Angelo ratio exiſtendi in loco, ergo non eſt cur dubi-

dubitemus vbi ſit locus Angeli, & an ſit in loco ſibi æquali, quemadmodum dubirat Scotus Angelum eſſe in loco ſibi æquali, ira vt non poſsit eſſe in maiori, vel minori. Quanuis enim in poteſtate eius ſit in hoc, aut illo loco locare ſe, tamen ſi tota ratio exiſtendi in loco eſt ſubſtantia finita vbicunque ſe collocet, neceſſe eſt vt ſit per modum ſuæ ſubſtantiæ: ſicut quanuis in poteſtate hominis ſit, hic, aut ibi ſe ſtatuere, tamen vbicunque ſe ſtatuat, neceſſe eſt eſſe iuſta modum ſuæ dimenſionis, quia dimenſio ratione cuius eſt in loco, non eſt in ſua poteſtate, vt ſit tanta, vel tanta. Cum ergo ſubſtantia finita (ratione cuius Angelus eſt in loco apud Scotum) non ſit in poteſtate Angeli vt ſit maior, vel minor, abſque dubio non erit in eius poteſtate vt ſit in maiori, vel minori loco, ſed neceſſe eſt vt ſemper ſit in æquali. Si autem dicas nullum eſſe inconueniens hoc vt Scotus dicit. Primò, nõ ſatis attendis quæ de Angelis in Scriptura dicuntur, Impoſsibile eſt enim vt in eodem homine eſſent dæmonia ſeptem, aut quod plus eſt dæmoniorum legio, niſi Angelus poſſet eſſe pro voluntate ſua in maiori, vel minori loco. ¶ Et ſecundò ſequitur, quod ſi Angelus mouens primum mobile vellet ad nos diuertere, aut inde deſcendere, nullo modo poſſet, quia oporteret eſſe in minori loco, ſi deſcenderet. Et idem dicendum eſt de mouente tertiam ſpheram, quod deſcendere non poſsit, & ſic de ſingulis vſque ad orbem Lunæ. Et cum ex Dionyſio conſtet Angelos iſtos mouẽtes orbes ex infimo loco Angelorum eſſe, ſequitur quod ferè innumeri ſint Angeli qui ad nos deſcendere non poſſunt, omnes enim ſuperiores infimo choro, ſunt maioris perfectionis, quam qui mouent primum mobile, conſequens autem eſt apertè contra communem Sanctorum ſententiam aſſerentium de omnibus Angelis quod nimia celeritate totum orbem peruagare poſſunt, & in quemcunque locum ſe transferre, & videtur colligi ex illo Pauli ad Roman. 1. vbi loquens de Angelis ait, Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſteriũ miſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis. ¶ Et tertiò ſequitur, quòd ſicut corpus eſt commenſuratiuè in loco ſecundùm quantitatem molis, ita ſit Angelus commenſuratiuè ſecundùm quantitatem perfectionis: quia ſicut tota quantitas eſt in loco, & pars quantitatis in parte loci collocatur: ſic tota ſubſtantia Angeli eſt in toto, & pars perfectionis in parte loci ponitur ſecundum Scotum. ¶ Si autem quis dicat pro Scoto primò, quod non neceſſe eſt, vt quanto eſt Angeli perfectio, tantus ſit eius locus, quia pro voluntate ſua poteſt illam perfectionem in maiori vel minori loco ponere, ſicut procerus homo poteſt ſuam quantitatem in minori loco ſtatuere quam exigat ſua dimenſio. Reſponſio eſt manifeſta, quia id poteſt homo eo quod flecti poteſt complicari, & contrahi, atque obuolui, ſed ſubſtantia ſimplex ſpiritualis harum mutationum expers omnino eſt: nam & in rebus corporeis, quæ non habent membrorum diuerſitatem, & motuũ horum capacia non ſunt, vt patet in ſimplicibus & ſolidis corporibus. ¶ Si dicas ſecundò, quod quanuis Angeli non poſsint ſe ponere in minori, & minori loco, nihilominus poſſunt plurimi eſſe in eodem loco quantumcunque paruo, tum quia locum nõ occupant, quia non faciunt laterum diſtantiã. Tum etiam, quia licet ſemper ſint in loco æquali, poſſunt tamen in eodem, quantumuis paruo concurrere plures, quia quantum ſumunt de loco nouo, tantum relinquunt de loco antiquo. Sed reſpondetur, quòd ſaltim ſequitur contra Scotum quod Angelus non poſsit eſſe in puncto vt in præciſo loco quod tamen ille abſque dubio conceſsit. ¶ Præter hanc rationem Durandi, optima eſt etiam ratio Caietani hoc loco cõtra ſententiam Scoti: nam quod Angelus habeat ſubſtantiam finitam; tantum dicit terminos quidditatis, aut definitionis, hac enim ratione diffinitio rei appellatur terminus ab Ariſtot. non autem dicit ex intrinſeca ſua ratione terminum loci, eſſet enim extrinſecè reſpectus ad locum ſubſtantiæ Angelicæ ſicuti eſt quãtitati quod eſt apertè falſum: quia ſubſtantia corporea tantum dicit reſpectũ ad locum ratione quantitatis. ¶ Item probatur. Nam corpora quæ propriè ſunt in loco, non ſunt in loco ratione ſuæ eſſentiæ, & ſubſtantiæ materialis, ſed ratione quantitatis, quantumlibet ſubſtantia ſit materialis, ſicut eſt ſubſtantia lapidis, aut ligni, ergo à fortiori Angelus qui non eſt propriè in loco, ſed abuſiuè, non dicitur eſſe in loco ratione ſuæ ſubſtantiæ & naturæ, ergo dicẽdum eſt quod quanuis ſubſtantia Angeli ſit in loco, verè & realiter, ratio tamen exiſtendi in loco non eſt ſua ſubſtantia neque eſſentia:

Aliàs, ſi eſſentia, & ſubſtantia Angeli eſſet Angelo ratio eſſendi in loco, ſemper Angelus eſſet in loco indiuiſibili, & impartibili, quod eſt abſurdum. Nam anima rationalis quanuis ſit magis contracta quam Angelus, tamen eſt in loco diuiſibili, nam eſt in toto corpore, ergo à fortiori Angelus poterit eſſe in loco diuiſibili. ¶ Profectò ſi ſubſtantia corporea (cui propriè conuenit eſſe in loco) non eſt immediata ratio exiſtendi in loco, multo minus ſubſtantia incorporea per ſe ipſa erit immediatè in loco, ſed per aliquid aliud, quod reſpectu ſui ſe habeat proportionabiliter ad quantitatem reſpectu corporis, & ſit veluti quantitas virtualis, per quam virtuoſe contingit locum, & continet illum. Hæc ſunt quæ Thomiſtæ aſſerunt communiter ad probandam primam partem ſuæ ſententiæ.

¶ Circa ſecundã partem (ſcilicet dato quod Angelus non ſit in loco per ſuam eſſentiã, tanquam per rationem formalem) Maxima differentia verſatur inter Thomiſtas quod ſit illud per quod Angelus eſt in loco formaliter. In qua re Caietanus. 1. par. quæſt. 52. art. 2. docet rationem formalem exiſtendi in loco in Angelis, non eſſe ſuam operationem, ſed applicationem ſuæ virtutis operatiuæ ad operandum, quanuis non ſequatur operatio. Quæ ſententia Caietani explicatur à nonnullis hoc modo. Quia Angelus per ſuam libertatem poteſt ſeparare vnum ab altero, & ſic poteſt habere applicatam virtutem loco, abſque hoc quod ſequatur operatio. Quare aduertendum dicunt, quod in corpore locato quatuor inueniuntur. Primum eſt quod poteſt eſſe in loco. Secundum, quod actu eſt in loco. Tertium, quod eſt in loco æquali. Quartum, quod ita eſt hic, quod non alibi.

¶ Secundò aduertunt, quod in agentibus corporeis, quando vnum agens immediatè agit in aliquod paſſum, intelligimus præter ſubſtantiam, & potentiam agentis, & patientis, alia duo: primum eſt, applicatio ipſius agentis, & eius virtutis actiuæ, quæ applicatio nihil aliud eſt quã coaptatio agentis, eiuſque virtutis ordinatio, & proportio ad patiẽs, ratione cuius ſequitur ipſa actio, per quam quaſi à poſteriori intelligimus, ibi eſſe Angelum. Quia hæc applicatio eſt quaſi quidam modus ipſius agentis, & virtutis operatiuæ, quare, ſecundùm quod intelligim', eſt ipſa operatio, ſeu actio. Quod autem ipſa actio, & applicatio virtutis agẽtis poſsint ſeparari, patet exemplo. Si v. g. plures homines applicant ſuam virtutem, nitentes trahere nauim, quam tamen non trahunt, quia ex regione ſunt alij æqualiter contra tenentes, tunc certum eſt, quod illi omnes habent applicatam virtutem ad mouendum nauim, non tamen ſequitur motus ipſius nauis. Ad hunc modum poteſt intelligi quod Angelus contingit ſua virtute locum, & tamen non ſequitur operatio, niſi quando ipſe voluerit.

¶ Tertiò aduertunt, quòd applicatio virtutis Angelicæ multa includit ſecundùm Caietanum. Primum ex parte ſubſtantiæ Angeli includit negationem diſtantię, hoc eſt, quod Angelus non ſit applicatus alteri loco diſtanti. Secundum ex parte intellectus, iudicium practicum, ſiue cognitionẽ quandam practicam operis exercendi in tali loco. Tertium, eſt ex parte virtutis executiuæ, qua id eſt efficiendum, quod per cognitionem practicam præſtitutum eſt. Requiritur enim quod illa potentia executiua nõ ſit impedita, nec alibi occupata, ſed ſit expedita in ordine ad talem operationem. Quartum eſt ex parte volũtatis, requiritur enim quod Angelus eligat, & velit ſupradicta ita ſe habere, vt ſtatim atque ipſe voluerit ſequatur operatio. Hinc infert Caiet. quod huiuſmodi applicatio in ordine ad operationem comparatur illi, non tanquam pura potentia, ſed potius tanquam habitus. De cuius ratione eſt, quod ſit diſpoſitio potentiæ ad operationem, & quod operans vtatur eo, quando voluerit, & ita ſe habet applicatio Angeli reſpectu potentiæ operatiuæ ipſius. Ex quo ſequitur ſecundò, quod hæc applicatio eſt media inter ſubſtantiam & potentiam Angeli ex vna parte, & inter eius operationem ex alia. Et ex conſequenti ipſa applicatio non ſolum reſpicit Angelum in quo eſt formaliter, ſed etiam reſpicit ipſum locum ratione operationis exercendæ in ipſo in potẽtia proxima: propter coaptationem quæ eſt inter Angelum ſic applicatum, & locum ipſum. Quemadmodum quantitas, per quam res corporea eſt in loco formaliter, eſt in ipſo corpore locato tanquam accidens in ſubiecto, reſpicit tamen locum ipſum à quo quaſi paſsiuè tangitur, & continetur, & non ſolum, quia habet quantitatem eſt in loco, ſed quia habet ſic applicatam. Ita Angelus dicitur eſſe in loco,

loco, non ſolum quia habet virtutem operandi quomodolibet: ſed quaſi actiuè contingentem, & cõtinentem locum, & ſic applicatã vt eum voluerit operetur abſq; aliqua noua diſpoſitione ſui aut mutatione.
¶Quartò aduertunt, quòd ſecundum Caietan. per ſolam applicationem virtutis Angelicæ (quando non ſequitur operatio, aut aliquid quod ſe habeat per modum operationis communiter dictæ) non dicitur Angelus eſſe perfectè in loco, ſed imperfectè & inchoatiuè. Quando autem ſequitur operatio propriè dicta, tunc Angelus dicitur eſſe perfectè in loco eo modo, quo ipſe poteſt eſſe in loco.
¶Capreolus autem in 2. diſt. 2. q. 1. quem refert Magiſter Bañes. 1. par. quæſt. 52. art. 1. dubitatione. 2. tenet quod Angelus eſt in loco per operationem, non immanentem, ſed tranſeuntem. Aduertit tamen Magiſter Bañes, quod in hac opinione, nomine operationis intelligunt, non tantum aliquem motum realem receptum in corpore, ſiue mutationem aliquam, ſed quemlibet etiam contactum Angelicæ virtutis, qui ſe habet per modum operationis, & per modũ actus ſecundi. v. g. quare Angelus præſidet tali loco, quia cuſtodit, continet, & defendet. Vt ſi v. g. detineret lapidem in ſublimi, diceretur eſſe in lapide, & tamen nullam mutationem realem exerceret circa lapidem. Quam ſententiam contendunt eſſe D. Thomæ quodlibeto. 1. art. 4. vbi poſtquam dixerat Angelum eſſe in loco per contactum virtutis, inquit. Si quis autem velit contactum virtutis operationẽ vocare, propter hoc quod operari eſt proprius effectus virtutis, dicatur quod Angelus eſt in loco per operationem. Ita tamen quod per operationem non intelligatur ſola motio, ſed quæcunque vnitio qua ſua virtute Angelus ſe corpore vnit, præſidendo, vel continendo, vel quocunque alio modo. Hactenus D. Thom. Et fortaſsis hoc ipſum eſt quod in hoc articulo huius quæſtionis. 52. inſinuat quando inquit: per applicationem igitur virtutis Angelicæ ad aliquem locum qualitercunque dicitur Angelus eſſe in loco corporeo. Vbi aduerte illud verbum: qualitercunque. Imo vero in. 1. diſt. 37. quæſt. 3. artic. 1. inquit, Angelus non poteſt diffiniri, aut determinari ad locum, niſi per operationem. Dico autem operationem, communiter, ſecundùm quod Angelus ſe habet ad corpus contentum in loco per modũ præſidentis, aut miniſtrantis, aut aliquo modo agentis, aut patientis. Hæc D. Tho. vbi aduerte obiter, quod dæmones, & animæ damnatorum ſunt in loco infernali per modum patientis. Ex quibus infert Magiſter Bañes quod hæc ſententia vix differt à ſententia Caietani. Quare concluſione. 3. concludit Angelum eſſe in loco per operationẽ communiter dictam iuxta modum quem explicant Capreolus, & Caietanus.
¶Alij autem ſuper primam partem D. Thomæ, quæſt. 52. art. 1. quæſt. 4. cõcluſ. 3. & 4. docent applicationem virtutis Angelicæ ad locum non eſſe rationem exiſtendi in loco in Angelo, ſed operationem tranſeuntẽ. Primam partem probant contra Caietanũ. Nam ſi virtus Angeli non eſt ratio formalis eſſendi in loco, neque etiam applicatio virtutis. Nam à ſimili ſi quantitas non eſſet ratio eſſendi in loco, ergo nec applicatio quãtitatis, ſed virtus Angeli non eſt formalis ratio exiſtendi in loco ipſi Angelo, ergo Angelus non eſt in loco per operationem virtutis. Confirmatur. Nam virtus Angeli nihil aliud eſſe poteſt, quam intellectus, voluntas, aut eſſentia Angeli, ſed per intellectum, voluntatem, aut eſſentiam, non eſt Angelo ratio formalis exiſtendi in loco, aliàs Angelus quando nihil prorſus agit, & operatur, eſſet in loco, ergo. ¶Si dicas quod per actus intellectus & voluntatis eſt in loco: cur etiam non dices pari ratione, quod ſubſtantia Angeli eſt in loco: cum vtrobiq; ſit par ratio ſpiritualitatis? Si dicas quod Angelus eſt in loco per actum, & operationem, applicationis illius virtutis, tunc ve minimum ſequitur, quod Angelus formaliter non eſt in loco, neque per virtutem, neque per applicationem virtutis, ſed per actum, & operationem inde ſequutam, ita vt formalis ratio eſſendi in loco ſit operatio & non virtus, neque eius applicatio. Quod ſi dicas vlterius quod Angelus eſt in loco per iudicium practicum, & actum ſuæ voluntatis quibus applicat ſuam virtutem ad locum, idem argumentum fieri poteſt. Nam hæc non ſunt rationes exiſtendi in loco, ſed ſolum ſunt rationes applicantes virtutem, & rationem exiſtendi in loco. ¶Adde etiam quod neque iudicium practicum, neque voluntas ſunt rationes exiſtendi in loco, quia iſti ſunt actus immanentes in Angelo: & eadem ratio eſſet de illis, & de ſub-

ſtantia

ſtantia ſpiritualis ipſius Angeli: & idcirco cum tam practicum iudicium quam voluntas Angeli, ſint cauſæ applicantis rationem formalem exiſtendi in loco, ſequitur quod Angelus debet eſſe in loco per aliquid aliud tranſiens in materiam exteriorem, quod ex illis ſequitur, & conſequenter per aliquam operationem tranſeuntem. Et cõfirmatur. Quoniam iſta applicatio virtutis eſt cauſa ſine qua non, ergo non poteſt eſſe ratio formalis. Item iſta applicatio virtutis non poteſt intelligi in Angelo, vt ſuperaddita ipſi virtuti quæ eſt actus primus, niſi ſit aliqua actio ipſius Angeli, quia virtuti, & potentiæ Angelicæ plenè conſtitutæ in actu primo, nihil poteſt ſuperaddi niſi actus, vel ergo eſt operatio immanens, vel tranſiens, ſi tranſiens habetur intentum quod non per applicationem virtutis, ſed per operationẽ inde ſequutam, ac proinde ipſa applicatio ſolum erit cauſa ſine qua non eſſendi in loco, & non ratio formalis quam in præſenti quærimus. Si autem dicas quod eſt operatio immanens, ſimiliter militat idem argumentum. Et prætereà vel talis actio immanens eſt practica cognitio effectus cauſandi ab Angelo, vel volitio, & determinatio voluntatis Angelicæ qua vult hic aſsiſtere ad operandum poſtea in tali tempore & occaſione, & ſi hæc vocetur applicatio virtutis, primo per ſe ſumpta præciſe, non poteſt eſſe ratio eſſendi in loco magis quam ipſa ſubſtantia, cum ſit actio omnino immanẽs, & poſsit haberi in quacunque diſtantia à paſſo. Quod ſi aliquando eſſet ratio eſſendi in loco, eſſet ſi ex vi illius ita applicaretur ſubſtantia Angelica huic corpori, vt ſine alia mutatione poſſet operare in illo corpore, & tunc illa voluntas non eſt ratio formalis eſſendi in loco, ſed tãquam efficiens applicans, agens paſſo, ergo benè ſequitur, virtus non eſt ratio exiſtendi in loco, ergo neque applicatio virtutis. Patet conſequentia. Quia bene valet, quantitas non eſt ratio exiſtendi in loco, ergo nec applicatio quantitatis; ſicut neque applicatio ligni ad calefaciendum eſt ratio calefaciendi, ſed cauſa ſine qua non. Quocirca, dicendum eſt quod applicatio virtutis non poteſt eſſe ratio formalis exiſtendi in loco, ſed eſt ratio cur Angelus magis ſit in hoc loco, quam in alio. Nam & in rebus corporeis præter quantitatem, quæ eſt ratio ſemper exiſtendi in loco, reperitur applicatio quantitatis ad locum, vt ſit magis in hoc loco, quam in illo. Tandem applicatio virtutis ad locum præſupponitur adeſſe in loco, ergo non poteſt eſſe ratio formalis exiſtendi in loco in Angelo.

¶Secundam partem ſuæ ſententiæ probãt, ſcilicet, quod operatio tranſiens Angeli, eſt ratio exiſtendi in loco. Primò. Angelus tantum eſt localiter vbi aliquid operatur operatione tranſeunte, ergo operatio tranſiens eſt illi ratio exiſtendi in loco. Antecedens eſt D. Thom. 1. par. quæſt. 8. vbi docuit Deum eſſe vbique, quia vbique per ſeipſum operatur: & quæſt. 52. art. 2. tantũ hoc differre Angelum (dixit) à Deo quod Angelus loco definitur, Deus autem non. Idem tenet Ferrara 3. contra gentes, ca. 68. & fauent Capreolus, & Soncin. & Caietan. inquit eius opinionem eſſe, & à mente Sancti Thomæ, & à veritate alienam: tum quia S. Thom. in quodlibeto. 1. quæſt. 2. art. 1. ad primũ expreſsè docet, quod ſicut prius natura eſt Angelum operari circa locum, quam quod ſit in loco diffinitiuè: & infrà quæſt. 113. art. 3. ad ſextum, inquit, quod quamuis Angelus deſeret cuſtoditum loco: non tamen deſerit quantum ad cuſtodiam quia etiam dum eſt in cælo videt quæ circa ipſum aguntur, neque indiget mora temporis ad motum localem, ſed ſtatim adeſſe poteſt. Item perſuadetur, nam ſi ratio exiſtendi in loco in Angelo non eſſet actualis operatio & propria erga locum, ſed ſolum applicatio virtutis, & contactus ad locũ, nulla videtur repugnantia eſſe, quominus plures Angeli poſſent eſſe in eodem loco, quod eſt apertè falſum, & contra D. Thom. art. 3. ſequenti. Et probatur ſequela: quia ſi Angelus non eſſet in loco ratione operationis propriè, ſed ſolum ex applicatione virtutis, & contactus ad locum, tunc quidẽ nullus eſſet effectus qui dependere non poſſet à duobus cauſis totalibus. Nam hæc videtur eſſe tota repugnantia quam inſinuat D. Thom. in artic. citato. Neque valet dicere quod eſt ſuperfluum duos Angelos applicare virtutem ſuam ad eundem locum ſi non poſſunt ſimul operari, licet quilibet illorũ poſsit facere eandem operationem. Primò, quia diuerſa ratio eſt dicere quod eſt ſuperfluum, & diuerſa quod non eſt poſsibile. Secundò, quia contingit quod duo Angeli aſsiſtant vni perſonæ: alter tanquam perſonæ particulari, & alter tanquam perſonæ

publicæ,

publicæ, & conſequenter non erit ſuperfluum quod vterque applicet virtutem ſuã ad locum vbi homo ille exiſtit, vt operetur quando opus fuerit.

¶ Vltimo probatur pars ex ſufficienti partium enumeratione. Nam ratio exiſtendi in loco non poteſt eſſe non operatio, quia Angelus aliquando eſt in maiori, aliquando in minori loco, ſed facere maiorem, vel minorem operationem in poteſtate Angeli, poſitum eſt non ſolum intenſiuè, ſed etiam extenſiuè ſemper ſiſtendo intra latitudinẽ ſuæ virtutis, ergo.

¶ Fundamentum igitur huius ſententiæ eſt quod cum Angelus non ſit in loco propriè, ſed metaphoricæ, vt dictum eſt quæſt. 1. huius articuli, ad hoc vt ſubſtantia Angelica ſit in loco, non oportet rationem formalem exiſtendi in loco, ei formaliter inhærere, ſicut inhæret quantitas ſubſtantiæ materiali, ſed ſatis eſt quod in ipſa ſit relatio præſentiæ aut indiſtantiæ reſpectu loci, quæ neceſſario reſultat ex operatione immediata in locum, tanquam ex fundamento proximo, non realiter diſtincta à ratione exiſtendi in loco, quia idem eſt fundamentum vtriuſque, ſcilicet, operatio tranſiens & idem ſubiectum, diſtinguuntur tamen ratione, ſicut etiam quantitas ſola ratione diſtinguitur à relatione præſentiæ, qua dicitur eſſe in loco circumſcriptiuè. Neque eſt inconueniens quod operatio tranſiens non ſit in operante ſed in paſſo, & per conſequens quod ratio exiſtendi in loco non ſit in Angelo, quia quanuis ratio exiſtendi in loco debeat eſſe in locato circumſcriptiuè, non tamen in locato diffinitiuè, ſed ſatis eſt in ipſo eſſe relationem præſentiæ, aut indiſtantiæ reſpectu loci.

Sententia Doctoris. ¶ Vltima ſententia eſt Doctoris, vt patet in litera, & omnium Scotiſtarum, quam defendit Ricardus in 1. diſt. 37. circa ſecundũ principale, quæſt. 1. Gregor. in 2. diſtin. 2. quæſt. 2. art. 2. Gabriel ibidem concluſ. 4. & Henricus quodlib. 2. quæſt. 9. quãuis addat conuenire hoc ſubſtantiæ Angeli, quatenus habet limitationem quandam in ordine ad locum.

Notab. 1. ¶ Pro explicatione tamen huius ſententiæ, & totius quæſtionis eſt primò notandum, quod quando in præſentiarum quærimus de ratione formali, quare Angelus ſit hic, & non alibi, duo includuntur in hac quæſtione. Primum eſt, quare Angelus habeat hunc locum & hoc vbi. Secundum eſt quare Angelus ſit in loco, & habeat vbi, & ratio huius eſt, quia ab alio habet Angelus quod ſit in loco & habeat vbi, & ab alio quod ſit in hoc loco, & habeat hoc vbi, quia certiſsimum eſt Angelum eſſe in loco & habere vbi, hoc enim nullus ſanæ mentis ignorat, ſcilicet, quod Angelus ſit hic, & non alibi: at vero quãtus ſit locus Angeli, & quare magis ſit, hic, quam ibi, & quare in tanto loco vel ſpatio, & non in maiori, vel minori, hoc eſt quod in præſentiarum quæritur.

¶ Secundò eſt notandum (quòd fundamentum huius quæſtionis eſt) ſimpliciter & abſolutè concedendum eſſe quod ſi Angelus exiſtit in rerum natura propriè conuenire illi eſſe præſentem realiter, & vnitum alicui loco, vel vbi. Pro eodem enim accipimus hic locum, & vbi. Et ratio huius eſt, quia talis præſentialitas realis, vel vnio, nihil aliud eſt quam quidam reſpectus de prędicamento vbi, fundatus in ipſa Angeli ſubſtantia, & terminatus ad ſpatium reale quãdo Angelus habet propriè vbi, vel ad ſpatium imaginarium quando non propriè habet vbi. Nam Angelus (ſuppoſito quod exiſtat, ex propria natura) habet quod exiſtat intra vel extra vniuerſum, ſi intra iam ex propria natura habet fundamentum ad fundandum præſentialitatem illam realem, & vnionem ad ſpatium reale, quæ vnio, vt dicit Doctor in hac quæſt. in ſolutione ad ſecundum principale, non eſt vnio materiæ, & formæ, ſed locati ad locum quæ vnio explicatur per hoc quod Angelus contentus, ſiue vnitus eſt infra hanc ſuperficiem continentem, & nihil eius eſt extra. Si autem Angelus eſt extra vniuerſum, iam Angelus habet ex natura propria vnde fundet relationem præſentialitatis ad ſpatium imaginarium, ergo quomodocunque Angelus cõſideretur, ſemper habet quod ſecundùm ſuam ſubſtantiam ſit vnitus, & realiter præſens alicui ſpatio vero, vel imaginario. Ad hoc eſt exemplum. Nam quemadmodum natura immaterialis ex propria conditiõne habet ſecundùm ſuam durationem tempori coexiſtere, ita, & ſecundùm ſuam ſubſtantiam eſſe præſentem, & vniri loco, aut ſpatio. Ratio huius eſt, quia non magis abſtrahit ſubſtantia immaterialis à loco quam à tempore, & per conſequens ſi eſt impoſsibile quod Angelus exiſtat, & non coexiſtat alicui tempori vero, vel imaginario, ita & im-

Not. 2. & eſt fundamentũ huius quæſt.

& impoſsibile eſt, quod exiſtat, & non coexiſtat alicui ſpatio vero, vel imaginario. Neque obſtat quod Angelus ſecũdùm ſuã naturam (quia omnino incorporeus & immaterialis eſt) ſicut abſtrahit ab omni corpore, ita debet abſtrahere ab omni loco corporeo. Reſpondetur enim quod Angelus duplici decauſa dicitur abſtrahere à loco corporeo. Prima eſt, quam docet Doctor in quæſt. lit. O. ſcilicet, quòd non eſt in aliquo loco naturaliter, quia tunc eſſet in aliquo loco violenter, & ſic abſtrahit à quocunque loco determinatè ſumpto. Et ſecundò, quia abſtrahit à modo quo res corporeæ dicuntur eſſe in loco, ſcilicet, vt dependentes aliquo modo ab eo, ſaltem vt à menſura extrinſeca. Cum hoc tamen ſtat quod Angelus neceſſario ſit in loco vero, vel imaginario, ſicut neceſſario eſt in tempore vero, vel imaginario.

Notab. 3. ¶Tertiò eſt notandum, quòd Angelus vt docet Doctor in litera, & paulo infra, habet ex natura ſua potentiam paſsiuam, ratione cuius poteſt eſſe in loco. Vnde ad hoc quod Angelus ſit in loco, vltra eſſentiam Angeli requiritur ipſe locus verus, vel imaginarius, & relatio præſentialitatis quę extrinſeca eſt ipſi naturæ Angelicæ, intrinſeca vero ipſi naturæ Angelicæ prout in loco. Requiritur etiam aliquid per modum cauſæ efficientis, ſcilicet, virtus motiua ipſius Angeli, ſiue virtus motiua alterius. Denique omne determinans Angelum efficiẽter ad exiſtendum in hoc, vel in illo loco, ſiue ſit Deus, ſiue ſit alius Angelus, ſiue ipſemet Angelus. Quod etiam contingit in corporibus: quæ quanuis habeant intrinſecam quantitatem, ratione cuius habent proximum fundamentum ad exiſtendum in loco propriè, quia commenſuratiuè, ſitualiter, & vt contenta loco, requirunt tamen cauſam efficientem, quia non ſunt efficienter in loco determinato hoc, vel illo niſi à cauſa ponente illa in hoc, vel illo loco.

Notab. 4. ¶Vltimò eſt notandum, quòd illud, ratione cuius Angelus dicitur præſens loco, eſt ratio proxima fundamentalis reſpectu præſentialitatis realis quam habet Angelus ad locum, vel vbi, & hoc in omni opinione, quod ſi talis ratio fuerit operatio trãſiens, vel applicatio virtutis, an vero ipſa ſubſtantia Angeli, ipſa erit formalis ratio quã quærimus in præſentiarum, ratione cuius Angelus eſt in loco.

¶Prima concluſio. Angelus non eſt formaliter in loco per operationem tranſeuntẽ. *Prima cõclusio.* Hæc concluſio eſt Doctoris quam etiã defendit Caiet. & probatur argumento Durandi in. 1. diſt. 37. quæſt. 1. operatio tranſiens nõ eſt formaliter in agente ſed in paſſo (iuxta illorum ſententiam) ergo non poteſt eſſe fundamentum præſentialitatis Angeli ad locum. Probatur ſequela. Relatio, & fundamentum debent eſſe in eodem ſubiecto, ſed relatio præſentialitatis Angeli ad locum, eſt in Angelo, ergo fundamentum illius præſentialitatis eſt in Angelo, & per conſequens cum operatio tranſiens Angeli non ſit in Angelo, non poterit eſſe ratio fundamentalis illius. ¶Ad hoc argumentũ *Reſponſ.* reſpondent Autores penultimæ ſententiæ negando maiorem, ſi vniuerſaliter intelligatur tam de his quæ ſunt propriè in loco, quam de his quæ ſunt abuſiuè, & metaphoricè in loco. Vnde ad hoc quod ſubſtantia Angelica ſit in loco, non oportet rationem formalem exiſtendi in loco formaliter inhærere, ſicut inhæret quantitas rei materiali, ſed ſatis eſt in ipſa eſſe relationem præſentiæ, aut indiſtantiæ reſpectu loci. Hæc autem neceſſario reſultat ex operatione immediata in locum tãquam ex fundamento proximo. Hæc autem ſolutio facilè impugnatur. *Impugnatio.* Primò, quia operatio ſequitur vnionem & præſentialitatem Angeli ad locum, ergo præſentialitas non poteſt fundari in operatione. Secundò, ſi præcedens ſolutio eſt vera, ergo verum eſt quod relatio & fundamentum non ſunt in eodem ſubiecto, hoc autem alienum eſt à vera metaphyſica. Tertiò, quia Angelus eſt ſubiectum huius relationis, ſcilicet, præſentialitatis ad locum, ergo in ſe habet aliquid ratione cuius inſit illi talis relatio, ſed non poteſt poni operatio, quia tranſacta operatione, manet Angelus ibi ſicuti antea, ergo ratione operationis non conuenit Angelo talis præſentialitas. Quod ſi reſpõdeas quod manet ibi, & in illo loco, non tamen ſicut in loco, ſicuti ſi ab aqua ſeparetur, quantitas non diceretur eſſe præſens alicui localiter, neque alicubi videri localiter, quia quod non eſt nõ ſcitur, & ita ſicut ibi non eſt in loco, ablata quantitate, ita non poteſt videri in loco, ob id quod in tali aqua, iam non eſt ratio exiſtendi in loco. Contra in eodem exemplo. Si ab aqua ſeparemus quantitatem, quanuis non eſſet in loco circumſcriptiue, eſſet tamen

men diffinitiuè,& nõ ratione alicuius operationis, ſed per ſuam ſubſtantiam, ergo & in Angelo.¶Ad hoc reſpõdent Autores penultimæ ſententiæ in ſolutione ad primum principale, quod talis ſubſtantia ſpoliata ab omni quantitate non maneret realiter in loco, & quod, rem quandam eſſe in loco diffinitiuè, non eſt alius modus à modo exiſtendi circunſcriptiuè, ſed ita ſe habet ad illum ſicut animal ad hominẽ: ſicut in ablato rationali aufertur homo, & animal quod eſt homo, ita ablata quantitate à re materiali aufertur modus exiſtendi in loco circunſcriptiuè,& diffinitiuè.¶Cõtra. Ablato rationali ab animali quod uis auferatur homo & animal, quod eſt homo, non tamen aufertur animal quod fuit homo, ergo ablata quantitate quanuis auferatur modus exiſtendi in loco circunſcriptiuè, & diffinitiuè, ſcilicet, incluſum in modum exiſtendi circunſcriptiuè, non tamen aufertur modus exiſtendi diffinitiuè, qui cõſequitur ad ipſam ſubſtantiam aquæ. Et ratio diſcriminis eſt, quia antea aqua & ſubſtantia materialis erat in loco ratione quantitatis, & ſic commẽſurabatur loco, quia quãtitas commenſurabatur loco, at vero ſublata quantitate ſubſtantia per ſeipſam habet reſpectũ ad locum determinatum, & ratione illius definitur tanto, & tali loco.¶Ad hoc reſpõdent prædicti, quòd reſpectus ad rationem formalem exiſtendi in loco nõ ſtatuit rem in loco, nam ſi ſit ad quantitatem non facit rem illam eſſe circunſcriptiuè in loco quouſque adſit quantitas, & ſi ſit ad operationem, non facit rem eſſe in loco diffinitiuè quouſque adſit operatio.¶Contra. Si ſeparetur ſubſtantia à quantitate per Dei potentiam, quantum ad informationem, & ſuſtentationem (ideſt quod accidens non informet ſubſtantiã, & ſubſtantia nõ ſuſtentet quantitatẽ) maneāt tamẽ tam ſubſtãtia, quã quantitas in eodẽ vbi reali, tunc verũ eſt, quod ſubſtantia eſt ibi ſicut in loco diffinitiuè, ſicut & quãtitas non habens modũ quantitatiuum, & nõ per ordinẽ ad quantitatem, ergo ſubſtãtia per reſpectum quem dicit ad locum, & nõ per ordinem quẽ dicit ad quantitatem eſt in loco diffinitiuè.

2. Ratio. ¶Secundò. Angelum eſſe in loco præſupponitur ad operari in loco, ergo Angelus non eſt in loco per operationem. Antecedens probatur. Quia prius eſt Angelum eſſe in loco, quam in loco operari, tum ex Ariſtot. agens & paſſum debeant eſſe ſimul ante operationem, ergo.¶Ad hoc argumẽtum reſpondent Autores contrariæ ſententiæ dicentes, quod Angelus ex eo eſt in loco quia operatur in loco, vnde Angelus cũ incipit operari in loco per eandem operationem, tanquam per rationem eſſendi in loco ſe conſtituit in loco. Vnde quãuis Angelus prius ſit, quam operetur in loco, non tamen prius eſt in loco, quam operetur in loco. Sicut v.g. prius natura eſt res corporea quam contingat ſuperficiem corporis continentis, & tamen non eſt prius eſſe in loco, quã cõtingere ſuperficiẽ corporis continentis, quia hoc vltimum eſt ratio illius. Similiter prius concipimus Deum eſſe quam Deum operari ad extra, vel eſſe in creatura, & tamen non eſt prius Deum eſſe in creatura quam operari in creatura. Imo vero prius natura operatur in creatura quam ſit in illa. Et ad illud quod agens & paſſum debent eſſe ſimul reſpondetur, quod quanuis non dicamus Angelum prius natura eſſe in loco quam operetur in illo, propoſitio Ariſtotel. eſt vera vniuerſaliter etiam de ſpiritibus intellecta, & ab omni nugatione aliena ſicut in corporibus, ſed proportionaliter, quia in corporibus argumentũ tenet à priori, in ſpiritualibus autẽ à poſteriori. Nã ſi ſpiritus agit in corpus, ſequitur neceſſario ſimul eſſe cũ illo. Vnde licet quãtitas ſit ratio exiſtẽdi in loco corpori nõ eſt nugatoria propoſitio quę dicit omne quãtũ oportet eſſe in loco, quia cõcludit effectum formalem ex ſua ratione formali. *Reſpõſio.*

Impugnatio. ¶Iſta tamen ſolutio ſi benè inſpiciatur non reſpondet argumẽto, neque exempla ſunt ad propoſitum. Quare primò ſic argumentor contra eam. Angelus eſt hic, vt in loco, & vt in proprio vbi, & ita eſt præſens hic, & vnitus iſti loco, quod non ſit præſens, neque vnitus alteri loco, ſed talis præſentialitas & vnio praecedit operationem Angeli in hoc loco, ergo per operationem nõ eſt in hoc loco tanquam per rationẽ formalẽ exiſtendi in loco. Antecedẽs probatur, quia eſſe in loco præciſè, vt diſtinguitur contra eſſe in loco circunſcriptiuè, & diffinitiuè, nihil aliud eſt quam reſpectus quidam in Angelo ad ipſum locũ. Minor autem probatur. Talis relatio, vel reſpectus antecedit ipſam operationem Angeli, quia ſiue Angelus operetur, ſiue non operetur ſemper manet idẽ reſpectus eodẽ

N modo,

modo, quia ſemper manet Angelus eadem præſentialitate præſens ad iſtum locum, & eadem diſtantia diſtans ab alio quocunque loco, quam antea habebat, ergo talis reſpectus præſentialitatis, & diſtantiæ nō poteſt cōpetere Angelo ratione operationis. Probatut conſequentia. Diſtantia qua Angelus diſtat ab omni alio loco in quo non operatur, non conuenit illi ratione operationis, quia ſiue operetur hic, ſiue non, eodem modo diſtat ab omni alio loco in quo non eſt, quia ſi Angelus exiſtat in hac cella non operans, ita diſtat à cælo & à quocunque alio loco à quo diſtat iſta cella, ſicuti & iſta cella diſtat, ergo ſi talis diſtantia competit Angelo in ordine ad quemcunque locum ſecluſa quacunque operatione, ergo & præſentialitas ad iſtam cellam conueniet Angelo, & non propter operationem. Quod ſi reſpondeas (vt Thomiſtæ videntur reſpondere,) quod Angelus in loco in quo non operatur ita eſt ſicuti corpus in vacuo, quod eſt ibi & non tanquam in loco. Contra. Aliter ſe habet Angelus exiſtens in loco reali, etiam non operans, quam exiſtens in loco imaginario, ſiue in vacuo, vel extra cælum, ſed exiſtens in vacuo eſt ibi vt in non loco, ergo exiſtens in loco reali erit ibi vt in loco. Probatur ſequela, quia exiſtens in loco reali habet fundamentum reale, & terminum realem aptum natum fundare reſpectū realem præſentialitatis, quod non habet exiſtens in vacuo, ergo. ¶Neque exempla quę adducunt ad impugnandum illam rationē (ſcilicet, quod agens, & paſſum debent eſſe ſimul) aliquid valent, quia vel immediatio agentis ad paſſum præcedit operationem, vel ſubſequitur eam, & eſt ab ea vt à ratione formali: ſi primum ergo operatio nō eſt ratio formalis illius immediationis, & ex conſequenti, neque Angelus, neque aliud agens habebit quod ſit vnitum, aut immediatum paſſo à ſua operatione, tanquam à ſua ratione formali, ſi ſecūdùm: ergo quodcunque agens eſſet immediatè vnitū paſſo in quo reciperetur ſua actio. Quod ſi reſpōdeas quod quanuis ex vnione actionis ad paſſum nō poſsit ſemper colligi vnio agentis ad idē paſſum bene tamen poteſt colligi de agente immediato. Contra, immediatio agētis ad paſſum ſequitur operationē agentis, ergo ex illa immediatione nō bene redditur ratio diſcriminis propter quod in quibuſdā agentibus, poſsit colligi vnio ipſorū ad paſſum ex vnione actionis. Quod ſi reſpondeas immediationem illā priorem eſſe operatione, ſaltim ordine naturæ: cæterum nomine immediationis, non intelligi propinquitarem ſitus, aut loci, ſed immediationem virtutis, ſeu ordinis intra agēs, & paſſum, aut inter mobile, & motiuum: & vbi abeſt hæc immediatio bene, poſſe colligi immediationem, ſeu propinquitatē ad locū ex operatione, tanquam ex ratione formali. Contra. Si vt operatio reciperetur in paſſo, nō fuit neceſſaria propinquitas ſecundùm locū intra agens, & paſſum, ſine ratione dicitur quod poſtea cōueniat agenti huiuſmodi propinquitas ad paſſum, quia nulla eſt ratio neceſsitatis, quæ eam exigat: cū huiuſmodi propinquitas inter agēs, & paſſum ſolum videatur neceſſaria ad hoc quod actio procedat ab agente in paſſum. Tum etiam, quia aut per immediarionem ordinis, intelligitur immediatio ſitus, aut loci, aut ſolum proportio agētis ad paſſum, hoc eſt quod paſſum ſubdatur actiuitati agentis: primum dici non poteſt, vt conſtat ex ſolutione, & ex argumento propoſito. Neque ſecundùm quia multa ſunt agentia quorum actiuitati ſubditur paſſum, & tamen quanuis agant in paſſum, nō fiunt ei immediata ſecundùm ſuam ſubſtantiam ratione actionis, aut cuiuſcūque alterius rei, vt Sol agit in viſceribus terrę, & tn̄ non eſt ibi ſecundùm ſuam ſubſtantiam. ¶Confirmatur. Quia virtus actiua, & totum id quod requiritur ex parte ipſius ad agendū, præſupponitur actioni, & non eſt ſecundùm illam rationem effectus talis actionis, ſed immediatio ad locum eſt conditio requiſita ex parte Angeli vt agat tanquam agens immediatum, ergo pręſupponitur huiuſmodi immediatio ad actionem, & ex conſequenti non eſt eius effectus, neque conuenit Angelo ratione ipſius. Probatur minor, quia ſicut ad actionem abſolutè ſumptam requiritur debita approximatio agentis ad paſſum per ordinem ad ſpatium, ita ad actionem immediatam requiritur immediata vnio, imo hęc vnio eſt approximatio, quæ requiritur ad actionem immediatam agentis ad paſſum, ergo ſicut approximatio eſt conditio præreequiſita ad actionem, ita etiam vnio immediata eſt conditio prærequiſita ad actionē immediatam. Neque poteſt reſponderi diſtinctione ſupra poſita immediationis ordinis, & loci, quoniā ibidem eſt impugnata.

¶Et

¶Et præterea: quia approximatio requiſita ad actionem abſolutè ſumptam, intelligitur ex omnium ſententia per ordinem ad locum. ¶Quod ſi reſpondeas (vt reſpōdent nonnulli ad hæc omnia) approximationem per ordinem ad ſpatium ſolum requiri in agentibus corporeis, in ſpiritualibus vero ſufficere immediationem ordinis. Iſta ſolutio nihil valet, quia nulla poteſt aſsignari ratio ſufficiens huius diſcriminis. Nā quod in corporibus ſit neceſſaria prædicta approximatio, prouenit ex eo quod virtus actiua ipſorum eſt limitata & finitā, & ideo habēt ſpheram ſuæ actiuitatis limitatam ex parte ſpatij, cuius manifeſtum ſignum eſt, quod iuſta quantitatem intenſiuam prædictæ virtutis, eſt maior aut minor ſphera ſuę actiuitatis per ordinem ad ſpatium, ſed ſimiliter virtus actiua Angeli eſt limitata & finita, ergo etiam habet ſpheram ſuæ actiuitatis limitatam ex parte ſpatij, & ex conſequenti etiam Angelus eget approximatione locali, vt poſsit agere in aliquod paſſum. ¶Quod ſi dicas immediationem illam priorem eſſe operatione ſaltim ordine naturæ ad tollendum impedimentum diſtantiæ localis. Quare ibi tantum erit neceſſarium quod præſupponatur actioni vbi non potuerit ſine illa tolli huiuſmodi impedimentum, & ideo in agentibus corporeis neceſſarium eſt quod præſupponatur; quia cū ſemper debeant eſſe in aliquo loco quantitatis, ſi diſtent à paſſo non poſſunt fieri indiſtantia negatiuè quod eſt ſolum impedimentum diſtantiæ, niſi collocentur in loco propinquiori, & ex conſequenti fiant proximiora localiter, ſed in Angelo benè poteſt tolli impedimentum ſine approximatione locali quoniam non eſt determinatus ad exiſtendum ſemper in loco, ſed poteſt eſſe nullibi, tanquam in loco, aut ſpatio, & ideo quantumcunque ſit diſtans ab aliquo paſſo, poteſt fieri indiſtans negatiuè per hoc quod ſit nullibi, quanuis non fiat propinquior localiter, & ex conſequenti ſufficiet ex parte Angeli quod ſupponatur approximatio ordinis cum negatiua indiſtantia locali. Iſta tamen ſolutio quæ videtur omniū probabilior tria continet quæ falſa ſunt. Primum eſt poſſe Angelum eſſe nullibi tanquam in loco, aut ſpatio, quāuis realiter ſit in aliquo ſpatio. Secundum ſufficere indiſtantiam localem negatiuam inter agens & paſſum, vt agens ſit ſufficienter approximatum ad agendum, quod falſum eſſe patet ex eo, quia ſtante illa indiſtantia negatiua, manet agens æquè indifferens ad operandum per ſpatium aliquod intermedium & ſine illo, ergo illa indiſtantia non eſt ſufficiens approximatio ad agendum. Patet cōſequentia, quia impoſsibile eſt quod idem agens reſpectu eiuſdem paſsi ſit approximatum ad agendum, eadem actione ſine medio, & interpoſito aliquo medio, ergo & quod eadē diſtantia ſit agenti ratio operandi, vt approximatū vtroque modo. Antecedens vero probatur: quia indiſtantia negatiua neq; includit, neq; excludit mediū inter agēs & paſſum, ſed abſtrahit ab vtroque vt cōſtat. Præterea: per approximationē præ requiſitā per modū cōditionis ad actionē, intelligūt eſſe verā aſsiſtentiam, & vnionē agentis ad paſſum, ſed nihil tale eſt illa indiſtantia negatiua, quoniā ratione ipſius non magis eſt agens præſens & vnitum paſſo, quam abſens ab eo, cum ipſa non magis ſit vnio quam diſtantia, ſed ita poſſet appellari non vnio negatiuè, ſicut appellatur indiſtantia negatiua, ergo. Confirmatur, quia ratione indiſtantiæ negatiuæ præciſè, nihil aliud habet Angelus, quam ſi non exiſteret in rerum natura: ſolū enim habet potentiam ad operandum: exiſtētem ergo indiſtantia negatiua, nō habet approximationem prærequiſitā ad agendum per modum conditionis. Patet conſequentia, quia per hanc approximationē præciſè ſumptā, aliquid intelligūt omnes præter id quod conueniret Angelo ſi nō exiſterer. Secundum etiā falſum eſt, ſcilicet, Angelum ratione huius indiſtantiæ negatiuæ eſſe ſufficienter approximatum ad agendū in quocūq; alio, hoc autem falſum eſt, quia poſſunt eſſe duo loca ita diſtantia vt excedant ſpherā actiuitatis alicuius Angeli, ergo impoſsibile eſt quod talis Angelus habeat aliquam naturalem diſpoſitionem, in qua ſimul ſit ſufficienter approximatus ad operandum, in quocunq; illorū voluerit. Patet conſequentia: quia approximatio præcedens actionē, requirit vt agens habeat paſſum intra ſpherā ſuæ actiuitatis, ſed impoſsibile eſt quod illa duo loca, ita ſint intra ſpheram actiuitatis illius Angeli ſimul, ergo etiam eſt impoſsibile quod ipſe Angelus ſimul ſit ſufficienter approximatus antecedenter ad actionem. ¶Item ſi per impoſsibile Angelus eſſet agens naturale, & non libe-

rum, ita vt ageret ex neceſsitate naturæ, cũ ab omni loco ſit æquè indiſtans, & ex conſequenti omnibus locis approximatus, vel operaretur in omni loco immediatè, & ita eſſet vbique, quod creaturæ repugnet, vel in nullo loco, quia non eſſet maior ratio cur in hoc loco, quam in alio, quod etiam ſine ratione diceretur, quia poſito agente naturali ſufficienter approximato, & non impedito naturaliter & neceſſario ſequitur actio. ¶Tandem contra totam illam ſolutionem arguitur, quia ſaltim ſequitur quòd cum Angelus eſt in aliquo loco, & vult operari in alio qui ſit extra ſpheram ſuæ actiuitatis, neceſſum erit quod ei approximetur, localiter prius ordine naturæ, quam in eo operetur ſi nolit ſe prius conſtituere nullibi, quia in eo caſu non poterit tolli impedimentum diſtantiæ localis, niſi facta approximatione locali, atque adeo non erit Angelus tunc in illo loco determinato ratione operationis.

Tertia ratio. ¶Tertiò probatur concluſio. Si Angelus eſt in loco per operationem, & nõ per ſubſtantiam ſuam, ſequeretur quod Angelus mouens cælum eſſet in toto cælo moto ab eo, imo ſequeretur quod Angelus qui mouet primum cælum, & ſimul cum eo rapit omnes orbes eſſet in omnibus illis localiter, & ex hoc ſequeretur quod plures Angeli in eodem loco adæquato. Ad hoc reſpondent autores cõtrariæ ſententiæ, quòd non oportet quod ſi aliquis Angelus mouet cælum quod ſit vbique primo, quia nõ applicatur virtus eius, niſi ad id quod primo ab ipſo mouetur, vna autem pars cæli eſt in qua primo eſt motus, ſcilicet, pars orientis: & fauet Ariſt. 8. Phyſic. text. 84. dicens virtutem motorum cælorum attribui parti orientis. Secundò, quia Philoſophi non dicunt quod vna ſubſtantia ſeparata moueat omnes orbes immediatè, quocirca quando dicitur ſecundùm ſententiã D. Tho. operationẽ eſſe rationem exiſtẽdi in loco Angelo, id intelligitur de operatione immediata, nõ tamen de ea quã exercet mediante aliquo corpore. Intelligentia enim mouens cælum mediante cælo & eius influentia operatur in viſceribus terræ, & tamen nõ eſt ibi ſed tantũ in cælo vbi operatur immediatè. Tandem, Angelus mouens cælũ eſt in toto illo ſpatio aut corpore cui applicatur immediatè per ſuam virtutẽ, & id correſpõdet ei, vt vnus locus. ¶Iſta tamẽ ſolutio quantũ ad primum nõ reſpondet argumento. Primo, quia Angelus exiſtens in oriente mouet totũ cælum, & tamẽ ipſe nõ eſt in toto cælo ſed tantũ in oriente, ergo ratio formalis exiſtendi in loco nõ eſt operatio. Probo conſequentiam. Ratio formalis quare ſit in tanto loco nõ eſt tãta operatio, quia exiſtens ipſe in oriẽte extendit ſuam operationem per totũ cælũ, ergo nec ratio formalis exiſtẽdi in loco nõ erit operatio. Patet ſequela à ſimili, quia ſicut quãtitas eſt corpori ratio exiſtendi in loco, ita tãta quãtitas eſt ratio exiſtẽdi in tanto loco. ¶Præterea. Angelus poteſt intra ſpherã ſuæ actiuitatis agere ad maiorẽ & minorẽ diſtantiã, ergo de illo poteſt verificari quod ſtãte in tãto loco, nõ ſtet in tanto loco. Probatur ſequela. Sit v. g. ſphera actiuitatis Angeli tota iſta ciuitas & operetur in illa, quæro, poterit ne agere peculiariter in angulo iſtius ciuitatis abſque hoc quod moueatur à ſuo priori loco, ſi ſic: ergo exiſtens in tãto ſpatio ſimul eſt in minori. Probatur ſequela. Nã Angelus eſt in loco per operationẽ, ſed iſta peculiaris actio requirit tantum ſpatiũ, & nõ maius, ergo ſi Angelus eſt per operationẽ in loco, erit in tãto loco quãtũ requirit talis peculiaris operatio, ſed ex hypotheſi eſt in tota iſta ciuitate, ergo ſimul erit in tãto loco, & non in tãto loco. ¶Cõfirm. Quia ex prædicta ſolutione ſequeretur quod Angelus nõ poteſt habere duplicẽ operationẽ diſtinctam & ſimul, intra ſpherã ſuæ actiuitatis. Et præterea, quod Angelus intra ſpherã ſuæ actiuitatis nõ poſsit agere, hic, & ibi ſine mutatione locali, ergo.

Quarta ratio. ¶Quartò. Si Angelus eſſet in loco per operationẽ ſuę virtutis, ergo eſt in loco per ſuã ſubſtantiã. Patet ſequela, quia actio eſt intrinſeca ipſi agẽti, cũ actio, vt actio eſt, non ſit formaliter in paſſo ſed in agẽte, vt & Caiet. ipſe cõcedit. Si autẽ reſpõdeas, quod nõ eſt in loco per actionẽ quæ eſt in agẽte, ſed per illud quod operatur ab Angelo in paſſo, ergo ſicut operatum ab Angelo eſt circunſcriptiuè in loco, ita & Angelus erit circunſcriptiuè in loco. Patet conſequentia. Quia ex eo ſubſtãtia corporea eſt circũſcriptiuè in loco, quia habet quãtitatẽ, quæ eſt illi ratio exiſtẽdi in loco quæ circunſcribitur loco, ſed operatũ ab Angelo circũſcribitur loco, quia recipitur in ſubiecto quod circũſcribit loco, ergo. Patet ſequela, quia operatio hominis, quatenus dicit rem operatam,

ratam, circumſcribitur loco, quia recipitur in ſubiecto quod circunſcribitur loco. Ad hoc argumentum reſpondent prædicti opinantes negando ſequelam, quia non valet operatio illa eſt commenſuratiuè in loco, ergo & ſubſtantia, neque eſt eadem ratio quæ de ſubſtantia corporea, quia illi ratio formalis eſſendi in loco eſt quantitas quæ eſt commenſuratiuè in loco, quia quantitas extendit partes ſubſtantię corporeæ, & ob id vna pars ſubſtantiæ corporeæ correſpondet alteri parti loci, at operatio Angeli, licèt ſit commenſuratiuè in loco, non tamen extendit partes ſubſtantiæ ſpiritualis imo non habet illas, & idcirco cum ſubſtantia Angeli non extendatur, non commenſurabitur loco. Sed contra hanc ſolutionem ſic inſurgo. Sequitur ex illa quod Angelus nō eſt in tanto vel tanto loco, quia eius operatio eſt in tanto vel tanto loco, & per conſequens non eſt in tota iſta ciuitate, quia in tota iſta ciuitate operatur. Patet ſequela ex eo eius operatio eſt in tota iſta ciuitate, quia tota iſta ciuitas recipit eius operationem, ſed ex eo eſt in loco in hac tota ciuitate, quia in tota illa operatur, ergo ex eo eſt in tota hac ciuitate, quia tota iſta ciuitas recipit ipſum Angelum, & per conſequens ſi operatio Angeli eſt circunſcriptiuè, vel commenſuratiuè, & Angelus erit commenſuratiuè: vel ſaltim erit in tota iſta ciuitate ſicut anima eſt in toto iſto corpore. Hoc autem non eſt dicendum, quia ſequeretur Angelum actualiter non poſſe operari vbi realiter non eſſet ſecundum realem præſentiam, ergo. ¶Vltimò. Quoniā Angelus aut propria virtute, aut diuina, poteſt moueri per vacuum, cum hoc concedatur de corpore, præſertim potentia diuinæ, ſed circa vacuum non poteſt Angelus exercere aliquā operationem tranſeuntem, ergo in illo caſu non erit Angelus præſens alicui loco diffinitiuè per operationem tranſeuntem.

Secunda cōcluſio. ¶Secunda concluſio. Angelus non eſt in loco per aliquam operationem immanētem, neque per applicationem virtutis ſuæ operatiuæ. Hæc concluſio eſt contra Caiet. & probatur primò. Quia ſi Angelus exiſtēs in cælo applicaret ſuam virtutem ad terram, manens in cælo eſſet in terra, ſed hoc eſt falſum, ergo. Confirmatur. Vel illa applicatio eſt actio immanens, vel tranſiens, ſi tranſiens per actionem tranſeuntem non vnitur Angelus loco, vt viſum eſt, ſi autem immanens, minus eſſe poteſt ratio exiſtendi in loco, ergo. Probatur minor. Actio immanens abſtrahit ab omni loco, cū ſit ab agente, & recepta in agente, ergo.

¶Secundo. Applicatio virtutis Angelicæ includit multa ſecūdum ſententiam Caiet. quia ex parte ſubſtantiæ Angeli includit negationem diſtantiæ, ideſt, quod non ſit applicatus alteri loco. Ex parte intellectus cognitionem practicam operis exercendi in tali loco. Ex parte voluntatis electionē talis operis: ex parte vero potentiæ executiuæ, expeditio operis (ideſt) quod potentia non ſit impedita, ſed potius expedita in ordine ad talem operationem, ſed omnia iſta præter indiſtantiam ſubſtantiæ Angeli ſunt extrinſeca reſpectu exiſtendi in loco, ergo tantum illa indiſtantia erit ratio formalis exiſtendi in loco, & per conſequens illud ratione cuius conuenit Angelo talis indiſtantia erit ratio illi exiſtendi in loco, ſed illud non eſt applicatio virtutis operatiuæ, quatenus eſt actio immanens, vel tranſiens, quia etiam ſi Angelus nullam haberet operationem, adhuc haberet prædictam indiſtantiam, ergo. Quod ſi quis reſpondeat, quod talis applicatio virtutis operatiuæ non ſe habet tanquam pura potentia, neque tanquam actio, ſed tanquā habitus quo diſponitur potentia ad operandum, & ſic eſt media inter potentiam, & ſubſtantiam Angeli ex vna parte, & operationem ex alia, & conſequenter non ſolum reſpicit ſubſtantiam Angeli, ſed etiam locum, & ſic talis applicatio non dicitur habere rationē actus tranſeuntis. Contra. Quāuis talis applicatio ſit media inter potentiam, & operationem, non poteſt habere rationem formalis rationis exiſtentiæ Angeli in loco, ergo. Probatur antecedens. Talis applicatio per modum habitus non poteſt fundare vnionē præſentialitatis ad locū, quia prius ordine naturæ intelligitur ſubſtantia Angeli vnita loco, quam applicata. Si autē dicas, quod talis applicatio per modum habitus præſupponitur ad ipſam præſentialitatem, ſicut mouere me ab iſto loco ad illum, præſupponitur ad præſentialitatem reſpectu loci acquiſiti. Cōtra, ergo ſicut mouere me ad illum locum, eſt conditio ſine qua non, & nō ratio formalis, ratione cuius ego ſum præſens loco, ita & applicatio virtutis operatiuæ, erit conditio ſine qua non, & non ratio formalis exiſtēndi in loco.

 ¶Tertiò.

¶Tertiò. Omnes illos actus poteſt Angelus habere, quamuis ſit nullibi tanquam in loco, ergo Angelus ratione illorum non determinatur formaliter ad locum. Antecedens probatur, quia ſi ſit nullibi, vt Caiet. concedit, poſsibile eſt ita permanendo eſſe in potentia propinqua ſufficienti, & expedita ad operandum cum voluerit in aliquo loco.

Tertia conclusio. ¶Tertia concluſio. Ratio formalis exiſtentiæ Angeli in loco eſt reſpectus, vel relatio præſentiæ ad vbi definitiuũ, fundamentalis vero eſt ſubſtantia Angeli, vel potentia paſsiua, qua eſt mobilis ad vbi diffinitiuum. Hæc concluſio eſt Doctor. & omniũ Scotiſtarum. Et probatur quoad primã partem: quia formaliter eſſe in loco, nihil aliud eſt quam eſſe præſentem loco, ſed talis præſentialitas non ponit aliquam entitatẽ abſolutam in Angelo, ergo dicit reſpectum ad vbi, & per conſequens ratio formalis eſſendi in loco diffinitiuo in Angelis erit reſpectus præſentiæ ad locum diffinitiuum.

¶Secunda pars concluſionis probatur. Idẽ eſt fundamentum alicuius reſpectus, & ratio recipiendi ipſum reſpectum, ſed ſubſtãtia Angeli, vel eius potentia paſsiua eſt ratio recipiendi reſpectum præſentialitatis ad vbi, ergo erit fundamentum. Maior eſt manifeſta, quia fundamentum paternitatis ex eo eſt potentia generatiua quia ratione illius generans eſt pater. Minor autem probatur, quia nihil aliud poteſt poni in Angelo quæ ſit ratio recipiendi talem præſentialitatem, præter eius ſubſtantiam, quia non actio immanens, nec tranſiens, nec applicatio virtutis per modum habitus, ergo.

¶Secundò. Animæ ſeparatæ ſunt in loco ratione ſuæ eſſentiæ, ergo & Angeli. Patet ſequela, quia ita ſunt immateriales, & abſtrahunt à loco ſicuti Angeli. Antecedens autẽ probatur, quia animæ ſeparatæ, ex eo quòd ſunt in rerum natura, alicubi ſunt. Confirmatur, quia tam animæ damnatæ quã Angeli exiſtentes in inferno ſunt ibi tanquam in proprio vbi, & tanquam in loco, & tamen ibi nihil operantur, neque habent applicatam ſuam virtutem, neque per modũ actus, neque per modum habitus, quia ſi poſſent, vellent non eſſe ibi, ergo in illis ratio exiſtendi in loco, neque eſt actio, neque applicatio virtutis, ſed tantum eius eſſentia, vel potentia paſsiua, ratione cuius ita ſunt hic alligati, quod non ſunt alibi.

¶Vltimò. Illud eſt in loco diffinitiuè, quod ſi eſt alicubi naturaliter, non poteſt eſſe alibi, ſed Angelus exiſtens vbi nihil operatur, non poteſt eſſe ſimul naturaliter alibi, ergo erat ibi diffinitiuè, & per conſequẽs in loco diffinitiuo. Patet ſequela, quia ſicut eſſe circumſcriptiuè eſt eſſe in loco circumſcriptiuo, ita eſſe diffinitiuè eſt eſſe in loco diffinitiuo. Antecedens autem probatur. Sit caſus quod Archangelus Gabriel finita legatione ad B. Virginẽ, & relicto corpore aſſumpto manſiſſet intra cubiculum Virginis nihil ibi operans, tunc veriſsimũ eſt quod Angelus erat in cubiculo Virginis, ratione ſuæ ſubſtantiæ, ergo. Confirmatur. Quia contraria ſententia damnata eſt Pariſijs tanquam erronea inter errores de Angelo qui ponũtur à Magiſtro ſub ijs verbis verbis. Quod ſubſtantiæ ſeparatæ ſint alicubi per operationem, & nõ poſſunt moueri ad extremo in extremum, neque medium, niſi quia poſſunt vel operari, aut in medio, aut in extremis error, ſi intelligatur ſine operatione ſubſtantiam non eſſe in loco, neque tranſire de loco ad locum. Quod ſi reſpondeas, vt reſpondent nõnulli, quod ille articulus Pariſiẽſis nõ eſt definitio vniuerſalis eccleſiæ, ſed alicuius diœceſis. Hæc tamen ſolutio non ſatisfacit, quia ſatis mihĩ eſt ſi aliqua propoſitio eſt dãnata per totã iſtam vniuerſitatem Salmanticemſem, vt error ad habẽdum illam pro ſuſpecta, quia damnata ſolenniter ab aliqua Vniuerſitate per illuſtri.

Quarta cõclusio. ¶Quarta concluſio. Ratio per modum determinantis efficienter quare Angelus ſit in hoc, vel in illo loco, in tanto aut in tanto loco, eſt virtus ipſius Angeli, vel alicuius agentis extrinſeci, liberè producentis, vel conſtituentis, vel detinentis eum potius in illo loco, quam in alio. Ratio autem formalis eſt ſubſtantia Angeli, prout ſubeſt liberè applicationi ad tantum vel tantum locum factæ ab ipſo Angelo, vel à cauſa extrinſeca in tali loco Angelum conſtituentem. Hæc concluſio quoad vtranque partẽ patet ex dictis, quia iſta cõſtitutio Angeli in locum dicit formaliter ordinem ad libertatem, ergo ad voluntatẽ ipſius Angeli, vel agentis extrinſeci cõſtituẽtis Angelũ in loco: Secunda autẽ pars probatur, quia cõſtituens Angelum in loco conſtituit illum in tanto, vel tanto loco, ſed ſubſtantia Angeli eſt Angelo ratio exiſtendi in loco, ergo ipſa prout

ſa prout ſubeſt liberè applicationi erit ratio quare Angelus ſit in tanto vel in tanto loco. Pro hac concluſione vide quæſtionem ſequentem.

Ad argumenta pro prima ſententia ad primum. ¶Reſpondetur argumentis pro prima ſententia. Ad primum reſpondetur concedendo antecedens, & negando ſequelam, & ad probationem reſpondebitur infra, & ad ſecundam probationem ex Duran. reſpondetur, quòd imo ex eo ipſo quod Angelus eſt in loco per ſuam ſubſtantiam, maxima oritur dubitatio quomodo Angelus ſit in loco, quãuis nullus poſsit dubitari Angelum eſſe alicubi. Quod autem difficultatem habet quomodo Angelus ſit in illo vbi, & quomodo poſsit eſſe in maiori, vel minori loco, & ad ſecundum quod inferunt reſpondetur, nullum eſſe incõueniens quia Angelus exiſtens in loco non occupat locum, & per conſequens nõ eſt inconueniens, quod modo exiſtat in maiori, modo in minori. ¶Ad tertium quod inferunt reſpondetur negando ſequelã, neque ſecundũ Scotum ponitur totus Angelus in toto loco, neque pars in parte, quia ſecundùm Scotum Angelus nõ habet partes. ¶Ad ſecũdam rationẽ deſumptam ex Caiet. reſpondetur, ꝙ ex eo ipſo quod ſubſtantia Angeli eſt aliquid reale, & finitum, eo ipſo eſt alicubi, quia ſecundùm Ariſtot. 4. Phyſic. vbi ait, omne ens alicubi eſt, & ex illo art. Paris, ſupra cit. vbi dicitur Angelum nuſquã eſſe error. ¶Ad ſecundam probationẽ reſpondetur, quòd corpora nõ tantum ſunt in loco diſſinitiuè ſed circunſcriptiuè, & ob hoc indigent quãtitate quã ſi à corporibus ſepares adhuc manebũt corpora in eodem loco, licet non eodẽ modo. Vtrũ Angelus ſemper ſit in loco indiuiſibili, dicemus infra, pro nunc tamen dicimus quod non eſt eadẽ ratio de anima in corpore, & de Angelo in loco, quia anima eſt in corpore vt forma tribuens eſſe, non tamen Angelus. Imo ex ipſa anima ſumitur ratio ad explicandũ modum quo Angelus eſt in loco, cũ abſq; mutatione locali, modo eſt in toto corpore, & modo nõ eſt in aliqua parte illius, quãdo v. g. ex aliqua infirmitate moritur aliqua pars corporis, tunc enim deſinit anima eſſe ibi abſque mutatione locali ipſius animæ, quod non contingit in Angelo, quia Angelus non eſt forma loci, ſed quãuis ſit totus in toto, & totus in qualibet parte loci, idcirco non eſt neceſſe niſi quod totus fiat, aut deſinat eſſe præſens.

QVÆSTIO IIII.

¶*Utrùm ex eo quod ſubſtantia Angeli vnitur loco, reſultet in illa aliqua relatio, vel vbi.*

PRO parte negatiua eſt primũ argumentum, quia ſequeretur quod ex eo quod Deus eſt in hoc loco, reſultat etiam in illo etiã vbi, vel talis relatio. *Primum argum.* Patet ſequela, quia etiam ſubſtantia Dei eſt præſens iſti loco. ¶Secũdò. Vel vbi eſt aliquid *Secundum argum.* abſolutum, diſtinctum aliquo modo à re locata, & à loco in quo eſt, & tunc non poteſt eſſe aliud quam rem locatam contineri loco, vt ex ſe ſatis eſt notum, ſed Angelus nõ continetur loco, ergo cum ſunt in loco, non habent verum vbi. Vel eſt aliquid reſpectiuum, & tunc dandum eſt fundamentum diſtinctum ab ipſa ſubſtãtia Angeli, ſed, nullum datur, vt dictum eſt quæſtione præcedenti, ergo. ¶Tertiò. Ratio formalis, vbi *Tertium argum.* eſt materialis, ergo non reperitur in Angelis. Antecedens patet, quoniam aliàs non poſſet conuenire corporibus, & ſequela eſt manifeſta, nam in ſubiecto immateriali non poteſt reperiri accidens materiale.

Notab. 1. ¶Pro explicatione huius quæſtionis eſt primo notandum inter Thomiſtas, & Scotiſtas nõ ſatis conſtare quid importent ſex vltima prædicamenta, an importẽt aliquid abſolutum, an vero aliquid reſpectiuum, nã Thomiſtæ conſtanter defendunt, nullo modo importare reſpectum, ſed modum quendam poſitiuum, qui non poteſt explicari niſi per ordinem, & reſpectum. Probant autem ſuam ſententiam, quia aliàs ad relationem eſſet per ſe motus, quod eſt contra Philoſophum, neque ſolutio communis (quam affert Scotus de relatione quæ poſito fundamento, & termino, non ſtatim conſurgit neceſſario) aliquid valet, quia quanuis poſito Petro, & columna, non ſemper neceſſe ſit conſurgere relationem præſentiæ, & Petrum eſſe præſentem columnæ: at vero hoc eſt, quia relationis præſentiæ, vel diſtantiæ, Petrus non eſt fundamentum, ſed ſubiectum tantum: fundamentum vero eſt Petrum eſſe hic, vel alibi, quo poſito neceſſe eſt conſurgere relationem præſentiæ, vel diſtantiæ, & in relatione vnionis fundamentum

non eſt res, quæ vnitur, ſed terminus vnitionis (ſcilicet) qui fit per actionē vnientem, itaque homo, qui eſt terminus generationis eſt fundamentum vnionis inter corpus, & animam, non autem anima ipſa, vel corpus. Et eodem modo dicendum eſt in quibuſcunque vnitis, ſiue per ſe, ſiue per accidens vniantur, tamen in omnibus illis eſt terminus vnitionis, qui eſt fundamentum vnionis: repugnat in relatione aliqua (quæ merè ſit relatio) per ſe fieri, ſicut repugnat aliquam eſſe, quæ ſtatim non conſurgat, poſito fundamento, & termino. Nam ſicut dari relationem ſine fundamento, & termino eſt impoſsibile, ita eſt intelligibile, vt poſito fundamento, & termino, non detur relatio. Et ſicut naturaliter fieri nequit, vt per ſe producatur relatio, ſed ſemper ad productionem fundamenti: ita & ſupernaturaliter eſt impoſsibile. Vnde quanuis fateamur, quod Deus poteſt facere terminum generationis, ſcilicet, hominem abſq; generatione, & ita eodem modo poſſet facere Petrum eſſe alicubi, vbi priùs non erat abſque motu locali, ſcilicet, per creationē Petri, vel loci, nunquam tamen intelligi poteſt, quod faciat relationem abſque fundamento, & ita intelligi nequit, quòd faciat immediatum ordinem alicuius rei, ſiue ſpiritualis, ſiue corporalis ad locum, niſi prius facta ratione exiſtendi in loco, in re illa, in re ſcilicet ſpirituali, non niſi facta operatione tranſeunte, in re vero materiali non niſi facta quantitate. Ex quo inferunt nonnulli, repugnare in re ſpirituali, & corporali fieri præſentiam ad plura loca, quia vnumquodque limitatur ad ſuum locum per propriam rationem exiſtendi in illo: quia priuſquam intelligatur, vel operatio tranſiens, vel quantitas, nequit intelligi relatio præſentiæ ad aliquem locum. Si enim Deus crearet ſubſtantiam aliquam abſque quantitate, vel tranſeunte operatione, nulla eſſet ratio intelligendi, cur potius ſubſtantia illa eſſet in vno loco, quam in alio, ſi autem cum quantitate, vel operatione tranſeunte, nulla eſſet ratio intelligendi quod ſimul eſſet in pluribus locis diſparatis, adæquatis.

¶Ac vero, ſecundùm Doctorem ponenda ſunt ſex vltima prædicamenta, non entitates abſolutæ, ſi (vt ipſe docet in 4. diſtinctio ne 13. quæſt. 1. lit. C.) debet ſaluari illa famoſa diuiſio prædicamentorum, quia ſecūdùm Auic. 3. Metaph. cogimur obſeruare illam diuiſionem prædicamentorum famoſam, qua dicuntur eſſe decem generaliſsima, cogimur inquam propter Philoſophorum antiquam autoritatem, cui non debet facile contradici. Vnde paulò infra Doctor ponit duplicem reſpectum, ſcilicet, intrinſecus, & extrinſecus, aduenientem. Intrinſecus, qui neceſſario conſequitur ambo extrema in actu poſita. Extrinſecus autem, qui non conſequitur neceſſario extrema, etiam ambo ſimul in actu poſita.

¶Secundò eſt notandum, quòd eſt maxima differentia inter relationem, & reſpectum, nam relatio eſt reſpectus, non tamē omnis reſpectus eſt relatio. Vnde Doctor loco citato diuidit relationem, ſiue reſpectum in relationem intrinſecus aduenientem, & relationem extrinſecus aduenientē. Illa enim dicitur intrinſecus adueniens, quæ poſito fundamento in aliquo ſubiecto, & omni ab intrinſeco ipſi ſubiecto conuenienti, & poſito termino ſtatim conſurgit ex natura ipſius fundamenti & termini. Illa vero eſt extrinſecus adueniens, quę poſitis fundamento & termino cum omni ſibi ab intrinſeco conuenienti, non ſequitur talis relatio, niſi aliquod extrinſecus adiungatur, & huius generis ſunt ſex vltima prædicamenta. Prædicamentum enim habitus, dicet quis eſſe aliquem modum realem, diſtinctū ab ipſo corpore, & à veſtibus quibus veſtitum eſt? ſed habitus, nihil aliud quam reſpectum quendam inter veſtes, & corpus, qui non conſurgit ex natura corporis, & veſtis, ſed requirit agens diſponens veſtem in corpore, ratione cuius diſpoſitionis dicatur corpus veſtitum: & illa diſpoſitio nihil aliud eſt quā ipſa veſtis cum tali ordine ad corpus. Et idē dicendum eſt, de actione & paſsione, & idē de vbi, & eſſe in loco. *Notab.* 2.

¶Concluſio. In Angelis, ex eo quod eius ſubſtantia vnitur loco, reſultat pręſentialitas ad illum & propriè vbi. Hæc concluſio eſt Doctoris in hac quęſt. in ſolut. ad 2. & ad vltimum, & quæſt. 9. & in 4. diſt. 10. q. 1. infra litera E. & F. & probatur, nam talis reſpectus, & præſentialitas non repugnat Angelo, ergo. Probatur antecedens. Relatio noua non repugnat Angelo in ordine ad corpus, ergo neque in ordine ad locum. Probatur antecedens, quia Angelus diſtinguitur realiter à corpore, & talis diſtinctio eſt relatio realis in Angelo. *Concluſio.*

¶Secun-

¶Secundò. Angelus eſt præſens realiter loco, & non per denominationem extrinſecam, ergo per formam intrinſecam, ſed talis forma eſt præſentialitas ad vbi, ergo. Ex qua probatione infertur quod talis præſentialitas in Angelo tantum eſt reſpectus, & non forma abſoluta, quia ſi eſſet forma abſoluta acquiſita ab Angelo per motum localem, quæ diceretur motus realis, & fundamentum ipſius præſentialitatis, deberet eſſe forma corporea, ſiquidem talis modus etiam ſubſtantiæ corporeæ competit, & cum non ſint multiplicandæ entitates, dicēdum eſt, quod illud, vbi, acquiſitum ab Angelo per motum, non eſt aliquid aliud, quā præſentialitas ipſius Angeli ad illud vbi. Neque illud vbi eſt fundamentum præſentialitatis, ſed eſt ipſa præſentialitas terminata ad iſtum locum, vel vbi, vnde quamuis prius ſit locus vel vbi, quam ſit Angelus in loco, vel vbi, non tamen eſt prius locus Angeli, & vbi Angeli, quam Angelus ſit in loco, vel in vbi, imo prius eſt ſecundum conſiderationem Angelum eſſe in loco, vel vbi, quam illud vbi eſſe locum Angeli.

¶Tertiò. Angelus verè mutatur de loco, ad locum, ergo in Angelo eſt verè reſpectus ad vbi. Antecedens eſt manifeſtum, & probatur ſequela, quia mutatio non contingit ſine mutatione nouæ formæ, ſed illa forma quam acquirit Angelus, non eſt forma abſoluta, ergo erit reſpectiua. Minor iſta probatur, quia non videtur quomodo poſsint Angeli recipere aliquam formam abſolutam. Confirmatur. Ex eo quod anima non eſt in aliquo membro corporis, ſcilicet, quia tale membrum abſcinditur a corpore nō amittit aliquam entitatem abſolutam, ergo neque ex eo quod de nouo incipit eſſe in aliquo membrorum, recipit aliquam entitatē abſolutam, & per conſequens neque Angelus ex eo quod eſt in loco, vel amittit locū non acquirit aliquam entitatem abſolutā, ſed acquirit aliquid de nouo, ſcilicet, exiſtētiam in hoc, vel illo loco, ergo acquirit nouam præſentialitatem.

Reſpondetur Argumentis.

Ad primum. ¶Ad primum negando ſequelam, quia cum Deus ſit omnino illimitatus, & actus puriſſimus, non eſt capax alicuius nouæ formæ realis, etiam relatiuæ, ſed eſt præſens omni loco vel relatione rationis, vel à præſentialitate quæ eſt in loco reſpectu Dei, ſicut etiam eſt Dominus relatione rationis, vel à relatione ſeruitutis, quæ eſt in creatura.

¶Ad ſecundum reſpondetur, quòd vbi non eſt aliquid abſolutum, ſed quidā reſpectus in Angelo, ratione cuius Angelus poteſt dici contentus à loco definitiuè, quia idē eſt ac dicere quod Angelus eſt in loco determinato. *Ad ſecundum.*

¶Ad tertium reſpondetur quòd vbi, etiam ſi dicat modum realem abſolutum, neque dicit entitatem materialem, neque ſpiritualem: ſed abſtrahit ab vtroque, ſicut & ratio ſubſtantiæ. Vnde ſicut ratio ſubſtantiæ verè competit Angelis, ita & ratio vbi. *Ad tertium.*

TEXTVS.

DE tertio eſt dubium, & de hoc mota eſt ſecunda quæſtio. Conceditur tamen communiter quod non poteſt eſſe in loco, quantumcūque magno, quia hoc eſt proprium Dei, & ex hoc videtur non poſſe eſſe in loco, quantumcunque paruo ex 35. primi Euclidis, vbi vult quod quidquid poteſt in vna æqualium & in reliquo, ſi ſibi figuratio nō repugnat, diſt. 2. quæſt. 7. infrà literam. I.

EXPLICATIO LITERÆ.

IN hac litera Doctor diſputat illam quæſtionem. An angelus habeat locum determinatum. Cui quæſtioni ſecundę reſpondet duplici concluſione: quarum prima eſt, Angelus habet locū ſibi æqualem: quo maiorem nō poteſt habere. Secunda autē concluſio eſt, quod angelus habet locū aliquē quo minorem habere nō poteſt. Circa iſtas tamen concluſiones, vt facilius intelligantur ſit quæſt. 5.

QVÆSTIO V.

¶*Vtrùm locus angeli habeat terminum ſecundum magnitudinem, & paruitatem.*

DE hac re eſt prima ſententia Dur. in. 1. diſt. 37. quæſt. 1. aſſerentis ſubſtantiā angeli ſimul eſſe præſentē in omnibus rebus, in quibus poteſt ſimul, & ſucceſsiuè operari, & per conſequens eſſe vbique, quamuis aliter quam Deus, quia angelus eſt vbique, quia vbi- *Sententia Durandi.*

vbique poteſt operari, Deus autē eſt vbique, quia vbique operatur, nihilominus tamen concedit Durandus Angelum eſſe in loco determinato, ita quod relicto vno acquirit alium, ſed hoc non prouenit ex eo quod Angelus non ſit vbique, ſed ex eo quod eſt in aliquibus locis peculiari quadā ratione, ſcilicet, quantum ad apparentiam, nimirum quia in illis, virtus Angeli, media operatione aliqua manifeſtatur. Hæc ſententia probatur in primis ex D. Damaſc. lib. 2. fidei orthodoxæ cap. 1. vbi dicit Angelos non contineri portis, muris, vel ſignaculis, & cap. 9. dicit quod Angeli confeſtim inueniuntur velocitate naturæ vbicumque diuinus intulerit nutus, & D. Nazian. libro. 1. Theolog. ait Angelos agilitate naturę vbique præſentes eſſe, & D. Hieron. contra vigilantium citans illud. Apocal. 14. ſequuntur Agnum quocūque ierit, dicit ſi Agnus vbique, ergo & qui cum eo ſunt, & vbique eſſe credēdi ſunt. Et Tertulianus in Apologet. cōtra gentiles dicit, Angelos, & dęmones momento vbique eſſe, totusque orbis locus illis vnus eſt, ergo.

¶Secundò. Angelus poteſt operari in multis corporibus, & in omnibus ſimul vel ſucceſsiuè, ergo Angelus eſt in omnibus locis. Antecedens eſt manifeſtum, & probatur ſequela, nam prius eſt Angelum eſſe præſentem ad locum, quam operari in loco, ſed poteſt eſſe præſens reſpectu cuiuſcunque loci, quia indifferenter poteſt vbique operari, ergo poteſt vbique eſſe.

Sententia Doctoris. ¶Secunda ſententia eſt Doctoris vt patet in litera quam dicit communem omnium ſcholaſticorum. Pro cuius explicatione eſt

Notab. 1. primo notandū, quod ſententia Duran. in duplici ſenſu poteſt diſputari. Primus eſt vtrum ſubſtātia Angeli ſit realiter præſens in omnibus locis, ita quod verùm ſit dicere ſubſtantia Angeli eſt hic, & ibi, & vbique quaſi omnia occupans ſpatia. Secundo modo poteſt intelligi quātum ad approximationem ad agendum in omni loco taliter quod Angelus ex natura ſua nō habet ſpheram determinatam intra cuius latitudinem determinatè agat, ſed omnes Angelos in hoc æqualiter conuenire, neque habere maiorem aut minorem ratione maioris, vel minoris quantitatis virtutis, ſiue perfectionis ſubſtantialis. Et in hoc ſenſu ſecundo videtur intelligenda ſententia Duran.

Notab. 2. ¶Secundo eſt notandū, quòd quamuis prædicta ſententia Duran. quantum ad ſecundum ſenſum non habeat illam falſitatem quam habet ſi in primo ſenſu intelligatur, nihilominus tamen, etiam in hoc ſenſu eſt contra communem ſententiam omnium ſcholaſticorum aſſerentium quemlibet Angelum habere locum limitatum quo ad magnitudinem, ita quod non poſsit eſſe in maiori, quia omne agens limitatum habet determinatam ſpheram ſuæ actiuitatis intra quam poteſt agere, alias enim, ſi non haberet determinatam ſpheram vltra quàm nō poſſet agere, non eſſet agens limitatum, ſed potius illimitatum, & cum quidquid in Angelo eſt ratio exiſtendi in loco, ſiue illud ſit eſſentia, ſiue applicatio virtutis, ſiue operatio tranſiens, omne illud finitum eſt, & limitatum, ideo neceſſario eſt dicendum Angelum requirere determinatam ſpheram actiuitatis in qua agat iuſta determinatam eius virtutem.

Prima conclusio. ¶Prima concluſio. Angelus non eſt in omnibus locis, realiter præſens, ſecūdum ſubſtantiam. Hæc concluſio eſt cōtra primum ſenſum ſententiæ Duran. & probatur quia hoc eſt proprium Dei. Iuxta illud Pſalmi. Si aſcendero in cælum tu illic eſt, ſi deſcendero in infernum ades, &c. & iuxta illud; Cælum, & terram ego impleo. Et probatur ratione. Angelus verè mouetur localiter, ergo deſerendo vnum vbi acquirit alterum, ſed quod eſt præſens realiter vbique, non poteſt localiter moueri, ergo.

Secunda concluſio. ¶Secunda concluſio. Angelus habet determinatam ſpheram ſuæ actiuitatis, ita vt vltra illam non poſſet agere. Hæc concluſio eſt contra Duran. & probatur. Virtus Angeli eſt finita & limitata, ergo habet determinatam ſpheram actiuitatis. Antecedens eſt manifeſtum, quia alias virtus Angeli eſſet infinita, vel ſaltim vnus Angelus non eſſet perfectior altero in virtute operatiua, quod eſt contra communem ſenſum omnium.

¶Secūdò. Si Angelus eſt vbique, quia æqualiter reſpicit omnem locum, & pro ſua voluntate poteſt facere hic, & ibi, & ob hanc præſentiam dicitur eſſe in loco. Contra, vel ratione talis præſentiæ ſubſtantia Angeli eſt poſitiuè in omni loco, vel ſolum eſt negatiuè indiſtans, ſi primum ſequeretur Angelum ſecundum ſuam ſubſtantiam eſſe realiter præſentem omni loco, quod eſt cōtra primam concluſionem. Secūdo ſequeretur quod

quod virtus Angeli eſſet poſitiuè immediata in omni loco, & quod quanuis ſolum operetur in aliquo loco determinato, adhuc tamen eius virtus, & ſubſtantia eſt alibi realiter præſens, & per conſequens nullum eſſe locum inadæquatum Angeli, ſed ita ſe habere reſpectu cuiuſcunque loci, ſicut ſe habet reſpectu loci inadæquati. Conſequens tamen ſolus Duran. concedet, ergo? Si autem ſecundum, nempè, quod ſolum eſt negatiuè indiſtans, cum ſola negatiua indiſtantia non ſufficiat vt res aliqua ſit in loco, ſequeretur Angelum nullibi eſſe.

Reſpondetur Argumentis.

Reſpondetur argumentis. ¶Ad primum deſumptum ex authoritate ſanctorum reſpondetur, quod in illis tantum intendunt oſtendere velocitatem Angeli tantam eſſe, vt ferè ſine motu poſsint vbi voluerint operari, ac ſi dicerent facilius mouentur Angeli de hoc loco ad illum quam nos intelligentes de hac intellectione ad illam. Et ſic eſt intelligendum quod dicitur de corporibus Beatorum iuxta D. Auguſtin. 13. de Ciuitate capite 18. & 22. capite vltimo. Ad illud autem D. Hierony. Reſpondetur, quòd Agnus vbique eſt ſcilicet paratus ad præſtandum auxilium, & qui inſequuntur illum etiam ſunt vbique, ſcilicet, parati ad implorandum auxilium Agni. Ad illud autem Tertull. quando dicit quod totus orbis locus illis vnus eſt, explicatur per verba antecedentia quando dicit Angeli, & dæmones momento vbiq; ſunt, quaſi dicat tāta celeritate mouentur ab hoc vbi ad illud, ab extremo ad extremum terræ, ac ſi tota terra, & vniuerſus orbis eſſet illis vnus locus.

¶Ad rationem autem reſpondetur, quòd quanuis Angelus poſſet vbique operari, & vbique eſſe, hoc tamen eſt ſucceſsiuè non tamen ſimul. Vnde cum ratio exiſtendi in loco ſit vel ſubſtantia, vel applicatio virtutis, vel actio tranſiens, & non poſſit Angelus ſimul operari in omni loco, neque ſimul applicare ſuam virtutem, neque ſimul dicere realem præſentiam ad hunc, & illum locum ſimul, ſed tantum ſucceſsiuè, ideo tantum ſucceſsiuè poterit eſſe in omnibus locis, non tamen ſimul.

*

QVÆSTIO VI.

¶Vtrùm Angelus poſsit eſſe in loco quantumcumq; minimo.

DE hac re duplex communiter circumfertur ſententia prima D.Tho.tenentis partem affirmatiuam. 1.par.quæſt.52.ar.3. vbi eius expoſitores illam defendunt cum Caietano, quam dicunt veriorem ex fundamento poſito, & probant. Quia Angelus libere ſe conſtituit præſentem ſpatio, nō eſt autem vnde determinetur, vel neceſsitetur ad tantum, vel tantum ſpatium intra ſuam ſpheram, quia nec ex modo ſubſtantiæ in extenſæ neque ex defectu virtutis, vt de ſe patet, neque etiam modus eſſendi in tanto ſpatio eſt neceſſarius Angelo ad conſeruationem, vel perfectionem eius, neque naturaliter conſequens ſubſtantiam eius, ergo Angelus poteſt eſſe in loco quantuncumque minimò, & paruo. Confirmatur, quia non datur tam paruus locus diuiſibilis ſecūdum omnem dimenſionem in quo poſſet eſſe Angelus, quin poſsit eſſe in minori diuiſibili etiam ſecundum omnes dimenſiones, ergo. Probatur antecedens, quia certū eſt Angelum poſſe exiſtere in loco minori loco adæquato, ſed nulla eſt ratio, cur intra latitudinem illius loci adæquati limitetur ad vnam quantitatem loci diuiſibilis, potius quàm ad aliam verſus paruitatem, ergo de ſe eſt indeterminatus ad exiſtendum in loco minori, & in minori in infinitum.

¶Secūdò. Quia cum Angelus eſt in aliquo loco eſt totus in toto, & totus in qualibet parte quantuncumque parua, ergo exiſtere etiam poterit in quacumque parte quantūcumque parua per ſe ſumpta. Patet conſequentia, quia ſuppoſito quod totus eſt in illa parte non videtur repugnare quod maneat in ea, & deſinat eſſe in alijs. Confirmatur, quia ſi aliqua ratione Angelus non poteſt eſſe in loco quantuncūque paruo, maximè, quia ad hoc requirit virtutem infinitam, ſed hoc eſt falſum, ergo. Probatur minor, quia ſiue vt Angelus ſit in loco adæquato, ſiue ſit in minori; præter quantitatem perfectionis ſubſtantialis, ſemper requiritur virtus, qua Angelus ſe applicet loco, quæ eſt virtus motiua: vt vero Angelus nō ſe applicet toti loco ſibi adæquato, ſed parti, non

ti,non requiritur maius virtus applicatiua, ſed ſufficit quod reſpectu eiuſdem virtutis ſit vtrumque liberum Angelo,ergo. Confirmatur ſecundo, quoniam minorem habet proportionem cum loco adæquato locus indiuiſibilis,quam quicunque locus diuiſibilis quantumcunque exiguus ſit, ſed vt Angelus exiſtat in loco indiuiſibili, non requiritur in Angelo virtus infinita, quia poteſt Angelus eſſe in loco indiuiſibili,ergo.

Sententia Doctoris. ¶Secunda ſententia eſt Doctoris vt patet in litera poſita ante quæſtionem præcedentem. *Notab. 1.* Pro cuius explicatione primo eſt notandum. Differentiam eſſe inter quadratũ, & quadrangulum,nam quadratũ habet quatuor latera adinuicem æqualia quadrangulum vero perfectum habet duo latera adinuicem æqualia,puta, longiora, & alia duo adinuicem non æqualia,ſed inæqualia lateribus longioribus, & vnicuique quadrato datur quadrangulum æqualem capacitate, quoniam quando ex quadrato fit quadrangulum,quanto extrictius ſit ex vna parte tanto elongatur ex altera.

Notab. 2. ¶Secundo eſt notandum, quòd aliud eſt dicere Angelus poteſt eſſe in puncto indiuiſibili, & aliud eſt dicere poteſt eſſe in loco quantumcunque paruo,nam punctus indiuiſibilis non habet rationem loci, & per cõſequens non habet incõuenientia quæ Doctor adducit de exiſtentia Angeli in loco quantumcunque paruo.

Notab. 3. ¶Tertio eſt notandum, ꝙ in hac quæſtione (ni fallor) nihil determinatè loquitur Doctor,ſed ſolum adducit inconuenientia quæ videntur ſequi ex hoc quod Angelus ſit in loco quantumcunque paruo,nam paulò infra quærens vtrum Angelus poſsit eſſe in puncto. Reſpõdet neque forte repugnat ſibi eſſe in pũcto ſicut in loco, quia nullum incõueniens videtur ex hoc inferre, & paulo ſupra dicit. Et ideo non oportet ipſum eſſe in puncto ſicut in loco. Ex qua litera ſatis patet quomodo Doctor nihil determinarè dixerit circa præſentem quæſtionem.

Notab. 4. ¶Quarto eſt notãdum,quod vt refert Grãtianus de Brigia in 2.diſt.2.quæſt.6.in expoſitione literæ Doctoris. Dominus Petrus de Cãdia qui poſtea fuit Alexãder V. docet quod Angelus ratione ſuæ virtutis quæ tamẽ finita eſt,habet ſibi locũ adequatum,& ſecundum longitudinem, & ſecundum latitudinem vltra quàm ſua virtute nõ poteſt ſe facere,ſit igitur ei locus adæquatus quadratæ figuræ,ſi ex illo quadrato fiat quadrangulus, non poterit eſſe in illo, & non ratione figuræ,ſed ratione quia duæ coſtæ quadranguli protenduntur magis in longum,quam coſtæ quadrati, & quia ſibi determinat locum ſecundum lõgitudinem quadrati,ſi eſſet in quadrãgulo æquali excederet longitudioem loci ſibi adæquatũ, quod eſt impoſsibile, & ideo ſi eſt in quadrato non ſequitur quod poſsit eſſe in quadrangulo, ſi ſibi figuratio non repugnat, quia & ſibi non repugnat figuratio, quia poſſet eſſe in alio quadrangulo, non tanto longo,repugnat tamen ſibi longitudo, & ita videtur quod propoſitio Euclidis non ſit vera.

¶Vltimo eſt aduertendum, quod Doctor volens probare Angelum non poſſe eſſe in loco,quantũcunque paruo,adducit pro inconuenienti quod ſequeretur Angelum habere virtutem infinitam, quia ſi qnantitas aliqua virtutis eſt in Angelo, ſecundũ quã poteſt eſſe in aliquo loco proportionabiliter ſecũdũ vltimũ ſuæ potẽtiæ, putãiſto tãtũ,& illo tãtũ poſſet tamen ſecũdum vltimum potentiæ ſuæ facere ſe in minori loco iſto quantumcunque ſibi adæquato, hoc autem poſſe eſt alicuius virtutis actiuè in eo quia in poteſtate ſua eſt vt poſſet vti ea ad effectum ſibi adæquatum, vel non. Igitur magis poſſe habere iſtam quantitatem in poteſtate ſua eſt perfectius quia maiorem habet virtutem actiuã,& ita poteſt vti illa virtute actiua in infinitum,quam ſit ille locus ſibi adæquatus. Igitur habet potentiam infinitam. Conſequens eſt inconueniens, ergo & antecedens. Ex hac litera videtur colligi ſententia Doctoris nempè quod Angelus non poteſt ſe ponere in loco quantumcunque minimo, ſed quantum ad hoc Doctor nõ loquitur affirmatiuè ſicut quod neque Angelus poſsit eſſe in puncto,quare tantum adducit inconuenientia illa quæ prima fronte videntur ſequi ex illius ſententiæ poſitione. Secundo ait infrà hãc literã quod Angelus eſt in loco per quantitatem ſuæ virtutis, ſiue per ſuam virtuteoi operatiuam,ſed hoc pertinet ad genus cauſæ efficientis,non autem ad genus cauſæ formalis ſiue fundamentalis,quia,vt diximus, Angelus eſt formaliter in loco, formaliter per præſentialitatem, fundamentaliter autem per ſuam eſſentiam.

¶Prima

Prima cõcluſio. ¶Prima concluſio. Angelus intra latitudinem ſui ſpatij adæquati poteſt ſe ponere in maiori, & in minori ſpatio diuiſibili. Hæc concluſio probatur, quia Angelus poteſt ſe ponere in minori loco, quam eſt ſibi locus adæquatus, quia poteſt eſſe in pluribus locis inadæquatis, ergo poteſt ſe ponere in loco quantumcunque paruo diuiſibili. Probatur ſequela, quia talis locus eſt intra ſpheram actiuitatis ipſius Angeli. ¶Secundò. Quia ex tali poſitione non ſequitur aliqua infinitas in effectu, ergo nec in cauſa. Patet antecedens, quia quanuis in quolibet loco ſint plura indiuiſibilia in exiſtentia, non tamen exiſtentia, ſicut dicimus etiam de quãtitate quæ diuiſibilis eſt in ſemper diuiſibilia, non tamen in indiuiſibilia exiſtẽtia, ſed inexiſtentia. Ita in propoſito, vnde ſicut quantum, quantumcunque poſsit diuidi in ſemper diuiſibilia, non tamen ex hoc habet infinitatem, & per conſequens nec requirit virtutem aliquam infinitam diuiſiuã ipſius quanti in ſemper diuiſibilia, ſed ſatis illi eſt aliqua virtus finita quæ poſsit illud diuidere in ſemper diuiſibilia. Ita in præſentiarũ, cum locus adæquatus Angeli non ſit infinitus, non requirit virtutem infinitã, ad hoc vt poſsit ponere ſe in minori & minori, imo (vt videtur) minor requiritur virtus, virtute illius Angeli habentis tantum locum vt ſpheram ſuę actiuitatis. Et per hoc patet quid dicendum ſit ad literam Doctoris. Et ad illud quod adducit ex Euclide reſpondetur, quod illa propoſitio Euclidis, vel non eſt vera abſolutè, vel intelligenda eſt de his quibus ſolum eſt locus adæquatus per ordinem ad extenſionem, & quantitatem molis, & non per ordinem ad quantitatem perfectionis, & virtutis, & ratio differẽtiæ eſt, quia extenſio rei, quæ eſt in loco, quantum eſt de ſe poteſt creſcere ſecundum longitudinem, quantum detrahitur ex eius latitudine, vt conſtat in aere & aqua, & ideo quãtumcunque augeatur longitudo ſpatij, non tollitur proportio eius ad extenſionem rei quæ eſt in loco. At vèro quantitas virtutis aut perfectionis ſemper manet eodem modo, & ideo neceſſe eſt vt creſcente longitudine ſpatij, tollatur proportio ad eam. Vnde quãuis Angelus poſsit eſſe in quadrato, non tamen ex hoc infertur quod poſsit eſſe in quadrangulo, quantumcunque longo, quia locus adæquatus Angeli non ſolum habet terminum magnitudinis quoad latitudinem, ſed etiam quoad longitudinem quare ſi longitudo creſcit redditur locus improportionatus & excedens reſpectu Angeli, etiam ſi ſpatium maneat æquale, ſicut v.g. quanuis agens creatum poſsit agere in ſpatio tantæ longitudinis, & latitudinis, non tamen poteſt agere in ſpatium cuius longitudo ſit duplo maior, quanuis eius latitudo ſit duplo minor. Ita in propoſito vt rectè admonebat D. Petrus de Candia.

Secunda concluſio. ¶Secunda concluſio. Angelus determinat ſibi locum quantum ad paruitatem, taliter quod non poteſt eſſe in minori loco ex parte ipſius loci. Hæc concluſio eſt Doctoris in hac quæſtione in additionibus illius litera L. Et probatur. Dabilis eſt locus quo nõ poſſet eſſe minor ex parte ipſius loci, ergo dabilis eſt locus Angelo determinatus ſecundum paruitatem. Antecedẽs patet: quia locus eſt ſpecies quantitatis, & ſic eſt diuiſibilis ſicut & ipſa quantitas, ſed quãtitas poteſt peruenire ad tantam paruitatem per diuiſionem vt vltra non poſsit diuidi, ergo & locus poteſt peruenire ad tantam paruitatẽ vt ſi vltra diuidatur non maneat locus. Antecedens patet: quia dabilis eſt aliquod quãtum ita paruum vt ſi vltra diuidatur nõ maneat quantum, ergo & dabilis eſt aliquis locus, quod ſi vltra diuidatur non maneat locus. Et hoc eſt quod Doctor intendit, nam ſi dabile eſſet aliquod quantum, quod quantumcunque diuideretur ſemper poſſet vltra diuidi haberet quantitatem infinitam, ita ſi daretur aliquis locus qui quantumcũque partiretur ſemper maneret partibilis haberet rationem loci infinitam, ergo ſicut in quanto quod diuiditur peruenitur ad talem quantitatem, ita paruam, quod vltrà non poſſet diuidi manente quanto, ita locus poteſt peruenire ad tãtam paruitatem, vt ſi vltra diuidatur nõ maneat locus, quod ſi ſemper maneret locus haberet infinitatẽ, & per conſequens requireret in Angelo virtutem infinitam ad ponendum ſe in ſpatio infinito. Cum igitur tale ſpatium non poſſit eſſe infinitum cum ſubſtantia Angeli ſit finita. Ideo Angelus habet locum determinatum quo ad magnitudinẽ, & quo ad paruitatem, quo ad magnitudinẽ, quia aliquis locus eſt quo maiorem habere non poſſet. Et quo ad paruitatem quia aliquis locus eſt quo minorem nõ poſſet habere. Vnde aduertè quod illa argumenta Doctoris tantũ probãt determinationẽ loci quo ad magnitudi-

tudinem, & quoad paruitatem manente tamen ratione loci, ideſt implicat quod Angelus nõ habeat determinatum locũ quoad paruitatem ideſt locus Angeli quoad paruitatem ita eſt determinatus quod ſi vltra diuidatur talis locus nõ manebit propriè Angelus in illo ſicut in loco, ſed manebit in illo ac ſi eſſet in uacuo, vel in loco imaginario hæc de ſiſta quæſtione. *Nota hoc.*

TEXTVS.

SI tamen poſsit eſſe in puncto, vel nõ, non videtur ratio neceſſaria neque ad vnam partem, nec ad aliam, diſt. 2. quæſtione. 7. litera K.

EXPLICATIO LITERÆ.

DOctor in hac re dubius manet, vt autẽ quid ſentiendum ſit intelligatur ſit titulus quæſtionis.

QVÆSTIO VII.

¶Vtrùm Angelus neceſſario ſit in puncto, ſiue in loco indiuiſibili.

PRO parte affirmatiua eſt primum argumentum ex Ariſt. 1. de Anima dicente quorum locaſunt indiuiſibilia, ipſa locata ſunt indiuiſibilia, ergo à ſimili, quæ ſunt indiuiſibilia vt Angeli, non poſſunt habere locum diuiſibilem. Et per conſequens neceſſario erunt in loco indiuiſibili.

¶Secundò. Præciſa ratio quare corpus non poteſt eſſe in loco indiuiſibili (vt in pũcto,) non ob aliud eſt, niſi quia corpus eſt diuiſibile, & per conſequens requirit locum diuiſibilem, vt inter locum, & locatum ſit proportio; ſed Angelus eſt indiuiſibilis, & in extenſus, ergo neceſſario requirit locum indiuiſibilem, & inextenſum.

¶Tertiò. Et quæro quomodo poteſt Angelus eſſe in loco diuiſibili, & extenſo, vt v.g. in tota hac ciuitate, aut erit totus in toto, aut totus in qualibet parte loci, ſicut anima rationalis in corpore, aut totus in toto, & pars in parte, ſicut albedo in ſubiecto: non primum quia ſequeretur quod Angelus naturaliter eſſet in pluribus locis. Patet ſequela, quia locus eſt aliquid homogeneum, & ſic quælibet pars aquæ eſt aqua, ergo ſi Angelus eſt totus in toto, & in qualibet parte, erit ſimul in pluribus locis. Quod ſi reſpondeas non eſſe incõueniens eſſe ſimul in pluribus locis partialibus, & continuis, nõ autem totalibus, & diſiunctis. Contra, diuidatur ſuperficies illa quæ cõtinet Angelũ in plures partes ſeparatas, ſequeretur quod in qualibet eſſet Angelus, & ſic poſſet eſſe in pluribus locis totalibus, & diſcontiuuis. Si autem dicatur, quod Angelus eſt totus in toto, & pars in parte. Contra, Angelus eſt impartibilis, & non poteſt eſſe circunſcriptiuè in loco, ergo.

¶Vltimò. Ex D. Damaſc. lib. 2. cap. 13. dicente, Angelus dicitur eſſe in loco, quia adeſt intelligibiliter, ergo neceſſario requirit ſpatium, inextenſum.

¶Pro explicatione huius quæſtionis ſunt nonnulla notanda, quorum primum eſt D. Bonauen. in 2. diſt. 2. in 2. par. ar. 2. q. 3. tres recenſet ſentẽtias de hac re, Prima eſt quorundã aſſerentium, quod Angelus nõ eſt in loco corporali, niſi ſpiritualiter tantum, ita quod neq; eſt totus in toto, nec pars in parte. Hanc tamẽ ſententiã reijcit D. Bonauẽ. vt inintelligibilem, quia nõ poteſt intelligi, quòd aliquid cõtineatur in aliquo loco, & non ſit in toto, vel in parte illius. *Notab. 1.*

¶Secunda ſententia quam refert eſt aliorũ dicentium, Angelum nececeſſario eſſe in puncto indiuiſibili, ſed hanc ſententiã etiã reijcit quia ſicut de ratione corporis eſt trina dimenſio, ita de ratione loci eſt dimẽſio, ſcilicet, longitudo, & latitudo, nã locus eſt vltima ſuperficies corporis continentis locatum, veluti ſuperficies aëris circundãtis nunc corpus meum, dicitur locus corporis mei, ſed punctus eſt indiuiſibilis nullã habens dimenſionẽ, ergo nõ eſt aliquo modo dicendus locus, quare dicentes Angelũ eſſe in puncto, tenẽtur dicere nõ eſſe ibi vt in loco, quia ſunt punctus nõ eſt ſuperficies ita nõ eſt locus. Tertiã & propriã ſententiã docet D. Bonauẽ. ibi. quã ſequitur Richardus in 1. diſt. 37. q. 2. qui aſſerunt quod Angelus eſt in loco extenſo, totus in toto, & totus in qualibet parte inſtar animæ rationalis in corpore organico, differenter tamen quia ex anima, & corpore reſultat homo, quia anima eſt forma corporis, at vero ex Angelo, & loco, non reſultat vnum per ſe, quia Angelus non eſt forma loci, neque facit vnum aliquid cum loco.

¶Secundò eſt notandũ hãc quæſtionẽ difficultatẽ habere in opinione D. Tho. aſſerẽtis Angelũ eſſe in loco per operationẽ trãſeũtẽ, quia indiuiſibile nõ eſt capax motus localis, *Notab. 2.*

localis, & operatio Angeli tranſiens in locũ
nõ poteſt eſſe alia, quam motus localis. Vn
de nõnulli ex diſcipulis D. Th. dicũt ipſum
nõ abſolutè, ſed conditionaliter eſſe intelli
gẽdũ, ſcilicet, quod ſi punctus eſſet capax
operationis Angelicæ, Angelus poſſet eſſe
in illo. Hanc tamen ſentẽtiam reijciunt alij
ſuper primam partem. q. 52. ar. 2. quæſt. 2.
difficultate. 3. ex eo, quia licèt Angelus nõ
poſsit mouere ſolum punctum, quia nõ da-
tur ſeparatus, tamen poteſt primo applica-
re ſuam virtutem puncto tantum, & ſic mo
uere corpus, ſicut vnum corpus poteſt mo-
uere aliud tangendo ſolum in puncto. Vt ſi
globus perfectè ſphericus tangeret corpus
perfectè planum, & tunc quidem diceretur
Angelum eſſe in puncto. Rurſus pũctus eſt
principium lineæ; & medium, & finis, dein
de linea eſt initium ſuperficiei, & ſuperfi-
cies corporis mathematici, cum ergo An-
gelus poſsit operari in toto illo corpore, &
in tota linea, dicendum eſt quod in termino
illius poſsit operari. ¶ Præcipua tamen ra-
tio, quare licèt Angelus ſit in loco per ope
rationem, poſsit eſſe in ſolo puncto, ea eſt,
quia licèt indiuiſibile per ſe ſumptum non
ſit ſubiectum motus localis, tamen bene po
teſt eſſe id, quo mediante, mouetur, & im-
pellitur aliquod corpus, & ita Angelus po-
terit mediante puncto indiuiſibili alicuius
corporis impellere ipſum corpus, ita vt mo
ueatur, & tunc erit Angelus ſolum in pun-
cto: quia ſolum ageret in ipſo immediatè
immediatione ſuppoſiti. In reliquo vero
corporis mediante puncto, nam ſi corpus
perfectè ſphericum tangens perfectè pla-
num in puncto, poteſt mouere illud per
applicationem illam ad punctum, eodẽ mo
do poterit Angelus applicando ſuam virtu
tem puncto, impellere corpus, & ſic dicere
tur eſſe in puncto.

Notab. 3. ¶ Tertio eſt notandum, quod in ſententia
Doctoris, aſſerentis Angelum eſſe in loco
per ſuam ſubſtantiam, quamuis aliquibus vi
deatur præſentem quæſtionem in illa ſen-
tentia nullam haberet difficultatem, quia
ſubſtantia Angeli eſt omnino in extenſa,
neque neceſsitatur ad determinandum ſpa
tium, ergo poteſt eſſe in puncto, adhuc ta-
men maximam continet difficultatẽ, quia
vt docet Doctor non apparet ratio neceſſa
ria ad probandum quod Angelus poſsit eſ-
ſe in puncto tanquam in loco, neque ad pro
bandum partem oppoſitam. Nã qui vellet
tenere quod Angelus non poſſet eſſe in pũ
cto tanquàm in loco, haberet pro ſe hanc
rationem vt docet Lichetus ſuper hanc lite
ram doctoris, & Gratianus de Brixia, ibidẽ,
quia licet Angelus ſit indiuiſibilis, non ta-
men habet indiuiſibilitatem limitatã ſicut
punctus neque eiuſdem rationis, cum indi-
uiſibilitate puncti, punctus enim eſt indiui
ſibilis de genere quantitatis; & ſic neceſſa-
rium videtur, quod exiſtens in puncto; vt
in loco, debeat eſſe limitatum ſecundum ge
nus quantitatis, ſed Angelus, eſt indiuiſibi-
lis extra genus quantitatis & ſitus exiſtẽs,
ergo nõ eſt neceſſe vt ei determinetur, vnus
locus diuiſibilis ſecũdũ locũ, vel indiuiſibi
lis ſecũdũ locũ, ſed diuiſibilis, vel indiuiſibi
lis ſecundũ locum, quia nõ ſequitur Ange-
lus eſt indiuiſibilis, igitur eſt in puncto, vt
in loco ſibi adæquato. Antecedens eſt verũ
& neceſſarium, & conſequens non eſt ne-
ceſſarium. Si autem Angelus eſſet indiuiſi-
bilis indiuiſibilitate limitata, ſicut pũctus,
eſſet neceſſaria conſequentia. Et ſicut ante
cedens eſt neceſſarium, ita & conſequens
eſſet. Sicut v. g. ſi produceretur à Deo ali-
quod corpus eiuſdem magnitudinis cũ pun
cto; & indiuiſibile ſicut punctus eſſet ne-
ceſſaria conſequentia, corpus hoc eſt indi-
uiſibile, ergo neceſſario eſt in puncto, &
ſicut antecedens eſt neceſſarium, ita & cõ-
ſequens: ſed talis argumentatio non proce-
dit in Angelo, ergo dicendum eſt Angelum
non habere indiuiſibilitatem eiuſdem ratio
nis cum indiuiſibilitate puncti, vnde (ni fal-
lor) prædicti expoſitores D. Thom. in hac
quæſtione non intellexerunt Doctorem,
nam Doctor quærit, Si Angelus neceſſario
debeat eſſe in puncto, ex eo quod indiuiſi-
bilis eſt ſecundum ſuam ſubſtantiam, & eſ-
ſentiam, quæ eſt ibi ratio exiſtendi in loco,
& reſpondet, quod non apparet ratio ne-
ceſſaria ad vtramque partem, quia ex indi-
uiſibilitate Angeli, non ſequitur neceſſario
quod ſit in loco indiuiſibili, cum indiuiſibi-
litas illius non ſit eiuſdem rationis, cum in-
diuiſibilitate puncti, quia iſta eſt limitata
ſecundum quantitatem, & ſitum, illa verò
non eſt limitata ſecundum quantitatem, &
ſitum; & cum non inferatur conſequentia
illa in Angelo; ſcilicet, hoc eſt indiuiſibile,
& eſt in loco, ergo eſt in loco indiuiſibili,
quia quamuis maior, & minor ſint neceſſa-
riæ, conſequens tamen non eſt neceſſariũ,
reſpectu Angeli: eſſet tamen, ſi quando in
maiori

maiori dicimus hoc eſt indiuiſibile aſsignaremus corpus aliquod indiuiſibile, tunc enim neceſſario ſequeretur, quia indiuiſibilitas illius eſſet eiuſdem rationis cum indiuiſibilitate puncti. Vnde cum Doctor doceat conſequens hoc nō neceſſario inferri, ex illo antecedente, tantum igitur intendit Doctor, quod Angelus non determinat neceſſario (quanuis ſit indiuiſibilis, ſecundum ſuam ſubſtantiam, quæ illi eſt ratio exiſtendi in loco) locum indiuiſibilem, quia ad hoc non apparet ratio neceſſaria, ſicut appareret ſi à corpore tolleret Deus quātitatem, tunc ſubſtantia illa quæ maneret indiuiſibilis, neceſſario requireret locum indiuiſibilem. Et quod hæc ſit mens Doctoris intēta in iſta litera. Patet ex probatione ſecundæ partis, qua probat non eſſe inconueniens aliquod, Angelum eſſe in puncto, quia ſi aliquod ſequeretur inconueniens maximè quod non poſsit localiter moueri, niſi ſpatium per quod moueretur conſtaret ex pūctis, hoc tamen non ſequitur, quia Angelus poſſet immediatè ex loco punctuali ferre ſe in continuum, cuius continui (punctus in quo eſt) eſt terminus. Sicut v. g. ſi Angelus eſſet in aliquo puncto magnitudinis cubitalis recedendo à tali puncto, localiter moueretur ſuper tali magnitudine continuè. Cū igitur nullum inconueniens ſequatur, ex hoc quod Angelus poſsit eſſe in puncto, & poſsit eſſe in non puncto, nempè in loco diuiſibili, ideo Doctor in litera quando quærit ſi Angelus poſsit eſſe in puncto vel non, tantum quærit, vtrum neceſſario requirat locum indiuiſibilem, cum ipſe ſit indiuiſibilis. Et reſpondet, quod non apparet ratio neceſſaria ad dicendum Angelum neceſſario requirere locum indiuiſibilem, & punctuui, quia indiuiſibilitas Angeli non eſt in indiuiſibilitas eiuſdem rationis cum in indiuiſibilitate puncti, quare quanuis ſubſtātia corporea ſecluſa quantitate, ex eo quod eſt indiuiſibilis neceſſario requirat locum indiuiſibilem, & punctum, nō tamen Angelus, quia indiuiſibilitàs vtriuſque non eſt eiuſdē rationis.

Nota hoc & titulū quæſtionis qui eſt in Doctore.

Notab. 4. ¶Quartò eſt notandum, certum eſſe in ſententia Doctoris, & ſententia D. Tho. quod quanuis ſubſtantia Angeli ſit in ſe indiuiſibilis, poteſt tamen eſſe in loco diuiſibili, quod non contingit in ſubſtantia corporea ſublāta quantitate propter differētiā inter indiuiſibilia magnitudinis, & ſpiritualia. Quoniam indiuiſibilia magnitudinis habent indiuiſibilitatem ratione ſuæ limitationis, & propter hoc requirunt indiuiſibilitatem in loco, at verò indiuiſibilia ſpiritualia qualia ſunt Angelus, & anima, habēt ſuam indiuiſibilitatem ratione perfectionis ſuæ. Vnde anima rationalis quanuis ſit indiuiſibilis, eſt tamen in toto ſpatio diuiſibili quod occupat corpus humanum. Imo & Deus licèt ſit indiuiſibilis, quia tamen ſua indiuiſibilitas non prouenit ex limitatione, ſed ex perfectione, & immaterialitate, poteſt eſſe præſens ſpatio extenſo, & diuiſibili. Ita etiam dicendum eſt de Angelo; qui propter ſuam perfectionem poteſt eſſe in loco extenſo, & diuiſibili: Vnde quando Doctor in litera quærit ſi Angelus poteſt eſſe in puncto, non quærit, vt ſentiunt præ dicti expoſitores, an Angelus exiſtens in loco diuiſibili poſsit ſe conſtituere in puncto, ſiue in loco indiuiſibili, ſed tantū quærit vtrum Angelus qui indiuiſibilis eſt poſſit habere pro loco adæquato, punctū, vel locum indiuiſibilē, & ad hoc reſpōdet Doctor neutram partem determinans, & hanc explicationē literæ notabis, vt liberes Doctorem à calumnia.

Not. vlt. ¶Vltimò eſt notandum cum Richardo vbi ſupra; quod ſimplicitas eſt quadruplex. Prima eſt ſimplicitas negatiua magnitudinis, qualis eſt ſimplicitas pūcti, qui nec eſt extenſus, neque poteſt extēdi, quia repugnat illi extenſio. Secunda eſt ſimplicitas priuatiua magnitudinis, qualis eſt ſubſtantiæ corporeæ ſublata ab illa quantitate per potentiam Dei, talis enim ſubſtantia nō eſſet extenſa, nec diuiſa, eſſet tamen apta nata diuidi, & extendi. Tertia eſt ſimplicitas immenſitatis ſpiritualis poſitiua, & hæc eſt ſimplicitas Dei. Quarta eſt ſimplicitas poſitiua alicuius ſpiritus ſpecialis magnitudinis, deficiens tamen in infinitum ab immenſitate; & hæc eſt ſimplicitas ſpiritus creati, ſicut animæ, & Angeli.

Prima conclusio. ¶Prima concluſio. Angelus non poteſt eſſe in puncto indiuiſibili tanquàm in loco ſibi adæquato. Hæc concluſio probabiliter defenditur à Doctore & probatur, quia locus adæquatus Angeli, eſt ille intra quem poteſt operari, & vltra quem non poteſt operari, ſed videtur implicatio, virtutem Angeli eſſe à Deo limitatam vt non poſsit operari vltra punctum niſi deſerat illum, ergo videtur implicatio, quod poſsit Angelus

eſſe

eſſe in puncto tanquam in loco ſibi adæquato.

Secunda cõcluſio. ¶ Secunda concluſio. Probabiliter etiam poteſt dici, quod Angelus poteſt eſſe in puncto tãquam in loco ſibi adæquato. Hæc concluſio etiam eſt Doctoris, & probatur, quia ex illa nullum videtur ſequi inconueniens, nam ſi aliquod, maxime quod non poſsit mouere ſe localiter ex vno loco ad alium, quia punctus non eſt locus, cum ſit indiuiſibilis, nec dantur duo puncta immediata. Hoc autem non obſtat, quia cum Angelus ſit in loco diffinitiuè, illud habebit rationẽ loci diffinitiuè, quod poteſt fundare relationem præſentialitatis Angeli ad illud, & per conſequens cum in puncto poſſit haberi iſta ratio fundementalis, quia poteſt prædicari de Angelo, hoc quod eſt ita eſſe hic quod non alibi, ideo in puncto poteſt reperiri vera ratio vbi vel loci, inconueniens autem de motu locali nullum eſt, vt ipſe Doctor reſpõdet, quia Angelus exiſtens in puncto poſſet ferre ſe immediate in locum cõtinuum, hoc eſt in ſuperficiem proximam punctõ, cuius cõtinui (ſcilicet, ſuperficiei) punctus eſt terminus.

Tertia cõcluſio. ¶ Tertia concluſio. Angelus eſt totus in toto, & totus in qualibet parte loci. Hæc concluſio probatur, quia Angelus maiorem perfectionem habet quam anima rationalis, ſed anima rationalis propter ſuam perfectionem, eſt tota in toto corpore, & tota in qualibet parte, ergo & Angelus reſpectu loci erit totus in toto, & totus in qualibet parte. Secundo, quando locatum non occupat locum in quo eſt, nec habet ſitum, nõ eſt totum in toto, nec pars in parte, ergo eſt totum in qualibet. Probatur ſequela. Quia locatum vel debet eſſe totum in toto, vel pars in parte, vel totum in qualibet parte.

Reſpondetur Argumentis.

Reſpondetur argumentis. Ad primũ & ſecundum. ¶ Ad primum, quod Ariſtotel. loquitur de indiuiſibilibus ſecũdum magnitudinem aptam natam diuidi, quia apta nata recipere magnitudinem, & iſta requirunt locum indiuiſibilem tanquam locum ſibi adæquatum, ſecus autem in Angelis, propter ipſorum perfectionem. Et per hoc patet ad ſecundum.

Ad tertiũ. ¶ Ad tertium reſpondetur per tertiam concluſionem, nec inconueniens aliquid valet, ſicut nec eſt inconueniens, quod anima ſit tota in toto, & tota in qualibet parte corporis. Vtrum autem Angelus poſsit eſſe in pluribus locis diſcontinuis dicemus infra.

¶ Ad vltimum ex D. Damaſc. reſpondetur, quod intelligendus eſt, acſi diceret non eſt in loco circunſcriptiuè.

QVÆSTIO VIII.

¶ *Vtrùm Angelus requirat determinatum locum.*

HANC quæſtionẽ diſputat Doctor hac diſtinctione ſecunda, quæſtione ſexta, infra literam L. pro cuius explicatione eſt aduertendum, quod in corporibus, ratio exiſtendi in loco eſt quantitas molis, in Angelis vero poteſt dici quantitas virtutis, ſiue quantitas virtualis, ex qua litera Doctoris colligunt nonnulli ex diſcipulis eius, ſecundum Doctorem dicẽdum eſſe rationem fundamentalem exiſtendi Angelo in loco eſſe, non eſſentiam Angeli, ſed iſtam virtualem quantitatẽ, ſed dicendum eſt, quod ipſa eſſentia Angeli, ſecundum quod ſubditur voluntati Angeli, appellatur hic a Doctore quantitas virtualis. *Nota hoc de quantitate virtuale angeli.* Dupliciter enim poſſumus conſiderare eſſentiam Angeli, vno modo ſecundum quod eſſentia, & ſubſtantia Angeli eſt, ſecundo modo ſecundum quod talis eſſentia, & ſubſtantia ſubditur, & ſubdi poteſt voluntati ipſius, vel alterius Angeli. Primo modo dicitur eſſentia, & ſubſtantia; & vt ſic abſtrahit à loco tanto vel quanto, imo & ab omni loco, quia abſtrahit à quocunque accidente, & ſi ſecundum hanc rationem præciſam conſideretur, & deberet eſſe in loco, requireret locum indiuiſibilem, ſicut & quæcunque ſubſtantia corporea ſecluſa quantitate. At vero ſi ſecundo modo conſideretur. Dicitur ſubſtantia cum quantitate virtuali; quia ita ſe habet ſubſtantia Angeli reſpectu voluntatis in ordine ad locum, tantum, vel quantum, hunc, vel illum, ac ſi haberet quantitatem, & propter hoc dicitur quantitas virtualis, vel virtualiter quantitas, vel habere virtualem quantitatem, vel virtualiter quantitatẽ, & nõ eſt inconueniens aliquod, quod non eſt formaliter, nec realiter tale, eſſe virtualiter tale. Sol enim eſt virtua-

liter calidus quamuis non ſit formaliter, nec realiter calidus:ita Angelus, quamuis non ſit formaliter, nec realiter quantus, poteſt tamen dici virtualiter quantus, quia occupat locum quod eſt modus quantitatis, admodum quo Angeli dicuntur occupare locum exiſtentes in loco. Subſtantia autem Angeli quatenus ſubditur eius voluntati, vel alienæ, dicetur quantitas virtualis, quia ita ſe habet reſpectu Angeli in ordine ad exiſtendum in loco, ſicut ſe habet quantitas molis ad ſubſtantiam corpoream reſpectu eius exiſtentiæ in loco. Vnde idem eſt apud Doctorem Angelum eſſe in loco per ſuam ſubſtantiam, & Angelum eſſe in loco ſecundum ſuam quantitatē virtualem.

Notab.2. ¶Secundò eſt notandum, quòd corpora cū ſint in loco ratione ſuarum quantitatum, tantum locum occupant quantùm quantitatem habent. Ita quod licèt in poteſtate mea ſit me eſſe in hoc, vel illo loco, non tamen eſt in poteſtate mea eſſe in tanto loco, vel in tanto, quia iſte effectus eſt naturaliter conſequens quantitatem quæ nō ſubeſt voluntati meæ, quia non poſſum facere meam quantitatem maiorem, vel minorem, nec quod quantitas maior occupet minorem locum, nec minor maiorem, ſed vnaquæque quantitas ſuum locum neceſſario occupat adæquatum.

Notab.3. ¶Tertiò eſt notandum, quòd cum Angelus ſit in loco per quantitatem virtualem quæritur, vtrum requirat locum determinatum, & determinatè ita quod habens tantam virtutem (ſi eſt præſens loco) de neceſsitate eſt tanto præſens loco, nec in poteſtate ſua ſit, quod ſit præſens maiori, & minori, vt contingit in corporibus, & in anima intellectiua, quæ neceſſario eſt in loco totius animæ animatæ, ita quod non eſt in poteſtate eius eſſe in loco maiori, vel minori, an ita poſſet poni in Angelis, quod quantitas virtualis eorum habeat aliquem locum adæquatum quo maiorem non poſſet habere, nec minorem, an vero habeat locum adæquatum quo maiorem non poſſet habere ſecundum conditiones ſuæ virtutis, & eſſentiæ, & cum ipſa ſubſit voluntati Angeli poſsit non habere ſemper illum locum, ſed ſecundum ſuam voluntatem intra ſphæram ſuæ actiuitatis, modo habeat maiorem, vel minorem locum.

¶His igitur ſic conſtitutis. Reſpondetur ad quæſtionem cum Doctore non facile poſſe probari aliquam iſtarum partium. Hæc concluſio probatur, quia neutra illarum partium includit manifeſtum inconueniens. *Prima cõclusio.*

¶Secunda concluſio. Si tamen quid magis conſonum rationi interrogetur, mihi videtur Angelum determinare ſibi locum quantum ad magnitudinem, non tamen quantum ad paruitatem. Hæc concluſio probatur, quia magis rationi conſonum apparet Angelum intra ſpheram ſuæ actiuitatis poſſe ſe ponere in tanto, vel tanto loco. *Secunda concluſio.*

TEXTVS.

IN iſta quæſtione Damaſcenus dicit cap. 33. quod de facto non eſt ſimul in duobus locis, quia ſecundum eum cum ſunt in cælo, non ſunt in terra neque è conuerſo. Hoc eſt de facto. De poſsibilitate tamen eorum naturali videtur probabile, quod non poteſt vnus ſimul eſſe in duobus locis, quorum vterque ſit adæquatus, ſecundum vltimum potentiæ ſuæ, diſt. 2. quæſt. 7. ante literam A.

EXPLICATIO LITERÆ.

IN hac litera Doctor duplicem aſsignat concluſionem. Quarum prima eſt. Angelus non eſt in duobus locis de facto, hanc concluſionem probat ex D. Damaſceno aſſerente quod quando Angelus eſt in cælo non eſt in terra. Secunda concluſio Doctoris eſt quod Angelus virtute propria non poteſt eſſe in duobus locis adæquatis. Hanc concluſionem probat, quia ſi ſecundum vltimum potentiæ ſuæ Angelus poteſt eſſe in vno milliario, ita quod milliare ſit locus adæquatus Angeli, non erit extra illum locum, quia ſi eſſet extra, milliare illud, nō eſſet illi locus adæquatus, quia Angelus non poteſt eſſe in maiori loco, quam ſua virtus requirit, ergo ſi eſſet in vno milliari tanquàm in loco adæquato ſuæ virtuti, non poterit eſſe extra illud, alias non eſſet illi locus adæquatus vel Angelus poſſet agere vltra ſuam virtutem.

TEX-

TEXTVS.

Vtrùm in duobus locis diſcontinuis poſſet eſſe quorum nec vnus, nec alius eſt ſibi adæquatus, dubium eſt, nec videtur ratio neceſſaria pro, nec contra. Diſt.2.quæſt.7.lit.B.

EXPLICATIO LITERÆ.

Litera hæc in quæſtione explicabitur quare ſit titulus quæſtionis.

QVÆSTIO IX.

Vtrùm Angelus poſsit eſſe in pluribus locis inadæquatis.

DE hac re eſt duplex ſententia prima eſt Caietan.1.par. quæſtione.52.articulo.2. in ſolutione tertij dubij,contra rationem concluſionis aſſerentis poſſe Angelum eſſe in pluribus locis inadæquatis, & partialibus, ita vt exiſtat in illis quamuis ſint diſcontinui. v. g. ſi locus in quo aliquis Angelus poteſt eſſe ſimul, ſit ſpatium huius ciuitatis, poteſt Angelus in duabus partibus huius ciuitatis exiſtere, licet illæ partes diſtent inter ſe. Hanc ſententiam amplectitur quidam ex expoſitoribus D. Thom. ibidem quæſtione. 1. cõcluſione.3. vbi aſſerit; Angelus naturaliter eſſe poteſt in pluribus locis inadæquatis, & partialibus; non excedentibus quantitatem loci adæquati, dummodo loci partiales, non diſtent inter ſe maiori diſtantia quàm comprehendi poſsit ſub quantitate loci adæquati.

¶Aduertunt tamen quod dupliciter poſſemus intelligere Angelum eſſe in duobus locis, vno modo quaſi continuè,quod ſit in aliquo ſpatio, & in omnibus eius partibus. Secundo modo quaſi diſcrete, ideſt, quod ſit in duobus ſpatijs, quaſi diſcontinuis, ita vt neuter eorum adæquet locum Angeli, quamuis ex vtroque ſimul reſultet locus adæquatus.

¶Secundò aduertunt, quod hoc etiam dupliciter poteſt fingi. Primo modo quod in illis partibus diſcretis ſit Angelus ſubſtantialiter præſens, & operans; in intermedijs autem non ſit operans, ſit tamen quaſi ſubſtantialiter præſens, & iſte modus videtur poſsibilis(quamuis quidam Thomiſtæ dubitent.) Et ratio eſt, quia Angelus poteſt applicare ſuam ſubſtantiam toti corpori, vel ſpatio, nihil operando vel etiam operando circa totum, & circa omnem partem, ergo etiam poteſt applicare ſubſtantiam toti, operationem vero ſolum quibuſdam partibus,ergo poterit operari in partibus extremis ſui loci,non operando in intermedijs, quia libere operatur. Neque eſt repugnantia ex parte effectus & tantum requiritur quod illæ partes non adeo inter ſe diſtent vt excedant locum adæquatum Angeli. Secundo modo poteſt intelligi, quod Angelus ſit in partibus diſcontinuis. Primo per præſentiam tantum, vel etiam per operationem, in intermedijs autem nullo modo,ſcilicet, neque per præſentiam, nec per operationem, & iſte modus eſt difficilior, ſed illum quidam aſſirmant, quia Angelus non eſt in loco per continuationem, neque cum dependentia ab ſpatio, vel à corpore, ergo dummodo non ſit in ſpatio maiori, quam poſsit naturaliter replere, poteſt eſſe in illo ſiue partes eius ſint contiguæ ſiue non. Et confirmatur primo, nam cum totus Angelus ſit in ſingulis partibus extremis, & medijs; poteſt manere in extremis non manendo in medijs. Nec apparet ratio cur non; quandoquidem non habet dependentiam ab illis partibus, nec deficit virtus.

¶Confirmatur ſecundo,nam corpus Chriſti Domini eſt in ſacramentis diſtantibus quamuis non ſit in locis medijs,quod ergo communicatum eſt corpori ſupernaturaliter, poſſumus intelligere naturaliter in Angelo. ¶Probatur etiã ſecũdò,ꝙ Angelus ſcilicet poteſt eſſe in duobus locis diſcontinuis partialibus, dummodo talia loca nõ diſtent inter ſe maiori ſpatio, quam ſit huius ciuitatis, nam D.Thom. in hoc articulo in ſolutione argumentorum admittit Angelum euertentem Sodomam, fuiſſe in toto ambitu illius ciuitatis, & tamen conſtat quod non ſemper operabatur cõtinuo in toto illo ſpatio,ergo aliquando fuit in locis diſcõtinuis. Tertio probatur inductione facta per omnes modos quibus ſolet dici Angelos eſſe in loco. Nam ſi ſit in loco per operationem, neceſſario videtur concedendum quod poſsit eſſe in locis diſcontinuis, contentis intra ſpheram ſuæ acti-

Tertium argum. ¶Vltimò. Quia quanuis non habeat Angelus aliquam dependentiam ab ſpatio, habet tamen virtutem limitatam, ratione cuius non poteſt eſſe in loco, niſi limitato modo, ſed talis modus exiſtendi in pluribus locis diſcontinuis partialibus, ſiue inadæquatis, non eſt limitatus modus, ergo.

Sententia Doctoris Magiſter Zumel. ¶Vltima ſententia eſt Doctor. vt patet in litera quam etiam defendunt nonnulli ſuper primam partem D. Thom. quæſtione 52. articulo. 2. quæſtione. 1. ante quartam concluſionem dicentes, ſed hæc res eſt ſatis dubia, & certè à priori non conſtat nobis cur in hac parte ſit repugnantia.

Notab. 1. Pro explicatione tamen huius quæſtionis eſt primo notandum quod cum Angelus habeat virtutem limitatam, ita etiam requirit locum limitatum taliter quod (vt ſupra dicebamus contra Durandum) Angelus non habet pro loco ſuæ actiuitatis totum vniuerſum ſimul, quanuis in toto vniuerſo poſsit operari, quia non poteſt ſimul operari in toto vniuerſo, & ſic à poſteriori arguimus ipſum non eſſe in toto vniuerſo ſimul ſed habet ſuam ſphæram ſuæ actiuitatis limitatam intra quam poteſt agere, & extra quam eius virtus non poteſt ſe extendere, & iſte locus dicitur locus Angeli adæquatus ita quod eſt totus locus in quo Angelus poteſt eſſe, & operari ſecundum ſuam virtutem naturalem, ita quod non in maiori. Pars autem huius loci adæquati vna, ſiue plures, dicitur locus inadæquatus ipſius Angeli, quia poteſt agere Angelus in maiorem diſtantiam quam eſt pars, vel partes illius loci adæquati. v. g. ſi tota ciuitas eſt locus adæquatus Angeli, medietas, vel locus minor iſta ciuitate eſt inadæquatus.

Notab. 2. ¶Secundò eſt notandum, quòd eſſe in loco ſecundum communem modum loquendi ſcholaſticorum contingit dupliciter, ſcilicet, circunſcriptiuè, & diffinitiuè. Circunſcriptiuè competit corporibus quatenus mediante quantitate circum menſurantur loco, ita quod tantus eſt locus, quanta eſt quantitas illorum. Diffinitiuè autem nihil aliud eſt quam quod ex modo exiſtendi in aliquo loco, ita ſit ibi quod repugnet eſſe alibi. Ex quo prouenit quod regulariter loquendo quidquid eſt in loco circunſcriptiuè etiam eſt diffinitiuè, quia quantitas ratione cuius corpora ſunt in loco, non ſolum eſt ratio circum menſurandi, & circunſcribendi, ipſum corpus cum loco, ſed quia finita eſt ſimul determinat corpus ad eſſe hic, quod non alibi, & ſic includit diffinitionem quanuis hoc non conueniat illi ex formali ratione circunſcriptionis, cum poſsit Deus de potentia abſoluta ponere vnum, & idem corpus in pluribus locis cum commenſuratione corporis ad locum abſque diffinitione. Quod ſi aliquid ſit in loco non adæquando illum, ſed tanquàm in loco partiali, tunc dicetur eſſe in loco partialiter, & per conſequens nec circunſcriptiuè, nec diffinitiuè, quia iſti modi eſſendi in loco conueniunt rei exiſtenti in loco totaliter.

Prima conclusio. ¶Prima concluſio. Impoſsibile eſt quod Angelus virtute ſua ſit in pluribus locis adæquatis ſuæ potentiæ. Hæc concluſio communis eſt. Et probatur. Ratio exiſtendi in loco Angelo eſt finita, ergo illi correſpondet locus ſibi adæquatus, & per conſequens non poteſt illi correſpondere duplex locus adæquatus, ergo neque poteſt Angelus eſſe in pluribus locis adæquatis. Patet conſequentia. Quia ſi duplex locus correſpondet. Angelo, ergo nullus eſt illi adæquatus, nam locus adæquatus eſt qui adæquat virtutem Angeli, & de quo dicitur, quod tantus eſt, quanta virtus Angeli eſt.

¶Confirmatur. Sic ſe habet quantitas virtualis reſpectu Angeli, ſicut ſe habet quantitas molis reſpectu corporis ſed corpus non occupat infinitum locum, neque maiorem locum, quam correſpondet quantitati molis, ergo neque Angelo poteſt correſpondere maior locus, quàm quod illi conuenit ſecundum quantitatem virtutis. Patet ſequela, quia quantitas virtutis eſt Angelo ratio exiſtendi in loco.

¶Confirmatur ſecundo, quia certum eſt vnumquemque Angelum habere certam, & determinatam ſpheram ſuæ actiuitatis extra quàm non poteſt agere, alius maiorem, alius minorem. Iuxta maiorem vel minorem perfectionem ſubſtantialem, ergo ſi v. g. ſpatium vnius milliaris eſt ſphera ſibi adæquata, & vltra illā non poteſt agere, ergo neq; vltra illā poteſt eſſe. Patet ſequela, qa Angel⁹ poteſt in illo ambitu eſſe in quo poteſt operari. ¶Vltimò. Angelus eſt diffinitiuè in loco adæquato ergo non poteſt

eſſe ſimul in pluribus locis adæquatis. Patet ſequela, quia eſſe diffinitiuè dicit ita eſſe hic quod non alibi.

Secunda concluſio. ¶Secunda concluſio. Si Angelus eſſet in loco per operationem poteſt exiſtere in pluribus locis partialibus diſcontinuis intra ſpheram ſuæ actiuitatis. Hæc cõcluſio probatur, quia Angelus intra ſpheram ſuæ actiuitatis poteſt operari in locis diſcontinuis abſque eo ꝙ operetur in locis illis cõtinuis, quia poteſt in vno loco defendere hominẽ, & in alio occidere alium, nihil operando in locis intermedijs, ergo quamuis eſſet in illis locis in quibus operatur localiter, in loco tamen in quo non operatur eſt vt in non loco: ergo ſi Angelus eſt in loco per operationem poterit eſſe in pluribus locis diſcontinuis localiter.

Tertia cõcluſio. ¶Tertia concluſio. Angelus non poteſt eſſe in pluribus locis diſcontinuis inadæquatis exiſtentibus extra ſpheram ſuæ actiuitatis, hæc concluſio etiam communis eſt, & probatur, quia quamuis illa duo loca in ordine ad propriam ſpheram actiuitatis Angeli, ſint inadæquata, quatenus tamen includunt diſtantiam incompoſsibilem habent rationem loci adæquati, & ſic implicat Angelum eſſe in illis duobus locis, non ratione ipſorum, ſed ratione diſtantiæ. Confirmatur: quia ſequeretur quod poſſet Angelus exiſtens in terra, operari in cælo abſque motu locali, & ſine eo, quod relinquat terram, hoc autem eſt peruertere ordinem naturæ.

Quarta cõcluſio. ¶Quarta concluſio. Si Angelus eſt in loco per ſuam ſubſtantiam, ſiue per quantitatem ſuam virtualem, dubium eſt an poſsit eſſe in pluribus locis diſcontinuis partialibus. Hæc concluſio eſt contra nonnullos aſſerentes immerito ſub dubio hoc reliquiſſe Doctorem. Probatur tamen contra illos: quia hæc res ſatis dubia eſt, & certè non conſtat nobis cur in hac parte ſit repugnantia, vel conuenientia, ergo dubium eſt ſi poteſt eſſe in pluribus locis diſcontinuis, ſi eius ſubſtantia eſt ſibi ratio exiſtendi in loco.

¶Secundò. De hac re, ſi Angelus eſt in loco per operationem, duplex inter Thomiſtas probabilis circunfertur ſententia. Et per conſequens dubia manet vtraque propoſitio, ſed non magis demonſtrant rationes contra prædictum ſententiam, ſi Angelus eſt in loco per ſuam ſubſtantiam, ergo etiam manebit dubia vtraque propoſitio. Probatur minor. Nam ratio quam ipſi adducunt contra Doctorem nihil valet. Dicunt enim ſi Angelus ſecundum ſuam ſubſtantiam eſt in loco certum eſt quod ſicut nõ poteſt diuidere, aut ſeparare ſuam ſubſtantiam à ſeipſa, ita non poteſt illam ponere in ſeparatis locis, ſed iſta ratio nihil valet, quia ſequeretur ex ea quod non poſſet eſſe aliqua ſubſtantia in locis diſcontinuis partialibus abſque ſeparatione, & diuiſione ipſius, quod eſt contra communem experientiam; nam anima rationalis, poteſt eſſe in duabus corporis partibus diſcontinuis, tota in qualibet parte. Neque ſolutio illorum aliquid valet (dicẽdo) quod anima rationalis eſt in corpore per informationẽ, & per cõſequẽs poſſet informare illas duas partes diſcõtinuas. Cõtra, quia ſaltim ſetim ſequitur quod poteſt aliqua ſubſtãtia eſſe in pluribus locis diſcõtinuis abſq; eo quod ſit in intermedijs. Quod ſi dicas hoc Deum poſſe facere, non verò Angelum contra, ergo non repugnat ipſi Angelo poni in duobus locis diſcontinuis abſq; diuiſibilitate ſuæ naturæ & ſubſtantiæ, & per conſequens ratio indiuiſibilitatis non eſt ratio repugnantiæ ad hoc quod Angelus non poſsit eſſe in locis inadæquatis diſcontinuis. Patet ſequela, quia Deus non poteſt diuidere, & ſeparare ſubſtantiam à ſeipſa, quia ipſa ex natura ſua indiuiſibilis eſt. Confirmatur. Secundum fidem hoſtia conſecrata continet corpus Chriſti totum in toto, & totum in qualibet parte, quod ſi aliquæ partes ſpecierum corrumpantur definit eſſe ſub illis corpus Chriſti manet tamen ſub ſpeciebus non corruptis, & hoc abſque aliqua diuiſione, & ſeparatione ipſius corporis à ſeipſo, ergo & ſubſtantia Angeli poteſt eſſe in ſeparatis locis abſque diuiſione, & ſeparatione à ſeipſa. Secunda pars probatur, nam dubium eſt dato quod ſubſtantia Angeli poſsit poni in locis ſeparatis diſcontinuis, an hoc requirat virtutem infinitam, an vero ſufficiat virtus finita; ſi neceſſaria eſt virtus infinita, certum eſt quod non poteſt Angelus ſe ponere in duabus partibus diſcõtinuis. Si autẽ ſufficit virtus finita, nõ apparet quare deneganda ſit Angelo, ergo ſi Angelus eſt in loco per ſuã ſubſtãtiã merito reliquit Doctor ſub dubio an poſsit ſe ponere in locis diſcontinuis partialibus. Probatur ſequela.

Dubium eſt an ad hoc requiratur virtus finita vel infinita. Dubium etiam eſt ſi virtus tanta ſufficit vt iſta operatur in Angelo, certum tamen mihi eſt non repugnare ſubſtantiæ Angeli ex eo quod ſit indiuiſibilis, & inſeparabilis a ſeipſa, ergo dubium eſt vtrum illa virtus competat ipſi Angelo, & per conſequens, an Angelus poſſit ſe ponere in locis partialibus diſcontinuis. ¶Vltimo probatur prædicta ſententia, quia ſunt rationes pro vtraque parte & neutræ concludunt demonſtratiue, ſed tantum probabiliter, ergo merito relinquitur ſub dubio vtraque pars. Ideo immerito determinatur altera pars vt patet reſpondendo earum rationibus.

Ad argu. pro prima ſenten.

¶Reſpondetur argumentis pro prima ſententia. Ad primum reſpondetur, quòd quãuis Angelus non ſit in loco per continuationem, nec per dependentiam ab ſpatio, vel à loco per modum formæ, dependet tamen ab illo ſicut dependet locatum à loco, & ſic facile non poteſt intelligi quod ſecundum ſuam ſubſtantiam ſit præſens partibus diſcontinuis, & non partibus intermedijs.

¶Ad primam confirmationem, quod quamuis poſsimus intelligere talem modum exiſtendi non repugnare Angelo, ſecundum potentiam paſsiuam, non tamen poſſumus intelligere, an illud repugnet Angelo, vel poſsit illi conuenire ſecundum potentiam actiuam, nam multa poſſunt conuenire corpori ſecundum potentiam paſsiuam (vt eſſe in pluribus locis) quæ repugnant potentiæ actiuæ ipſius corporis.

¶Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, quod illa tantum probat non repugnãtia ex parte potentiæ paſsiuæ, non tamen probat ex parte potentiæ actiuæ, nam corpus Chriſti in tali caſu ponitur in pluribus partibus diſcontinuis, ſed ipſum corpus nõ ponit ſe ſed virtute diuina ponitur.

¶Ad ſecundum reſpõdetur dupliciter. Primo cum Ferrara, & reliquis Thomiſtis, quod Angelus non poteſt exiſtere in pluribus locis niſi illa ſumantur vt integrantia vnum locum, vnde quando Angelus erat in toto ambitu ciuitatis Sodomæ, nihilominus tamen operabatur in illis locis diſcõtinuis per modum vnius loci. Vel ſecundo reſpondetur, & melius quod illud argumẽtum tantum concludit ſi Angelus eſſet in loco per operationem, ſecus autem ſi eſt in loco per ſuam ſubſtantiam.

¶Ad tertium reſpondetur, quòd quamuis non ſit repugnantia ex parte ſpatij, neque ex parte ſubſtantiæ ipſius Angeli, quãtum eſt ex parte potentiæ paſsiuæ, forſan eſt repugnantia ex parte potentiæ actiuæ, & quia non apparet talis repugnantia, neque oppoſita conuenientia. Ideo merito à Doctore ſub dubio relinquitur.

Ad argu. pro ſecunda ſententia.

¶Ad argumenta pro ſecunda ſententia reſpondetur ad primum, quod comparatio ad vnam virtutem poteſt contingere dupliciter, ſcilicet, adæquatæ & inadæquatæ: adæquatę cõceditur, & hoc eſt quod nos dicimus in prima concluſione. Secus autẽ inadæquatæ, quia plura inadæquata poſſunt comparari ad vnum adæquatum.

¶Ad primam confirmationem reſpondetur negando paritatem rationis quia licet maneat eadem ratio diſtantiæ, non tamen idem modus, quia reſpectu illius Angeli ille locus non eſt adæquatus.

¶Ad ſecundam confirmationem reſpondetur negando antecedens, quia vnus locus dicitur ille qui adæquat ſecundum ſuam rationem modum & quantitatem locati.

¶Ad vltimum reſpondetur negando antecedens niſi forſan aliquibus, quamuis non appareat adeò clarum. Et propter hoc ſub dubio relinquitur à Doctore.

TEXTVS.

SED quod in duobus locis, ſiue adæquatis, ſiue non, poſſet eſſe per potentiam diuinam, certum puto: quia nullam contradictionem includit diſt. 2. quæſt. 7. litera D.

EXPLICATIO LITERÆ.

IN hac litera Doctor duplicem reſoluit quæſtionem quorum altera eſt, vtrùm poſsit Deus ponere eundem numerum Angelo in diuerſis locis inadæquatis, & ſecundo, vtrùm in diuerſis locis adæquatis. Ad vtramque reſpondit affirmatiuè, quia nullam includit contradictionem talis poſitio, vt ipſe docet in 4. diſtin. 10. quæſt. 2. loquens de corporibus. Eſt tamen aduertendum, quod præſens quæſtio Doctoris poteſt intelligi in duplici ſenſu. Primus eſt an illud ſit abſolutè poſsibile. Secundum eſt an exẽplo illo corporis Chriſti poſsit probare eſſe poſsibilem ſupradictã poſitionem

eiuſdem Angeli in duobus locis diſcontinuis. Ad hanc quæſtionem ſecundam reſpondent nonnulli negatiuè. Et ratio illorũ eſt, quoniam corpus Chriſti non eſt in ſacramẽto localiter, at vero Angelus eſt in loco localiter, & in illis locis diſcontinuis tãquam in loco. Contrarium tamen huius tenẽdum eſt tanquàm magis veritati conſonum. Et ratio eſt, nam tota ratio (quare ipſi negant Angelum poſſe eſſe in duobus locis diſcontinuis inadæquatis) ea eſt, quia inintelligibile videtur quod ſubſtantia Angeli naturaliter poſsit eſſe præſens, & vnita duobus extremis alicuius ſpatij, quin etiã ſit præſens ipſi ſpatio, ſed iſta ratio parum valet, nam non minus videtur inintelligibile quod aliqua ſubſtantia ſit præſens, & vnita duobus extremis alicuius quãtitatis, & non ſit præſens quantitati intermediæ, inter illas quantitates. Sed hoc ſecundum eſt fatendum ſecundum fidem, ergo. Et primam nullam includit contradictionem, & per conſequens dicendum eſt, quod ſicut non implicat ſubſtantiam corporis Chriſti, vel corpus Chriſti, eſſe vnitum duobus accidentibus diſcõtinuis, imo dicere (ſecundum quod vnitum iſti accidenti abſque informatione) reſpectum præſentialitatis ad iſtum locum, quia verum eſt dicere, in hoc loco eſt corpus Chriſti quem reſpectum ſecundum numerum non dicit ad alium locum, quia hic poteſt eſſe ſurſum ibi autem deorſum. Ita dicẽdum eſt non implicare aliam quamcunque ſubſtantiam creatam, non habere repugnãtiam, ad hoc vt abſque diuiſione ipſius poſſit eſſe in pluribus locis inadæquatis, cũ ex indiuiſibilitate ipſius, non ſumatur efficax argumentum ad improbandam prædictam poſsibilitatem. Quod ſi reſpondeas ipſos tantum fateri illam impoſsibilitatem naturaliter, Contra, quia iſta reſponſio non eſt reſponſio ad quæſtionem: nam quæſtio eſt vtrùm ex poſsibilitate quam reperimus in corpore Chriſti ad exiſtendum ſacramentaliter ſub pluribus partibus diſcontinuis eiuſdem accidentis, poſsit colligi poſsibilitas ſubſtantiæ abſque diuiſione ipſius per aliquam potentiam, ſiue naturalem, ſiue ſupernaturalem: quia quod implicat contradictionem ex ratione ſua formali reſpectu cuiuſcumque potentiæ implicat contradictionem; ergo ſi Deus poteſt Angelum in locis inadæquatis diſcontinuis conſtituere, non implicat contradictionem Angelũ eſſe in pluribus locis inadæquatis diſcontinuis. Quod autem non implicet in ordine ad potẽtiam diuinam, patet ex eo, quia ſecũdum fidem fatemur Deum ponere corpus Chriſti ſub diuerſis partibus diſcontinuis eiuſdẽ accidentis ſine diuiſione ipſius, ergo nõ implicat aliquam ſubſtantiam eſſe præſentem diuerſis ſpatijs abſque diuiſione ipſius. Omiſſa igitur prædicta difficultate cur præſens litera clarior reddatur, ſit titulus quæſtionis.

QVÆSTIO X.

¶*Vtrùm idem Angelus poſsit eſſe in pluribus locis.*

DE hac re duplex eſt principalis ſententia. Prima eſt quorundam aſſerentium, quod (ſi ratio exiſtendi in loco Angelis eſt operatio tranſiens) implicat apertam contradictionem, quod Angelus ſit in pluribus locis adæquatis, ſiue virtute propria, ſiue diuina. *Prima ſententia.* Probant ſuam ſententiam, nam virtute propria tantum poteſt operare intra certũ ambitum, cum ergo repugnet extra illum operari virtute propria, repugnat manifeſtè in alio loco, quam in illo cõſtitui virtute propria. *Primum argum.* Quod autem etiam repugnet fieri virtute Diuina, eadem ratione probatur. Quãuis enim indubitatum, & certum ſit, quod virtute Diuina aſſumẽte (ſcilicet ipſo Deo) Angelum vt inſtrumentum, operatio Angeli extendi poſsit ad locum ampliorem, quam exigat propria virtus, ſed hoc pacto non ſunt plures loci adæquati virtutis Angelicæ, vel operationis, quia hoc modo ſumpta virtus Angeli extendit ſe vt inſtrumentum ad omnem locum, ad quem ſe extendit virtus Diuina, vt cauſa propria: ergo ſicut repugnat Deum eſſe in pluribus locis adæquatis; ita repugnat Angelum virtute Diuina aſſumptum ad operandum eſſe in pluribus locis adæquatis. Concedimus enim Angelum poſſe eſſe inſtrumentum Dei ad omnia, quę Deus poteſt cauſa propria) excepta creatione: differunt tamen in hoc, quod Angelus vt inſtrumentum Dei poteſt in locis diſcontinuis operari non operando in medio, etiam ſi medium ſit, Deus autẽ nõ poteſt, & hoc non eſt ſignũ impotẽtiæ, ſed omnipotentiæ, quia omnia dependent ab ipſo fieri, eſſe, & operari.

¶Secun-

¶Secundò. Si Angelus virtute diuina poteſt eſſe in pluribus locis adæquatis, ſequitur Angelum poſſe operari in plus, quam ipſe poteſt virtute diuina, ſed hoc manifeſtam includit contradictionem, ergo. Probatur minor. Angelo ſecundum quod habet virtutem eleuatam per virtutem diuinam correſpōdet ſibi aliquis locus adæquatus, vel ergo poteſt, vt ſic operari extra illū locum, qui correſpondet tali virtuti eleuatæ vel non, ſi non, ergo non poteſt eſſe in pluribus locis: ſi poteſt, ergo magis poteſt, & in plus poteſt operari quam virtute diuina poteſt: hoc implicat, ergo & eſſe in pluribus locis adæquatis.

Tertium argum. ¶Tertiò. Si aliqua ratione poteſt Angelus eſſe in pluribus locis adæquatis virtute diuina, maximè, quia non repugnat Deum facere vt Angelus propria virtute operetur in locis adæquatis, & diſcontinuis, ſed hoc multo euidentius repugnat, ergo. Probatur minor. Quia ſi Deus non aſſumat Angelum vt inſtrumentum ad operandum, ſed relinquat illum in ſuis viribus, nihil poterit vltra eas operari, atque adeo ſi in alio loco diſtincto operetur præterquam in adæquato, ſequitur in plus operari quam poſsit virtute propria, ergo ſicut repugnat Deum facere vt homo (qui tantum poteſt portare virtute propria centum libras) virtute propria portet ducentas, ſed neceſſe eſt vt duplicato pondere duplicetur etiam virtus ſaltim inſtrumentaria. Ita ſimiliter, ſi Angelus virtute propria tantum poteſt intra cētum paſſus, repugnat Deum facere vt eadē virtute propria operetur intra ducentos paſſus, ſed ſicut duplicatur locus, ita oportet duplicare & virtutem ſaltim inſtrumentariam. ¶Confirmatur. Nam dato quod idē corpus eſſet in duobus locis per virtutem diuinam, vt fatetur Scotus, nō ex hoc poſſet portare maius pondus exiſtens in illis duobus locis, quam quod poteſt portare in vno exiſtens, ergo nec Angelus exiſtens in pluribus locis poterit in plus operari, quā ſi in vno exiſteret: & per conſequens, ſi Angelo operatio tranſiens eſt ratio exiſtendi in loco, implicat apertam contradictionē, quod Angelus ſit in pluribus locis adæquatis, ſiue virtute propria, ſiue diuina.

Secunda ſententia. ¶Secunda ſententia eſt aliorum ſuper primam partem D. Tho. quæſt. 52. art. 2. q. 1. concl. 2. aſſerentium: Per diuinam omnipotentiam Angelus conſtitui poteſt in pluribus locis adæquatis. Non enim videtur repugnare potentiæ diuinæ abſolutè, quod Angelus ſit ſimul in duobus locis totalibus. Quam cōcluſionem dicunt Caiet. ibidem, & probant, nam etiam in corporibus poteſt Deus id facere, & myſterium Euchariſtiæ hoc cōfirmat, nam corpus Chriſti Domini eſt in cælo, & ſimul tempore eſt in ſacramento. Imo in pluribus numero ſacramentis, imo eſt probabile quod vnum corpus, poteſt eſſe ſimul in pluribus locis adæquatis localiter, ergo multo magis vnus Angelus. ¶Et præterea, quia licet naturaliter non poſsit operari in alio loco, tamen poteſt ſupernaturaliter, vel illud idem operari, quod in alio loco, vel aliud ſimile, vel aliquem ſaltim effectum ſupernaturalem, ergo ſicut eadem quantitas, de potentia abſoluta Dei poteſt eſſe in duobus locis, ita Angelus poterit eandem operationem in alio loco exercere, vel in vno loco operationem naturalem habere, & in alio ſupernaturalem, tanquam inſtrumentum Dei.

¶Vltimò. Nihil eſt denegandum diuinæ omnipotentiæ, niſi vbi euidens ratio contrarium manifeſtauerit.

¶Tertia ſententia eſt Doctoris vt patet in litera. Pro cuius explicatione eſt primo notandum, quòd quamuis prædicti duo opinantes adducant Doctorem, primus vt contra ſe, ſecundus pro ſe: ſi tamen bene inſpiciatur Doctor, neque opponitur primo, neque fauet ſecundo. Et ratio huius eſt. Nam Doctor reſpondet quæſtioni ſuppoſito tamen quod Angelus ſit in loco per ſuā ſubſtantiam, vel quātitatem virtualem. Et hoc poſito probat ſuam partem, quia ſi corpus poteſt eſſe in pluribus locis adæquatis virtute diuina, quanto magis Angelus. At vero prædicti opinantes ſupponunt Angelū eſſe in loco per operationem, taliter quod ſi ſubſtantia Angeli ſit præſens loco, nihil ibi operando, fatentur eſſe ibi, ſed non vt in loco, & ſic non eſt oppoſitio, neque conueniētia inter Doctorem, & prædictos opinantes formaliter loquendo. *Sententia Doctoris.* *1. Notab.*

¶Secundò eſt notandum, quòd aliter loquēdum eſt in hac quæſtione, ſi Angelus eſt in loco per ſuam eſſentiam, & aliter ſi eſt in loco per ſuam operationem, quia aliter ſe habet Angelus reſpectu ſuæ eſſentiæ, & aliter reſpectu ſuæ operationis. *2. Notab.*

¶Tertiò eſt notandum, quòd ſi Angelus eſt in loco per ſuam eſſentiam, aliud eſt quærere, *3. Notab.*

O 5 rere,

rere, per quid Angelus eſt in loco, & aliud per quid conſtituitur eſſe in loco. Et ratio diſcriminis eſt. Quia conſtitutio qua Angelus conſtituit ſe in loco reſpicit potentiam actiuam ipſius Angeli: at vero conſtitutio qua Angelus conſtituitur in loco reſpicit potentiam paſsiuam, ſiue eſſentiam Angeli ſecundum quod eſt ſuſceptiua illius præſentialitatis, ſiue reſpectus realis ad hoc & illud vbi. Et ratio huius eſt, quia in plus poteſt moueri Angelus, quam mouere ſe, quia poteſt moueri ab alio Angelo maioris virtutis actiuæ, quam ipſe in ſe habeat, non tamen poteſt in plus moueri quam ipſe in ſe poſsit recipere motionem. Quare aliud eſt Angelum poſſe ſe ponere extra ſpheram ſuæ actiuitatis, & aliud eſt Angelum poni extra ſpheram ſuæ actiuitatis, primũ enim certum eſt non poſſe Angelum ponere ſe extra ſpheram ſuæ actiuitatis, quia non poteſt Angelus agere vltra ſuã virtutem actiuam. Certum etiam eſt poſſe Angelum poni extra ſpheram ſuæ actiuitatis, quia in minori ſpatio quo Angelus poteſt trãſire ſpatium vnius milliaris ſi ſeipſum moueat, poteſt tranſire illud, & maius ſpatium, ſi moueatur ab alio habente maiorem virtutem.

Notab. 4. ¶Quartò eſt not. dum, quòd præſens quæſtio poteſt diſputari in duplici ſenſu. Primus eſt, vtrum dato quod ſubſtantia Angeli ſit illi ratio eſſendi in loco, poſsit Deus de potentia abſoluta ponere illum in pluribus locis. Secundus ſenſus eſt, vtrum dato quod operatio tranſiens ſit illi ratio exiſtendi in loco, &c.

Prima cõclusio. ¶Prima concluſio. Si ſubſtantia Angeli eſt illi ratio exiſtendi in loco, poteſt Deus de potentia abſoluta ponere eundem numero Angelo in diuerſis locis adæquatis, vel inadæquatis. Hæc concluſio eſt Doctoris in litera. Eandem defendit Alexand. 4. par. quæſt. 44. membro. 7. Grego. in 2. diſtin. 2. quæſt. 3. & probatur, quia Deus poteſt ponere idem corpus numero in pluribus locis, ergo & Angelum. Antecedens probabitur quæſt. ſeq. Sequela autem eſt manifeſta, nam maior repugnantia reperitur in corpore quam in Angelo. ¶Confirmatur. Quia illud quod non habet manifeſtam contradictionem non eſt Deo denegandum, ſecundum potentiam abſolutam, ſed nulla apparet contradictio ex hoc quod idem Angelus ſit in pluribus locis per potentiam Dei, ergo. Probatur minor. Nam reſpectu potentiæ paſsiuæ Angeli ad exiſtendum in loco tantum requiritur potentia obedientialis in ordine ad Deum, & quod ſit ſuſceptiua alterius præſentialitatis adæquatæ, quantum eſt ex parte ipſius naturæ Angeli. Sicut v. g. ad hoc quod corpus ponatur in aliquo loco, tantum requiritur potentia paſsiua ipſius corporis obediens alicui agẽti, vel cuius obedientia ad aliquod agens, nam bene poteſt contingere aliquod corpus poſſe poni in iſto loco per aliquod agens, quod quidem corpus, non poſſet poni in eodem loco per aliud agens quia reſpectu vnius, potentia paſsiua corporis, ſiue motiuã eſt in potentia obedientiali, quia poteſt mouere illud corpus, tale agens, & corpus moueri à tali agente, & reſpectu alterius agẽntis eadem potentia paſsiua non eſt in potentia obedientiali, quia tale agens non poteſt mouere illud corpus, neque illud corpus moueri à tali agente. Vnde ex parte corporis tantum præciſe requiritur neceſſario quod ſit ſuſceptiuum præſentialitatis ad vbi, quod ſi ſuſcipit, vel poteſt ſuſcipere aliam, & aliam præſentialitatem, poterit eſſe in alio, & alio loco, ſed ſubſtantia Angeli eſt ſuſceptiua alterius, & alterius præſentialitatis ex parte ſua, & eſt in potẽtia obedientiali ad Deum tanquã ad agens, quod poteſt ponere illum ſimul in alio, & alio loco, ergo nulla apparet repugnantia, quarè Angelus non poſsit eſſe de potentia Dei abſoluta in pluribus locis.

¶Secunda concluſio. Si Angelo operatio tranſiens eſt ratio exiſtendi in loco implicat contradictionem, poſſe ſe ponere per aliquam virtutem in pluribus locis adæquatis. Hæc concluſio probatur rationibus adductis in prima ſententia. Et probatur. Præterea implicat contradictionem aliquod agens habere duplicem operationem tranſeuntem adæquatam, ergo & duplicem locum adæquatum. Probatur antecedens. Nã implicat Angelum agere vltra ſuam virtutem actiuam, ergo vel vnus locus ex illis pluribus eſt illi virtuti adæquatus vel non, ſi eſt, ergo vltra illum non poteſt agere, nã ſi poteſt agere extra illum, ergo ille non erat adæquatus virtuti actiuæ. *Secunda concluſio.*

¶Tertia concluſio. Si Angelus ſit in loco per operationem tranſeũtem, poteſt Deus de potentia abſoluta ponere eundem numero Angelum in duobus locis adæquatis, Hæc concluſio probatur. Poſſet Deus de poten- *Tertia concluſio.*

potentia abſoluta Angelum exiſtentem in aliquo loco per operationem tranſeuntem ſibi adæquatam ponere in alio loco ſimul & illam operationem, ergo Angelus tunc poterit eſſe in duobus locis adæquatis. Probatur antecedens. Poteſt Deus ponere eandem ſubſtantiam Angeli in alio loco, & poteſt etiam eandem numero actionem, ergo poteſt Angelum localiter etiam in alio loco adæquato locare. Probatur ſequela. Non magis repugnat iſtam operationem, quæ eſt in hoc loco ponere in alio loco quam hanc ſubſtantiam ponere in alio loco, ſed non repugnat hanc ſubſtantiam exiſtētem in hoc loco ponere ſimul in alio loco, ergo nec repugnat hanc operationem exiſtentē in hoc loco ponere in alio loco.

¶Secundò. Si aliqua ratione repugnaret Angelum eſſe in alio, & alio loco, maximè quia operatio tranſiens reſpicit virtutem actiuam, & reſpectu virtutis actiuæ, ille locus eſt adæquatus, qui adæquat ipſam virtutem actiuam, & ſicut non poteſt dari duplex operatio adæquata, ita nec poteſt dare duplex locus adæquatus, ſed iſtud fundamentum nihil probat, ergo. Probatur minor. Nam quamuis operatio tranſiens ſit Angelo ratio exiſtendi in loco, non eſt illi ratio exiſtendi, niſi quatenus ſe habet vt forma ipſius agentis denominans ipſum, ſed forma vt forma reſpicit potentiam paſsiuā, & ſuſceptiuam formæ illius, ergo. Confirmatur, (& ſit claritatis gratia, actio immanens Angelo ratio exiſtēdi in loco) certum eſt quod illa actio eſſet Angelo ratio exiſtendi in loco, quatenus eſſet forma ipſius Angeli, & nō quatenus eſſet effectus illius, ſed poſſet Deus de potentia abſoluta ponere non ſolum Angelum, ſecundùm ſubſtantiam in alio ſimul loco, ſed etiam illam intellectionem, ſiue volitionem, ſiue locutionem, ergo ex illa ratione quod non poteſt Angelus habere duplicem actionē adæquatam, non ſequitur non poſſe eſſe in duplici loco adæquato. Cōfirmatur ſecundò, & ſit v. g. ſpatium meæ vociferationis, ſcilicet, quantum mea vociferatio poteſt attingere triginta paſſus, quis dubitat quod ſi poteſt Deus ponere me, in alio & alio loco ſimul quod ſi ego ſum in iſto loco vociferans per triginta paſſus, poſsit Deus ponere me in alio loco vociferantem per alios triginta paſſus, taliter quod ſi vociferatio mea Salmanticę attingit triginta paſſus, ſi Deus poneret me vociferantem Romæ, eadem numero vociferatione qua Salmanticæ; etiā vociferatio mea prout ibi attinget triginta paſſus, & reſpectu illius vociferationis illi duo triginta paſſus erunt duo loca adæquata meæ vociferationi, ergo ſicut ſi ego eſſem in loco per vociferationē, poſſet Deus ponere me localiter in duobus locis adæquatis, ita quamuis Angelus ſit in loco per operationem tranſeuntem, poterit eſſe in pluribus locis adæquatis.

¶Vt autem iſtæ duæ ſententiæ poſsint conciliari, vt vtraque habeat veritatem ſit quarta concluſio.

¶Quarta concluſio. Implicat contradictionem Angelum poſſe ſe ponere in pluribus locis adæquatis, ſi operatio tranſiens eſt illi ratio exiſtendi in loco quatenus eſt effectus agentis. Non tamen implicat & ſi operatio tranſiens ſit Angelo ratio exiſtendi in loco, ſi ſumatur operatio prout eſt forma, vel prout habens rationem formæ ipſius agentis. *Quarta cōcluſio notanda pro cōciliatione duarū opinionū.* Hæc concluſio explicata manifeſtam reddet hanc quæſtionem explicatur tamen quoad primam partem. Nam ſi operatio tranſiens prout eſt effectus virtutis actiuæ Angeli, tunc dicitur adæquata quando adæquat ipſam virtutem, & tunc adæquat virtutem quando tantum Angelus operatur quantum poteſt operari, ergo tūc erit operatio adæquata virtuti Angeli, quādo ſi Angelus poteſt, ſaltim vt inſtrumentum Dei, ſe ponere hic, & ibi, ponit ſe hic, & ibi, & per conſequens ambo iſta loca cōplebūnt rationem vnius loci adæquati, & quodlibet vbi per ſe erit inadæquatum reſpectu illius virtutis qua Angelus poteſt ſe ponere hic, & ibi. Et in hoc ſenſu intelligendi ſunt autores primæ ſententiæ, & prima noſtra concluſio.

¶Secunda pars concluſionis explicatur. Si enim actio tranſiens ſumatur, ac ſi eſſet forma ipſius agentis, tunc enim reſpicit potentiam paſsiuam agentis, ſecundùm quā agēs eſt capax ex natura ſua tanti loci; & cum per hoc quod ponatur in alio & alio loco non intendatur, nec extendatur iſta potentia paſsiuā, ſed tantum ſit, quod iſta potentia paſsiua quæ ratione iſtius operationis quam in ſe, vel in alio habet, recipit vnam præſentialitatem in ordine ad iſtud vbi, ratione eiuſdem recipiat aliam præſentialitatem ratione cuius ſit præſens alteri vbi, & in hoc ſenſu poteſt Angelus eſſe adæquate in

tè in duobus tribus, vel quatuor locis iuxta voluntatem Dei ponentis illum in illis. Vnde conſiderandum eſt quod quanuis Angelus poſsit vt inſtrumentum virtutis diuinæ ponere ſe in alio, & alio loco adæquato, hoc eſt intelligendum quatenus ratio loci conuenit illi ſecundùm quod eſt in potentia paſsiua ad illum. Et ſic quanuis ille duplex locus habeat rationem vnius adæquati in ordine ad potentiam actiuam ipſius Angeli, habet tamen rationem plurium locorum adæquatorum in ordine ad potentiam paſsiuam, ſicut v. g. dato quod poſsit aliquis homo ſeipſum collocare in duobus locis adæquatis per virtutem Dei, & vt inſtrumentum virtutis diuinæ illa duo loca ſunt vnus locus adæquatus in ordine ad potentiam actiuam inſtrumentalem: at vero in ordine ad potentiam paſsiuam, & ſuſceptiuā præſentialitatis cum adæquata commenſuratione ſunt duo loca ſimpliciter adæquata, ita ſuo modo philoſophandum eſt de Angelis, quia Angeli quanuis eſſent in loco per operationem tranſeuntem operatio tranſiens non eſt illis ratio exiſtendi in loco prout ſicut effectus ipſius Angeli reſpicit potentiā actiuā illius, ſed tātū prout per modum formæ etiam ſi ſit in paſſo denominat ipſum agens. Vnde probabilius cenſeo Angelum poſſe eſſe in pluribus locis adæquatis, etiā ſi operatio trāſiens eſſet illi ratio exiſtēdi in loco, quia vt modo dixi, operatio trāſiēs vt ſic habet rationē formæ, & reſpicit potentiā paſsiuā ipſius Angeli, & in ordine ad potētiā paſsiuā illa plura loca habent rationē plurium adæquatorum quanuis in ordine ad potentiam actiuā habeant rationem vnius loci adæquati.

Ad argumenta pro prima ſententia, ad primum.

¶Ad argumenta pro prima ſententia ex ijs facillime reſpondetur. Ad primum, quod procedit de virtute actiua Angeli, ſecus autem de virtute paſsiua, ſecundum quam Angelus fundat prædictam præſentialitatem.

Ad ſecundum.

¶Ad ſecundum reſpondetur negādo ſequelam, & ad probationem dicitur quod Angelo habēti virtutē eleuatā à Deo correſpondet in ordine ad virtutem actiuā duplex locus in ratione vnius: at vero in ordine ad potentiā paſsiuā ſecundū quā eſt ſuſceptiuus nouæ præſentialitatis illa duo loca ſunt plura loca adæquata ſicut exemplificatū eſt in homine qui vt inſtrumētū Dei poteſt ſe ponere in duobus locis adæquatis ſuæ quātitati, in tali caſu illa duo loca in ordine ad potētiā actiuam illius hominis, eſſet vnus locus adæquat⁹, in ordine tamē ad quātitatē, & ad potentiā paſsiuā eſſent duo loca adæquata.

Ad tertiū.

¶Ad tertium reſpondetur ex eo Angelum poſſe eſſe in pluribus locis adæquatis virtute diuina, quia non repugnat Deū ponere Angelum, & eius operationem ſimul in diuerſis locis adæquatis. Vnde ad probationem minoris reſpondetur, quòd in tali caſu Angelus non operatur vltra ſuam virtutē, imo operatur ſecundùm ſuam virtutem & illi idem operationi correſpondet duplex locus adæquatus, quatenus eadem numero operatio, hic, & ibi, reperitur, poſita per virtutē diuinā ſicut & ipſa ſubſtantia Angeli.

Ad cōfir.

¶Ad confirmationem reſpondetur concedendo antecedens, quia portare reſpicit potentiam actiuā, & ſic nō poſſet portare maius pondus exiſtens in duobus locis quam exiſtens in vno: nihilominus tamen ſicut poſſet Deus ponere idē corpus in duobus locis, ita poſſet ponere idem corpus cum eodem pondere in duobus locis, & ſic poteſt eundem Angelum cum eadem operatione in diuerſis locis adæquatis collocare.

Ad argumenta pro ſecūda ſententia.

¶Reſpondetur argumentis. Ad argumenta pro ſecūda ſententia reſpondetur, quia argumenta pro prima ſententia non militant cōtra noſtrā cōcluſionē. Ad primū negādo paritatē rationis, nā corpora non ſunt in loco per operationē trāſeuntē, & ſic ratio exiſtēdi in loco in corporibus nō reſpicit aliquā potētiā actiuā, ſed tantū potentiā ſuſceptiuā: at vero in Angelis operatio tranſiens ſecundū ipſos. q. 52. ar. 1. q. 4. concl. 4. eſt ratio exiſtēdi in loco, quia ſecundū ipſos Angelus tantum eſt localiter vbi aliquid operatur operatione tranſeunte, & quia implicat aliquā virtutē, vel aliquē Angelū habere duplicē operationē trāſeuntē adæquatam, ideo eſt manifeſta repugnantia ſi Angelus eſt in loco per operationem tranſeuntem eſſe in pluribus locis adæquatis. Et per hoc patet ad illud de corpore Chriſti, quia corpus Chriſti non ponit ſe in ſacramento, ſed ponitur, per cōuerſionē, & quando ſe poneret illa poſitio, vel actio trāſiēs nō eſt illi ratio formalis exiſtēdi in ſacramēto, ſed tātū effectiua.

Ad ſecundum.

¶Ad ſecundū reſpōdetur, ꝙ neq; naturaliter, neque ſupernaturaliter poteſt aliam nec eandem operationem habere in duobus locis adæquatis, quia tunc nullum per ſe eſſet adæquatum, ſed ambo ſimul cōſtituerent vnum locum adæquatum.

QVÆ-

QVÆSTIO XI.

¶Utrùm de potẽtia abſoluta poſſit Deus idem numero corpus in diuerſis locis collocare.

Prima ſententia. DE hac re duplex eſt principalis ſententia. Prima eſt D. Tho. 3. par. quæſt. 75. artic. 1. & quæſt. 76. art. 5. & 8. & in 4. diſtin. 10. quæſt. 3. & in quodlibeto. 1. artic. 22. & quodlibeto. 3. art. 2. Eandem docet Henricus quodlib. 9. quæſt. 31. & Ægidius Romanus quodlib. 1. quæſt. 1. Gothfredus quodlib. 3. quæſt. 4. Alanus in 4. diſt. 1. qui omnes aſſerunt, omnino repugnare idem corpus in duobus locis collocari. Probant autem ſuam ſententiam primò, quia ſi idem corpus poteſt in duobus locis collocari, ſequeretur, quod in pluribus, & in omnibus, & quod vbique collocari poſſet, manens cum eadem dimenſione abſque vlla dilatatione ſui. Nihil enim refert, quod illa loca ſint continua, vel diſcontinua: hoc autem manifeſtam dicit contradictionem, quia de ratione loci adæquati eſt, quod immediatæ contineat coſtas, & latera locati, ſed implicat contradictionem, vt granum milliJ v. g. manens in ſua paruitate, immediatè contineatur vndique à primo mobili, ita vt ſuperficiem eius connexam dimetiamur ſuperficie concaua primi mobilis, cum ergo de ratione loci ſit vt circunſcribat, & includat locatum, repugnat locatum conſtitui extra ipſum locum, ergo repugnat eſſe in alio loco, & idẽ poteſt argui de gutta aquæ quæ ſi poteſt eſſe in pluribus locis, poſſet igitur etiam occupare tantum locum quantum eſt totũ mare, & per conſequens quod poſſent ibi eſſe naues, quod eſt abſurdum. *Primum argum.*

Secundum argum. ¶Secundò ſequeretur, quòd vnum idemq; corpus propter aeris intemperiem in vno loco, & temperiem in alio, in vno loco eſſet ſanum, & in alio infirmum, & propter caliditatem, & frigiditatem, in vno loco eſſet calidum, & in alio frigidum, & per conſequens ſanum & non ſanum, calidum & non calidum, quia ſecundùm Ariſto. 4. Metaphyſ. ad omnem oppoſitionem ſequitur contradictio.

Tertium argum. ¶Tertiò. Sequeretur, quod vnum corpus eſſet vnũ & multiplex. Patet ſequela, quia illud eſt corpus vnum quod commenſuratur vni loco, plura vero quæ pluribus.

Quartum argum. ¶Quartò ſequitur, quod vna eademque materia poſſet informari diuerſis formis, quia ſi idem alimentum poneretur in pluribus locis, poſſet ſimul ſumi à duobus, & conſequenter conuerti in eorum ſubſtantiam, & per conſequens informari diuerſis formis.

Quintum argum. ¶Quintò ſequitur, quòd paruus ignis poſitus in multis locis poſſet comburere magnam ſyluam. Conſequens eſt falſum, quia actio non fit à minori, ergo.

Sextum argum. ¶Sextò ſequitur, quòd ſi homo in vno loco comederet, & non in alio, quod eſuriret, & non eſuriret. Similiter ſequitur, quòd in vno loco poſſet moueri, & in alio quieſcere, & per conſequens ſimul moueri, & non moueri.

Septimum argum. ¶Septimò. Locus debet commenſurari locato, ergo vnum corpus non poteſt eſſe in pluribus locis.

Octauum argum. ¶Octauò. Implicat aliquid eſſe in pluribus locis diffinitiuè, ergo & circunſcriptiuè. Antecedens eſt manifeſtum, quia eſſe in loco diffinitiuè eſt ita eſſe hic quod non alibi. Sequela autem probatur, quia circunſcriptio includit diffinitionem, & eſſe in loco circunſcriptiuè, includit eſſe in loco diffinitiuè.

Vltimum argum. ¶Vltimò. Si aliqua ratione poteſt dici poſſe Deum ponere idem corpus in duobus locis; maximè quia idẽ corpus Chriſti quod eſt in cælo, eſt & in ſacramento. Et in pluribus numero ſacramentis, ſed hoc nõ obſtat, ergo. Probatur minor. Nam Chriſtus Dominus tantum eſt in cælo vt in loco, in ſacramento autem non eſt vt in loco, & ita non eſt in duobus locis, quamuis enim tota quantitas quæ eſt in cælo ſit in ſacramento, eſt tamen in cælo, quantitatiuè & modo diuiſibili, atque adeo continetur loco. In ſacramento autẽ eſt non quidem modo quantitatiuo, ſed ſubſtantiali, atque adeo ſicut ſubſtantia, ratione quantitatis, quando eſt modo quantitatiuo, menſuratur loco, & circunſcribitur, ita è contrario quando quantitas eſt ratione ſubſtantiæ, & modo ſubſtantiali non menſuratur loco, neque circunſcribitur, ſicut neque ſubſtãtia. Dicitur autem eſſe in ſacramento quantitas Chriſti modo ſubſtantiali, quia tota ratio ibi exiſtendi eſt ipſa ſubſtantia, vnde cum ſubſtantia etiam materialis ratione ſui, neque ſit in loco circunſcriptiuè, nec diffinitiuè vt videmus, ſequitur neceſſario corpus Chriſti prout in ſacra-

ſacramento nullo modo eſſe in loco, neque circunſcriptiuè, neque diffinitiuè, ſed tantum eſt modo ſubſtantiali, vel ſubſtantialiter, ſcilicet, per cõuerſionẽ panis in ipſum.

Sententia Doctoris. ¶Secunda ſententia eſt Doctoris, vt patet in litera, & in 4. diſt. 10. quæſt. 2. quam ſequitur Dominicus de Soto. 4. Phyſic. quæſtione. 2. art. vlt. Pro cuius explicatione & quæſtionis eſt primo notandum, quòd eſſe in loco, vt diximus, nihil aliud eſt quam dicere ordinem præſentialitatis ad aliquod ſpatium reale, quod ſi talem ordinem dicit cum commenſuratione quadam erit in loco propriè, & circunſcriptiuè, nam totum continetur à toto loco, & pars continetur à parte: ſi autem dicit illam præſentialitatem cum quadam limitatione, ita quod limitatio intrinſecè includatur in tali præſentialitate erit eſſe in loco diffinitiuè, quod eſt ita eſſe hic, quod non alibi, & de hoc modo eſſendi in loco diximus ſupra habere propriam rationem eſſendi in vbi, & impropriã eſſendi in loco, quare eſſe in loco præciſè, neque dicit circunſcriptionem, neque dicit limitationem, & determinationem. *Notab. 1.*

Notab. 2. ¶Secundò eſt notandum, quòd circunſcriptio formaliter loquendo non dicit limitationem, ſed commenſurationem loci ad locatum, & partium loci ad partes locati ſecundùm quantitatem continuam, & non ſecundùm quantitatem diſcretam. Quare limitatio, & determinatio ad hunc locum, quæ naturaliter reperitur in quocunque locato circunſcriptiuè, eſt cauſa quare circunſcriptio vltra iſtam commenſurationem dicat indiſtantiam ab iſto loco, & diſtantiam à quocunque alio, & per conſequens naturaliter loquendo, quod eſt in loco circunſcriptiuè, etiam eſt in loco diffinitiuè, ſed hoc non impedit quominus per potentiam Dei poſſint iſta duo adinuicem ſeparari, ita quod ſubſtantia corporea poſſit eſſe in loco diffinitiuè, & non circunſcriptiuè, vt ſi eſſet ibi modo ſubſtantiali, & quod ſubſtantia corporea ſit in loco circunſcriptiuè, & non diffinitiuè, quia vt in caſu noſtræ quæſtionis poſſet Deus ponere idem corpus numero cum debita commenſuratione loci ad locatum in duobus diſtinctis locis, taliter quod tantum locum occupet Romæ quantum occupat Salmanticæ. Poteſt etiã Deus tribuere alicui ſubſtantiæ corporeæ aliquod vbi quod neque ſit diffinitiuum, nec circunſcunſcriptiuum. Vnde habere vbi, vel eſſe in loco eo modo quo eſſe in loco æquiuocè dici poteſt de omnibus habentibus præſentialitatem ad aliquod vbi, & quatenus conceptibile eſt aliquo vno conceptu deſumpto ab aliqua vna ratione proportionalitatis quàm intellectus poteſt cõcipere confuſè concipiendo eſſe in loco, nõ dicit circunſcriptionem, neque diffinitionem, neque aliquem alium modum, ſed tantum præciſam aliquam præſentialitatem ad vbi. ¶Eſſe autem in loco circunſcriptiuè formaliter loquẽdo addit ſupra talem præſentialitatem commenſurationem actiuam & paſsiuam ex parte loci, & locati. ¶Eſſe autem in loco diffinitiuè addit ſupra illam rationem communem eſſendi in loco determinationem, & limitationem locati ad locum, & loci ad locatum, quare implicat per potentiam Dei aliquid eſſe in pluribus locis ſimul diffinitiuè.

¶Tertiò eſt notandum, quòd quanuis corpus ſit in loco circunſcriptiuè, & diffinitiuè ſimul, naturaliter loquendo ratione quãtitatis, ab alio tamen habet quantitas, quod circunſcribat corpus, & ab alio quod diffiniat illud. Et ratio huius eſt, quia quantitas, & eſt quantitas, & eſt quantitas finita, & ſecundùm quod eſt quantitas circunſcribit corpus loco, ex eo quod autem eſt finita definit, & determinat illum. Vnde ſicut ſi quãtitas non habet modum quantitatiuum, nõ circunſcribit corpus loco, vt patet in corpore Chriſti in ſacramento altaris, ita ſi nõ habet modum diffinitiuum, & determinatiuum, quia non habet modum finitum, nõ definit, nec determinat corpus ad talem, vel talem locum. Idem etiam dicendum eſt de quantitate virtuali, ſcilicet, de ſubſtantia Angeli quæ ex eo quod finita eſt, fundat finitam præſentialitatem, & determinatam ad determinatum locum, quod ſi tollatur ab illa iſta ratio finitatis tribuendo illi modum rei infinitæ qualis eſt præſentem eſſe huic, & illi loco, poterit eſſe in pluribus locis abſque eo quod in aliquo illorum ſit vt in loco diffinitiuè. *Notab. 3.*

¶Quartò eſt notandum, quòd corporea ſubſtantia, ſiue incorporea finita fundat relationem præſentialitatis, non ſecundùm potentiam actiuam qua poteſt ſe conſtituere in loco, ſed ſecundùm potentiam paſsiuam qua poteſt cõſtitui in loco, vnde quanuis potentia actiua ſit finita, non tamen ex hoc repugnat, ſubſtantiam habere modum rei *Notab. 4.*

rei infinitè, quia potentia paſsiua ex eo quod eſt in potentia obedientiali, quanuis non induat rationem infiniti, neque habeat rationem infinitam induit tamen modum rei infinitæ prout reſpicit agens infinitum, & eſt in potentia obedientiali, ad agens infinitum, & ſic ſubſtantia finita vt ſic, ſi vna eſt, vnum locum requirit, ſi tamen reſpiciat agens infinitum, cum vt ſic habeat modum rei infinitæ (quanuis non infinitum neque finitum modum) nullum determinat locum, ſed tot potuit habere loca in quot Deus agens infinitum voluerit illa collocare, quia ex hoc illa ſubſtantia tantum acquirit aliam, & aliam præſentialitatem, & aliam, & aliam relationem, & poteſt recipere infinitas præſentialitates ſi in infinitis locis à Deo conſtitueretur, quia non eſt inconueniens aliquod abſolutum eſſe ſuſceptiuum infinitarum relationum; ſicut v. g. ſi Deus produceret infinitos homines albos in quocunque homine eſſent infinitæ ſimilitudines, neque ex hoc ille homo eſſet infinitus, quia relatio vt relatio, nec eſt finita neque infinita. Ita in propoſito, ſi Deus conſtitueret corpus, vel Angelum in duobus, vel in pluribus locis adæquatis, corpus, vel Angelus, non haberent ratione ſubſtantiæ infinitæ, ſed modũ ſubſtantiæ infinitæ. Qui modus non eſſet infinitus, quia modus ſubſtantiæ infinitę formaliter, non includit finitatem, nec infinitatem. Ita etiam in præſentiarum dicendum eſt quod quanuis Angelus exiſtens in pluribus locis habeat modum rei infinitæ, non tamen eſt infinitus, neque ſecundùm ſubſtantiam, neque ſecundùm modum.

Not. vlt. ¶Vltimò eſt notandum, quòd prædicatã quæ cõueniunt corpori ſunt in duplici differentia, quædam ſunt abſoluta, & quædam relatiua. Prædicata abſoluta ſunt priora eſſentialiter non tantum prædicatis relatiuis conſequentibus ipſum locum, ſed ſunt priora eſſentialiter ipſo loco. Et ratio huius eſt, quia ſubſtantia corporea ſiue incorporea prius includit prædicata intrinſeca quam extrinſeca, & per conſequens prædicata abſoluta quæ conueniunt corpori priora ſunt ipſo loco, & prædicatis conſequentibus ipſum locum.

Prima cõcluſio. ¶Prima concluſio. De potentia Dei abſoluta idem corpus numero poteſt eſſe in pluribus locis. Hæc concluſio eſt Doctoris, & probatur. Nõ minus repugnat eſſe duo corpora in eodem loco, quam vnum corpus in pluribus locis, ſed factum eſt ſecũdùm Dei potentiam abſolutam, quòd duo corpora ſint in eodem loco, vt contigit in natiuitate Chriſti Domini, ergo & poſsibile eſt idẽ corpus poſſe eſſe in pluribus locis. Antecedens patet, quia æquè proprium eſt quantitati replere locum, ac eſſe in vno loco, ſed plures quantitates ſunt in eodem loco non replentes locum, ergo & poteſt eſſe vna quantitas in pluribus locis.

¶Secundò. Illud quod non includit apertã contradictionem, non eſt denegandum potentiæ Dei abſolutæ, ſed idem corpus eſſe in pluribus locis non includit apertam contradictionem, ergo. Probatur minor. Quia de multis Sanctis legitur apparuiſſe in alio loco manentibus in priori, vt de Diuo Antonio, & de Diuo Ambroſio.

¶Tertiò. Si aliqua ratione hoc implicaret maxime quia eſſe in loco circunſcriptiuè includit eſſe in loco diffinitiuè, ſed quanuis hoc verum ſit naturaliter loquendo, non tamen ex ratione formali vtriuſque, & in ordine ad potentiam Dei abſolutam, ergo nõ implicat idem corpus eſſe in pluribus locis. Probatur minor. Nam eſſe in loco circunſcriptiuè, dicit præſentialitatem ad aliquod vbi, cum quadam commenſuratione totius locati ad totum locum; & partis ad partem, ſed non repugnat idem corpus dicere hanc commenſurationem ad plura loca, ergo neque eſſe in pluribus locis. Probatur minor. Talis cõmenſuratio nihil aliud eſt quam ordo fundatus in corpore, & terminatus ad locum, velècontra, & non eſt inconueniens vnum idem abſolutum terminate, vel fundare diuerſos reſpectus, ergo.

¶Quartò. Secundùm fidem idem corpus eſt in pluribus locis ſacramentaliter, ergo & poteſt eſſe in pluribus locis localiter. Si reſpondeas (vt reſpondent autores contrariæ ſententiæ) quod Chriſtus non eſt in ſacramento vt in loco. Iſta ſolutio non reſpõdet argumento, quia argumentum nõ quærit ſi Chriſtus exiſtat in ſacramento vt in loco, hoc enim certum eſt, ſed quærit; Vtrũ Chriſtus exiſtens in ſacramento ſit in loco, vel dicat ordinem ad locũ, taliter quod de illo vere dicatur corpus Chriſti in ſacramento exiſtens, vel habens eſſe ſacramentaliter eſt in hoc altari, & in hoc loco, & nõ eſt in illo loco, ſcilicet, in foro: ſicut etiam dicitur, quod anima mea exiſtens in corpore

pore eſt in loco vbi corpus meũ eſt quãuis nõ ſit in corpore prout in loco, cũ ergo corpus Chriſti habẽs eſſe ſacramẽtale, habeat aliã, & aliã præſentialitatem ſacramẽtaliter ad aliũ & aliũ locũ in quibus ſpecies conſecratæ ſunt, ergo quãuis exiſtens in ſacramẽto nõ ſit ibi tanquã in loco, ſcilicet, in ſacramento, exiſtens tamen in ſacramento: dicit ordinem ad locum extrinſecum, ad quẽ & ipſum ſacramentũ dicit ordinẽ. Confirmatur. Nã verè dicitur de corpore Chriſti exiſtens in ſacramento quod defertur ad infirmos, & per vicos, & plateas, & dicimus modo Chriſtus eſt in domo infirmi, & modo eſt in platea, & modo intrat eccleſiã, ergo dicit ordinẽ aliũ, & aliũ ad domũ infirmi, ad plateã, & eccleſiã, ſed talis ordo eſt præſentialitatis ad locũ, ergo quãuis prout in ſacramento non ſit ibi vt in loco, exiſtens tamen in ſacramento dicit ordinem ad locũ. Confirmatur ſecundò. Corpus Chriſti exiſtens in ſacramẽto dicit ordinẽ ad tempus, ergo dicit ordinẽ ad locum. ¶Secunda conclusio. Idem corpus nõ poteſt eſſe de potentia Dei abſoluta in pluribus locis diffinitiuè. Hæc concluſio probatur, quia includit apertam contradictionem, quia eſſe in loco diffinitiuè, dicit ita eſſe hic, quod nõ alibi.

Secunda concluſio.

Tertia cõcluſio.

¶Tertia cõcluſio. Idem corpus de potentia Dei abſoluta poteſt eſſe in pluribus locis circunſcriptiuè. Hæc concluſio probatur. Quia eſſe in loco circunſcriptiuè tantũ importat ſupra eſſe in loco cõmenſurationem totius ad totũ, & partis ad partẽ, ſed idem corpus exiſtens Romæ, & Salmãticæ occuparet tantũ locum Romæ, quãtum Salmanticæ, ergo. ¶Quarta concluſio. Quæcunq; ſunt priora eſſentialiter ipſo loco nõ multiplicarentur in tali caſu ad multiplicationẽ loci, ſed vniformiter ineſſent eidẽ corpori exiſtenti in vno loco, & in pluribus locis. Si tamẽ eſſent poſteriora ipſo loco, multiplicarentur ad multiplicationem loci. Hæc concluſio probatur quoad primã partem, quia quod præſupponitur ad aliquid, & nõ depẽdet ab ipſo nõ multiplicatur multiplicato ipſo, ſed prædicata abſoluta ſunt huiuſmodi, ſupponũtur enim ad locum, & nõ dependent ab ipſo, ergo nõ multiplicabuntur, multiplicato loco. Secunda pars patet, quia talia pendent à loco, ergo multiplicantur, multiplicato loco. Ex quo infertur primo, quòd ſi corpus in vno loco eſt pedale, ita erit & in alio. Patet, quia quantitas eſt prædicatũ abſolutũ, & prior ipſo loco, ergo non variabitur ad variationẽ loci. ¶Secũdò infertur, quòd ſi aliquod corpus eſſet in aliquo loco perforatũ, vel ei caput abſcinderetur, id ſimiliter in alio contingeret. Probatur, quia talis perforatio dicit quantitatem diſcontinuã (ideſt partiũ diſcõtinuatiõe) quæ eſt abſolutũ quodã. Et ſic ſi tempore paſsionis Chriſti corpus eius fuiſſet ſeruatũ in ſacrario ſub ſpeciebus cõſecratis, fuiſſet vulneratũ eodẽ vulnere, quo in cruce, quia talis vulneratio dicit diſcontinuationem partium. ¶Tertiò infertur, quòd ſi homo in vno loco eſſet volẽs, & intelligẽs, ſimiliter & in alio, & ſi in vno loco eſuriret in alio etiam ſimiliter, quia appetitus eſt quid abſolutũ ſicut & intelligere, & velle: & ſi Romæ videret Pontificẽ etiã exiſtens Salmanticę, quia videre eſt quid abſolutũ, & ſi in vno eſſet mortuus, & in alio, & ſic de omnibus prædicatis abſolutis. ¶Secũda autem pars probatur, ſcilicet, quòd prædicata quæ ſequũtur ipſum vbi poſſunt variari ad variationẽ vbi, quia bene poſſet in vno loco ſtare, & in alio iacere, vt fertur de Diuo Ambroſio, quia alium ſitum habuit Mediolani, aliũ vero Turonis, & poſſet moueri in vno loco, & quieſcere in alio, vt fertur de D. Antonio, qui Paduæ quieſcebat, & Vlyſsiponæ mouebatur, & poſſet in vno loco tacere, & in alio cantare, vel loqui, vt fertur de Diuo Ambroſio, & de Diuo Antonio. ¶Ex quo infertur quartò, quod corpus exiſtens in pluribus locis eodem modo pateretur à pluribus agentibus, ac ſi eſſet in vno loco: v.g. ſi alicui corpori exiſtenti in pluribus locis in vno loco applicaretur aqua, & in alio ignis, tunc ſi agentia eſſent æqualis virtutis impedirent ſe, ſi tamẽ vnũ eſſet fortius altero, à fortiori ſequeretur actio, idemq; iudicandum eſt de alimentis, ideſt, de granis poſitis in multis locis quia virtutes actiuæ & paſsiuæ ſunt abſolutæ, & abſoluta non variantur variato loco. ¶Ex quo infertur quintò, quod agens naturale non haberet maiorẽ virtutem, & actiuitatẽ in pluribus locis quam in vno, quia virtus actiua eſt potentia abſoluta de cuius ratione eſt non variari ad variationẽ loci, vnde ſi vnus homo poneretur à Deo in loca centũ millia, iſte homo nõ faceret exercitũ, & nõ magis pugnaret quam vnus homo. Item ſi vna gutta aquæ poneretur in tot locis quot mare occupat, nõ poſſent ferri nauigia per illam.

Quarta cõcluſio.

illam. ¶Ex quo infertur ſextò; quòd ſi corpus poneretur in pluribus locis poſſet habere relationes contrarias, quia poſſet hic eſſe ſurſum, ibi autē deorſum, hic ante, ibi retro, quia iſtæ relationes depēdent à loco, & poteſt corpus variari per illas ad variationem loci.

Reſpōdetur argumentis pro prima ſententia. ¶Reſpondetur argumentis pro prima ſententia. Ad primum concedendo maiorem, & negando minorem: & ad probationē negatur minor: & ad probationem minoris reſpondetur, de ratione loci circunſcriptiui tantum eſſe vt dicat cōmenſurationem, & hanc diceret corpus, & granum millij, vbicunque eſſet. Ad illud de gutta aquæ reſpōſum eſt in vltimo corollario.

Ad ſecūdum. ¶Ad ſecūdum reſpōdetur negando ſequelam, quia ſanitas & infirmitas nō variātur ad variationē loci.

Ad tertiū, 4. 5. & 6. ¶Ad tertium reſpondetur negando ſequelam, quia vnitas eſt entitas abſoluta, & non variatur, nec multiplicatur multiplicato loco; & per hoc reſpondetur ad 4. 5. & 6.

Ad ſeptimum. ¶Ad ſeptimum reſpondetur, quod locus debet cōmenſurare locatum, ſecundum quantitatem continuam, & non diſcretam, id eſt, quod tanta debet eſſe quantitas locati circunſcriptiuè, quanta loci, nō tamen ſecundùm quātitatem diſcretam, id eſt, numerū, taliter quod ſi locatum eſt vnum, locus debeat eſſe vnus.

Ad octauum. ¶Ad octauum reſpondetur negando ſequelam propter differentiā poſitam inter eſſe in loco diffinitiuè, & circunſcriptiuè.

Ad vltimum. ¶Ad vltimum reſpondetur cōcedendo maiorem, & negando minorē: & ad probationem vide quæ dixi probando primā concluſionem. Hæc de iſta quæſtione.

TEXTVS.

QVidquid autem ſit de facto, & de poſsibili (de potentia dico naturali eorum) de poſsibili tamen reſpectu potentiæ diuinæ, non videtur eſſe impoſsibile quin per ipſum poſſent eſſe ſimul. diſt. 2. quæſt. 8. litera A.

EXPLICATIO LITERÆ.

IN hac litera Doctor reſpondet ad duplicem quæſtionem, quarum altera eſt de facto: altera vero de poſsibili. Circa quæſtionem de facto nihil determinat, & quantum ad potentiam naturalem ipſorū, quia vt dicit in principio quæſtionis, in iſta quæſtione non eſt veritas clara, & certa de facto. De potentia tamē abſoluta Dei, certiſsimū eſt, poſſe Deum plures Angelos ſimul in eodem loco collocare. Vt autē plenior de hac litera cognitio habeatur, ſit quæſt. vltima.

QVÆSTIO XII.

¶Vtrùm plures Angeli, & plura corpora poſsint eſſe de potentia Dei abſolutà in eodem loco.

Prima ſententia. DE hac re eſt prima ſentētia Ferrarienſ. 3. cont. gent. c. 68. in ſolut. ad 2. dub. vbi dicit ad ſecūdi dubij euidentiam conſiderandū primo, quòd plures Angelos ſimul eſſe in vno loco, dupliciter poteſt intelligi: vno modo formaliter, alio modo materialiter. Nā cum Angelus nō ſit in loco niſi per operationē qua producit aliquid in loco; locus materialis Angeli eſt illa res quæ eſt locus, aut in loco abſolutè, & ſecundùm ſe cōſiderata. Locus vero formalis eſt ipſa res quæ eſt locus vt effectus operationis Angelicæ in ſe habet; ideo plures Angelos eſſe ſimul in vno loco materialiter ſumpto eſt ipſos in vna re locata, aut in vna re quæ eſt locus abſolutè ſumpta ſimul operari. Ipſos autē ſimul eſſe in vno loco formaliter ſumpto, eſt in vno materiali loco vnū, & eodē numero effectū producere. ¶Conſiderandū ſecūdò, quòd plures Angelos ſimul producere vnū, & eundē effectum, dupliciter intelligi poteſt. Vno modo, quod quilibet ipſorū ſit cauſa per ſe ſufficiēs, totalis, & immediata. Alio modo quod quilibet ipſorū ſe habeat vt cauſa inſufficiens, & partialis, ſicut ſe habēt plures trahentes nauē, ad vnū nauis tractum. Dicitur ergo primò, quod plures Angelos eſſe ſimul in vno loco materiali nō eſt impoſsibile. Nam nulla eſt ratio quare in vnā, & eādē rem nō poſſunt plures Angeli diuerſis operationibꝰ diuerſos effectos producēdo operari, quia nec hoc alijs cauſis repugnat, oſtenſum eſt enim ſupra Angelum eſſe in loco non ſolū per motum localē; ſed etiā per alios effectus. ¶Dicitur ſecundò, q plures eſſe ſimul in eodē loco formaliter tanquā cauſas partiales immediatas eiuſdē numero effectus nō eſt quidē impoſsibile, cū etiā hoc alijs cauſis conueniri poſsit; videtur tamen inconueniens præſertim de Angelis qui ex diuina operantur in loco. Nam cum vnus ſufficiat effectū (ad quem mittitur per ſe ſolū, aut virtute propria, aut virtute diuina) producere; ſuperfluū videtur, vt vnum

ad vnum effectum tanquam partiales, & inſufficientes cauſæ concurrant.

¶ Dicimus tertiò, quod plures Angelos eſſe ſimul totaliter, & adæquatè in pluribus locis. Hoc eſt quod vnum, & eundem numero effectum ſimul in eodem loco producant tanquam immediatæ cauſæ, & totales ipſius eſt ſimpliciter impoſsibile apud D. Thom. & apud Ariſt. Quod enim iſta ſit mens Sancti Thomæ, patet prima parte loco allegato, & 1. Sent. vbi expreſsè ponit quod impoſsibile eſt vt duæ cauſæ completæ ſint immediatè, vnius, & eiuſdem rei. Idem etiã expreſsè tenet. 5. Metaphyſ. cap. de cauſa. Quod verò ſit de mente Ariſt. patet 2. Phyſic. tex. 30. & 5. Metaph. cap. de cauſa. vbi poſtquam dixit quod eiuſdem contingit eſſe multas cauſas vt ſtatuæ artem ſtatuificam & æs, ſubiungit, ſed non eodem modo, ſed hoc quid, ſicut materia, illud autem vnde motus. Idem tenet Cõmentator. 2. Phyſic. & 5. Metaph. exponendo illa verba nõ eodem modo, hoc etiam eſt de mente Themiſtij, & Alberti in eiſdem locis. Ratio autem huius eſt; quia ſi vnus effectus numero à pluribus cauſis totalibus eiuſdẽ generis, & eiuſdem ordinis proueniret, effectus per ſe, & determinatus non haberet cauſam determinatam. Nam ſi ab vna cauſa procedit, & ab alia etiam poteſt procedere ſimul, ſequitur quod prima non eſt per ſe, & determinata eius cauſa, cauſa enim ſine qua effectus aliquis eſſe poteſt non eſt illius effectus per ſe, & determinata cauſa. Neque valet dicere quod dependet ab vtraque, vt ſunt vnum, quia illas cauſas eſſe vnũ in cauſando, ſi quælibet eſt per ſe ſufficiens, & totalis cauſa non tollit quia effectus abſque quacunque illarum per ſe ſumpta poſsit eſſe, & per conſequens relinquitur, quod nulla illarũ ſit per ſe & determinata cauſa ipſius.

¶ Sed contra hanc determinationem duplex occurrit dubium. Primum eſt abſolutè contra illam probationem vnius effectus non poteſt eſſe à pluribus cauſis immediatis eiuſdem generis totalibus. Nam fingamus duo corpora luminoſa eiuſdem rationis, & virtutis æquè proxima alicui ſecundum ſe totum medio primo illuminabili perfectè, id eſt, in ſummis à quo ipſis eorum, aut etiam vt tollatur omnis calumnia per Dei potentiam ipſa corpora luminoſa in eodem loco ponantur, quæritur; Vtrum tale medium illuminabitur ab altero ipſorum corporum tantum, aut ab vtroque non ab altero tantum; quia non apparet ratio quare magis ab vno quam ab altero debeat illuminari, ergo ab vtroque, ſed vtrunque illorũ eſt cauſa ſufficiens, & totalis illius effectus, ergo.

¶ Secundũ dubiũ eſt contra principale propoſitum. Ponamus quod vnus Angelus velit in vno inſtanti aliquem effectum producere, & eundem effectum vnus alius Angelus in eodem inſtanti producere velit, ſitq; vnuſquiſque illorum ſufficiens ad talis effectus productionem per ſe ſumptus & vnus illorum cogitationem alterius circa productionem ignoret. Tunc arguitur ſic. Vnuſquiſque illorum in vno & eodem inſtanti applicabit virtutem ſuam, & ſuam volitionem ad illum effectum, ergo vnuſquiſque ipſorum illum producet, & eſt vnuſquiſq; ſufficiẽs, & totalis cauſa, talis effectus, ergo plures Angeli ſimul erunt in eodẽ loco formali totaliter.

¶ Ad primum iſtorũ dicitur, quod aut à nullo corporum tale mediũ illuminabitur, aut ambo concurrent ad illum effectum tanquam cauſæ partiales. Ita, ſcilicet, quod neutrum ſecundum totam ſuam virtutem aget, ſed ſecundum partem virtutis, nam cum vnumquodque ipſorũ ad productionem illius effectus inclinetur per ſe, vnum alteri repugnabit tanquam ſuæ cauſalitatis impeditiuo, & ideo neceſſe erit aut vt nullum ipſorum agat, vno omnino altero prohibente, aut vt neutrum ſua virtute totaliter vtatur, ſed ambo ad illum effectũ tanquam partiales cauſæ concurrant.

¶ Ad ſecundum dicitur primò, ſi loquamur de Angelis beatis, quod nullus ipſorũ circa corporalia operatur, niſi ex ordinatione diuina, vt videtur velle S. Tho. 1. Sent. diſt. 37. & ideo caſus non eſt poſsibilis, niſi ſupponere nos Deũ impoſsibile præcipere. Dicitur ſecundò ſi loquamur de duobus Angelis malis, aut etiam de duobus bonis, conſiderata in ipſis ſola virtute naturæ, quod aut nullus illorum operaretur vno alterum impediente, aut partialiter ad illum effectum concurrerent vt de corporibus illuminoſis dicebatur. Licet enim cogitatio vnius Angeli non ſit alteri manifeſta quandiu manet in ipſo ſolum, cum primùm tamen ad aliquid extrinſecum applicatur cognoſci poteſt, & ideo ſe mutuo impedirent ſicut duo homines ſe aliquando impediunt à productione alicuius effectus vno alteri repugnante. Hactenus Ferrara.

¶ Secun-

¶Secunda ſententia eſt aliorũ ſuper primã partẽ D. Tho. q. 52. art. 3. q. 1. concluſ. 4. 5. & 6. aſſerentiũ, quod ſi ratio exiſtendi in loco Angelo ſolũ eſt applicatio virtutis Angelicæ, & cõtactus ad locum, nulla eſt repugnantia cur plures Angeli non poſsint eſſe in eodẽ loco. Probant illud dictũ. Nã ſi ſola applicatio virtutis ad locũ eſt in Angelo ratio exiſtendi in loco tunc quid prohibet quod ſicut vnus Angelus applicuit virtutẽ huic ſacello, ita alter applicet. Tunc enim nullus effectus eſt, & nulla operatio quæ depẽdere poſsit à duabus cauſis totalibus, na hæc eſt tota repugnantia quã in articulo ſignificat D. Tho. ¶Aſſerũt ſecundò, quod quanuis naturaliter loquẽdo plures Angeli nõ poſsint eſſe in eodẽ loco formali, vt cauſæ totales, & adæquatæ. De potentia tamẽ Dei abſoluta, & de plenitudine poteſtatis diuinæ ſupernaturaliter fieri poteſt vt duo Angeli poſsint eſſe in eodem loco complete. Primam partem huius ſecundi dicti probant ex D. Thõma ibi, & in. 1. diſt. 37. q. 3. artic. 3. & dicunt eſſe cõmunem inter Thomiſtas. Et probatur. Si ratio formalis exiſtendi in loco, in Angelo eſt operatio tranſiens, planè conſtat quod plures Angeli nõ poſſunt eſſe in eodem loco formali, vt cauſæ totales, & immediatæ, nam eadem operatio numero nõ poteſt dependere à duabus cauſis totalibus & proximis. Sanè D. Tho. pro certiſsimo fundamento habet, vt oſtendat plures Angelos non poſſe eſſe in eodẽ loco quod vnus, & idem effectus nõ poteſt produci à duabus cauſis totalibus in eodem genere. ¶Secundam partem probant, ſupponendo, quod ordo (quem dicit effectus ad cauſam efficientem vna excepta prima cauſa) non videtur adeo intrinſecus vt non poſsit impediri, vel mutari à Deo per ſupernaturalem Dei virtutem. Et hinc eſt, quod idem effectus ſecundum ordinem naturæ qui per ſe pendet à generante proximo, poteſt fieri immediatè à ſolo Deo. Vt idem homo qui eſt genitus à ſuo parẽte poteſt produci immediatè à ſolo Deo. Et idem homo qui habet eſſe per generationẽ à ſuis parentibus in reſurrectione futura habebit eſſe ſine dependentia à generante à ſolo Deo reſuſcitãte. Quod ſi ordo ad cauſam efficientem particularem eſſet omnino intrinſecus effectui, non videtur quomodo poſſet id fieri. Vnde quãdo dicitur effectus totalis nõ poteſt produci à duabus cauſis totalibus, etiam per potentiam diuinã, id negamus, propter rationem iam dictam, quia nõ implicat plures Angelos ab eodem corpore pati, & eidẽ corpori alligari, poteſt enim Deus aſſumere illud corpus, vt inſtrumentũ ad agẽdũ in plures Angelos. Quemadmodum Angelus virtute propria poteſt agere in plura corpora exiſtẽtia intra ſpherã ſuæ actiuitatis. Rurſus poteſt Deus facere plura corpora ſint in eodẽ loco, vt docẽt Sancti de Chriſti corpore, quod de ſepulchro clauſo exiuit, & ianuis clauſis intrauit ad diſcipulos, quæ fieri non potuerunt niſi ex penetratione dimenſionũ. Ac proinde per hoc quod fuerit Chriſti corpus in eodẽ loco cũ alio corpore, quod niſi fides diceret tã de hoc quã de omnibus corporibus glorificatis quæ ſumma agilitate, & ſubtilitate cælos penetrant abſque vlla ruptione, certè ratio naturalis ſibi derelicta diceret implicare cõtradictionẽ: ergo eodẽ modo quãuis videatur implicatio plures Angelos in eodẽ genere, & ordine cauſæ habere eundẽ effectũ, tamen reuera nõ implicat, quia minus videtur obſtare cauſalitas, quã dimẽſio. ¶Secundò. Deus poteſt aſſumere vnũ Angelũ vt inſtrumentũ ad producendũ calorẽ in ſubiecto aliquo, & alterũ ad producendũ albedinẽ, & tertium ad producendũ dulcedinem, quia nõ videtur repugnantia quod vnuſquiſque aſſumatur ad diſtinctam operationem circa eundem locum, & tunc omnes erunt in illo ſubiecto, ergo nõ repugnat ſimul eſſe in eodem ſubiecto. Neque iſta ratio aliquid probat de potentia naturali ſed ſolũ de potẽtia Dei abſoluta. Nã de potẽtia naturali Angelus nõ poteſt formã aliquam inducere immediatè, ſed tantũ mouere localiter, & ita quanuis motu locali poſſent plures Angeli immediatè producere huiuſmodi formas, tamẽ nõ dicerentur eſſe in loco ratione illarũ, ſed ſolũ ratione motus localis. Cum ergo naturaliter nõ poſsint eſſe cauſæ immediatæ eiuſdem motus, nõ ſequitur quod poſsint eſſe plures in eodẽ loco. ¶Tertiò. Virtute diuina poſſunt eſſe plura luminoſa in eodem loco (hoc enim vniuerſaliter eſt verum de omnibus corporibus) Si ergo quodlibet illorũ ſit actiuũ. v. g. vt quatuor, & diaphanum præſens ſit diſpoſitum ad recipiendum vt quatuor, neceſſe eſt produci lumen vt quatuor, quia non eſt vnde produci poſsit niſi ab illis, & non ab altero tantum, quia non eſt maior

ratio de vno quam de alio, ergo ab vtroque, ergo duæ cauſæ immediatè in eodem genere & ordine producunt eundem effectum adæquatū. Conſtat enim non ſe habere illa duo luminoſa ſicut ſe habent plures portantes lapidem, quorū quilibet nō poteſt: nam poſſet quodlibet luminoſum illorū in diaphano illo producere lumen vt quatuor, ergo eodem modo virtute diuina fieri poteſt vt duo Angeli (qui per ſeipſos non occupāt locū) cōcurrant ad eundem effectū adæquatum, atque adeò ſint in eodē loco, & nō ſolū inquit Caiet. hoc eſſe ſimpliciter verū, ſed etiam de mente S. Thomæ, quia cū ſanctiſsimus præceptor dicit impoſsibile eſſe vnū & eundem effectum procedere à pluribus cauſis per ſe, & adæquatis loquitur ſecundùm exigentiā naturæ, nā altera illarum ſuperflueret, & ita explicat in. 1. diſt. 37. q. 1. art. 3. vnde ad argumentū quod fit à Ferrara contra hanc ſextā cōcluſionem negatur antecedēs, & ad probationē negatur ſequela, quia non dependet ab vtraque vt à partibus ſed ab vtraque, ita, vt quælibet ſit totalis cauſa, & ſi dicas nō pendet ab iſta per ſe, ſiquidem poteſt produci ab alia, neque ab alia etiā ſeorſum, ergo à neutra. Negatur cōſequentia, quia pendet ab iſta, vel illa diſiunctim, & ità ab vtraque, licet nō copulatiuè, vt ex partibus cauſæ vnius totalis, nec diuiſiuè à qualibet, quia non ab iſta ſeorſum neque ab illa, ſed ab iſta, vel illa diſiunctim, itaque diſtinguendum eſt, ergo à neutro dependet diuiſiuè concedo, diſiunctim nego, quia ab iſta, vel ab illa.

Tertia ſententia. ¶Tertia ſentētia eſt aliorum (qui ſupra nobiſcum ſenſerunt circa rationem fundamentalem exiſtentiæ Angelorum in loco) quibus videtur nō poſſe dubitari, imo videtur neceſſario affirmādū plures Angelos poſſe ſimul exiſtere in eodem loco: quod etiam concedunt aliqui ex recentioribus expoſitoribus D. Tho. Et ſequitur manifeſtè ex dictis, quoniam Angelus eſt in loco ratione ſubſtantiæ vt vnitæ, & applicatæ loco, ſed poſſunt plures Angeli habere ſuas ſubſtantias vnitas, & applicatas eidem loco, ergo etiam poſſunt eſſe in eodē loco. Probatur minor, quoniam ſubſtantia Angeli, & vnio ipſius cum loco non magis impedit vnionē ſubſtantiæ alterius Angeli ad eundem locum, quā vnionem corporis, ſed vnus Angelus poteſt ſibi vniri aliquod corpus eidem loco, ergo & cum alio Angelo, & pari ratio ne cum pluribus. ¶Quòd ſi reſpondeas maximū eſſe diſcrimen quoniā Angeli vniuntur loco, & vt operentur in eo, & quia non poſſunt plures Angeli ſimul operari in eodem loco, ideo neque poſſunt eodem loco ſe ſimul applicare. At vero corpus non vnitur loco ad operandum, ſed ad exiſtendum in eo, & ideo poteſt ſimul cum alio aliquo Angelo vniri eidem loco. Sed hæc ſolutio nulla eſt. Primò, quia ſine fundamento dicitur, quod Angelus non vnitur loco niſi ad operandum in eo, quia poſſunt excogitari aliæ rationes propter quas vniatur, ſuppoſito quod vniatur media ipſa operatione, & quantum attinet ad ipſam rei naturam ſufficeret vna, ſcilicet, ad experiendū ſuam libertatem. Deinde quia poſſent Angeli vniri eodem loco ad operandū in eo diuerſis temporibus, ſcilicet, vnus nunc, & alius poſt vnam horam. Et tandem quia etiā ſimul poſſunt duo Angeli operari in eodem loco, vt ſtatim probabitur, neque ſolum eſt hoc concedendum in hac ſententia, ſed etiā in ſententia eorum qui dicūt Angelos eſſe in loco media operatione tranſeunte propriè ſumpta, quia nullus eſt inconueniens plures Angelos ſimul operari in eodem loco, primo, quia vnus poterit producere vnum effectum, & alius alium. ¶Quod ſi reſpondeas Angelum non poſſe producere ad extra plures effectus ſed vnum duntaxat, ſcilicet, motum localem. Contra, vnus Angelus poteſt mouere aliquem hominem localiter, & alius poteſt humoris illius interiores commouere, & alius illuminare eum intellectualiter, ergo in eodē loco poſſunt plures Angeli plures effectus ad extra producere. Quod ſi reſpondeas cum Caiet. & Ferrara vbi ſupra, hoc argumentum ſolum probare plures Angelos eſſe in eodem loco materialiter propter identitatem ſubiecti, non tamen formaliter, quia ratio formalis exiſtendi in loco (ſcilicet operatio) eſt multiplex. ¶Contra, vt plura corpora dicantur ſimpliciter eſſe in eodem loco ſatis eſt identitas loci quamuis ratio formalis exiſtendi in eo (ſcilicet quātitas) ſit multiplex, vt ſi Deus conſtituat plura corpora penetratiuè in eodem loco dicentur ſimpliciter eſſe in eodem loco, quamuis eorū quantitates ſint plures, ergo ſimiliter ſi locus in quo ſunt Angeli ſit vnus dicentur abſolutè eſſe in eodem loco quamuis ſint in eo medijs diſtinctis operationibus.

¶Secun-

¶Secundò. Angeli ſunt agentia libera, & poſſunt plus aut minus applicare ſuā virtutem ad operandū, ergo poterit vnus Angelus tam remiſsè applicare virtutē ſuā ad aliquem effectū. v.g. ad motū localem, vt ſimul admittat concurſum alterius ad eundē effectum producendum, & ex cōſequenti, erunt iſti duo Angeli in eodē loco, nō ſolū propter identitatem loci, ſed etiā propter identitatē rationis formalis exiſtēdi in eo, ſcilicet operationis tranſeuntis. Confirmatur. Motus localis poteſt velox fieri in infinitū, ergo poteſt eſſe tanta velocitas motus in aliquo mobili, vt ad eam efficiendam nō ſufficiat virtus naturalis vnius Angeli, ſed neceſſarium ſit concurſus plurium Angelorum, & ex conſequenti ratione eiuſdem actionis trāſeuntis poterunt eſſe illi Angeli in eodem loco. Quod verò dicit Capreolus in 2.d.2.q.1.art.3. ad argumenta contra tertiā concluſionē, in ſolutione ad quartū, ſcilicet, Angelum eſſe in loco per modum cōtinentis perfectè, & ideo cū plures Angeli cōcurrunt partialiter ad eundem effectū nullum eorū eſſe propriè circa quod operātur tanquā in loco, ſed ſolū ſecūdum quid, facile impugnari poteſt, quia licèt vnuſquiſque illorū Angelorum partialiter concurrat ad illam operationē, ipſa tamen operatio ſufficiēs eſt ad faciendū eos præſentes loco (ſuppoſito quod Angeli ſiut præſentes loco ratione operationis) nihil enim minus habet hæc operatio quantū ad hoc quam ſi eſſet ab vno Angelo totaliter. ¶Præterea, quia cum hæc operatio ex ſuppoſitione ſit ab illis Angelis immediatè immediatione ſuppoſiti, impoſsibile eſt, quin aut antecedēret ad eam, aut ratione ipſius ſint omnes præſentes, & immediati loco. Quod autem addunt Caiet. & Ferrara, ſcilicet, Angelos nunquā concurrere ad aliquē effectum vt agentia partialia nullū habet fundamentū, vt ex argumento conſtat. ¶Aduertendum tamen eſt circa iſtā ſententiā intelligēdam, eſſe de loco ſumpto pro ſpatio in quo exiſtit Angelus, nō tamē pro vbi, quoniā cum vbi ſit in re quæ eſt in loco, imò & idē realiter cū ea neceſſariū eſt multiplicari iuxta numerū rerum quæ ſunt in loco. Ex quo fit minus conſequenter loqui eos qui cum dicāt locū Angeli nō eſſe ſpatium, ſed modū ſe habendi res in loco ſiue vbi ſumptum in abſtracto cōcedūt plures Angelos poſſe habere eundē locum ſimpliciter, & abſolutè.

¶Sola tamen difficultas eſt, quid dicendum ſit ad D.Tho. aſſerentem expreſsè plures Angelos nō poſſunt ſimul exiſtere in vno loco, ſed facilis eſt ratio, quia mēs D. Tho. non eſt negare quod plures Angeli poſsint ſimul exiſtere in eodem loco pro ſua libertate, ſed docere nō eſſe cōforme naturis ipſorum, & in hoc ſenſu dixiſſe hoc eſſe impoſsibile. Vt hoc autem explicetur, aduertendum eſt: dupliciter aliquid poſſe in loco, ſcilicet, totaliter, ſicut quodcunque corpus totaliter exiſtit in loco, & partialiter, vt forma informans aliquod corpus eſt in loco partialiter, hoc eſt, tanquā pars totius cui debetur locus vt repleatur, & occupāti ipſum totaliter. Eſtque differētia inter ea quæ ſunt his duobus modis in loco, quod quæ ſunt priori modo id habent peculiare, quod non ſit naturę ipſorum conſentaneū, eſſe ſimul cum alijs eiuſdem ordinis in eodē loco, & hoc genus repugnantiæ ad exiſtendū ſimul in eodē loco, conueniret corporibus licèt ex parte quantitatis nō repugnaret. Quæ vero ſunt poſteriori modo in loco id nō habent, ſed potius eorū natura poſtulat, quod ſint ſimul cum alijs in eodē loco, & ita eſt conformę naturis materiæ & formæ, quod exiſtāt ſimul in eodem loco, quia ergo Angelus nō eſt in loco partialiter, ſed quaſi replendo ipſum ſua ſubſtantia totaliter, ideo dixit D. Tho. non poſſe plures Angelus ſimul exiſtere in eodem loco, ideſt, nō eſſe ipſorū naturis conforme. Et ratio eſt, quia cum Angelus ex ſua natura habeat, quod ſit in loco, quaſi replens illud totaliter ſua ſubſtantia, nō poteſt ab eadē natura habere, quod ſit ſimul in eodē loco cū alijs, & ad hoc probandū vtitur D.Tho. illo medio quod nunquam à natura ordinantur plures cauſæ totales eiuſdem ordinis ad eundem effectum, quod vero Angelus ſit in loco totaliter ex ſua natura, probat, quia eſt in loco per modum continentis perfecti, & totalis, & non partialis, & hoc ſupponit vt certum ex natura ipſius Angeli, quæ nō eſt partialis, ſed totalis, verum ex hoc non poteſt colligi D. Thom. ſenſiſſe Angelum eſſe in loco per operationem (vt aliqui volunt) quòniam attribuit Angelo continere locum, quia neceſſe ſit operari in loco, vt ſit in eo, ſed ad denotandum quod non continetur à loco ſicut corpus, neque pēdet ab eo, aut ſubordinatur ei etiam vt mēſurę propriæ ſumptæ, ſed potius corpus ſubordinat

 Angelo,

Angelo, aut locus; vt excedenti totum ordinem rerum materialium, & cauſarum.

Sententia Doctoris. ¶ Vltima ſentẽtia eſt Doctoris in hac quæſtione. Pro cuius explicatione & totius quæſtionis eſt primò notãdum, quòd quæſtio hæc poteſt in duplici ſenſu diſputari. *Notab. 1.* Primus eſt, dato quod Angelus ſit in loco per ſuam ſubſtãtiam, an poſsint plures eſſe in eodem loco. Secundus ſenſus eſt, vtrùm dato quod operatio trãſiens ſit ratio exiſtẽdi in loco, an poſsint plures Angeli eſſe in eodem loco. Vtramque queſtionem tangit Doctor, ſoluendo primum argumẽtum D. Tho. & dicit, quòd ſiue Angelus ſit in loco ſecundũ ſuam ſubſtantiã, ſiue ſit in loco per operationẽ tranſeuntem, quamuis de facto an fuerint plures Angeli in eodem loco nõ ſit ita clarum, ſicut quod vnus Angelus non fuerit de facto in duobus locis, de poſsibili tamen poſsibilitate conueniente naturis ipſorum, duo Angeli poſſunt propria virtute eſſe in eodem loco, & quando in hoc eſſet aliqua difficultas reſpectu poſsibilitatis virtutis Angelicæ, nulla tamen videtur in ordine ad potentiam diuinam.

Notab. 2. ¶ Secundò eſt notandum, quòd locus eſt duplex, alius verus, alius imaginarius: imaginarius eſt ſpatiũ illud imaginariũ quod vnuſquiſque poteſt imaginari extra cælũ, & in hoc mũdo, ſi daretur vacuum. Locus autem imaginarius poteſt etiã & ſecũdò intelligi, ſcilicet, ſpatium illud quod intellectus abſtrahendo ab ſpatijs quæ occupãt corpora, concipit, nam hoc corpus, & illud, occupãt aliud, & aliud ſpatium, & ſicut cuilibet corpori cõuenit occupare hoc ſpatium, ita corpori in cõmuni conuenit occupare ſpatium in cõmuni, & iſtud ſpatium in cõmuni poteſt appellari locus imaginarius. Hoc autem manifeſtè intelligitur, ſi conſideremus duplicem locũ vniuſcuiuſque corporis, alterum intrinſecũ ipſi corpori, alterũ verò extrinſecum. Intrinſecus eſt ſpatium illud, quod ipſa res ſecundùm ſuã corpulentiam verè intra ſe occupat, quod occuparet aliæ res corporea, ſi ipſa prius illud non occuparet. Extrinſecus autem eſt locus circumambiẽs ipſum corpus locatũ, videlicet corpus continens, aut eius ſuperficies vltima. Eſſe autem hoc intrinſecũ ſpatium cuiuſque corporis negari nõ poteſt quia inuicẽ duo corpora mutuò ſe expellentia illud occupant: & ſpatium, & corpus mutua conſequentia ſe ſe inferũt: nam bene ſequitur, corpus eſt, ergo ſpatium eſt, & bene ſequitur ſpatium eſt, ergo & corpus eſt. Quod ſi quæras quod ſit iſtud ſpatium intrinſecũ corporis, Reſpõdetur, eſſe ꝓpriũ quoddã cõſequens ad extenſionẽ ipſius quantitatis, quia ſicut tempus conſequitur ad motum tanquam menſurans illud, cum ſit numerus motus ſecundùm prius & poſterius, ita ad extenſionem quantitatis conſequitur tantum ſpatium intrinſecum. Vnde, vt nonnulli dicũt (falſo tamen) ſi extra cęlum vnus homo collocaretur, imo, ſi in vacuo, ad illud corpus, & ad illam quantitatem extenſam cõſequeretur locus intrinſecus verus & realis, quamuis nullus eſſet locus extrinſecus, ſcilicet, nullum corpus continens, nec alia ſuperficies vltima, eſſet tamen ille locus intrinſecus, quia nequit intelligi corpus & quantitas ſine ſpatio, niſi eſſet redacta in indiuiſibile ſiue in punctũ. Et quod dicimus de corporibus, ſuo modo intelligendum dicunt de Angelis, habent enim ſua loca intrinſeca in quibus ſunt diffinitiuè quæ nõ conſequuntur ad quantitatem molis ipſorum Angelorum, cum careant tali quantitate, ſed conſequuntur ad quantitatem virtutis, ſcilicet, ad ipſorum Angelorum ſubſtantiã per operationem determinabilem, vel determinatam ad tantam, & tantam loci diſtantiã, ex eo quod finita, & limitata eſt, & ita eſt hic, quod non alibi. Quia tamen vnus Angelus maiorem, alius vero minorem ſpheram actiuitatis habet, ideo ad illorum ſubſtantiam, vel operationem maior, vel minor diſtãtia conſequitur. Quæ quidem diſtantia ſecundùm quod diffinitiuè continere poteſt ipſum Angelum, dicitur locus Angeli definitiuus, proprius iſtius quòd non illius. Sicut v.g. ſpatium vnius milliaris (quod ſphera actiuitatis Angeli dicitur) eſt etiam locus ipſius Angeli quamuis alia ratione dicatur ſphera actiuitatis, & alia loc⁹. Dicitur enim ſphera actiuitatis quatenus Angelus poteſt per totum illud ſpatium agere. Dicitur autem locus, quatenus receptiuum operationis Angelicæ, ſicut etiam in corporibus cõtingit. Nam illud ſpatium dicitur locus alicuius corporis, quod poteſt recipere aliquod corpus, & per conſequẽs locus, formaliter loquendo, eſt ſuperficies corporis cõtinentis immobiliter, nõ enim locus eſt ſuperficies vt ſuperficies eſt, ſed ſuperficies cũ iſto reſpectu cõtinẽtiæ: propter quod à Doctore dicit̃, quod locus formaliter dicit̃ reſpe-

reſpectū extrinſecus aduenientē, quia for-
Nota hoc. maliter loquēdo dicit illā continentiā quæ
nō eſt ſuperficies, neq; dicit aliquā entitatē
abſolutam in ſuperficie, neque in corpore
contento, ſed tantū dicit continentiā acti-
uam in ſuperficie cōtinente & continentiā
paſsiuam in corpore cōtento. Ita ſuo modo
philoſophandum eſt in loco Angeli defini
tiuo, etiam ſi Angelus ſit in loco per opera
tionē tranſeuntem. Illud enim ſpatiū, quod
continet operationem tranſeuntem Ange-
li, & in quo operatio tranſiens Angeli cōti-
netur, eſt locus ipſius operationis, & ſubſtā
tiæ ipſius Angeli, quia & cōtinet operatio-
nem, & continet ipſum Angelum. Quia ta-
men aliter eſt corpus in loco, quàm Ange-
lus, quia corpus eſt in loco occupans, & re-
plens illum, ideo vltra ſuperficiem cōtinen
tem corpus, datur locus imaginarius, non
quòd ſit confictus ab intellectu, ſed intelle
ctus, & habens eſſe reale, & eſt illud ſpatiū
occupatum modò ab iſto corpore, & occu-
pandum poſtea ab alio. Ita ſimiliter dicen-
dum eſt de Angelis, locū eorum eſſe ſpatiū
quoddam reale, tantum, vel quātum, iuxta
minorem, vel maiorem perfectionem illo-
rū, vel ſecundùm ſubſtantiam, vel ſecūdùm
operationem: quamuis differant Angeli à
corporibus, quia Angeli nō replent locum,
nec occupant illum ſicut corpora, ſed tantū
taliter continentur ab illo, vt verum ſit di-
cere; Angeli ita ſunt hic, quod nō ſunt alibi.
Quare ſicut locus corporis intrinſecus eſt
illud ſpatiū, quod corpus occupat, & locus
extrinſecus eſt ſuperficies, prout continēs
circundando ipſum corpus, ita quod, vltrà
ſuperficiem & corpus, tantum dicit reſpe-
ctū continentis, & contenti, ita in Angelis
locus definitiuus vltra ſpatium illud reale,
tantùm eſt reſpectus cōtinentiæ actiuæ &
paſsiuæ ſine vlla repletione. ¶Ex quo pro-
uenit, quòd quāuis reſpectu corporū detur
duplex locus, alter intrinſecus, alter extrin
ſecus, nō tamē reſpectu Angeli, quia cū An
gelus non occupet locū, nō eſt aſsignabile
ſpatiū imaginariū, ſiue locū intrinſecū pro
priū qualē imaginamur reſpectu corporū,
ſed reſpectu Angelorū tantū aſsignādus eſt
locus extrinſecus nempe illa cōtinētia acti
ua & paſsiua locantis, & locati definitiuè
fundata in ſpatio reali, & terminata ad An-
gelum. ¶Ex quo infertur ſecundò, quod cū
locus intrinſecus corporis ſit ſpatiū reale, ſi
corpus eſſet in vacuo, vel extra cælum non
haberet ſpatiū imaginariū reale, quia eſſet
ibi non replens, nec occupans, per modum
actus ſecundi, ſed tātum per modum actus
primi, ſcilicet, repletiuum, & occupatiuū.
Ita etiā dicendum eſt de Angelis reſpectu
ſui loci diffinitiui, ſi poneretur in vacuo, vel
extra cælum quod tūc Angelus nō haberet
illam relationē continentiæ, & cōtenti, qua
lē habet in ſpatio reali, quia talis reſpectus
cum ſit realis, requirit pro fundamento &
termino entitates reales, & cum extra cæ-
lum, vel in vacuo nō ſit ſpatium reale, ideo
Angelus ibi exiſtens nō habet propriè vbi,
nec locum, qualem habet exiſtens in ſpatio
reali, & in præſentiarum pro eodē reputo
habere locū, & habere vbi, quia per hæc ni
hil aliud intelligo, quàm ſpatiū illud reale,
quod fundat relationē continentiæ diffini-
tiuæ, prout diſtinguitur à continentia cum
commenſuratione, quæ ſecundùm proprie
tatem & in rigore dicitur locus, qualis con-
uenit corporibus.

¶Prima concluſio. De potentia abſoluta *Prima cō-*
plures Angeli poſſunt eſſe in eodem loco. *cluſio.*
Hæc cōcluſio eſt Doctoris in litera, & com
muniter recipitur ab omnibus, dempto Fer
rara. Probatur tamen, quia duo corpora per
Dei potētiam poſſunt eſſe in eodem loco,
ergo & duo Angeli. Patet ſequela. Quia ma
ior repugnantia reperitur reſpectu corpo-
rum, cum ex ſua natura illis conueniat oc-
cupare, & replere locum, quod non faciunt
Angeli. ¶Secunda concluſio. Si Angelus ſit *Secunda*
in loco per ſuam ſubſtantiam ſecundùm po *concluſio.*
tentiā ſuam naturalem, plures Angeli poſ-
ſunt eſſe in eodem loco. Hæc concluſio eſt
Doctoris in hac quæſtione, in ſolutione ad
primum. Et probatur. Angelus exiſtens in
loco nō occupat locum, ergo poteſt in illo
loco alium Angelum recipere. Probatur ſe
quela. Quia ex eo duo corpora nō poſſunt
eſſe in eodem loco, quia vnum illorum to-
tum occupauit locum, ſed Angelus nullū
occupat locum, ergo. Secundò. Locus diffi
nitiuus vltra ſpatium reale tantùm dicit re
ſpectum præſentialitatis per modū cuiuſ-
dam continentiæ, quæ explicatur per hoc,
quod ita eſt hîc, quod nō alibi, ſed nō eſt in-
cōueniens aliquod abſolutū plures fundare
reſpectus ſicuti eadē potētia generandi po
teſt fundare plures paternitates vt in opi-
nione Doctoris, vel ſaltem idē abſolutū ter
minare plures reſpectus reales vt relationē
creaturarū ad Deū producentē quāuis ſint

diuerſæ etiam ſecundum ſpeciem, vt productio hominis, & creatio Angeli terminantur ad idem abſolutum in Deo, ergo nõ eſt inconueniens quod idem numero ſpatium reale fundet, vel terminet diuerſos reſpectus præſentialitatis in Angelis.

Tertia conclusio. ¶ Tertia concluſio. Etiam ſi in Angelis operatio tranſiens ſit ratio formalis exiſtendi in loco poſſunt plures Angeli ſecundùm potentiam ſuam naturalem eſſe in vno eodemque loco. Hæc concluſio eſt Doctoris in illa ſolutione ad primum. Et probatur rationibus ſupra poſitis in tertia ſentẽtia quę ſunt Doctoris. ¶ Secundò probatur ex illo quod habetur Luc. 16. Factum eſt autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Et Lucæ. 8. dicitur, quod in vno homine erat legio dæmonum quæ continet 6666. ergo in eodem loco poſſunt eſſe plures Angeli formaliter quanuis ſint in loco per operationem tranſeuntem.

¶ Ad hoc argumentum reſpondent nonnulli quod quando Sanctus Thomas dicit plures Angelos non poſſe in eodem loco, intelligendus eſt de loco adæquato, quia inadæquatè, & partialiter non eſt inconueniens plures Angelos eſſe in eodem loco, vnde quod faciebant plures Angeli deferendo Lazarum poſſet facere quilibet eorum: concurrebãt tamen plures ad id quod poſſet facere vnus, ſicut apud nos plures concurrunt ad portandum pondus quod poſſet vnus ferre, neque hoc fit fruſtra in Angelis tam bonis, quam malis. In bonis quidem, oſtendens Deus benignitatem, amicitiam, & beneuolentiam Angelorum erga nos. In malis autem indignationẽ aduerſus peccatores, & inimicitiam diaboli aduerſus homines. Neque ex hoc ſequitur virtute propria poſſe plures Angelos eſſe in eodem loco formali, ſed tantum materiali, quare ex eo quod in eodem corpore poſsint plures Angeli diuerſa operari ſecundùm diuerſas rationes, tantum infertur quod tunc plures erunt in eodem loco materiali. Iſta tamen ſolutio non reſpondet difficultati. In primis locus formalis, vel eſſe in loco formali eſt eſſe in vno loco formaliter ſumpto, quatenus omnes Angeli ſimul vnum, & eundem effectum numero producunt. Ex quo ſic argumentor ex eo Angelus formaliter eſt in loco, quia producit aliquam operationem tranſeuntem circa iſtud ſubiectum, ſed plures Angeli poſſunt eãdem operationem tranſeuntem producere circa idem ſubiectum, ergo poſſunt eſſe in eodem loco formali, & non ſolum materiali. Probo conſequentiam. Iſta operatio ſufficiens eſt ad conſtituendum aliquem Angelum in loco, ergo ad conſtituendum plures Angelos. Probo conſequentia, à ſimili, ex eo vnaquæque anima, & vnaquæque ſubſtantia corporea eſt in loco, quia habet quantitatem, ratione cuius conuenit illi eſſe in loco, ergo ſi plures ſubſtantiæ haberent eandem numero quantitatẽ eſſent in eodẽ loco, quia haberent eandẽ numero rationẽ formalẽ exiſtẽdi in loco, ergo à ſimili, ſi operatio trãſiẽs in Angelis ſe habet ſicut quãtitas in ſubſtãtia corporea ad exiſtendum in loco, ſicut plures ſubſtantiæ corporeæ ſi haberent eandem numero quantitatem eſſent in eodem loco formaliter, ita plures Angeli habentes eandem numero operationem circa aliquod ſubiectum non tantum erunt in eodem loco materiali, ſed etiam in eodem loco formali. Confirmatur. Illi Angeli inadæquatè operantes eandem numero operationem ſunt in loco vbi eſt ſua operatio, ſed operatio eſt in vno eodemque loco formali, ergo & Angeli ſunt in eodem loco formali.

¶ Tertiò. Ad hoc quod Angelus ſit in loco non eſt neceſſaria adæquata operatio, ſed plures Angeli poſſunt habere inadæquatam operationem circa idem ſubiectum, ergo plures Angeli poſſunt eſſe in eodem loco formaliter.

Quarta conclusio. ¶ Quarta concluſio. Si operatio tranſiens eſt ratio exiſtendi in loco Angelis, adhuc plures Angeli poſſunt eſſe in eodem loco adæquato. Hæc concluſio probatur. Plures Angeli poſſunt habere adæquatam operationem circa idem ſubiectum, ergo. Probatur Antecedens. Poteſt vnus Angelus illuminare intellectum humanum circa cognitionem naturalem, & alius circa cognitionem ſupernaturalem. Similiter poteſt Angelus bonus illuminare intellectũ, & Angelus malus obtenebrare illũ, ergo poſſunt eſſe ſimul in eodẽ loco formali. Si reſpõdeas quantũ ad hoc ſecũdũ, quod ille intellectus vel illuminabitur, vel obtenebrabitur, nõ tamen ſimul. Contra. Illæ duæ qualitates productæ ab Angelo bono & malo poſſunt eſſe ſimul in eodẽ intellectu, ergo & illi duo Angeli

Angeli formaliter. Probatur antecedẽs. Illæ duæ qualitates poſſunt eſſe in gradibus remiſsis, ergo poſſunt eſſe in eodẽ ſubiecto. Confirmatur. Certum eſt quod qualitates contrariæ poſſunt eſſe in eodem ſubiecto in gradibus remiſsis; ſi duo Angeli producerent illas qualitates in gradibus remiſsis in eodem ſubiecto, certum eſt illos eſſe in eodem loco formali, ſed poſſunt illas producere, ergo. Quod ſi reſpondeas, quod ad hoc quod duo Angeli ſint in eodem loco requiritur, quod ambo habeãt eãdẽ numero operationem adæquatam, & quia implicat naturæ limitatæ quod idem effectus producatur à duabus cauſis totalibus, & adæquatis, ideo non poſſunt eſſe in eodem loco formali. Contra hanc ſolutionem ſic argumentor. Ratio formalis exiſtendi in loco eſt operatio, vt abſtrahit ab operatione adæquata, & inadæquata, ergo nõ eſt neceſſaria operatio adęquata. Probatur antecedẽs. Angeli exiſtẽtes in loco in adæquato ſunt formaliter in loco, & non per operationem adæquatã, ergo. ¶Secundo ad hoc quod Angelus habeat eundem numero locum formaliter adæquatum non requiritur quod habeat eandem numero operationem cum alio Angelo, ergo cum plures Angeli poſsint habere ſinguli adæquatam operationem circa idẽ ſpatium reale erunt in eodem loco adæquato formaliter. Probatur antecedens, quia alias ſequeretur, quod neque plures Angeli poſſunt eſſe in eodẽ loco inadæquato, ſed quod erunt in eodem loco adæquato inadæquatè tamen. Conſequens eſt falſum. Probatur minor, nã plures Angeli non poſſunt habere eandem numero operationem inadæquatam, quia ex pluribus operationibus inadæquatis efficiunt vnam adæquatam, quia ſicut quilibet Angelus reſpectu operationis totalis eſt agens partiale, ita & operatio cuiuſlibet Angeli eſt operatio partialis, ita cõueniens iſti, quod illa partialis nõ conuenit alteri, & ſic de ſingulis, ergo implicat plures Angelos eſſe in eodem loco formali inadæquato. Quod ſi reſpondeas, quod in tali caſu plures Angeli ſunt in eodẽ loco adæquato inadæquatè tamẽ. Cõtra ergo abſolutè plures Angeli poſſunt eſſe in eodem loco adæquato. Quod ſi reſpõdeas, quod ille locus eſt adæquatus reſpectu omnium, non tamen reſpectu cuiuſcunque, & hoc eſt, quod in quęſtionem vertitur ſi plures Angeli poſſunt habere eũdẽ numero locum formalem adæquatum reſpectu cuiuſcunque, & quia nõ poſſunt habere eandem numero operationem adæquatam reſpectu vnius ſubiecti, ideo quanuis poſsint habere eundem numero locum immaterialem, nõ tamen poſſunt habere eundem numero locum adæquatum formalem. Contra, vt plura corpora ſint in eodem loco formali non requirunt habere eandem numero quantitatem, quanuis quantitas ſit illis ratio exiſtendi in loco adæquatè, ergo nec in Angelis requiritur eadem numero operatio adæquata ad hoc quod ſint in eodem loco adæquato. Antecedens eſt manifeſtum, quia ſi daretur penetratio dimenſionũ erũt duo corpora cum duabus quantitatibus in eodẽ loco adæquato, ergo non eſt neceſſarium, quod Angeli habeant eandem numero operationem adæquatè, vt ſint in eodem loco adæquato, ſed ſatis eſt, quod ſicut illa duo corpora quanta ſunt intra idem ſpatiũ reale imaginarium, ita illę duæ operationes totales, vel plures ſint circa idem ſpatium reale, quãuis non ſint eadem operatio, ſed alia, & alia.

Reſpondetur argumentis pro prima ſententia.

¶ Reſpondetur argumentis: Ad fundamentum Ferrarienſis reſpondetur dupliciter. Primo ſecundùm ſententiam aliorum Thomiſtarũ, quod quando duæ cauſæ ſunt phyſicæ, & agunt propria virtute, nõ poſſunt eundem effectum producere ſimul, vt totales cauſæ, quia mutuo ſe impedient ſi tamen agũnt virtute aliena, & vt inſtrumenta quæ mouentur ab alio, nõ inconuenit quod idem numero effectus ſit à pluribus cauſis totalibus: ſicut v.g. duo ſacerdotes vt agentia totalia poſſunt eundem numero puerum baptizare, & eandem hoſtiam conſecrare, vt docet D. Thom. 3. part. quæſt. 67. artic. 6. & quæſt. 82. artic. 2. ad ſecundum, quia tunc effectus eſt pręcipuè à cauſa principali, modo Chriſtus eſt qui principaliter baptizat, & conſecrat, & ſic poteſt vti vno, vel pluribus inſtrumentis. Neque ex hoc ſequitur aliqua contradictio nempe, quod talis effectus à neutra cauſa dependeret, & ab vtraque depẽderet, negatur enim iſta cõtradictio, quia non dependet ab vtraque, vt à partibus; ſed ab vtraque; ita vt quælibet ſit totalis cauſa. Vnde quanuis non dependeat ab iſta per ſe, quia poteſt produci ab alia, nec etiam ab alia ſeorſum, quia poteſt produci ab iſta, non ex hoc dicendum eſt, quod à neutra dependet, quia dependet ab

 iſta,

iſta, vel ab illa diſiunctim, & ita pendet ab vtraque licèt non copulatiuè, vt ex partibus cauſæ vnius totalis, nec diuiſiuè à quali bet, quia non ab iſta ſeorſum, nec ab illa, ſed ſed ab iſta, vel illa diſiunctim. Itaque diſtinguendum eſt, ergo à neutra dependet, diuiſiuè concedo. Diſiunctim, nego, id eſt ab iſta vel illa. Ita reſpondent Authores ſecundæ ſententiæ vbi ſupra.

¶ Iſta tamen ſolutio includit in ſe contradictionem, ex ea ſequitur neceſſario, quod altera illarum cauſarum non cauſat. Probatur ſequela. Iuxta prædictam ſolutionem effectus eſt ab iſta, vel ab illa cauſa, & nō eſt ab iſta & ab illa cauſa copulatiuè, ergo altera illarum non cauſat. Probatur ſequela manifeſtè, iſta vel illa cauſat, & non iſta, & illa, ergo aliqua iſtarum nō cauſat. ¶ Secundò. Si altera illarum non cauſat, ergo non ſunt plures cauſæ in actu ſecundo. Ille effectus non procedit à cauſis totalibus, ergo vel dicendum eſt quod plures cauſæ totalis in actu ſecundo producāt eundem numero effectum copulatiuè, & diuiſiuè, & non diſiunctiuè, quod videtur implicare, vt optimè docebat Ferrara vbi ſupra, vel dicēdum eſt, quod plures cauſæ totales in caſu poſito nō ſunt plures cauſæ, cum altera illarum non cauſet, & ſic non ſatisfit argumento. Quod autem ratio Ferraræ ſit optima patet argumento propoſito, nam vel quælibet cauſa producet diuiſiuè, vel non, ſi non, ſed diſiunctiuè, iam nō ſunt plures cauſæ, ſed vna cauſa: cum ad veritatem propoſitionis diſiunctiuæ ſatis ſit, quod vna pars ſit vera, & per conſequens, ad hoc quod iſta ſit vera (iſta vel illa cauſa producit) ſatis eſt quod vna producat, quanuis alia nihil producat, cum ergo vna non producat, ergo non ſunt plures cauſæ producentes eundem numero effectum. Si autem dicas, quod plures cauſæ in actu ſecundo virtute diuina producunt eundem numero effectum, alia, & alia operatione adæquata, tunc procedit argumentum Ferraræ, nempe implicare, talem effectum adæquatè dependere ab vtraque cauſa: quia implicat in iſto effectu reperiri duplicem effectum adæquationis ad vtranq; cauſam: nam effectus adæquatus in ordine ad aliquam cauſam, ita includit præciſe dependentiam neceſſariam ad illam, quod implicet dependere ab alia, cū excludat ex vi illius neceſſariæ dependentiæ quancunque aliam dependentiam adæquatam: v. g. iſte effectus adæquatè dependet ab iſta cauſa, ergo implicat intelligere illum non intelligendo illam cauſam, tunc ſic iſte idem effectus numero adæquatè pendet ab alia cauſa, ergo non implicat intelligere illum non intellecta priori cauſa quam aſsignauimus. Probatur ſequela. Quia tantum eſt neceſſarium intelligere iſtam cauſam adæquatam, ſed ex ſuppoſitione implicabat intelligere iſtum effectum ſine illa cauſa, ergo ſimul implicat, & non implicat. Et hæc eſt maxima implicatio, ergo implicat per Dei potentiam aliquem effectum poſſe produci adæquatè à duabus cauſis totalibus eiuſdem ordinis.

¶ Omiſſa igitur iſtorum ſolutione reſpondēdū eſt ad argumentum, quod quāuis operatio tranſiens ſit ratio formalis exiſtendi in loco in Angelis non tamen requiritur eadem operatio in eodem loco ad hoc quod Angeli dicantur eſſe in vno & eodem loco adæquato, ſed ſufficit, quod vel plures Angeli poſsint habere eandem numero operationem adæquatam inadæquatè, vel quod in eodem loco reali poſsint habere aliam, & aliam operationem adæquatam, quod ſi neceſſarium eſſet habere eandem numero operationem adæquatam, implicaret plures Angelos poſſe eſſe in eodem loco formali, etiam de potentia Dei abſoluta, propter implicationem quam in ſe includit dari plures cauſas adæquatas ſimul reſpectu eiuſdem effectus productis ab illis.

¶ Ad argumenta pro ſecunda ſententia quatenus opponitur noſtræ cōcluſioni ſatis patet ex dictis, neque illud quod aſſerūt (probando Deum poſſe de potētia abſoluta ponere duos Angelos in eodem loco) aliquid probat contra noſtram concluſionem, quia ſupponunt quod eodem modo ſe habet operatio ad locum reſpectu Angelorum, ſicut quātitas reſpectu corporum, & hoc eſt fundamentum noſtræ ſententiæ, vnde ſicut plures quantitates adæquatè exiſtentes in eodem loco, quanuis ſint plures conſtituunt plures ſubſtantias corporeas in eodem loco, ita plures operationes adæquatæ circa idem ſubiectum ſufficiunt ad hoc quod plures Angeli ſint in eodem loco formaliter. *Ad argumenta pro ſecūda ſententia.*

DISPV-

DISPVTATIO SEPTIMA,

DE MOTV ANGELORVM.

Continet duodecim Quæſtiones.

PRima, Vtrum Angelus moueatur localiter.

Secunda, Vtrum ipſe Angelus ſit ſubiectum ſui motus localis.

Tertia, Vtrum motus Angeli ſit actio, qua formaliter & immediatè acquirit ſucceſsiuè exiſtētiā propriæ ſubſtantiæ in diuerſis partibus ſpatij.

Quarta, Vtrum Angelus poſsit mouere ſe.

Quinta, Vtrum grauia & leuia habeant intrinſecum principium actiuum ſui motus.

Sexta, Vtrum Angelus moueatur motu continuo.

Septima, Vtrum Angelus deſerendo ſimul totum terminum à quo poſsit moueri motu continuo.

Octaua, Vtrum Angelus poſsit moueri motu diſcreto.

Nona, Vtrùm Angelus poſsit moueri de extremo ad extremū diſtans, nō tranſeundo per mediū.

Decima, Vtrū Angelus poſsit moueri in inſtanti.

Vndecima, Vtrum tempus Angelorum (quo eorū motus localis menſuratur) ſit diſtinctum â tempore noſtro.

Duodecima, Vtrum Angelus ad motum corporis, in quo eſt, moueatur per accidens.

TEXTVS.

AD quæſtionem dico, quod ſic, quia omne receptiuum formarum alicuius generis, quod non eſt ex ſe determinatum ad aliquam vnam illarum formarum, neque eſt illimitatum ad illas, poteſt moueri, ſiue mutari ab vna illarum formarum ad aliam. diſtin. 2. quæſt. 9. litera. A: C.

EXPLICATIO LITERÆ.

DOctor in hac litera reſpondet duplici quæſtioni, quarum prima eſt: vtrùm Angelus moueatur. Secunda autem vtrum moueatur motu continuo: & reſpondet vtrique affirmatiuè. Quia tamen, vt ex ſuperioribus conſtat, Durandus aliter ſenſit circa exiſtentiam Angeli in loco, ideo in præſentiarum videndum eſt quid ſentiat in hac re: quare ſit quæſt. 1.

QVÆSTIO PRMA.

¶ *Vtrùm Angelus moueatur localiter.*

DE hac re eſt prima ſententia Durand. in primo. diſtinct. 37. quæſtione. 2. aſſerentis, quod ſicut alicui conuenit eſſe in loco, ſic videndum eſt an ei competat moueri localiter. Angelo autem non competit eſſe in loco circumſcriptiuè, & ideo non competit ei propriè motus localis, qui competit corpori, prout ſucceſsiuè transfertur de loco in locum, commenſurando ſe partibus magnitudinis. Item, neque Angelo ſecundum ſe competit locus diffinitiuè, ſic quod ei determinetur ſitus, & eius proprietates, vt recitatiuè loquar, non aſſertiuè, & ideo nec ſic poteſt cōpetere motus localis. Alio modo poreſt competere Angelo eſſe in loco, ſcilicet, ſecundum ordinem ad locū, & nec iſto modo poteſt Angelus moueri localiter, quia motus eſt ad non habitum ſecundum totum, vel ſaltem ſecundum aliquam partem, poſsibile tamen haberi, ſed Angelus hoc modo dicitur eſſe in omni loco, in quo poteſt eſſe (vt prius recitatum eſt) & ita nullus eſt ab eo nō habitus, qui ſit poſsibilis ab eo haberi, ergo ſecundum hunc modum eſſendi in loco non competit Angelo moueri localiter.

¶ Alio modo dicitur Angelus eſſe in loco quoad manifeſtationem, quod fit per operationem Angeli circa locum, & hoc modo competit Angelo moueri dupliciter, vno modo, vt motus corporis ab Angelo dicatur motus Angeli, & hoc eſt ſatis impropriè dictum. Alio modo ſic quod ſucceſsio diuerſorum motuum cauſarorū ab Angelo vocetur motus Angeli, quia per talem ſucceſsionem operationum Angeli circa diuerſa corpora & in diuerſis locis, manifeſtatur ſucceſsiuè natura angeli in diuerſis locis. Et primus quidem motus eſt continuus. Secūdus autē nō eſt, ſed diſcretus, quia eſt ſucceſsio diuerſorum motuum conſequenter ſe habentium, ſiue cum interpellatione temporis,

poris, ſiue non. Neuter tamen iſtorum mo tum eſt in Angelo ſicut in ſubiecto, ſed ſo lũ ſicut in principio effectiuo per effectũ manifeſtato.

¶ Ex qua litera Durand. ſatis patet, quid ſentiat circa iſtam rem. Poteſt tamen probari ex D. Auguſt. 8. ſuper Geneſ. ad literam cap. 20. & ſequentib. vbi inquit, corpus omne moueri, per tempus, & locum: creaturam autem ſpiritualem non moueri per locum, bene tamen per tempus, Deum autẽ nullo modo moueri. Et ex Diuo Bernardo ſermo. 5. in Cantica, vbi dicit, quod diſcurrere, & de loco ad locum moueri non eſt niſi corporum. Et præterea, quia vt ex Diuo Aug. conſtat: 3. ſuper Geneſ. cap. 12. vbi inquit, animam noſtrã ſæpe falli, dum exiſtimat moto corpore, mouere ſe, dum corpus mouet: ergo anima noſtra non mouetur moto corpore, & per cõſequens mul to minus mouebitur Angelus ad motum aſſumpti corporis.

¶ Vltimo. Motus eſt actus entis in potentia ſecundũ quod in potentia, vt docet Ariſtotel. 3. phyſic. text. cõm. 6. & 20. ſed Angelus non eſt in potentia ad vbi, ergo. Probatur minor, quia vbi non eſt actus Angeli, neque perfectio, quia omnis perfectio videtur eſſe nobilior perfectibili aliquo modo, ſed vbi nõ poteſt eſſe pfectio Angeli, ergo.

Secunda ſententia Caiet. ¶ Secunda ſententia eſt Caiet. 1. part. quæſtione. 53. articul. 1. aſſerentis quod mens S. Thom. expreſsè, & abſque dubitatione ſentit motum localem propriè loquendo non conuenire ſubſtantijs ſpiritualibus, ſed quemadmodum abuſiuè, & æquiuocè (nominibus vtendo vt plures) dicuntur ſubſtãtias ſpirituales eſſe in loco, ita & moueri localiter. Vnde moueri eas non eſt eſſe ſubiectum motus, ſicut nec locari eſt eas eſſe ſubiectum vbi, ſed virtualiter tangere in genere cauſæ efficiẽtis diuerſa loca. Et ex hoc patet primò, quod inanis fuerit labor Scoti in loco allegato ad probandum Angelum poſſe verè moueri localiter, quia ſuſceptiuum alicuius generis, & non vt determinatum, & limitatũ, &c. Supponit enim quod nunquam probauit Angelum, ſcilicet, eſſe ſuſceptiuum ipſius vbi diffinitiuè, ſecundũ ſubſtantiam, vt in quæſtione præcedenti dictum eſt.

¶ Patet ſecundo, quod non conſona videtur eorum ſententia qui vel Sancti Thomæ attribuũt ſubſtantias ſpirituales motu loca li localiter verè moueri, vel hoc de mente eius ſuſpicantes, vt verum aſſerũt, & quod amplius eſt glorianrur ſe intelligere Diuus Thom. ¶ Eandem ſententiam docet Ferrara tertio contra gent. capit. 102. vbi ait, aduerte cum inquit S. Thom. agens incorporeum non poſſe propriè localiter moueri, quod idcirco addidit propriè, quia ſicut ſubſtãtiæ incorporeæ impropriè ſunt in loco (ſunt enim in loco, quia in loco operantur, non autem quia circunſcribantur loco). Ita & impropriè poſſunt dici localiter moueri, quia videlicet ſucceſsiuè ſua virtute diuerſa loca contingunt, non autem quia diuerſa loca occupent ſucceſsiuè per continentiam à loco.

Tertia ſententia Doctoris. ¶ Tertia ſententia eſt Doctoris, vt patet in litera, quam etiam defendunt noui expoſitores D. Thomæ. 1. part. quæſt. 53. artic. 1. Alter dubitatione. 2. concluſ. 3. vbi ſic ait mihi probabilius eſt re bene inſpecta, quod Angelus propriè eſt in loco, & propriè mouetur ſecundum locum, quia Angelum eſſe in loco, ſiue moueri ſecundum locum non ſignificat formaliter habitudinem ad exiſtere in loco, & moueri localiter corporibus proprium, ſed ſignificat formaliter realem cõtactum virtutis Angelicæ ad locum, ſiue permanentem, ſiue ſucceſsiuum, ergo quanuis à principio huiuſmodi loquutionis habita fuerit ratio ſecundum ſimilitudinem rerum ſpiritualium ad res corporales, tamen iam cum Theologi loquimur de Angelis, & dicimus quod exiſtunt in loco, & mouentur localiter, non intendimus forma liter ſignificare illam habitudinem, ſed realem modum exiſtendi in loco, & motus localis, qui competit Angelo per contactum propriè virtutis ad locum.

¶ Alter autem ſuper eundem locum quæſtione. 1. concluſ. 2. docet rationabile eſt dicere quod Angelus propriè eſt in loco, & propriè mouetur ſecundum locum, quanuis quæſt. 52. artic. 1. quæſt. 1. In dubio quodam concluſ. 3. aſſerat, quod modus ille exiſtendi in loco qui tribuitur Angelis, & ſubſtantijs immaterialibus eſt improprius modus exiſtendi in loco, & metaphoricus.

1. Notab. ¶ Pro explicatione tamen huius quæſtionis ſunt notanda nonnulla, quorum primũ eſt, quod quanuis Angeli non ſint propriè in loco, quia eſſe in loco propriè conuenit corporibus & ſubſtantijs materialibus, habent tamen (vt diximus ſupra) propriè vbi,

quia

quia vbi pro fundamento dicit ſpatium reale aptum natum fundare, vel terminare relationem præſentialitatis quam vnaquæq; res limitata poteſt de nouo recipere: propter quod (vt ſupra dicebamus) quanuis locus, & vbi, ſint eadem res, tamen ratione diſtinguuntur, quia locus vt locus nihil aliud dicit (vt docet Sõcinas. 5. metaph. q. 40. in quodam notabili. 1.) niſi ſuperficiẽ vltimã corporis continentis. Vbi autem requirit aliquid extrinſecum, & aliquem reſpectũ licet illud non ſignificet in recto.

2. *Notab.* ¶ Secundo eſt notãdũ quod ſpatium illud reale quod in vnoquoque loco reperitur, aliter ſe habet reſpectu corporum, & aliter reſpectu Angelorum, nam reſpectu corporum habet ſe per modum cõtinentis, & per modum ſpatij, continentis, quia continet corpus: per modum ſpatij, quia repletur corpore. Et poteſt ſumi analogia in vaſe pleno aqua, illud enim vas dicitur locus aquæ, quatenus continet aquam, dicitur autem ſpatium quatenus repletur aqua. Poteſt etiã dici vbi ipſius aquæ, quatenus fundat, vel terminat relationem præſentialitatis, quia ita aqua eſt hic, quod non alibi; vnde ab iſto conceptu totali quo concipimus aquam eſſe præſentem vaſi replendo ſpatium illius, contentam tamen à vaſe, poſſumus elicere duplicem conceptum partialem, quorum primo concipiamus illud abſolutum, quod fundat, vel terminat talem relationem præſentialitatis, & hoc appello vbi pro fundamento. Secundo autem concipio continentiam ipſius aquæ actiuam, & paſsiuam, & propter hoc illud idem appellatur locus aquæ. Tertio conſidero quod aqua replet illud vas, & propter hoc appellatur ſpatium. Quod ſi aliqua ſubſtantia eſſet in illo vaſe non replendo illud, neque contenta ab ipſo vaſe, quia ſine aliqua commenſuratione talis ſubſtãtia verè haberet vbi, non tamen locum, neque ſpatium. Quare, Angeli cum ſint ſubſtantiæ non replentes ſpatium illud reale, neque contenti ab illo. Hinc prouenit quod ſpatium illud reale habeat veram rationem vbi pro fundamento, quia habet veram rationem fundãdi, vel terminãdi relationem præſentialitatis, qua ſubſtantia Angeli, vel Angelus ipſe eſt formaliter præſens, illi ſpatio reali, non tamen habet veram rationem loci, quia non habet rationem cõtinentis reſpectu Angeli, neq; etiam habet rationem ſpatij in ordine ad Angelum, cum non repleatur, neque poſsit replere illud; ſolum igitur habet veram rationem vbi.

Nota hoc, & perſpicias differentiã inter locum & vbi.

3. *Notab.* ¶ Tertio eſt notandũ; quod motus localis, vt docet Ariſt. 3. Phyſic. eſt acquiſitio noui, & noui vbi, & quanuis Ariſt. ibi pro eodem accipiat locum, & vbi, ex eo prouenit quia (vt dixi in præcedenti notabili) reſpectu ſubſtantiæ corporeæ, locus, & vbi, ratione diſtinguuntur, quia dicunt alium & alium reſpectum (vt dixi) at vero in Angelis cum vbi & locus adeo inter ſe diſtinguantur, vt quod eſt vbi Angeli propriè, & non metaphoricæ, ſit locus improprius, & metaphoricus, ideo diffinitio Ariſt. de motu locali intelligẽda eſt ſecundum proprietatem, & rigorem, & ſic Angelus verè acquirit nouũ & verum vbi, quanuis non acquirat nouũ, & nouũ locũ propriè quia Angelus nõ eſt propriè in loco, neque ex hoc tollitur ab Angelis vera & propria ratio motus localis. Vnde nõ bene colligũt qui probant Angelos verè eſſe in loco, & non impropriè & abuſiuè, ex eo quod propriè mouentur; quia motus non eſt acquiſitio noui, & noui loci, ſed noui & noui vbi: & hoc maximè notabis.

Prima cõcluſio. ¶ Prima concluſio. Angeli verè & ſimpliciter mouentur localiter. Hæc concluſio eſt Doctoris in litera; & clarius paulò infra: probat illam ex Scriptura dicẽte quod Angeli quandoque mittuntur cum corpore, quandoque ſine corpore, vt patet de Angelis miſsis Abrahæ, quãdo tres vidit; & vnũ adorauit. Et de Angelo miſſo Tobię, vt per viam duceret, & reduceret in domum patris ſui. Et Ioan. 5. Angelus Domini deſcendebat in piſcinam ſecundum tempus, & Lucæ. 10. Videbam Satanã ſicut fulgur de cælo cadentem. Et Iſaiæ 14. Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer. Apoc. 12. Et non eſt inuentus amplius locus eorum in cælo. Et Pſal. 36. Quæſiui eum & non eſt inuentus locus eius. Quæ loca & alia quam plurima manifeſtè oſtendunt Angelos modo eſſe hic, & modo ibi, ergo Angeli mouentur localiter, quia acquirunt nouum, & nouũ vbi. Nec ſolutio Durand. aliquid valet quando reſpondens dixit, ſatis eſſe quod Angelus incipiat apparere mediante aliquo effectu, aut corpore aſſumpto, quanuis non mutet locum ſecundum ſuam ſubſtantiam, ſicut Matth. 3. dicitur de Spiritu ſancto, quod deſcendit ſicut columba. Et Ioan. 3. de filio

dicitur,

dicitur quod deſcendit de cælo, & tamen ad veritatem harum propoſitionum non eſt neceſſarium, quod Spiritus ſanctus & Filius mutauerint locum ſecundum ſuam ſubſtātiam, ſed ſatis eſt, quod Spiritus ſanctus per columbam, & Filius per humanitatem aſſumptam cœperint apparere vbi autem ante non apparebant. Iſta tamen ſolutio nihil valet, quia Filius & Spiritus Sāctus ſunt illimitati ſecundum ſuam ſubſtātiam, quia ſunt Deus omnia replens: Angeli vero ſunt illimitati, & requirunt determinatum vbi, & ſic quando acquirunt vnum, verè & realiter deſerunt aliud.

¶ Secūdo probatur, quia vt dicitur Matth. 22. Animæ beatæ erunt ſicut Angeli Dei, ſed animę Beatę imo anima Chriſti beatiſsima mouebāt localiter ſicut dicit articulus fidei, ergo & Angeli mouebuntur localiter.

¶ Tertio probatur authoritatibus Sanctorū patrum primo ex D. Aug. lib. 1. retractationum. cap. 24. vbi ponit differentiam inter deſcenſum Angeli, & deſcenſum Filij Dei, quia filius Dei non deſcendit, neque venit vbi antea non erat, ſed apparuit in humanā carnem ſecundum quam antea non erat. Angelus autem reuera ſecundum ſubſtantiam deſeruit cælum, & cœpit eſſe vbi antea non erat. Similiter D. Ambroſ. libr. de Spiritu ſancto. cap. 10. comparans Spiritū ſanctum, cum Angelo inquit, ille cum ſit vbique, non poteſt recedere à loco, neque acquirere locum, Angelus vero cum loco definiatur, poteſt & deſerere locum, & acquirere. Eandem differentiam docent D. Damaſc. lib. 1. fid. hortod. cap. 17. & libr. 2. cap. 3. Eandem D. Gregorius libr. 2. moralium. cap. 5. & Diuus Dionyſius de cæleſti hierarch. cap. 4. & 13. Chryſoſt. homilia. 3. in Epiſtola ad Hebræos. Beda Luc. 1. & omnes ſancti expreſsè docent quod cūm Angeli mittuntur à Deo in terram, non remanent in cælo.

¶ Quarto probatur, authoritate Doctorū ſcholaſticorum. Nā Doctor hic, & Diuus Thom. 1. part. quæſt. 53. artic. 1. & in. 1. diſtinct. 37. Alexander Alenſis. 2. part. quæſtione 33. Henricus quolib. 4. quæſt. 7. D. Bonauent. Albertus, Marſilius in. 2. quæſt. 7. Denique omnes ſcholaſtici præter Durandum.

Secunda concluſio. ¶ Secunda concluſio. Angeli verè & propriè mouentur localiter. Hæc concluſio eſt contra Caietanū, & defenditur communiter à recētioribus Thomiſtis. Et probatur, Angelus verè & propriè acquirit nouum, & nouum vbi, ergo verè & propriè mouetur localiter. Ant. patet ex dictis in præceden. concluſ. & ſequela eſt manifeſta. Confirmatur. Angelus propriè tranſit de hoc vbi, ad illud, deſerendo iſtud, & acquirendo illud: & habet ſe aliter, & aliter, propriè & verè, & non tantum metaphoricæ in ordine ad ſpatium iſtud, & illud: quia modo verè eſt præſens hic, vbi antea non erat, ergò propriè mouetur localiter.

Ad argumen. Dur. ¶ Ad argumenta Durand. facilimè reſpondetur ad primum. Ex D. Aug. reſpondetur, quod D. Aug. ibi tantum intendit ſubſtantiam ſpiritualem non mutari per loca, quia non ſunt in loco propriè, quia non habent commenſurationem, neque continentiam, verè tamen moueri per vbi. Vnde D. Aug. intelligendus eſt in ſenſu formali, & tunc verum eſt, quia cum Angeli non ſint in loco propriè (ſicuti ſunt corpora) ideo motus localis Angeli non eſt ſicut motus localis corporum, nam corpora mouentur localiter, non ſolum faciēdo ſe præſentia alio, & alio ſpatio, ſed replendo illa & contenta ab illis, at vero Angeli mouētur localiter per ſolam præſentialitatem, abſque repletione & continentia. Per hoc etiam reſpondetur ad illud D. Bernard. Ad illud autem D. Auguſt. de anima noſtra reſpondetur, quod D. Auguſt. ibi tantum intendit quod anima noſtra quando mouet corpus, non mouetur motu corporis, non autem quod non moueatur moto corpore.

Ad vlt. ¶ Ad vltimum reſpondetur cum Doctore in hac quæſtione litera. B. negando minorem, & ad probationem dicitur, non eſſe inconueniens aliquid imperfectius eſſe perfectionem alicuius perfectioris, ſicut v. g. intellectio Angeli (cum ſit accidens) eſt imperfectior Angelo, & tamen eſt perfectio ipſius Angeli, quia non eſt inconueniens, quod ſubſtantia, quæ non eſt actus purus ſit in potentia alicuius perfectionis, quæ conſiderata ſecundum ſuam naturam eſt imperfectior natura illa ſecūdū ſe cōſiderata.

Ad argumē. Caiet. ¶ Ad argumenta Caiet. reſpondetur ſupponere falſum, nempè neceſſarium eſſe Angelum propriè eſſe in loco ad hoc vt propriè moueatur localiter. Hoc autem falſum eſt vt vidimus ſuprà. Sed ſatis eſt quod ſit propriè in ſpatio reali de nouo, deſerendo aliud, vt diximus in notabili. 2.

TEXTVS.

ET ita poteſt concedi de vbi, vel præſentia corporali cũ Angelo, quod ſit aliqua perfectio Angeli, ſicut aliquis actus dicitur perfectio, ſed longè ignobilior illa natura cui ineſt. diſtinct. a. quæſtione.9. Litera.B.

EXPLICATIO LITERÆ.

IN hac litera Doctor oſtendit motum localem Angeli eſſe eius perfectionẽ, quia tamen non eſt perfectio ſubſtantialis, ſed accidentalis, merito quærendum eſt in præſentiarum de ſubiecto iſtius perfectionis quodnam ſit. Vnde ſit titulus quæſtionis.

QVÆSTIO II.

Vtrum ipſe Angelus ſit ſubiectum ſui motus localis.

Sententia Caietan. DE hac re eſt prima ſententia Caieta.1.part.quæſt.53.art.1. Angelum non propriè moueri, ſed abuſiuè tantum, ex eo, quia effectiuè mouet aliquod corpus: ex quo concludit, ſubiectũ motus Angeli eſſe corpus circa quod ipſe Angelus operatur. Fũdamẽtum eius eſt: quia ſentit motum Angeli eſſe actionem illam qua ipſe Angelus ſucceſsiuè in diuerſis locis operatur, vnde cum actio non ſit in agente, ſed in paſſo, & per cõſequens ſubiectũ actionis ſit ipſum paſſum, ideo ſubiectum motus Angeli non eſt ipſe Angelus, ſed corpus circa quod operatur. *Primum argum.* Eandem ſententiam docet Ferrara. 3. contra gentes ca. 10 a. vbi aſſerit quod ſi actio per quam Angelus ad extra operatur eſt actus voluntatis, vel imperij exiſtens in Angelo, neceſſario Angelus erit ſubiectũ motus. Si autem ſit operatio tranſiens ſicut ſub iectum operationis tranſeuntis ſit corpus, circa quod Angelus operatur, neceſſario ſatendum eſt, motum Angeli ſubiectari non in Angelo, ſed in corpore. Eandem ſententiam docet Soto 3. & 4. Phyſi. quæſt. a. art. a. ad 4. & lib. 6. quæſt. 4. arti. a. Probatur tamen prædicta ſententia, quia motus localis eſt acquiſitio noui, & noui vbi, ergo in eodem ſubiecto erit motus localis in quo eſt vbi, ſed vbi nõ ſubiectatur in Angelo, ſed in ſpatio reali, ergo neq; motus ipſius Angeli.

¶ Secundò, Angelus eſt in loco per operationem trãſeuntem, ergo eſt in alio, & alio loco, quia habet aliam, & aliam operationẽ tranſeuntem, vel eandem circa aliuni & alium locum, ſed tales operationes tranſeuntes non ſunt ſubiectiuè in ipſo Angelo, ſed in corpore in quo recipiuntur, ergo nec motus Angeli. *Secundum argum.*

¶ Secunda ſententia eſt Doctoris, colligiturque ex eius doctrina, ſcilicet, Angelum ex eo moueri localiter, quia applicat ſuam ſubſtãtiam alicui ſpatio, cui de nouo ſit præſens, & per conſequens, motus Angeli ſubiectatur in ipſo Angelo, atque ipſum Angelum eſſe ſubiectum ſecundum ſuam ſubſtantiam talis motus. *Sententia Doctoris.*

¶ Pro explicatione huius quæſtionis eſt primo notab. quod Angelus ſecundum ſententiam omnium mouet ſe, taliter quod in illo eſt principium motus actiuum, & paſſiuum: & per cõſequens, in vtroque ſenſu poterat quæſtio intelligi. Sed de motu actiuo quo Angelus mouet ſe, vel mouet aliũ Angelum, nulli dubium eſt eſſe in ipſomet Angelo ſubiectiuè, quia eſt ipſa virtus motiua Angeli cum quodam reſpectu, vel ipſe reſpectus, vel denominatio extrinſeca iuxta ſententiam illorum qui dicunt actionem (vltra formam repertam in paſſo) tantum dicere virtutem actiuam agentis cum quadam denominatione extrinſeca. Vnde actio ſiue ſumatur pro reſpectu, ſiue pro virtute actiua, ſiue pro denominatione extrinſeca; qua agens dicitur agens ſemper eſt in agente. Ita eodem modo dicendum eſt de motu actiuo, vel de motione actiua, quæ cum ſit operatio vitalis neceſſario debet eſſe in agente vitali, ſiue ſit virtus motiua Angeli, ſiue vltra virtutem motiuam addat reſpectum aliquem. Quare motus localis in Angelo quatenus Angelus mouet ſeipſum eſt operatio vitalis intrinſecè procedens a ſubſtantia Angeli vt à cauſa principali, à virtute vero executiua vt à cauſa Inſtrumentali; & ſecundum iſtum motum Angelus mouet ſeipſum & mouet alium Angelum actiuè. Motus autem paſsiuus ſecundum quem dicitur Angelus moueri à ſe, vel ab alio, vltra virtutem mobilem, requirit quandam impreſsionem alicuius formæ ab ipſo mouente inductæ, quæ dicitur motio paſsiua, hoc autem manifeſtum ſit in motibus violentis, vel quando aliquid mouetur ab alio, taliter *1. Notab.*

liter quod illud motum tantum paſsiuè ſe habet. Quare aliter loquendum eſt de motione actiua, & de motione paſsiua.

2. Notab. ¶ Secundò eſt notandũ, quod cũ motus ſit actus entis in potentia ſecundum quod in potentia, & motus localis ſit acquiſitio noui, & noui. Vbi quæſtio in præſentiarũ nõ eſt intelligenda de motione actiua, ſed tantum de motione paſsiua, quatenus Angelus (motus à ſe, vel ab alio) acquirit hunc & illum locum ſucceſsiuè, hoc & illud vbi. Vnde quanuis ſubſtantia Angeli ſit ens permanens, quatenus tamen eſt in potentia paſsiua ad recipiendum præſentialitatem huius & illius vbi dicitur quodammodo ens ſucceſsiuum, non in actu, ſed in potentia, quia eſt in potentia ad ſuſcipiendum formã ſucceſsiuam.

3. Notab. ¶ Tertiò eſt notandũ, quod cũ motus ſit acquiſitio noui, & noui vbi neceſſariò requirit diuerſos contactus ad alium & alium locum, qui contactus neceſſario requirũt motionem actiuam, ſiue operationem vitalem ipſius Angeli, quia Angelus non tantũ mouetur, ſed mouet ſe, & à ſe. Vnde quanuis grauia moueant ſe (quia per propriam formam) non tamen mouentur à ſe, quia non mouentur ex cognitione. Et ſic in Angelis, ad hoc quod dicantur ſe ipſos mouere requiritur illa operatio vitalis ad ipſum motum, vel formaliter, vel præſuppoſitiuè, quia implicat intelligere Angelum mouere ſe abſque operatione vitali, cum ipſe ſit operans viuens, & in tali mouere ſe neceſſario operatur vitaliter. Motio autem paſsiua eſt qua formaliter dicitur Angelus moueri, & iſta eſt terminus motionis actiuæ.

Prima cõcluſio. ¶ Prima concluſio. Subiectum motus Angeli eſt ipſe Angelus ſecundũ ſuam ſubſtantiam. Hæc concluſio eſt Doctoris in hac diſtinct. & quæſt. & quæſt. 10. Vbi docet Angelum ſe mouere, & poſſe ſe mouere localiter, quia cuicunque ineſt potentia paſsiua ad aliquid acquirendum vel habere per motum, non eſt imperfectionis in eo, quod habeat potentiam actiuam, per quam poſſit illud acquirere, ſed perfectionis eſt. Ex quo patet, ſecundum Doctorem, Angelum eſſe ſubiectum ſui motus quando mouet ſe ipſum. Confirmatur, quia motus ſupponit pro fundamento potentiam paſsiuam mobilis iuxta philoſophum motus eſt in mobili, ſed ſubſtantia Angeli eſt in potentia paſsiuà ad moueri, ergo in ipſa ſubijcitur motus, vt in fundamento, & in ipſo Angelo, vt in ſubiecto.

¶ Secundò. Motus Angeli eſt ipſa acquiſitio vbi actiua vel paſsiua, ſiue acquiſitio exiſtentiæ Angeli in alia atque alia parte ſpatij ſucceſsiuè, ſed huiuſmodi exiſtentia eſt in Angelo vt in ſubiecto, cum non ſit aliud quam ipſa ſubſtantia Angeli cum intrinſeca præſentialitate ad iſtud ſpatium, & illud, quia non poteſt eſſe denominatio tantum extrinſeca cum ſit terminus ipſius motus, ergo.

¶ Tertio. Moueri localiter eſt verè & realiter mutari, ergo quod verè & realiter mutatur eſt ſubiectum illius motus, ſed huiuſmodi eſt ipſe Angelus, ergo. Confirmatur idem eſt ſubiectum termini motus in facto eſſe, & in fieri, ſed ſubiectũ termini motus localis (ſcilicet exiſtentia in loco in facto eſſe) eſt ipſa ſubſtãtia Angeli, ergo eadẽ ſubſtantia eſt ſubiectum illius termini in fieri, & ex conſequenti motus localis, quoniam motus localis non eſt aliud quam ille terminus prout in fieri.

¶ Confirmatur ſecundo. Quando idem eſt agens & paſſum, idem eſt ſubiectum actionis, & paſsionis, ergo quando idem eſt mouens & motum, idem erit ſubiectum motionis actiuæ, & paſsiuæ, ſed Angelus mouens ſe eſt ſubiectum motionis actiuæ, ergo & motionis paſsiuæ.

Secunda concluſio. ¶ Secunda concluſio. Motus Angeli vltra eius ſubſtantiam non dicit aliquam entitatem abſolutã.

Ad argumenta pro prima ſententia. ¶ Reſpõdetur argumẽtis pro prima ſententia, ad primum negando minorem; quia quanuis vbi pro fundamento (nempe ſpatium illud reale quod fundat, vel terminat præſentialitatem illam qua Angelus eſt realiter præſens illi ſpatio) vbi tñ formaliter (ſcilicet præſentialitas illa) ſicut immediatè fundatur in potẽtia paſsiua Angeli, ita immediatè ſubiectatur in ſubſtantia ipſius Angeli: & hoc commune eſt omnibus mouentibus ſe, in quibus eſt motus localis vt in ſubiecto, quanuis vbi quod acquiritur non ſit in illis, vt in ſubiecto.

Ad ſecundum. ¶ Ad ſecundum reſpondetur primo negando antecedẽs iuxta ſententiã Doctoris. Vel ſecundo reſpondetur, dato quod ſit in loco per operationẽ tranſeuntem tanquã per rationem formalem; adhuc tamen motus ſecundum quem dicitur Angelus moueri, neceſſario eſt in ipſo Angelo vt in ſubiecto, quia vt diximus ſupra in Diſputatione pri

ma

ma de creatione, actio formaliter eſt in agente, & non in paſſo.

QVÆSTIO III.

Vtrùm motus localis Angeli ſit actio, qua formaliter & immediatè acquiritur ſucceſsiuè exiſtentiam propriæ ſubſtantiæ in diuerſis partibus ſpatij.

Sententia Caietan. PRima ſententia eſt Caiet. vbi ſupra, aſſerentis, quod cum Angelus ſit in loco per applicationem virtutis, ideo motus Angeli eſſe diuerſos contactus, quibus per modum cauſæ efficientis ſucceſsiuè diuerſa loca contingit. Quare cum Angelus non attingat locum, niſi quia media actione in illo operatur, ideo motus localis Angeli erit illa operatio exterior ſucceſsiuè, & immediatè, inmediatione ſuppoſiti ab Angelo exercita circa diuerſa loca. Probatur tamẽ *Primum argum.* hæc ſententia primo ex D. Thoma, qui in illo artic. 1. concluſ. 2. inquit, motum Angeli eſſe diuerſos contactus diuerſorum locorum, ſed iſti contactus fiunt media operatione tranſeunte, ergo huiuſmodi operatio (vt terminata ad diuerſa loca ſucceſsiuè) eſt motus localis Angeli.

Secundum argument. ¶ Secundò. Angelus eſt in loco quatenus operatur in eo immediatè immediatione ſuppoſiti, ergo etiã mouetur localiter, quatenus eodem modo eſt in diuerſis locis ſucceſsiuè. Patet conſequentia, quia moueri localiter non eſt aliud quam ſucceſsiuè, & intermedia quiete eſſe in diuerſis locis.

Tertium argum. ¶ Tertiò. Angelus exiſtens in aliquo ſpatio (nihil ibi operans) non eſt ibi vt in loco, ergo quamuis deſerat illud ſpatium, non deſerit aliquem locum, ſed motus localis eſt acquiſitio loci cum deſertione alterius loci, ergo motus localis in Angelo nõ poteſt eſſe aliud quam operatio ipſius Angeli, quatenus exercita in diuerſa loca ſucceſsiuè. Hanc ſententiam defendere videtur Ferrara vbi ſupra, aſſerens, quod motus Angeli eſt actio, qua Angelus aliquid producit in diuerſis locis ſucceſsiuè quamuis non determinet, an illa operatio ſit immanens, vel tranſiens.

Sententia Doctoris. ¶ Secunda ſententiã eſt Doctoris, pro cuius explicatione eſt primo notãdum, ꝙ (vt *1. Notab.* docet Doctor infra quæſtione 10.) Angelus non tantum habet potentiam paſsiuam ad mouerí, ſed etiam habet potentiam actiuam ad mouere. Et ratio Doctoris eſt, quia multa imperfectiora Angelo quæ habent potentiam paſsiuam, habent etiam potentiam actiuam, qualia ſunt animalia, imo & grauia, & leuia. Cum igitur in Angelo ſit potentia paſsiua, ſiue receptiua ad aliud, & aliud vbi, neceſſario fatẽdum eſt eſſe etiam potentiam actiuam.

¶ Secundò eſt notãdũ, quod põtẽtiã moti ua Angeli neceſſario eſt diſtincta ab ipſa motione actiua, & paſsiua: alias non quieſceret Angelus vnquam, quia nunquam Angelus eſt ſine potẽtia actiua, qua poteſt mouere ſe, & paſsiua qua poteſt moueri à ſe, & ab alio, eſt igitur motio qua Angelus mouet ſe operatio quædam vitalis, quia procedens à principio quod viuente ſecundum quam Angelus vias mouet ſe, & mouetur à ſe, quare in motu locali Angeli iſta ſunt neceſſario cõſideranda. Primò, ipſum Angelũ tãquam principium quod. Secũdò, virtutẽ motiuam Angeli tanquã principium quo. Tertium, applicationem voluntatis ad mouere ſe. Quartò, ipſa motio quæ nõ fit producẽdo aliquid in ipſo Angelo abſolutum, ſed tantum applicando ſuam ſubſtantiã alicui ſpatio, cui de nouo fit præſens. Vnde quia Angelus applicat ſuam ſubſtantiam diuerſis locis & ſpatijs (quibus fit præſens de nouo) per indiciũ practicũ, & electionẽ voluntatis mediãte potentia executiua (vt inſtrumento) vocatur moueri localiter. Vnde motus localis vltra ſpatium illud reale, & ipſum Angelum, tantum dicit ordinem ſucceſsiuum nouæ & nouæ præſentialitatis, ad nouum & nouum ſpatium. *2. Notab.*

¶ Prima concluſio. Motus localis Angeli non eſt diuerſi contactus, quibus Angelus ſucceſsiuè attingit diuerſa loca, media operatione, qua in eis aliquid producit, ſiue talis operatio ſit ſolum imperium, ſiue actio aliqua formaliter tranſiens. ¶ Hæc cõcluſio probatur cõtra Caiet. primò, quia antequã Angelus operetur immediatè inmediatione ſuppoſiti in loco, in quo nõ exiſtit, neceſſarium eſt quod præceſſerit acquiſitio talis loci, ergo non mouetur ad illum locum illa operatione, qua in eo aliquid producit. Patet ſequela, quia motus localis formaliter eſt ipſa acquiſitio vbi. Antecedens autem probatur, quia, vt Angelus operetur in aliquo loco, neceſſariũ eſt, quod prius ſaltim ordine naturæ, ſit in illo ſpatio. *Prima cõcluſio.* *Primo probatur.*

Secundo probatur. ¶ Secundò. Motus localis nihil aliud eſt, quã ſucceſsiua acquiſitio exiſtentiæ mobilis in alia atque alia parte ſpatij, ſed talis exiſtentia ſucceſsiua non acquiritur ab Angelo media operatiõe, qua ſucceſsiuè aliquid producit in diuerſis partibus ſpatij, quia talis exiſtentia præſupponitur ad operationem productiuam, ergo talis operatio productiua non eſt motus localis Angeli.

¶ Confirmatur. Angelus poteſt eſſe præſens ſpatio, quanuis in illo nihil operetur, ergo & poteſt eſſe præſens ſucceſsiuè, quã uis ibi nihil operetur, ſed hoc eſt moueri localiter, ergo ad motum localem non requiritur aliqua operatio, vel productio alicuius circa ſpatium.

Tertio probatur. ¶ Tertiò. Vnus Angelus poteſt moueri ab alio, ſed Angelus motus non agit aliquid circa illud ſpatium, ergo motus localis (ſecundum quem dicitur aliquis moueri) non requirit aliquam operationem circa ipſum ſpatium.

Quarto probatur. ¶ Quartò, ſecundum probabilem ſententiam, corpus poteſt moueri per vacuum, ergo & Angelus, ſed vacuum non eſt receptiuum alicuius operationis, ergo motus Angeli non eſt operatio, qua ſucceſsiuè produ cit aliquid in diuerſis ſpatijs.

Quinto probatur. ¶ Quintò. Motus localis nequit exerceri manẽte mobili in eadem omnino parte ſpatij: ſed Angelus poteſt in eodẽ ſpatio exercere diuerſas operationes (vt ſi diſtinctis actionibus in eodem ſpatio moueat diuerſa mobilia, aut idem mobile, verſus diuerſas partes) ergo huiuſmodi operationes non ſunt motus Angeli. Quod ſi quis reſpondeat operationes iſtas non eſſe motum Angeli, niſi præciſe, quatenus terminantur ad diuerſas partes ſucceſsiuas. Contra motus localis ex propria ratione formali habet, quod ſit motus localis, & omnia quæ ad eius motum intrinſecè requiruntur, ergo actio quæ reſpectu Angeli fuerit motus localis habebit ex propria ratione iſta, & per conſequens repugnantiam cum permanentia mobilis in eadem parte ſpatij.

Sexto probatur. ¶ Vltimò. Subiectum immediatum Angeli eſt ſubſtantia eius, cum qua motus eſt idem realiter (& non formaliter) ſed operatio tranſiens non ſubiectatur immediatè in agente, ſed in paſſo, ergo non poteſt eſſe motus ipſius agentis. Maior eſt, ipſorum vbi ſupra quæſt. 2. concluſione. 3. Et minor cõmuniter conceditur ab illis, ergo illa tertia concluſio pugnat cum ſua ſententia, nempe quod motus localis Angeli nihil aliud eſt quam diuerſi contactus diuerſorum locorum ſucceſsiuè.

Secunda concluſio. ¶ Secunda concluſio. Motus localis Angeli eſt actio qua formaliter, & immediatè Angelus acquirit ſucceſsiuè exiſtentiam propriæ ſubſtantiæ, ſiue præſentiam fundamẽtalem in diuerſis partibus ſpatij. Hæc concluſio probatur, quo ad omnem ſuam partem, quo ad primam eſt aduertẽdum, quod dupliciter poſſumus intelligere actionem aliquam concurrere, ad hoc quod Angelus acquirat prædictam præſentiam ad ſpatiũ primo modo efficienter, & mediatè, ſecundo modo formaliter per ſe ipſam, & immediatè. Priori modo cõcurrit imperiũ ipſius Angeli, aut alterius agentis ſuperioris, nam huiuſmodi imperium nõ facit Angelũ præſentem immediatè, & ſine cõcurſu alterius actionis, ſed eſt cauſa alterius actionis, qua formaliter, & immediatè Angelus acquirit prædictam præſentiã, & iſta ſecunda actio concurrit ſecundo modo, quia formaliter eſt ipſa immediata acquiſitio illius præſentiæ. Motus vero localis reſpectu Angeli nõ eſt imperium quo Angelus, aut aliud ſuperius agens imperat acquiſitionẽ illius præſentiæ, ſed eſt alia actio ab eo proueniens quæ ſit formaliter ipſa acquiſitio præſentiæ. ¶ Probatur concluſio. Motus quicũq; eſt via ad ſuum terminum, ergo eſt acquiſitio termini. Cõfirmatur ratione. Motus dicitur mobile moueri, & aliter, atq; aliter ſe habere per ordinem ad terminum, ergo debet eſſe ipſa acquiſitio termini. Confirmatur ſecundo, nihil aliud relinquitur quod poſsit eſſe motus localis, quam ipſa acquiſitio termini, ergo. *Primo probatur.*

¶ Vltimò. Motus localis eſt formaliter ipſe tranſitus de vno termino ad alium, ergo eſt ipſa acquiſitio termini ad quem prout in fieri, & ex conſequenti eſt actio qua mobile ſucceſsiuè acquirit exiſtentiam in alia, atque alia parte ſpatij. Patet conſequentia. Quia ipſo tranſitu de vno termino ad alterum acquirit mobile terminũ ad quem, & exiſtẽtiã in diuerſis partib⁹ ſpatij aut loci. *Secundo probatur.*

Tertia concluſio. ¶ Vltima concluſio. Motus localis Angeli conuenit cum motu locali corporũ, in vno conceptu formali deſumpto non ab aliqua realitate ſpecifica, vel generica, communi vtriq;, ſed ab eodem modo ſe habendi. Hæc concluſio probatur, contra nonnullos, qui quan-

quanuis cõcedant prædictos motus non cõuenire in vna ratione ſpecifica, concedunt tamen conuenire in vna ratione generica. & dicunt quòd quanuis motus Angeli, & motus corporum, non conueniant vniuocè quoad rationes particulares, & ſpecificas, conueniunt tamē in ratione generica, quia vtriq; motui eſt vniuocè cõmune, quòd ſit ſucceſsiua acquiſitio exiſtentiæ mobilis in alia, atq; alia parte ſpatij. Et præterea, quia vbi Angelicum, ſiue ſpiritale, & vbi corporeum conueniunt in vna ratione vniuocè. Iſtæ autem rationes nihil obſtant, quia tantum probant conceptũ quendã formalem deſumptum ab eodem modo ſe habendi in ordine ad præſentialitatem reſpectu eiuſdē ſpatij, talis autem conceptus formalis facit tantum vniuocationem logicam, & ſi prædicti intelligant de hac logica vniuocatione, non tantum conueniunt in genere, ſed etiam in ſpecie, quia motus localis hoc modo ſignificatus vna ſpecies eſt, nõ realis, ſed logica. Cum igitur motus localis Angeli, & motus localis corporum non cõueniant in aliqua natura reali, ideò ſicut non cõueniũt vniuocè in vna natura ſpecifica reali, ſimiliter, neque in vna natura generica.

Ad argumenta pro Caiet. ¶ Ad argumenta pro ſententia Caiet. reſpõdetur negando minorem. Sicut enim vnus cõtactus qui requiritur, vt Angelus ſit in loco ſit immediatè per ſuam ſubſtantiam, ita etiam plures contactus (qui ad motum localem requiruntur) põterunt fieri immediatè per ſubſtantiam Angeli, vt applicarã diuerſis locis ſucceſsiuè.

¶ Ad ſecundum & tertium reſpondetur, negando antecedens.

TEXTVS.

Concedo, quòd poteſt à ſe localiter moueri, quia cuicunq; ineſt potentia paſsiua ad aliquid acquirendũ per motum, non eſt imperfectionis in eo, quod habeat potentiam actiuã, per quam poſsit illud acquirere, ſed perfectionis eſt. diſt. 2. quæſt. 10. Litera. A.

EXPLICATIO LITERÆ.

IN hac litera Doctor vnam aſsignat concluſionem, nempe Angelum habere vim, & virtutem naturalem vt poſsit mutare locum. Hanc concluſionem probat, quia animata imperfectiora Angelo, imò & inanimata qualia ſunt grauia, & leuia, habēt talē virtutē actiuã, ergo multò magis Angelus habebit virtutē actiuã ad mouendũ ſe. Circa iſtam literã & eius rationē duplex oritur quæſtio, quarũ altera eſt circa concluſionē & altera circa rationē. Circa cõcluſionē erit primò diſputanda, & ſecũdò, circa rationē. Vnde ſit titulus primæ quæſtionis.

QVÆSTIO. IIII.

¶ *Vtrùm Angelus poſsit mouere ſe.*

PRO parte negatiua eſt primũ argumentũ. Nihil poteſt ſimul eſſe in actu, & põtētia ſecundũ idem, ſed mouēs, ſecundũ quod mouēs, eſt in actu, & motũ ſecundũ quod motũ eſt in potentia, ergo nihil poteſt mouere ſe, aliàs idem eſſet mouens, & motũ. Maior patet, quia ſecundũ Ariſt. 9. metaph. actus, & potentia diuidunt ens. *Primum argum.* ¶ Secundò. Omne quod mouet ſe, diuiditur in duo, quorũ alterũ eſt primò mouēs, & alterũ primò motũ; ſed in Angelo nõ poſſunt dari iſta duo, quorũ alterũ ſit primò mouēs, & alterũ primò motũ, cũ ſit ſubſtãtia indiuiſibilis, ergo Angelus nõ poteſt ſe mouere. *Secundum argum.* ¶ Tertiò. Relationes oppoſitæ nõ poſſunt eidē extremo reali cõuenire, ſed relationes mouentis, & moti, ſunt relationes oppoſitæ, & reales: ergo nõ poſſunt eidem Angelo conuenire. *Tertium argum.*

¶ Quarto. Potentia naturalis Angeli debet ordinari ad aliquē finē naturalē iuxta naturalē ordinē vniuerſi, ſed potentia motiua ſecundũ locũ ad nullũ finem naturalē poteſt ordinari reſpectu ipſius Angeli: ergo nõ eſt ponenda in Angelo. Probatur minor. Quia Angelus nunquã mouetur propter ſui indigentiã, aut propter neceſsitatē naturalē rerum, cũ res inferiores ſufficienter adiuuentur ex motibus corporum cæleſtiũ, imò & ipſe homo (quod attinet ad corp⁹, & ad omnes potētias animales) ſufficiēter iuuatur in ſuis operationibus ex motibus cæleſtibus, quod verò attinet ad mentem, homo immediatè gubernatur à Deo, qui ſolus immediatè poteſt cõtingere intellectũ, & volũtatē, ergo ſuperflua eſt huiuſmodi naturalis virtus motiua Angeli ſecundũ locum reſpectu Angeli. *Quartum argum.* ¶ Pro explicatione huius quæſtionis, eſt primò notandũ, quod motus nõ eſt nõ ſi ſit motor qui moueat, & motũ ſiue id quod mouetur. Vnde cũ Angelus moueat ſe oportet in illo aſsignare mouēs & motũ. *1. Notab.*

¶ Secũdò eſt notandũ, quod cũ omne mouens *2. Notab.*

uens habeat principiũ actiuũ mouendi diſtinctũ ab ipſo mouẽte. Ideo aliud eſt principiũ actiuũ motus vt quo, & aliud eſt principiũ actiuũ motus vt quod, ſicut ſimiliter aliud eſt principiũ paſsiuũ quo mobile mouetur, & aliud eſt ipſum mobile quod mouetur, & hoc verũ eſt in quocũque genere motus, vel mutationis, ignis enim eſt principiũ actiuũ quod, calor autẽ principiũ acti uum quo: lignũ autẽ eſt principiũ paſsiuũ quod, potẽtia vero receptiua ipſius caloris, eſt principiũ paſsiuũ quo. ¶ Tertiò eſt notã 3. *Notab.* dũ. Quod actus, & potentia ad hoc quod habeant implicitã contradictionẽ debent cõſiderari in eodẽ genere, ſcilicet, quod ambo ſint in eſſe formali, vel ambo in eſſe virtuali. Vnde implicat aliquid poſſe eſſe ſimul in actu formali, & potẽtia formali, nã actus formalis excludit potentiã formalẽ, & potẽtia formalis excludit actũ formalẽ. Sicut v. g. ſi paries habet albedinẽ actu, & formaliter, nõ eſt in potentia formali ad illã albedinẽ, & ſi eſt in potentia ad nigredinem nõ eſt in actu ſub nigredine: & hoc eſt, quod aliter ſolet dici implicare aliquid eſſe in actu formali, & in potentiã obiectiua illius actus. Similiter implicat aliquid eſſe in actu virtuali, & in potentia virtuali: non tamen implicat aliquid eſſe in actu formali, & potẽtia virtuali, ſicut nec implicat aliquid eſſe in potentia formali, & actu virtuali, & ratio huius eſt, quia potentia virtualis nihil aliud ſignificat quã aliquid poſſe habere potentiã reſpectu alicuius formæ, & cũ iſta potẽtia tantũ dicat eſſe ſuſceptiuũ illius formæ, hinc prouenit quod quando aliqua potẽtia eſt informata aliqua forma, etiã reſpectu illi⁹ formæ à qua eſt informata eſt in potẽtia virtuali, & in potentia ſubiectiua: ſubiectiua, quia eſt ſubiectũ illius formæ: virtuali quia poteſt eſſe ſubiectũ, & in potentia ad illã, quia quãuis talis potẽtia ſit actuata per formam, ſemper tamen remanet in ſuo eſſe reali, & actuabilis per illã formã, nã ſi actuatur actuabilis eſt, nõ tamen remanet in potentia obiectiua, ſiue in potentia formali: quia potentia obiectiua, vel formalis excludit illam formam ad quam eſt in potentia. *Vlti. nota.* ¶ Vltimò eſt notandum, quod omne quod mouetur ab alio mouetur, quod eſt diſtinguendũ vel de motu alterationis, vel de motu locali. De motu alterationis eſt intelligendum, quod omne quod mouetur debet moueri ab alio, quod ſit ſuppoſitũ extrinſecum, vel principiũ intrinſecum, vt aqua calefit ab igne quod eſt ſuppoſitũ extrinſecum, & eadem per ſuam formam iuxta ſententiam Auicennæ libr. 1. ſuffici. c. 5. reducit ſe ad frigiditatem, quæ forma eſt eius principium intrinſecum potens generare frigiditatem. Si autem intelligatur de motu locali, cum mobile ſit animatum, & inanimatum, ſi animatum eſt mouetur ab anima tan quam à principio intrinſeco, ſi autem inanimatum dicemus quæſtione ſequenti.

¶ Prima concluſio. Angelus habet vim, & naturalẽ virtutẽ actiuã, vt poſsit mutare locum. *Prima cõcluſio.* Hæc cõcluſio eſt Doctoris quã defendunt noui expoſitores D. Tho. 1. par. q. 53. art. 1. quicquid aſſerat Frater Iſidorus Mediolanenſis in additionibus ad quæſt. Pauli Sõcinatis in. 2. diſt. 6. in prin. Et probatur. Boni Angeli mutant locũ, & nõ mouentur ab alio, ergo mouentur à ſe. Maior eſt manifeſta in ſacra Scriptura. Dicitur enim Gen. 18. quod apparuerũt tres viri ſtantes propè Abraham, quod inde ſe conuerterũt, & abierunt Sodomã, & ca. 19. Venerunt duo Angeli Sodomam. Et 1. Paralip. 21. Stabat Angelus iuſta arcam Orneam Gebuſei, & Luc. 1. Miſſus eſt Angelus Gabriel. Et paulò infra, & ingreſſus Angelus ad eã. Et præterea: quia boni Angeli mittuntur à Deo, vt Exodi 23. Mittam Angelũ meũ qui præcedat te: & Tobiæ 12. Tempus eſt vt reuertar ad eũ qui me miſit. De malis etiam Angelis patet ex illo Iob 1. Circuiui terram, & perambulaui eam. Minor autem eſt manifeſta, quia nõ eſt aſsignabile à quo moueatur Angeli niſi à ſe ipſis ergo. ¶ Secũdo. Deambulare, ingredi, circuire, ſunt operationes vitales, ergo requirunt principiũ intrinſecum, ſed Angeli boni, & mali circuũt, ingrediuntur, & deambulant, ergo in ſe habent vim, & naturalẽ virtutẽ vt poſsint mutare locũ.

¶ Secunda concluſio. In Angelis nõ eſt ponenda aliqua potentia motiua diſtincta ab eius voluntate. *Secunda concluſio.* Hæc cõcluſio colligitur ex Doctore hac diſt. 2. q. vlt. in ſolut. ad primum. Et probatur, quia non eſt ponẽda pluralitas ſine neceſsitate, & cum in anima noſtra non ſit aſsignabilis aliqua virtus qua mouet ſe (quando eſt ſeparata, neque quando eſt coniuncta) diſtincta a volũtate eius, ita non eſt ponenda aliqua potentia executiua diſtincta ab eius voluntate.

¶ Tertiò. Quia ſi aliqua ratione aſsignanda eſt potentia executiua diſtincta ab eius vo

lun-

luntate: maximè, quia alias poſſet Angelus
mouere quodcũq;, & vbicũq; vellet, etiam
ſi nõ eſſet ibi præſens. Et præterea, quia nõ
eſt ſatis ad motũ velle mouere ſe, nã Petrus
volendo ſe mouere ad aliquã horam deter-
minatã, aliter ſe habet in hora qua mouet
ſe, quã quando ante voluit moueri, ergo vi-
detur eſſe aliqua alia potẽtia motiua quàm
voluntas, ſed iſta nihil obſtant, ergo nõ eſt
ponẽda talis potentia motiua diſtincta à vo
luntate. Minor patet, nam (vt ſupra dixi-
mus) motus localis Angeli non eſt imperiũ
illud ipſius Angeli, aut alicuius agentis ſu-
perioris, ſed iſto præſuppoſito motus loca
lis Angeli eſt actio ab Angelo proueniens,
quæ eſt ipſa acquiſitio præſentiæ ſucceſſi-
uè, talis autem fit per volũtatem quatenus
induit rationem potentiæ operantis tranſ-
eunter, & hoc modo poteſt dici potentia
executiua illius imperij quod præſupponi
tur ad executionem illam. Vnde inconue-
nientia adducta tantum probant voluntatẽ
(vt induit rationem potentiæ operantis im
manenter) non eſſe principium intrinſecũ
motus Angelorum, nõ autem prout induit
rationem potentiæ operantis tranſeunter.

Tertia concluſio. ¶ Tertia concluſio. Angeli poſſunt moueri
ab agente extrinſeco, vt à Deo, vel ab alijs
Angelis ipſis ſolum paſſiuè cõcurrentibus.
Hæc concluſio probatur, quia cum ſubſtan
tia Angeli ſit finita, & limitata, nõ eſt incõ-
ueniens quod ſuperetur ab agente maioris
virtutis; & cum motus localis ſecundum ſe
non ſit operatio vitalis, ſed intrinſecè diſtin
guatur à motu progreſſiuo, quia grauia mo
uentur localiter, non tamen progreſſiuè,
ideo non eſt incõueniens, quòd Angeli qui
mouentur quaſi motu progreſſiuo poſſint
etiam moueri ab agente extrinſecò motu
locali. Confirmatur, nã homo poteſt mo-
ueri à ſe, & poteſt impelli ab alio, taliter
quòd ipſo renitente acquirat aliũ, & alium
locũ, ergo & Angelis hoc poteſt cõtingere.

Reſpondetur arg. ad primum. ¶ Reſpõdetur argumẽtis, ad primũ diſtin-
guendo maiorẽ de actu formali, & potentia
formali, & tunc cõceditur, ſecus autẽ de a-
ctu formali, & potẽtia virtuali. Vel ſecũdò
reſpõdetur diſtinguẽdo maiorẽ, vel ſecun-
dũ eandẽ rationẽ, vel ſecundũ aliã, & aliam;
primo modo maior eſt vera, at vero ſecũdo
maior eſt falſa, at vero Angelus nõ ſecundũ
idẽ mouet, & mouetur, ſed mouet ſe quate-
nus habet virtutẽ motiuã, ſcilicet volunta-
tem, mouetur à ſe, quatenus habet ſubſtãtiã
ſuſceptiuã nouæ, & nouæ præſentialitatis.

Ad ſecundum. ¶ Ad ſecundũ reſpondetur, quòd maior eſt
vera in ijs quæ mouent ſe organicè. Secus
autẽ in Angelis, ſicuti nec etiã in grauibus,
& leuibus, in quibus quælibet pars mouet,
& mouetur, quia quælibet pars habet in-
trinſecum actiuum principium, & paſſiuũ
ſui motus, vel ſecũdò reſpondetur, quod in
Angelis aſſignatur pars mouẽs, ſcilicet, vo-
lũtas, & pars mota, ſcilicet, ſubſtãtia angeli.

Ad tertium. ¶ Ad tertiũ reſpõdetur cũ Doctore in hoc
2. diſtin. 25. quod relationes ſunt in triplici
differentia, quędã enim ſunt quæ repugnãt
inter ſe, nõ ex eo, quod non poſſint eſſe in
eodẽ fundamẽto, ſed quia aliquæ illarũ in-
cludunt eſſentialẽ dependentiã, ſicuti rela-
tiones cauſæ, & cauſati: & quia idem nõ po
teſt dependere eſſentialiter à ſe ipſo, ideo
iſtæ relationes nõ poſſunt eidẽ conuenire.
Aliæ ſunt relationes quæ includũt eſſentia
lẽ ordinẽ originis, vt ſunt relationes produ
cẽtis ad productũ, & ſic implicat quod idẽ
ſit producens, & productũ. Aliæ autẽ rela-
tiones ſunt (vti mouentis, & moti) quæ nec
includunt dependentiam eſſentialẽ nec ori-
ginem, & ideo poſſunt fundari in eadẽ na-
tura, & in eodẽ ſuppoſito, nec arguunt, niſi
dependentiam accidentalem. Quare An-
gelus poteſt ſe mouere, ſicuti & volun-
tas, neq; ex hoc ſequitur, quod iſta relatio
ſit eiuſdẽ ad ipſum, quia quãuis eadẽ volun
tas, & idẽ Angelus ſit mouens, & motus: at
vero ſi Angelus cõſideretur vt cauſans mo-
tum in ſe, fundat relationẽ mouentis. Si au-
tem cõſideretur Angelus precisè, quatenus
recipit motũ in ſe, tunc fundat relationem
moti, & ſic tantum requiritur quod illa for
ma ratione cuius Angelus mouetur nempe
motio paſſiua ſit realiter diſtincta ab ipſo
Angelo mouente, & moto.

Ad vltimum. ¶ Ad vltimũ re-
ſpondetur, quod illa naturalis potentia An
geli ad motũ localem eſt eadem cum poten
tia exiſtẽdi in loco, & cum Angelus habeat
potentiam naturalem ad exiſtendum in lo-
co, ita ad exiſtendum ſucceſſiuè in loco.

QVÆSTIO V.

¶ *Vtrùm grauia & leuia habeant intrinſecum principium actiuũ ſui motus.*

Sententia Soto. De hac re eſt prima ſentẽtia Ma-
giſtri Soto, & omnium Thomi
ſtarum (quam 8. Phyſicorũ quę
ſtione. 3. ipſe proſequitur) di-

centium, grauia, & leuia non moueri à ſe, ſed moueri à generāte. Hanc ſenrentiā probāt primo, ex Ariſt. 8. phiſ. rex. 27. vbi inrer ea quæ per ſe & naturaliter mouenrur, diſtinguit, quod animalia à ſe ipſis mouētur, grauia vero & leuia, mouentur ab alio. Et deinde textu 28. tanquam de re abſcondita dicit, Dubitationem afferre, à quo hæc moueantur. Erſi à ſe ipſis mouerentur profeſecto nulla eſſet dubirario. Et rex. 29. & 30. quatuor rationibus probar moueri ab alio: & tandem text. 33. aperrè concludit quod per ſe mouentur à generante. Neque vero autoriras Ariſt. (licet ſir in hac re grauiſsima) tanti eſt ponderis, quanti illa prima ratio quam affert text. 30. nempe rem mouere ſe ipſam eſſe propriū officium vitæ, hoc eſt eſſe viuenribus peculiare: atque adeo, per quod diſtinguuntur à non viuentibus. Quod quidem non fuit tantū aſſertum Ariſtorel. vt hic paret, & larius primo de anima, quam fuir indubitata confeſsio omniū Philoſophorum. Vt in Phedro videre eſt apud Platonem: vbi nullum aliud diſcrimē inter viuentia, & res inanimes conſtituit, quam quod viuentia habent internum motorem, res veto inanimes non, niſi externum. Er vſque adeo hoc fuit ſemper conſtitutiſsimum. Vt qui dicebant orbes cælcſtes à ſe ipſis moueri, effugere nō poterāt, quin ineuitabili conſequentia protinus concederent eſſe animalia. Et reuera, illis qui profirenrur grauia & leuia moueri à ſe ipſis, nullum relinquitur inteſtitiū, quo poſsint viuentia à non viuentibus diſcernere. Nam quod ait Gregorius, differētiam eſſe, quod viuentia ſic mouent ſe, vr poſsint ſe ponere in illo loco, vnde poſsint rurſus moueri: ſed non viuentia, cum non moueantut; niſi quādo ſunt extra locum naturalem, nō poſſunt moueri niſi ponantur in eo loco extraneo, vnde moueantur ad naturalem. Hoc inquā commentum Gregorij eſt: in primis contra

Primum argum.

Ariſtotel. qui non adducir hoc tanquā differentiam inter duos modos quibus res mouent ſe, ſed tanquam teſtimonium ad concludendum, quod illaque ſic ſe ponunt in quocunque loco, mouent ſe localiter, alia vero minimè.

Secundum argum.

¶ Et prxterea, in ſua ipſius ratione deberet inſpicere Gregorius, quare gtauia & leuia non mouent ſe, ex eo inquam quod nō mouentur in ſuo loco naturali, ſed ad ipſum: deberet colligere perfectionem ſupremā grauis non conſiſtere in moueri, ſed in quieſcere. Et ideo motus ille quo feruntur ad ſua loca naturalia, non attribui ipſis, ſed generāti.

Tertium argum.

¶ Neque reſpōſio Scoti ſatisfacit: ait enim animalia moueri ſe ipſa pet cognitionē, nō viuentia vero minimè: nam ſi hoc tantū diſcrimen Ariſt. cogitaſſēt, facillimè ſe expediret ab hac dubiratione. Cum tamē graue dubium exiſtimet à quo grauia mouentur, neque vero inquirir quomodo mouentur, hoc eſt per cognitionem nec ne? ſed à quo mouentur.

Quartum argum.

¶ Et prætereap lanta etiam mouent ſe nutriūtur quippe, & augētur à principio intrinſeco, licet non per cognitionē.

Quintum argum.

¶ In ſumma Ariſt. prætendit quod nihil ſe moueat à loco in locum, niſi per cognirionem.

Reſponſio aliquorum & impugnatio.

¶ Aliquando differentia quam alij fingunt, nempe quod viuenria mouenr ſe ad omnem differentiam poſiriones nō viuentia vero non niſi ad vnā: profecto, accidentaria eſt, & extra rem: quoniam licet planta non augeretur niſi ſolū ſurſum, aut ſolum deorſum, ſe ipſam nihilominus moueret. Potiſsima, ergo quin tota ratio cur compulſi ſunr philoſophi dicere grauia, & leuia moueri à generante fuit, ne vitā illis tribuerēt. Mens igitut Ariſt. eſt quod principium naturalis motus elementorū eſt duplex, aliud quo, & aliud quod. Principiū quo principale eſt forma ipſa ſubſtantialis: minus aurem principale, & inſtrumentale eſt grauitas, & leuiras: principiū autem quod, eſt generās. Et ideo ait quod habent in ſe principiū ſui motus, non actiuum ſed paſsiuum. Ineptè enim loquuntur illi, qui dicūt principium quod mouētis eſſe formā. Et id quod mouetur eſſe materiā: nā cū actiones ſint ſuppoſitorum, id quod mouet, nō eſt niſi totū compoſitum, ergo. Et præterea cōtra hoc argui-

Secundum argum.

tur. In illo quod mouet ſe diſtinguenda eſt pars mouens à parte mota, nō ſolū tanquā forma & materia, verū tanquā diſtinctę partes integrales, & organicæ: quæ quidē in rebus inanimis dignoſci non poſſunt, ergo id quod mouet nō eſt intrinſecū graui. Neque obſtat quod generans graue nō eſt quando mouetur graue. Reſpōdetur enim quod grauia & leuia mouentur à generante, etiā tūc, quando non eſt præſens re, ſatis enim eſt; quod ſit pręſens virtute ſicut filius genitur à patre, quādo animatur: tūc enim propriè genitur, licet tunc parer ſir mortuus, quia manet in virtute ſeminis. Quod ſi percōteris; cur ergo animal nō mouētur à generāte, dū

ambu-

ambulat, poſtquã id agit virtute generãtis. Reſpõdetur, quod cũ perfectio viuentis cõſiſtat in moueri, tãdiu quippe viuit, quãdiu mouetur: & intentio generantis ceſſat, quã do genitum cõſtituit in ſua perfectione, & ideo ille motus animalis attribuitur ipſi genito. Sed quia perfectio, & finis grauis & leuis cõſiſtit in quieſcere in proprio loco: in tẽtio generãtis eſt, illud illic ſiſtere: & ideo omnes motus (quoadusq; illuc perueniat) generanti attribuitur. ¶ Et per hoc ſoluitur aliud argumentũ, quod nõnullos malè torquet, neq; vero reſpõdent ad rẽ. Argumentũ eſt, quod tũc ſequeretur, dũ ignis calefacit, aut cõburit lignũ, illã actionẽ transcribẽdã eſſe generanti, quin vero, primo creato igni, qui quinque millibus annorũ anteceſſit, nã iſte ignis ſuſcepit virtutẽ ab alio, & ille ab alio: & illatio tamẽ nulla eſt: intereſt enim plurimũ: nã ignem calefacere eſt propria perfectio & finis ignis, & ideo dũ generans dedit illã virtutẽ genito tunc ceſſauit eius intentio, quapropter motus quo ignis calefacit extremũ paſſum attribuitur ipſi igni calefacienti, qua ratione deambulatio attribuitur animali. ¶ Et per hoc rurſus reſpõdetur Scoto qui arbitratur Ariſt. cenſere, quod graue mouetur à ſe ipſo: ait quippe text. 32. quòd ſicut ſciens habitu per ſe ipſum poteſt conſiderare, niſi impediatur: ita ignis (poſtquã formã ſubſtãtialẽ habet) ſtatim cõburit, niſi impediatur, & pariter, leue (poſtquã habet talem formam) ſtatim aſcendit, niſi impediatur, quia natura eius eſt eſſe ſurſum. Vnde colligit Scotus, quod ſicut ignis per ſe calefacit. Ita & à ſe ipſo mouetur ſurſum: & deceptio, vel ſua, vel mea eſt, quod nõ mediate conſiderauit verbum philoſophi, dicens enim quod natura ignis eſt eſſe ſurſum, ſicut ipſum calefacere, docuit diſcrimẽ quod motus ille ſurſum quoadusque ſit in loco naturali nõ eſt effectus ignis geniti, ſed generãtis, cõſtituentis genitũ in ſua perfectione. Calefactio autẽ quia in ipſa actione cõſiſtit ſuprema perfectio ignis adſcribitur calefacienti.

Secunda ſententia ¶ Secũda ſententia eſt aliorũ ſuper. 2. Phyſic. c. 1. tex. 15. q. 2. aſſerentiũ, quod quãuis viuentia habeãt in ſe intrinſecũ eſſentiale principiũ motus, nõ ſolũ paſſiuũ, ſed etiam actiuũ, ita vt à ſe moueãtur, & ſe moueãtur, forma tamẽ, neq; materia in animatorũ eſt principiũ actiuũ motus illorũ, ſed tantum paſſiuũ, & in hoc tales formę, differũt à formis viuẽtiũ. Vnde cũ lapis deorſum fertur, ignis ſurſum, neque à forma, neq; à materia actiuè mouetur. Hãc ſententiã probãt iiſdẽ autoritatibus Ariſt. quibus M. Soto addũt tñ in quadã 3. cõcluſ. quod grauitas & leuitas, ſimiles quãvirtutes ſunt inſtrumẽta actiua, quibus inanimata mouẽtur naturaliter ſecũdũ locũ: vt enim impetus impreſſus ſagittę à proijciẽte ipſam fert actiuè violẽter ſurſum: ita grauitas, & leuitas ſunt virtutes naturales impreſſæ à generantibus, quibus naturaliter ferũtur nõ vidẽtur grauia & leuia. Ac ob id taliũ motus generãtib⁹ tribuũtur. Hæ enim virtutes ſunt, velut virtus, ſemẽ actiuè mouens & alterãs. Probãt autem iſtã partẽ, quia nõ poteſt intelligi, quomodo lapis deorſum feratur nullo mouẽte extrinſeco principio manente, niſi aliquid ſit in lapide quod actiuè moueat: hoc non erit forma ipſius, ergo grauitas, & quod ſola grauitas ſufficiat, patet in animalibus, quę etiã deorſum deſcendũt ſicut lapis, cuius motus anima non poteſt eſſe actiuũ principiũ, niſi ſola grauitas. Vnde motus inanimatorũ neceſſariò eſt à generãte, qui præſtitit hanc virtutẽ actiuã inſtrumentalẽ ipſis, vt extra locũ naturalẽ poſita ſublato impedimento mouerẽtur, quãuis ipſa generãtia aliquãdo nõ ſint tũc. ¶ Tertia ſententia eſt Doctoris quã defendũt omnes Scotiſtæ, & Greg. de Arimino, & alij quã plurimi. Pro cuius explicatione eſt primo notandũ, quod aliud eſt quærere vtrũ grauia & leuia habeãt principiũ actiuũ intrinſecũ ſui motus, & aliud eſt quærere: vtrũ motus grauiũ & leuiũ ſit motus naturalis à principio intrinſeco actiuo, an vero à principio intrinſeco paſsiuo, nã ſecundũ omnes motus naturalis ſumitur à principio paſsiuo, nõ tamẽ à principio actiuo: nã motus naturalis dicitur ille, qui reperitur in aliquo iuxta inclinationẽ ipſius. Inclinatio autẽ dicit potentiã paſsiuã cum ordine ad formã, tanquã propriã perfectionẽ ipſius, quare quãdo aliqua potẽtia paſsiua ſuſcipit formã ad quã nõ dicit illũ ordinẽ, quia nõ reſpicit illã, vt propriam perfectionẽ, ſed vt oppoſitã propriæ perfectioni, dicitur motus violẽtus & à cõtrario motus naturalis dicitur ille, quo aliquid mouetur iuxta naturalẽ cõditionem ipſius, & ob hoc motus naturalitas ſumenda eſt à principio paſsiuo ipſius, quod mouetur, ſicuti & violentia, non autem à principio actiuo.

Sententia Doctoris. 1. Notab.

¶ Secundò eſt aduertendũ, quod Ariſt. in illo *2. Notab.*

lo. t.4. Phyſ. 8. vbi agit de motu eorũ quæ mouẽtur in principio capitis. Et in tex.27. ponit differẽtiã inter motũ animatorũ, & inanimatorũ: & tex.28. mouet difficultatẽ à quo moueãtur grauia, & leuia. Hæc enim ad oppoſita quidẽ loca violẽtia mouẽtur ad propria autẽ, leue quidẽ ſurſum, graue autẽ deorſum natura. Tex. autẽ 29. quærit, dato quod quãdo mouẽtur violenter, manifeſtũ ſit à quo moueãtur: quãdo autẽ mouẽtur naturaliter, à quo mouentur. Et ponit argumẽta pro parte negatiua, quod nõ moueãtur à ſe. Quorũ primũ eſt, qa moueri à ſe, vitale eſt, & animatorũ propriũ. ¶ Secundò, quia ſi mouent ſe, ergo poſſunt ſiſtere ſe ipſa.

Nota iſtud. ¶ Tertiò, quia ſi quis mouet ſe ſurſum, ergo poteſt & ſe ipſum mouere deorſum: quia irrationabile videtur, quod aliquid poſsit ſe mouere tantũ vnico motu. ¶ Quartò, quia in his, quæ ſe mouent, neceſſariũ eſt diuidere partem mouentẽ à parte mota, & ipſum mouens à moto: quod non poteſt intelligi in grauibus, & leuibus. Text. autẽ 31. incipit explicare prædictã quæſtionẽ & difficultatẽ, dicens. Fiet autem vtiq; manifeſtũ diuidentibus cauſas, nã in his quæ mouẽtur præter naturam, ſiue violentia, ab alijs mouentur, quia nõ habent principiũ intrinſecũ actiuũ ſui motus. At vero in his quæ mouentur ſecundũ naturã, vt actu calidũ motiuum eſt calidi potentia. Explicans ſtatim, quid ſit moueri violenter, & quid naturaliter, dicit, ignis itaque, & terra mouentur ab alio, violentia quidẽ, cũ præter naturã: ac ſi dicat, motus violẽtus nõ eſt ſumẽdus à principio actiuo; ſed à principio paſsiuo: quãdo igitur terra, & ignis mouẽtur ab alio præter naturã, tũc eſt motus violẽtus, nõ quia mouẽtur ab alio, ſed quia mouẽtur præter naturã. Motus autẽ naturalis eſt, cũ ad ſuos ipſorũ actus potẽtia exiſtũt. Quia tamẽ iſta verba difficilia ſunt, ſtatim text. 32. explicat, qd ſit potẽtia exiſtere, dicẽs, quod potentia multipliciter dicit. Et ob hoc, nõ eſt manifeſtũ à quo hæc moueãtur, vt ignis ſurſum, & terra deorſum. Ex quibus verbis colligo, quod ea quę dixit tex. 29. & 30. nõ determinatiuè, ſed arguitiuè dixit, quia in hoc tex. 31. & 32. explicat reſoluẽs quęſt. à quo moueantur ignis ſurſum, & terra deorſum. Pro quo aduerte quæ ſequũtur & prædicta maximè.

3. Notab. ¶ Tertiò eſt notandũ, quod motus naturalis poteſt cõſiderari dupliciter, vno modo, quatenus motus eſt, ſecũdo modo, quatenus naturalis eſt: ſi cõſideretur primo modo reſpicit potentiã actiuã, ſi autẽ ſecundo modo reſpicit potentiã paſsiuã. De principio actiuo motus egit Ariſt. in hoc tex. 31. dicens, potẽtia autẽ eſt & leue & graue multipliciter, ſicut dictũ eſt. Cùm enim aqua, potentia quodammodo eſt leue & cum aẽr eſt, adhuc potẽtia eſt. Cõtingit enim impeditũ nõ ſurſum eſſe, ſed ſi auferatur impedimentũ, agit, & ſemper ſuperius fit. Similiter autẽ & quale vt actu ſit mutatur: illico enim contẽplatur ſciens, niſi aliquid prohibeat. ¶ Ex qua litera Ariſt. manifeſtè patet differẽtia inter motũ naturalẽ, & violentũ: non tantũ quatenus motus naturalis, & violentus eſt, quia motus naturalis habet principiũ paſsiuũ cũ ordine ad locũ tanquã ad propriã formã: motus autẽ violentus, quamuis habeat principiũ paſsiuũ, non tamẽ cũ ordine ad illũ locum tanquã ad propriã formã: quin potius, ex repugnãtia: ſed etiã, ex parte principij actiui, nam motus naturalis quatenus motus eſt reſpicit principiũ actiuũ ipſius quod mouetur, motus autẽ violẽtus dicit principiũ actiuum extrinſecũ. Vnde quãdo Ariſt. tex. 32. ponit differentiã inter ea quæ à ſe ipſis mouẽtur, & quæ nõ mouentur à ſe ipſis (vt grauia & leuia) tantum intendit quod omnia moueantur ab aliquo alio, tanquã à primo motore, & ſic aſsignat differentiã inter viuentia & nõ viuentia: nã viuẽtia mouent ſe, & à ſe, at vero non viuentia quãuis moueãt ſe, nõ tamẽ à ſe. ¶ Vel ſecundo, vt docet Doctor quod Ariſt. in illo tex: intendit probare, quod omnia quæ mouentur ab alio mouẽtur, & ad hoc ſatis eſt, quod moueãtur ab alio de potẽtia ad actũ. Primũ, quãuis nõ moueãtur de potentia ad actũ ſecundũ, vnde quãuis grauia non moueãtur à ſe, de potẽtia ad actũ primũ, mouẽt tamen ſe ad actum ſecundum: quia ad hoc, quod aer, fiat aqua requiritur agẽs, quod faciat ex potẽtia aqua, actu aquã: ad hoc autẽ quod aqua deſcẽdat deorſũ, ſatis eſt ipſa aqua remoto impedimẽto: nam ſi auferatur impedimentũ ſtatim agit. ¶ Quartò eſt notandũ, quod perfectio eſt duplex, ſcilicet **4. Notab.** intrinſeca, & extrinſeca: perfectio intrinſeca (de qua in præſentiarũ loquimur) eſt illa ſine qua illa res nõ poteſt intelligi ſine illa, vel ſaltim nõ poteſt eſſe. Perfectio autẽ extrinſeca, eſt illa ſine qua res aliqua poteſt eſſe, vel ſaltim intelligi: ſicut v. g. in grauibus, & leuibus: illa erit perfectio intrinſeca

ſine

ſiue qua graue nõ remaneret graue. Illa vero extrinſeca, ſine qua etiã graue remanet graue. ¶Ex quo infertur quod illa maxima; dans formã, dat cõſequẽtia ad formã debet intelligi de illis, quæ cõſequũtur ipſam formã intrinſecè. Nã iſta cõſequũtur per modũ cuiuſdã ſequelæ, & eadẽ actione qua res ꝓducitur producũtur. Sicuti dãs rationalitatẽ, dat etiã riſibilitatẽ, quia eadẽ actione vtraq; perfectio producitur. Quãuis altera (vt rationalitas) per ſe primò, altera vero (vt riſibilitas) ſecundario: at vero, perfectio extrinſeca nõ cõſequitur ad formã iſto modo, quia nõ eadẽ actione producitur, quare producẽs ignẽ, nõ producit cõbuſtionem, quanuis cõbuſtio ſit perfectio ipſius ignis, eſt tamẽ extrinſeca. Perfectio autẽ intrinſeca ignis eſt poſſe cõburere, vnde producẽs ignẽ dãdo illi formã ignis, dat illi potẽtiam ad cõburẽdũ. Ita in propoſito, in grauibus & leuibus perfectio intrinſeca grauis eſt, poſſe deſcẽdere deorſum. Perfectio autem extrinſeca, eſt ipſe actualis deſcenſus deorſum. Vnde quãuis generãs graue tribuat illi omnẽ perfectionẽ intrinſecã, nõ tñ tribuit illi perfectionẽ extrinſecã & actualẽ deſcẽſum.

Not. vlt. ¶Vltimò notãdũ, ꝙ in omni agẽte duplex reperitur principiũ, ſcilicet, quod, & quo: principiũ quod, eſt ipſum agẽs, principiũ autẽ quo, eſt ratio formalis agẽdi. Vnde ſi grauia & leuia mouẽtur à ſe, aſsignãdũ eſt ꝓ principio quod, ipſum graue, & ꝓ principio quo, forma ipſius grauis, vt graue eſt, ſcilicet, ipſa grauitas.

Prima cõcluſio. ¶Prima concluſio. Grauia & leuia in ſuis motibus naturalibus mouẽtur à ſe, vel mouent ſe. Hæc cõcluſio eſt Doctoris, vt patet in litera. Et probatur primo ex Ariſt. in illo tex. 31. vbi ait, Contingit enim impeditũ nõ ſurſum eſſe, ſed ſi auferatur impedimẽtũ agit, & ſemper ſuperius fit, ſed nõ agit niſi motũ localem, ergo grauia & leuia (ſi nõ impediãtur) ſtatim mouẽt ſe localiter ad ſua loca. ¶Cõfirmatur à nõnullis ex Ariſt. 2. Phyſ. tex. 84. vbi dicit, naturalia eſſe quæcũq; ab aliquo in ſeipſis principio continuè mota perueniunt ad aliquẽ finẽ. Et in 4. Phyſ. tex. 86. innuit, graue & leue eſſe factiua lationis. Et in 7. Phyſic. text. 10. ait, omnia quæ mouentur extrinſecus ab alio, moueri violẽter. Et. 4. de cælo, tex. 24. ponit hãc differẽtiã inter graue & leue, & inter ſanabile, quod hoc extrinſecus mouetur ad ſanitatẽ, illa vero habẽt in ſeipſis principiũ ſuorũ motuũ. Ad hæc Eudemus & Alexãder perſpicuis verbis demõſtrãt in elemẽtis eſſe principiũ actiuũ naturaliũ lationũ, quibus ad ſua loca mouentur: quæ verba refert Simplicius. 2. Phyſ. ſuper tex. 1. Aiũt enim, in elemẽtis nullius motus naturalis eſſe principiũ, niſi eius motus qui fit ſecundũ lationẽ, & locũtur de principio actiuo, nã principiũ paſsiuũ eſt in illis, non ſolũ reſpectu motus localis, ſed etiã alterationis, generationis, & corruptionis. Vnde qñ Ariſt. dicit grauia & leuia non moueri à ſe, loquitur de motu, quo mouentur animalia: quæ vndecũque, quocũque, & quãdocũque volũt poſſunt ſeipſa mouere, ac ſimpliciter etiã quieſcere. Corpus autẽ ſimplex non põt moueri, niſi ex certo loco ad certũ locũ, id eſt, ex nõ naturali ad naturalẽ: & cũ cœperit moueri, non poteſt ſiſtere motum ſuũ, & interquieſcere, donec perueniat ad ſuũ locũ naturalẽ: vt nõ ſine cauſa Ariſt. in 5. Phyſic. tex. 18. ſcriptũ reliquerit, corpora ſimplicia nõ tam mouere ſeipſa, quã ferri. Quare corpus ſimplex cõparatione animaliũ poteſt merito dici, nõ moueri à ſeipſo. Hactenus prædicti autores. Probatur tamẽ prædicta cõcluſio rationibus Doctoris.

¶Primò. Effectus in actu requirit cauſam in actu, sed motus deorſum eſt effect' in actu, ergo requirit cauſam in actu, illa nõ poteſt eſſe generans, ergo. Probatur minor. Si aliqua ratione generãs eſt cauſa illius motus, maximè, vel quia produxit ipſum graue, & dãs formã dat cõſequẽtia ad formã: ſed hoc nõ. Nã ſi Deus crearet aliquẽ lapidẽ in loco ſurſum, ſtatim moueretur deorſum, ſicuti & reliqui lapides producti à generante, ſed illius motus lapidis creati nõ eſſet cauſa generãs, quia nõ eſt lapis genitus, neque ſimiliter eſt cauſa Deus, nã terminus actionis diuinæ eſt lapis ſecũdũ ſuã ſubſtãtiã, & actio diuina terminata fuit ad primum eſſe lapidis, ergo cũ nullũ ſit agens extrinſecũ mouens illũ lapidẽ deorſum, ille lapis ſeipſum mouet deorſum. *Prima ratio.*

¶Cõfirmatur. Graue per grauitatẽ eſt ſufficienter cõſtitutũ in actu primo ad motũ deorſum, ergo põt exire in actũ ſecũdũ à ſe, remoto impedimẽto. Probaĩ ſequela: nã omnis cauſa exiſtẽs in actu primo, poteſt exire in actũ ſecũdũ ſi nõ eſt aliquod impediens. Modò ꝓbatur antecedẽs. Graue poteſt habere rationẽ principij quod, reſpectu motus deorſum, ergo. Probatur antecedẽs. Si alicui graui alligetur aliquod leue, illud leue deſcẽdit deorſum, ſed

non niſi motũ à graui, ergo & ipſum graue ſeipſum mouet deorſum. Pater ſequela, quia eadẽ actione qua mouetur leue, mouetur & graue: ſed leue mouetur deorſum à graui, ergo & graue mouetur deorſum à ſe
2. Ratio. ipſo. ¶Secundo. Si aliqua ratione generans graue mouet deorſum ipſum graue, maximè quia produxit grauitatẽ in graui, nã nõ videtur alia qualiras, vel virtus in graui, quę ſir motiua ipſius præter grauitatẽ. Sed iſta ratio nihil valet, nã ex illa ſequeretur quod generans ignẽ producerẽt calefactionẽ effectiuè, quod nullus concedet, ergo. Ad hoc argumentũ reſpondet Magiſter Soto negãdo paritatẽ rationis: & ratio huius eſt, quia ignem calefacere eſt propria perfectio ipſius ignis, & ideo dum generans dedit illam virtutẽ genito, tunc ceſſauit eius intentio. Sed iſta ſolutio nõ reſpoodet argumẽto. Et
Impugnatio. contra eã ſic argumentor. Ignem calefacere eſt propria perfectio ignis, ergo qui produxit ignẽ produxit illũ cũ ſua propria perfectione. Probatur ſequela. Eadem actione producitur res & propria perfectio ipſius. Si reſpondeas, quod aliud eſt ignem eſſe calefactiuũ, & aliud ignem calefacere. Nã eſſe calefactiuũ dicit actũ primum, & reſpectu huius ignis non eſt in actu primo, quin potius per modũ potentiæ. At vero ignem calefacere dicit actũ ſecũdum, & ſic reſpectu illius ignis eſt in actu primo. Et per conſequens, calefacere tribuitur ipſi igni vt principio quod, nõ tamen generanti, & virtuti calefactiuæ, ſiue calori vt principio quo. Contra eodem modo ſe habet graue in ordine ad grauitarem, & ad motum deorſum: ſicut ſe haber ignis in ordine ad calorem, & calefactionem: nã graue per grauitatem eſt in actu primo, & per motũ deorſum in actu ſecundo, ergo quando graue mouetur deorſum per grauitatem ſibi intrinſecã, ſeipſum mouet deorſum, & haber rationẽ principij quod. ¶Confirmatur. Agens quod agit per propriã formã, agit, & non patitur: ſed graue per propriam formã mouetur deorſum, ergo mouet ſe deorſum. Patet ſequela, quia non eſt rario quare actus ſecundus in reliquis agentibus ſit ab ipſis agentibus, & in grauibus actus ſecundus (nempè motus de-
3. Ratio. orſum) non ſit ab ipſo graui. ¶Vltimò. Si grauia mouentur à generante ex eo quia tribuit illis grauitatem, ergo pari ratione cum potentia paſsiua quæ eſt in grauibus ad motum deorſum ſit tributa à generante, ſicuti & ipſa grauitas, ergo ſicut non mouentur actiuè, ita non mouentur paſsiuè. Probatur ſequela. Si grauia haberent grauitatem à ſe, & non à generante mouerentur effectiuè à ſe, & non à generante, ſed non habenr paſsiuam potentiam ad motum deorſum à ſe, ſed à generante, ergo neque mouenrur paſsiuè: quod eſt cõtra rationem. Probo ſequelam, mouentur paſsiuè quia habent potentiam paſsiuã, ſed illa potentia paſsiua eſt à generante, ergo ipſa non mouentur paſsiuè.

¶Secunda concluſio. Motus grauium non *Secunda*
dicitur naturalis per ordinẽ ad principium *concluſio.*
actiuum, ſed per ordinem ad principiũ paſſiuum. Cõcluſio eſt Doctoris cõmuniter ab omnibus recepta. Et probatur ex Ariſt. 2. Phyſic. tex. 3. vbi definiẽs naturã ait, quod eſt principium motus & quietis, quę definitio intelligenda eſt de principio paſsiuo.

¶Reſpondetur argumenris: Ad primũ de- *Reſp. arg.*
ſumptum ex autoritate Philoſophi reſpon *Ad pri-*
detur cum Doctore hac quæſtione, iuxta *mum.*
ea quæ diximus in penultimo notabili, quod Ariſt. ibi tantum loquitur, de principio naturali motus, & iſte ſumitur à principio paſsiuo. Non autem loquitur de motu, vt motus eſt, quia vt ſic reſpicit principiũ actiuum. Et quanuis Ariſt. illis quatuor rationibus moueat difficultatem, noo tamen determinat veritatem. Sed tantum proponit rationes quæ videntur difficilem illam partem efficere.

¶Ad ſecundum, quòd quanuis grauia & le- *Ad ſecun-*
uia non mouent ſe in ſuo loco naturali, mo *dum.*
uent tamen ſe, ad ſuum locum naturalem. Eodẽ enim argumẽto ego probarem, quod non habent principiũ paſsiuum ſui motus, ſicut ipſe probat de principio actiuo. Nam in ſuis locis naturalibus non mouenrur, ergo non habent principium paſsiuum. Sed hoc neque ipſe Soto concedet, ergo neque eius argumentum aliquid probat.

¶Ad tertium reſpondetur, quòd quanuis *Ad tertiũ.*
Ariſtot. exiſtimet graue dubium eſſe à quo moueantur grauia, & non ſir dubium à quo moueantur animalia, nihilominus tamen, non ex hoc rollit principiũ effectiuũ à grauibus, ſed difficultat, quod ſi in illis eſt principiũ actiuũ, ſicut videmus eſſe in animalibus, videretur dicendum, quod ſicur animalia taliter ſe mouent quod poſſunt quieſce-
re, ita & grauia: ſed hoc non eſt determina- *Ad quar-*
re veritatem, ſed illam inquirere. *tũ & quin*
¶Ad quartum & quintum reſpondetur, *tum.*
quòd

quòd plantæ mouentur motu alterationis, non tamen motu locali per ſe.

Ad ſextũ. ¶Ad ſextum reſpõdetur, quòd in grauibus & leuibus nõ eſt neceſſarium aſsignare partem mouentem, & motam: quia grauia non mouentur, quia vna pars mouet aliam, ſed quælibet pars eſt mouens & mota, ſed tantum requiritur quod aſsignetur principiũ mouendi actiuum & paſsiuum; ſecundum quæ ipſum graue ſit mouens, & motum. Et per hoc patet ad iſtam quæſtionem.

TEXTVS.

ET quod cõtinuè, patet: quia inter duo vbi ſunt infinita vbi media. Quod probatur ex continuo motu corporis per omnia illa vbi. Per omnia autem illa poteſt Angelus tranſire, ita quod in nullo illorum vbi ſit, niſi indiuiſibiliter: & per cõſequens, nõ poteſt omnia illa pertranſire, niſi cõtinuè moueatur. diſt.a.q.9.lit.A.

EXPLICATIO LITERÆ.

IN hac litera Doctor vnicam ponit concluſionem nempè quod Angelus poteſt moueri motu continuo; quam probat, quia ad motum cõtinuum requiritur, quod ſpatium conſtet ex infinitis vbi indiuiſibilibus. Sed Angelus poteſt pertranſire de vbi ad vbi, inter quæ duo vbi ſunt infinita vbi continuata, ergo ſicut ſi corpora per illa vbi pertranſirent mouentur motu continuo: ita Angelus mouetur motu continuo. Vt autem de hac re plenior habeatur notitia, ſit quæſtio ſexta.

QVÆSTIO VI.

¶*Vtrùm Angelus moueatur motu continuo?*

Prima ſententia. DE hac re fuit prima ſentẽtia D. Tho. in. 1. diſt. 37. aſſerẽtis, Angelum nullo modo poſſe moueri motu continuo, quæ poteſt probari nonnullis rationibus, quarũ prima

Primum argum. eſt. Si Angelus moueretur motu continuo, vel haberet vnicam operationem in diuerſis locis, vel plures: nõ primũ, quia ad motũ continuũ Angeli requiruntur diuerſi contactus locorũ, qui fiunt ab Angelis. Sed contactus fit per operationẽ, ergo requirũtur diuerſæ operationes: neq; ſecundũ, quia plures operationes nõ poſſunt eſſe continuæ,

Secundum argum. ergo. ¶Secundò. Angelus eſt indiuiſibilis ſecundùm ſuã ſubſtantiã; ergo non poteſt moueri motu continuo. Probatur ſequela. Nã ad motũ cõtinuũ requiritur, quod mouens ſit partim in termino à quo, & partim in termino ad quẽ, quia quod mouetur, nõ mouetur quãdo eſt in termino à quo (tunc enim quieſcit) neque quãdo eſt in termino ad quẽ (quia tũc iam mutatũ eſt) ergo quod mouetur cõtinuè, partim debet eſſe in termino à quo, & partim in termino ad quem, ſed Angelus eſt impartibilis, ergo non poteſt moueri localiter cõtinuè. ¶Confirmatur, quia mobili indiuiſibili debet correſpõdere locus indiuiſibilis, ergo ſi Angelus pertrãſit cõtinuè aliquod ſpatiũ, neceſſarium erit quod ſuo trãſitu numeret infinita indiuiſibilia, quæ ſunt in ſpatio, attingẽdo vnũ poſt alterũ, quod tamẽ eſt impoſsibile, quoniã multitudo quæ poteſt numerando pertrãſiri, habet terminum, & ex conſequenti non eſt infinita. ¶Tertiò. Angelus ſecundũ ſuã ſubſtãtiã eſt ſubiectũ iſtius motus loca- *Tertium argum.* lis, ergo motus localis Angeli nõ poteſt eſſe cõtinuus. Antecedens manet probatũ. Et probatur ſequela. Motus continuus habet partes, & extẽſionẽ, ergo requirit ſubiectũ habẽs partẽ, & extenſionẽ, ſed Angelus eſt indiuiſibilis, & inextenſus, ergo nõ poteſt eſſe ſubiectũ motus localis cõtinui. ¶Quartò. Cõtinuitas motus ſumitur ex cõtinuita- *Quartum argum.* te ſpatij, & ex quãtitate mobilis, ſed motus Angeli non pendet ab ſpatio, neq; eſt vlla quãtitas ex parte Angeli, ergo motus Angeli per ſe nõ habet vnde poſsit eſſe cõtinuus. ¶Cõfirmatur. Succeſsio in motu prouenit, vel ex reſiſtentia medij, vel reſiſtentia mo- *Confir. 1.* bilis ad motorem in motu proiectiuo. Exẽplum prioris. Grauiora velocius deſcendunt, quam leuiora, eo quod aer minus reſiſtit grauioribus. Exemplum ſecundi. Grauiora tardius mouẽtur, quãdo proijciũtur, quia reſiſtunt motori: Angelo autẽ (cum ſit ſpiritualis) nullũ corpus, aut mediũ reſiſtit, ergo nõ mouetur ſucceſsiuè. ¶Cõfirmatur. Nã aliàs ſequeretur, Angelũ inferiorẽ poſſe moueri tãta velocitate, quãta moueretur ſuperior, quãuis vterq; agat ſecũdũ vltimũ ſuæ potẽtiæ, quod tamẽ videtur impoſsibile, quia cũ agẽs (quo maiorẽ virtutẽ habet) eo cæteris parib' poſsit extẽdi ad perfectiorẽ effectũ, neceſſariũ videt, quod Angelus ſuperior (qui virtute motiua ſuperet inferiorẽ) poſsit efficere motum velociorẽ, quã inferior, ſi vterq; ſecũdũ vltimũ ſuę potẽtię

opera-

operatur. Modo probatur ſequela. Quia ſi Angelus ſuperior moueat ſe motu continuo, neceſſario conſomet aliquod tempus in eo motu, quantumcunque autem breue, ſit illud tempus, poterit Angelus inferior in eodem, aut in altero æquali mouere ſeipſum, quia cum nulla ex parte patiatur reſiſtentiã, non erit ſibi difficilius, mouere ſe in illo tempore, quàm in maiori. ¶Cõfirma- *Confirmatur ſecundo.* tur ſecundo, quia idem inconueniens ſequitur facta comparatione inter Angelum & corpus, quod magis incredibile videtur, cũ corpus operetur cum reſiſtentia ſpatij medij. Probatur ſequela, quia quantumcũque ſit breue tempus, quo Angelus deſcẽdit motu continuo ab orbe lunæ ad terram, habebit aliquam proportionem cum tempore, quo aliquod graue abſoluit eundem deſcenſum, quoniam inter quaſcunque ſucceſsiones finitas eſt aliqua proportio, ſed poteſt illud graue ita augeri additione, vt fiat decuplo grauius, quàm alterum, ergo poterit deſcendere in tempore decuplo breuiori, quàm antea, & ex conſequenti æquali tempore, quo Angelus deſcendit. Patet conſequentia, quia quo maior eſt grauitas mobilis eò cæteris paribus velocius deſcendit.

Sententia Doctoris. ¶Secunda ſententia eſt Doctoris, vt patet in litera, quam docet etiam D. Tho. 1. par. quæſt. 53. art. 1. & 2. Eandem docent Marſilius in. 2. quæſt. 7. art. 3. Ægidius in. 2. diſt. 37 Capreolus in 2. diſt. 6. queſt. 1. ar. 1. Gregorius ibidem quæſt. 2. Ricardus in. 1. diſt. 37. circa tertium principale, quæſt. 1. in ſolutionibus argumentorum. Ferrara 3. cont. gentes. cap. 102.

¶Pro cuius explicatione, & totius quæ- *Notab. 1.* ſtionis, eſt primò notandum, quòd motus dicitur continuus dupliciter. Primò, quando nulla eſt quies intermedia, & ſic ſolus motus cælorum dicitur continous, quia cæli nunquam quieſcunt. Secundo modo dicitur motus continuus, quando locatum dimittit locum ſucceſsiuè, & non ſimul, veluti in motu progreſsiuo animalis, ſucceſsiuè enim mouetur animal, quia mouet vnã partem poſt aliam, & relinquit locum non ſimul, ſed paulatim.

Notab. 2. ¶Secundò eſt notandum, quòd omnis motus localis non eſt in efficiente, ſed in ſubiecto quod mouetur, cum omnis motus ſit actus entis in potentia paſsiua, ſecundùm quod in potentia paſsiuà. Vnde quantum attinet ad motum Angeli poſſumus diſtinguere illam duplicem operationem voluntatis, quarum prima eſt actus ille, quo Angelus vult, aut imperat ſuum motũ, & iſta non eſt motus localis, ſed antecedenter ſe habet ad motum localem. Secunda eſt ipſa acquiſitio vbi, quæ cõparatur ad priorem per modum paſsionis. Et iſta eſt, qua Angelus ſit præſens hic, & ibi continuè, & cum quadam ſucceſsione.

¶Tertiò eſt notãdum, quòd Angelum mo- *Notab. 3.* ueri continuè, poteſt dupliciter intelligi, vno modo per ſe, ſecundo modo per accidens. Per accidens, vt cùm mouetur ad motũ corporis aſſumpti, & iſte motus eſt per ſe corporis, per accidens verò Angeli, & neceſſariò debet eſſe continuus, ſicuti & motus corporis. Per ſe vero mouetur Angelus, dupliciter adhuc, vno modo ſecundum ſententiam D. Tho. vel quia operationem ſuam exercet in diuerſis partibus eiuſdẽ corporis, aut ſpatij ſucceſsiuè taliter, vt operationem ſuam totalem nõ exerceat in totũ locum, in quem extendi poteſt, vt immediatè poſt hoc, totum huuc locum ſimul relinquat, & in totum alium ſe applicet, huic æqualem, & operationem ſuam exerceat, qui motus eſt diſcretus: & poteſt intelligi iſte motus, vt relinquat ſpatium. v. g. centum pedum, quia in toto illo ſpatio nõ operatur, & acquiret aliud ſpatium huic æquale, in quo toto operatur, priori continuum. Vel ita, vt ſit in priori diſcõtinuum, & hoc eſt moueri de loco ad locum non tranſeundo per medium. Secundò modo poteſt contingere, vt operetur circa diuerſa loca, ita vt non ſimul totum locum in quo operatur derelinquat, ſed ſolùm partem eius, in quo operatur, & partem immediatè acquirat: taliter, vt quantũ dereliquit de loco habito, tantũ acquirat de non habito. ¶At verò ſecundùm ſententiam Doctoris, cũ Angelus non ſit in loco per operationem, ſed per acquiſitionem noui, & noui vbi, ad continuitatem motus, non eſt neceſſariũ, quod illa acquiſitio ſit vna vnitate indiuiſibilitatis, ita vt tota ſit ſimul, quia potius hoc repugnat motui cõtinuo, qui conſiſtit in quadam ſucceſsione partium, & nõ poteſt eſſe totus ſimul, ſed ſatis eſt quod ſit vna vnitate continuitatis ſucceſsiuæ. Ex quo prouenit, quod duo requirat, quarum primũ eſt, quod licèt ſit vna, conſtet partibus: alterũ autem, quod iſtæ partes ſint ſucceſsiuæ, & non permanentes. Et ita dicuntur exiſtere

ratione

ratione continuatiui. Quare motus continuus eſt plures contactus, non totales, ſed partiales, & ſucceſsiui, ad quos ſufficit vnus motus, cõſtãs pluribus partib⁹ ſucceſsiuis.

Notab. 4. ¶Quartò eſt notandum. Motũ Angeli non eſſe in rigore paſsionem, reſpondentem illi imperio, vel actioni volũtatis, qua volũtas imperat, vt Angelus ſe moueat de iſto loco ad illũ: ſed eſſe exercitiũ quodam virtutis motiuæ, ſcilicet, volũtatis formaliter ſumptæ in quantũ motiua eſt, & nõ inquantum eſt volitiua, aut imperatiua. Appellatur tamen tale exercitium paſsio, quia prouenit ex imperio, & ob hoc motus localis ipſius Angeli, & acquiſitio illa noui, & noui vbi, diſtincta eſt ab illa volitione, qua Angelus vult eſſe in illo, & in illo loco. Imaginandũ itaque eſt, duos eſſe actus voluntatis in Angelo, alter quo vult eſſe in hoc, & illo loco, & alter quo exequitur illud, quod per iſtã volitionem voluit. Ex quo prouenit, quod quamuis operatio (qua imperat huiuſmodi motus) ſit vna, vel plures, non ex hoc ſequitur, quod operatio quæ eſt formaliter motus, ſit vna, vel plures. Quia bene ſtat, quod illa ex parte actio ſit plures, & quod operatio (quæ eſt formaliter motus) ſit vna, quia talis operatio ſecunda nõ ſe habet ad primã operationem, ſicut ſe habet paſsio ad actionem, & per conſequens, non reſpondet illi ſicuti paſsio reſpondet actioni, id eſt, quod ſi eſt vna actio, ſit vna paſsio, & ſi ſunt plures actiones, ſint plures paſsiones.

Conclusio. ¶Concluſio. Angelus poteſt moueri per ſe de loco ad locũ motu ſucceſsiuo, & continuo. Hæc concluſio eſt Doctoris, & probatur. Angelus poteſt ſucceſsiuè habere ſubſtantiam ſuam applicatã ſpatio diuiſibili, deſerendo ſucceſsiuè illud ſpatium per partes, & eodem modo acquirendo aliud ſine interruptione, ergo poteſt moueri de loco ad locũ cõtinuè. Antecedens probatur. Nã cũ Angelus eſt in loco minori eo, qui ſibi eſt adæquatus, poteſt paulatim, & ſucceſsiuè deſerere partem eius, ita vt remaneat in minori, & acquirere maiorem intra latitudinem loci adæquati, ergo etiã poteſt ſucceſsiuè, & per partes deſerere totum locũ, in quo eſt, transferendo ſe eodem modo, ad alium locum totale. Conſequentia patet. Quia nullã eſt ratio, cur non poſsit Angelus hoc modo deſerere, & acquirere locum totalem, ſicuti poteſt partialem. Antecedens etiam probatur, quia Angelus liberè ſe applicat maiori, aut minori loco intra latitudinem loci adæquati, ergo etiam poteſt in aliquo loco minori adæquato, poteſt autem deſerere partem eius, nõ ſimul, ſed per partes, aut extendi ad maiorem locum. Patet conſequentia. Quia non eſt intelligibile, quomodo aliter ſit Angelo liberũ, poſtquam eſt in loco, eſſe in minori & minori loco: aut maiori & maiori intra latitudinẽ adæquati. ¶Confirmatur. Quia anima rationalis (quamuis indiuiſibilis ſit) poteſt ſucceſsiuè deſerere partem aliquam materiæ, quã informat, vt ſi pars carnis ſucceſsiuè aliquo modo corrumpatur, quod (ſaltim de parte indeterminata) concedunt omnes eſſe poſsibile, & eodem modo poteſt extendi ad informandum nouam partem materiæ, quod de facto contingit in nutritione, iuxta ſententiam probabiliorem, ergo etiam Angelus (poſtquam eſt in aliquo loco) poterit non obſtante ſua indiuiſibilitate, aut deſerere partẽ eius, aut extẽdi ad maiorẽ locũ ſucceſsiuè, & per partes. *Cõfirm. 1.* ¶Confirmatur ſecundò, quia nõ magis repugnat indiuiſibilitati Angeli eſſe in loco extẽſo, & habente partes, quã acquirere eũ ſucceſsiuè, & per partes: ſed primũ eſt poſsibile, ergo & ſecundũ. *Cõfirm. 2.*

Reſpon. ar gumen. ad primum. ¶Reſpondetur argumentis. Ad primum reſpondet Caiet. quod motus cõtinuus Angeli poteſt fieri vna, vel pluribus operationibus, quòd ſi fiat vna operatione, certum eſt quomodo motus eius poſsit eſſe cõtinuus, quia in motu, & operatione Angeli duo poſſunt conſiderari. Primum eſt, actus intellectus, & volũtatis, quo vult mouere aliquod corpus, vel ſuã ſubſtantiam. Secundũ eſt ipſe motus, qui fit in corpore, vel in ſubſtantia Angelica loco applicata. Motus ergo continuus Angeli, poteſt fieri per vnicũ actum intellectus, & voluntatis, nam poteſt vnico actu velle applicare ſuam virtutem, vel ſubſtantiam ſucceſsiuè huic ſpatio, vel corpori: & tũc ſequitur motus, abſque repetitione actus, cũ ſola permanentia illius volitionis, & hoc modo portauit Angelus continuè Abacuc à Iudæa, vſque ad lacum leonum. Motus autem cauſatus per talem actum, planè eſt vnus, cum ſit continuus, eſt tamen diuerſa vnitas illius motus, & interioris actus: nam hic eſt indiuiſibilis, & ita ſemper eſt idem ſecũdum ſe totũ. At vero motus qui fit in corpore, vel in ſubſtãtia Angeli ſemper eſt diuerſus ſecundum partes, licet continuitate ſit vnus. Et iſto

modo

modo eſt verum, quòd in motu Angeli ſunt plures contactus, vel plures præſentiæ partiales. Quomodo autem poſsit dari motus continuus, quando ſunt diuerſæ operationes, dicit Caietan. non eſſe inconueniens, quanuis Ferrara. 3. contra gentes, cap. 102. iſti dicto contradicat. Et ratio eius eſt, quia ſi iſtæ operationes eſſent plures, deberent multiplicari ad pluralitatem locorum partialium Angeli, quod eſt impoſsibile. Quia loca partialia ſunt infinita, & ſic operationes deberent eſſe infinitæ. Et prætetea, quia illæ operationes deberent eſſe diſcretæ: quia vna operatio non poteſt alteri operationi continuari. Quia illa continuantur, quæ ſunt partes alicuius totius, & recipiuntur in eodem ſubiecto, & ob hoc efficiuntur vnũ, ſed illæ operationes eſſent in diuerſis inſtantibus, ergo diſcretæ, & per conſequens cauſarent motum diſcretum. Sed his rationibus non obſtantibus, reſpondent nonnulli tenentes ſententiam Caiet. ad argumentum Ferraræ, quòd non multiplicantur operationes Angeli ſecundùm multiplicationem partium proportionalium ſpatij. Vnde ad confirmationem reſpondent, operationes non eſſe continuas cùm ſint indiuiſibiles, tamen eſt vna immediatè poſt alteram, abſque media duratione, & hoc ſufficit, vt motus ab illis cauſatus, ſit continuus. Quare explicantes ſententiam Caietani dicunt, quòd continuitas motus Angeli ſumitur ex intrinſeca vnione partium ipſius motus, ita vt habeant vnum indiuiſibilem terminum cõmunem, & quòd ſine interruptione Angelus acquirat nouum & nouum ſpatium. Hoc autem non repugnat fieri per plures actus intellectus, vel voluntatis Angeli, quia poteſt Angelus habere vnam volitionem deſcendendi ſucceſsiuè, & continuè à cælo vſque ad hunc locum, & in eodem inſtanti quo peruenit ad hunc locum, poteſt habere nouam volitionem tranſeundi ab hoc loco ad aliũ: & ſic continuare motum abſque interruptione, neque hoc habet aliquam repugnantiam, quòd patet explicando hunc motum per operationes circa corpus: nam poteſt Angelus mouere lapidem vſque ad hunc locum, & immediatè poſt illud inſtans in quo ad hunc locum peruenit, poteſt mouere alium lapidem ab hoc loco ad alium, idque denuò velle ſine interruptione motus. Vnde ad argumentum neganda eſt conſequentia, quia ſiue per vnam, ſiue per plures operationes poteſt motus continuari. ¶Alij autem explicantes ſententiam Caiet. reſpondent, quòd quanuis motus Angeli non ſit aliud quam pluralitas contactus ſucceſsiua, & vna operatio non poſsit eſſe niſi vnus contactus; & per conſequens non appareat, quomodo poſsit eſſe motus continuus, cum plures operationes non poſsint eſſe inter ſe continuæ, & ſint neceſſariæ vt poſsit Angelus continuè moueri, nihilominus tamẽ dici poteſt, quod vna, & pluribus operationibus poteſt Angelus cõtinuè moueri: nam ſi operatio (qua Angelus dicitur mouere ſe) cõſideratur ex parte paſsi (ſcilicet, corporis) circa quod operatur Angelus, poteſt dici multiplex ſaltem per ordinem ad ſpatium, quia vt corpus aliquod moueatur ab Angelo, neceſſarij ſunt plures contactus illius corporis ad ſpatium partiales: ſi tamen conſideretur ex parte ſui principij (ſcilicet, Angeli) poteſt dici vna, quia ad plures illos contactus ſufficit vna operatio ex parte Angeli, ſicut ad plures contactus alicuius corporis ad ſpatium ſufficit vna quantitas ipſius corporis. Vnde concludunt, quòd quantum ipſi poſſunt intelligere, Caiet. ſentit, motum continuum Angeli fieri vna operatione totali, & pluribus partialibus: quod ſi iſte ſenſus verus eſt, parum differunt inter ſe Caiet. & Ferrara.

¶Aliter tamen reſpondendum eſt ad iſtud argumentum, iuxta ea quæ diximus, ſcilicet, quod cum motus Angeli ſit illud exercitiũ, quo Angelus acquirit aliud, & aliud vbi, dummodo iſta acquiſitio ſit cõtinua, motus erit continuus. Prima autem operatio voluntatis non eſt neceſſarium quòd ſit vna, vel plures: quia illa neque eſt motus, neque principium motus, ſed tantum extrinſecè ſe habet ad illum. Sicut v.g. ſi vnus Angelus moueret aliquod corpus vſque ad determinatum vbi, & alius antequàm finiretur ille motus, à primo angelo inceptus, moueret illud corpus vſque ad aliud vbi, & ſic de alijs plurimis Angelis, ille motus eſſet motus continuus illius corporis, non tamen operationes eſſent vna, ſed plures: quare ad continuitatem motus non eſt neceſſarium quod illa prima operatio ſit vna, neque etiam eſt neceſſarium, quòd ſecunda operatio ſit vna vnitate indiuiſibilitatis, ſed ſatis eſt quod

ſit vna vnitate continuitatis ſucceſsiuæ.

Ad ſecũdam. ¶Ad ſecundum reſpondetur concedendo antecedens, & negando ſequelam, & ad probationem dicitur cum Doctore in ſolut. ad tertium argumentum, nullum inconueniẽs ex propoſitis ſequi, ex eo quod indiuiſibile moueatur motu continuo. Vnde ad argũmentum in forma reſpondetur, quod quando Angelus mouetur ſucceſsiuè à loco ad locum, partim eſt in termino à quo, & partim eſt in termino ad quem, quæ partialitas non eſt in Angelo, ſed in ſpatio. ¶Vel ſecundò reſpondetur cum Gregorio in 2. diſtinctione. 6. quæſt. 2. ad argumentum principale dicente, quod illa inconuenientia, quæ poſſunt ſequi ex hoc, quod indiuiſibile moueatur, ſolum poſſe obijci, contra motum cõtinuum indiuiſibilis pertinentis ad quantitatem, quod eſt indiuiſibile ratione limitationis, non tamen contra indiuiſibile quod eſt indiuiſibile ratione perfectionis, cuius modi eſt Angelus, qui poteſt deſerere, & acquirere per partes terminos motus, & partim eſſe in vno termino, & partim in altero, ita, vt iſta diuerſitas partium teneat ſe ex parte ſpatij, & non ex parte mobilis, & propter eandem rationem non ſequitur, quod numeret ſuo tranſitu infinita indiuiſibilia ſpatij. (Qui vult multa de his indiuiſibilibus videre, legat Liquetum ſuper iſtã quæſtionem Doctoris.) Mihi tamen iſta ſecunda ſolutio Gregorij clarior apparet.

Ad tertiũ. ¶Ad tertium reſpondetur cum Ricardo in 1. diſt. 37. circa tertium principale, quæſt. 1. in ſolutione ad quartum, quod cum dicitur accidens diuiſibile non poteſt eſſe in ſubiecto indiuiſibili, non habere verum de illo accidente, cuius partes non manent ſimul, & tale accidens eſt motus, vnde poteſt eſſe in ſubiecto indiuiſibili per comparationem ad aliquod diuiſibile, ſicut ſpatiũ, & non per ordinem ad mobile.

Ad quartum. ¶Ad quartum reſpondetur, quòd ſicut ad continuitatem motus localis corporis non ſufficit ſola continuitas ſpatij, ſed præterea requiritur cõtinuitas mobilis, & temporis, ita ad continuitatem motus Angelici non ſatis eſt continuitas ſpatij, ſed requiritur continuitas temporis menſurantis applicationem virtutis Angelicæ ad locum, ſecundùm diuerſas partes loci, ad quas Angelus ſucceſsiuè ſe ſe applicat. Vnde ſucceſsio motuum localium Angelorum prouenit ex eorum voluntate, quia poteſt ſi velit mouere ſe ſucceſsiuè, acquirendo vnam partem termini ad quem, & dimittendo aliam termini à quo. Verum ſi velit, poſsit etiam moueri motu diſcreto, vt infra dicemus.

Ad primã confirm. ¶Ad confirmationem reſpondetur cum Doctore hac quæſt. in ſolutione ad quartum principale, quod in motu duplex reperitur ſucceſsio, altera quæ conuenit illi ratione ſpatij, & altera quæ conuenit illi ratione qualitatis. Prima eſt eſſentialis: ſecunda eſt accidentalis. Eſſentialis conuenit illi propter diſtantiam ſpatij, quia partes ſpatij nõ ſunt ſimul, & ideo non poſſunt ſimul pertrãſiri, & propter hoc neceſſe eſt quod Angelus pertranſeat eas ſucceſsiuè, vnam poſt aliam, ſicuti Angelus exiſtens in cælo, ſi vult venire in terram, tenetur trãſire medium ſpatium, quod eſt inter cælum & terrã. At vero ſucceſsio accidentalis quæ prouenit, vel ex reſiſtentia medij, vel ex maiori, vel minori impedimento ex parte ipſius, non reperitur in Angelo, quia Angelus nullam habet reſiſtentiam ex parte medij, neque ex parte ipſius eſt aliquod impedimentum, ratione cuius velocius, vel tardius terminum ad quẽ acquirat. Sicut v. g. reſpectu corporis eſt duplex ſucceſsio in motu locali, altera quæ conuenit illi ex parte ſpatij, quia ſcilicet partes diſtant inter ſe, altera vero eſt ex parte qualitatis eius corporis, qua ſpatium eſt plenum, nam iuxta ipſius craſsitiem, aut tenuitatem, impeditur magis, aut minus velocitas mobilis, & quanuis prima (vt dixi) conueniãt Angelo, nempè diſtantia partium, non tamen ſecunda, quia non habet aliquam reſiſtentiam ex parte medij.

Ad ſecundã cõfirm. ¶Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, quòd quicunque Angelus poteſt mouere ſeipſum quantacunque velocitate voluerit, quod etiam ſaltim videntur inſinuare omnes doctores, cum de omnibus Angelis indifferenter dicant, ſine mora adeſſe cuicunque loco, propter maximam celeritatem qua quilibet illorum poteſt ad quemcunque locum peruenire: neque eſt neceſſarium, Angelum qui excedit alium in virtute motiua, etiam excedere eum in hoc quod poſsit ſeipſum mouere velocius, cum poſsit in alijs excedere, nempe in hoc quod poterit maius corpus mouere, & æquale maiori cum velocitate, & ipſum Angelum etiam inuitũ loco pellere. Sicut verbi gratiã, quanuis luminoſum aliquod exce-

excedat alterum in virtute illuminatiuâ, non ideo neceſſarium eſt, quod poſsit velocius, aut citius illuminare, imo neque eſt poſsibile, cum vtrunque illuminet inſtanti. Sed ſatis eſt, quod illuminet intenſius, vel ad maiorem diſtantiam.

Ad vlt. confirm. ¶Ad vltimam confirmationem reſpondetur negando paritatem rationis, propter diſparitatem inter corpus & Angelum: nã reſpectu corporis eſt duplex impedimentum, alterum intrinſecum ex parte ſpatij, quale eſt habere partes diſtantes inter ſe: alterum eſt extrinſecum, nempe reſiſtentia corporis replentis illud ſpatium, quæ reſiſtentia non reperitur reſpectu Angeli.

QVÆSTIO VII.

¶*Utrùm Angelus deſerendo ſimul totum terminum à quo, poſsit moueri motu continuo?*

Primum argum. PRO parte negatiua eſt primum argumentum. Angelus exiſtens in loco indiuiſibili non poteſt moueri motu continuo, ergo. Probatur antecedens. Locus indiuiſibilis nõ habet partem, & partẽ, ergo non poteſt ſucceſsiuè deſeri.

Secundum argum. ¶Secundò. Si poteſt continuè moueri, ergo poſſet continuè facere lineam exiſtens continuè in puncto, & puncto indiuiſibili, & per conſequens linea conſtaret ex indiuiſibilibus punctis. Huic quæſtioni facillimè reſpondetur ex dictis dicendo primò, quod ſiue terminus à quo ſit indiuiſibilis, vt ſi Angelus eſſet in puncto, ſiue ſit diuiſibilis, vt ſi Angelus exiſteret in loco extenſo, & diuiſibili, ſi tamen Angelus deſerat eũ totum ſimul, & indiuiſibiliter, non poteſt ab eo moueri motu continuò, & ſucceſsiuo. *Prima cõcluſio.* Et ratio huius dicti eſt, quia non poteſt mobile deſerere terminum à quo, niſi acquirendo terminum ad quem, aut ſaltim accedendo ad eum, & ingrediendo in aliquam partem ſpatij, quia recedere ab vno termino motus, eſt accedere ad alium: ſed Angelus in caſu poſito deſerit terminum à quo, & ex conſequenti recedit ab eo ſimul, & indiuiſibiliter, ergo etiam acquirit terminum ad quem, aut ſaltim aliquam partem ſpatij ſimul, & indiuiſibiliter: & per conſequens, non mouetur ab illo termino motu continuo. Conſequentia prima patet. Quia cum receſſus ab vno termino, ſit acceſſus ad alium, nõ poteſt intelligi, quod receſſus fiat ſimul, & indiuiſibiliter, & quod non fiat eodem modo aliquis acceſſus ad alium terminum. Secunda conſequẽtia probatur. Quia illo receſſu neceſſario mouetur Angelus localiter, quoniam aliter ſe habet in ordine ad locum, quam antea: cum acquirat aliud vbi.

Secunda concluſio. ¶Secunda concluſio. Poſtquam Angelus relicto termino à quo acquiſiuit aliquid termini ad quem, aut ſpatij, bene poteſt (non deſerendo illum) extendi continuè ad maiorem locum, ſiue id quod acquiſiuit ſit indiuiſibile, ſiue diuiſibile. Ratio huius concluſionis eſt, quia in hoc nulla eſt repugnãtia: & certum eſt quod Angelus poſtquam exiſtit in aliquo loco poteſt permanens in eo extendi ad maiorem continuè, & acquirendo vnam partem poſt aliam.

Tertia cõcluſio. ¶Tertia concluſio. Si Angelus deſinat ſimul, id quod acquiſiuit de ſpatio, aut voluntate ſua, aut quia indiuiſibile eſt, non poteſt extendi continuè ad locum, quem primo acquirit: bene tamen, ſi deſinat illud ſucceſſiuè. Ratio huius eſt, quia vt paulò ſuperiùs dicebam, impoſsibile eſt quod mobile deſinat ſimul, & indiuiſibiliter aliquem locum, & quod non acquirat eodem modo aliud.

Reſpondetur argumentis. Ad primum. ¶Ad primum argumentum reſpondetur, quòd ex prima concluſione colligitur non poſſe Angelum moueri à loco indiuiſibili motu continuo, quando locus totaliter deſeritur. Secus autem, quando non totaliter deſeritur iuxta ſecundam & tertiam concluſionem. Vnde in tali caſu, quando Angelus deſerit in inſtanti locum indiuiſibilem, & acquirit eodem modo alium, non verificatur (in inſtanti in quo Angelus eſſet in primo loco indiuiſibili) nunc non mouetur Angelus continuè, & mediatè poſt hoc mouebitur, ſed in alio inſtanti, quo Angelus acquirit ſimul, & indiuiſibiliter alium locum. At vero, vt mobile dicatur moueri continuè ab aliquo termino, neceſſarium eſt, quod verificetur nunc nõ mouetur Angelus continuè, & immediatè poſt hoc mouebitur: vnde Angelus (in caſu quo deſinat locum indiuiſibilem totaliter, & acquirat locum indiuiſibilem, vel diuiſibilem, in quo poſtea moueatur continnè) duplici motu mouebitur, ſcilicet, & motu diſcreto, & etiam motu continuò.

¶Ad

¶ Ad ſecundum reſpondetur, vt nonnulli, ſuper primam partem D. Tho. quæſt. 53. artic. 1. quæſt. 3. poſt tertiam concluſionẽ, quòd Angelus poteſt ſimul deſerere totum locum diuiſibilem, & acquirere ſimul totũ alium adæquatum, & quamuis ex hoc videa tur ſequi, dari duo inſtantia immediata, quę (quamuis ſint Angelica) debent coexiſtere duobus inſtantibus immediatis noſtri tem poris, non eſſe inconueniens in propria du ratione Angelica dari duo inſtantia imme- diata: conſiderando tamen coexiſtentiam duorum illorum inſtantium ad noſtrũ tem pus, poſſe contingere, quod inſtans termi- natiuum quietis Angelicæ coexiſtat tem- pori noſtro, & non inſtanti termino illius horæ: & tunc inſtãs initiatiuum termini ad quem incipit coexiſtere inſtanti temporis noſtri. Vnde illa propoſitio (quicquid quie ſcit in aliquo loco, neceſſariò quieſcit vſq; ad vltimum inſtans) verificatur quidem in qucunque re ſecũdùm propriã menſurã, & intrinſecam durationem. Cuius ratio forte non eſt, quia quieſcere eſt ſe habere nunc, ſi cut prius, ſed quia ſi conſideretur id, quod eſt poſitiuum in quiete, nempe permanen- tia ſub tali termino, illud eſt quid perma- nens, & ideò habet intrinſecam durationẽ permanentem: atque adeò, inſtãtaneam, & indiuiſibilem, & illa eſt intrinſecus termi- nus quietis. In corporibus autẽ verificatur etiam, quod quieſcens in aliquo loco quie- ſcit vſque ad terminum intrinſecum, quia corpus non poteſt mutare locum ſimul, & ideo motus oppoſitus quieti debet incipe re per vltimũ nõ eſſe & cõſequenter, quies deſinit eſſe per vltimum ſui eſſe. Secus ve- rò eſt in Angelo, loquendo ſecundũ coexi ſtentiã ad noſtrũ tempus, quia poteſt totũ locum ſimul mutare, poteſt etiam contin- gere vt terminatiuum inſtans quietis An- gelicæ coexiſtat noſtro tempori vſq; ad vl timum inſtans intrinſecum, & conſequan- ter, quòd inſtãs initiatiuum termini ad quẽ coexiſtat tempori noſtro, quod immedia- tè ſequitur per inſtans, & non alicui primo inſtanti. Vnde ſecundũ coexiſtentiam ad noſtrum tempus nõ dabitur primũ eſſe An geli in termino ad quem, neque poteſt aſsi gnari aliqua pars temporis, in qua primo ſit ibi: neque hoc eſt inconueniens, ſed in multis alijs neceſſarium: poteſt enim Ange lus durare in aliqua intellectione vſque ad hoc inſtans noſtrum, & immediatè poteſt tranſire ad alteram, quia duratio indiuiſibi- lis, & inſtantanea Angelica coexiſtit, & in- ſtanti, & tempori noſtro: vnde ſicut coexi- ſtit, ita poteſt incipere coexiſtendo vel in- ſtanti vel tempori & neutrũ illi repugnat, quia iſta duratio Angeli non coextenditur noſtro tempori, ſed eſt tota in toto, & tota in qualibet parte, & in quolibet inſtanti no ſtri temporis. Et idcirco poteſt tota illa ſi- mul incipere coexiſtendo tempori, vel in- ſtanti noſtro.

¶ Aliter tamen reſpondetur, cum Liche- to hac diſt. & quæſt. contra ſecundam con- cluſ. in ſolut. ad tertium. vbi dicit, quod An gelus quãdo deſinit pũctũ, in quo actu exi- ſtit, ſit in alio pũcto: & cum quæritur de ly, immediatè, dico quòd fieri in alio pũcto im mediatè, poteſt multipliciter intelligi. Pri mò quod fiat in alio pũcto immediatè, id eſt immediato primo pũcto, & hoc eſt impoſ- ſibile, quia punctum non eſt immediatum puncto, vt patet. 6. Phyſic. ſecundo quod fiat in alio puncto immediatè, id eſt, quod fiat in illo puncto, non tranſeundo per ali- quod medium, & hoc non, quia tunc nõ mo ueretur à puncto ad punctum motu conti- nuo. Tertiò quod fiat in alio puncto imme diatè, id eſt, quod tranſeundo ſpatium inter mediũ, illud quod immediatè tangit eſt pũ- ctum, & ſic cõceditur, quòd Angelus ſit im mediatè in alio pũcto, id eſt quod nõ acqui- rit aliquid immediatè tangendo illud, niſi punctũ. Sed illud non poteſt tangere, niſi prius tranſeat ſpatium diuiſibile, vel aliquã partem ſpatij diuiſibilẽ. ¶ Quod ſi quæras quando Angelus eſt in primo puncto ſpatij pedalis, & immediatè mouetur ſuper illo ſpatio, & quæras quid immediatè tangit, nõ punctum, quia non eſt immediatum primo puncto, ſed aliqua pars ſpatij eſt immedia- ta illi, quia inter punctum & punctũ eſt ali qua pars, ergo videtur, quòd per prius tan- gat illam partem. Reſpõdetur quod tange- re illam partem poteſt dupliciter intelligi, ſcilicet aut quod tangat illam in pũcto, vel in alio, & alio indiuiſibili, aut quod tangat illam in aliquo diuiſibili, primo modo tan- git partem, ſed non ſecundo modo. ¶ Quod ſi dicas quod nõ videtur imaginabile, quòd Angelus tranſeat, & moueatur ſuper ſpatiũ pedale, in quo ſunt infinitæ partes diuiſibi- les inexiſtentes, & quod nullam illarũ tan- gat. Reſpondetur quod ſi puncta in ſpatio eſſent ita diſtincta, quòd poſſet ſignari, pri mum, *Secunda ratio.*

R

mum, ſecundum, tertium, & quartum, inter quæ cadũt partes diuiſibiles, fortè nõ eſſet imaginabile, quod Angelus poſſet tranſire, & moueri de puncto ad punctum tangẽdo illa, & quod nullo modo tangeret partes intermedias, ſed non eſt ſic intelligendũ. Sed quia non poſſunt dari, vel ſignari duo puncta, quia inter illa duo ſunt infinita, imo infinities infinita, quia inter duo puncta eſt aliqua pars, quę ſemper eſt diuiſibilis in infinitas partes, & ſic inter quæcunq; duo puncta ſignata, etiã proxima quantũ dici poſſunt, ſunt infinities infinita puncta. Et ex his patet quomodo indiuiſibile tranſeundo ſpatium tangat quamlibet partem illius ſpatij præciſe in puncto. Imo non poteſt tranſire minimam partem, quin tangat infinities infinita puncta.

¶ Quod ſi quæras quando Angelus mouetur à puncto ad punctum, aut ſit in alio puncto in inſtanti, aut in tempore. Reſpondetur quod ſi mouetur motu continuo propriè accepto quod neceſſario ſit in alio pũcto in tempore. Et nullo modo in inſtanti.

QVÆSTIO VIII.

¶ Utrùm Angelus poſſit moueri motu diſcreto.

Primum argum. PRO parte negatiua eſt primum argumentum, ad motum diſcretum requiritur, quod Angelus ſimul deſerat totum terminum à quo, & ſimul & ſine ſucceſsione acquirat terminum ad quem, ſed hoc implicat, ergo. Probatur minor, nam ſequeretur dari duo inſtãtia immediata indiuiſibilia, & per conſequens dari aliquid compoſitum ex indiuiſibilibus. Probatur ſequela, nam in motu diſcreto, neceſſarium eſt dari vltimum inſtãs, in quo Angelus ſit in termino à quo, & primum inſtans in quo Angelus ſit in termino ad quem. Sed vltimum inſtans in quo Angelus eſt in termino à quo, & primum inſtans in quo Angelus eſt in termino ad quem, neceſſario debent eſſe duo inſtantia diſtincta, ergo neceſſario ſunt danda duo inſtantia immediata. Probatur minor, quoniam ſunt intrinſeca terminis oppoſitis, ergo ſi Angelus mouetur motu diſcreto, neceſſario ſunt concedenda duo inſtantia immediata. Quod ſi reſpondeas, iſta duo inſtantia dari non in tempore noſtro, ſed in tempore diſcreto, quo motus diſcretus Angeli menſuratur, & in eo non eſſe inconueniens, cum partes ex quibus conſtituitur ſint inſtantia indiuiſibilia. Contra, vnicuiq; illorum inſtantium temporis diſcreti reſpondet aliquid temporis noſtri, quod ſit vnicuique inſtantium adæquatum, quia quodcunque eorum habet durationem determinatam, etiam per ordinem ad noſtrum tempus, & Deus cognoſcit quanta ſit, ſed in tempore noſtro tantum reperiuntur partes diuiſibiles, aut indiuiſibiles, ſiue inſtantia indiuiſibilia continuatiua illarum partium, & quodcunque inſtans poteſt cõputari, aut cum parte præterita, aut cum futura, & etiam per ſe, & extra illas, ergo neceſſe eſt quod vnicuique illorum duorum inſtantium temporis diſcreti reſpondeat in tempore noſtrum ſolum inſtans, aut quod primo reſpondeat prior pars temporis, cum inſtanti terminatiuo, & ſecundo pars temporis ſubſequens ſiue inſtanti initiatiuo, quia idem inſtans eſt terminatiuum prioris partis, & initiatiuum poſterioris, vel è conuerſo, vel ſaltim ſequitur, quod vni reſpondeat ſolum inſtans, & alteri pars temporis: ſi dicas primum, ſequitur illa duo inſtantia noſtri temporis eſſe ſibi inuicem immediata. Patet ſequela, quia ſi inter ea mediaret aliquod tempus, non poſſet verificari, quod ſecundum inſtans eſſet primum non eſſe Angeli in termino à quo, cum in tempore illo intermedio fuiſſet prius verum dicere, Angelum non eſſe in termino à quo. Neque tranſiret Angelus immediatè ab vno termino ad alterum, quoniam neceſſarium eſſet, quod illo tempore intermedio (prius quam per primum veniret ad terminum ad quem) eſſet in aliquo loco. Si vero dicatur ſecundum, ſequeretur non dari, aut primum eſſe Angeli in termino ad quem, aut vltimum eſſe in termino à quo, quia neque datur prima, neque vltima pars temporis, impoſſibile erit dari in tempore primum aut vltimum eſſe rei, & propter eandem rationem ſequitur idem inconueniens ſi dicatur tertium.

Secundum argum. ¶ Secundò. Motus localis eſſentialiter eſt via, & trãſitus medius inter duos terminos, ſed ſi Angelus deſerat ſimul terminũ à quo, & ſimul etiam acquirat terminum ad quẽ, nõ poteſt intelligi quod mediet aliquis trãſitus inter illos duos terminos, ergo neque

quod

quod Angelus moueatur localiter ab vno in alterum. Maior eſt manifeſta, quoniam de ratione cuiuſcunque motus eſt, eſſe viã & tendentiam ab vno termino ad alterum. Quod ſi reſpondeas ipſam deſitionẽ vnius termini, & acquiſitionem alterius habere rationem tranſitus, & viæ contra, neque deſertio, neque acquiſitio, eſt extra ipſos terminos, ergo non poteſt habere rationẽ viæ ſeu tranſitus inter eos. Antecedens patet, quia vel deſertio, & acquiſitio ſunt ſimul in termino ad quem, vel vna fit in termino à quo, & altera in termino ad quem, quia (cũ ſit Angeli operatio, vel requirat illam) debet reperiri in altero extremorũ ſimul, vel deſertio in vna & acquiſitio in altera. Conſequẽtia autem probatur, nam via eſt quid medium inter terminos & mediũ condiſtinguitur ab vtroque extremo æqualiter, cum non magis ſe teneat ex parte vnius, quam alterius.

Confirmatur. ¶ Cõfirmatur, quia expulſio vnius formæ ex materia, & introductio alterius non ſunt vna mutatio, ſed duæ mutationes, quia nihil mediat inter illas per modũ viæ, & vtraq; habet proprios terminos, ſcilicet, eſſe & non eſſe ſuæ formæ: ſed eodem modo in caſu noſtro, nihil mediat inter deſertionem vnius formæ & acquiſitionem alterius, & vtraque habet proprios terminos, ſcilicet eſſe, & non eſſe ſui loci, ergo deſertio vnius termini & acquiſitio alterius non ſunt vnus motus, ſed duo.

Tertium argum. ¶ Tertiò. Cum Angelus motu diſcreto deſerit vnum terminum & acquirit alium, in neutro eorum mouetur, neque in medio, ergo non mouetur localiter. Probatur antecedens, quia non mouetur in termino à quo, quia eſt in eodem loco in quo ante, ergo habet ſe eodem modo in ordine ad locum, ſicut antea, & per conſequens, ergo non mouetur, quia moueri eſt aliter ſe haberi nunc quam prius in ordine ad locum. Neq; etiam mouetur in termino ad quem, quia in vltimo termino motus non eſt motus, vt conſtat exemplo corporum. Et præterea, quia neque mouetur ad reſpectum ad eundem terminum, cum iam ſit in eo & motus localis reſpiciat terminum, vt acquirendum. Neque etiam per reſpectum ad alium terminum, quia ex ſuppoſitione terminus ille ad quem (de quo loquimur) eſt vltimus, ſed eſt impoſsibile eſſe motum localem & non per ordinem ad terminum aliquem, & ergo. Neque tandem poteſt dici quod moueatur in medio: tùm quia ſupponimus Angelum immediatè tranſire de vno termino ad alterum: tum etiam, quia ſequeretur Angelum moueri in inſtanti, ſcilicet, in eo quo eſſet in medio, de quo infra, ergo.

1. *Notab.* ¶ Pro explicatione huius quæſtionis ſunt notanda nõnulla. Primum eſt, quod motus diſcret' Angeli poteſt dupliciter intelligi, ſcilicet, propriè, & in rigore: ſecundo modo in propriè & largè. Motus diſcretus propriè & in rigore, dicitur, tranſitus de vno termino ad alterum totaliter, qui motus cõſtat deſertione ſimultanea, & indiuiſibili vnius termini, & ſimili acquiſitione alterius. Et in hoc differt à motu cõtinuo: quia motus continuus fit deſerendo paulatim, & per partes terminum à quo, & acquirendo eodem modo terminum ad quem. Et de hoc motu eſt quæſtio in præſentiatũ. Motus antem diſcretus inpropriè eſt quęcunque aggregatio diuerſarum partium motus quanuis quæcunque earum inter ſe ſit continuus motus & ſucceſsiuus: & de hoc motu nulla eſt difficultas, quia cum Angelus poſſit moueri, motu continuo tranſeundo de vno termino ad alterum diſtinctis & diuerſis motibus quaſi partialibus, quorum quiuis in ſe ſit continuus & faciat cum aliis vnũ aggregatione.

2. *Notab.* ¶ Secundò eſt notandum, quod difficultas in hac quæſtione eſt, dato quod Angelus poſsit moueri motu diſcreto, quãdo mouetur? Ad quod reſpondet Caiet. prima parte, quæſtione 53. artic. 1. moueri in inſtanti illo medio, in quo nondum eſt in termino à quo, neque in termino ad quem quod patet ex eo, quia tunc verum eſt dicere, aliter ſe habere Angelum, quam prius & poſterius in ordine ad locum, ergo tunc mouetur. Antecedens patet, nam prius non operabatur, & operabitur, & poſterius immediatè non operatur, ergo tunc mouetur localiter.

¶ Addunt nonnulli dicentes, moueri in termino à quo, & in termino ad quem, ſcilicet, in operatione præcedenti & ſequenti. In ſequenti, quia aliter ſe habet tunc, quam prius immediatè. In præcedenti autẽ, quia aliter ſe habebit poſterius, & immediatè. Quare quando D. Thom. in primo diſt. 37. quæſtione quarta. artic. 1. ad tertium. dicit, moueri Angelum motu diſcreto, non, dum eſt in termino à quo, neque, dum eſt in termino aliquem, ſed in ipſa ſucceſsione vnius ter-

termini ad alium. Et quando prima parte quæſtione. 53. articulo. 1. in ſolutione ad primum, ait, non ſolum ſucceſsionem illam vnius termini ad alium eſſe motum diſcretum, ſed in quocunque etiam termino Angelum moueri motu diſcreto, non eſt ſibi contrarius, quia terminus à quo, & ad quem, dupliciter poſſunt cõſiderari, vel ſolitariè, & per ſe: vel cum ſucceſsione vnius ad alterum. Primo modo dixit in primo ſententiarum non moueri Angelum in illis. Secundo autem modo ſumpſit in prima parte. Nam in motu diſcreto Angeli terminus à quo, & ad quem, & medium inſtans, ſic ſe habent ſicut tres vnitates ad numerum ternarium, non autem ſicut indiuiſibilia continui ad totum. Vnde ſicut numerus componitur ex vnitatibus, ita motus diſcretus ex illis tribus ſignis, quare ſicut numerus eſt in qualibet illarum, non per ſe, & ſolitariè ſumpta, ſed cum ordine ad alteram, ita in propoſito, eſt tamen differentia in hoc, quod in numero non eſt ſucceſsio: at vero in indiuiſibili continuo non eſt ipſum continuum, neque per ſe, neque per accidens, quia non componitur ex indiuiſibilibus. Et hinc etiam eſt, quod motus continuus intrinſecus, neque eſt in termino à quo, neque ad quem, quia terminus intrinſecus eius eſt indiuiſibile eius: at vero motus diſcretus poteſt eſſe in qualibet terminorum, quia terminus eius eſt pars eius, ſicut vnitas numeri.

3. *Notab.* ¶ Tertiò eſt notandum, quod poſita extenſione ſolum ex parte ſpatij, non ſequitur neceſſario motum eſſe continuum, quia extenſio ſpatij tunc ſolum poſtulat motum fieri continuum, cum propter diſtantiam partium ipſius non poteſt mobile ſecundum ſe totum ei coexiſtere, quo ad omnes illas partes. Hoc autem prouenire poteſt, vel quia mobile habet etiam partes, vel quia eſt ita indiuiſibile, vt non poſsit eſſe permanenter in loco extenſo, & ideo, cum mobile eſt talis naturæ, vt poſsit eſſe in loco extenſo ſine coextenſione, aut commenſuratione ad ipſum, non erit neceſſarium, quod moueatur motu continuo à tali loco, quia cum totum ſit in qualibet parte ſpatij, quia eſt totum in toto, & totum in qualibet parte ſpatij, non eſt ſecũdum vnam partem ſui proximius illis partibus loci, quam ſecundum aliam, per quam debet fieri immediatè tranſitus ad alium locum, & ideo, æquè immediatè deſerit ſecundum ſe totum illam partem, & ex conſequenti totum locum, in quo eſt, & acquiret alterum. Hoc autem amplius explicari poteſt exemplo animæ rationalis, quæ quoniam indiuiſibiliter eſt in corpore habente partes, hoc eſt tota in toto, & tota in qualibet parte, ideo poteſt incipere ſimul, & ſine ſucceſsione informare partes diuerſas, & eodem modo deſerere eaſdem, & ita contingit in Angelo.

¶ Quartò eſt notandum, quod cum Angelus deſerit ſimul totum terminum à quo, non eſt verum dicere, quod incipit eſſe in termino ad quem, niſi cum etiam eſt verum dicere, quod non eſt in termino à quo, neque in aliqua parte eius. Et ideo tunc, nec ratione ſui, nec ratione loci diſtat magis ab vna parte termini ad quem, quam ab altera, & ex conſequenti poteſt ſimul incipere eſſe in omnibus illis partibus. Neque hoc eſt maior difficultas, quam ſi Angelus exiſtẽs nullibi tanquã in loco (quod multi admittunt eſſe poſsibile ſicut illi qui ponũt eſſe in loco per operationem) inciperet eſſe ſimul in totó illo loco. Sicut, verbi gratia, Si anima rationalis cum deſerit aliquod corpus, informaret aliud, bene poſſet incipere informare ſimul corpus ſecundum ſe totum. Vnde quanuis Angelus poſſit moueri inter loca continua, quoniam ad continuitatem motus non ſufficit continuitas ſpatij, ſed requiritur continuitas propria, & intrinſeca ipſi motui, quæ conſiſtit in hoc, quod vnus locus paulatim, & per partes deſeratur, & alter acquiratur: eodem modo & ſine interruptione, ideo poteſt Angelus inter loca continua non ſolum continuè moueri, ſed etiam diſcretè. 4. *Notab.*

¶ Prima concluſio. Angelus poteſt de vno loco ad alterum moueri motu diſcreto. Hæc concluſio, communis eſt Doctori, & Diuo Thomæ. Et probatur. Motus diſcretus Angeli ſemper fit, quoties Angelus totalem & adæquatum locum ſimul, & non per partes relinquit, & aliud etiam locum ſimul etiam totum & non per partes acquirit, ſed poteſt Angelus ſimul, & ſine ſucceſsione partium deſerere totum terminum à quo, & eodem modo acquirere, totum terminum ad quem: ergo poteſt moueri ab vno loco in alterum motu *Prima cõcluſio.*

locali

locali diſcreto. Antecedens patet à diffinitione motus diſcreti. Minor autem probatur. Quia ſubſtantia Angeli eſt indiuiſibilis, & eſt in loco diuiſibili, & extenſo, modo indiuiſibili: ergo poteſt ſimul, & in inſtanti deſerere totum locum in quo, & eodem modo, acquirere alterum locum, licet vterque ſit diuiſibilis.

¶ Secundò, ex eo corpus non poteſt ſimul & in inſtanti ſecundum ſe totum deſerere totum locum in quo, & eodem modo acquirere locum ad quem, quia cum ſit diuiſibile & extenſum, habet partes reſpondentes partibus loci: & ex conſequenti, neceſſe eſt, quod vltima eius medietas prius egrediatur vltimam lineam loci, id eſt, quod prior pars mobilis, prius ſit in parte ſpatij, quam in poſteriori, quia non poteſt tranſire ad diſtantem locum niſi per medium. Et ſic vltima eius medietas prius egreditur vltimam lineam loci, in quo eſt, & ingreditur alium locum, quam prima medietas, quia ſecunda medietas minus diſtat ab ea linea, & ab alio loco: quam prima, ſed Angelus eſt totus in toto, & totus in qualibet parte. vnde ſimul eſt totus in parte propinqua loci, & in parte remota, ergo bene poteſt Angelus ſimul deſerere aliquem locum diuiſibilem, & eodem modo acquirere alterum.

Secunda concluſio. ¶ Secunda concluſio. Motus diſcretus Angeli poteſt ſe extendi ad plura loca, ita vt in quolibet eorum poſt primum: ſit Angelus tantum vnico inſtanti temporis diſcreti, & deſerendo ipſum ſimul, & indiuiſibiliter, acquirat eodem modo alterum. Hæc concluſio probatur. Quia nulla eſt ratio propter quam illud inſtans in quo Angelus poſitiuè incipit eſſe in ſecundo loco: non poſsit eſſe vltimum exiſtentiæ in ipſo, aut cur non poſsit Angelus deſerere ſimul, & indiuiſibiliter ſecundum locum, ſicut primum. Et ſic de reliquis locis ſequentibus. Sed de primo loco ad ſecundum poteſt moueri motu diſcreto, ergo & motus diſcretus Angeli poteſt fieri non ſolum inter duo loca: ſed etiam ſucceſsiuè extendi ad plura alia.

¶ Secundò. Si aliqua ratione hoc eſſet impoſsibile, maximè quia impoſsibile eſt, quod Angelus pertranſeat plura loca, niſi interpoſita quiete in aliquo eorum, ergo etiam eſt impoſsibile, quod motus diſcretus Angeli extendatur plus quam ad vnum terminum ad quem. Patet conſequentia. Nam motus diſcretus debet eſſe vnus, ſaltem eo modo quo entia diſcreta habent vnitatem: conſtat autem quod non poteſt eſſe vnus, vbi interponitur aliqua quies, aliàs, nulla poſſet reddi ratio cur ex omnibus motibus vnius Angeli non fieret vnus motus. Antecedens vero probatur. Quia ſi exiſtentia Angeli in vno loco ex illis coexiſteret tantum in inſtanti noſtri temporis, neceſſarium eſſet, quod exiſtentia in loco ſequenti coexiſteret tempori, & ex conſequenti in eo loco permaneret Angelus tempore aliquo diuiſibili, prius quam tranſiret ad aliud, atque adeo, quod quieſceret in eo, quia quieſcere eſt eodem modo ſe habere aliquo tempore in ordine ad locum. Sed iſta ratio nihil probat, ergo. Probatur minor: nam antecedens, quod ſupponit falſum eſt, ad probationem vero dicitur concedendum eſſe quod ſi exiſtentia Angeli in vno loco coexiſtat in inſtanti noſtri temporis, neceſſarium eſt, quod exiſtentia in loco ſequenti coexiſtat tempori, quia in tempore noſtro: non dantur duo inſtantia immediata. Negandũ tamen eſt, inde ſequi, quod quieſcat in loco ſequenti: quia verè in eo mutato ad locum mutatione quadam inſtantanea, & cõſtituente vnum motum diſcretum, cum mutationibus quæ fiunt in alijs locis, per quæ Angelus mouetur motu diſcreto. Et ratio huius eſt, quia toto illo tempore durauit acquiſitio illius loci, quod ſatis eſt, vt Angelus dicatur mutari ab eo. Et præterea, quia Angelus non acquirit illum locum, vt vltimum terminum, ſed vt medium, & viam ad aliud, & propter acquiſitionem vnius loci conſtituit vnum motum cum mutationibus quæ fieri debent in alijs terminis. Quoniam reſpectu præcedentium habet rationem actus, & termini, & reſpectu ſequentium habet rationem medij, atque fieri. Quomodo autem duret toto illo tempore acquiſitio illius loci explicabitur infra in ſolutionibus argumentorum.

¶ Neque obſtat, quod toto illo tempore habeat ſe Angelus eodem modo in ordine ad locum, id eſt, quod toto illo tempore ſit in eodem loco, tum, quia non eſt in eo permanenter, ſed vt in via & tendentia ad vltimum terminum: tum etiam quia non eſt, in eo vt in facto eſſe, excludente

fieri, ſed habente adiunctum ſuum fieri, quia nunquam eſt, ita vere dicere in illo tempore locum illum eſſe acquiſitum, ita vt non ſit verum dicere tunc acquiri: quoniam ſimul acquirit, & acquiſitus eſt. Et tandem, quia exiſtentia Angeli in illo loco, non dicitur durare illo tempore, tanquam menſura ſuæ durationis, ſed ſecundum correſpondentiam, aut coexiſtentiam quandam, nam cũ propria menſura huiuſmodi exiſtentiæ ſit inſtans indiuiſibile temporis diſcreti, & huic inſtanti correſpondeat in noſtro tempore pars aliqua temporis diuiſibilis, ideo, etiam ipſa exiſtentia dicitur durare aliquo tempore ſecundum coexiſtentiam. Quod vero dicimus id quieſcere in loco, quod eodem modo ſe habet aliquo tempore in ordine ad locum, intelligitur de loco habente rationem termini, & non viæ, & de exiſtentia in loco in facto eſſe, & nõ in fieri, & de tẽpore habente rationem menſuræ reſpectu exiſtentiæ in loco.

Reſpondetur Argumentis.

Reſp. arg. ad primũ. ¶ Ad primum concedendo maiorem, & negando minorem, & ad probationem dicitur quod ſolutio ibidem tradita bona eſt, & ad impugnationem reſpondetur concedendo neceſſarium eſſe quod ſi vni ex illis inſtantibus reſpondet in noſtro tempore aliquod inſtans, alteri reſpondeat inſtans temporis diuiſibile; & indifferenter poſſe cuicunque eorum reſpondere, aut inſtans, aut tempus: neque in hoc eſt aliqua difficultas, præter propoſitam in argumento, ſcilicet, quomodo tam deſitio termini à quo, quam acquiſitio termini ad quem, ſit indiuiſibilis, hoc eſt fiat tota ſimul, & non per partes, & tamen quæuis earum correſpondere poſsit tempori diuiſibili & habenti partes: aut quod idem eſt, quomodo Angelus deſinat eſſe in termino à quo, per vltimum ſui eſſe, & incipiat eſſe in termino ad quem, per primum ſui eſſe, ſed quodlibet iſtorum poteſt eſſe in tempore cuius neque primum neque vltimum datur. Reſpondetur enim non eſſe inconueniens, inceptionem, aut deſitionem indiuiſibilem alicuius rei fieri in tempore, quando non ſit in eo per ſe, tanquam in propria menſura, ſed per accidens, & ſecundum quandam coexiſtentiam, quia non eſt iudicandum de natura durationis alicuius rei, per ordinem ad quancũque aliam durationem, cui coexiſtit: ſed per ordinem ad eam, quæ habet rationem menſuræ reſpectu ipſius: & ita, exiſtentia Angeli in termino à quo dicetur deſinere indiuiſibiliter, & per vltimum ſui eſſe, & in termino ad quem incipere per primum ſui eſſe, quia quod ita deſinit, & incipit per ordinem ad propriam menſuram (id eſt ad tempus diſcretum) licet incipiat aut deſinat coexiſtendo parti diuiſibili noſtri temporis, ſicut eſſe ſubſtantiale Angeli nonminus incipit, aut deſinit indiuiſibiliter, quam exiſtentia in loco, & tamen non repugnat, quod ſuum primum, aut vltimum eſſe coexiſtat tempori noſtro, alias non poſſet vnus Angelus creari immediatè poſt alium per reſpectum ad noſtrum tempus, quia ſi creatio primi coexiſtit in inſtanti noſtri temporis, neceſſarium erit, quod creatio ſecundi coexiſtat tempori, quia non dantur in tempore noſtro duo inſtantia immediata.

Obiectio. ¶ Quod ſi arguas, quia videtur impoſsibile quod acquiſitio termini ad quem coexiſtat tempori habenti partes, & fiat ſimul & indiuiſibiliter: nam vel illa acquiſitio in fieri coexiſtit ſecundum ſe totam toti tempori, & ſecundum diuerſas partes diſtinctis partibus temporis, ita, vt tantum vna pars eius reſpondeat vni parti temporis, & altera alteri, aut tota coexiſtit ſimul toti tempori, & tota ſingulis partibus. Si primum, ſequitur euidenter, quod illa acquiſitio non fiat tota ſimul, ſed ſucceſsiue, & per partes. Secundum vero dici non poteſt, quia ſi in qualibet parte illius temporis fit tota acquiſitio: ſequitur quod fiat infinities, quia in quolibet tempore ſunt infinitæ partes.

¶ Item, quia impoſsibile videtur, quod tota illa acquiſitio fiat in priori parte illius temporis, & etiam in poſteriori: quia ſi verbi gratia, fit tota in illa medietate temporis, ergo nihil ſupereſt de ea, quod in ſecunda medietate fiat, niſi eadem iterum fiat.

Confir. 1. ¶ Confirmatur primo. Quia punctus quoniam indiuiſibilis, non poteſt ſimul coexiſtere ſpatio diuiſibili, ergo eodem modo acquiſitio illa termini cum ſit indiuiſibilis, & careat partibus non poterit ſimul coexiſtere tempori, quod habet partes.

Confir. 2. ¶ Confirmatur ſecundo. Quia duæ medietates temporis non poſſunt eſſe ſimul, ſed adue-

adueniente ſecunda recedit prima, & idem eſt de alijs partibus, ergo illa acquiſitio termini non poteſt ſimul coexiſtere toti alicui tempori. Et idem poteſt obijci contra coexiſtentiam deſitionis termini à quo, cum tempore.

Solutio. ¶ Reſpondetur ergo, quod illa acquiſitio in fieri coexiſtit tota toti tempori, & tota cuilibet parti eius: nam ſicut in facto eſſe poteſt hoc modo coexiſtere alicui tempori, ita etiam poterit in fieri, non enim maior ratio repugnantiæ eſt in vno quam in altero. Neque valet conſequentia, qua inde colligitur, quod fiat infinities, quanuis in quolibet tempore ſint infinitæ partes: tum, quia non ſit per ſe in tempore, ſed per accidens, & ratione coexiſtentiæ quam inſtans temporis diſcreti (in quo per ſe ſit) habet ad tempus, & ideo, ſicut inſtans illud non habet eſſe infinities ratione coexiſtentiæ ad tempus habens infinitas partes, ita neque acquiſitio loci, quæ mediante ipſo coexiſtit eidem tempori: tum etiam, quia acquiſitio illa termini coexiſtit toti illi tempori, & partibus eius, vna coexiſtentia totali tantum, & fit in eis vna productione totali: neque oportet multiplicari exiſtentias, aut acquiſitiones in fieri ad multiplicationem partium, & ideo non dicitur eſſe, aut fieri infinities in illis partibus, quia infinities eſſe, aut fieri ſonat habere multas, & infinitas exiſtentias, aut fieri infinitis productionibus.

Nota hoc. ¶ Et ad hoc ſunt plura exempla, in quibus propter hanc rationem ſimilis conſequentia eſt neganda: nam in primis, multa ſunt quæ in facto eſſe coexiſtunt modo indiuiſibili rebus diuiſibilibus, & habentibus infinitas partes, & tamen non ob hoc dicuntur exiſtere infinities. Sicut verbi gratia, Angelus ſecundum ſuum eſſe ſubſtantiale coexiſtit tempori noſtro diuiſibili, & loco, ſiue ſpatio reali. Similiter anima rationalis corpori, & corpus Chriſti hoſtiæ conſecratæ, & ſunt alia quam plurima, quæ in fieri coexiſtunt eodem modo rebus habentibus partes, & tamen non dicuntur fieri multoties, aut infinities, ſed quodlibet eorum vna productione totali fit ſimul ſecundum ſe totum reſpectu totius rei, & partium ipſius cui coexiſtit, dum fit: quia anima rationalis creatur tota in toto, & tota in qualibet parte corporis, quod incipit informari, & tota in ſingulis partibus eius, & tamen non dicitur creari multoties. Similiter ſi formæ brutorum perfectorum ſint indiuiſibiles, vt multi exiſtimant, de quauis earum erit verum dicere, quod educitur tota ſimul de tota materia, quam incipit informare, & tota de ſingulis partibus eius, & tamen ſemel tantum, & non multoties, aut infinities educitur. Et vltimo, corpus Chriſti, licet per tranſſubſtantiationem incipiat totum ſimul eſſe in tota hoſtia conſecrata, & totum in ſingulis partibus eius, non ideo dicitur terminare multoties tranſſubſtantiationem. Ex quibus omnibus conſtat, nullam habere difficultatem id quod vlterius obijcitur, ſcilicet, non poſſe acquiſitionem termini ad quem, fieri in ſecunda parte temporis, ſi facta eſt in prima, niſi iterum fiat, nam in hoc ſupponitur neceſſarias eſſe duas acquiſitiones, hoc tamen falſum eſt, quia tantum vna acquiſitio eſt, quæ tota reſpondet toti illi tempori, & ſingulis eius partibus. Et idem dicendum eſt in aliquibus ex inſtantijs ſupra adductis.

¶ Ad primam confirmationē reſpondetur, quod ſicut punctus in motu poterit coexiſtere lineæ iuxta ipſum motū, ita etiam acquiſitio illa, licet ſit indiuiſibilis, poterit coexiſtere tempori ſuccedenti. *Ad primā confir.*

¶ Ad ſecundam confirmatur reſpondetur, concedendo antecedens & negando ſequelam, quia cum dicitur, totam acquiſitionem termini ſimul coexiſtere tempori, non eſt ſenſus partes temporis exiſtere ſimul, & permanenter, ſed ipſam acquiſitionem fieri ſimul, & indiuiſibiliter, & ita coexiſtere tempori habenti partes diſtinctas, & non permanentes, quod fieri poſſe explicatum eſt exemplo puncti. *Ad ſecundum.*

¶ Ad ſecundum principale reſpondetur, ſolum eſſe de ratione motus continui, quod ſit tranſitus medius inter terminos, vel quia mobile partim eſt in termino à quo, & partim in termino ad quem, vel quia verè eſt medius inter terminos ſaltem quo ad eorum extrema: quoniam, eo motu paulatim, & per partes relinquitur vnus terminus, & acquiritur alter, & ideo neceſſarium eſt, quod mobile aliquando ſit in medio extremorum vtriuſque termini: ita, vt neutrum eorum attingat: at vero in motu diſcreto, non eſt hoc neceſſa- *Ad ſecundum.*

 rium,

rium, quoniam ſimul relinquitur totus terminus à quo, & eodem modo acquiritur totus terminus ad quem. Vnde ad rationem motus in communi, vt abſtrahit à continuo & diſcreto, non requiritur tranſitus medius inter terminos, ſed ſufficit deſertio vnius termini, & acquiſitio alterius, ſiue fiat medio illo tranſito, ſiue immediatè, ſine tali tranſitu.

Ad confir. ¶ Ad confirmationem reſpondetur, negando paritatem rationis, & ratio eſt, quia licèt generatio, & corruptio ſint duæ mutationes diſtinctæ, & non conſtituant vnum motum, etiam diſcretum: non ſequitur, eſſe dicendum idem de deſertione vnius loci, & acquiſitione alterius, quæ reperitur in motu diſcreto Angeli: & ratio diſcriminis eſt, quia expulſio vnius formæ non eſt per ſe neceſſaria ad introductionem alterius, quæ fit media generatione, ſed ſolum habet connexionem cum ea ratione materiæ, quæ neque poteſt eſſe ſine omni forma, neque poteſt habere duas formas ſimul: at vero receſſus à loco per ſe requiritur ad motum localem, quia non poteſt intelligi, quod mobile accedat ad vnum locum medio motu locali, niſi recedendo ab altero tanquam à termino à quo.

Ad tertiũ. ¶ Ad tertium reſpondetur. Primo ſecundum nonnullos Angelum non moueri in termino à quo, ſed in termino ad quem, aut in illius termini inter medium, ſi per illud tranſeat ad extremum, non quidem motu continuo, ſed mutatione quadam inſtantanea, quæ in quocunque termino ſimul fit, & facta eſt. Neque obſtat id quod primo obijcitur in argumento, contra hoc ſecundum, quoniam exiſtentia corporis in toto termino ad quem, incipit eſſe indiuiſibiliter per primum ſui eſſe (primum ſi quidem non eſſe motus, eſt primum eſſe mobilis, in termino) & ideo non poteſt eſſe pars motus continui. Et præterea iuxta multorum ſententiam: etiam in termino ad quem, motus continui datur quædam mutatio inſtantanea, quæ non eſt pars motus, ſed acquiſitio illius termini. Neque etiam obſtat ſecundum, quia dici ſolet, quod mouetur per reſpectum ad eundem terminum, quamuis iam ſit in eo: quia in mutationibus inſtantaneis ſatis eſt, quod fieri ipſarum præcedat ordine naturæ factum eſſe, vt ſubſtantia dicatur in eis mutari in ordine ad ſuos terminos.

¶ Iſta tamen ſolutio quantum ad primum ab alijs reijcitur, quoniam ex ea ſequitur manifeſtè, Angelum cum tantum tranſit ab vno termino ad alterum, & non procedit vlterius, non moueri motu diſcreto, ſed mutatione quadam inſtantanea: cuius contrarium apertè docet Diuus Thomas quæſtione. 53. articul. primo. Et ex hoc ſequitur vlterius, Angelum in iſto caſu non moueri in tempore, ſed in inſtanti quo acquirit terminum ad quem, quod eſt contra Diuum Thomam, articul. 3. illius quæſtionis. Et tandem ſequitur, Angelum non moueri motu diſcreto, dum eſt in termino à quo, quod eſt contra Diuum Thomam in articul. 1. in ſolutione ad primum. Vbi concedit, Angelum moueri motu diſcreto, dum eſt in termino à quo, & dum eſt in termino ad quem: neque id ſine ratione, ſcilicet, quod ipſa ſucceſsio diuerſorũ vbi circa eandem rem dicitur motus, ſed inter vbi quod Angelus habet in termino à quo, & vbi quod habet in termino ad quem, reperitur quædam ſucceſsio reſpectu eiuſdem Angeli quæ conſiſtit in hoc quod idem Angelus relicto primo acquirit ſecundum, ergo iſta duo vbi quatenus vnum ita ſuccedit alteri conſtituunt motum localem. Et ex conſequenti in vtroque quatenus eſt terminus huius ſucceſsionis, dicetur Angelus moueri. Quod ſi quæras cum Angelus dum eſt in termino à quo, non mutet locum, quomodo igitur mouetur localiter motu diſcreto in termino à quo. Ad hoc reſpondet Caietanus circa ſolutionem, ad primum illius primi articuli, vtrunque terminum poſſe diſtingui in fieri, & in facto eſſe: ſicut ſolet diſtingui quæcunque mutatio inſtantanea, & quod ratione prioris conuenit vtrique, quod in eo Angelus moueatur, non tamen ratione poſterioris.

¶ Iſta tamen explicatio non placet aliquibus: dicunt enim falſam eſſe: & ratio eſt, quia fieri (in quo conſiſtit motus localis) eſt ad locum, ſicut fieri quod reperitur in quocunque motu, aut mutatione importat habitudinem ad proprium terminum. Eſt enim fieri talis termini, ſed in termino à quo motus Angeli non eſt fieri, aut acquiri alicuius loci, ſeu vbi, ergo neque motus localis. Probatur minor, quia primo non eſt fieri termini ad quẽ, quia ſic fieri illius termini eſt ſimul tẽpore cũ exiſtentia Angeli in ipſo

in ipſo, quia ſimul eſt fieri, & factū eſſe cuiuſcunq; termini, vt ipſe Caieta. concedit. Neque etiam eſt fieri termini à quo, quia nunquam terminus à quo, comparatur ad motum, vt acquiſibilis per ipſum. Tum etiam, quia ille terminus potuit acquiri ab Angelo alio motu diſtincto, & ex conſequenti motus præſens, non poteſt habere rationem acquiſitionis reſpectu ipſius. Quod ſi dicas, terminum à quo, non comparari ad motum localem vt acquiſibilem per ipſum, ſed vt deſeribilem. Et ex conſequenti non eſſe neceſſarium motum eſſe fieri ipſius per modum acquiſitionis, ſed ſatis eſſe, quod ſit deſertio eius vt in fieri. Contra: quia cum Angelus deſerit ſimul totum terminum à quo, & acquirit terminum ad quem, nunquam eſt verum dicere, quod deſerit etiam in fieri terminum à quo, niſi cum acquirit terminum ad quem, quia in motu locali, ſimul fit acquiſitio vnius loci, & deſertio alterius: ſed in iſto caſu, non eſt acquiſitio termini ad quem (etiam in fieri). niſi cum Angelus eſt in eo, ergo neque deſertio termini à quo, & conſequenti in termino à quo, nullum fieri poteſt conſiderari reſpectu loci, neque per modum acquiſitionis, neque per modum deſertionis. Ad hoc autem reſpondent nonnulli pro Caietan. quod in termino à quo, reperitur aliqua deſertio ipſius, quæ conſiſtit in voluntate, & præparatione Angeli ad acquirendum terminum ad quem, in alio inſtanti immediato. Et hoc dicunt eſſe ſatis, vt Angelus dicatur aliquo modo moueri cum eſt in termino à quo. Iſta tamen ſolutio minus placet, quia vel voluntas illa eſt actualis deſertio termini à quo, vel voluntas ad deſerendum eum. Si primum, ergo cum Angelus habet eam, non eſt in termino à quo, vt patet ex dictis. Si ſecundum, ergo non ſufficit, vt Angelus dicatur moueri localiter, aut deſerere locum: præcipuè, quia voluntas illa non eſt formaliter motus localis, ſed principium effectiuum ipſius. Ferrara autem. 3. contra gentes, capite. 102. explicat hanc difficultatem dicens, quòd cum motus conſtet receſſu ab aliquo, & acceſſu ad aliquem terminum, rectè poteſt dici Angelum moueri in vtroque termino, cum mouetur motu diſcreto: quia in termino à quo, eſt receſſus ab eo, & in termino ad quem, eſt acceſſus ad ipſum. Quia cum detur vltimum eſſe Angeli in termino à quo, tunc dicetur recedere ab eo per poſitionem de præſenti, & negationem de futuro: & cum detur primum eſſe in termino ad quem, tunc dicetur Angelum accedere ad ipſum per poſitionem de præſenti, & negationem de præterito. Iſta tamen ſolutio falſo nititur fundamento, nempè quod Angelus dum eſt in termino à quo recedit ab ipſum.

¶ Alij autem aliter explicant prædictam difficultatem, ſcilicet, qua ratione ſit verum, quod Angelus in vtroque termino mouetur motu diſcreto, aduertendo motum diſcretum non eſſe aliud, quam ſucceſsionem diſcretam diuerſorum vbi, circa eandem rem exiſtentem in loco. Et ideo, neceſſarium eſt quod conſtet diuerſorum vbi totalibus, tanquam partibus, & quod iſta vbi quatenus fiunt partes, non ſint permanentia, ſed habeant inter ſe mutuum ordinem ſucceſsionis, ita vt primo tranſeunte ſuccedat ſecundum. Ex quo fit, vt cum vtrunque vbi poſsit conſiderari duppliciter, ſcilicet, ſecundum ſe, & abſolutè, aut prout habent rationem termini prædictæ ſucceſsionis, motus diſcretus dicatur eſſe in quocunque eorum, conſiderato non priori, ſed poſteriori modo, & in quocunque eorum (ſic ſumpto) dicatur Angelus moueri, nam quia huiuſmodi motus eſt ſucceſsiuus, habet quod ad eius exiſtentiam non requirat, quod eius partes ſint ſimul, ſicut requiritur ad exiſtentiam numeri permanentis: ſed ſufficit realis ſucceſsio earum: quia vero eſt diſcretus, non requirit quod exiſtant ratione alicuius termini communis, in quo vniantur: ſicut neceſſarium eſt, vt exiſtat tempus continuum, aut motus continuus, ſed ſufficit exiſtentia cuiuſcunque partis, quatenus eſt alter terminus prædictæ ſucceſsionis, neque aliter poteſt explicari, quomodo exiſtat ſucceſsio aliqua diſcreta: cum enim non poſsit exiſtere niſi ſecundùm ſe, & partes, neque ſecundùm ſe, neque ratione continuatiui exiſtant ſimul, neceſſarium eſt, quod exiſtat in partibus ſingulis, quatenus vna alteri ſuccedit. Quod ita eſt concedendum in tempore diſcreto, exiſtit enim in inſtantibus,

Nota hāc explicationem.

ex quibus conſtituitur, quatenus vnum alteri ſuccedit. Similiter in oratione quæ eſt ſpecies quantitatis diſcretæ, hæc ſiquidem exiſtit in quacunque ſyllaba ſumpta formaliter in ratione menſuræ, quatenus dicit ordinem ſucceſsionis ad reliquas, cum quibus componit integram ſucceſsionem diſcretam, in quo conſiſtit oratio. Ex his patet ſolutio ad omnia quæ obijciuntur in argumento. Vt enim Angelus dicatur moueri, dum eſt in termino à quo, non eſt neceſſarium quod mutet locum, ſed ſatis eſt, quod habeat vbi importans ordinem ad alterum vbi ſibi ſuccedens. Sic enim primum vbi conſtituit cum altero ſucceſſionem diſcretam, & ſimiliter, vt dicatur moueri in termino ad quem, non eſt neceſſarium quod tunc ordinetur mediante motu ad acquirendum locum, ſed ſufficit habere vbi ſuccedens alteri vbi relicto. Hactenus de iſta quæſtione.

TEXTVS.

SED nunquid poteſt facere ſe in extremo diſtanti mutatione præciſè includente realitatem termini motus, ita quod in aliquo toto tempore ſit in A, vbi, & in inſtanti illius temporis præciſè ſit in B vbi, ita quod vbi ſit diſtans ab A, vbi per aliquod medium, in quo medio nunquam fuerit, neque in tempore, neque in inſtanti. Videtur probabiliter quod non, quia ordo præfixus à ſuperiori agente videtur eſſe neceſſarius cuicunque agenti inferiori, quando habet actionem præciſè circa talia ordinata. diſtinctione ſecunda, quæſtione vltima, litera B.

EXPLICATIO LITERÆ.

HÆC litera Doctoris melius explicabitur in quæſtione: ideo ſit titulus quæſtionis.

QVÆSTIO IX.

¶Utrùm Angelus poſſit moueri de extremo ad extremum diſtans, nõ tranſeundo per medium?

DE hac re eſt prima ſententia quorundam ſuper primã partem Diui Thomæ, quæſtione. 53. articulo ſecundo, quæſtione. 1. concluſione prima, aſſerentium, quòd quando Angelus mouetur motu diſcreto, id quidem fieri poteſt ſine tranſitu per medium. Quam ſententiam dicunt Diui Thomæ ibi, & Capreoli in ſecundo diſtinctione. 6. Durandi in primo, diſtinctione. 37. quæſtione ſecunda. Marſili. in ſecundo, quæſtione 7. articulo ſecundo. Et Ferraræ. 3. contra gentes, capitul. 102. Henrici quodlibeto 4. quæſtione. 13. Ægidij in primo, diſtinctione. 37. quæſtione. 12. & Carthuſiani ibidem quæſtione quarta. quam ſentẽtiam dicunt non ſolum probabilem, ſed veram. *Primum dictum.* Probant autem ſuam ſententiam, ſuppoſito quodam fundamento, ſcilicet, quod tota ratio propter quam incredibile viſum eſt, poſſe Angelum moueri ad extrema loca in pertranſito medio eſt, quia aduerſarij in fundamento recedunt à Diuo Thoma, exiſtimantes in Angelo rationem exiſtendi in loco eſſe ſuam ſubſtantiam. Sed dato ſemel, quod ſit per operationem tranſeuntem, vel per contactum virtualem, & applicationem ſuæ virtutis, Sanctiſsimi præceptoris ſententia euidens apparet. Et probatur. Nam Angelus ſecundum ſuam ſubſtantiam non pendet à loco, neque à conditionibus loci, ſed liberè ſua voluntate ſe applicat loco, ergo poſtquam fuerit applicatus vni loco, etiam adæquato ſibi, poterit ſimul totum illum deſerere, & alteri adæquato loco virtutem ſuam applicare, ſiue ille locus ſit immediatus priori loco, ſiue diſtans. *Primum argum.*

¶Secundò. Si motus Angeli poſſet fieri in inſtanti (vt credit Scotus & ſui) ſequitur, quod Angelus in vnico inſtanti deſcenderet de cælo ad terram, & omnia loca intermedia pertranſiret, ſiquidem non poteſt tranſire de extremo ad extremum niſi per medium. Sequela patet. Nam tunc in vno inſtanti ſimul eſſet in loco maiori quam ſit locus adæquatus Angeli. *Secundum argum.*

¶Tertiò. Angelus poteſt moueri motu diſcreto, ergo poteſt moueri de extremo ad extremum ſine medio. Probatur conſequen- *Tertium argum.*

ſequentia. Nam ſi pertranſiret per medium, omnia media per contactus diſcretos contingeret: hoc autem eſt impoſsibile, quia media loca tunc infinita, infinita vero non poſſunt pertranſiri per diſcretos contactus, quia hoc eſſet actualiter numerare infinita, nam ſi motus diſcretus in hoc differt à continuo, quod in continuo ante quolibet mutatum eſſe præcedit moueri, ita vt non detur primum mutatum eſſe, in diſcreto autem datur primum mutatum eſſe, optimè colligitur, ſi illud mutatum eſſe præceſsit per medium moueri, impoſsibile eſſe quod mediante vno mutato eſſe, infinita media pertranſierit, per quæ tranſit Angelus: nam illa ſunt infinita, hoc autem nonſequitur, quando Angelus mouetur motu continuo, nam tunc non pertranſit omnia media aliquo indiuiſibili, ſed ipſo motu continuo, qui eſt etiam infinitus in potentia, & tunc pars motus reſpondet parti ſpatij, ergo.

Quartum argum. ¶ Quarto. Quia non implicat contradictionem aliquod mobile aranſire de extremo ad extremum, non attingendo medium, ergo non repugnat hoc eſſe poſsibile Angelo naturaliter, cum ſpiritus ſit. Antecedens probatur. Quia non apparet huiuſmodi implicatio, imo vero in conſecratione Euchariſtiæ, corpus Chriſti (quod eſt in cælo) fit præſens terræ ſine medio tranſitu. *Confirm.* ¶ Confirmatur. Quia ſubſtantia ſpiritualis eſt independens ab ſpatio.

Quintum argum. ¶ Quintò. Angelus applicando virtutem applicat ſe ad locum, ſed virtutem (quam nunc habet applicatam hic) poteſt immediatè poſt hoc applicare ad corpus diſtans, ergo & ſubſtantiam. *Confirm.* ¶ Confirmatur. Angelus poteſt (cum non dependeat à loco) relinquere ſimul totum locum, & accipere totum alium proximum, ergo poterit immediatè tranſire ad vltimam partem loci contigui, non occupando proximam, nam poteſt occupare totum illum locum ſimul, ergo poterit occupare vnam partem, omittendo aliam, nam nulla videtur eſſe dependentia, ergo poteſt tranſire ad partes extremas relictis medijs.

Sextum argum. ¶ Sextò & vltimò. Quia aliàs Angelus non poſſet moueri niſi in tempore continuo ſucceſsiuo, quod eſt contra Sanctos aſſerentes, quod poteſt moueri ſubito ad quemcunque locum, ergo.

Secundum dictum. ¶ Secundò aſſerunt (ſuppoſita probabili ſententia quòd Angelus poteſt tranſire de loco ad locum ſine medio) non eſt improbabile prorſus, dicere Angelum poſſe id facere, non tantum in motu diſcreto, ſed etiam in continuo. Addunt tamen, hoc ipſos non credere, non tamen apparere improbabile. Probant iſtam ſententiam, quia poteſt Angelus acquirere locum diſtantem, non tantum inſtantaneè; ſed etiam ſucceſsiuè, quæ ſucceſsio non conſiſtit in tranſitu partium ſpatij contigui, ſed in tranſitu diſtantis loci, ita, vt prius occupet vnam partem, quam aliam, & prius minorem, quam maiorem, neque poſsit deſignari pars primo occupata. Neque in hoc eſt noua impoſsibilitas, neque eſt quod neceſsitet Angelum ad acquirendum inſtantaneè locum, nam quantum ad hoc, eodem modo ſe poteſt gerere Angelus circa locum illum diſtantem, ſicut circa proximum, nam in hac opinione diſtantia ſpatij circa locum Angeli eſt, ac ſi non eſſet, ergo poteſt ille motus eſſe continuus in ordine ad durationem, & in rigore, licèt in ordine ad ſpatium poſſet dici aliquo modo diſcretus. Eſt tamen aduertendum, ſolum dici hunc motum eſſe continuum in acquiſitione termini ad quem, quia in deſertione termini à quo, neceſſario deberet eſſe ſimul, & inſtantaneus ita vt in vno inſtanti, deſereret totum terminum à quo, in inſtanti (inquam) intrinſeco per vltimum eſſe in termino à quo.

Secunda ſententia. ¶ Secunda ſententia eſt aliorum, qui quamuis fateantur Angelos eſſe in loco per ſuã ſubſtantiam, adhuc tamen fatentur cum ſententia præcedente, Angelum poſſe tranſire de extremo ad extremum, non tranſeundo per medium. *Primum argum.* Probant autem iſtam ſententiam ſupponendo tamen dari primũ non eſſe Angeli in termino à quo, & in omnibus partibus eius, quod eſt primum eſſe in termino ad quem. Ex quo ſic. Si in illo inſtanti conſideretur Angelus prior ordine naturæ, quam ſit in termino ad quẽ, non magis diſtat à loco extremo reſpectu termini à quo, quam ab intermedio, ergo reſpectu Angeli non magis vnus locus habet rationem medij, quam alius, & ex conſequenti, poteſt tranſire immediatè ad quemlibet eorum. Patet conſequentia.

Quia

Quia ſi reſpectu Angeli non eſt ordo ſubſtantiæ ſitualis inter loca, nulla poteſt reddi ratio propter quam neceſſarium ſit, Angelum prius peruenire ad vnum, quam ad alterum. Antecedens autem probatur. Quia Angelus ſic conſideratus nec ratione ſui, nec ratione loci diſtat magis ab vno loco, quam ab alio, ſed quantum ad hoc, ita ſe habet, ac ſi eſſet nullibi.

Confirm. ¶Confirmatur. Quando Angelus mouetur motu diſcreto, incipit ſimul eſſe in toto termino ad quem, ergo prius ordine naturæ debet eſſe æquè indiſtans negatiuè ab omnibus partibus eius, & ex conſequenti poterit indifferenter incipere eſſe in qualibet medietate ſola illius termini, ſiue ſit prima, ſiue vltima. Patet ſecunda conſequentia. Quia reſpectu Angeli ita conſiderari neutra habet rationem primæ, aut proximioris, magis quam altera. Prima etiam probatur. Quia aliàs, neceſſarium erit, quod Angelus prius incipiat eſſe in vna parte termini ad quem, quam in alia, ſcilicet, in proximiori, atque adeò non mouebitur motu diſcreto.

Tertia ſententia. ¶Tertia ſententia eſt Alexandri Alenſis 2. parte, quæſtione. 33. membro. 2. dicentis, quòd cum Angelus mouetur localiter, mouetur per medium. Aduertit tamen, quod moueri per medium dicitur dupliciter. Vno modo, quando vna pars eius quod mouetur eſt in vna parte loci, & alia in alia: ſic fit motus per commenſurationem mobilis, & magnitudinis: & ſic Angelus non poteſt moueri per medium, ſed ſolum modo corpus, cum Angelus non habeat partem, & partem, nec commetiatur ſe partibus loci, ſicut corpus. Alio modo dicitur moueri per medium, quod licet non ſit ſecundùm vnam partem ſui in termino à quo, nec ſecundùm aliam in termino ad quem, neque ſit motus per commenſurationem mobilis loci, ſiue magnitudinis, reſpicit tamen & terminum à quo, & terminum ad quem, & hoc modo Angelus dicitur moueri per medium, vnde cum eſt in illo medio ſpatio, non eſt in illo loco, à quo recedit, neque in illo ad quem tendit, ſed habet relationem ad vtrumque terminum, licèt pars eius non ſit in vno, & pars in alio. Sed tunc quæritur, quare neceſſe ſit Angelo pertranſire medium in motu ſuo. Ad quod reſpondetur, quod hoc exigitur ratione motus localis, oportet enim in motu locali, & generaliter in omni motu differente à mutatione, quod oportet ibi eſſe rationem medij, differentem à ratione terminorum, ſcilicet, termini à quo, & termini ad quem, quod non oportet in mutatione, ſed cum mutatum eſt, ſtatim eſt in altero termino, ſcilicet, in termino ad quem. Neque oportet ibi medium eſſe differens ab extremo, ſiue à termino, quia ergo in motu oportet de neceſſitate eſſe differentem ab vtroque extremo, ideo cum Angelus mouetur localiter, neceſſe eſt quod moueatur per medium, quia alio modo non poſſet intelligi moueri localiter.

Sententia Doctoris. ¶Quarta ſententia eſt Doctoris, pro cuius explicatione eſt primo notandum cum ipſo hic, quod extrema inter quæ fit motus poſſunt conſiderari dupliciter. *Notab. 1.* Vno modo, vt ſunt duo vbi diſtincta, inter quæ non eſt aliquid medium, quod nihil eſt extremorum. Secundò modo poſſunt extrema conſiderari, quod ſint immediata duo vbi, inter quæ non eſt medium, quod ſit diſtinctæ rationis ab ipſis extremis, ſed ſunt aliquid illorum extremorum.

Notab. 2. ¶Secundò eſt notandum, quòd motus Angelorum eſt in duplici differentia: quidam eſt continuus, & quidam diſcretus, (vt dictum eſt in quæſtione præcedente) inter quos hæc eſt differentia, quod quando Angelus mouet ſe motu continuo, vt ibi dictum eſt, & optimè aduertit Gratianus de Brixia ſuper iſtam quæſtionem Doctoris, non totaliter primo relinquit primum vbi, ſiue locum, ſic quod ſit in inſtanti in alio vbi, ſiue loco, ſed paulatim deſerit locum primum, & paulatim acquirit locum ſecundum: ex quo neceſſario ſequitur, quod neceſſario debeat tranſire per loca media ordinata à natura: at vero, quando Angelus mouetur motu non continuo, ſed motu diſcreto, qui conſtituitur ex motibus, ſiue mutatis eſſe, mutatur primo, ideſt, totaliter derelinquit primum ſpatium, & primum vbi, ſiue locum, & in inſtanti acquirit aliud vbi, ſpatium, ſiue locum.

Notab. 3. ¶Tertiò eſt notandum, quòd quæſtio iſta poteſt intelligi in duplici ſenſu: alter eſt, intra ſpheram actiuitatis Angeli: alter vero eſt, extra ſpheram actiuitatis Angeli verbi

verbi gratia, quæſtio eſt, Vtrùm ſi ſphera actiuitatis Angeli ſit tota iſta ciuitas, ex præcedenti diſputatione (de exiſtentia Angeli in loco, ſatis conſtat probabiliter poſſe dici Angelum intra ſpheram ſuæ actiuitatis poſſe eſſe in maiori, & in minori loco, hoc, vel illo, in hac, vel illa parte: quamuis non ſit in omnibus partibus illius ſpatij) An Angelus intra ſpheram ſuæ actiuitatis poſsit ponere ſe in duabus partibus diſtantibus, non tranſeundo per medium, quod eſt inter illas duas partes.

¶Secundus ſenſus eſt, extra ſpheram actiuitatis Angeli. An, verbi gratia, poſsit Angelus exiſtens in hac ciuitate, tanquam in ſphera ſuæ actiuitatis, ponere ſe in alium locum, ſiue in Romam, non tranſeundo per media ſpatia, quæ ſunt inter iſtam ciuitatem, & Romam, ſicuti ego poſſum cogitatione mea tranſire duo extrema, & non per medium, quia poſſum cogitare de Salmantica, & de Roma, nihil cogitando de locis intermedijs. An hoc modo poſsit Angelus exiſtens Salmanticæ acquirere Romam, tanquam proprium ſpatium, non tranſeundo per media loca, quia minus dependet à loco quam mea cogitatio.

Prima concluſio. ¶Prima concluſio. Loquendo de motu continuo Angeli, Angelus non poteſt moueri de extremo ad extremum, quin pertranſeat per medium. Hæc concluſio eſt Doctoris, quam communiter recipiunt Diuus Thomas & eius expoſitores. Et probatur. Nam motus continuus (vt docet Ariſtoteles 5. & 6. Metaphyſicæ) requirit medium, quod eſt aliquid vtriuſque extremi, ergo ſi Angelus mouetur motu continuo, neceſſario requirit quod pertranſeat illud medium, quod eſt aliquid vtriuſque extremi, aliàs non moueretur continuè, quia illa media ſunt ratio continuitatis motus, vt patet ex Ariſtot. 5. & 10. Metaph.

¶Secundò. Angelus tunc mouetur continuè, quando partim eſt in termino à quo, & partim in termino ad quem, non tamen eſt in termino à quo, neque eſt in termino ad quem, ergo neceſſario tranſit per illud mediũ, quod habet rationem vtriuſque extremi, & per conſequens debet tranſire per medium.

Secunda concluſio. ¶Secunda concluſio. Loquendo de motu diſcreto, quando extrema diſtant inter ſe, & non ſunt ambo intra ſpheram actiuitatis Angeli, ſed alter eſt intra ſpheram, & alter extra ſpheram, implicat Angelum tranſire de extremo ad extremum, non tranſeundo per medium. Hanc concluſionem probat Doctor, quia impoſsibile eſt ordinem naturalem præfixum à ſuperiori, ab inferiori violari, ſed Deus ſtatuit ordinem naturalem inter corpora, ſiue loca, ergo impoſsibile eſt hunc ordinem ab Angelo inuerti: ſed ordo præfixus eſt, vt inter duo loca diſtantia ſit aliquod medium, ergo impoſsibile eſt attingere illa duo loca diſtantia, ſine eo quod attingat medium.

¶Ad hoc argumentum reſpondent nonnulli, non eſſe Angelo talem ordinem præfixum, & eius virtuti motiuæ, inquantum motiua eſt in motu diſcontinuo, quia talis virtus eſt immaterialis, & abſoluta à legibus diſtantiæ, ſitualis, à qua dependet corpus mobile, & ita poteſt tranſire Angelus de extremo loco ad extremum ſine medio, quantum eſt ex parte ſua, imo vero, neque ex parte effectus alligatur virtus Angeli ad eum ordinem neceſſario obſeruandum: nam ponimus effectus diſcontinuos, quando Angelus mouetur motu diſcreto. Quando vero mouetur motu continuo, fatendum eſt, quod effectus pendet à diſtantia media, & ſituali: quocirca, quando ordo naturalis præfixus à ſuperiori eſt impoſitus inferiori, non poteſt inferior illum præterire, ſed ordo naturalis (quo corpora ſe contingunt) non eſt impoſitus Angelo, quia Angelus nullo modo continetur, aut dependet ab hoc ordine, ſed tanquam ſuperior poteſt eſſe in illo, & circa illum modo ſibi connaturali operari. Iſta tamen ſolutio non euacuat difficultatem, & in primis ſuppono, quod quæſtio noſtra ſupponit, Angelum eſſe in loco per ſuam ſubſtantiam, & non per operationem, quia ſi eſſet in loco per operationem, taliter quod (vt Thomiſtæ dicunt) quando non operatur, non eſt in loco, certum eſt, quod cum Angelus poſsit operari, circa iſtud ſpatium, nempè in iſta ciuitate, & non operari in locis intermedijs, vſque dum ſit Romæ, certum etiam eſſet quod poſſet moueri de loco extremo ad locum extremũ non tràſeũdo per locũ mediũ, qa ſpatiũ mediũ *Notabene.*

inter Romam & Salmanticam (in ordine ad Angelum ibi nihil operantem) non habet rationem loci, quia eſt ibi, ac ſi eſſet nullibi. Quapropter ſunt nonnulli docti iſſimi viri, aſſerentes ſententiam Doctoris in hac re non eſſe contrariam ſententiam Diui Thomæ, quia ſecundùm D. Thom. Angelus ſit in loco per operationem. & ſecundùm hanc opinionem non negat Doctor in principio huius quæſtionis, Angelos poſſe operari in extremis, & non in medio, vt ſi Angelus ſit in tota hac ciuitate poterit operari in angulis diſtantibus non operando in ſpatio intermedio: quare tota difficultas huius quæſtionis verſatur in ſententia aſſerentium, Angelum eſſe in loco per eſſentiam, & definitiuè, licèt ibi nihil operetur: & quia prædicti opinantes hanc amplectuntur ſententiam, ſoluendo prædictum argumentum dicentes, quòd Deus non præfixit prædictum ordinem reſpectu virtutis motiuæ motu diſcreto, vt patet ex probatione ſuæ ſententiæ ſupra aſſignatæ in ſecundo loco. Ideo contra eam ſic argumentor. Virtus motiua Angeli eſt finita & limitata, ergo non poteſt tranſire Angelus ſpatium ſibi adæquatum, niſi finitè, & limitatè. Et per conſequens non poteſt tranſire niſi tranſeundo per medium. Probatur ſequela. Angelus motu diſcreto mouetur, vt ipſi fatentur, & in termino à quo, & in termino ad quem, quaſi exiſtens in vtroque cum illo ordine, quatenus alter eſt terminus illius motus, ſed implicat quod Angelus ſit ſimul in duobus locis ſibi adæquatis, ergo implicat quod Angelus motu diſcreto moueatur à loco adæquato, ad locum adæquatum, non tranſeundo per medium. Probatur conſequentia. Sit v. g. locus adæquatus Angeli tantum ſpatiũ, quantum ambit tota iſta ciuitas, tunc ſic, reſpectu iſtius Angeli poſſunt reperiri quã plurima loca adæquata, magis & minus diſtantia in ordine ad iſtam ciuitatem, tũc ſic, Angelus non poteſt eſſe ſecundùm ſuam ſubſtantiam præſens omnibus iſtis locis adæquatis, ergo ſi mouetur ab iſta ciuitate ad locum ſibi adæquatum magis remotum, debet moueri per loca propinquiora, tanquã per medium inter iſtam ciuitatem, & illud ſpatium remotum. Probatur ſequela. Inter iſtam ciuitatem, & illud ſpatium, mediat ſpatium Angelo adæquatum, ergo non poteſt pertranſiri niſi per motum. ¶Confirmatur. Quia ſi Angelus poteſt de loco adæquato ad locum adæquatum moueri motu diſcreto, non tranſeundo per medium, ergo etiam ad quancunque diſtantiam poſſet moueri motu diſcreto, & per conſequẽs eius virtus non eſſet limitata. Probatur cõſequentia. Sit v. g. ſphera actiuitatis Angeli iſta ciuitas, circa iſtam ciuitatem extenditur eius operatio & præſentialitas, ſi ergo poteſt motu diſcreto acquirere Romæ tantum ſpatium, quantum obtinet iſta ciuitas, ergo cum ſpatium inter iſtam ciuitatem & Romam ſit maius, quam ſpatium quod iſta ciuitas occupat, agit Angelus vltra ſuam virtutem. Probatur conſequentia. Acquirit ſpatium vltra ſuam actiuitatem, ergo agit vltra ſuam actiuitatem, & per cõſequens agit vltra ſuam virtutem, quod implicat. ¶Quod ſi reſpondeas, vt reſpondet Caiet. quod Angelus poteſt agere ad quamcunque diſtantiam, quia cum Angelus relinquit vnum locum, indiſtanter ſe habet reſpectu cuiuſcunque loci, quantum ad acquiſitionem: quia moueri ad aliquam diſtantiam quanuis arguat aliquam virtutem in mouente, moueri autem ad maiorem, & & maiorem non arguet maiorem, & maiorem virtutem propter diſtantiam, ſed præciſè propter motum, & ideo quantumcunque creſcat diſtantia non eſſe neceſſarium creſcere illam virtutem. Contra. Secũdùm iſtos ſic reſpondentes, Angelus neceſſario eſt in loco, & quanuis poſſit eſſe in minori, neceſſario tamẽ habet locum adæquatum, ita quod non in maiori, & eſt in loco per ſuam ſubſtantiam, ſed implicat Angelum agere vltra ſuam virtutem actiuam, ergo & implicat agere vltra ſpatium, & locum reſpondentem ſuæ virtuti actiuæ, ſed ſpatiũ, & locus ſeruant ordinem inter ſe, quia iſtæ eſt proximior, ille vero diſtantior, ergo Angelus non poteſt de extremo adæquato, ad extremum adæquatum (diſtans per ſpatium alterius extremi adæquati) tranſire, niſi tranſeat tale ſpatiũ medium adæquatũ. ¶Secundò. Motus localis eſſentialiter eſt quædam ſucceſsio, ſed non poteſt iſta intelligi niſi inter extrema motus ſit aliquod medium per quod tranſeat mobile, ergo. ¶Ad hoc argumentum reſpondent prædicti opinantes minorem eſſe veram de ſucceſsione motus continui, non autem diſcreti, quia ad motum diſcretum ſufficit ſucceſsio diuerſorum vbi, eiuſdem rei exiſtentis

ſtentis in loco. Sed contra hanc ſolutionem ſic argumentor. De ratione motus localis inter extrema diſtantia eſt ſucceſsio, ergo requiritur medium, quod debeat pertranſiri. Probatur antecedens. Implicat intelligere extrema diſtantia, non intelligendo medium inter illa; quia ſi inter illa nullum eſſet medium, non eſſent diſtantia, ergo ſi ſunt extrema diſtantia, neceſſario requirunt medium, & per conſequens, implicat quod Angelus per ſuam virtutem relinquendo iſtud extremum, acquirat aliud diſtans per præſentialitatem ſuæ ſubſtantiæ ad illud, ſine eo quod fiat præſens iſti ſpatio intermedio, & per conſequens talis motus localis Angeli neceſſario requirit ſucceſsionem, & per conſequens, non poteſt eſſe diſcretus, ſed neceſſario debet eſſe continuus. ¶ Cōfirmatur. Quia ſi Angelus exiſtens in iſto ſpatio adæquato poteſt acquirere aliud ſpatium adæquatum diſtans, ſine ſucceſsione, ergo poteſt ſimul eſſe in loco adæquato, & non eſſe in loco adæquato. Probatur ſequela. Primum non eſſe Angeli in iſto loco adæquato eſt primum eſſe Angeli in alio loco adæquato, ergo adæquatè ſimul erit, & non erit. Quod ſi reſpondeas, reſpectu diuerſorum non eſſe incōueniens. Contra, ergo nón requiritur maior virtus in Angelo reſpectu loci adæquati immediati ad ſuum locum adæquatum, & reſpectu loci adæquati diſtantis à ſuo loco adæquato. Conſequens autem videtur inintelligibile, ergo & inintelligibile videtur, ſi Angelus eſt in loco per ſuam ſubſtantiam, quod poſsit moueri de extremo ad extremum adæquatum & diſtans, non tranſeundo per medium.

Tertia conclusio. ¶ Tertia concluſio. Loquendo de motu locali Angeli inter duo loca inadæquata, poteſt Angelus moueri de extremo ad extremum, non tranſeundo per medium. Hæc concluſio ſic explicatur: ſit v. g. locus adæquatus Angeli iſta ciuitas, poteſt Angelus eſſe in duabus partibus iſtius ciuitatis extremis, non exiſtendo in medijs, ergo & poteſt moueri de iſto extremo ad illud extremum, non tranſeundo per medium. Probatur conſequentia. Nam quanuis illud medium habet rationem medij reſpectu illorum extremorum in ordine ad aliam virtutem, vel ſi conſideretur ipſum ſpatium ſecundum ſe, non tamen habet rationem medij reſpectu illius virtutis Angelicæ, ſiue reſpectu illius Angeli, qui habet pro ſpatio adæquato totam iſtam ciuitatem, & ſic in ordine ad iſtum Angelum, & in ordine ad eius virtutem motiuam, nulla pars habet rationem medij, quanuis ipſæ inter ſe habeant rationem extremorum, & medij. Sicut v. g. in anima rationali (reſpectu corporis quod informat) totum corpus habet rationem ſpatij adæquati, & neutra pars in ordine ad animam habet rationem medij, nec rationem extremi, quia ſimul totum corpus informat & ſimul omnes partes, tota in toto corpore, & tota in qualibet parte. Quod ſi ipſa pro ſua voluntate poſſet informare totum corpus, & quamlibet partem, poſſet etiam informare partes extremas, non informando medias, quia, quanuis ipſæ partes aliquem ordinem ſeruent inter ſe, nihilominus tamen in ordine ad virtutem animæ ex æquo omnes reſpiciuntur; & ſic poſſet eſſe in capite, & in pedibus, non exiſtendo in partibus intermedijs. *Nota hoc.* Ita in propoſito, cum Angelus ſit in loco per ſuam ſubſtantiam, totus in toto, & totus in qualibet parte loci, & pro ſua voluntate exiſtens in toto, vel in partibus, poterit moueri de vno extremo loci ad aliud extremum, non tranſeundo per medium, quia nulla pars illius loci habet rationem medij reſpectu illius virtutis motiuæ Angeli.

¶ Reſpondetur argumentis.

Reſp. arg. Ad primum. ¶ Ad primum, quod tantum procedit (vt ipſi dicunt) ſi Angelus eſt in loco per operationem, vel per contactum virtualem, non tamen ſi Angelus eſt in loco per ſuam eſſentiam. Ad probationem vero (qua videtur probare intentum etiam ſi Angelus ſit in loco ſecundum ſuam ſubſtantiam) negatur antecedens, quia cum Angelus ex eo quod aliquid limitatum eſt, ſit in loco definitiuè quodammodo dependet à loco definitiuo. *Ad ſecundum.* ¶ Ad ſecundū reſpondebitur quæſtione ſequenti.

Ad tertiū. ¶ Ad tertium reſpondetur negando ſequelam, & ad probationem dicitur, quòd quando Angelus mouetur motu diſcretò, nullum eſt medium reale inter terminum à quo, & terminum ad quem, ſed tantum eſt ſucceſsio vnius termini ad alium, quatenus primum non eſſe vnius eſt primum eſſe alterius, vide quæ dicta ſunt quæſtione præcedenti.

Ad quartum. ¶Ad quartum reſpondetur negando antecedens in ordine ad virtutem finitam.

Ad quintum. ¶Ad quintum reſpondetur negando antecedens,& ratio diſparitatis eſt, quia applicatio virtutis per modum operationis in actu, ſupponit Angelum vnitum ipſi ſpatio, neque eſt in poteſtate Angeli, quòd vniatur loco,licet ſit in poteſtate eius quod vniatur tali,vel tali loco,ſed non peruertendo ordinem naturalem motus, qualis eſt vt tranſeat ad extrema per medium, quando loca fuerint adæquata.

Ad argumenta pro ſecũda ſententia. ¶Ad argumenta pro ſecunda ſententia reſpondetur, quòd tantum probant de locis inadæquatis,vt ex ſe patet, præcipuè in cõfirmatione,nam reſpectu loci adæquati vbicunque ſit ſemper eſt diſtans poſitiuè in ordine ad alium locum adæquatum. Et per cõſequens non poteſt illi approximari niſi eius ſubſtantia medio loco approximetur. Talis autem approximatio non poteſt fieri, niſi tranſeat per medium medians inter illa duo extrema,& ſic implicat, dari motũ diſcretum inter duo loca adæquata diſtantia per aliquod ſpatium reale , id eſt, quod Angelus poſsit deſerere Salmanticam, & acquirere Romam motu diſcreto,ſed motu continuo , quanuis ſubito poſsit moueri ad quemcunque locum.

TEXTVS.

NON videtur inconueniens, quin poſsit mutari in inſtãti, quia quòd terminus motus non ſtatim inducatur, hoc eſt, ex imperfectione virtutis ipſius mouentis,quæ imperfectio non eſt attribuenda Angelo,niſi aliqua neceſsitas appareret,quia dignificanda eſt natura,quãtum apparentia permittunt. diſtinct. 2. quæſt. 11. lit. C.

EXPLICATIO LITERÆ.

IN hac litera Doctor reſpondet illi quæſtioni, An Angelus poſsit moueri in inſtanti, non ponendo pro menſura motus Angelorum niſi tempus noſtrum, dicens, quod duobus modis poteſt intelligi mutatio. Vno modo quæ includat totam realitatem motus,& realitatem termini motus ad quem. Secunda vero quæ tantum includat realitatem termini ad quem motus, non tamen realitatem motus. ¶Aduertit tamen, quid ſit mutationem includere realitatem motus, & dicit: quòd illa mutatio quæ includit omnia vbi intermedia, inter terminũ à quo & terminum ad quem, & hoc in eodẽ inſtanti temporis, quanuis includant illa vbi aliquem ordinem naturæ, illa mutatio dicitur includere realitatem motus. Alia vero mutatio eſt quæ nõ includit omnia vbi, nec ſimultate naturæ, nec ſimultate temporis,ſed tantùm includit realitatem termini ad quem motus, id eſt, quia ita eſt in termino ad quem in inſtanti, ſicut ſi in tempore motus fuiſſet ad illum terminum.

¶His igitur præſuppoſitis, Doctor proponit duas concluſiones: quarum prima eſt. Angelus non poteſt in inſtanti mutari mutatione includente non tantum realitatem termini motus, ſed etiam realitatem ipſius motus. Hanc concluſionem probat, quia nõ videtur qualiter Angelus poſsit virtute ſua habere plura vbi ſibi æqualia, quia tunc ſimul eſſet in illis, & ita æquaretur illis, & nõ æquaretur, cũ eſſet in pluribus, & ita nõ æquaretur vni ſolum, cui tamen eſſet æqualis, quod implicat. ¶Secundam cõcluſionẽ aſsignat in litera, dicens, quòd loquendo de mutatione ſecundo modo, non eſt inconueniens quod Angelus poſſet moueri in inſtanti,& mutari de loco ad locum etiam diſtantem in inſtãti. Ratio Doctoris eſt, quia quòd terminus motus non ſtatim inducatur, hoc eſt, propter imperfectionem mouentis, ſed iſta imperfectio non eſt Angelo tribuẽda, ergo niſi alia neceſsitas appareat, non eſt tollendum ab Angelo, quod poſsit in inſtanti moueri. Circa iſtam tamen concluſionem non leuis ſe ſe nobis offert diſputatio. Quare ſit in hac diſputatione quæſtio vltima.

QVÆSTIO X.

¶*Vtrùm Angelus poſsit moueri in inſtanti?*

DE hac re eſt prima ſententia quorundam ſuper primam partem D. Tho. quæſt. 53. art. 3. quæſt. 1. aſſerentium, Angelum non poſſe moueri in inſtanti, nec motu continuo, nec motu diſcreto: taliter, quod implicat contradictionem motum localem Angeli eſſe in inſtanti, ſicut implicat, motum localem corporis eſſe inſtantaneum. *Prima ſententia.*

¶Vt

¶Vt autem ſuam ſententiam explicent aduertũt, quod ſumma huius quæſtionis cõſiſtit in duabus illis propoſitionibus aſſumptis à D. Tho. quarum prima eſt, quod neceſſe eſt, quieſcens in aliquo tempore, eodem modo ſe habere ante, & poſt, ſcilicet, in principio illius temporis, & in vltimo inſtanti.

¶Secunda autem propoſitio eſt. Quod mouetur autem, è contra neceſſe eſt aliter ſe habere ante, & poſt: & licèt propoſitiones iſtæ difficillimè videantur, tamen ſi terminus earũ intelligamus, faciles & claræ redduntur. Nihil enim aliud in vtraque continetur, quam oportere, & neceſſarium eſſe omnino, vt motus & quies illi ſuccedens incipiant, & deſinant modis oppoſitis, ſicuti & ſunt oppoſita: ita vt motu deſinente per primum non eſſe, quies ſuccedens, per primum ſui eſſe incipiat, & motu incipiente per vltimum non eſſe, quies antecedens deſinat per vltimum eſſe, & hoc non ſolum Ariſt. docuit, ſed ipſa ratio oppoſitionis neceſſario id requirit. Docuit enim Ariſt. 6. Phyſicorum. cap. 5. quod quanuis non detur primum, nec vltimum motus, datur tamen primum eſſe rei motæ in termino ad quem, & datur vltimum eiuſdem in termino à quo. Quando autem res eſt in termino ad quem præciſe non mouetur. Et ſimiliter quando eſt in termino à quo. Si vero aliquis nobis obijciat & opponat illud, quod idem Ariſt. docet cap. 3. & 8. nempe, quod ſicut motus, ita & quies in inſtanti eſſe non poteſt, & quod ſicut non datur primum neque vltimum motus, ita neque quietis: Reſpondetur verum eſſe hoc ſecundũ de quiete, vt opponitur priuatiuè motui: hoc enim pacto, tantum quieſcit quod moueri aptum eſt, quando & vbi aptum eſt moueri. Sed D. Tho. in hoc art. loquitur de quiete prout eſt idem quod non moueri, quo pacto euidens eſt, quod diximus: quia non moueri quod ſuccedit motui neceſſariò incipit per primum ſui eſſe, & quod antecedit motum neceſſario deſinit eſſe per vltimum eſſe. Si autem quis dicat S. Thom. docere id quod quieſcit debere eſſe eodẽ modo ante, & poſt: id autem quod non mouetur in primo inſtanti non motus, non verum eſſe, eodẽ modo ſe habere, ſicut prius, quia immediatè ante mouebatur: Reſpondetur quod D. Tho. ſignanter dicit, quod quieſcit in tempore, eodem modo ſe habere ſicut ante & poſt: id autem quod nõ mouetur in illo primo non motus, non in tempore, ſed in inſtanti quieſcit, ſumendo quieſcere modo iam dicto. Quare de illo tantũ eſt verum dicere, eodem modo ſe habere ante & poſt, de eo autem quod non mouetur, & immediatè poſt hoc mouebitur, verũ eſt dicere, eodem modo ſe habere ſicut antea. Cum ergo ita ſe habeant termini motus, & non motus impoſsibile eſt, vt aliquid primo moueatur, ſiue Angelus, ſiue corpus: quia neceſſe eſt vt ad motum trãſeat de nõ motu: non motus autem datur vltimum, ergo motus impoſsibile eſt dari primum, niſi duo inſtantia ſint immediata. Oppoſitũ autem omnino dicendum eſt de mutatione, prout diſtinguitur à motu: diſtinguitur autem hac ratione, quod mutatio eſt inter cõtradictoria, motus autem inter contraria: tranſit enim quod mutatur de non eſſe ad eſſe vel è contra. Quod mouetur autem de eſſe aliquo, aut alicubi, ad aliud vel alibi. Et hinc prouenit, vt quod mutatur, debeat incipere eſſe, & mutari per primum ſui eſſe: quia contradictoria oppoſitio eſt immediata. Quod mouetur autem, per vltimũ non eſſe: quia eſt latitudo aliqua, & continuitas inter contraria ſpatij vel magnitudinis vel intenſionis & in latitudine illã impoſsibile eſt ſumere primum: & hinc fit, vt quod deſinit mutari, debeat neceſſario deſinere per primum non eſſe: nam quod incipit mutari incipit per primum eſſe. Ex quibus ſequitur quam ſit in hac via euidẽs, & neceſſaria propoſitio Diui Tho. nempe, quod mutatio inſtantanea non poteſt eſſe immediata quieti, aut ei, quod eſt nõ moueri, quod moueri poteſt: ſed ſi eſt immediata alicui, debet eſſe neceſſario immediata motui: & ratio eſt, quia non moueri deſinit eſſe, per vltimum eſſe ſui, mutari autem per primum: ergo duo inſtantia immediata darentur, ſed cum moueri deſinat per primum nõ eſſe, ſequitur quod poteſt illi mutatio eſſe immediata, quia quod eſt primum nõ eſſe motus, eſt primum eſſe mutationis. Ex his tribus euidens eſt ſententia D. Tho. vt multis placet Theologis, nã ſi motus Angeli vere motus eſt & nõ mutatio, ſiue ſit continuus ſiue diſcretus, quia verſatur inter duo, vbi, cõtraria, ergo impoſsibile eſt eſſe in inſtãti, quia neceſſe eſt, cum mouetur Angelus, vt motus ſuccedat non motui, non motus autem deſinit per vltimum ſui eſſe, ergo impoſsibile

bile eſt vt motus incipiat per primum. Atque adeò ſit in inſtanti. Prorſus ergo repugnat vt Angelus per totam horam præcedentem quieuerit, id eſt non motus fuerit, & quod in vltimo inſtanti illius horæ moueatur. Repugnat etiam vt in vltimo inſtanti illius horæ mutetur, mutatione propriè dicta: quia hæc non poteſt eſſe immediata quieti, aut non motui, ſed tantum poteſt eſſe immediata motui.

Primum argum. ¶ His igitur ſic conſtitutis in quarta quadam concluſione ſic aſſerunt. Omnis motus localis Angeli neceſſario fit in tempore. Hanc concluſionem dicunt Diui Thomæ, & de motu continuo iam liquet, de motu autem diſcreto probatur. Motus diſcretus Angeli neceſſario componitur ex pluribus mutatis eſſe, ergo neceſſario menſuratur tempore ex pluribus inſtantibus. Quam probationem vt intelligas aduerte, quod motus Angeli componitur ex pluribus mutatis eſſe, non quomodocunque conſideratis, ſed ſecundum quod ſumuntur in quadam ſucceſsione, hoc eſt ſecundū quod alterutrum ſibi ſuccedunt, nam de ratione intrinſeca motus eſt quædam ſucceſsio, & per hoc diſtinguitur motus diſcretus à numero.

Secundum argum. ¶ Secundò. Rurſus ad hoc quod huiuſmodi mutata eſſe propriè componant motum, non ſolum requiritur, quod vnum ſit poſt aliud, ſed etiam quod deſerere hunc locum ordinetur ad acquiſitionem alterius loci, & ita vnum mutatum eſſe ad alterum. Quocirca ſi aliquis Angelus nuſquam eſſet tanquam in loco, & applicaret ſuam virtutem ad operandum in hoc loco, & finita illa operatione, non applicaret ſuam virtutem ad aliquem locum prorſus, ſed maneret ſine vllo loco, & ſine operatione, ſi deinceps applicaret ſuam virtutem alteri loco, propriè loquendo, non diceretur motus: quia nec applicatio virtutis ad hunc locum neque deſertio alterius fuit ordinata ad alterum: largo tamen modo poteſt vocari motus.

Tertium argum. ¶ Tertiò. Adde etiam, quod ſicut motus componitur ex pluribus mutatis eſſe, ita tempus diſcretum Angeli, quo menſuratur iſte motus, componitur ex pluribus inſtantibus correſpondentibus pluribus mutatis eſſe ipſius motus. Nam menſura & mẽſuratum debent proportionari, ſed motus qui menſuratur, componitur ex pluribus mutatis eſſe, vt ſunt in quadam ſucceſsione, ergo & tempus menſurans hunc motum componitur ex pluribus inſtantibus ſibi ſuccedentibus.

¶ Tandem aduerte, quod vnum mutatum eſſe Angelici motus, & vnum inſtans temporis diſcreti, nihil aliud eſt quam vnica operatio Angeli, & duo mutata eſſe, atque duo inſtantia ſunt duæ operationes ſibi ſuccedentes, quæ conſideratæ tantum ſecundum ſucceſsionem ad modum explicatum, faciunt motum diſcretum Angeli, conſideratæ vero in ratione menſuræ faciunt tempus diſcretum vt dictum fuit quæſtione 10. Huiuſmodi autem mutata eſſe, & inſtantia, non neceſſario correſpondent inſtantibus noſtri temporis, ſed indifferenter, aut parti temporis, aut inſtanti, poteſt namque vnica operatio Angeli coexiſtere vni, aut duabus horis noſtri temporis, & aliquando vni duntaxat inſtanti: ob cuius ignorantiam calumniantur Diuū Thomam, qui tenent oppoſitum, arbitrantes, quod in hoc articulo loquitur ſanctiſsimus præceptor de tempore noſtro, cum tamen ſit intelligendus de tempore proprio, quo menſurantur motus, & operationes Angelorum. Ex his planè intelligitur probatio concluſionis propoſitæ. Et confirmatur. Quando Angelus toto aliquo tempore fuit in loco. B. & in vltimo inſtanti eſt in loco D. eſſe quidem in primo loco eſt pars illius motus, ſicut vnitas eſt pars numeri, ſed eſſe in loco vendicat ſibi tempus in caſu quod ſit ſermo de tempore noſtro, nam loquendo de tempore noſtro Angelus poteſt eſſe toto tempore huius horæ in hoc loco, & in vltimo inſtanti eiuſdem horæ in alio etiam loco diſtanti, vt patet à ſimili de anima rationali, quæ toto aliquo tempore eſt in corpore, nempe dum viuit homo, & in vltimo inſtanti illius temporis nō eſt in corpore, ſed alibi. Quod patet, quia homo deſinit per primum non eſſe, ergo à potiori iure poterit eſſe Angelus, ergo ille motus Angeli fit in tempore noſtro, & ita eſt hic intelligendus Diuus Thomas. *Confirm.*

¶ Alij autem ſententiam Diui Thomæ explicantes circa iſtam quæſtionem, docent doctrinam huius articuli valde eſſe cōtrouerſam, in ea tamen aliqua eſſe, in quibus omnes debent cōuenire, pro quo aduertūr primo, quod cum nomine motus localis cōmunitet acquiſitio loci per acta, poſtquā *Alij aliter explicātes ſententiā D.Tho.*

res eſt

res eſt ꝓducta, aut virtute alteriꝰ, aut ipſius intelligatur, & hæc acquiſitio etiã reſpectu Angeli poſsit fieri, aut cõtinuè, aut ſucceſsiue, aut ſimul, & indiuiſibiliter: hic non eſt difficultas de acquiſitione cõtinua, ſiue ſucceſsiua, quia talem, certum eſt apud omnes, non poſſe fieri in vno inſtanti indiuiſibili, quia implicat acquiſitionem ſucceſsiuã, & habentem vnam partem poſt alteram poſſe fieri in inſtãti, quare tota quæſtio eſt de acquiſitione inſtantanea & ſimultanea.

¶ Secundò. Aduertunt tripliciter poſſe intelligi Angelum acquirere ſimul totum locum, primo modo, non deſerendo locum inadæquatum, in quo eſt, quanuis conſtituat ſe in maiori loco. Secundo modo non deſerendo aliquẽ locum, neque manendo in eo, ſicut v. g. ſi Angelus eſſet nullibi, tanquam in loco, & conſtitueret ſe de nouo in loco. Tertio modo deſerendo locum, & acquirẽdo alium. Iſtæ autem tres acquiſitiones loci partim conueniunt inter ſe, & partim differunt. Conueniunt quidem, quia quæuis earum fit ſine ſucceſsione. Differunt autem quia prima non eſt propriè motus localis, ſed extẽſio ad maiorẽ locũ, quia nõ eſt ſucceſsio diuerſorũ, vbi, circa eandem rem, neque componunt per modũ partis ſucceſsionem. Secunda etiam non eſt motus localis propriè, ſed mutatio, quoniam ſecundum Ariſt. 5. Phyſic. cap. 1. mutatio eſt inter terminos oppoſitos negationem & affirmationem: motus autem inter terminos poſitiuos. Et ita quod mutatur, tranſit de non eſſe ad eſſe, aut è contra: at vero quod mouetur tantum tranſit de eſſe alicubi ad eſſe alibi. Secundus autem modus acquirendi locum ſecundum noſtram ſententiam impoſsibilis eſt, cũ ſupra dixerimus ſuppoſito Angelũ exiſtere neceſſario debere eſſe alicubi. Tertius autem habet veram rationem integrandi motum diſcretum, quoniam propriè eſt pars ſucceſsionis diſcretæ qua ſuccedit vnum, vbi, poſt aliud reſpectu eiuſdem Angeli tranſeuntis de vno loco ad alterum.

¶ Tertiò aduertunt. Nullam eſſe difficultatem duas priores acquiſitiones fieri in inſtanti, vt inſtans eſt, & non vt pars componens cum altero tempus diſcretum: & merito, quia ſicut quælibet earum in ſuo termino habet eſſe indiuiſibile, & etiam abſolutum, hoc eſt, non importans ordinem ſucceſsionis ad alium terminum; ita oportet, quod quælibet earum menſuretur in inſtanti indiuiſibili, & abſoluto, nullum importante ordinem ad alterum inſtans, cum quo tempus componat diſcretũ; quoniam menſura propria, & non excedens debet eſſe menſurato proportionata: at vero de tertia acquiſitione dubitatio eſſe poteſt, cum menſuretur inſtanti, an tale inſtans comparetur ad menſuram exiſtentiæ Angeli in termino à quo, vt inſtans ad tempus, vel ſicut vnum inſtans ad aliud, ex quibus tanquam ex partibus menſuratur tempus diſcretum, quoniam talis acquiſitio nõ ſolum habet, quod ſit acquiſitio loci, ſed loci ſuccedentis alteri loco reſpectu eiuſdem Angeli tranſeuntis de vno loco ad alterum: quod eſt quærere; an quicquid in huiuſmodi acquiſitione loci habet rationem motus localis incipiat, & finiatur in vno inſtanti, tanquam in menſura totali, & adæquata: vel potius incipiat in vno inſtanti, & finiatur in altero, & ex conſequenti; totum menſuretur tempore diſcreto, conſtituto ex huiuſmodi inſtantibus: & in hoc diſſentiunt Doctores Nam Scotus & Gregorius docent poſſe Angelũ trãſire in vno inſtanti de vno loco ad alterũ, in eoque tranſitu finiri quicquid in huiuſmodi tranſitu habeat rationem motus, & ratio huius ſententiæ eſt, quia in motu locali tantum reperitur receſſus à termino à quo, & acceſſus ad terminum ad quem; ſed in iſto caſu vterque incipit, & finitur in eodem inſtanti, ergo. Patet minor, quia ſi non in eodem, ergo in priori parte, ergo mouetur ab illo dum eſt in illo. Quod ſi dicas Angelus dum eſt in termino à quo non mutat locum, ſed dicitur moueri: quia vbi, quod tunc habet, dicit ordinem ad ſequens vbi, & in ſucceſsione diuerſorum, vbi conſiſtit motus localis: Sed contra ſequitur, corpus, aut Angelum moueri in vltimo non eſſe motus continui. Patet ſequela, quia tunc habet vbi importans ordinem ſucceſsionis ad vbi ſequenti habiturum.

¶ Secunda ſententia. Addit ſententiæ præcedenti limitationem quandã dicens, quod quando Angelus mouetur de vno loco in alterum immediatè, tunc fit motus in inſtanti: ſi autem pluribus mutationibus inſtantaneis acquiratur medium, & terminus ad quem, fit in tempore diſcreto. Fundamentum huius ſententiæ quãtum ad hoc ſecundum, quod ſicut in hoc caſu mouetur

duabus mutationibus conſtituentibus vnũ motum diſcretum, ita eſt neceſſarium motum illum menſurari duobus inſtantibus componentibus vnum tempus diſcretum.

Tertia ſententia. ¶ Tertia ſententia eſt Diui Thomæ aſſerentis huiuſmodi motum non in inſtanti, ſed in tempore diſcreto fieri: pro qua ſententia talem conſtituit concluſionẽ. Primam. Nempe inſtans in quo fit acquiſitio loci, de qua expreſſa eſt diſputatio, comparatur ad menſuram exiſtentiæ Angeli in termino à quo, vt vnum inſtans ad aliud, & vna pars temporis diſcreti ad aliam, vbi ſupponitur ex ſecundo notabili hanc acquiſitionem fieri in inſtanti. Probatur concluſio. In motu diſcreto Angeli datur vltimum eſſe in termino à quo, ergo neceſſarium eſt exiſtentiam in illo termino menſurari inſtanti, & non tempore. Patet conſequentia, quia rei (quæ menſuratur tempore diuiſibili) non datur vltimum eſſe, ſicuti neque ipſius temporis.

¶ Item tempus diſcretum menſuratur inſtantibus menſurantibus ea, quæ inter ſe habent ordinem vnius ſucceſsionis diſcretæ, ſed ita ſe habent hic, ergo componunt tempus.

¶ Secundam autem concluſionem aſsignant dicentes, quod illud quod in prædicta acquiſitiõe loci habet rationem motus non fit in inſtanti, ſed incipit in vno, & finitur in alio, atque adeò totus fit in tempore diſcreto ex illis duobus inſtantibus. Probant hanc concluſionem, quia motus diſcretus Angeli conſtituitur ex duplici, vbi, habente ordinem; ſed impoſsibile eſt iſta duo (cum non ſint ſimul) eodem inſtanti menſurari, ergo. Quod ſi quis arguat contra vtranque concluſionem, quia cum poſsit contingere Angelũ eſſe in vno loco per vnam horam, & in vltimo inſtanti illius horæ eſſe in termino ad quem: Ex quo contra primam concluſionem ſequitur menſuram acquiſitionis termini ad quẽ comparari ad exiſtentiam Angeli in termino à quo, ſicut inſtans ad tempus; Et contra ſecundam concluſionem ſequitur, Angelum moueri in illo vltimo inſtanti; Reſpondent admittendo caſum, negandoque primum, quia non dicitur eſſe in illo termino Angelus, tanquam menſura ſuæ exiſtentiæ, ſed per quandam coexiſtentiam; quia inſtans temporis diſcreti in quo eſt in termino à quo coexiſtit toti horæ noſtri temporis. Secundum vero negatur, quia, vt Angelus dicatur moueri in inſtanti, in quo eſt in termino à quo, non eſt neceſſarium actu mutare locum, ſed ſufficit, ſe habituram inſtanti immediato alium locum, vnde licèt concedamus Angelum tota hora noſtri temporis cui coexiſtit illud inſtans, eſſe in termino à quo, non tamen eſt concedendum quieſcere in eo. Quare ad primum argumentum reſpondet Capreolus in ſecundo, diſtinctione. 6. quæſtione. 1. articulo. 3. ad primum argumentum. Admittens, tam acceſſum, quam receſſum fieri in inſtanti, quo Angelus acquirit terminum ad quem (quicquid Ferrara dicat tertio contra gentes capit. 102.) ſed hoc admiſſo, explicandum eſt, quid aliud reperiatur in huiuſmodi motu, ad hoc vt neceſſarium ſit aliud inſtans, quod eſt intelligendum, ſuppoſito, motum diſcretum eſſe ſucceſsionem duorum, vbi, ita quod vtrunque ſit pars motus. Ex hoc enim prouenit quod licet receſſus, & acceſſus vnico inſtanti menſuretur, neceſſarium ſit aliquod inſtans, quo menſuretur aliqua pars ipſius motus. De eo quod de motu locali obijcitur: Reſpondetur quod ſicut cum acceſſu computatur terminus ad quem, quia in eo perficitur, & completur acceſſus: ita cum receſſu terminus à quo.

¶ Ad ſecundum autem ibi iam reſponſum eſt. Ad obiectionem autem negatur ſequela, quia exiſtentia mobilis in termino à quo in vltimo eſſe motus continui eſt indiuiſibilis, & ideo non poteſt conſtituere vnam ſucceſsionem, cum acquiſitione alterius vbi, quod immediatè ſubſequitur, quia hæc fit continuò, & per partes, & ex conſequenti eſt alterius rationis ab illa: at, vero in motu diſcreto, exiſtentia vtriuſque termini eſt indiuiſibilis, & tota ſimul, & ita poteſt componi ex eis vna ſucceſsio diſcreta, in qua conſiſtit motus.

¶ Secunda vero principalis ſententia in hac quæſtione eſt Doctoris, vt patet in litera, pro cuius explicatione & totius quæſtionis eſt primo notandum, quod iſtæ duæ ſententiæ Diui Thomæ, & Doctoris in aliquo conueniunt, & in aliquo differunt, conueniunt quidem, quia in vtraque ſententia, Angelus poteſt acquirere terminum ad quem in inſtanti. Differunt tamen quia ſecundum Doctorem, tàlis acquiſitio termini ad quem dicitur verus motus localis: *Sententia Doctoris, 1. Notab.*

localis: at vero ſecundum Sanctum Thomam, talis acquiſitio non eſt dicenda motus, ſed mutatio, quia de ratione motus eſt ſucceſsio: & ſucceſsio non reperitur in vno eodemque inſtanti, ſed in alio & alio, quia cum motus localis requirat terminum à quo & terminum ad quem tanquam duo loca, ſiue duo vbi, & non quomodocunque, ſed vt dicentia ordinem inter ſe, hinc prouenit, quod requiratur aliud, & aliud inſtans, correſpondens alij & alij termino, quia in vno eodemque inſtanti indiuiſibili non poteſt reperiri talis ordo prioris & poſterioris, quia ordo adminus eſt inter duo; & propter hoc à Thomiſtis aſsignantur duo inſtantia indiuiſibilia diſcreta, habentia eſſe totale, quorum vnum non eſt pars alterius per ſe, niſi quatenus ex vtroque conſtituitur vnus motus diſcretus, ſicut exemplificatum eſt in vnitatibus numeri denarij, quarum quælibet per ſe habet eſſe indiuiſibile, & totale: quatenus tamen inter ſe ordinantur ad conſtituendum vnum numero binarium, inter ſe habent rationem partis, & partis, & prima habet rationem prioris, ſecunda vero rationem poſterioris. Ita etiam dicendum eſt iuxta ſententiam Diui Thomæ de ipſis inſtantibus indiuiſibilibus temporis diſcreti, quorum quodlibet per ſe habet eſſe totale; in ordine tamen ad motum diſcretum habet rationem partis, & partis, per modum prioris & poſterioris, ad hoc quod conſtituatur vnus motus diſcretus Angeli, qui (vt patet ex dictis) non poteſt in eodem inſtanti indiuiſibili diſcreto fieri, cum vnum inſtans diſcretum indiuiſibile non poſsit habere rationem ſucceſsionis, & per conſequens, neque motus localis, & ſic dicemus quæſtione ſequenti: in ſententia Diui Thomæ conſtituendum eſt tempus diſcretum, quod ſit menſura operationum Angeli tranſeuntium. At vero in ſententia Doctoris, quia tale tempus diſcretum ſupernacaneum cenſetur, non ſunt aſsignanda iſta duo inſtantia diſcreta, vt Angelus acquirens locum in inſtanti moueatur localiter. Vnde cum quæſtio Doctoris procedat de motu locali in inſtanti indiuiſibili; ſi nullum eſſet tempus diſcretum, neſcio qua ratione expoſitores Diui Thomæ, ſuo tempore diſcreto impugnant Doctorem. Quod ſi dicas, quare Scotus ſuo tempore continuo impugnat Diuũ Thomam, facile enim reſponderur, quod Doctor impugnat tempus diſcretum, & ex conſequenti loquitur, quando Angelus acquirit in eodem inſtanti terminum ad quem moueri localiter, etiam ſi nullum ſit tempus diſcretum.

¶ Vnde aliud eſt impugnare Diuum Thomam, quantum ad tempus diſcretum, & aliud eſt ipſos impugnare Doctorem quantum ad motum diſcretum, quare ſenſus Doctoris eſt dato, quod nullum ſit tempus diſcretum Angelorum, poſsit Angelus moueri localiter motu diſcreto, ſcilicet, deſerendo totaliter locum à quo, & acquirendo totaliter locum ad quem in eodem inſtanti indiuiſibili; & vtrùm talis acquiſitio habeat veram rationem motus localis diſcreti. *Senſus Doctoris notandus.*

¶ Secundò eſt notandum, quod motus alter eſt continuus, & alter diſcretus (& in hoc conueniunt Diuus Thomas, & Doctor) inter quos hæc eſt differentia, quod in motu continuo mouens non habet omnes partes motus ſimul, ſed ſucceſsiuè: & ob hoc dicitur de eo, quod mouetur continuè, quod partim eſt in termino à quo, & partim in termino ad quem: quia cum non deſerat ſimul terminum à quo, neque ſimul acquirat terminum ad quem; & acquirendo terminum ad quem debeat deſerere terminum à quo, ideo dicitur, quod partim eſt in termino à quo, & partim in termino ad quem. At vero, in motu diſcreto aliter contingit: quia cum motus diſcretus debeat eſſe ſimul, implicat intelligere mobile; niſi vel in termino à quo, vel in termino ad quem totaliter, alias non eſſet motus diſcretus, ſed motus cõtinuus. Cum igitur in motu diſcreto totaliter deſeratur terminus à quo, & totaliter acquiratur terminus ad quem, non poteſt intelligi aliquid moueri, vt moueri diſtinguitur contra mutatum eſſe, ſed ſimul ſunt moueri, & mutatum eſſe. *2. Notab.*

¶ Ex quo infertur, quod tunc aliquid dicetur moueri motu diſcreto, quando verum eſt dicere, mutatum eſſe, & tunc dicetur aliquid non moueri motu diſcreto, quando verum eſt dicere, non eſſe mutatum.

¶ Ex quo ſecundo infertur, quod quandiu mobile eſt in termino à quo, non dicitur moueri, quia non dicitur mutatum eſſe, ſed quando mobile eſt in termino ad quem, pro illo primo inſtanti pro quo acquirit

terminum ad quem, & pro quo verum eſt dicere mutatum eſſe à termino à quo, verum etiam eſt dicere moueri à termino à quo. Quare non ſunt ponenda duo inſtantia etiam diſcreta, in quibus quando aliquid inſtantaneè mouetur ſit per modum mouentis ſe & moti, ſed in eodem inſtanti mouet ſe, & eſt motum; quia in inſtantaneis idem eſt prorſus fieri, & factum eſſe.

3. Notab. ¶ Tertiò eſt notãdum cum Doctore, quod duplex poteſt intelligi mutatio localis, altera quæ includit totam realitatem motus, vt quando verbi gratia, Angelus moueretur per aliquod ſpatium motu ſucceſſiuo, vel applicando ſuam eſſentiam, faciendo illam præſentem omnibus partibus illius ſpatij, & hoc modo implicat Angelum moueri in inſtanti, præcipuè inter duo loca adæquata, quia non poteſt facere ſe præſentem duobus locis adæquatis diſcontinuis, præcipuè in opinione Doctoris aſſerentis Angelum eſſe in loco per ſuam eſſentiam, niſi ſucceſſione quadam, nempe deſerendo partem, & acquirendo partem illius ſpatij, quod ſuperat eius locum adæquatum. Secundo modo poteſt Angelus moueri in inſtanti, acquirendo totam realitatem termini motus, quæ à nobis acquiritur ſucceſſiuè, & ratio huius eſt, quia ex duplici cauſa motus alicuius rei corporalis non poteſt fieri in inſtanti. Prima eſt ex parte medij, quod inter vtrunque extremum mediat: ſicut verbi gratia, Inter cælum & terram mediat aër, ratione cuius, non poteſt aliquod agens tranſire de cælo ad terram, niſi tranſeundo per aërem, quia (vt diximus quæſtione præcedente) totum iſtud cælum, aër, & terra, habent talem ordinem inter ſe, quod non poteſt aliquis tranſire de cælo ad terram motu locali, niſi tranſeundo per aërem. Quare corpus Chriſti Domini exiſtens in cælo ſit ſub ſacramento; & ſit præſens ſpeciebus conſecratis, & illis rebus, quibus ſpecies ſunt præſentes, hoc non fit per motum localem, ſed per conuerſionem ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti. Et hoc adeò verum eſt, vt ſecundum multos doctiſſimos viros, illa præſentialitas non potuit fieri de potentia Dei abſoluta, niſi per illam conuerſionem ſubſtantiæ panis.

¶ Vnde quando Doctor dicit in hac quæſtione, quod motus alicuius rei corporalis non poteſt fieri in inſtanti ex parte medij reſiſtentis, intelligendus eſt, de reſiſtentia intrinſeca, quæ fundatur in naturali ordine, quæ reperitur inter ſpatia, non autem de reſiſtentia extrinſeca. *Nota hoc.* Vnde ſi inter cælum & terram eſſet vacuum, ſcilicet, locus non repletus corpore, aptus tamen repleri, adhuc tamen graue deſcendens de cælo ad terram, non moueretur in inſtanti propter reſiſtentiam intrinſecam medij, ſcilicet, propter illam non indiſtantiam, inter cælum & terram, quia quamuis nihil poſitiuum eſſet medium inter cælum & terram, eſſet tamen diſtantia inter cælum & terram, & talis diſtantia dicitur reſiſtentia intrinſeca medij. Secunda autem cauſa quare res corporalis non poteſt moueri in inſtanti, ea eſt; quia cum ſit res quantitatiua, & habeat partes quantitatiuas nõ eſt intelligibile, qualiter omnes ſimul poſſunt peruenire ad terminum ad quem, imo neceſſario prima pars prius peruenit ad medium & ad finem, quam ſecunda.

¶ Ex quo infertur, quod quando aliquod mouens non inuenit reſiſtentiam in medio, neque habet partes quantitatiuas, non eſt inconueniens poſſe moueri in inſtanti. Vnde (vt optimè aduertit Frater Gratianus de Brixia ſuper iſtam literam Doctoris) quamuis Angelus poſſit moueri in inſtanti motu diſcreto, de termino adæquato ad terminum adæquatum, intelligendum eſt, ſi inter vtrunque extremum non eſt aliquod medium reſiſtens, reſiſtentia intrinſeca tali motui, quia tunc eſſet tranſire de extremo ad extremum, non tranſeundo per medium, cuius contrarium docet Doctor quæſtione vltima. Et nos diximus quæſtione præcedẽti. Sed bene poſſet Angelus duo loca adæquata immediata deſerere, & acquirere in inſtãti, ſcilicet, quod in tota vna hora quieſcat in vno loco adæquato, & in inſtanti terminatiuo illius horæ ſit in alio loco ſibi adæquato immediatè coniuncto, quia tunc non eſt tranſire de extremo ad extremum ſine medio, ſed mutari mutatione includente non totam realitatem motus, ſed tantum terminum motus.

¶ Quarto eſt notandum, quod Angelus non eſt in loco per operationem, ſed (vt diximus in proprio loco) per ſuam eſſentiam, tanquam per rationem fundamentalem, & per voluntatem tanquam per virtutem motiuam.

¶Prima

Prima cõcluſio. ¶ Prima concluſio. Si Angelus tranſeat ab extremo adæquato ad extremum adæquatum per aliquod medium non poteſt moueri in inſtanti. Hæc concluſio communis eſt Doctori, & Diuo Thomæ, & probatur, quia motus inſtantaneus ſimul requirit deſitionem termini à quo, & acquiſitionem termini ad quem, ſed hoc non poteſt fieri in inſtanti, ſi aliquod medium reperiatur inter illa duo extrema adæquata, ergo. Probatur minor, nam non poteſt ſimul eſſe duobus locis adæquatis, vel ergo, quando deſinit terminum à quo, & acquirit terminum ad quem, ſimul tranſit per medium, vel prius eſt in medio & ſecundo in termino ad quem. Si dicas hoc ſecundum, ergo non in eodem inſtanti acquirit terminum, & medium. Si autem dicas primum, ergo Angelus ſimul eſt in duobus locis adæquatis. Probatur ſequela, & claritatis gratia, medium medians inter ambo extrema ſit tanti ſpatij quantum locus adęquatus ipſius Angeli, tunc ſic. Quando Angelus deſerit terminum à quo ſimul acquirit medium medians, & terminum ad quem, ſed medium, & terminus ad quē ſunt duo loca adæquata, ergo ſimul eſt in duobus locis adæquatis.

¶ Confirmatur. Angelus non poteſt tranſire de extremo ad extremum non tranſeundo per medium, ſed implicat eſſe in medio, & in extremo ſimul adæquatè, ergo implicat moueri in inſtanti de extremo ad extremum adæquatum, ſi inter illa eſt aliquod medium.

Secunda concluſio. ¶ Secunda concluſio. Angelus poteſt moueri in inſtanti de extremo ad extremum adæquatū, ſi inter illa nullū ſit mediū. Hæc concluſio eſt Doctoris, quam tenet Marſilius in ſecundo, quæſtione ſeptima. *Prima ratio.* Gregorius diſtinctione ſexta, quæſtione tertia. Maioris diſtinctione ſecunda, quæſtione octaua. Et probatur primo. Angelus poteſt moueri de extremo ad extremum motu diſcreto inſtantaneè, ergo ſimul poteſt relinquere totum terminum à quo, & acquirere totum terminum ad quem, ſed hoc poteſt facere reſpectu vtriuſque extremi adæquati, ergo in inſtanti relinquendo terminum adæquatum poteſt acquirere terminum adæquatum. Probatur maior, illa mutatio eſt tota ſimul, ergo eſt inſtantanea. Probatur antecedens illa mutatio non eſt per partes, ergo tota ſimul. Probatur antecedens. Angelus exiſtit in loco totus in toto, & totus in qualibet parte, ergo agens ſecundum vltimum ſuæ potentiæ ſimul acquirit totum, & quamlibet partem: ſed illa mutatio qua ſimul acquiritur totum, & quælibet pars eſt mutatio inſtantanea, ergo. Probatur minor, quia ex eo illuminatio dicitur inſtantanea, quia ſimul totum, & qualibet pars illuminabilis illuminatur: patet, quia ſi illuminabile illuminaretur per partes, eſſet illuminatio ſucceſsiua, ſicuti & motus continuus ex eo ſucceſsiuus eſt, quia per partes acquiritur terminus ad quem, & non totus ſimul. Quod autem Angelus ſimul deſerat vnum terminum adæquatum, & ſimul acquirat totum alium patet, quia Angelus deſerit terminum adæquatum, acquirendo aliquod ſpatium, ergo ſimul acquirendo terminum adæquatum. Patet ſequela, quia poteſt agere ſecundū vltimum ſuæ potentiæ, ſed potentia Angeli attingit terminum adæquatum, ergo.

Secunda ratio. ¶ Secundò. Si aliqua ratione in eodem inſtanti non poteſt Angelus ſimul deſerere locum adæquatum, & acquirere alium, maximè propter rationem Diui Thom. nempe, quod quieſcens per vnam horam non poteſt moueri in inſtanti terminatiuo illius horæ, & ſic ſignanda ſunt duo inſtantia diſcreta, & quod in vno inſtanti ſit in termino à quo, & in alio in termino ad quē: ſed iſta ratio falſa eſt, ergo. Probatur minor. Primo in generatione ſubſtantiali, quā do ex ligno generatur ignis verū eſt, quod materia ligni quieuit per totam horam pręcedentem ſub forma ligni, & in vltimo inſtanti illius horæ mutatum eſt ad formam ignis. ergo quieſcens per totam horam poteſt moueri in vltimo inſtanti illius horæ.

Solutiones duæ. ¶ Ad hoc argumentum reſpondent prædicti primi opinantes negando paritatem rationis, quia cum forma ſubſtantialis incipiat eſſe per primum ſui eſſe, quia incipit mutatione, & non motu, ideo non mirum eſt, quod cum toto tempore præcedente non informauerit materiam, incipiat informare illam in vltimo inſtanti temporis.

¶ Vel ſecundo reſpondent, quod forma ſubſtantialis, quæ per accidens corrumpitur ad corruptionem compoſiti, in inſtanti terminatiuo, non manet alicubi. Quod ſi dicas, quod anima rationalis non corrum-

pitur corrupto homine, & quod ita ſolutio non ſatisfacit, nihilominus deſitio qua rationalis anima deſinit actuare, & informare corpus eſt terminus alicuius motus continui, & idcirco non verè dicitur quod toto tempore immediatè præcedente quieuerit, ſed potius alterabatur materia, vt à ſe pelleret rationalem animam, & aliam formam admitteret. Iſtæ tamen ſolutiones, nõ reſpondent argumento, quia prima confirmat noſtram concluſionem, ſi ex eo forma ſubſtantialis poteſt in inſtanti vltimo tẽporis informare materiã, quia incipit per primum ſui eſſe, ergo & Angelus motu diſcreto eſſe in alio loco, quia incipit eſſe in illo quando mouetur motu diſcreto per primum ſui eſſe. Probatur ſequela, quia ex eo motus diſcretus diſtinguitur à motu continuo, quia motus continuus (cum ſit ens ſucceſsiuum) incipit per vltimum ſui non eſſe, nunc non eſt, & immediatè poſt hoc erit: at vero motus diſcretus cum non ſit motus ſucceſsiuus, ſed potius mutatio inſtantanea (quia vt docet Doctor includit totam realitatem termini ad quem, non tamen includit totam realitatem motus, quia non includit ſucceſsionem quanuis includat ordinem) habet rationem rei permanentis, ergo poteſt incipere per primum ſui eſſe, & per conſequens, quanuis Angelus quieſcat per totam vnam horam in termino à quo, poteſt in inſtanti terminatiuo illius horæ acquirere terminum ad quem motu diſcreto, quia verum erit dicere, Angelus nunc eſt in iſto loco, & immediatè ante hoc non fuit.

¶ Nec ſecunda ſolutio aliquid valet. Et probatur, nam deſitio qua rationalis anima deſinit informare corpus, quanuis ſit terminus alicuius motus continui, nempe illius alterationis qua materia alterabatur, vt à ſe pelleret animam rationalem, & aliam formam admitteret. Adhuc tamen in inſtanti quo anima rationalis expellitur, introducitur alia forma in materia, ergo illa materia, quæ per totam horam quieuit ſub anima rationali in inſtanti terminatiuo illius horæ potuit eſſe ſub forma diſtincta à rationali, & per conſequens, ſimiliter poterit Angelus per totam horã quieſcere ſub aliquo loco, & in inſtanti vltimo illius horæ eſſe in alio loco.

Tertia ratio. ¶ Tertiò. Angelus in vno inſtanti A. poteſt deſerere cælum, in quo erat, & ſuccedere in loco, quem ante non habebat, nam poteſt Angelus in vna tota hora eſſe in cælo, & in inſtanti terminatiuo horæ eſſe in terra, in qua non erat, & iſtæ eſt punctus in quo multi falluntur exiſtimantes Diuum Thomam oppoſitum docere cum tamen nihil contrarium dicat. Et licet oppoſitum docuiſſet, nihilominus hoc eſſet certum & argumentis factis pro aliorũ ſententia perſuaſũ. Nam id volumus dicere, quod in eodem inſtanti in quo primo verificatur, quod Angelus eſt in termino ad quem verificatur etiam, primo quod deſinit eſſe in termino à quo. Non enim Angelus apud Diuum Thomam, in vno inſtanti deſinit in termino à quo, & in alio incipit eſſe in termino ad quem, ſed in eodem inſtanti fit deſertio termini à quo, & acquiſitio termini ad quem. Et hunc ſenſum probant Caietanus, & Capreolus, & plerique alij Thomiſtæ, imo dicunt quod loquendo de noſtro tempore, Angelus poteſt eſſe toto tempore huius horæ in hoc loco, & in vltimo inſtanti horæ, in alio loco diſtanti, quia poteſt in vltimo inſtanti ſe applicare alteri loco. Nam anima rationalis toto tempore dum viuit homo, eſt in corpore, & in vltimo inſtanti illius temporis non eſt in corpore, ſed alibi, ergo pari ratione, & potiori idem dicendum eſt de Angelo. Antecedens patet, quia homo deſinit eſſe per primum non eſſe. Iſtã tertiã ratio non de ſumpſi de verbo ad verbum ab ipſis expoſitoribus Diui Tho. ſuper quæſtionem 53. articul. tertio. quæſtione ſecunda. concluſione quinta. Ex qua ſic colligo pro Doctore, ergo Angelus poteſt in inſtanti moueri motu diſcreto, de loco adæquato ad locum adæquatum. Probatur ſequela, quia in vno inſtanti A. poteſt deſerere cælum (in quo erat) & ſuccedere in loco quem antea non habebat, ſed hoc non poteſt fieri per motum continuum, ergo per motum diſcretum in eodem inſtanti A. poteſt ſimul deſerere locum adæquatum, in quo antea erat, & acquirere locum adæquatum, quem ante non habebat.

Quarta ratio. ¶ Quartò. Si ad hoc quod Angelus deſerat, & acquirat locũ adæquatum requirit aliud, & aliud inſtans temporis diſcreti, taliter quod ex illis duobus inſtantibus componatur tempus diſcretum Angeli, in quo verè Angelus moueatur. Contra Angelus non

non mouetur in vtroque inſtanti, ſed in vno, nempè in illo quod initiatur terminum ad quem, ergo quanuis tempus diſcretum Angeli ex pluribus inſtãtibus componatur, adhuc tamen neceſſario mouebitur per vltimum inſtans,& per conſequens Angelus neceſſario mouebitur in inſtanti. Probatur ſequela. In iſto tranſitu in quo Angelus mouetur de loco ad locum, & aliter ſe habet nunc quam prius reſpectu loci, tantum datur vnicum inſtans, in quo ſit verum dicere, in hoc inſtanti aliter ſe habet Angelus nunc, quam prius reſpectu loci, ergo in vnico tantum inſtanti verum eſt dicere quod Angelus mutatur. Probatur antecedens. Nam tantum ſunt ibi duo inſtantia, aliud in quo Angelus eſt in termino à quo (& illud ſit A) & aliud in quo primum acquirit terminum ad quem, (& illud ſit B.) ſed in primo inſtanti (nempè in A) in quo eſt in termino à quo, non mutatur imo quieſcit cum ſit ibi vltimum eſſe quietis, ergo tantum mutatur in alio inſtanti in quo eſt in termino ad quem (ſcilicet in B.) Quod ſi reſpondeas quod Angelus in neutro illorum inſtantium mutatur, ſed in ſucceſsione illorum in qua conſiſtit motus. Contra. Angelus tunc mouetur, & mutatur de loco ad locum, quando deſerit præſentialitatem termini à quo, & acquirit præſentialitatem termini ad quem: ſed talis præſentialitas non acquiritur ſucceſsiuè, quia non per partes, ſed tota ſimul, cum non per motum continuum, ſed per diſcretum, ergo tunc mutabitur, quando illam nouam præſentialitatem acquirit, ſed illam acquirit in termino ad quem, & non in termino à quo, neque in aliquo intermedio inter terminum à quo, & terminum ad quem: ergo tunc verè mutatur, quando eſt in termino ad quem, ſed terminus ad quem acquiritur in inſtanti, ergo quanuis tempus Angelorũ conſtituatur ex pluribus inſtantibus diſcretis, neceſſario tamen mouebitur in inſtanti in quo terminus ad quem acquiritur. Probatur ſequela. Nam illa ſucceſsio inſtantium, vel eſt vtrunque inſtans collectiuè, vel aliquid aliud tertium diſtinctum ab ipſis inſtantibus ſimul ſumptis, non primum, quia ſi in vtroque inſtanti collectiuè moueretur, ergo in vtroque ſimul eſt totus motus, & non in altero illorum per ſe, ergo in vnoquoque illorum inſtantium eſt per ſe aliquid motus, ſed in termino à quo nihil eſt motus, quia neque eſt mutatio, neque pars illius, ergo quanuis Angelus moueatur in tempore diſcreto, neceſſario tamen (quando mouetur motu diſcreto) debet in inſtanti moueri. Quod ſi reſpondeas (vt nonnulli reſpondent) quòd Angelus mutatur in termino à quo, non in quantum in illo reperitur factum eſſe, ſed inquantum reperitur fieri in illo, quia in illo incipit mutatio ad terminum ad quem, & idcirco, ipſa exiſtentia in termino à quo, inquantum cõſideratur in ſucceſsione ad terminum ad quem, eſt pars motus. Quod magis alij explicant: nam ſi Angelus, dum eſt in termino à quo, abſolute conſideretur, non mouetur, tamen ſi conſideretur prout eſt in terminatione tranſeundi immediatè poſt hoc ad alium locum, iam ſic mouetur. Quæ ſolutio poteſt confirmari, nam in illo inſtanti deſinit eſſe in termino à quo per vltimum ſui eſſe, ſed deſinere eſſe ibi eſt mutari, ergo mutatur. Et ſecundò poteſt confirmari prædicta ſolutio, nam omne mutatum eſſe præcedit mutari, ſed in primo inſtanti termini ad quem Angelus iam eſt mutatus, ergo præceſsit mutari in termino à quo, quia non eſt medium. *Reſpõſio.*

¶Sed iſtæ ſolutiones non reſpondent argumento. In primis, in mutatione inſtantanea, idem eſt fieri & factum eſſe, ſed factum eſſe eſt in termino ad quem, ergo & fieri. Et confirmatur. In illo inſtanti Angelus deſinit eſſe in termino à quo, in quo verum eſt dicere quod non manet eodem modo ſicut antea, ſed non verè dicitur quandiu Angelus eſt in termino à quo, quod aliter ſe habet, quam antea cum eodem modo ſe habeat, ergo non mutatur quandiu eſt in termino à quo. Quod ſi reſpondeas, non mutari quandiu eſt in termino à quo, quia eſt in termino à quo, ſed quia immediatè poſt hoc mutabit locum, contra, ergo tunc mutabitur quando mutabit locum, ſed non mutat locum niſi quando acquirit terminum ad quem, ergo non mutatur quando exiſtit in termino à quo, & mutatur mouendo ſe localiter, ergo quanuis Angelus moueatur in tempore diſcreto, ſi tamen mouetur motu diſcreto, neceſſario mutabitur in inſtanti termini ad quem. *Impugnatio.*

Vltima ratio. ¶Vltimò. Quia, vt prædicti expoſitores aſſerunt (quorum verba de verbo ad verbum referam) in præſentiarum, neceſſario Angelus mouetur in termino ad quem, aſſerunt enim ſic probando noſtram conclusionem. Dices, immediatè poſt hoc mutabit locum. Contra. Nam etiam immediatè poſt hoc mutabitur, nunc tamen non mutatur, ſicut corpus in inſtanti immediatè poſtquam mutandum eſt non mutatur, & ideo in illo extrinſecè incipit motus: neque vnquam corpus mouetur in termino à quo, ſiue ille terminus conſideretur abſolutè, ſiue cum ordine ad alium ſiue in illo habeat mobile:(v. g. homo) propoſitum ſtatim ſe mouendi, ſiue non, maximè quod non indiget Angelus illa præuia determinatione, ſed in eodem inſtanti quo vult ſe mouere, poteſt moueri, & eſſe mutatus. Nullo ergo modo poteſt propriè dici Angelum mutari dum eſt in primo termino à quo, imo vero ſequendo Sancti Thomæ placitum, crediderim impertinens eſſe ad rationem motus localis Angelici, quod Angelus toto tempore præcedenti vnius horæ habeat voluntatem, dum exiſtir in termino à quo, tranſeundi ad alterum locum. Nam voluntas Angeli non poteſt deſtruere rationem motus localis, neque tollere poſitis prorſus omnibus requiſitis ad motum localem, ſed ad rationem motus localis ſufficit relinquere locum quem habuit, & immediatè alium acquirere, ergo ſiue Angelus habuerit prius illam voluntatem in termino à quo, vel dum eſt in termino ad quem, impertinens eſt ad rationem motus localis. Quod dixi contra Caietanum, qui in hoc etiam à ſuis deſeritur. Neque duæ illæ confirmationes obſtant, nam prima potius probat oppoſitum: nam quietem deſinere per vltimum eſſe, non eſt mutari, ſed eſt incipere mutationem per vltimum non eſſe, quod eſt tunc non mutari. Neque illud eſt propriè deſinere, quia tunc res eſt, ſed cum addito dicitur deſinere intrinſecè reſpectu ipſius eſſe, vel extrinſecè reſpectu deſitionis. Et ad ſecundam confirmationem dicitur, quòd ſi ly, Ante, intelligatur de prioritate temporis, verificatur in mutationibus ſucceſſiuis, non tamen in inſtantaneis, in quibus verificatur de prioritate naturæ, & ita verificatur hic.

¶ Ad argumenta pro prima ſententia facillimè reſpondebitur quæſtione ſequenti, quia omnia illa ſupponunt menſuram motus Angelorum eſſe tempus diſcretum, diſtinctum à tempore noſtro, quia tamen iſta propoſitio non habet omnimodam veritatem, ideo neque argumenta fundata in iſta propoſitione, habent aliquam vim.

TEXTVS.

DICO ergo ad quæſtionem, quòd quia pluralitas non eſt ponenda ſine neceſsitate, & non eſt neceſsitas quare debeat poni tempus diſcretum menſurans motum Angeli, nam quidquid ſal uatur per illud tempus diſcretum, ſaluabitur etiam per tempus continuum in communi, ſicut enim oportet eos dicere, quod ſi tranſeat in inſtanti, non poteſt immediatè habere alium tranſitum inſtantaneum, ita poteſt poni, ſi tranſeat inſtantaneè in inſtanti temporis continui, ita quod licèt poſt illud inſtans poſſet habere motum continuum in tempore habito, non tamen poteſt habere tranſitum inſtantaneum immediatum. Non ergo eſt inconueniens ponere Angelum, in quantum participat conditionem corporalem, id eſt, quæ poteſt eſſe eiuſdem rationis aliquo modo in ipſo, & etiam in corpore, quod etiam participet menſuram corporis aliquo modo, inquantum autem mouetur localiter participat vbi, quod eſt conditio, & paſsio corporalis aliquo modo eiuſdem rationis in ipſo, & in corpore, ergo etiam poteſt menſurari menſura primi corporis moti. diſtinctione. 2. quæſtione. 1 1. litera. A.

EXPLICATIO LITERÆ.

IN hac litera Doctor hanc aſsignat conclusionem, nempè, non eſſe neceſſarium ponere tempus diſcretum in Angelis, quod ſit menſura motus localis ipſorum. Hanc concluſionem probat duplici ratione. Quarum prima eſt, quod non

eſt ponenda pluralitas ſine neceſsitate, ſed nulla neceſsitas cogit nos ponere tempus diſcretum in Angelis ad menſurandum eorum motum localem, ergo. Probatur minor. Quia motus localis Angelorum menſurabilis eſt per tempus noſtrum, ergo non eſt aſsignandum aliud tempus, quod ſit menſura motus diſtinctum à tempore noſtro.

¶Secundò probatur eadẽ concluſio, quia quando aliqua conditio eiuſdem rationis (ſaltim genericæ) conuenit Angelis, & rebus corporeis: quod eſt menſura illius conditionis in rebus corporeis, erit etiam menſura illius, prout conuenit Angelis, ſed habere vbi, & eſſe præſens iſti ſpatio, & deſerere illud ſpatium, & acquirere aliud, æquè conuenit rebus corporeis, & Angelis, ſimiliter & moueri de loco ad locum, ergo ſi motus in rebus corporeis menſuratur tempore noſtro, etiam motus Angelorum menſurabitur tempore noſtro, & per conſequens ad menſurandum motum Angeli, non eſt neceſſarium ponere tempus diſcretum, ſed ſatis eſt motus primi mobilis.

¶Quod ſi quis arguat, quod dato caſu quod primum mobile non moueretur, adhuc tamen Angelus poſſet moueri, ergo motus Angeli non dependet à tempore noſtro. Reſpondet Doctor, quod etiam ſtante caſu, quod cælum non moueatur (vt erit poſt iudicium) Sanctus Petrus cum corpore poterit ambulare, & tamen eius motus poterit menſurari, & non oportet fingere aliud tempus ab iſto, ergo & ſi Angelus moueatur ſtante cælo, eius motus poterit menſurari tempore noſtro. Vnde quamuis motus primi cæli non eſſet, adhuc tamen eſſet tempus potentiale, quod menſuraret quietem primi mobilis, & illud tempus potentiale, etiam menſuraret alium motum, quia videlicet ille motus per tantam quantitatem coextitiſſet quieti, quanta coextitiſſet motui primi cæli ſi infuiſſet, ſufficit enim vt intellectus meus cognoſcat diſtinctè quantitatem motus per cognitionem quantitatis temporis diſtinctam, quam poteſt intellectus meus apprehendere ex quiete, quæ tanta eſt, quantus fuiſſet motus ſi infuiſſet, tanta enim eſt mora tendentis, quanta eſt quieſcentis, potentis tamen tendere. Vnde eſt notandum, quod licet tempus menſuret motum, non tamen motus pendet in eſſendo à tempore, quia non eſt talis menſura tempus reſpectu motus, qualis eſt inter quidditates, quæ ita ſe habent, quod quidditates menſuratæ dependent à menſura in eſſendo, ſicut omnes quidditates dependent à Deo, vt à menſura quidditatiua, & eſſentiali, at vero motus menſuratur tempore, ſicut æquale menſuratur ab æquali, & in his ſufficit, quod menſura ſit notior menſurato, & tunc ex notitia quantitatis menſuræ ſequitur notitia quantitatis menſurati, & in talibus menſuratum non dependet in eſſe à menſura, licèt dependeat à cognitione quantitatis ſuæ. Vnde poſt iudicium omnes motus Angelorum, & beatorum, menſurabuntur tempore potentiali, ita quod ex notitia quantitatis illius temporis deueniemus nos beati (faxit Deus) in notitiam quantitatis motus Angelorum, & beatorum, arguentes, tantus fuiſſet motus cæli ſi infuiſſet, igitur eſt tanta quies, igitur & tantus motus coexiſtens quieti primi cæli. Ex quo apparet, quod etſi ſtante cælo Angelus poſſet moueri, & motus eius non dependeret in eſſendo à motu cæli, poſſet tamen tempore potentiali menſurari eius motus, ergo propter motum Angeli non oportet ponere aliud tempus diſtinctum à tempore noſtro. In hac tamen concluſione non conueniunt nobiſcum omnes, quare operæpretium erit in præſentiarum vtriuſque ſententiæ veritatem indagare.

Nota hoc di menſura motus.

QVÆSTIO XI.

¶Vtrùm tempus Angelorum quo eorum motus localis menſuratur, ſit diſtinctum à tempore noſtro.

DE hac re eſt prima ſententia omnium Thomiſtarum aſſerentium reſpectu Angelorum dari motum diſcretum, diſtinctum à tempore noſtro. Vt autem explicent iſtam ſententiam, aduertunt nonnulli, Primò. Quòd bene poteſt Angelus moueri motu continuo per aliquod ſpatium, & cum ventum fuerit ad poſtremum terminum ſpatij, tranſire ad

Prima ſententia.

ad alterum terminum per motum diſcretum, & iterum moueri motu continuo, in quo caſu, quamuis nõnulli credant, quod duæ illæ mutationes in quibus Angelus motu continuo permouetur, ſint inſtantia quædam reſpectu motus diſcreti ipſius Angeli, nihilominus tamen falluntur, quia iſte motus diſcretus non conficitur ex illis duabus mutationibus, in quibus Angelus motu continuo mouetur: ſed motus iſte diſcretus cõponitur ex applicatione Angeli ad vltimum terminum ſpatij, & ex applicatione ad alterum locum, in quo incipit moueri motu continuo, & his duabus applicationibus correſpõdent duo Angelica inſtantia, ita quidem indiuiſibilia in caſu poſito, ſicut noſtri temporis inſtantia, quibus reſpondent. Ex quo infertur quod motus Angelorum diſcretus non componitur ex duobus motibus continuis, neque formaliter, neque materialiter.

¶ Secundò aduertunt, certum eſſe quod in Angelis eſt tempus, & quod tempus (quo menſurantur actiones immanentes Angelorum) non poteſt eſſe tempus noſtrum, ſed aliud valde diuerſum, vt docet Diuus Thomas prima parte, quæſtione. 10. articulo. 5. vbi ait, quòd operationes naturales in Angelis non menſurantur tempore, ſed æuo: operationes autem liberæ immanentes tempore ſuo menſurantur. Ita docet quodlibeto. 11. articulo. 4. vbi cum Diuus Auguſtinus. 8. ſuper Geneſim ad literam, capite. 23. ait, quòd Deus mouet creaturas ſpirituales per tempus, intelligit S. Thom. Diuum Auguſtinum de motione per operationes immanentes & liberas conuenientes Angelis. Sanè, operationes immanẽtes Angeli connaturales non menſurantur tempore, ſed æuo; nam illæ ſunt eiuſdem ordinis cum eſſentia Angeli: at vero operationes immanentes liberæ (cum habeant inter ſe ordinem prioris & poſterioris) non poſſunt æuo menſurari, ergo menſurantur tempore. ¶ Profectò actiones immanentes liberæ Angelorum omnes ſunt mutabiles, & incipiunt, atque deſinunt eſſe, ergo non menſurantur æuo, nam æuum eſt menſura rei immutabilis. ¶ Rurſus, tempus eſt numerus motuum ſecundùm prius & poſterius, ſed in actionibus liberis immanentibus Angelorum eſt vera mutatio ſecundùm prius & poſterius, ergo in illis reperitur tempus. ¶ Ex his colligitur, quòd tempus illud (quo actiones liberæ immanentes menſurantur) neceſſario debet eſſe diſcretum, quia actiones iſtæ immanentes Angelorum non continuantur, imo quælibet actio immanens Angeli habet ſeorſum ſuam durationem. Quod vero hoc tempus (quo menſurantur actiones liberæ immanentes Angeli) non ſit tempus noſtrum, ſed aliud diuerſum, communis eſt ſententia Thomiſtarum. Ita Caietanus. 1. parte, quæſtione. 10. articulo. 5. vbi docet, non ſolum eſſe neceſſarium proprium tempus operationibus Angelorum à noſtro tempore diſtinctum, ſed etiam dicit, vnicum ſolum, & ſingulare tempus eſſe, quod eſt menſura omnium operat omnis Angeli, & illud credit eſſe in ſupremo Angelo. Et Caietani perſuaſio hæc eſt, nam Diuus Thomas idcirco conſtituit vnicum æuum in ſupremo Angelo, quod verè ſit menſura cuiuſcunque exiſtentiæ, & operationis naturalis reliquorum Angelorum; quia illud æuum in ſupremo Angelo ſimplicius eſt, & magis vniforme, ergo debet habere rationem mẽſuræ durationis aliarũ operationũ reliquorũ Angelorũ. Sed quod tale tempus non ſit tempus noſtrum, quod eſt menſura motus primi mobilis, paucis perſuadetur. Primò. Nã ratio tẽporis ſumitur ex ratione motus, vt ait Ariſto. 4. Phyſicorum, textu. 97. ſed alia eſt prorſus ratio motus in corporalibus, & in ſpiritualibus, ergo & diuerſa eſt ratio temporis. Probatur minor. Quia Angelorum motus eſt ſpiritualis omnino, & conſtat ex impartibilibus, & indiuiſibilibus mutationibus, ſed hæ non poſſunt reperiri in motu rerum corporalium, igitur nulla eſt proportio inter tempus noſtrum & tempus, quo Angelorum actiones immanẽtes menſurantur. ¶ Tandem quia tempus quo menſurantur iſtæ actiones liberæ eſt diſcretum, ergo longè diſtat à noſtro tempore, quod eſt continuum ſecundùm eſſentiam. Id vero quod poſitum eſt in controuerſia eſt, Vtrum aliquod tempus Angeli, ſiue continuum ſit, ſiue diſcretum, quo menſuratur eius motus, poſſet eſſe idem cum tempore primi mobilis. ¶ His igitur ſic conſtitutis in quadam quinta concluſione ſic reſpondent quæſtioni. Tempus diſcretũ quo motus localis Angeli menſuratur, & quo etiam actiones immanentes ipſius metiuntur, *Primũ dictũ huius ſententiæ.*

tur,

tur, non eſt idem, aut vnum numero tempus, imo verò inter Angelos ipſos fortè non eſt vnum tempus numero, quo omnes actiones immanentes eorum menſurantur. Et quibuſdam placuit, quod forte non eſt vnum tempus numero menſurans actiones omnes immanentes, quod non eſt adeò probabile, ſicut primum. Hanc propoſitionem probant, nam dici non poteſt,

Primum argum. quod tempus quod inſequitur operationes Angeli ſupremi; ſit menſura operationum aliorum Angelorum, neque dici poteſt, quod motus localis diſcretus, & actiones immanentes liberæ Angelorum proportionantur, cum habeant diuerſas rationes, etiam in genere proximo, ergo tempus diſcretum (quod eſt menſura in vtriſque) non poteſt eſſe eiuſdem rationis.

¶Quod ſi reſpondeas vnicum tantum diſcretum tempus debere conſtitui, illudq́; eſſe in ſupremo Angelo. Contra. Nam menſura debet eſſe vniformis, firma, & ſtabilis, ſed operationes Angeli ſupremi multiplicantur, & variantur pro ſua voluntate, ergo non poſſunt habere rationem temporis, nec menſuræ reſpectu operationum aliorum Angelorum, quæ pari ratione diuerſimodè variantur pro ſua voluntate.

Secundum argum. ¶Secundò. Menſura debet eſſe manifeſta ei qui vtitur illa, ſed operationes immanentes, & liberæ ſupremi Angeli ſunt naturaliter ignotæ, ergo non poſſunt habere rationem menſuræ durationis reſpectu operationum aliorum Angelorum.

Tertium argum. ¶Tertiò. Angelus ſupremus poteſt habere plures operationes in pluribus inſtantibus, quandiu Angelus inferior permanet in vnica operatione ſimplici, in quo caſu duratio operationis Angeli inferioris non poſſet menſurari duratione operationis ſupremi Angeli, ergo neceſſe eſt, proportionabiliter tempus diſcretum Angelorum multiplicari, quo metiatur localis motus diſcretus Angelorum, & actiones immanentes eorundem. ¶Obſerua tamen, quòd actiones liberæ Angelorum, & iudicium eorundem, quo iudicant perſeuerandum eſſe in eorum voluntate, eodem metiuntur inſtanti, nam actiones illæ (præter quam quod ſimultaneæ ſunt) ſe inuicem conſequuntur.

¶Quartò. Si vnicum tempus diſcretum conſtitueretur in Angelo ſupremo, tanquam menſura vniuerſalis omnium actionum aliorum Angelorum, ſequeretur quod cum Angelus ſupremus peccauit, illamet actio menſuraretur eodem tempore, quo menſurabantur aliorum Angelorum actiones. Igitur perſeuerauerunt in illis actionibus in quibus conditi ſunt à Deo. Conſequens tamen eſt falſum. Nam actio Angeli ſupremi tempore diſcreto metiebatur, at vero immanentes actiones quibus boni Angeli permanſerunt vnico inſtanti ſolum menſurabantur, ergo.

¶Quod ſi arguas cum Caietano à ſimili, nam Diuus Thomas ſolum conſtituit vnũ æuum in Angelis, ergo ſolum eſt conſtituendum vnum tempus diſcretum in ipſis. Patet conſequentia. Nam idcirco ponitur vnum æuum in Angelis, quia primum alicuius generis eſt aliorum menſura, ſed ſupremus Angelus eſt perfectiſsimus omnium: & ob id, in illo ponitur ipſum æuum, ergo pari ratione in eo eſt conſtituendum tempus aliorum. *An tempus diſcretũ in Angelis ſit vnum.*

¶Confirmatur ex Ariſtotele. 10. Metaphyſicæ, nam perfectiſsimum alicuius generis eſt menſura omnium aliorum, quæ ſunt in eodem genere, ergo. Hoc argumento perſuaſus fuit Caietanus, tempus diſcretum in Angelis non eſſe conſtituendum vnicum, niſi fortè materialiter, ſicut plura tempora materialiter conſtituuntur in motibus horum inferiorum: ſed nihilominus reſpondetur argumento negando conſequentiam, non enim eſt par ratio vtrobique, de æuo & de tempore, nam æuum eſt menſura eſſe Angelici, & omnium operationum connaturalium, & idcirco Angelus ſupremus (qui in naturalibus perfectiſsimus eſt) ſuo æuo menſurat omne eſſe Angelicum, & omnes operationes connaturales Angelorum, in quibus eſſe non poteſt mutatio aliqua ſecundum curſum naturæ: at vero in operationibus liberis, & moralibus; vnus Angelus alteri non ſubijcitur, neque ſecundum numerum operationum, neque ſecundum obiectum, & ob id oportet; vt in vnaquaque operatione ſit intrinſeca, & propria menſura illius actionis. ¶Ad confirmationem reſpondetur, quòd Ariſtoteles intelligendus eſt, quantum ad quidditatem immutabilem illius ſupremi, quod quidem ſe habet, ſaltim vt exemplar aliorũ omniũ, quæ ſunt ſub eodem genere. Eſt exemplũ de homine, qui licet ſit perfectiſsimus

inter

inter animalia, tamen non eſt menſura quantum ad omnia, imo vero aliqua reperiuntur animalia quæ hominem excellunt in quorundam ſenſuum præſtantia, & nobilitate, vt dicit Ariſtoteles. 2. de Anima, capite de odore, & aliqua vincunt hominem in longitudine vitæ, vt conſtat planè in coruis atque ceruis: quo non obſtante homo dicitur eſſe quaſi menſura aliorum animalium in eſſentia ſua, ob id quod eſt quaſi exemplar perfectionis aliorum, & quo magis reliqua accedunt animalia ad hominis cognitionem, & perfectionem imitandam, eò quidem ſunt perfectiora, quia accedunt propriè quaſi ad ſuum exemplar.

Secundum dictum. ¶Secundum dictum iſtorum eſt, quod tempus illud (quo menſuratur motus diſcretus localis Angeli) neceſſario debet eſſe diſcretum, nam menſura & menſurabile debent proportionari, ac proinde motus localis Angeli quo tranſit ab vno loco in alterum, non pertranſito medio tempore, Angelorum tempore diſcreto metitur, nam applicationes diuerſæ ipſius Angeli ad diuerſa loca ſingulis inſtantibus menſurantur, ergo in motu iſtarum applicationum diuerſarum non reperitur tempus continuum, quo (v. g.) menſurentur duæ vel tres applicationes ipſius Angeli.

¶Aduertendum tamen, quòd benè poteſt Angelus moueri motu continuo per aliquod ſpatium, & (cũ ventum fuerit ad poſtremum terminum ſpatij) tranſire ad alterum terminum per motum diſcretum, & iterum moueri motu continuo, in quo caſu, quamuis nonnulli credant, quod duæ illæ mutationes, in quibus Angelus motu continuo permouetur, ſint inſtantia quædam reſpectu motus diſcreti ipſius Angeli, nihilominus tamen falluntur, quia motus iſte diſcretus nõ conficitur ex illis duabus mutationibus, in quibus Angelus motu continuo mouetur, ſed motus iſte diſcretus componitur ex applicatione Angeli ad vltimum terminum ſpatij, & ex applicatione ad alterum locum in quo incipit moueri motu continuo, & his duabus applicationibus correſpondẽt duo inſtantia Angelica, ita quidem indiuiſibilia in caſu poſito, ſicut noſtri temporis inſtantia, quibus reſpondent. ¶Ex quo ſimul & ex ſupradictis infertur, quod motus Angelorum diſcretus nõ componitur ex duobus continuis motibus, neque formaliter, neque materialiter.

Tertium dictum. ¶Tertiò aſſerunt, quòd tempus illud quo motus Angeli continuus menſuratur, licet ſit continuum, non tamen eſt idem, aut eiuſdem rationis cum tempore noſtro menſurante motum primi mobilis, aut aliarum rerum inferiorum. Hanc concluſionem dicunt eſſe expreſſam Diui Thomæ, quia localis motus Angeli, & continuus, non eſt eiuſdem rationis cum motibus inferiorum, ergo vtrorumque non eſt menſura eiuſdem rationis. Conſequentia patet. Nam tempus eſt numerus motuum ſecundùm prius & poſterius, ergo ſi vtrobique non eſt vna ratio motus vniuoca, ergo neque etiam poterit reperiri vna ratio temporis illaque vniuoca. Antecedens patet. Quia motus Angeli continuus, ſit per applicationem virtutis ad locum, & per ſucceſsiuum contactum operatione ſequente, ſed hic modus eſſendi in loco non dicitur vniuocè de Angelis, & corporibus, ergo moueri ſecundum locum non eſt eiuſdem rationis in Angelis & corporibus.

¶Quod ſi quæras, vbi conſtituitur tale tempus continuum? Reſpondent, quòd ibidem, vbi conſtituitur motus Angeli continuus, ob id, quod tempus non eſt aliud, quam partes motus, ſecundùm quod ſunt menſura, & numerus poſterioris & prioris, motus autem continuus Angeli eſt, vbi adeſt Angelicæ virtutis applicatio, nẽpè in ſpatio. Quod ſi applicatio virtutis Angelicæ eſſet operatio tranſiens, apertè cognoſceremus, qualiter tempus Angeli continuum eſſet in ſpatio, ſicut & motus. Ex qua aſſertione colligitur, quòd ſi Angelus exerceret tranſeuntem operationem erga corpus aliquod non applicando actiua paſsiuis, ſed ſolum virtute propria per ſeipſum influendo, neque derelinquendo aliquem effectum ſubiectum motibus corporum cæleſtium, talis actio & operatio nõ menſuraretur motu primi mobilis, quia intenſio, & velocitas huius motus, & operationis non pendêret ex motu cæli, imo poſſet eſſe maior in operatione Angeli, quam in motu cæli, ergo ſaltim in eo caſu non poſſet metiri per motum primi mobilis.

Quartum dictum. ¶Quartò aſſerunt, quòd operationes Angeli tranſeuntes in materiam exteriorem, prout in ea reperiuntur, & recipiuntur tanquam in ſubiecto, dicuntque effectum extra

tra

tra ipſum Angelum, menſurari poſſunt tempori noſtro, & non eſt cur reſpectu harum operationum tempora multiplicentur. Quocirca, motus ille continuus qui fit ab Angelo in corpore aſſumpto, prout importat effectum in corpore moto, tempore noſtro menſuratur: nam & actiones animæ rationalis, etiam intellectus, & voluntatis, propter dependentiam à phantaſmatibus tẽpore noſtro menſurantur, ergo actiones externæ tranſeuntes, & continuæ Angelorum, quæ fiunt in corporibus aſſumptis pendentibus à cælo, eiuſque influxibus, tempore noſtro continuo debent menſurari. Præterea, motus localis continuus Angeli fit continuè, & ſucceſsiuè in ſpatio, ergo eodem tempore menſuratur ſicut alij motus continui, qui ſucceſsiuè fiunt in ſpatio. Nam motus à Raphaele factus tot agebatur greſsibus, & horis ſicut motus factus à Tobia, ergo vterque motus eodem tempore debuit metiri. Sanè, vt motus localis lapidis tempore noſtro menſuretur, impertinens eſt, quod cauſetur ab Angelo, vel ab homine. Et huius ſententiæ fuit Sanctiſsimus præceptor opuſculo. 36. cap. penultimo. vnde mirabile eſt, quod in hoc articulo oppoſitum voluerit inſinuare, ſed mihi valde perſuaſibilis iudicatur hæc tertia propoſitio.

Quintum dictum. ¶ Vltimò aſſerunt prædicti opinantes in quadam quarta propoſitione, certum debere eſſe in omni opinione, quod tempus continuum, quo motus localis Angeli menſuratur, & operationes eius tranſeuntes, debent proportionari cum tempore cõtinuo primi cæli. Hæc concluſio ſignificatur à Diuo Tho. in hoc art. ſolutione ad primũ. Sanè, hãc proportionem contemplatus eſt D. Thom. ratione ſpatij, & propter proportionem magnitudinum, in quibus fit motus, vnde habet motus Angeli quod cõtinuus ſit, & quod Angelus dicatur partim eſſe in termino à quo, & partim in termino ad quem. Velocitas vero motus determinatur à voluntate Angeli, quia non operatur Angelus ſecundum vltimum potentiæ, ſicut naturalia agentia. Et hinc colligunt quidam Thomiſtæ præciſe ſiſtendo in ſententia D. Tho. in hoc art. quod tempus continuum (quo motus Angeli continuus menſuratur, vel ipſius tranſeuntes operationes) non eſt vnicum tantum in Angelis, ſed multiplex, iuxta varietatem operationum, & motuũ localium, & huius rei duas aſsignant rationes. Prima eſt, quia in hac parte non poſſumus recurrere ad ſupremum Angelum, cum ſupremi Angeli non moueantur ſecundum locum. Secunda ratio eſt, quia Angeli, qui localiter mouentur, nõ habent inter ſe aliquem ſupremum, cuius motu cõtinuo aliorum motus regulentur. Contingit forte illum nõ moueri localiter, vel moueri motu diſcreto, qui non poteſt eſſe menſura motus continui.

Secunda ſententia Doctoris. ¶ Secunda ſententia eſt Doctoris vt patet in litera. Pro cuius explicatione & totius quæſtionis eſt primo notandum, quod circa iſtam quæſtionem conueniunt Doctor, & expoſitores prædicti D. Thom. in aliquo, & in aliquo diſſentiunt. Conueniunt quidem, quia omnes ponunt tempus continuum quod eſt motus primi mobilis menſurans operationes Angeli tranſeuntes, & in hoc nullam inueniunt difficultatem prædicti exponentes D. Thom. in 3. & 4. conclusione, quamuis ipſimet in ſecunda contrarium doceant, vt licet videre in tertio dicto illorum ſupra aſsignato. *Notab. 1.* Differunt tamen, quia Doctor nullum admittit tempus diſcretum, quale ipſi concedunt, quia tale tempus diſcretum ad nihil deſeruit, cum omne quod repetitur in Angelo, vel eſt eius ſubſtantia, vel eſt eius operatio, ſi operatio, vel eſt immanens, vel tranſiens: ſi eſt eius ſubſtãtia, menſuratur æuo, ſi autem eſt operatio tranſiens, ſicuti motus factus à Raphaele (cum agebat iter cum Thobia) menſuratur tempore noſtro, ſicut & motus Thobiæ, ſi autem eſt operatio immanens, vel ſunt coæuæ ipſis Angelis (vt intellectio & volitio ſui) & iſtæ eodem modo menſurantur, ſicut & ſubſtantia eorum, ſi autem iſtæ operationes immanentes ſint ſucceſsiuæ, ita poſſunt tempore menſurari ſicuti tranſeuntes, ergo ad nihilum eſt neceſſarium tempus diſcretum, præcipuè quia tale tempus diſcretum deberet eſſe vnum, vel multiplex: neutrum autem poteſt determinari, quia non apparet in quo ſit iſtud tempus diſcretum tanquam in ſubiecto primo, ergo non videtur ponendum tempus diſcretum in Angelis. *Notab. 2.* ¶ Secundò eſt notandum, quod titulus quæſtionis tantum eſt intelligendus in motu locali. Cum igitur motus localis ſit operatio tranſiens Angeli, fruſtra videntur dicta, quæ de tempore diſcreto

lem requiritur paſſio ipſius mobilis ab ipſo mouente, hinc prouenit, quod illud quod non eſt approximatum ſecundum locum, non poteſt moueri ab aliquo, quod poſſet illud mouere, quia quamuis non ſit defectus ex parte virtutis motiuæ, eſt tamen defectus ex parte non approximationis localis.

2. *Notab.* ¶ Secundò eſt notãdum, quod ad hoc quod aliquid moueatur per accidens ad motum alterius, debet eſſe reſpectu illius ſicut actus in potentia, vel ſicut pars in toto, vel ſicut aliquid neceſsitate naturali coniunctum, quod ſi tantum per actum voluntatis contingenter coniungitur hoc illi, mouens iſtud, non propter hoc mouebit illud, quod per ſuam voluntatem eſt illi contingenter coniunctum. Quare oportet quod illa voluntas quæ eſt cauſa coniunctionis, ſit etiã cauſa motionis illius quod nulla naturali neceſsitate coniungitur.

¶ Concluſio. Angelus ad motum corporis, non mouetur neque per ſe, neque per accidens à mouente illud corpus. Hæc concluſio eſt Doctoris vbi ſupra. Et probatur, quia Angelus non habet naturalem vnionem, cum corpore in quo eſt, neque continetur vllo modo ab eo, ergo non ſufficit motus illius corporis ad hoc (vt ſecluſa omni alia cauſalitate effectiua) moueatur Angelus ipſe, & ex conſequenti non mouetur per accidens propriè ad motum corporis. Patet vltima hæc conſequentia, quia tunc dicitur aliquid moueri propriè per accidens, quod mouetur præciſe ex vi motus alterius rei, hoc eſt ſine alio concurſu cauſæ efficientis motum. Prima autem conſequentia probatur, quia tantũ poteſt moueri ex vi motus alicuius rei quod cũ ea habet naturalem quandam connexionem, ſed Angelus nullam habet naturalem connexionem cum corpore moto, ergo non poteſt moueri per accidens ad motum corporis.

¶ Secundò. Si corpus aſſumptum ab Angelo, aut in quo Angelus eſt vt in loco, moueatur ab aliquo homine non mouebitur Angelus, niſi velit ſe ipſum moueri, ergo ſignum eſt, quod nunquam mouetur præciſe ex vi motus corporis, & ex conſequenti nec mouetur per accidẽs, ſed quia ipſe vult ſe ipſum mouere.

¶ Tertio. Quod nullo modo habet virtutem motiuam ſuper aliud, quandiu illud eſt per ſe, non mouet illud per accidens, quando eſt cum alio, cum quo non facit vnum, ſicut actus & potentia, vel ſicut pars in toto, vel ſicut aliquid neceſsitate naturali coniunctum, ſed mouens aliquod corpus, non poteſt mouere Angelum quando eſt per ſe, ergo neque mouens corpus mouebit Angelum per accidens exiſtentem in illo corpore.

Reſpondetur Argumentis.

¶ Ad primum, quod ſuppoſito quod Angelus velit eſſe in aliquo corpore ſi corpus illud moueatur, etiam Angelus mouebitur, non præciſe ex vi motus ipſius corporis, ſed quia ipſe Angelus vult moueri ſimul cum corpore: quod ſi nolit ſe mouere, nullo modo mouebitur, ſed manebit in ſpatio, in quo erat corpus, & voluntas exiſtendi in corpore erit inefficax. Et idem dicendum eſt, ſi Angelus detineatur ab alio ſuperiori Angelo in aliquo corpore, nam neque in eo caſu ſufficiet corpus illud moueri à ſuperiori Angelo, ad hoc vt conſequenter moueatur etiam Angelus inferior, ſed neceſſariũ erit quod Angelus ſuperior moueat eũ per ſe, quod ſi nolit mouere illum per ſe, ſignũ erit, quod non habet voluntatem efficacem detinendi eum alligatum illi corpori. *Reſp. arg. ad primũ.*

¶ Ad ſecundum reſpondetur concedendo antecedẽs, ſed nõ ex vi motus corporis, ſed quia ipſe vult ſe ipſum præſentem facere alio & alio loco. *Ad ſecundum.*

¶ Ad tertium reſpondetur diſtinguendo antecedens, quando illud quod eſt in illo habet naturalem connexionem cum illo: at vero Angelus voluntariè eſt in corpore, & ſic non mouetur per accidens ad motũ corporis. *Ad tertiũ.*

¶ Ad confirmationem reſpondetur negando paritatem rationis, quia non ita ſe habet Angelus ad corpus, qualiter corpus Chriſti adſpecies, vt ſuo loco dicemus, explicantes illum locum Doctoris in quarto diſtinctione decima, quæſtione ſexta. litera F. ibi, ad ſecundum. *Ad confir.*

T DISPV-

DISPVTATIO OCTAVA, DE COGNITIONE ANGELORUM in genere. Continet tres Quæſtiones.

PRima, Vtrum in Angelis ſit intellectus agens, & poſsibilis.

¶ *Secunda, Vtrum, Angeli intelligentes ſe, producant verbum.*

¶ *Tertia, Vtrum, verbum productum ab Angelis per actũ intelligendi ſe, vel per actũ dicendi diſtinguatur ab ipſo actu dicendi; vel intelligendi & quomodo.*

TEXTVS.

ANgelus habet intellectum agentem, & poſsibilem, ergo poteſt habere notitiam à rebus. Probatur antecedens, potentia actiua (quæ non eſt imperfectionis, imo perfectionis in creatura aliqua) non eſt neganda à ſuperiori creatura, quæ eſt ſuperior, quantum ad hoc, ſed Angelus eſt ſuperior homine in intellectualitate, intellectus autem agens (qui eſt in homine potentia actiua) In homine nõ eſt imperfectionis in ipſo, ergo non debet negari Angelo, qui eſt creatura ſuperior diſtin. 3. quæſt. 11. litera A.

EXPLICATIO LITERÆ.

POſtquam in ſuperioribus diſputationibus actum eſt de ſubſtantia Angelorum, & de his quæ ad ſubſtantiã pertinent (quia quamuis actum ſit de exiſtentia Angeli in loco, & de eius motu locali non alia ratione diſputata ſunt, niſi vt oſtendatur quòd licèt Angeli non habeat corpora naturaliter ſibi vnita, & quæ pertineant ad eorum ſubſtantiam, habent tamen ordinem ad corpus quod voluntariè aſſumunt, & mouent, habent etiam ordinem ad locum, cum eorum ſubſtantia ſit illis ratio exiſtendi in illo, & per conſequens acquirendi & deſerendi illum). In præſentiarum igitur agendum eſt de his quæ pertinent ad potentiam & virtutem Angelorum, & quia inter potentias primum locum obtinet intellectus, ideo prius agendum eſt de his quæ pertinent ad intellectum Angeli, deinde ea quæ ad voluntatem pertinent diſputabimus. Et quia ad perfectam cognitionem eorum quæ de intellectu Angelico dicenda ſunt, oportet præintelligere an in Angelo ſit intellectus, & virtus intellectiua. ideo primo quærendum eſt de his quæ primo conueniunt potentiæ intellectiuæ creatæ ſecundum ſe, deinde ea quæ ſibi conſequuntur inquiremus.

QVÆSTIO PRIMA.

¶ *Vtrùm in Angelis ſit intellectus agens, & poſsibilis?*

DE hac re duplex eſt principalis ſententia. Prima eſt Diui Thomæ, & omnium Thomiſtarum prima part. q. 54. art. 4. Pro cuius explicatione aduertunt eius expoſitores; quod intellectus noſter dicitur poſsibilis, in quantum de ſe eſt pura potentia in genere intelligibilium, tam ad actum primũ, quam ad ſecundum: nam à principio caret vtriſque, quia caret ſpeciebus & actibus, & eſt in potentia, & capax illorum, & iſto modo intellectus Angeli non eſt in potentia: nam habet à principio ſpecies congenitas, & ſemper habet aliquem actum, & licèt recipiat ſpecies, & actus, non tamen dicitur eſſe in potentia, quia hoc dicit priuationem: & hoc modo non poteſt dici intellectus Angeli poſsibilis, nam vocamus intellectum poſsibilem, eum, qui eſt pura potentia in ſuo genere, & pari ratione licèt Angelus poſsit ſpecies aliquas de nouo recipere, vel ſpecies rerum ſupernaturalium, & forte etiam ſpecies cogitationum cordis, tamen ſimpliciter non vocatur intellectus poſsibilis, quia non eſt pura potentia, & quia non poteſt ab omni actu ceſſare, quamuis aliquid habeat potentiæ. Adde etiam, in nobis eſſe quandam potentiam ſpiritualem, quæ effectiuè reducit intellectum noſtrum poſsibilem de potentia ad actum

Prima ſententia.

actum primum, producendo ſpecies cum aliquo concurſu phantaſmatis, & hæc dicitur intellectus agens.

¶ Secundò aduertunt, quod intellectualis operatio in Angelo eſt longè perfectior, quam in nobis eo quod nobilior operatio ſequitur nobiliorem naturam, huiuſmodi autem perfectio attenditur, non ſolum extenſione, & latitudine obiectorum, quia videlicet plura intelligunt quam nos, verum etiam intenſione, & claritate, quia ſubtilius res eaſdem penetrant ob perſpicaciã potentiæ & adhuc etiam duratione, quia illorum operatio eſt coæua naturæ quam nos tardè incipimus, & ſæpè interrumpimus.

¶ Tertiò eſt notandum cum alijs (vt melius ſententia Diui Thomæ intelligatur) quod ſi quis rectè perpendat rationem Ariſtotelis (qua motus eſt ad ponendum hanc differentiam vtriuſque intellectus in nobis, ſcilicet agentis, & poſsibilis) inueniet, quod eadem omnino ratione, qua in nobis ponitur in Angelo non eſt ponenda, quia ratio ſtatuendi hanc differentiam intellectuum, non eſt, quod intellectus noſter ſit in potentia ad intelligendum, id eſt, quod aliquando ceſſet ab operatione, & poſtea operatur, hoc enim in ſenſu reperitur. Neque eſt ratio huius, quod intellectus noſter recipiat in ſe ſpecies intelligibiles à rebus acceptas, nam & ſenſus recipit ſenſibiles, tamen non eſt ſenſus agens. Neque eſt, quod intelligit per ſpecies à rebus acceptas, nam & ſenſus etiam recipit ſpecies à rebus, neque eſt, quod ſit pura potentia in genere intelligibilium. Nam ſenſus etiam eſt pura potentia in ſuo genere, quia neque de ſe habet actum primum, neque ſecundum, ad ſentiendum. Neque eſt, quod obiectum eius aliquod non ſit actu intelligibile, ſed tantum potentia, nam obiectum aliquod intellectus diuini (ſcilicet res materialis) non eſt actu intelligibile, ſed tantum potentia, & tamen neque Ariſtot. poſuit ſenſum agentem, neque aliquis ſomniauit quod in Deo ſit differentia intellectus agentis, & poſsibilis. Vnde ſupradicta duo notabilia (quæ nonnulli aſsignant in defenſionem Diui Thomæ) nihil faciunt ad rem, quare quanuis nihil eorum (quæ dicta ſunt) ſit per ſe ſufficiens ratio ponendi hanc differentiam, ſi tamen hæc duo vltima coniungantur, efficiuntur rationem ſufficientem: eſt enim ratio Ariſtotelis, quia intellectus eſt pura potentia in genere ſuo, & ex alia parte obiectum eius primum & proprium (ſcilicet quidditas rei materialis) non eſt actu intelligibile, ſed tantum potentia, ideo neceſſe eſt eſſe intellectum agentem, qui faciat actu intelligibile obiectum primarium, denudans illum à conditionibus materialibus, vt hac ratione obiectum poſsit producere ſpeciem intelligibilem, & facere in actu primo ipſum intellectum, qui erat in potentia.

¶ Ex defectu ſecundæ conditionis non admittimus hanc differentiam in ſenſibus, quia licèt ſenſus ſit pura potentia in ſuo genere: obiectum autem eius primum eſt actu ſenſibile, & ideo non indiget ſenſu agente, ad hoc vt conſtituat obiectum ſenſus in actu primo, qui ſenſus eſt pura potentia.

¶ Ex defectu vero primæ conditionis, neque in Deo, neque in Angelis ponimus hãc differentiam intellectuum, quia licèt aliquod eorum obiectum ſit intelligibile potentia, ſcilicet res materialis, ſed tamẽ tam Deus, quam Angeli, non habent intellectum, qui ſit pura potentia in ſuo genere, ſed eorum intellectus ex natura ſua eſt in actu primo, diuinus quidem, per ſe ipſum quia eſt purus actus; Angelicus autem, ad intelligẽdum ſe, & ipſum Deum per ſuam eſſentiam, ad intelligendum vero cætera omnia, per ſpecies ſibi connaturales. Vnde neque indiget intellectu agente, qui conſtituat eum in actu primo, neque intellectus eius dicitur hac ratione poſsibilis, vel paſsibilis.

¶ His igitur ſic prænotatis probant ſuam ſententiam: nempe quod in Angelis nõ ſit intellectus agens, & poſsibilis ſecundum propriam rationẽ. Probatur. Angelus non accipit ſpecies à rebus materialibus, nec per propriam actionem efficit in ſe ſpecies intelligibiles, cum ſint illis congenitæ, ergo non indigent intellectu agente. Antecedens probabitur in propria quæſtione. Sequela autem eſt manifeſta, quia ex eo ponitur intellectus agens, vt abſtrahat ſpecies intelligibiles à phantaſmatibus. *Primum argum.*

¶ Secundò. Potentia non inuenitur formaliter, vbi neque poteſt eſſe propria operatio, neque inuenitur proprium obiectũ, eo quod, fruſtra ibi talis potentia conſtituere- *Secundum argum.*

tueretur: ſed in Angelo neque eſt proprium obiectum intellectus agentis, neque poteſt eſſe propria operatio, ergo. Probatur minor, nam phantaſmata ſunt obiecta illius, quæ ſe habent ſicuti colores ad lucem.

Confirm. ¶ Confirmatur. Si aliqua ratione intellectus agens poſſet reperiri in Angelo, maxime, vt colligat ſpecies à rebus materialibus ex phantaſia, & imaginatiua hominis; ſed intellectus Angeli non habet vnionem cum imaginatiua, aut phantaſia hominis, ergo. Minor probatur. Nam Angelus non eſt infimum ſupremi, ſed potius rationalis anima eſt infimum naturæ intellectualis, ergo quamuis anima rationalis habeat naturalem vnionem cum organo corporeo, in quo natura corporalis eſt in ſupremo gradu ſui ordinis, non tamen Angelus.

Tertium argum. ¶ Tertiò. Sublata cauſa pluralitatis & diſtinctionis, tollitur etiam pluralitas, & diſtinctio, ſed in Angelis non eſt cauſa pluralitatis intellectus agentis, & poſsibilis, ergo. Probatur minor, quia intellectus agens ſolum eſt in illis intelligentibus, in quibus obiectum primum intellectus eſt intelligibile in potentia: ſed obiectum primũ intellectus Angelici eſt intelligibile in actu, & non in potentia: quia tale eſt obiectum immateriale, quod quidem eſt intelligibile in actu, ergo non erit in eis intellectus agens.

Quartum argum. ¶ Quod autem non ſit intellectus poſsibilis, probatur quartò; nam intellectus poſsibilis eſt recipere formas impreſſas; & per eas reduci de potentia ad actum, vnde comparatur materiæ primæ; quæ eſt pura potentia ad formas, ſed intellectus Angelicus ſemper eſt in actu, & ita cæleſtes ſubſtantiæ proportionantur cæleſti materiæ, quæ quamuis recipit formam, nunquam tamen [illegible] in potentia ad illam; quia nunquam [illegible] ſit primatio; ergo & intellectus Angelicus (cum nunquam fuerit in potentia ad ſpecies intelligibiles) non erit poſsibilis, neque poſsibilis.

Quintum argum. ¶ Quintò. Intellectus poſsibilis eſt in eo, qui interdum intelligit, interdum verò non intelligit, & aliquando eſt in potentia, aliquando verò in actu, ſed intellectus Angelicus ſemper eſt in actu, ergo Angelus non poteſt habere intellectum poſsibilem.

¶ Sextò. Præuentio cauſæ ſuperioris tollit actiuitatem cauſæ inferioris, ſed (cum in intellectu Angelico ſint concreatæ, ſpecies intelligibiles) præuentus eſt à cauſa ſuperiori, & ſemper eſt in actu reſpectu illarum, ergo Angelo neque eſt intellectus agens, nec poſsibilis. *Sexto argumen.*

¶ Vltimo. Si in Angelis eſt intellectus agens, & poſsibilis, ergo & in Deo. Patet ſequela, quia perfectio quæ reperitur in creaturis non eſt deneganda Deo. *Vltimo argumen.*

¶ Secunda ſententia, eſt Doctoris, vt patet in litera, quam defendit Gregorius in ſecundo diſt. 7. quæſt. 1. art. 1. & Albertus Magnus in ſuo lib. de quatuor coæquæuis, & Michael de Palacios. 3. de anima. cap. 6. diſputatione 1. Pro cuius explicatione, & totius quæſtionis. Eſt primò notandum, quod quæſtio præſens non habet locum in Deo, quia intelligere Dei, eius intellectus ſimiliter, & eſſentia (ſi per proprios conceptus concipiantur) ſunt omnibus modis idem, & tantum ratione ratiocinante diſtinguuntur, quia intellectus noſter concipit [illegible] intellectum, & eſſentiam diuinam per conceptus deſumptos à creaturis, [illegible] hæc omnia habet diſtinctionem [illegible] igitur difficultas eſt in intellectu angelico. *Secũda ſententia Doctoris.* *1. Notab.*

¶ Secundò eſt notandum, inter [illegible] ſolum Durandũ in primo diſt. 3. quæſt. [illegible] dicere non eſſe in homine intellectum agentem, quam ſententiam probat [illegible] rationibus, communis tamen ſententia [illegible] omnium Theologorum eſt cum Doctore in 3. & S. Thom. in 1. par. quæſt. 79. art. 3. ad ſecundum, dari intellectum agentem in hominibus, cuius officium non eſt intelligere, nec recipere, ſed vel abſtrahere ſpecies intelligibiles à phantaſmatibus, vel (ſi [illegible]) [illegible] ſpecies intelligibiles, vel [illegible] phantaſmata. *2. Notab.*

¶ Tertiò eſt notandum, [illegible] *3. Notab.* [illegible] à ſingulari ad [illegible] eſt illud phantaſma) ſint coniunctæ natura vniuerſalis, & particularis, [illegible] illæ naturæ [illegible] alià poſſunt repræſentari, ſed tamen [illegible] ſint coniunctæ illæ naturæ in illo phantaſmate,

taſmate non illuſtrato, ſolum apparet clarè natura ſingularis præſente tamen lumine, & ex vi illius, apparet natura vniuerſalis. Dicitur etiam operatio intellectus agentis abſtractio, quia ex illa operatione conſequitur alia, quæ dicitur productio ſpeciei repræſentatiuæ, rei vniuerſalis, abſque hoc quod producatur ſpecies repræſentatiua rei ſingularis, & talis operatio dicitur abſtractio, vel illuminatio, vel productio abſtractiua: & iſta abſtractio intellectus agentis habet proportionem quandam cum abſtractione intellectus poſsibilis, quæ eſt cognitio alicuius, non cogniti illi coniuncto, vnde intellectum agentem abſtrahere ſpecies intelligibiles à phanraſmatibus eſt facere quod phantaſmate (quod eſt imago expreſſa rei ſingularis) producatur imago rei vniuerſalis, quæ contracta erat in illo ſingulari repræſentato per illud phantaſma; quod quidem facit intellectus agens ſegregando naturam vniuerſalem à ſingularibus conditionibus, vel producendo ſpecies vniuerſales cum phantaſmate illuſtrato: quare non eſt intelligendum, quod intellectus abſtrahit ſpecies à phantaſmate, taliter, quod ſpecies prius fuerint in phantaſmate, & poſtea in intellectu poſsibili. Sed intelligendum eſt, quod intellectus poſsibilis (per ſpecies intelligibiles productas ab intellectu agente & phantaſmatibus) cognoſcit illam naturam vniuerſalem, quæ erat in phantaſmate, per modum repræſentationis, non quomodocunque, ſed illuſtrato lumine intellectus agentis, & quia per talem illuſtrationem apparet vtraque natura, particularis, & vniuerſalis repræſentata in phantaſmate, ideo intellectus agens abſtrahit naturam vniuerſalem à ſingulari illuſtrando illam, taliter, quod appareat illa natura vniuerſalis, quæ latebat ſub re ſingulari. Et propter hoc dixi ſupra intellectum agentem habere duplex officium, nempe abſtrahere, & illuminare: abſtrahere producendo ſpeciem intelligibilem ſimul cum phantaſmate in intellectu poſsibili: & illuminare ipſum phantaſma, vt in ipſo tanquam in obiecto reluceat vtraque natura, ſcilicet, & ſingularis, & particularis.

4. Notab. ¶ Quartò eſt notandum, quod intellectus agens: & poſsibilis non ſunt duo intellectus ſecundum rem, ſed vnus & idem, quatenus habet aliam; & aliam operationem, aliud, & aliud officium: propter quod à Doctore dicitur commuoiter, diſtingui formaliter. Quare non eſt audiendus in hac parte Albertus Magnus in ſumma de homine tractatu de intellectu agente quæſtione quarta & quinta. Vbi docet, intellectum agentem, intelligere & cognoſcere res omnes per ſuam eſſentiam, & non per ſpecies. Quæ doctrina contraria eſt doctrinæ Ariſtotelis libr. tertio de anima capit. quinto. vbi docet, intellectionem eſſe non poſſe ſine phantaſmate & ſpecie, ergo intellectus agens non poteſt intelligere res omnes per ſuam eſſentiam, imo nihil poteſt intelligere, neque cum ſpecie, neque ſine illa: nam vt Ariſtotel. vbi ſupra ait, intellectus agens habet ſe veluti lumen ad colores; ergo eius officium non eſt intelligere, nec recipere, ſed illuminare, & efficere res (quæ erant in potentia intelligibiles) actu intelligibiles.

¶ Præterea, operatio intellectus agentis præcedit productionem ſpeciei intelligibilis; quia ipſe eas ſua actione producit, ſed ſpecies ſunt priores ipſo intelligere, ergo operatio intellectus agentis non eſt intelligere.

¶ Ex quo infertur, quod abſtrahere abſolutè & vniuerſaliter ſumptum non eſt operatio intellectus agentis, quia abſtrahere eſt etiam vnum ſine altero cognoſcere ſibi coniuncto, vt cognoſcere lineam abſque ſubiecto ſenſibili, in quo realiter eſt, & ſcientiæ diſtinguuntur ſecundum abſtractionem à materia ſenſibili, vel intelligibili: quod eſt conſiderare rem ſine tali materia, quæ conſideratio non pertinet ad intellectum agentem. Quod etiam docet Ariſtotel. 2. Phyſicorum, text. 18. vbi ſic ait. Neque accidentia ſpeculatur quatenus talibus exiſtentibus accidunt, quapropter, & abſtrahunt: abſtracta enim ſunt à motu, id eſt à materia ſenſibili, & nihil refert, neque fit mendacium abſtrahentium. Vbi notandum eſt, quod ea ratione dicũtur mathematica abſtracta, quia mathematicus non conſiderat quæ ſub eius ſcientia cadunt, quatenus ſunt in ſubiecto ſenſibili. Officium igitur immediatum, & primum intellectus agentis eſt illuminare phantaſmata, ſimulacra, & imagines quę ſunt in phantaſia, & illuminat illa obiectiuè,

uè, ſicut lumen colores non producendo in ipſas aliquam qualitatem, ſed ſua præſentia reddendo illas imagines intelligibiles actu habiles, & potentes producere ſpeciem intelligibilem, ſicuti colores ex præſentia lucis fiunt viſibiles actu, & apti ad producendum ſpecies ſenſibiles, neque ipſum lumen ſubiectatur in colore. Ita in propoſito neque lumen intellectus agentis, quod eſt intellectus ipſe agens eſt ſubiectiuè in phantaſmate, ſed illuminat modo explicato. Nam vt docet Ariſtotel. 3. de anima text. 18. vbi ait in intellectu eſſe lumen, quod ſe habet ſicut lumen ad colores, faciens potentia colores actu colores, id eſt actu viſibiles: ſi ergo intellectus agens eſt ſicut lumen, ergo eius officium erit illuminare, & illuſtrare phantaſmata.

¶ Ex quo infertur ſecundo ex hac operatione intellectus agentis manare alias operationes ipſius, nempe quod intelligibilia in potẽtia efficiũtur intelligibilia in actu, quia reſultat natura communis ſpirituali modo repræſentata. Manat etiam, quod phantaſma ſit illuminatum, vel natura ſic illuminata producat cum intellectu agente ſpeciem intelligibilem in intellectu poſſibili, nam illa ſimulacra rerum ſingularium (quæ ſunt in phantaſia illuſtrata præſentia intellectus agentis) redduntur ſic conſpicua, quod mediante illo lumine apparet in illis natura vniuerſalis, non ſingularis quæ illic clarè manifeſtabatur, ſed vniuerſalis quæ erat contracta, & inuoluta conditionibus ſingularibus, quia ſicut in re ad extra natura vniuerſalis eſt contracta, & ſingularizata: ita phantaſmata illa ante illuſtrationem intellectus agentis ſolum repræſentant rem ſingularem, ſed aſsiſtente intellectu agente apparet in illis natura vniuerſalis: nam ſicut in pomo ſunt coniuncti odor, ſapor, & color, nihilominus adueniente lumine ratione illius ſolum apparet color, & ſolus ille à luce accipit vires, vt ſit potens ad producendas ſpecies: ita etiam, ſi in imagine quæ eſt in phantaſia ſint coniuncta natura vniuerſalis, & ſingularitas: adueniente tamen luce ſpirituali intellectus agentis per præſentiam ipſius apparet natura vniuerſalis, & illa efficitur potens ad producendas ſpecies. Quare iſta operatio intellectus agentis ob hoc dicitur abſtractio, quia facit apparere vnum ſine altero illi coniuncto, vel quia eſt productio ſimilitudinis vnius rei non producta ſimilitudine alterius illi coniunctæ. Vnde, ſicut color illuſtratus, & factus actu viſibilis ſtatim producit ſpecies viſibiles, ita phantaſma illuſtratum, ſiue natura vniuerſalis illic apparens effecta intelligibilis actu producit ſtatim ſpecies intelligibiles.

¶ Ex quo infertur tertiò, quod ſicut in ſenſu viſus non ſolum damus lumen, ſed etiam obiectum quod percipitur, & mouet potentiam producendo ſpecies: ita etiam in potentia intellectiua debemus aſsignare lumen quoddam, quod eſt intellectus agens, & debemus aſsignare obiectum, quod percipitur, & cognoſcitur, & mouet intellectum poſsibilem producendo ſpecies in ipſo intellectu poſsibili. Et hoc modo obiectũ reſpectu noſtri intellectus eſt phantaſma illuminatum, ſiue natura vniuerſalis illic repræſentata, ob illuſtrationem intellectus agentis, qui intellectus (ſimul cum phantaſmate illuminato) producit ſpeciem intelligibilem in intellectu poſsibili; quæ ſpecies fit actiuè ab vtroque. Vt colligitur ex doctrina Ariſtotelis in multis locis, & ex Diuo Thoma, prima parte, quæſtione 85. articu. primo. ad tertium, & quartum. Et ex Caietano prima parte quæſtione 79. articul. tertio. vbi ait quod abſtrahere ſpecies eſt educere illas ex potentia phantaſmatis, quod non debet intelligi ex potentia ſubiectiua phantaſmatis, ſicut forma educitur de potentia materiæ, quia ſic ſpecies intelligibilis eſſet ſubiectiuè in phantaſmate, quod falſum eſt, ſed educitur de potentia miniſteriali ipſius phantaſmatis, id eſt, actiuè producitur à phantaſmate, ex eo quod intellectus agens facit abſtractionem quandam in ipſo phantaſmate, per quam facit apparere, & reſultare in phantaſmate naturam vniuerſalem, quæ produxit illam ſpeciem: itaque phantaſma ſic illuminatum actiuè produxit illas ſpecies. Appellatur autem illa potentia phantaſmatis miniſterialis, quia habet ſe phantaſma veluti miniſter, & agens minus principale, intellectus vero agens vt dominus, & principale agens, à quo manat illa productio ſpeciei, & ſpecies ipſa: & ratio huius eſt, quia ſicut ſpecies viſibiles cauſantur à lumine per naturalẽ quandã emanationẽ, & principalius quàm à colore, quia lumen eſt ver-

luti prima ratio, quare color producat ſpecies, ita in propoſito poſſumus dicere, quod licet ab vtroque producatur ſpecies, tamen intellectus agens eſt, qui tribuit virtutem phantaſmati illuminando illud, non vero quod aliquam qualitatem illi tribuat, ſed quia propter eius exiſtentiam reſultat in phantaſmate natura vniuerſalis, quæ produxit ſpecies. Vnde intellectus agens videtur prima ratio illius productionis.

Nota hoc. ¶ Quare eſt maximè aduertendum, quod quando dicimus intellectum agentem illuminare phantaſmata, non eſt intelligendum, quod ab intellectu agente fluat aliquod lumen, & quod phantaſma (illo ſic lumine illuſtratum) producat ſpeciem; ſed quod ipſe intellectus agens eſt lumen, quo ſplendet, & relucet obiectiuè phantaſma, & deinde à phantaſmate & intellectu agente producitur ſpecies: ita tamen, vt prius natura intellectus agens illuſtret phantaſmata, & faciat illic apparere naturam vniuerſalem: poſtea vero à phantaſmate ſic illuſtrato & intellectu agente producatur ſpecies. Quod ſi aliquis teneat ſpeciem viſibilem cauſari à ſolo colore, quia lux ita concurrit cum colore quod exiſtentia illius efficitur potens ipſe color ad producendum ſpecies, adhuc tamen inueniet in intellectu agente, & in iſta productione ſpeciei aliquid, ratione cuius; productio ſpeciei potiſsimum debeat tribui intellectui agenti. Et ratio eſt, quia color etſi abſque præſentia lucis non poſsit producere ſpecies, tamen lux ipſa non conſtituit ipſum colorē in genere ſenſibili, quia ante aduentum lucis id habebat color: at vero phantaſma ante præſentiam intellectus agentis nullam habebat potentiam, id eſt virtutem ad producendam ſpeciem intelligibilem in noſtro intellectu, vel ſaltim remotiſsime: vnde per illuſtrationem intellectus agentis tranſlatum eſt in genere intelligibilium, ex qua tranſlatione habet omnem virtutem ad producendam ſpeciem, & ſic merito productio ſpeciei, principaliter tribuitur intellectui agenti.

5. Notab. ¶ Quintò eſt notandum, aliter eſſe iudicandum de intellectu Angelico, & intellectu noſtro: nam intellectus noſter (propter illam connexionem, quam habet anima ad corpus) habet etiam neceſſariam connexionem ad phantaſmata, quia vt docet Ariſtotel. nihil eſt in intellectu quin prius fuerit in ſenſu, quare in anima ſeparata non negamus intellectum agentem; quamuis nulla ſint phantaſmata, quæ oporteat conſiderare: quia per ſeparationem à corpore tollitur etiam illa connexio, quæ eſt inter intellectum & ſenſum, & ſic illuſtratio phantaſmatum competit intellectui coniuncto. Vnde Angelus poteſt reſpectu naturæ materialis, quod intellectus noſter reſpectu phantaſmatū. Id eſt quod ſicut intellectus noſter ex eo, quod habet naturalem coniunctionem cum corpore, indiget phantaſmatibus, ad hoc vt intellectus agens poſsit producere ſpeciem intelligibilem ipſius obiecti: ita quod, etſi obiectum per ſe nō poſsit producere cum noſtro intellectu agente ſpeciem intelligibilem; non ex defectu ipſius obiecti, neque ex defectu ipſius intellectus agentis; quia anima ſeparata poteſt accipere cognitionem à rebus, & habet intellectum agentem, & poſsibilem, imo etiam, ſi illi eſſent concreatæ omnes ſpecies intelligibiles, nō propterea, negaretur intellectus agens, neque poſsibilis ab ea; ſed ex eo prouenit, quod obiectum materiale non poſsit cum intellectu noſtro agente producere ſpeciem intelligibilem ſui; quia inter intellectum & ſenſum eſt quædam neceſſaria connexio, vt pro ipſo ſtatu nihil poſsit intellectus intelligere, niſi prius fuerit in ſenſu, & quia ad intellectionem requiritur productio ſpeciei intelligibilis, ideo, & talis productio requirit ipſum obiectum receptum in ſenſu, & per cōſequens, quod prout in ſe ipſo non poſsit cōcurrere cum intellectu agente ad productionem ſpeciei intelligibilis, ſed prout relucet in phantaſmate: at vero reſpectu intellectus Angeli non ita contingit, quia intellectus Angeli non habet neceſſariam connexionem cum ſenſu, & per conſequens, non indiget phantaſmate ad productionem ſpeciei intelligibilis, vnde (vt optimè aduertit Liquetus ſuper iſtam literam Doctoris in quarto præſuppoſito): obiectum poteſt immediatè agere ſimul cum intellectu non præſuppoſito ordine potentiarum, ſicut eſt pro ſtatu ipſo: vt verbi gratia, Si lapis comparatur ad intellectum Angeli, tunc enim lapis, vt eſt perfectè præſens intellectui Angeli, poteſt cauſare partialiter cōgnitionem intuitiuam ſui, ita quod talis

cognitio terminatur ad lapidem exiſtentem, in quantum exiſtens; poteſt etiam cauſare ſpeciem intelligibilem repræſentantem ipſum ſub ratione ſingularitatis. *Nota hoc.* Ex qua doctrina patet, quod quanuis obiectum ſecundum eſſe reale non poſsit cauſare cum noſtro intellectu agente ſpeciem intelligibilem ſui, niſi medio phantaſmate: at vero reſpectu intellectus ſeparati, vel reſpectu intellectus Angelici poteſt ſecundum eſſe reale cauſare & ſpeciem intelligibilem ſui, repræſentantem illud quantum ad eſſe quidditatiuum, & naturam quam in ſe habet, & quantum ad eſſe ſingulare, quia reſpectu talis intellectus non indiget aliquo phantaſmate, cum phantaſmata tantum ſint neceſſaria intellectui habenti connexionem cum ſenſu.

6. Notab. ¶ Sextò eſt notandum, quod ad intellectionem in nobis requiritur & intellectus agẽs, & intellectus poſsibilis, non ex præciſa ratione intellectiõis, ſed ex imperfectione noſtri intellect⁹, qui indiget intellectione realiter vel formaliter diſtincta ab ipſo intellectu. ¶ Vnde infertur, quod in intellectu diuino non datur intellectus agẽs & poſsibilis, quia intellectus diuinus, quia habet intellectionem omnibus modis idem cum ipſo intellectu, & tantum ratione ratiocinante diſtincta ab ipſo, ideo neque indiget productione ſpeciei intelligibilis, neque informatione ſpeciei intelligibilis, neque quod reducatur de potentia ad actum per verbum. Pro quo reuocandũ eſt in memoriam, id quod diximus in primo diſputatione, de productione verbi, quæſt. 1. circa modum quem intellectus habet ad intelligendum. Dicebamus enim ibi, quod quia obiectum materiale nõ poteſt per ſe vniri intellectui poſsibili, ideo ꝓducit ſpeciem intelligibilem, quæ loco ſui ſuppleat eius efficientiam, & quia ad productionem ſpeciei intelligibilis (propter neceſſariam connexionem quam habet intellectus cũ ſenſu) non poſsit per ſe, ſimul cum intellectu agente noſtro illam producere, ideo emittit quaſdam ſpecies ſenſibiles vſque ad phantaſiam, quæ in phantaſiã dicuntur phantaſmata, & illa phantaſmata illuſtrata lumine intellectus agentis producunt ſpecies intelligibiles repræſentantes naturam, quæ eſt in illo obiecto materiali; & quia illæ ſpecies ſunt accidentia, quæ neceſſario requirunt aliquod ſubiectum, in quo ſint, ideo intellectus poſsibilis recipit illa accidentia, & informatur ab illis, ſed non ex hoc propriè & in rigore, intellectus poſsibilis dicitur (ad ſenſum quo Ariſtotel. 3. de anima, tex. 2. & 11. dicit quod intelligere eſt quoddã pati) quia ſpecies illæ intelligibiles quatenus ſunt cauſæ intellectionis non reſpiciunt potentiam paſsiuam intellectus, ſed actiuam, & non intellectus agentis, ſed poſsibilis, quia intellectus agens non agit intellectionem, cum eius officium ceſſet producta ſpecie intelligibili, ſed potentiam actiuam intellectus poſsibilis. Quare accidit ſpeciei intelligibili, quatenus repræſentatiua eſt obiecti, quod ſit accidens, quod ſi non eſſet accidens, adhuc tamen reſpiceret potentiam actiuam intellectus poſsibilis, & intellectus poſsibilis verè diceretur intellectus poſsibilis, etiam ſi illam ſpeciem nõ reciperet. Sicut verbi gratia, Quando Angelus intelligit ſe ipſum per ſuam eſſentiam, certum eſt, quod eſſentia Angeli non informat intellectum poſsibilem, quia nõ eſt accidens, neq; forma inhærens, ſed ſubſiſtens, & tamen ille intellectus dicitur poſsibilis, vel paſsibilis, quia ad intellectionem (vltra ipſam ſpeciem intelligibilem, cuius vnione vel præſentia dicitur intellectus in actu primo) indiget productione verbi, quæ productio non eſt intellectio, ſed dictio, quia intellectio formaliter reſpicit obiectum. Iſta autem productio reſpicit potentiam actiuam in ratione cauſæ efficientis, non autem obiectum in ratione terminantis, verbum autem productum informat ipſum intellectum, & ob hanc rationem præciſe dicitur intellectus poſsibilis, quia implicat intellectum noſtrum aliquid intelligere, niſi reducatur de potentia paſsiua proxima ad actum, quæ reductio non fit per ſpeciem, quia quantumcunque ſit informatus ſpecie, adhuc eſt in potentia intelligens, & actu non cognoſcens, ſed fit per verbum tanquam per formalem, & expreſſam rationem intelligendi, qua iſta formatione poſita, ſtatim intellectus operatur intelligendo, & contemplando obiectum, quod formaliter expreſſè repræſentatur per verbum. Et propter hoc dicebat Ariſtoteles, intelligere noſtrum eſſe quoddam pati, non quod illa receptio verbi ſit præciſe intellectio (vt nonnulli falſo

contendunt ex Doctore quodlibero illo. decimotertio.) ſed quia ita eſt neceſſaria illa paſsio, ſiue receptio verbi, vt implicet poſſe nos aliquid intelligere, & operando vitaliter aliquid contemplari, niſi præciſe præſuppoſita tali informatione intellectus per verbum, ſicut impoſsibile eſt nos viuere, niſi præciſe præſuppoſita informatione, qua anima rationalis informat corpus noſtrum: & ſicut illa informatio præciſe non eſt viuere, ſed neceſſario requiſita ad ipſum viuere, quia per illam reducitur corpus de potentia proxima ad actũ, ideo dicitur neceſſario per ſe requiſita, & *Nota hoc.* præſuppoſita, quanuis viuere ſit poſterius ad illam informationem, nam viuere eſt operatio quædam vitalis, qua non ſolum anima, ſed etiam corpus viuit, & vtrumque vitaliter operatur. Ita in propoſito, intellectio eſt operatio quædam vitalis, quæ neceſſario requirit, & præſupponit informationem intellectus poſsibilis per verbum, illa tamen informatio non eſt intellectio, ſed quid neceſſario prærequiſitum, tanquam reducens intellectum de potentia proxima ad actum, & ad operationem vitalem, ſiue intellectionem, vel intelligere. Quare intelligere eſt operatio vitalis, poſterior ad ipſam informationem. Vnde ſi aliquis intellectus (qualis eſt diuinus) non ſit in potentia ad ipſum operari vitaliter (quia eſt puriſsimus actus) non indiget informatione verbi, tanquam neceſſario prærequiſito, neque habet intellectum poſsibilem, quia non habet intellectum in potentia obiectiua, nec ſubiectiua reſpectu verbi, cum non indigeat verbo ad intelligendum, & ſimiliter neque habet intellectum agentem, quia habet ex ſe, & ex natura ſua intrinſecam rationem intelligendi, non diſtinctam ab intellectione, niſi per noſtrum opus intellectus, qualis eſt eſſentia diuina, quia (vt ſæpe ſæpius dixi) eſſentia diuina, intellectus diuinus, & intellectio diuina, ſi proprio conceptu concipiantur, non diſtinguuntur aliqua ratione, ſed tota ratio diſtinctionis inter illa ſumitur, ab intellectu noſtro intelligente illa per conceptus deſumptos à creaturis. Ex quo infertur, quòd quanuis aliquis intellectus creatus habeat omnes ſpecies concreatas, tam rerum vniuerſalium, quam ſingularium, quia tamen illas non habet ex natura ipſius intellectus, ſed ſunt realiter diſtinctæ ab illo, non ex hoc tollenda eſt ab illo intellectu ratio intellectus agentis, & poſsibilis: quia ille intellectus ex natura ſua nõ habet, quod ſit in actu primo, nec in actu ſecundo, ſed per accidens eſt in actu primo, quia ei concreatæ ſunt formæ, & ſpecies, quibus in actu primo conſtituitur. Vnde quanuis non ſit reſpectu illarum in potẽtia obiectiua, ſemper tamen eſt in potẽtia ſubiectiua, & realiter diſtincta ab ipſis ſpeciebus, & quia hoc poſito in actu primo per illas ſpecies remanet in potentia ad actum ſecundum, ideo neceſſario indiget verbo, & intellectu poſsibili: quia implicat aliquid intelligere, niſi reducatur de potentia pro- *Nota hoc* xima ad actum ſecundum, quæ reductio fit per verbum, & hoc benè nota vt poſsis percipere rationem intellectus agentis, & poſſibilis.

¶ Prima concluſio. In Deo non eſt intelle- *Prima cõ* ctus agens nec poſsibilis. Hæc concluſio *cluſio.* communis eſt apud omnes. Et probatur ex rationibus intellectus agentis, & poſsibilis. Nam officiũ intellectus agentis, vel eſt illuminare obiecta materialia, vel producere ſpecies intelligibiles ſimul cum obiecto materiali, vel phantaſmate, ſed intellectus diuinus non illuminat obiecta materialia, nec ſimul cum illis producit ſpecies intelligibiles, quia eſt actus puriſsimus, & habet eſſentiam ſibi præſentem in ratione obiecti, quæ eſt exemplar repræſentatiuum cuiuſcunque repræſentabilis, ergo intellectus diuinus non poteſt induere rationem intellectus agentis.

¶ Secunda pars probatur. Quia intellectus poſsibilis dicitur intellectus in potentia ſuſceptiua verbi, ſed intellectus diuinus nullo modo eſt potentia ſuſceptiua, cum ſit puriſsimus actus, neque indigeat verbo ad intellectionem, ergo.

¶ Secunda concluſio. In nobis vltra intelle- *Secunda* ctum poſsibilem ponendus eſt intellectus *concluſio.* agens formaliter diſtinctus ab intellectu poſsibili. Hæc cõcluſio quoad primam partem, ſcilicet, ponendum eſſe intellectum poſsibilem in nobis, communiter conceditur ab omnibus. Quoad ſecundam de intellectu agente probatur. Potentia requiritur propter actum, ſed intelligibilia in potentia non poſſunt actu intelligi ſine intellectu agente, ergo ponendus eſt intellectus agens. Probatur minor. Nullum obiectum

poteſt percipi à potentia niſi ſit ei proportionatum, ſed obiectum proportionatum intellectui poſsibili non eſt res materialis, ergo ponendus eſt intellectus agens cuius officio materialia immaterialia fiant.

¶Secundò. Sicut ſe habet lumen ad potentiam viſiuam, ſic intellectus agens ad poſsibilem intellectum, ſed potentia viſiua ſine lumine non poteſt habere operationẽ, ergo neque intellectus poſsibilis ſine intellectu agente.

¶Tertiò. Operatio arguit potentiam, ſed nos experimur abſtrahere ſpeciem vniuerſalem; quod eſt proprium intellectus agentis, ergo in nobis eſt intellectus agens. Probatur minor. Nos experimur intelligere obiectum vniuerſale, ſed obiectum vniuerſale non poteſt intelligi ſine ſpecie vniuerſali abſtracta à phantaſmate, ergo.

¶Vltimò. Obiectũ potentiæ præcedit actũ potentiæ, ſed obiectum vniuerſale eſt obiectum intellectus poſsibilis, ergo præcedit actum intellectus poſsibilis, ſed non præcedit ſecundum quod eſt in re materiali, cũ omnia quæ ſunt in rerum natura ſint ſingularia, ergo prout eſt abſtractum ab intellectu agente, & per conſequens in nobis datur intellectus agens.

Tertia conclusio. ¶Tertia concluſio. In Angelis datur intellectus agens, & poſsibilis. Hæc concluſio eſt Doctoris, vt patet in litera, & quoad ſecundam partem expreſsè docet eam Alexander Alenſis in 2. par. quæſt. 22. membro. 3. Quoad primam vero illam concedit in aliquo ſenſu. Probatur tamẽ quoad vtranque partem, & primò de intellectu poſsibili. Intellectus Angeli eſt receptiuus verbi, ab illo per dictionem producti, ſiue per intellectionem (ſi intellectione producitur verbum) ergo intellectus Angeli eſt intellectus poſsibilis. Probatur antecedens. Quia verbum productum ab intellectu Angeli eſt forma ipſius intellectus, & illo actualiter intelligit rem: cuius eſt verbum, ergo intellectus Angeli eſt in potentia reſpectu illius. Patet conſequentia. Quia forma reſpicit illud, cuius eſt forma in ratione potẽtię. ¶Confirmatur. Quia dato quod Angelus habeat ſpecies infuſas, & concreatas omnium rerum intelligibilium, adhuc tamen reducit ſe de potentia ad actum ſecundum, ſed non niſi per receptionem verbi, ergo intellectus Angeli eſt receptiuus verbi, & modo huius, & modo illius, ergo eſt in potentia ad hoc, vel illud, ſed hoc eſt habere rationẽ intellectus poſsibilis, (vt diximus in vltimo notabili) ergo.

¶Secundò. Si aliqua ratione non eſt in Angelis intellectus poſsibilis, maxime, quia officium intellectus poſsibilis eſt recipere formas impreſſas, & per eas reduci de potentia ad actum, & intellectus Angelicus ſemper eſt in actu: ſed hoc falſum eſt quantum ad vtranque partem (ſi prima intelligatur de ſpeciebus intelligibilibus) ergo. Probatur minor. Nam ſpecies intelligibiles cõcurrunt cum intellectu poſsibili ad productionem verbi, per modum concauſæ, ergo reſpiciunt intellectum poſsibilem vt ſimul concauſam: cum eis ergo non reſpiciunt potentiam paſsiuam intellectus poſsibilis, & per conſequens, non ex eo intellectus dicitur poſsibilis, quia informatur ſpeciebus, ſed quia patitur recipiendo verbum, quod ex natura ſua reſpicit potentiam paſsiuam intellectus. ¶Secunda pars patet, quia quauis intellectus Angelicus ſemper ſit in actu reſpectu alicuius obiecti, non tamen reſpectu cuiuſcunque obiecti, ergo quanuis ſit in actu reſpectu huius, erit in potentia reſpectu alterius. ¶Secunda pars concluſionis probatur. Nam cuicunque potentiæ paſsiuæ naturali correſpondet ſua actiua naturalis, ſed in Angelis eſt potentia actiua naturalis, nempè intellectus poſsibilis (vt probatum eſt) ergo & actiua, maior ab ipſis conceditur, quanuis ſimpliciter non habeat omnimodam veritatem. ¶Secundò. Anima ſeparata habet intellectum agentem, & poſsibilem, ergo & Angelus. Patet conſequentia. Quia quod eſt perfectionis in intellectu humano, non eſt negandum intellectui Angelico, præcipuè, non includens imperfectionem. ¶Confirmatur. Si in anima eſſent concreatæ omnes ſpecies intelligibiles, adhuc in illa eſſent intellectus agens, & poſsibilis, ergo quanuis in Angelo ſint concreatæ ſpecies omnium rerum intelligibilium, adhuc in illo eſt intellectus agens & poſsibilis.

¶*Reſpondetur argumentis.*

¶Ad primum negando antecedens, vt in proprio loco diſputabitur. *Ad primũ argum.* ¶Ad ſecundum reſpondetur concedendo maiorem, & negando minorem: *Ad ſecundum.* & ad probationem negamus antecedens cum Doctore in hac quæſtione, quia intellectus Angelicus nullam connexionem dicit cum ſenſu, & ideo non indiget

indiget phantaſmate, ſed quod agit phantaſma reſpectu noſtri intellectus, agit res materialis cum intellectu Angelico.

Ad tertium. ¶Ad tertium reſpondetur concedendo maiorem, & negando minorem: & ad probationem diſtinguendo minorem, de intelligibili in potentia proxima, vel remota, de potentia proxima (tam reſpectu noſtri intellectus, quam reſpectu intellectus Angelici) eſt ſpecies intelligibilis, de potentia vero remota reſpectu noſtri intellectus eſt phantaſma, reſpectu autem intellectus Angelici eſt quidditas rei materialis, in re ſingulari reperta.

Ad quartum. ¶Ad quartum reſpondetur cōcedendo maiorem, & negando minorem, quia quamuis intellectus Angelicus ſemper ſit in actu reſpectu alicuius obiecti, eſt tamen in potentia reſpectu notitiarum aliorum obiectorū, & ſic eſt receptiuus illarum, & per conſequens paſsiuus reſpectu illarum.

Ad quintum. ¶Ad quintum eodem modo reſpondetur, imo ipſum probat noſtram concluſionem ſi in minori dicatur, ſed intellectus Angelicus non ſemper eſt in actu reſpectu cuiuſcunque intellectionis: & per conſequens erit in potentia ad illas.

Ad ſextū. ¶Ad ſextum reſpondetur diſtinguendo antecedens, vel per actiuitatem intelligis virtutem actiuam, vel actionem. Si primum; falſum eſt antecedens, quia etiam ſi Deus præueniat actionem ignis ad calefaciēdum lignum, quamuis ignis nō habeat calefactionem reſpectu ligni, habet tamen virtutem calefactiuam. Ita in propoſito, quāuis Deus concreando ſpecies in intellectu Angelico præueniat abſtractionem, quam faceret intellectus agens, non tamen ex hoc tollit virtutem abſtractiuam. ¶Ad vltimum reſpondetur negando ſequelam, vt diximus in prima concluſione. *Ad vltimum.*

QVÆSTIO II.

¶*Vtrùm Angeli intelligentes ſe producant verbum?*

DE hac quæſtione videnda ſunt quæ diximus in. 1. diſput. 10. quæſt. 3. vbi late illam diſputaui, quare in præſentiarum nihil ſe offert diſputandum ſuper illam.

QVÆSTIO III.

¶*Vtrùm verbum productum ab Angelis per actum intelligendi ſe, vel per actum dicendi, realiter diſtinguatur ab ipſo actu dicendi, vel intelligendi, & quomodo.*

DE hac quæſtione videnda ſunt quæ diximus in. 1. diſputatione illa. 10. quæſtione. 2. & 4.

DISPV-

DISPVTATIO NONA, DE COGNITIONE ANGELORUM in particulari. Continet ſeptem Quæſtiones.

Prima. Vtrùm Angelus poßit intelligere ſe per ſuam eſſentiam ita vt non indigeat aliqua ſpecie repræſentante illam.

Secunda. Vtrùm Angelus per ſuam eſſentiã poſſit cognoſcere alium Angelum.

Tertia. Vtrùm cognitio qua vnus Angelus cognoſcit alium Angelum ſiue per ſuam eſſentiã ſiue per ſpeciem ſit comprehenſiua.

Quarta. Vtrùm Angelus poßit cognoſcere ſuam eſſentiam cognitione abſtractiua.

Quinta. Vtrùm Angelus cognouerit Deũ per aliquã ſpeciẽ ſibi inditã, an vero per ſuã eſſentiã.

Sexta. Vtrùm Angelus inferior perfectiori modo cognoſcat Deum per ſpeciem Angeli ſuperioris, quam per propriam eſſentiam.

Septima. Vtrùm cognitio qua Angelus cognouit Deum cognitione naturali fuerit quidditatiua.

TEXTVS.

AD quæſtionem igitur dico, quod Angelus poteſt intelligere ſe per eſſentiam ſuam, ſecundùm intellectũ expoſitum in principio quæſt, diſt. 3. q. 8. lit. C.

EXPLICATIO LITERÆ.

DOctor in hac litera reſpondet ad quæſtionem, qua quærit, ſi poſita ſola eſſentia Angeli quæ præſens eſt intellectui, circumſcripto quocunque habitu ſcientiali, & remota quacunque ſpecie intelligibili, poſſit ſe cognoſcere, & ponit vnam concluſionem, quæ talis eſt, Angelus per ſuam eſſentiam ſecluſa quacunque ſpecie intelligibili poteſt ſe intelligere. Hanc concluſionẽ probat, quia obiectum (quod eſt actu intelligibile) poteſt concurrere efficienter cum potentia intellectiua ad producendam cognitionem ſui ipſius, ſed eſſentia Angeli eſt obiectum actu intelligibile, & eſt præſens intellectui ipſius Angeli, ergo poteſt ſimul cum illo producere intellectionem, & cognitionem ſui ipſius. Quia tamen concluſio iſta diſputatione magis explicabitur, ſit titulus quæſtionis.

QVÆSTIO PRIMA.

¶Vtrũ Angelus poßit intelligere ſe per ſuã eſſentiã, ita vt nõ indigeat aliqua ſpecie intelligibili repræſentante illã.

PRO parte negatiua eſt primum argumentum. *Primum argum.* Anima coniuncta corpori non intelligit ſeipſam ſine ſpecie, quanuis ſit obiectum actu intelligibile, ergo neque Angelus. Antecedens eſt Ariſtotel. 3. de Anima, tex. 8. & 13. vbi ait, quod anima intelligit ſe, ſicut alia, ſed alia intelligit per ſpecies, ergo. Sequela autem probatur, quia Angelus ex eo intelligit ſe per ſuam eſſentiam, quia eſt obiectum actu intelligibile, ſed etiam hoc conuenit animæ noſtræ, & eſt ſimiliter intimè præſens potẽtiæ, ergo. ¶Secundò. *Secũdum argum.* Angelus eſt ſingularis, ergo non eſt per ſe intelligibilis, neque eius eſſentia eſt ratio ſeipſum intelligendi, & per conſequens indiget ſpecie intelligibili vniuerſali, ex qua per reflexionem, & argumentatiuè ſingulare intelligatur. Antecedens patet, quia intellectus eſt vniuerſalium, ſenſus vero ſingularium. ¶Tertiò. *Tertium argum.* Omnis potẽtia cognoſcitiua debet denudari ab eo quod eſt ratio cognoſcendi, ſed intellectus Angeli ſecũdũ rẽ eſt eſſentia Angeli, ergo nõ poteſt intelligere eſſentiã per eſſentiã. ¶Quartò. *Quartum argum.* Intellectus mouetur ab intelligibili (quia intelligere eſt quoddã pati) ſed nihil patitur à ſeipſo, quia nihil recipit ſeipſum, ergo intellectus Angelicus non poteſt moueri ab eſſentia, nec recipere illã, & per cõſequẽs nec intelligere per eſſentiã. ¶Cõfirmatur. Ad hoc quod intellect⁹ intelligat aliquod obiectũ, prius debet reduci de potẽtia ad actũ primũ, talis autẽ reductio debet fieri per informationẽ, ſed eſſentia Angeli nõ põt informare eius intellectũ, ergo neq; Angelus per eſſentiã ſeipſum intelligere.

¶Vltimò. *Quintum argum.* Si eſſentia Angeli eſſet ratio cognoſcendi ſeipſam abſque ſpecie intelligibili

bili, ſequeretur, quòd notitia qua Angelus cognoſcit ſeipſum eſſet idem realiter cum ipſo intellectu Angelico. Probatur ſequela. Quia medium eſt idem cum extremis; ſed intellectus & eſſentia, quæ ſunt extrema identificantur, ergo ſimiliter notitia ſui ipſius (quæ eſt mediũ) identificabitur vtrique extremo.

Prima ſententia. ¶ Pro explicatione huius quæſtionis Doctor ponit ſententiam Henrici aſſerentis, Angelum non cognoſcere ſe per ſolam eſſentiam, ſed requirere habitum ſcientialem in intellectu, quo repræſentatur eſſentia Angeli ſub ratione actu intelligibilis, nempè ſub ratione vniuerſalis, & vt abſtrahit ab exiſtentia, & ab omni conditione accidentali; vnde ſi per impoſſibile Angelus eſſet ſine illo habitu, in nullo penitus amouitaretur intellectus Angelicus; & per conſequens, nihil intelligeret, ergo non poteſt intelligere ſe per ſuam eſſentiam, circumſcripto quocunque alio.

Secunda ſententia. ¶ Secunda ſententia eſt D. Thomæ 1. parte, quæſt. 56. art. 1. In cuius explicatione maximè laborant eius expoſitores, aduertunt enim. Primò; quod licèt diſcipuli D. Thomæ conueniant in concluſione, nempè quod eſſentia Angeli ſupplet rationem ſpeciei intelligibilis, diſſentiunt tamen inter ſe circa modum explicandi, quomodo ſe habeat eſſentia reſpectu intellectus. Nã Ferrara 3. contra gentes docet, quod eſſentia Angeli & eius intellectus ſunt in duplici genere, ſcilicet, in genere entis; & in genere intelligibili. Et in primo genere eſſentia Angeli habet rationem ſubiecti, & intellectus habet rationem formæ accidentalis actuantis ſubiectum; ſicut accidentia omnia actuant ſubſtantias in quibus ſunt. In ſecundo verò genere, eſſentia Angeli habet rationem formæ intelligibilis, ſub actu exiſtentis intellectũ: & proinde eſſentia comparatur ad intellectum, ſicut ſpecies ad potentiam cognoſcitiuam, non quidem in eo quod ſpecies inhæret potentiæ, cum eſſentia Angeli ſit per ſe ſubſiſtens; nihilominus tamen, facit vnum cum intellectu in eſſe intelligibili ad actionem intelligendi; & hac ratione eſſentia eſt principium effectiuum, & formale ſui ipſius cognitionis. Nec requiritur inhærentia eſſentiæ cum potentia, ſed ſatis eſt vnio, vt dicatur eſſe principiũ quo intellectionis. Nam bonum apprehenſum non inhæret voluntati, & tamen concurrit

LAP

ad actum voluntatis, vt formale principium quo voluntas amorem producit. Imo exemplum hoc militat à fortiori reſpectu eſſentiæ cum intellectu Angeli. Nam bonum apprehenſum nõn eſt intra voluntatem, at eſſentia Angeli eſt intra intellectum eius, ergo multo magis debet illi conuenire eſſe principium quo intellectionis. Rurſus, lux non inhæret colori, nã eſt ſubiectiue in diaphano; & nihilominus facit colores actu viſibiles. Imo lux ipſa eſt formale principiũ quo ex coloribus veluti ex ſemine, quaſi in genere cauſæ materialis producuntur viſibiles ſpecies eductæ de potentia diaphani aut ſubiecti. Lumen etiam intellectus agentis non inhæret phantaſmatibus, & tamen lumen illud eſt formale principium, & effectiuum quo phantaſma exprimit ſpeciem. Igitur ſicut in exemplis adductis optimè intelligitur, quod forma aliqua poteſt eſſe formale principium quo operationis, licèt non inhæreat potentiæ, quia ſufficit quod vniatur; ita optimè etiam intelligi poteſt, quod eſſentia Angeli licèt non inhæreat intellectui, tamen aliam habet vnionem cum eo ſufficientem, vt dicatur principium formale quo intellectus efficit intellectionem ſui ipſius. Hoc inſinuat D. Thomas de veritate, quæſt. 8. artic. 4. ad ſecundum & ſextum, & quæſt. 2. art. 8. ad 13. imo & in hoc artic. manifeſtè docet; eſſentiam Angeli eſſe principium formale cognitionis ſui ipſius. Nam ſtatim à principio articuli præſupponit quod ſicut ignis calor eſt principium formale calefactionis, ita ſpecies intelligibilis eſt principium formale intellectionis: & poſtea oſtendit, quod eſſentia Angeli eſt forma ſubſiſtens, & non inhærens, & tamen hoc non impedit quominus ſit principium formale cognitionis, ſicut calor ſubſiſtens (ſi daretur) eſſet nihilominus principium formale calefactionis, non minus quã inhærens.

¶ Sed eſt vnum argumentum contra adductam opinionem ſatis difficile, quia principiũ formale quo aliqua potentia operatur, neceſſe eſt, quod ſit ſubordinatũ ipſi potentiæ, & ſit aliquid inferius ipſa potentia, & ab illa dependens; ſed eſſentia Angeli nequit eſſe principium ſubordinatum proprio intellectui, neque ab illo per ſe dependens in operatione; ergo non poteſt eſſe principium formale quo intellectus intelligit. Maior videtur manifeſta, quia tale principiũ eſt forma per quã potẽtia operatur, ſed forma alicuius potentiæ

Nota quo modo concurrat ſpecies intelligibilis ad intellectionem.

tentiæ ſubordinatur ipſi potentiæ in ratione operandi, ergo. Minor probatur. Quia ſicut res ſe habet ad eſſe, ita ad operari, ſed intellectus Angeli in ſuo eſſe intellectuali pendet à propria eſſentia. Tum, quia eſt propria paſsio ab ipſa dimanans, tum etiā, quia recipitur in illa tanquam in proprio ſubiecto, ergo in operatione intellectuali intellectus ſubordinatur eſſentiæ, & ab illa dependet, & non viceuerſa. ¶ Cōfirmatur. Quia cognitio per ſe primo competit intellectiuæ potentiæ, eo quod eſt actio vitalis, quæ tribuenda eſt potentiæ vitali, ergo quodlibet formale principium cognitionis (quod ſuperuenerit potentiæ, ſiue illud ſit inhærens, ſiue per ſe ſubſiſtens) habebit dependentiam, & ſubordinationem reſpectu potentiæ quantum ad operationem vitalem. Ad hoc argumentum poteſt aliquis reſpondere primo ex Caiet. quæſt. 12. art. 2. prope finem, vbi ait, quod cognoſcere ita comparatur ad ſpeciem intelligibilem, ſicut eſſe ad formam ſubſtantialem, ita vt cognitio habeat ſe vt effectus formalis, & nō procedat ab ſpecie intelligibili (in rigore loquendo) tanquam à principio effectiuo, ſed tanquam à principio formali vt ſic. Vnde colligitur quod cum ſpecies intelligibilis non ſit principium effectiuum cognitionis, non habeat neceſſariam ſubordinationem ad potentiam cognoſcitiuam, ſed ſolū ſe habet vt forma conſtituens potentiam formaliter in ſuo complemento in eſſe intelligibili, nimirum in actuali cognitione. Hoc autem potius importat ſuperioritatē in ipſa ſpecie intelligibili reſpectu potentiæ, quam ſubordinationem reſpectu illius. Cæterum hæc ſententia Caiet. ſuam habet difficultatem, & ante omnia videtur eſſe cōtra D. Thom. tum alijs in locis, tum etiā in hoc articulo, vbi inquit, quod ſicut calor in igne eſt calefactionis principium, ita ſpecies in intellectu eſt principium cognitionis, ergo ſecundùm ſententiam D. Thom. cognitio procedit ab ſpecie tanquā à principio effectiuo, ſicut calefactio procedit à calore ignis.

Primus modus reſpondendi.

¶ Alij vero aliter reſpondent ad prędictum argumentum, dicentes, quòd quando potentia operatur per formam ſibi inhærentem, proculdubio, illa forma eſt ſubordinata potentiæ, & inferior illa, quando vero forma (quæ non actuat potētiam in eſſe entitatiuo, neque illi inhæret) concurrit cum potentia, tunc non concurrit cum potentia vt principium effectiuum, ſed vt principiū formale, & ita non eſt neceſſarium, quod talis forma ſubordinetur potentiæ, quin potius habet ſupereminentiam reſpectu potētiæ, hoc patet in exemplis adductis. Lux enim in ratione viſibilis habet excellentiā ſupra colorem, & non dependet ab illo, nec ſubordinatur illi, ſed potius è contrario, color eſt in ratione viſibilis dependens à luce, & lux eſt ratio formalis ſub qua videntur. Similiter etiam, bonum apprehenſum per potentiam cognoſcitiuam habet excellentiam ſupra voluntatem. Et lumen intellectus agentis habet excellentiā ſupra phantaſmata, nec ſubordinatur illis, ſed potius viceuerſa. Ratio huius eſt, quia huiuſmodi formæ extrinſecæ præſupponunt potentiam iam actuatam per intrinſecam formā, quæ ſit principium effectiuum ſimul cum potentia. At verò forma extrinſeca ſuperueniens complet, & determinat potentiam & formam illi intrinſecam ad operationem perfectam talis ſpeciei. Nunc ergo in noſtro propoſito explicatur, quod dicimus ſpecies intelligibilis non eſt inſtituta à natura, vt ſit virtus, & forma intrinſeca per quam potentia operetur, etenim ipſamet potentia eſt virtus intellectiua, vel habet virtutem intellectiuam intrinſecam, ſed inſtituta eſt ad duo officia. Primò quidem, & principaliter, vt faciat vnionem obiecti cū potentia in eſſe intelligibili. Secundò & cōſequenter, vt potentiam intellectiuā compleat, & determinet ad talem, vel talem cognitionem, & hoc officium pertinet ad excellentiam ipſius ſpeciei. Vnde poteſt tale officium exequi quamuis non inhæreat potentiæ, neque ab illa dependeat, ſed potius ſe habeat vt forma per ſe ſubſiſtens. Et propter hanc rationem, docti quidam Theologi ſequentes D. Tho. dicunt, non eſſe de ratione ſpeciei intelligibilis quod inhæreat intellectui, quamuis ſpecies intelligibilis, quæ eſt accidens, de facto inhæreat intellectui; hoc tamen non competit ei, inquantū eſt ſpecies intelligibilis, ſed inquantū pertinet ad genus qualitatis. Ex quo tamē ſequitur, quod poteſt eſſentia Angeli eſſe principiū formale intellectionis ipſiuſmet Angeli abſque inferioritate, & ſubordinatione ad potentiam, quia non concurrit (vt ſic) vt principium effectiuum. Et per hoc patet ad argumentum.

Secundus modus.

¶ Ad

¶Ad confirmationem reſpondent (& eſt notanda ſolutio) quod quando potentia vitalis operatur per formam extrinſecam, talis forma non elicit vitaliter operationem vitalem, ſed ſola potentia per ſuam virtutē intrinſecam elicit vitaliter operationem, determinata tamen & completa per illam formam extrinſecam. Vnde forma extrinſeca eo tantum dicitur eſſe formale principium, quia determinat & complet formaliter potentiam ad talem operationem, cum in illa operatione duo reperiantur: alterū, quod ſit vitalis, alterum, quod ſit talis ſpeciei, & naturæ. Hoc ſecundum habet operatio, non ſolum à potentia vnde proficiſcitur, ſed potiſsimum ab illa forma extrinſeca complente & determinante potentiam ad operationem talis ſpeciei. Primum vero non habet operatio ab illa forma extrinſecâ, ſed ab ipſa potentia, & à virtute vitali ipſius, non enim recipit vitalitatem ab ipſa forma extrinſeca. ¶Ex hac doctrina ſequitur primò, quod illa forma extrinſeca (in rigore loquendo) non eſt dicenda principiū vitale operationis, neque vitaliter elicere operationem. Probatur, quia principium vitale, & vitaliter eliciens operationem nō ſolum eſt actiuum, ſed etiam quodammodo paſsiuum, recipiens in ſeipſo operationem, quam elicit, eſt enim de ratione intrinſeca operationis vitalis (vt ſic) quod maneat ſubiectiuè intra principium à quo proficiſcitur, ſed huiuſmodi operatio (de qua loquimur) nullo modo ſubiectatur in illa forma extrinſeca, & ſubſiſtente, ergò neque vitaliter elicitur ab illa. ¶Confirmatur. Nam in cognitione beatifica ſatis probabiliter aſſeritur, quod diuina eſſentia in ratione ſpeciei intelligibilis eſt principiū quo formale viſionis, & tamen improbabiliter diceretur quod diuina eſſentia eſt principium vitale ipſius viſionis, & quod illam elicit vitaliter, ergo eſſentia Angeli in ratione ſpeciei intelligibilis non eſt principium vitale intellectionis Angeli reſpectu ſui ipſius, ſiquidem eſt etiam ſubſiſtens forma; nec immediatè eſt principium operandi, & per conſequens, neque recipiendi rationem in ſeipſa. ¶Secundò ſequitur, quòd ſimpliciter loquendo, aſſerēdum eſt eſſentiam Angeli in ratione ſpeciei intelligibilis non habere ſuperioritatem, & eminentiam ſupra ſuum intellectum, & nullam ſubordinationem, neque in eſſe entitatiuo, neque in eſſe intelligibili. ¶Tertiò ſequitur, quod hac via (qua procedimus in intellectione Angeli reſpectu ſuiipſius) poſſumus valde probabiliter procedere in viſione beatifica, ad explicandum quo pacto diuina eſſentia concurrat in ratione ſpeciei intelligibilis ad viſionem beatorum. Iam vero ad confirmationem argumenti facti concedo antecedens; ad conſequentiam dicitur; quod quæcunque forma quæ concurrit eliciendo vitaliter cognitionem, debet eſſe principium ſubordinatum potentiæ cognoſcitiuæ; negatur tamen quod eſſentia Angeli in ratione ſpeciei intelligibilis concurrat vitaliter eliciendo cognitionem ipſam ſuiipſius.

¶Tertius modus dicendi ſubtilior & magis metaphyſicus inſinuatur à Caiet. quæſt. 56. art. 1. & 54. art. 3. propè fine, vbi ait, quod cognitiōis qua Angelus cognoſcit ſe ipſum ſola potentia intellectiua eſt principium proximum formale illius. *Tertius modus.* Hoc tamen intelligitur quatenus potentia intellectiua fluit à ſua eſſentia cum plena determinatione ad talem cognitionem, atque ita, iuxta mentem Caiet. ſi eſſentia Angeli conſideretur in eſſe entitatiuo fluit ab illa intellectus abſolutè, prout eſt potētia intellectiua abſque aliqua determinatione ad cognoſcendum hoc, vel illud obiectum. At vero ſi eadem eſſentia conſideretur, vt eſt forma actu intelligibilis (vt reuera eſt) fluit ab illa intellectus plenè, & completè determinatus ad cognitionem ſui ipſius, & etiam diuinæ naturæ, eo modo quo ab Angelo naturaliter eſt cognoſcibilis, tanquam autor naturæ Angelicæ, neque eget Angelus ad habendam hanc cognitionem aliqua determinatione, vel aliqua informatione ſuperaddita intellectui, quoniam totam hāc determinationem (quam illi præſtaret forma ſuperueniens) præſtat illi multo melius ſua propria eſſentia, prout eſt actu intelligibilis, tanquam radix & origo à qua fluit intellectus cum totali complemento ad illam cognitionem habendam reſpectu ſui ipſius. Ex quo ſequitur iuxta mentē Caiet. quòd eſſentia Angeli, prout eſt actu intelligibilis, complet, & determinat intellectum ad ſui cognitionē, ſed hoc non facit per modū formæ actuādo intellectū, ad eū modū quo ſpecies intelligibilis actuat potentiā intellectiuā, ſed potius hoc facit, tāquā radix, & fons à quo fluit intellectus cōpletè determinatus ad actū cognitionis ipſiuſmet angeli.

¶Quar-

¶Quartus modus dicendi eſt Magiſtri Bañes qui poſtquam poſuit prædictos modos explicandi D. Tho. ſententiam, poſtquam attulit ſententiam Caiet. quam inter omnes probabiliſsimam reputat. Pro maio ei eius explicatione arguit cõtra illam. Primò. Nam ſequitur ex illa quod eſſentia Angeli in propria ſui cognitione non concurrat per modum ſpeciei intelligibilis. Conſequens eſt contra D. Tho. in hoc artic. ergo. Probatur ſequela. Species intelligibilis cõcurrit tanquam forma actuãs, & informans intellectum in eſſe intelligibili conſtituens illum in actu primo. Sed iuxta prædictum modum dicendi eſſentia Angeli non concurrit per modum formæ actuando, ſed potius tanquam radix & ſubiectum, ergo. ¶Secundò. Determinare potentiã ad ſpecificam rationem operationis eſt proprium officium formæ, forma enim eſt quæ dat ſpeciem rei, ergo eſſentia Angeli, prout determinat intellectum ad talem cognitionẽ ſui concurrit per modum formæ intelligibilis actuantis, & determinantis intellectũ, & non ſolum vt radix vnde oritur intellectus determinatus. ¶Confirmatur. Determinari intellectum ad ſpeciem cognitionis pertinet ad obiectum cognoſcibile, (quia cognitio ſpecificatur ab obiecto) ſed ſpecies intelligibilis ſupplet vicem obiecti, ergo determinare intellectum ad ſpecificam rationem cognitionis proprium officium eſt ſpeciei intelligibilis, & ex conſequenti, eſſentia Angeli, quatenus determinat intellectum ad ſui cognitionem exercet officium formæ intelligibilis, & non ſolum radicis, vnde oritur intellectus determinatus. ¶Tertiò. Nam D. Thom. nititur oſtendere hic, quòd eſſentia Angeli eſt principium formale cognitionis ſui, ſicut in alijs cognitionibus ſpecies intelligibilis ſuperaddita habet principij formalis cognitionis rationem, ſed nequit eſſe tale principiũ, niſi determinet intellectum formaliter ad illã cognitionem, & non ſolũ radicaliter, ergo. ¶Ad hæc argumenta reſpondet Magiſter Bañes quod Caiet. verum dicit, ſed diminutè loquitur, & breuiſsimè, quia non explicat, quo pacto eſſentia Angeli concurrit per modum formæ, & ſpeciei intelligibilis. Quapropter pro ſolutione argumentorum eſt notandum, quod iam ſupra dictum eſt, ſcilicet, quod ſpecies accidentalis, & ſuperaddita potentiæ duo facit in ordine ad cognitionem. Primum quod vnit intimè obiectum cum potentia, & ex conſequenti conſtituit obiectum intra potentiam in eſſe intelligibili. Alterum eſt quod determinat, & perficit virtutem potentiæ cognoſcitiuæ reſpectu talis, vel talis cognitionis. Primum quidem officium proculdubio eſt propriiſsimũ ſpeciei intelligibilis, inquantum ſpecies intelligibilis eſt, ita, vt ab illa non poſsit ſeparari. Secundum autem officium non conuenit per ſe ſpeciei intelligibili, inquantum ſpecies intelligibilis eſt, ſed conuenit alicui ſpeciei intelligibili, vel propter imperfectionem potentiæ in qua recipitur, vel propter imperfectionem ipſius ſpeciei, quæ eſt accidens inhærens. Ad hoc enim natura inſtituit ſpeciem intelligibilem ſuperadditam potentiæ, quod ipſa potentia cognoſcitiua non erat vndequaque perfecta, & determinata ad omnem intellectionem, vnde oportuit vt ſibi ſuperadderetur aliqua qualitas, qua determinaret illam ad obiectum, ad quod intelligendum non erat per ſe determinata. Hanc doctrinam colligo ex D. Tho. ſup. q. 12. art. 2. vbi ait, quòd ſpecies intelligibilis tantum ſe tenet ex parte obiecti, & non ex parte potẽtiæ. At vero ſi de ratione ſpeciei eſſet non ſolũ facere vnionem intimam inter obiectum & potentiam, ſed etiam perficere virtutẽ cognoſcitiuam, & determinare ad actionem, tunc non ſolum ſe teneret ex parte obiecti, ſed etiam ex parte potentiæ, ſiquidem perfectio, & complementum virtutis cognoſcitiuæ ad ipſam pertinet. Ex hoc ſequitur, quòd quanuis eſſentia Angeli in cognitione ſui non determinet intellectum per modum formæ informantis, & ſpeciei intelligibilis actuantis, ſed per modum radicis, & fontis à quo fluit intellectus determinatus, concurrit nihilominus ad talem cognitionem per modum ſpeciei intelligibilis, & formæ, quatenus intimè vnit Angelum ipſum cum proprio intellectu in eſſe intelligibili, in hoc enim ſaluatur proprium officium ſpeciei intelligibilis.

¶Vnde ad primum argumentum reſpondetur negando ſequelam, & ad probationem dicitur, quòd eſſentia Angeli, quatenus facit illam intimam vnionem obiecti cum potentia, quodammodo actuat, & informat intellectum in eſſe intelligibili, quia cum ſit proprius modus operandi potentiæ intellectiuæ, quod cognoſcat rem intra ſe, quantumlibet

tumlibet aliàs habeat determinationem ad aliquam cognitionem in ratione potentiæ cognoſcitiuæ, hinc eſt, quod quodammodo illa forma, quæ facit vnionem obiecti cũ potentia, conſtituat illam etiam quodammodo in actu primo: ſicut intellectus creatus quantumlibet illuſtratus lumine gloriæ, quod eſt ſufficientiſsimum principiũ effectiuum ex parte potentiæ, non videbit Deum; niſi eſſentia diuina vniatur illi intimæ in ratione cuiuſdam formæ intelligibilis ſubſiſtentis, non informantis. Verum eſt tamen, quod ſpecies, quatenus facit hanc vnionẽ obiecti cum potentia, quia nullam addit actiuitatem ipſi potentiæ, dicitur habere diminutam rationem formæ actuantis potentiam. Hæc autem ſufficit ad rationem ſpeciei intelligibilis: & hæc eſt ratio propter quam diuina eſſentia poteſt ſupplere vicem ſpeciei intelligibilis.

¶ Nam, ſi ex propria ratione ſpecies intelligibilis eſſet in rigore forma intelligibilis informans, non poſſet ſuppleri per diuinã eſſentiam. Non enim poteſt Deus per ſe ipſum ſupplere vicem cauſæ formalis, ſuppletur autem ſpecies intelligibilis per diuinam eſſentiam, ex eo, quod non tam eſt forma intellecta ſpecies intelligibilis, quam habeat quendam modum formæ intelligibilis; de cuius propria ratione nõ eſt quod informet inhærendo, quemadmodum perſonalitas diuina ex eo poteſt ſupplere perſonalitatem propriam naturæ creatæ: quia perſonalitas creata ex ratione propria perſonalitatis non eſt forma naturæ (propriè loquendo) ſed eſt terminus naturæ, ſicut punctus terminans lineam, quæ quidem ratio eſt diminuta in ratione formæ: ita Deus non ſupplet vicem cauſæ formalis dum cõmunicat ſuam perſonalitatem humanæ naturæ. ¶ Ad ſecundum negatur antecedens, ſi intelligatur cum præciſione. Nam potentia poteſt determinari ad ſpeciem actionis dupliciter. Primo modo, à propria ſua natura, & à radice, à qua dimanat. Secundo modo poteſt determinari ſuperaddita, verbi gratia, Calor (qui eſt potentia ignis) ad calefaciendum à ſua propria ratione habet determinari ad illam actionem ſpecificam. Similiter, potentia viſiua ex ſe ipſa determinata eſt ad videndum lucem ſecundum probabilem ſententiam, & ita ſi daretur lux per ſe ſubſiſtens abſque aliqua ſpecie videretur (vt ait D. Thom. quolibet. 7. artic. 1.) Exemplum ſecundi, potentia viſiua determinatur ad videndum album per ſpeciem viſibilem albedinis, ſibi ſuperadditam tanquam complementum potentiæ, quæ non eſt determinata ad omnem operationem videndi. Nunc ergo dicimus in præſentia, quod intellectus Angeli non habet conſummatam, & perfectam operationem ad cognoſcendas res alias à ſe ipſo, eo quod eſſentia à qua procedit, neque formaliter, neque eminenter continet perfectè res alias à ſe ipſa. Vnde intellectus indiget ſuperadditis ſpeciebus aliarũ rerum. At vero ad perfectam cognitionem ſui habet determinationẽ quam illi tribuit propria eſſentia Angeli, à qua dimanat, nõ ſolum in eſſe entitatiuo, ſed in eſſe intelligibili quãtum ad iſtam operationem.

¶ Ad confirmationem dicitur, quod complementum & determinatio virtutis cognoſcitiuæ ad cognitionem talem, ſumitur quidem ex obiecto, ſed tamen iuxta modũ expoſitum in præcedente ſolutione. Nihilominus, cum hoc ſtat in veritate, quod per ſe loquendo, huiuſmodi complementum ſe teneat ex parte potentiæ operantis. Et quando obiicitur etiam ſpeciem actionis deſumi ab obiecto, reſpondetur, quod obiectum ſpecificat intellectionem, per modũ termini quem reſpicit intellectio, & non per modum principij actiui determinantis potentiam.

¶ Sed contra hoc replicatur. Actio (in quã tum actio) non ſpecificatur à termino; ſed à principio actiuo, vt videtur dicere Diuus Tho. 1. 2. quæſt. 1. artic. 3. ergo intellectio, prout eſt actio non ſpecificatur ab obiecto, prout eſt terminus; ſed potius prout eſt principium actiuum ipſius intellectionis, determinans potentiam ad talem operationem.

¶ Ad hanc replicam dicunt aliqui, quod intellectio (prout actio eſt) ſpecificatur ab obiecto, prout habet rationem principij actiui, hanc autem rationem habet, quatenus eſt intra potentiam per ſuam ſimilitudinem, qua mediante concurrit cum illa potentia ad actionem. Sed aiunt, dupliciter cõtingere obiectum eſſe intra potentiam. Primo modo, per formam ſuperadditam potentiæ, ſicut lapis, qui videtur eſſe in potentia viſiua per ſpeciem ſuperadditam. Altero modo per inclinationem, & proportionem naturalem quam habet potentia cum obie-

obiecto, vt centrũ terræ dicitur eſſe in graui & locus ſurſum dicitur eſſe in igne ratione leuitatis, & proportionis, quam habet cum loco ſuperiori, ita docet D. Tho. 4. cõtra gentes. c. 19. Hinc ergo dicunt, quod cognitio qua Angelus ſe cognoſcit, procedit ab eſſentia Angeli, vt à principio actiuo proximo, quatenus eſſentia Angeli in ratione obiecti continetur intra ipſum intellectum, propter naturalem inclinationem, & proportionem, quam habet intellectus cum eſſentia Angeli tanquã cũ proprio & cõnaturali ꝓportionato ſibi obiecto. Atq; ità eſſentia Angeli in eſſe intelligibili in duplici ratione continetur intra ipſum intellectum. Primo ratione proportionis naturalis, quam modo explicabamus. Secundò quatenus eſſentia vnitur intellectui in ratione ſpeciei intelligibilis, vt explicatũ eſt. Tunc ergo dicunt, quod ſecundũ priorem rationem eſſentia concurrit effectiuè ad cognitionem ſui, & illam ſpecificat tanquã principiũ actiuũ illius, prout eſt actio. At vero ſecundum poſteriorem rationem, ipſa eſſentia non eſt actiuum principiũ illius cognitionis propriè loquendo.

¶ Sed hæc ſolutio non placet, quia cõtinet duo falſa. Primum eſt quod eſſentia Angeli eſt principium actiuum proximũ ipſius intellectionis, hoc enim eſſe non poteſt, neque in eſſe intelligibili, neq; in eſſe entitatiuo. In eſſe quidẽ entitatiuo, quia nulla ſubſtantia immediatè operatur per ſuam eſſentiam præter diuinam. In eſſe vero intelligibili, quia principium proximæ intellectionis eſt intellectus determinatus per ſpeciẽ intelligibilem ad actionem. Et quidẽ, ſi ſpecies intelligibilis fuerit ſuperaddita potentiæ, tanquam forma informãs ipſam, manifeſtum eſt, quod concurret effectiuè, ſimul cum intellectu. At vero ſi ſpecies intelligibilis fuerit forma ſubſiſtens, neq; actuans, neq; informans ipſum intellectum, non poterit cõcurrere effectiuè, ſaltem proximè, & immediatè ad ipſam intellectionẽ, quanuis poſsit concurrere radicaliter. Alterum eſt, quia illa ſolutio dicit, quod ſolũ ratione ſimilitudinis, & proportionis (quam habet intellectus ad obiectum) poteſt dici; quod obiectum eſt principium effectiuũ, & proximum intellectionis. Hoc autẽ falſum eſt, quia pari ratione diceretur, locus ſurſum eſſe principium effectiuum motus ignis. Patet ſequela: quia etiam ignis habet in ſe ſimilitudinem, & proportionem cum illo loco. Et etiam ſequitur, quod motus ignis ſpecificaretur ab illo loco, nõ tanquã à termino, ſed tanquam à principio actiuo. Reſpondetur ergo ad replicam factam ex D. Tho. 1. 2. quæſt. 1. art. 3. & etiam prima parte quæſt. 14. art. 5. ad 3. Et tertia parte quæſt. 19. Aduertendo quod obiectum intellectionis poteſt illam ſpecificare, & in ratione principij, & in ratione termini, ſecundum quod intellectio conſideratur, vt motus quidam ſpiritualis, diuerſis tamen rationibus, in ratione principij ſpecificat intellectionem, non tamen ita, vt ſit principium immediatum actiuum, ſed mediante (ſcilicet) ſpecie ſuperaddita potentiæ, ratione cuius dicitur obiectum eſſe intra potentiam in eſſe intelligibili. Aut etiam mediante virtute, & complemento potentiæ, quod oritur ab eodem obiecto vnito in ratione ſpeciei intelligibilis, vt iam explicatum eſt, & iſto modo dicitur obiectum eſſe principium intellectionis, & ſpecificationis illius radicaliter, & non vt principium formale effectiuũ. Erit autem principium formale effectiuum & proximum ipſa potentia intellectiua, quæ oritur perfecta, & completè determinata ad talem cognitionem ſui ipſius. ¶ Ad vltimum reſpondetur, quod D. Tho. hoc tantum intendit in articulo, ſcilicet, quod ex eo quod angeli eſſentia eſt ſpecies intelligibilis per ſe ſubſiſtẽs, non ſtatim ſequitur eam non eſſe principium effectiuum cognitionis ſui, vel principium formale; vel radicale, vel etiam ratione ſuæ ſimilitudinis exiſtentis in intellectu. Vtrum vero neceſſario ſit principiũ effectiuum formale, nõ determinat Diuus Tho. vnde vtraq; ſententia ſupra explicata poterit ſuſtineri in doctrina D. Thom. Hactenus de ſententia D. Tho. & explicatione Thomiſtarum.

¶ Secunda ſententia eſt Doctoris, vt patet *Sententia*
in litera, quæ quanuis in concluſione coin- *Doctoris.*
cidat cum ſententia D. Tho. in explicatione tamen nullatenus poſſunt cõuenire. Nã prædicta explicatio D. Tho. multa continet quæ non poſſunt in via Doctoris ſuſtineri. Vt autem prædictã quæſtionẽ explicemus ſunt notanda nonnulla.

¶ Primo eſt notandũ cum Doctore in pri- *1. Notab.*
mo diſt. 7. quæſt. 7. & in quolib. quæſt. 15. quod in anima eſt aliquod principium reſpectu intellectionis, & illud non eſt volũtas,

tas neque ſenſus, erit ergo intellectus.

¶ Secundo eſt notaudum cum Doctore in eadem diſtinctione & quæſtione litera. R. quod intellectus non eſt totalis cauſa intellectionis, ſed intellectus ſimul cum obiecto (ſi per ſe poteſt intellectui vniri) vel ſi per ſe non poteſt vniri per ſpeciem intelligibilem. Vnde ſpecies ſupplet vicem obiecti, quando obiectum non poteſt vniri potentiæ, quare non eſt dicendum obiectum ſupplere vicem ſpeciei, ſed è cõtra ſpeciẽ ſupplere vicem obiecti.

3. *Notab.* ¶ Tertiò eſt notandum, quod intellectus ſicut non habet totam actiuitatem reſpectu intellectionis, ſed habet ſuam partialẽ actiuitatem diſtinctã ab actiuitate obiecti, vel ſpeciei, quamuis in ſuo genere vtraque actiuitas ſit totalis, reſpectu tamen totius effectus neutra actiuitas eſt totalis, ſed ex vtraque efficitur vna totalis actiuitas: vnde intellectus non eſt in potentia paſsiua (quicquid aſſerat Caiet. 1. part. quæſt. 69. arti. 2.) in ordine ad productionem verbi, & intellectionis, vt prædicti expoſitores etiam fatentur tribuentes intellectui ſuam actiuitatem diſtinctam ab actiuitate ſpeciei: vnde intellectus per accidens indiget informatione ſpeciei, quia ſpecies accidẽs eſt, quod ſi intellectus eſſet pura potentia paſsiua neceſſariò indigeret aliqua forma informante, qua reduceretur de potentia ad actum primum, ſed ipſi expoſitores fatentur intellectum non indigere per ſe tali informatione, ſed per accidens, ex eo quod ſpecies accidens eſt, non ergo intellectus eſt pura potentia paſsiua reſpectu productionis intellectionis, ſiue verbi, ſed neceſſario habet ſuã actiuitatem diſtinctã ab actiuitate ſpeciei.

4. *Notab.* ¶ Quartò eſt notandum, quod eſſe perfectionem alicuius contingit dupliciter, vno modo per ſe, alio modo per accidens, per ſe quando conuenit illi ex natura ſua, vt accidenti, quod ſit perfectio accidentalis ſubiecti, & formæ quod ſit perfectio ſubſtantialis materiæ. Per accidens vero, quãdo illud non cõtingit illi ex natura ſua, ſed aliundè. Sicut verbi gratia, Poſſumus conſiderare ſpeciem intelligibilem. Vno modo ſecundũ quod accidẽs eſt informans intellectum, & ſecundum iſtam rationem eſt perfectio illius. Alio modo, ſecundum quod eſt cauſa totalis in ratione ſpeciei, & partialis reſpectu intellectionis, & ſecundum iſtam rationem accidit ſpeciei, quod ipſa perficiat intellectũ, & ſit forma illius, quia licet ſpecies perficiat intellectum, non tamen dat illi aliquam actualitatem pertinentẽ ad cauſalitatem intellectus. Sicut verbi gratia Potẽtia motiua in manu poteſt vti cultello, in quantum acutum eſt ad diuidẽdum aliquod corpus, quod ſi iſta acuties eſſet in manu (vt in ſubiecto) poſſet manus vti acutie cultelli ad illam operationem, & tunc accideret manui (in quantum in ea eſt, potentia motiua) quod in ea eſſet acuties, quia acuties nullam perfectionẽ daret manui, pertinẽtem ad potentiã motiuam, quia æquè perfecta eſt potentia motiua ſine tali acutie: & ita eodem modo vtitur ea, quando eſt in alio coniuncto manui (vt cultello) ſicut vteretur ea, ſi eſſet in manu. Ita in propoſito, ſi ſpecies poſſet eſſe inexiſtẽs intellectui abſq; inhærentia per modũ formæ, ſi iſto modo inexiſtens eſſet ſufficienter cõiuncta intellectui poſſent iſtæ duæ cauſæ (intellectus, ſcilicet & ſpecies ſibi inuicem coniunctæ) in eandẽ operationẽ, in quam modo poſſunt, quando ſpecies informat intellectum, vt patet in caſu præſentis quæſtionis, quando (verbi gratia) Angelus intelligit ſe per ſuã eſſentiam, & non per ſpeciem intelligibilẽ, tunc enim eſſentia Angeli (quę eſt obiectum præſens) eſt cauſa intellectionis ſimul cũ intellectu abſque informatione intellectus, ſed ambæ duæ cauſæ approximatæ (abſq; informatione alterius ab altera) per ſolam approximationem debitam cauſant vnũ effectum communẽ, nempe intellectionem, vel verbum.

¶ Quintò eſt notandũ quod Doctor in hac quæſtione impugnans ſententiam D. Tho. non impugnat concluſionẽ, ſed tantũ rationẽ ipſius, ex eo quod ſecundũ ſententiã D. Tho. 1. par. q. 69. ait. 2. cum Caiet. ibi intellectus eſt in potentia eſſentiali ad intellectionẽ, vel operationẽ, & per cõſequens requirit per ſe neceſſario aliquã formã informantẽ, & reducentẽ illum de potẽtia eſſentiali ad actum primũ, & per hoc arguit doctor cõtra D. Tho. quia nihil poteſt habere principiũ operationis alicuius immanẽtis, niſi ſit in actu, per illud quod eſt principiũ talis operationis, ſed intellectus (ſecundum ſententiã D. Tho.) ex natura ſua, & ſecundum ſe eſt in potẽtia eſſentiali reſpectu intellectionis, ergo non poteſt eſſe principiũ intellectionis, niſi reducatur ad actũ per illud quod eſt principiũ talis operationis, ſed nõ poteſt reduci ad actũ niſi per formã in- 5. *Notab.*

formantē (quia potentia paſsiua nō reducitur ad actū niſi per ſuā formā) ergo cū eſſentia Angeli nō ſit forma informās, ſed per ſe ſubſiſtēs, ergo nō poteſt eſſe actus ipſius intellectus, & per cōſequēs, vel intellectus habet actiuitatē diſtinctā ab actiuitate actiua ſpeciei, vel ſi non habet actiuitatē, ſed eſt in potentia paſsiua, & in potētia eſſentiali, nō poteſt per eſſentiā Angelus cognoſcere ſe ipſum. Sicut v.g. Ex eo quod corpus animale ante informationē animæ nō habet potētiā motiuā, ſed eſt in potētia eſſentiali, ideo indiget informatiōe animæ, & quod anima tribuat illi eſſe, vt homo poſsit mouere ſuū corpus, vnde ſi anima nō informaret corp⁹, nequaquā homo, vel animal poſſet mouere corpus. Ita in ꝓpoſito à ſimili, ſi intellectus eſt in potentia paſsiua & eſſentiali reſpectu intellectionis, ergo ſi ſpecies. vel obiectum nō informat intellectū, & reducit illum de potentia ad actū, nō poterit Angelus intelligere ſe, quia nō habet principiū intelligēdi, nempè intellectū reductū de potentia ad actū, ſed eſſentia Angeli nō eſt forma informās intellectū, ergo neq; poteſt Angelus intelligere ſe per ſuā eſſentiā, vel ſi poteſt, ergo intellectus Angeli nō requirit aliquid, quo reducatur de potētia eſſentiali ad actū, vel ergo intellectus Angeli nō eſt in potentia eſſentiali ad intellectionē, quod eſt contra ipſum D. Tho. ſed habet ſuā partialem actiuitatē diſtinctā ab actiuitate obiecti, & ſpeciei, & per cōſequens, nō eſt in potentia eſſentiali. ¶ Cōfirmat autē Doctor iſtā ſuā ſententiam exemplo. Verbi gratia, demus, quod ſeparet Deus aliquē calorē ab aliquo igne, certum eſt, quod quāuis ille calor ſeparatus poſsit eſſe calefaciens, vel ratio calefactionis, nō tamē eſſet ratio calefactionis ligno, à quo eſt ſeparatus, ſi calefactio eſſet actio immanens, quia actio immanens eſt intra ipſum agens, ergo ſi ſeparas calorem ab igne (qui eſt in ligno) implicat, quod illa calefactio caloris ſeparati, ſit actio immanens ipſius ligni habentis ignem: quia principiū effectiuum nō eſt formaliter intra ipſum agens. Ita in propoſito, ſi ſepares ab intellectu (qui eſt in Angelo) virtutē actiuā intelligendi, ſicut ſeparatur ex eo quod ponitur in via D. Tho. intellectus pura potētia paſſiua, & quod ex intellectu & ſpecie (vt verbis Caietani vtar) efficitur vna vis animalis, & ſic intellectus (qui erat in potētia paſſiua) efficitur potētia actiua, ergo ſi ſepares ab intellectu talē informationē, ſeparas virtutem actiuā, & per cōſequens implicat (ponendo eſſentia totinā ſubſiſtentē & nō inhærentē) poſſe Angelū habere operationē immanentē: & per cōſequēs, ſeipſum intelligere. Quod ſi iſta bene perſpicias videbis Caiet. non reſpōdere Doctori, neque poſſe euitare prædictā cōtradictionē. Nā hic non quęrimus an forma ſeparata à ſubiecto poſſet eſſe principiū operādi. Neque etiā quærimus, vtrū illud quod eſt principiū formale quo, ſit vnū cū potentia per idētitatem, vel ſatis eſt, quod illi vniatur tanquā quid terminās ipſam potentiā ad operandū, quia cū hoc certiſsimū ſit, nō poteſt verti in quęſtionē, vt patet in ſpecie intelligibili, quæ per accidēs informat intellectū, nēpe quia accidens eſt, vnde eſſentia diuina vnitur intellectui abſq; informatione, quia nō eſt requiſita informatio ad talē vnionē. Quare vt potentia operetur, ſatis eſt vnio illa, quæ ſufficiēs eſt ad determinādū totaliter ipſam potentiā, quæ vnio neq; eſt informatio, neque eſt identitas, ſed præſentialitas quędam intima obiecti & potentiæ, vel per ſe (ſi per ſe poteſt vniri) vel per ſpeciem ſupplentem vicem obiecti: quando obiectū per ſe nō poteſt vniri. ¶ Quòd ſi dicas: Determinatio intellectus debet fieri à forma inhęrente ipſi, ergo eſſentia Angeli (ſiue obiectū quod per ſe vnitur potentiæ) nō poteſt determinare intellectū, nō inhærendo, & per cōſequens, non poteſt eſſe principium formale intellectionis, per modū determinātis intellectū. Antecedens probatur, quia talis determinatio non eſt effectus cauſæ finalis, quia finis non mouet niſi vt cognitus, & per conſequens requireretur alia intellectio ad cognitionem illius finis, & per cōſequens alia determinatio, & ad illam alia, & ſic eſſet proceſſus in infinitū. Neque etiam eſt effectus cauſæ exemplaris, quia etiā cōcurrit exemplar ad ſuum effectum, vt cognitum. Neque etiam eſt cauſæ materialis, quia iſta cōſiſtit in receptione, & ab hoc cauſa inferior dicitur determinare ſuperiorem in genere cauſæ materialis, quia recipiendo concurſum cauſæ primæ modificatur talis concurſus taliter, quod cum leone producit leonem, & cum homine hominē, & ſic de reliquis cauſis ſecundis. At vero concurſus intellectus actu operantis eſt ipſa actualis intellectio. Neque etiam eſt effectus cauſæ efficientis, quia obiectū (cui tribuitur determinatio intelle- Nota hoc.

tellectus) non cōparatur ad eū, vt cauſa efficiens, ergo determinatio intellectus debet eſſe effectus cauſæ formalis, & p cōſequēs, cū forma nō cōmunicet ſuum effectū niſi inhærendo, vel informādo, neceſſario requiritur informatio intellectus. ¶ Ad hoc reſpōdet Caiet. 1. p. q. 54. art. 3. & q. 56. art. 1. quē ſequūtur aliqui ex recentioribus vt viſum eſt in expoſitione & ſentētia D. Th. determinationē intellectus Angeli fieri ab eius eſſe in genere cauſæ efficiētis per naturalē reſultātiā. Nā ſicut ab eſſentia Angeli dimanat eius intellectus: ita etiā dimanat ſufficiēter determinatus ad intellectionē, & cognitionē ſui ipſius. Et ratio eius eſt, quia intellectus pōt cōſiderari dupliciter. Primò quatenus eſt potētia quædā intellectiua. Secundò modo quatenus eſt determinatus ad intellectionē alicuius obiecti in particulari. Primū autē habet ab eſſentia, à qua dimanat. Secundū vero habet ab obiecto intelligibili. Nā ab ſpecie intelligibili leonis habet, q͏ intelligat leonē, & ab ſpecie intelligibili equi habet, quod intelligat equū. At vero reſpectu ſui (ideſt reſpectu ipſius Angeli) vtrūq; habet ab eius eſſentia, à qua dimanat, & quāuis eſſentia Angeli ſubſiſtēs, & perfecta eſt in eſſe immateriali, adhuc in ea poſsūt diſtingui alia duo, ſcilicet, quod eſt eſſentia quædā intellectualis, & ſecūdū, quod eſt actu intelligibilis: & ratione primi, dimanat ab ea intellect⁹, vt eſt potētia quædā intellectiua ratione vero ſecūdi dimanat ab ea ipſe intellectus ſufficiēter determinatus, & modificatus ad intellectionē eiuſdem eſſentiæ, q͏a nō minorē vim habet quantū ad hoc ſecūdum eſſentia Angeli (quæ actu intelligibilis eſt) quā reliqua obiecta intelligibilia. ¶ Iſta tamē ſolutio alijs ex diſcipulis D. Tho. nō placet, & ratio illorū eſt, quia vel cōcurſus quo eſſentia Angeli eſt principiū ſui intellectus eſt ſolū cōcurſus principij efficiētis, aut ſimul eſt cōcurſus obiecti intelligibilis: ſi primū, ſequitur, quod non ſufficiat ad determinandū intellectū, quia determinatio potentiæ (vt cognoſcitiua) debet fieri ab obiecto, vt cognoſcibile eſt. Secundū autem dici nō poteſt, quia quæcūq; eſſentia eſt principiū ſuarū potentiarū, eo modo quo eſſentia Angeli eſt principiū ſui intellectus, & tamē nō cōcurrit quæcūque eſſentia per modū obiecti ad productionē ſuarū potentiarū. Tum etiā, quia ſicut eſſentia Angeli eſt obiectum intelligibile, ita eſt obiectū amabile, & ſicut eſt principiū ſui intellectus, ita eſt principiū ſuæ volūtatis, & tamen non cōcurrit per modū obiecti amabilis ad inclinationē ſuæ volūtatis, quia nō cōcurrit trahendo, ergo neq; ad inclinationē intellectus per modū obiecti intelligibilis. Patet ſequela, quia nō minus eſſentia Angeli eſt principiū ſuæ volūtatis, quā intellectus, neq; habet minus rationē obiecti amabilis, quā intelligibilis, ſed voluntas ad hoc vt ſit cōplete & vltimo determinata ad amorē eſſentiæ, nō ſatis eſt quod proceſſerit ab eſſentia, ſed requiritur propoſitio eiuſdē eſſentiæ mediante cognitione, ſicut ad dilectionē aliorū obiectorū, ergo idē dicendū eſt de intellectu reſpectu intellectionis. ¶ Vnde aliter reſpōdent prędicti, dicentes, determinationē intellectus nō eſſe effectū aliquē de nouo productū in ipſo intellectu, ſed cōſiſtere ſolū in approximatione, & vnione obiecti ad intellectū, quæ ſit ſufficiēs ad hoc, vt à quolibet eorū, tanquā à cauſa partiali, producatur intellectio. Quādo enim aliqua cauſa eſt ſecūdum ſe indeterminata ad ſpecificationē ſui actus per hoc ſolū determinatur ſufficiēter quod cōiungitur cauſæ proportionatæ illius ſpecificationis; & ita intellectus Angeli (qui ſecundū ſe eſt indeterminatus, quantū ad ſpecificationē intellectionis) reſpectu ſuæ eſſentiæ bene poterit dici determinari per aſſiſtentiā, & cōiunctionē cauſæ producentis actū quo ad ſpecificationē, ſcilicet, ſuæ eſſentiæ. Quod vero hæc coniunctio fiat etiā in Angelo reſpectu obiecti extrinſeci, media inhæſione ſpeciei intelligibilis, per accidens eſt, propter improportionē, aut diſtātiam obiecti. Vnde ad argumentū in forma reſpondent, negando antecedens, & ad probationē negando maiorē, & ad tertiā probationem antecedentis argumēti principalis, quod quādo D. Tho. negat ſubſtantiā eſſe principiū proximū operationis, loquitur per principiū per modū potētiæ, quod primario ordinatur ad operationē, non autē de principio per modū obiecti. ¶ Iſta tamē ſolutio & explicatio ſententiæ & quęſtionis, quāuis veritatē habeat, ſupponit tamē vnū quod in via D. Tho. ſolet negari, nempe intellectū poſsibilem, habere aliquā actiuitatē propriā, diſtinctā ab actiuitate ſpeciei intelligibilis. Vnde prædicti fatendo actiuitatem intellectus diſtinctā ab actiuitate ſpeciei fatentur etiā vel fateri tenentur, intellectū & ſpeciē cōcurrere tanquā duæ cauſæ.

Vt docet Doctor in 1 diſt. 3. q. 7. litera. M. habētes ordinē eſſentialē, taliter, ꝙ vna nō eſt ſimpliciter perfectio altera, ita tamen quod vtraque in ſua partiali cauſalitate eſt perfecta, nō dependēs ab alia. Quare paulo infra docet dicens, Accidit ſpeciei (inquātū eſt cauſa partialis reſpectu actus intelligēdi cū intellectu, vt cū alia cauſa partiali) quod ipſa perficiat intellectū, quia etſi perficiat eū, nō tamen dat intellectui aliquā actualitatem pertinētē ad actualitatē intellectus. Et paulo infra. Ita in ꝓpoſito, ſi ſpecies poteſt eſſe inexiſtens intellectui abſq; inhærentia per modum formæ, ſi iſto modo inexiſtens eſſet ſufficienter cōiuncta intellectui, poſſent iſtæ duæ cauſæ partiales (intellectus & ſpecies) cōiūctę ſibi inuicē in eādē operatione, inquā modo poſsūt, qn̄ ſpecies informat intellectū. Quod etiā apparet ponendo aliquod intelligibile præſens ſine ſpecie. Illud enī obiectū eſt cauſa partialis, & non informat intellectū, qui eſt altera cauſa partialis, ſed iſtæ duæ cauſæ partiales approximatæ abſq; informatione alterius ab altera per ſolā approximationē debitā cauſant vnū effectū cōem. Ex qua litera doctoris ſatis patet quomodo prædicti exponētes ſentētiā D. Tho. nihil aliud doceant, quā ſententiā Doctoris. Vnde immerito p̄dicti impugnātes Doctorē, ex eo quod dixerit D. Tho. ſenſiſſe, obiectū, vel ſpeciem debere eſſe principiū formale intellectiōis. Nā doctor ſupponit ibi, quod D Tho. docuit. 1. p. q. 69. arti. 2. Scilicet intellectū poſsibilem eſſe in pura potentia eſſentiali reſpectu intellectionis ſecluſa ſpecie intelligibili, & illud quod eſt in potentia eſſentiali (ſi nō reducatur ad actū per aliquā formā) nō poteſt eſſe principiū operationis, vnde cōſequenter ad iſta dicendū eſſet ꝙ cū Angelus non poſſet habere intellectū informatū ſua eſsētia, ideo neque poſſet intelligere ſe per ſuā eſſentiā: at vero, ad hoc quod Angelus ſeipſum intelligat, non indiget quod eius eſſentia ſit forma informās ſuū intellectū, cum ſatis ſit approximatio, & vnio per modū duarum cauſarum, ideo neque requirit informationem, quia intellectus Angeli non eſt in pura potentia eſſentiali reſpectu ſuæ actiuitatis partialis, quanuis ſit reſpectu actiuitatis totalis, quia ſicut quando duo portant lapidem, quorū neuter per ſe poteſt illum portare, tunc quilibet habet ſuā actiuitatē, neuter tamen habet actiuitatē abſolutè in ordine ad effectū, ſed tantū partialē actiuitatē, ꝓpter quod poteſt dici quod quilibet eſt in potētia eſſentiali in ordine ad totum effectū, id eſt, quod quilibet caret totali actiuitate, quāuis habeat partialem, quia tamē ex illis nō fit vna numero actiuitas actiua, ſed ex illis duabus partialibus integratur quaſi vna actiuitas, ita in propoſito, ex actiuitate intellectus (quam non habet ab ſpecie) & ex actiuitate ſpeciei (quā non habet ab intellectu) integratur quaſi vna totalis actiuitas reſpectu intellectionis. Ex quo prouenit, ꝙ ſicut in duobus agentibus partialibus vnum agens nō eſt forma alterius, ita in intellectu & ſpecie ſimiliter cōtingit, taliter, quod neque intellectus perficit ſpeciem, neque ſpecies eſt forma intellectus, nā de ratione formæ eſt quod reſpiciat potentiā paſsiuā, ſpecies autē (vt ſpecies) non reſpicit niſi potentiam actiuā intellectus, & ob hoc, nō poteſt dici quod intellectus eſt in pura potentia eſſentiali, cum habeat ſuā actiuitatē diſtinctam ab actiuitate ſpeciei. ¶ Ex quo infertur, nō rectè reſpōdere qui dicunt, eſſentiā Angeli vniri ſuo intellectui per modū formæ non in eſſe rei, ſed in eſſe intelligibili, & propter hoc non indigere informatione aliqua, & ratio huius eſt: quoniam vel illud eſſe intelligibile eſt aliquid reale vel nō. Si eſt aliquid reale, ergo ſecundū aliquod eſſe reale eſſentia Angeli informat ſuum intellectum. Si autem nō eſt aliquid reale, ergo neque eſt forma intellectus. Quod ſi reſpondeas eſſentiam Angeli vniri per modum obiecti intelligibilis per identitatem principio principali intellectiōis, quod eſt ipſum intelligens, non tamē intellectui, & ad hāc vnionem ſufficere, vt intellectus, ſit determinatus ad cognitionem eſſentiæ Angelorum, hæc ſolutio non placet aliquibus etiā exponentibus D. Thom. quorum ratio eſt, quia cum potentia operatiua ſit aliquo modo indeterminata ad aliquem actum ſecundum, ponenda eſt in ea immediatè ipſa determinatio, vt conſtat exemplo habituum, qui licèt inhæreant ſubſtantiæ, tanquā ſubiecto quod, non tamen inhærent illi immediatè, ſed medijs potentijs, ergo cum intellectus, qui eſt potentia operatiua ſit ſecundū ſe indeterminatus ad hoc, vel illud obiectū in particulari, in ipſo debet poni immediatè determinatio, & per conſequens vnio cū obiecto, quæ ad huiuſmodi determinationē eſt neceſſaria. Vnde quanuis ſpecies intelli

gibili

gibili vel obiectū debeant prius vniri prioritate naturæ, vel rationis: quam intelligēs intelligat, non tamen eſt neceſſarium quod vniatur vel per identitatē, ſicut eſſentia diuina vnitur ſuo intellectui, neque per informationem ſicut ſpecies intelligibilis, quæ quia accidens eſt vnitur noſtro intellectui, ſed ſatis eſt, quod vniātur, ſicut duo agentia partialia ſub ordinata in agendo potentia ſimul producere aliquem effectū, ad quē nulla per ſe eſt ſufficiens cauſa, & ſic ſatis eſt, quod obiectum ſit indiſtans, vel præſens intellectui ſecundum ſpeciem, & proportionatum ſecundū gradū immaterialitatis, vnde eſſētia Angeli vnitur ſuo intellectui per modum obiecti determinātis intellectū ad intelligendum tale obiectum, id eſt, quantū ad ſpecificationem, & etiam in ratione conſtituentis intellectum in actu primo totali, quatenus cum obiecto producit operationem vitalem, quam nō produceret, niſi obiectum concurreret coadiuuans intellectum ad producendam illam intellectionem.

Prima cōcluſio. ¶ Prima cōcluſio. Si intellectus ſecluſa ſpecie intelligibili eſt in potentia eſſentiali reſpectu intellectionis, implicat Angelum intelligere ſe per ſuam eſſentiā. Hæc concluſio colligitur ex doctrina Doctoris in hac quæſtione, & probatur, illud quod eſt in potentia eſſentiali nō poteſt reduci ad actum niſi per formā tribuentē illi eſſe (verbi gratia) Aqua (quæ eſt in potētia eſſentiali aēr) non poteſt reduci ad actum, niſi per formā aēris tribuentem illi eſſe aeris. Sed intellectus ſecluſa ſpecie intelligibili eſt in potentia eſſentiali: ergo nō poteſt reduci ad actū niſi per formam tribuentē illi eſſe, ſed nulla forma tribuit eſſe, niſi informando, ergo cū eſſentia Angeli nō poſsit informare eius intellectū, non poterit Angelus ſe per ſuam eſſentiam cognoſcere. Patet conſequentia, quia intellectus non habet actiuitatem, niſi ſit aliqua forma reductus de potentia eſſentiali ad actum. Quod ſi reſpondeas eſſentiā Angeli eſſe formā in genere intelligibilis, non autem in genere entis, illud manet iam ſupra improbatum.

Secunda cōcluſio. ¶ Secunda concluſio. Angelus intelligit ſe per ſuam eſſentiam. Hæc concluſio eſt Doctoris, vt patet in litera, quam defendit Diuus Thom. & omnes Thomiſtæ. Et probatur. *Probatur primo.* Illa ſubſtantia (quæ poteſt eſſe mediū cognitionis ſecundum ſe, & ex natura ſua, & intime coniungitur intellectui, qui habet cognoſcere) eſt ratio cognoſcendi ſe ipſam tali intellectui, ſed eſſentia Angeli poteſt eſſe, & eſt medium cognitionis reſpectu proprij intellectus, & eſt illi intime vnita, ergo poteſt Angelus per ſuam eſſentiam ſeipſum cognoſcere. Maior patet, quia ideo ſpecies intelligibilis ponitur in intellectu ad intellectionem, vt ſit medium cognitionis, & vt mediāte illa obiectum vniatur potentiæ, ergo ſi aliqua ſubſtantia habet per ſe ipſam hoc ipſum: quia ſecundum ſe eſt intimè vnita potētię intellectiuę, poterit etiā eſſe ratio cognoſcendi ſeipſam, per ſeipſam. Confirmatur. Nam ſi aliqua ratione eſſentia Angeli non poteſt eſſe ratio cognoſcendi ſe ipſam, maximè quia eſt forma per ſe ſubſiſtens, & non inhærens intellectui, ſed talis inhærentia non eſt neceſſaria, & talis ſubſiſtentia non impedit, ergo. Probatur minor, nam ſpecies intelligibilis (quatenus cauſat ſimul cum intellectu intellectionē) non reſpicit potentiam paſsiuam intellectus, ſed tantum potentiā actiuam, ſed quatenus inhæret intellectui non reſpicit potentiam actiuam, ſed paſsiuam: ergo inhærentia non eſt per ſe neceſſaria in ſpecie intelligibili ad intellectionem, & per conſequens, quamuis eſſentia Angeli non inhæreat, nō ob hoc tolletur ab ea actiuitas, quæ ex parte ſua requiritur ad intellectionem.

¶ Secunda pars probatur, nam eſſentia diuina eſt forma magis ſubſiſtens quam propria eſſentia Angeli, ſed ſecundum ſententiam D. Thom. eſſentia diuina vnitur intellectui beatorum reſpectu viſionis beatificæ productæ ab ipſo intellectu beatorum, ergo. *Secunda pars probatur primo.*

Probatur ſecundo, ¶ Secundò. Species intelligibilis ad hoc eſt neceſſaria, vt obiectum fiat actu intelligibile, & fiat vnio inter potentiam & ipſum obiectum, ſed ipſa eſſentia Angeli eſt actu intelligibilis, & nulla poteſt eſſe maior vnio, neque approximatio inter ſpeciem extrinſecam & intellectum, quam quæ eſt inter eſſentiam Angeli & eius intellectum, ergo poterit Angelus ſeipſum per ſuam eſſentiā intelligere. Maior patet, nam notitia producitur ab obiecto actu intelligibili (hoc eſt, vnito intellectui per ſe, vel per accidens) & ab ipſa potentia, ſed eſſentia Angeli eſt actu intelligibilis, quia vnitur proprio intellectui per identitatem, ergo ab ipſa eſſentia & intellectu producitur immediatè notitia ipſius Angeli. Confirmatur. Ex eo ſecūdum Ariſt. ad intelligendum lapidem requi-

ritur ſpecies lapidis, quia lapis non eſt vnitus animæ, ergo ſi lapis eſſet vnitus intellectui, vel animæ, non eſſet neceſſaria ſpecies intelligibilis, ſed eſſentia Angeli eſt intimè vnita eius intellectui ergo. Angelus ad intelligendū ſe non indiget ſpecie, & per cōſequēs poterit ſe per ſuā eſſentiā cognoſcere. ¶ Tertiò. Species obiecti informans intellectum eſt cauſa partialis intellectionis, ergo ſi ipſum obiectum vniatur potentiæ poterit etiam eſſe cauſa intellectionis ſui ipſius per ſe ipſam. Probatur antecedens, quia ſpecies operatur virtute obiecti, à quo cauſatur, & ſupplet eius vicem, ergo ſi ſpecies in virtute obiecti (id eſt quia cauſatur ab obiecto, vel quia eſt virtus obiecti) poteſt producere notitiā vnita intellectui, multo magis poterit ipſum obiectum ſi per ſe vniatur potentiæ. ¶ Quartò. Si aliqua ratione non poſſet Angelus ſe intelligere per ſuam eſſentiam, maximè, quia etiam ſequeretur, quod obiectum ſenſibile, ſcilicet, lapis poteſt quando eſt intimè præſens oculis cauſare notitiam ſenſitiuam ſui ſine ſpecie ſenſibili, quia talis intima præſentialitas ſufficit ex dictis ad cauſandum notitiam, ſed ſenſibile ſupra ſenſum nō facit ſenſationem, ergo neque intelligibile ſupra intellectum faciet intellectionem. Sed iſta ratio nihil valet, quia talis præſentialitas ſenſibilis ſupra ſenſum non fit per vnionem, quia lapis ſupra potentiam viſiuam non vnitur potentiæ viſiuæ neque per ſe, neque per accidens, & ſic non tantum non eſt ratio videndi, ſed impedit ipſam viſionem, quod nō vniatur per ſe, patet, quia non eſt idem realiter cum potentia viſiua: at vero eſſentia Angeli cum ſit idem realiter cum ipſo Angelo, & ſit vnita intellectui ipſius Angeli, nō ſolum nō impedit intellectionem, quin potius facit ipſam intellectionem.

Probatur tertio.

Probatur quarto.

¶ Reſpōdetur argumētis in principio poſitis. Ad primū reſpōdetur, ꝙ ꝓ iſto ſtatu intellectus noſter nō poteſt quicquā cognoſcere, niſi per cōuerſionē ad phantaſmata. Phantaſma autē idem eſt quod ſpecies rei ſenſibilis, & ſingularis, & ſic non poteſt intellectus aliquid intelligere niſi phantaſmata ſpeculando, quia talis ordo reperitur inter noſtrū intellectū & ſenſum, quod nihil ſit in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu. Obiectum enim ſenſibile imprimit ſpecies materiales, & ſenſibiles in medio, quæ multiplicātur vſq; ad organū ſenſus exterioris, ſcilicet viſus, vel auditus. Deinde migrant ſpecies nō eædem numero, ſed per generationē vſq; ad ſenſum cōmunē, qui eſt in anteriori parte capitis: & dicitur cōmunis, qa ibi recipiunt ſpecies omniū ſenſuū particulariū, & exteriorū. Deinde ſpecies illæ repoſitæ in ſenſu cōmuni transeunt ad Phantaſiam, & dicuntur phantaſmata, quæ illuſtrata lumine intellectus agentis ſimul cum illo producūt ſpeciem intelligibilem, quæ (quia accidentia ſunt) collocantur in intellectu poſsibili, deinde ſpecies cum intellectu producūt verbū, quod informat intellectū poſsibilē, & intellectus deinde operatur vitaliter, intelligendo. Quia igitur nullū phātaſma poſſumus habere pro iſto ſtatu de anima noſtra, ideo nō poſſumus noſtrā animā intelligere pro iſto ſtatu: at vero quia Angelus nō indiget phantaſmatibus ad cognitionem ſui ipſius, ideo poteſt ſeipſum intelligere per ſuam eſſentiam. Vnde ad argumentum in forma neganda eſt paritas rationis. ¶ Ad ſecundum negatur antecedēs, de qua re dicemus infra latè.

Reſp. argumentis.

Ad primū

¶ Ad tertium reſpondetur, ꝙ illa maxima Ariſt. debet intelligi de potentia organica, ſecus autem de potentia intellectiua. Nam potentia organica (vt oculus) oportet habeat contrariam diſpoſitionem ſy, quam habet ſubiectum receptiuum coloris, ſubiectum autem receptiuum coloris eſt corpus denſum, & opacum, non enim recipitur color in perſpicuo, & raro, vt in aëre. Potentia autem cognoſcitiua coloris oportet, quod ſit perſpicua, & diaphana, vt oculus, & ideo oculus cogniturus colorem, vel albedinem, non debet habere albedinem, quia aliàs, ſi illam haberet non eſſet perſpicuus: at vero potentia intellectiua ens eſt, & intelligit omnia entia. ¶ Ad quartū reſpōdetur, ꝙ intellectus Angeli mouetur ab ipſa eſſentia Angeli, quatenus ex nō ꝓducēte verbū efficitur producēs per concauſalitatē ipſius eſſentiæ, quæ motio nō repugnat ipſi angelo, ſicut nō repugnat illi, quod modo intelligat iſtud, & modo nō intelligat illud. ¶ Ad cōfirmationē reſpōdetur, cōcedendo maiorē, & negādo minorē (vt dictū eſt in corpore quæſtionis) quia ſola vnio eſt per ſe neceſſaria, informatio autē per accidens. ¶ Ad vltimū reſpondetur, negando ſequelā, & ad probationem dicitur, quod notitia non eſt mediū inter obiectum & potentiā, imo eſt extremum, cum ſit effectus vtriuſque.

Ad ſecundum.

Ad tertium.

Ad quartum.

Ad confirmat.

Ad quintum.

TEX-

TEXTVS.

DICO, quòd Angelus quamlibet quidditatem aliam à ſe, & ſuam, & ſeipſum poteſt cognoſcere per eſſentiam, quãdo cognoſcit cognitione intuitiua, ſcilicet, ſub ratione, qua præſens eſt in exiſtentia actuali. Et poteſt cognoſcere per ſpeciem, quando cognoſcit eam cognitione abſtractiua. diſt. 3. quæſt. 11. infrà lit. G.

EXPLICATIO LITERÆ.

IN hac litera Doctor duplici reſpondet quæſtioni. Quarum prima eſt, vtrum Angelus per ſuam eſſentiam poſsit cognoſcere alium Angelum notitia intuitiua? Secunda eſt, an poſsit etiam cognoſcere illum notitia abſtractiua, quæ quæſtiones difficiles ſanè ſunt, maximeque controuerſæ, præcipuè prima. Vt autem plena de hac re habeatur notitia, ſit titulus quæſtionis.

QVÆSTIO II.

Vtrum Angelus per ſuam eſſentiam poſsit cognoſcere alium Angelum.

Prima ſententia. DE hac re omiſsis nonnullis ſententijs, quæ nullam probabilitatem habent, Prima ſententia eſt D. Tho. & omnium Thomiſtarum (dempto Ferrara) aſſerentium, impoſsibile eſſe aliquem Angelum ex his qui nunc exiſtunt, intelligere alium Angelum per ſubſtantiam ipſius Angeli cogniti, neque per eſſentiam ipſius cognoſcentis, ſed neceſſario ponẽdas eſſe ſpecies intelligibiles ſuperadditas intellectui Angelico, vt aliquis Angelus poſsit alios cognoſcere diſtinctè, & ſecũdũ eorũ quidditates. Hãc ſententiã probãt quoad omnes ſuas partes, & primò quoad primã, nempè, quod Angelus nõ poteſt aliũ Angelũ naturaliter cognoſcere per ſubſtãtiam Angeli cogniti.

Prima pars probatur. *Primum argum.* Primò, quia Angeli inferiores ſunt minus ſpirituales quã ſuperiores, ſed vt angelus poſsit intelligere requirit proportionẽ inter intelligentẽ, & Angelũ intellectũ, ergo Angeli inferiores (cũ nõ habeant proportionẽ cũ ſuperioribus) nõ poterũt intelligere ſuperiores per eſſentiã ipſorũ ſuperiorũ.

Confirm. ¶ Cõfirmatur, nã eſſentia Angeli ſuperioris nõ eſt ſufficiẽter proportionata intellectui Angeli inferioris, ergo nõ poteſt illi immediatè vniri in ratione formę intelligibilis. Antecedẽs patet, nã eſſentia Angeli differt ſpecie ab eſſentia alterius, ergo non proportionatur illi, ergo cũ illud quod eſt principiũ agendi ſimul cũ potentia debeat eſſe proportionatũ potentiæ, cũ Angelus inferior nõ ſit proportionatus Angelo ſuperiori, ita neque eſſentia Angeli ſuperioris eſt proportionata potentiæ Angeli inferioris.

Secũdum argum. ¶ Secundò. Omne intelligibile eſt intra intellectũ, quantũ ad id quo intelligimus, ſed nulla ſubſtãtia creata illabitur menti, niſi ſolũ Deus, qui intimè eſt in omnibus rebus, per eſſentiã, & potentiã, ergo nullus Angelus poteſt ab alio cognoſci per eſſentiã illi vnitã in ratione formę intelligibilis, nã aliàs illaberetur menti illius.

Tertium argum. ¶ Tertiò. Si Angelus cognoſceret Angelũ per eſſentiã illius vnitã intellectui ipſius cognoſcẽtis, ſequeretur, quòd nõ eſſet poſitũ in poteſtate, & libertate Angeli cognoſcere aliũ cũ voluiſſet. Patet ſequela: nã incredibile eſt, quod vno Angelo volẽte aliũ intelligere, alius etiã nolẽs vniatur intellectui alterius volentis intelligere per ſemetipſum, ſed poſitũ eſt in poteſtate Angeli poſſe cognoſcere quẽlibet Angelũ cũ voluerit, nã quilibet Angelus naturali virtute poteſt indepẽdenter intelligere omnia, quæ ad naturæ ordinẽ pertinẽt, ergo.

Quartum argum. ¶ Quartò. Si naturalis modus operãdi Angeli eſt poſſe illos cognoſcere per ſpecies ſuperadditas (vt etiã Scotus fatetur) non erit poſsibilis alius modus ſecundũ ordinẽ naturæ, vt videlicet cognoſcat illos per eſſentias eorum ſibi vnitas immediatè.

Quintum argum. ¶ Quintò. Nã eſſentia Angeli eſt forma quædã limitata, & determinata etiã in eſſe intelligibili, ergo nõ poteſt vniri intellectui alterius Angeli in ratione formæ intelligibilis. Patet cõſequẽtia, quoniã omnis actus determinatus, & limitatus reſpicit determinatã & certã potentiã, quam actuare poſsit, & nõ poteſt quãlibet indifferẽter actuare, ergo.

Secunda pars probatur. ¶ Secundã partẽ ſuæ ſententiæ probãt, nempè, quod nõ poteſt Angelus Angelũ cognoſcere per eſſentiã ipſiuſmet cognoſcentis.

Primum argum. Primò, nã eſſentia vnius Angeli nõ habet rationẽ cauſæ, neque effectus reſpectu alterius Angeli neque habet ſufficiẽtẽ proportionẽ & ſimilitudinem cũ altero Angelo, ergo non poteſt eſſe principiũ cognoſcẽdi alterũ Angelũ. Antecedens quoad ſecundã partẽ patet, quia omnes Angeli differũt in eſſentia, & ſpecie, ergo nullus habet adæquatam ſimilitudinem cum eſſentia alterius. Imo verò etiam militat hæc ratio, ſi Angeli ſolo numero differrent.

¶Quartus modus dicendi eſt Magiſtri Bañes qui poſtquam poſuit prædictos modos explicandi D. Tho. ſententiam, poſtquam attulit ſententiam Caiet. quam inter omnes probabiliſsimam reputat. Pro maiori eius explicatione arguit cõtra illam. Primò. Nam ſequitur ex illa quod eſſentia Angeli in propria ſui cognitione non concurrat per modum ſpeciei intelligibilis. Conſequens eſt contra D. Tho. in hoc artic. ergo. Probatur ſequela. Species intelligibilis cõcurrit tanquam forma actuãs, & informans intellectum in eſſe intelligibili conſtituens illum in actu primo. Sed iuxta prædictum modum dicendi eſſentia Angeli non concurrit per modum formæ actuando, ſed potius tanquam radix & ſubiectum, ergo.

¶Secundò. Determinare potentiã ad ſpecificam rationem operationis eſt proprium officium formæ, forma enim eſt quæ dat ſpeciem rei, ergo eſſentia Angeli, prout determinat intellectum ad talem cognitionẽ ſui concurrit per modum formæ intelligibilis actuantis, & determinantis intellectũ, & non ſolum vt radix vnde oritur intellectus determinatus. ¶Confirmatur. Determinari intellectum ad ſpeciem cognitionis pertinet ad obiectum cognoſcibile, (quia cognitio ſpecificatur ab obiecto) ſed ſpecies intelligibilis ſupplet vicem obiecti, ergo determinare intellectum ad ſpecificam rationem cognitionis proprium officium eſt ſpeciei intelligibilis, & ex conſequenti, eſſentia Angeli, quatenus determinat intellectum ad ſui cognitionem exercet officium formæ intelligibilis, & non ſolum radicis, vnde oritur intellectus determinatus.

¶Tertiò. Nam D. Thom. nititur oſtendere hic, quòd eſſentia Angeli eſt principium formale cognitionis ſui, ſicut in alijs cognitionibus ſpecies intelligibilis ſuperaddita habet principij formalis cognitionis rationem, ſed nequit eſſe tale principiũ, niſi determinet intellectum formaliter ad illã cognitionem, & non ſolũ radicaliter, ergo.

¶Ad hæc argumenta reſpondet Magiſter Bañes quod Caiet. verum dicit, ſed diminutè loquitur, & breuiſsimè, quia non explicat, quo pacto eſſentia Angeli concurrit per modum formæ, & ſpeciei intelligibilis. Quapropter pro ſolutione argumentorum eſt notandum, quod iam ſupra dictum eſt, ſcilicet, quod ſpecies accidentalis, & ſuperaddita potentiæ duo facit in ordine ad cognitionem. Primum quod vnit intimè obiectum cum potentia, & ex conſequenti conſtituit obiectum intra potentiam in eſſe intelligibili. Alterum eſt quod determinat, & perficit virtutem potentiæ cognoſcitiuæ reſpectu talis, vel talis cognitionis. Primum quidem officium proculdubio eſt proprijſsimũ ſpeciei intelligibilis, inquantum ſpecies intelligibilis eſt, ita, vt ab illa non poſsit ſeparari. Secundum autem officium non conuenit per ſe ſpeciei intelligibili, inquantum ſpecies intelligibilis eſt, ſed conuenit alicui ſpeciei intelligibili, vel propter imperfectionem potentiæ in qua recipitur, vel propter imperfectionem ipſius ſpeciei, quæ eſt accidens inhærens. Ad hoc enim natura inſtituit ſpeciem intelligibilem ſuperadditam potentiæ, quod ipſa potentia cognoſcitiua non erat vndequaque perfecta, & determinata ad omnem intellectionem, vnde oportuit vt ſibi ſuperaddetetur aliqua qualitas, quæ determinaret illam ad obiectum, ad quod intelligendum non erat per ſe determinata. Hanc doctrinam colligo ex D. Tho. ſup. q. 12. art. 2. vbi ait, quòd ſpecies intelligibilis tantum ſe tenet ex parte obiecti, & non ex parte potẽtiæ. At vero ſi de ratione ſpeciei eſſet non ſolũ facere vnionem intimam inter obiectum & potentiam, ſed etiam perficere virtutẽ cognoſcitiuam, & determinare ad actionem, tunc non ſolum ſe teneret ex parte obiecti, ſed etiam ex parte potentiæ, ſiquidem perfectio, & complementum virtutis cognoſcitiuæ ad ipſam pertinet. Ex hoc ſequitur, quòd quamuis eſſentia Angeli in cognitione ſui non determinet intellectum per modum formæ informantis, & ſpeciei intelligibilis actuantis, ſed per modum radicis, & fontis à quo fluit intellectus determinatus, concurrit nihilominus ad talem cognitionem per modum ſpeciei intelligibilis, & formæ, quatenus intimè vnit Angelum ipſum cum proprio intellectu in eſſe intelligibili, in hoc enim ſaluatur proprium officium ſpeciei intelligibilis.

¶Vnde ad primum argumentum reſpondetur negando ſequelam, & ad probationem dicitur, quòd eſſentia Angeli, quatenus facit illam intimam vnionem obiecti cum potentia, quodammodo actuat, & informat intellectum in eſſe intelligibili, quia cum ſit proprius modus operandi potentiæ intellectiuæ, quod cognoſcat rem intra ſe, quantumlibet

tumlibet aliàs habeat determinationem ad aliquam cognitionem in ratione potentiæ cognoſcitiuæ, hinc eſt, quod quodammodo illa forma, quæ facit vnionem obiecti cũ potentia, conſtituat illam etiam quodammodo in actu primo: ſicut intellectus creatus quantumlibet illuſtratus lumine gloriæ, quod eſt ſufficientiſsimum principiũ effectiuum ex parte potentiæ, non videbit Deum; niſi eſſentia diuina vniatur illi intimæ in ratione cuiuſdam formæ intelligibilis ſubſiſtentis, non informantis. Verum eſt tamen, quod ſpecies, quatenus facit hanc vnionẽ obiecti cum potentia, quia nullam addit actiuitatem ipſi potentiæ, dicitur habere diminutam rationem formæ actuantis potentiam. Hæc autem ſufficit ad rationem ſpeciei intelligibilis: & hæc eſt ratio propter quam diuina eſſentia poteſt ſupplere vicem ſpeciei intelligibilis.

¶ Nam, ſi ex propria ratione ſpecies intelligibilis eſſet in rigore forma intelligibilis informans, non poſſet ſuppleri per diuinã eſſentiam. Non enim poteſt Deus per ſe ipſum ſupplere vicem cauſæ formalis, ſuppletur autem ſpecies intelligibilis per diuinam eſſentiam, ex eo, quod non tam eſt forma intellecta ſpecies intelligibilis, quam habeat quendam modum formæ intelligibilis, de cuius propria ratione nõ eſt quod informet inhærendo, quemadmodum perſonalitas diuina ex eo poteſt ſupplere perſonalitatem propriam naturæ creatæ: quia perſonalitas creata ex ratione propria perſonalitatis non eſt forma naturæ (propriè loquendo) ſed eſt terminus naturæ, ſicut punctus terminans lineam, quæ quidem ratio eſt diminuta in ratione formæ: ita Deus non ſupplet vicem cauſæ formalis dum cõmunicat ſuam perſonalitatem humanæ naturæ. ¶ Ad ſecundum negatur antecedens, ſi intelligatur cum præciſione. Nam potentia poteſt determinari ad ſpeciem actiõnis dupliciter. Primo modo, à propria ſua natura, & à radice, à qua dimanat. Secundo modo poteſt determinari ſuperaddita, verbi gratia, Calor (qui eſt potentia ignis) ad calefaciendum à ſua propria ratione habet determinari ad illam actionem ſpecificam. Similiter, potentia viſiua ex ſe ipſa determinata eſt ad videndum lucem ſecundum probabilem ſententiam, & ita ſi daretur lux per ſe ſubſiſtens abſque aliqua ſpecie videretur (vt ait D. Thom. quolibet. 7. artic. 1.) Exemplum ſecundi, potentia viſiua determinatur ad videndum album per ſpeciem viſibilem albedinis, ſibi ſuperadditam tanquam complementum potentiæ, quæ non eſt determinata ad omnem operationem videndi. Nunc ergo dicimus in præſentia, quod intellectus Angeli non habet conſummatam & perfectam operationem ad cognoſcendas res alias à ſe ipſo, eo quod eſſentia à qua procedit, neque formaliter, neque eminenter continet perfectè res alias à ſe ipſa. Vnde intellectus indiget ſuperadditis ſpeciebus aliarũ rerum. At vero ad perfectam cognitionem ſui habet determinationẽ quam illi tribuit propria eſſentia Angeli, à qua dimanat, nõ ſolum in eſſe entitatiuo, ſed in eſſe intelligibili quãtum ad iſtam operationem.

¶ Ad confirmationem dicitur, quod complementum & determinatio virtutis cognoſcitiuæ ad cognitionem talem, ſumitur quidem ex obiecto, ſed tamen iuxta modũ expoſitum in præcedente ſolutione. Nihilominus, cum hoc ſtat inveritate, quod per ſe loquendo, huiuſmodi complementum ſe teneat ex parte potentiæ operantis. Et quando obijcitur etiam ſpeciem actionis deſumi ab obiecto, reſpondetur, quod obiectum ſpecificat intellectionem, per modũ termini quem reſpicit intellectio, & non per modum principij actiui determinantis potentiam.

¶ Sed contra hoc replicatur. Actio (inquã tum actio) non ſpecificatur à termino, ſed à principio actiuo, vt videtur dicere Diuus Tho. 1. 2. quæſt. 1. artic. 3. ergo intellectio, prout eſt actio non ſpecificatur ab obiecto, prout eſt terminus, ſed potius prout eſt principium actiuum ipſius intellectionis, determinans potentiam ad talem operationem.

¶ Ad hanc replicam dicunt aliqui, quod intellectio (prout actio eſt) ſpecificatur ab obiecto, prout habet rationem principij actiui, hanc autem rationem habet, quatenus eſt intra potentiam per ſuam ſimilitudinem, qua mediante concurrit cum illa potentia ad actionem. Sed aiunt, dupliciter cõtingere obiectum eſſe intra potentiam. Primo modo, per formam ſuperadditam potentiæ, ſicut lapis, qui videtur eſſe in potentia viſiua per ſpeciem ſuperadditam. Altero modo per inclinationem, & proportionem naturalem quam habet potentia cum

obiecto, vt centrũ terræ dicitur eſſe in graui & locus ſurſum dicitur eſſe in igne ratione leuitatis, & proportionis, quam habet cum loco ſuperiori, ita docet D. Tho. 4. cõtra gentes. c. 19. Hinc ergo dicunt, quod cognitio qua Angelus ſe cognoſcit, procedit ab eſſentia Angeli, vt à principio actiuo proximo, quatenus eſſentia Angeli in ratione obiecti continetur intra ipſum intellectum, propter naturalem inclinationem, & proportionem, quam habet intellectus cum eſſentia Angeli tanquã cũ proprio & cõnaturali ꝓportionato ſibi obiecto. Atq; ità eſſentia Angeli in eſſe intelligibili in duplici ratione continetur intra ipſum intellectum. Primo ratione proportionis naturalis, quam modo explicabamus. Secundò quatenus eſſentia vnitur intellectui in ratione ſpeciei intelligibilis, vt explicatũ eſt. Tunc ergo dicunt, quod ſecundũ priorem rationem eſſentia concurrit effectiuè ad cognitionem ſui, & illam ſpecificat tanquã principiũ actiuũ illius, prout eſt actio. At vero ſecundum poſteriorem rationem, ipſa eſſentia non eſt actiuum principiũ illius cognitionis propriè loquendo.

¶ Sed hæc ſolutio non placet, quia cõtinet duo falſa. Primum eſt quod eſſentia Angeli eſt principium actiuum proximũ ipſius intellectionis, hoc enim eſſe non poteſt, neque in eſſe intelligibili, neq; in eſſe entitatiuo. In eſſe quidẽ entitatiuo, quia nulla ſubſtantia immediatè operatur per ſuam eſſentiam præter diuinam. In eſſe vero intelligibili, quia principium proximæ intellectionis eſt intellectus determinatus per ſpeciẽ intelligibilem ad actionem. Et quidẽ, ſi ſpecies intelligibilis fuerit ſuperaddita potentiæ, tanquam forma informãs ipſam, manifeſtum eſt, quod concurret effectiuè, ſimul cum intellectu. At vero ſi ſpecies intelligibilis fuerit forma ſubſiſtens, neq; actuans; neq; informans ipſum intellectum, non poterit cõcurrere effectiuè, ſaltem proximè, & immediatè ad ipſam intellectionẽ, quanuis poſſit concurrere radicaliter. Alterum eſt, quia illa ſolutio dicit, quod ſolũ ratione ſimilitudinis, & proportionis (quam habet intellectus ad obiectum) poteſt dici; quod obiectum eſt principium effectiuũ, & proximum intellectionis. Hoc autẽ falſum eſt, quia pari ratione diceretur, locus ſurſum eſſe principium effectiuum motus ignis. Patet ſequela: quia etiam ignis habet in ſe ſimilitudinem, & proportionem cum illo loco. Et etiam ſequitur, quod motus ignis ſpecificaretur ab illo loco, nõ tanquã à termino, ſed tanquam à principio actiuo. Reſpondetur ergo ad replicam factam ex D. Tho. 1. 2. quæſt. 1. art. 3. & etiam prima parte quæſt. 14. art. 5. ad 3. Et tertia parte quæſt. 19. Aduertendo quod obiectum intellectionis poteſt illam ſpecificare, & in ratione principij, & in ratione termini, ſecundum quod intellectio conſideratur, vt motus quidam ſpiritualis, diuerſis tamen rationibus, in ratione principij ſpecificat intellectionem, non tamen ita, vt ſit principium immediatum actiuum, ſed mediante (ſcilicet) ſpecie ſuperaddita potentiæ, ratione cuius dicitur obiectum eſſe intra potentiam in eſſe intelligibili. Aut etiam mediante virtute, & complemento potentiæ, quod oritur ab eodem obiecto vnito in ratione ſpeciei intelligibilis, vt iam explicatum eſt, & iſto modo dicitur obiectum eſſe principium intellectionis, & ſpecificationis illius radicaliter, & non vt principium formale effectiuũ. Erit autem principium formale effectiuum & proximum ipſa potentia intellectiua, quæ oritur perfecta, & completè determinata ad talem cognitionem ſui ipſius. ¶ Ad vltimum reſpondetur; quod D. Tho. hoc tantum intendit in articulo, ſcilicet, quod ex eo quod angeli eſſentia eſt ſpecies intelligibilis per ſe ſubſiſtẽs, non ſtatim ſequitur eam non eſſe principium effectiuum cognitionis ſui, vel principium formale, vel radicale, vel etiam ratione ſuæ ſimilitudinis exiſtentis in intellectu. Vtrum vero neceſſario ſit principiũ effectiuum formale, nõ determinat Diuus Tho. vnde vtraq; ſententia ſuprà explicata poterit ſuſtineri in doctrina D. Thom. Hactenus de ſententia D. Tho. & explicatione Thomiſtarum.

Sententia Doctoris.

¶ Secunda ſententia eſt Doctoris, vt patet in litera, quæ quanuis in concluſione coincidat cum ſententia D. Tho. in explicatione tamen nullatenus poſſunt cõuenire. Nã prædicta explicatio D. Tho. multa continet quæ non poſſunt in via Doctoris ſuſtineri. Vt autem prædictã quæſtionẽ explicemus ſunt notanda nonnulla.

1. Notab.

¶ Primo eſt notandũ cum Doctore in primo diſt. 7. quæſt. 7. & in quolib. quæſt. 15. quod in anima eſt aliquod principium reſpectu intellectionis, & illud non eſt volũ

tas,

tas neque ſenſus, erit ergo intellectus.

¶ Secundo eſt notandum cum Doctore in eadem diſtinctione & quæſtione litera. R. quod intellectus non eſt totalis cauſa intellectionis, ſed intellectus ſimul cum obiecto (ſi per ſe poteſt intellectui vniri) vel ſi per ſe non poteſt vniri per ſpeciem intelligibilem. Vnde ſpecies ſupplet vicem obiecti, quando obiectum non poteſt vniri potentiæ, quare non eſt dicendum obiectum ſupplere vicem ſpeciei, ſed è cõtra ſpeciẽ ſupplere vicem obiecti.

3. *Notab.* ¶ Tertiò eſt notandum, quod intellectus ſicut non habet totam actiuitatem reſpectu intellectionis, ſed habet ſuam partialẽ actiuitatem diſtinctã ab actiuitate obiecti, vel ſpeciei, quamuis in ſuo genere vtraque actiuitas ſit totalis, reſpectu tamen totius effectus neutra actiuitas eſt totalis, ſed ex vtraque efficitur vna totalis actiuitas: vnde intellectus non eſt in potentia paſsiua (quicquid aſſerat Caiet. 1. part. quæſt. 69. arti. 2.) in ordine ad productionem verbi, & intellectionis, vt prædicti expoſitores etiam fatentur tribuentes intellectui ſuam actiuitatem diſtinctam ab actiuitate ſpeciei: vnde intellectus per accidens indiget informatione ſpeciei, quia ſpecies accidẽs eſt, quod ſi intellectus eſſet pura potentia paſsiua neceſſariò indigeret aliqua forma informante, qua reduceretur de potentia ad actum primum, ſed ipſi expoſitores fatentur intellectum non indigere per ſe tali informatione, ſed per accidens, ex eo quod ſpecies accidens eſt, non ergo intellectus eſt pura potentia paſsiua reſpectu productionis intellectionis, ſiue verbi, ſed neceſſario habet ſuã actiuitatem diſtinctã ob actiuitate ſpeciei.

4. *Notab.* ¶ Quartò eſt notandum, quod eſſe perfectionem alicuius contingit dupliciter, vno modo per ſe, alio modo per accidens, per ſe quando conuenit illi ex natura ſua, vt accidenti, quod ſit perfectio accidentalis ſubiecti, & formæ quod ſit præfectio ſubſtantialis materiæ. Per accidens vero, quãdo illud non cõtingit illi ex natura ſua, ſed aliunde. Sicut verbi gratia, Poſſumus conſiderare ſpeciem intelligibilem. Vno modo ſecundũ quod accidẽs eſt informans intellectum, & ſecundum iſtam rationem eſt perfectio illius. Alio modo, ſecundum quod eſt cauſa totalis in ratione ſpecie, & partialis reſpectu intellectionis, & ſecundum iſtam rationem accidit ſpeciei, quod ipſa perficiat intellectũ, & ſit forma illius, qa licet ſpecies perficiat intellectum, non tamen dat illi aliquam actualitatem pertinentẽ ad cauſalitatem intellectus. Sicut verbi gratia Potẽtia motiua in manu poteſt vti cultello, in quantum acutum eſt ad diuidẽdum aliquod corpus, quod ſi iſta acuties eſſet in manu (vt in ſubiecto) poſſet manus vti acutie cultelli ad illam operationem, & tunc accideret manui (in quantum in ea eſt, potentia motiua) quod in ea eſſet acuties, quia acuties nullam perfectionẽ daret manui, pertinẽtem ad potentiã motiuam, quia æque perfecta eſt potentia motiua ſine tali acutie: & ita eodem modo vtitur ea, quando eſt in alio coniuncto manui (vt cultello) ſicut vteretur ea, ſi eſſet in manu. Ita in propoſito, ſi ſpecies poſſet eſſe inexiſtẽs intellectui abſq; inhærentia per modũ formæ, ſi iſto modo inexiſtens eſſet ſufficienter cõiuncta intellectui poſſent iſtæ duæ cauſæ (intellectus, ſcilicet & ſpecies ſibi inuicem coniunctæ) in eandẽ operationẽ, in quam modo poſſunt, quando ſpecies informat intellectum, vt patet in caſu præſentis quæſtionis, quando (verbi gratia) Angelus intelligit ſe per ſuã eſſentiam, & non per ſpeciem intelligibilẽ, tunc enim eſſentia Angeli (quę eſt obiectum præſens) eſt cauſa intellectionis ſimul cũ intellectu abſque informatione intellectus, ſed ambæ duæ cauſæ approximatæ (abſq; informatione alterins ab altera) per ſolam approximationem debitam cauſant vnũ effectum communẽ, nempe intellectionem, vel verbum.

5. *Notab.* ¶ Quintò eſt notandũ quod Doctor in hac quæſtione impugnans ſententiam D. Tho. non impugnat concluſionẽ, ſed tantũ rationẽ ipſius, ex eo quod ſecundũ ſententiã D. Tho. 1. par. q. 69. ait. 2. cum Caiet. ibi intellectus eſt in potentia eſſentiali ad intellectionẽ, vel operationẽ, & per cõſequens requirit per ſe neceſſario aliquã formã informantẽ, & reducentẽ illum de potẽtia eſſentiali ad actum primũ, & per hoc arguit doctor cõtra D. Tho. quia nihil poteſt habere principiũ operationis alicuius immanẽtis, niſi ſit in actu, per illud quod eſt principiũ talis operationis, ſed intellectus (ſecundum ſententiã D. Tho.) ex natura ſua, & ſecundum ſe eſt in potẽtia eſſentiali reſpectu intellectionis, ergo non poteſt eſſe principiũ intellectionis, niſi reducatur ad actũ per illud quod eſt principiũ talis operatiõis, ſed nõ poteſt reduci ad actũ niſi per formã in-

 for-

formantē (quia potentia paſsiua nō reducitur ad actū niſi per ſuā formā) ergo cū eſſentia Angeli nō ſit forma informās, ſed per ſe ſubſiſtēs, ergo nō poteſt eſſe actus ipſius intellectus. & per cōſequēs, vel intellectus habet actiuitatē diſtinctā ab actiuitate actiua ſpeciei, vel ſi non habet actiuitatē, ſed eſt in potentia paſsiua, & in potētia eſſentiali, nō poteſt per eſſentiā Angelus cognoſcere ſe ipſum. Sicut v.g. Ex eo quod corpus animale ante informationē animæ nō habet potētiā motiuā, ſed eſt in potētia eſſentiali, ideo indiget informatiōe animæ, & quod anima tribuat illi eſſe, vt homo poſsit mouere ſuū corpus, vnde ſi anima nō informaret corpꝰ, nequaquā homo, vel animal poſſet mouere corpus. Ita in ꝓpoſito à ſimili, ſi intellectus eſt in potentia paſsiua & eſſentiali reſpectu intellectionis, ergo ſi ſpecies. vel obiectum nō informat intellectū, & reducit illum de potentia ad actū, nō poterit Angelus intelligere ſe, quia nō habet principiū intelligēdi, nempè intellectū reductū de potentia ad actū, ſed eſſentia Angeli nō eſt forma informās intellectū, ergo neq; poteſt Angelus intelligere ſe per ſuā eſſentiā, vel ſi poteſt, ergo intellectus Angeli nō requirit aliquid, quo reducatur de potētia eſſentiali ad actū, vel ergo intellectus Angeli nō eſt in potentia eſſentiali ad intellectionē, quod eſt contra ipſum D. Tho. ſed habet ſuā partialem actiuitatē diſtinctā ab actiuitate obiecti, & ſpeciei, & per cōſequens, nō eſt in potentia eſſentiali. ¶ Cōfirmat autē Doctor iſtā ſuā ſententiam exemplo. Verbi gratia, demus, quod ſeparet Deus aliquē calorē ab aliquo igne, certum eſt, quod quāuis ille calor ſeparatus poſsit eſſe calefaciens, vel ratio calefactionis, nō tamē eſſet ratio calefactionis ligno, à quo eſt ſeparatus, ſi calefactio eſſet actio immanens, quia actio immanens eſt intra ipſum agens, ergo ſi ſeparas calorem ab igne (qui eſt in ligno) implicat, quod illa calefactio caloris ſeparati, ſit actio immanens ipſius ligni habentis ignem: quia principiū effectiuum nō eſt formaliter intra ipſum agens. Ita in propoſito, ſi ſepares ab intellectu (qui eſt in Angelo) virtutē actiuā intelligendi, ſicut ſeparatur ex eo quod ponitur in via D. Tho. intellectus pura potētia paſſiua, & quod ex intellectu & ſpecie vt verbis Caietani vtar) efficitur vna vis animalis, & ſic intellectus (qui erat in potētia paſſiua) efficitur potētia actiua, ergo ſi ſepares ab intellectu talē informationē, ſeparas virtutem actiuā, & per cōſequens implicat (ponendo eſſentiā formā ſubſiſtentē & nō inhærentē) poſſe Angelū habere operationē immanentē: & per cōſequēs, ſeipſum intelligere. Quod ſi iſta bene perſpicias videbis *Nota hoc.* Caiet. non reſpōdere Doctori, neque poſſe euitare prædictā cōtradictionē. Nā hic non quęrimus an forma ſeparata à ſubiecto poſſet eſſe principiū operādi. Neque etiā quærimus, vtrū illud quod eſt principiū formale quo, ſit vnū cū potentia per idētitatem, vel ſatis eſt, quod illi vniatur tanquā quid terminās ipſam potentiā ad operandū, quia cū hoc certiſsimū ſit, nō poteſt verti in quęſtionē, vt patet in ſpecie intelligibili, quæ per accidēs informat intellectū, nēpe quia accidens eſt, vnde eſſentia diuina vnitur intellectui abſq; informatione, quia nō eſt requiſita informatio ad talē vnionē. Quare vt potentia operetur, ſatis eſt vnio illa, quæ ſufficiēs eſt ad determinādū totaliter ipſam potentiā, quæ vnio neq; eſt informatio, neque eſt identitas, ſed præſentialitas quędam intima obiecti & potentiæ, vel per ſe (ſi per ſe poteſt vniri) vel per ſpeciem ſupplentem vicem obiecti: quando obiectū per ſe nō poteſt vniri. ¶ Quòd ſi dicas: Determinatio intellectus debet fieri à forma inhęrente ipſi, ergo eſſentia Angeli (ſiue obiectū quod per ſe vnitur potentiæ) nō poteſt determinare intellectū, nō inhærendo, & per cōſequens, non poteſt eſſe principium formale intellectionis, per modū determinātis intellectū. Antecedens probatur, quia talis determinatio non eſt effectus cauſæ finalis, quia finis non mouet niſi vt cognitus, & per conſequens requireretur alia intellectio ad cognitionem illius finis, & per cōſequens alia determinatio, & ad illam alia, & ſic eſſet proceſſus in infinitū. Neque etiam eſt effectus cauſæ exemplaris, quia etiā cōcurrit exemplar ad ſuum effectum, vt cognitum. Neque etiam eſt cauſæ materialis, quia iſta cōſiſtit in receptione, & ab hoc cauſa inferior dicitꝰ determinare ſuperiorem in genere cauſæ materialis, quia recipiendo concurſum cauſæ primæ modificatur talis concurſus taliter, quod cum leone producit leonem, & cum homine hominē, & ſic de reliquis cauſis ſecundis. At vero concurſus intellectus actu operantis eſt ipſa actualis intellectio. Neque etiam eſt effectus cauſæ efficientis, quia obiectū (cui tribuitur determinare intelle-

tellectus) non cõparatur ad eũ, vt cauſa effi
ciens, ergo determinatio intellectus debet
eſſe effectus cauſæ formalis, & p cõſequẽs,
cũ forma nõ cõmunicet ſuum effectũ niſi in
hærendo, vel informãdo, neceſſario requiri
tur informatio intellectus. ¶ Ad hoc reſpõ
det Caiet. 1. p. q. 54. art. 3. & q. 56. art. 1. quẽ
ſequũtur aliqui ex recentioribus vt viſum
eſt in expoſitione & ſentẽtia D. Th. deter-
minationẽ intellectus Angeli fieri ab eius
eſſe in genere cauſæ efficiẽtis per naturalẽ
reſultãtiã. Nã ſicut ab eſſentia Angeli dima
nat eius intellectus: ita etiã dimanat ſufficiẽ
ter determinatus ad intellectionẽ, & cogni
tionẽ ſui ipſius. Et ratio eius eſt, quia intel-
lectus põt cõſiderari dupliciter. Primò qua
tenus eſt potẽtia quædã intellectiua. Secun
dò modo quatenus eſt determinatus ad intel
lectionẽ alicuius obiecti in particulari. Pri-
mũ autẽ habet ab eſſentia, à qua dimanat. Se
cundũ vero habet ab obiecto intelligibili.
Nã ab ſpecie intelligibili leonis habet, ꝙ in
telligat leonẽ, & ab ſpecie intelligibili equi
habet, quod intelligat equũ. At vero reſpe-
ctu ſui (id eſt reſpectu ipſius Angeli) vtrũq;
habet ab eius eſſentia, à qua dimanat, & quã
uis eſſentia Angeli ſubſiſtẽs, & perfecta eſt
in eſſe immateriali, adhuc in ea poſsũt diſtin
gui alia duo, ſcilicet, quod eſt eſſentia quæ-
dã intellectualis, & ſecũdũ, quod eſt actu in
telligibilis: & ratione primi, dimanat ab ea
intellect⁹, vt eſt potẽtia quædã intellectiua
ratione vero ſecũdi dimanat ab ea ipſe intel
lectus ſufficiẽter determinatus, & modifica
tus ad intellectionẽ eiuſdem eſſentiæ, q̃a nõ
minorẽ vim habet quantũ ad hoc ſecũdum
eſſentia Angeli (quæ actu intelligibilis eſt)
quã reliqua obiecta intelligibilia. ¶ Iſta ta-
mẽ ſolutio alijs ex diſcipulis D. Tho. nõ pla
cet, & ratio illorũ eſt, quia vel cõcurſus quo
eſſentia Angeli eſt principiũ ſui intellectus
eſt ſolũ cõcurſus principij efficiẽtis, aut ſi-
mul eſt cõcurſus obiecti intelligibilis: ſi pri
mũ, ſequitur, quod non ſufficiat ad determi
nandũ intellectũ, quia determinatio poten
tiæ (vt cognoſcitiua) debet fieri ab obiecto,
vt cognoſcibile eſt. Secundũ autem dici nõ
poteſt, quia quæcũq; eſſentia eſt principiũ
ſuarũ potentiarũ, eo modo quo eſſentia An
geli eſt principiũ ſui intellectus, & tamẽ nõ
cõcurrit quæcũque eſſentia per modũ obie
cti ad productionẽ ſuarũ potentiarũ. Tum
etiã, quia ſicut eſſentia Angeli eſt obiectum
intelligibile, ita eſt obiectũ amabile, & ſi-
cut eſt principiũ ſui intellectus, ita eſt prin
cipiũ ſuæ volũtatis, & tamen non cõcurrit
per modũ obiecti amabilis ad inclinationẽ
ſuæ volũtatis, quia nõ cõcurrit trahendo, er
go neq; ad inclinationẽ intellectus per mo-
dũ obiecti intelligibilis. Patet ſequela, quia
nõ minus eſſentia Angeli eſt principiũ ſuæ
volũtatis, quã intellectus, neq; habet minus
rationẽ obiecti amabilis, quã intelligibilis,
ſed voluntas ad hoc vt ſit cõplete & vltimo
determinata ad amorẽ eſſentiæ, nõ ſatis eſt
quod proceſſerit ab eſſentia, ſed requiritur
propoſitio eiuſdẽ eſſentiæ mediante cogni
tione, ſicut ad dilectionẽ aliorũ obiectorũ,
ergo idẽ dicendũ eſt de intellectu reſpectu
intellectionis. ¶ Vnde aliter reſpõdent præ
dicti, dicentes, determinationẽ intellectus
nõ eſſe effectũ aliquẽ de nouo productũ in
ipſo intellectu, ſed cõſiſtere ſolũ in appro-
ximatione, & vnione obiecti ad intellectũ,
quæ ſit ſufficiẽs ad hoc, vt à quolibet eorũ,
tanquã à cauſa partiali, producatur intelle-
ctio. Quãdo enim aliqua cauſa eſt ſecũdum
ſe indeterminata ad ſpecificationẽ ſui actus
per hoc ſolũ determinatur ſufficiẽter quod
cõiungitur cauſæ proportionatæ illius ſpe
cificationis; & ita intellectus Angeli (qui ſe
cundũ ſe eſt indeterminatus, quantũ ad ſpe
cificationẽ intellectionis) reſpectu ſuæ eſ-
ſentiæ bene poterit dici determinari per aſ-
ſiſtentiã, & cõiunctionẽ cauſæ producentis
actũ quo ad ſpecificationẽ, ſcilicet, ſuæ eſ-
ſentiæ. Quod vero hæc coniunctio fiat etiã
in Angelo reſpectu obiecti extrinſeci, me-
dia inhæſione ſpeciei intelligibilis, per acci
dens eſt, propter improportionẽ, aut diſtã-
tiam obiecti. Vnde ad argumentũ in forma
reſpondent, negando antecedens, & ad pro
bationẽ negando maiorẽ, & ad tertiã proba
tionem antecedentis argumẽti principalis,
quod quãdo D. Tho. negat ſubſtantiã eſſe
principiũ proximũ operationis, loquitur
per principiũ per modũ potẽtiæ, quod pri
mario ordinatur ad operationẽ, non autẽ de
principio per modũ obiecti. ¶ Iſta tamẽ ſo-
lutio & explicatio ſententiæ & quæſtionis;
quãuis veritatẽ habeat, ſupponit tamẽ vnũ
quod in via D. Tho. ſolet negari, nempe in-
tellectũ poſsibilem, habere aliquã actiuita
tẽ propriã, diſtinctã ab actiuitate ſpeciei in
telligibilis. Vnde prædicti fatendo actiuita
tem intellectus diſtinctã ab actiuitate ſpe-
ciei fatentur etiã vel fateri tenentur, intelle
ctũ & ſpeciẽ cõcurrere tanquã duæ cauſæ.

Vt docet Doctor in 1. diſt. 3. q. 7. litera. M. habētes ordinē eſſentialē, taliter, ꝙ vna nō eſt ſimpliciter perfectio altera, ita tamen quod vtraque in ſua partiali cauſalitate eſt perfecta, nō dependēs ab alia. Quare paulo infra, docet dicens, Accidit ſpeciei (in quātū eſt cauſa partialis reſpectu actus intelligēdi cū intellectu, vt cū alia cauſa partiali) quod ipſa perficiat intellectū, quia etſi perficiat eū, nō tamen dat intellectui aliquā actualitatem pertinētē ad actualitatē intellectus. Et paulo infra. Ita in ꝓpoſito, ſi ſpecies poteſt eſſe inexiſtens intellectui abſq; inhærentia per modum formæ, ſi iſto modo inexiſtens eſſet ſufficienter cōiuncta intellectui, poſſent iſtæ duæ cauſæ partiales (intellectus & ſpecies) cōiūctę ſibi inuicē in eādē operationē, in quā modo poſsūt, qn̄ ſpecies informat intellectū. Quod etiā appatet ponendo aliquod intelligibile præſens ſine ſpecie. Illud enī̄ obiectū eſt cauſa partialis, & non informat intellectū, qui eſt altera cauſa partialis, ſed iſtæ duæ cauſæ partiales approximatæ abſq; informatione alterius ab altera per ſolā approximationē debitā cauſant vnū eſſe, ſtū eōem. Ex qua litera doctoris ſatis patet quomodo prædicti exponētes ſentētiā D. Tho. nihil aliud doceant, quā ſententiā Doctoris. Vnde immerito ꝓdicti impugnātes Doctorē, ex eo quod dixerit D. Tho. ſenſiſſe, obiectū, vel ſpeciem debere eſſe principiū formale intellectiōis. Nā doctor ſupponit ibi, quod D Tho. docuit. 1. p. q. 69. arti. 2. Scilicet intellectū poſsibilem eſſe in pura potentia eſſentiali reſpectu intellectionis ſecluſa ſpecie intelligibili, & illud quod eſt in potentia eſſentiali (ſi nō reducatur ad actū per aliquā formā) nō poteſt eſſe principiū operationis, vnde cōſequenter ad iſta dicendū eſſet ꝙ cū Angelus non poſſet habere intellectū informatū ſua eſſētia, ideo neque poſſet intelligere ſe per ſuā eſſentiā: at vero, ad hoc quod Angelus ſeipſum intelligat, non indiget quod eius eſſentia ſit forma informās ſuū intellectū, cum ſatis ſit approximatio, & vnio per modū duarum cauſarum, ideo neque requirit informationem, quia intellectus Angeli non eſt in pura potentia eſſentiali reſpectu ſuæ actiuitatis partialis, quanuis ſit reſpectu actiuitatis totalis, quia ſicut quando duo portant lapidem, quorū neuter per ſe poteſt illum portare, tunc quilibet habet ſuā actiuitatē, neuter tamen habet actiuitatē abſolutè in ordine ad effectū, ſed tantū partialē actiuitatē, ꝓpter quod poteſt dici quod quilibet eſt in potētia eſſentiali io ordine ad totum effectū, id eſt, quod quilibet caret totali actiuitate, quāuis habeat partialem, quia tamē ex illis nō fit vna numero actiuitas actiua, ſed ex illis duabus partialibus integratur quaſi vna actiuitas, ita in propoſito, ex actiuitate intellectus (quam non habet ab ſpecie) & ex actiuitate ſpeciei (quā non habet ab intellectu) integratur quaſi vna totalis actiuitas reſpectu intellectionis. Ex quo prouenit, ꝙ ſicut in duobus agentibus partialibus vnum agens nō eſt forma alterius, ita in intellectu & ſpecie ſimiliter cōtingit, taliter, quod neque intellectus perficit ſpeciem, neque ſpecies eſt forma intellectus, nā de ratione formæ eſt quod reſpiciat potentiā paſsiuā, ſpecies autē (vt ſpecies) non reſpicit niſi potentiam actiuā intellectus, & ob hoc, nō poteſt dici quod intellectus eſt in pura potentia eſſentiali, cum habeat ſuā actiuitatē diſtinctam ab actiuitate ſpeciei. ¶ Ex quo infertur, nō rectè reſpōdere qui dicunt, eſſentiā Angeli vniri ſuo intellectui per modū formæ non in eſſe rei, ſed in eſſe intelligibili, & propter hoc non indigere informatione aliqua, & ratio huius eſt: quoniam vel illud eſſe intelligibile eſt aliquid reale vel nō. Si eſt aliquid reale, ergo ſecundū aliquod eſſe reale eſſentia Angeli informat ſuum intellectum. Si autem nō eſt aliquid reale, ergo neque eſt forma intellectus. Quod ſi reſpondeas eſſentiam Angeli vniri per modum obiecti intelligibilis per identitatem principio principali intellectiōis, quod eſt ipſum intelligens, non tamē intellectui, & ad hāc vnionem ſufficere, vt intellectus, ſit determinatus ad cognitionem eſſentiæ Angelorum, hæc ſolutio non placet aliquibus etiā exponentibus D. Thom. quorum ratio eſt, quia cum potentia operatiua ſit aliquo modo indeterminata ad aliquem actum ſecundum, ponenda eſt in ea immediatè ipſa determinatio, vt conſtat exemplo habituum, qui licèt inhæreant ſubſtantiæ, tanquā ſubiecto quod, non tamen inhærent illi immediatè, ſed medijs potentijs, ergo cum intellectus, qui eſt potentia operatiua ſit ſecundū ſe indeterminatus ad hoc, vel illud obiectū in particulari, in ipſo debet poni immediatè determinatio, & per conſequens vnio cū obiecto, quæ ad huiuſmodi determinationē eſt neceſſaria. Vnde quanuis ſpecies intelli

gibili

gibili vel obiectū debeant prius vniri prioritate naturæ, vel rationis: quam intelligēs intelligat, non tamen eſt neceſſarium quod vniatur vel per identitatē, ſicut eſſentia diuina vnitur ſuo intellectui, neque per informationem ſicut ſpecies intelligibilis, quæ quia accidens eſt vnitur noſtro intellectui, ſed ſatis eſt, quod vniātur, ſicut duo agentia partialia ſub ordinata in agendo potentia ſimul producere aliquem effectū, ad quē nulla per ſe eſt ſufficiens cauſa, & ſic ſatis eſt, quod obiectum ſit indiſtans, vel præſens intellectui ſecundum ſpeciem, & proportionatum ſecundū gradū immaterialitatis, vnde eſsētia Angeli vnitur ſuo intellectui per modum obiecti determinātis intellectū ad intelligendum tale obiectum, id eſt, quantū ad ſpecificationem, & etiam in ratione conſtituentis intellectum in actu primo totali, quatenus cum obiecto producit operationem vitalem, quam nō produceret, niſi obiectum concurreret coadiuuans intellectum ad producendam illam intellectionem.

Prima cōcluſio. ¶ Prima cōcluſio. Si intellectus ſecluſa ſpecie intelligibili eſt in potentia eſſentiali reſpectu intellectionis, implicat Angelum intelligere ſe per ſuam eſſentiā. Hæc concluſio colligitur ex doctrina Doctoris in hac quæſtione, & probatur, illud quod eſt in potentia eſſentiali nō poteſt reduci ad actum niſi per formā tribuentē illi eſſe (verbi gratia) Aqua (quæ eſt in potētia eſſentiali aër) non poteſt reduci ad actum, niſi per formā aëris tribuentem illi eſſe aeris. Sed intellectus ſecluſa ſpecie intelligibili eſt in potentia eſſentiali: ergo nō poteſt reduci ad actū niſi per formam tribuentē illi eſſe, ſed nulla forma tribuit eſſe, niſi informando, ergo cū eſſentia Angeli nō poſſit informare eius intellectū, non poterit Angelus ſe per ſuam eſſentiam cognoſcere. Patet conſequentia, quia intellectus non habet actiuitatem, niſi ſit aliqua forma reductus de potentia eſſentiali ad actum. Quod ſi reſpondeas eſſentiā Angeli eſſe formā in genere intelligibilis, non autem in genere entis, illud manet iam ſupra improbatum.

Secunda cōcluſio. ¶ Secunda concluſio. Angelus intelligit ſe per ſuam eſſentiam. Hæc concluſio eſt Doctoris, vt patet in litera, quam defendit Diuus Thom. & omnes Thomiſtæ. Et probatur. *Probatur primo.* Illa ſubſtantia (quæ poteſt eſſe mediū cognitionis ſecundum ſe, & ex natura ſua, & intime coniungitur intellectui, qui habet cognoſcere) eſt ratio cognoſcendi ſe ipſum tali intellectui, ſed eſſentia Angeli poteſt eſſe, & eſt medium cognitionis reſpectu proprij intellectus, & eſt illi intime vnita, ergo poteſt Angelus per ſuam eſſentiam ſeipſum cognoſcere. Maior patet, quia ideo ſpecies intelligibilis ponitur in intellectu ad intellectionem, vt ſit medium cognitionis, & vt mediāte illa obiectum vniatur potentiæ, ergo ſi aliqua ſubſtantia habet per ſe ipſam hoc ipſum: quia ſecundum ſe eſt intimè vnita potētię intellectiuè, poterit etiā eſſe ratio cognoſcendi ſeipſam, per ſeipſam. Confirmatur. Nam ſi aliqua ratione eſſentia Angeli non poteſt eſſe ratio cognoſcendi ſe ipſam, maximè quia eſt forma per ſe ſubſiſtens, & non inhærens intellectui, ſed talis inhærentia non eſt neceſſaria, & talis ſubſiſtentia non impedit, ergo. Probatur minor, nam ſpecies intelligibilis (quatenus cauſat ſimul cum intellectu intellectionē) non reſpicit potentiam paſsiuam intellectus, ſed tantum potentiā actiuam, ſed quatenus inhæret intellectui non reſpicit potentiam actiuam, ſed paſsiuam: ergo inhærentia non eſt per ſe neceſſaria in ſpecie intelligibili ad intellectionem, & per conſequens, quamuis eſſentia Angeli non inhæreat, nō ob hoc tolletur ab ea actiuitas, quæ ex parte ſua requiritur ad intellectionem.

Secunda pars probatur primo. ¶ Secunda pars probatur, nam eſſentia diuina eſt forma magis ſubſiſtens quam propria eſſentia Angeli, ſed ſecundum ſententiam D. Thom. eſſentia diuina vnitur intellectui beatorum reſpectu viſionis beatificæ productæ ab ipſo intellectu beatorum, ergo.

Probatur ſecundo. ¶ Secundò. Species intelligibilis ad hoc eſt neceſſaria, vt obiectum fiat actu intelligibile, & fiat vnio inter potentiam & ipſum obiectum, ſed ipſa eſſentia Angeli eſt actu intelligibilis, & nulla poteſt eſſe maior vnio, neque approximatio inter ſpeciem extrinſecam & intellectum, quam quæ eſt inter eſſentiam Angeli & eius intellectum, ergo poterit Angelus ſeipſum per ſuam eſſentiā intelligere. Maior patet, nam notitia producitur ab obiecto actu intelligibili (hoc eſt, vnito intellectui per ſe, vel per accidens) & ab ipſa potentia, ſed eſſentia Angeli eſt actu intelligibilis, quia vnitur proprio intellectui per identitatem, ergo ab ipſa eſſentia & intellectu producitur immediatè notitia ipſius Angeli. Confirmatur. Ex eo ſecūdum Ariſt. ad intelligendum lapidem requiritur

ritur ſpecies lapidis, quia lapis non eſt vnitus animæ, ergo ſi lapis eſſet vnitus intellectui, vel animæ, non eſſet neceſſaria ſpecies intelligibilis, ſed eſſentia Angeli eſt intimè vnita eius intellectui ergo. Angelus ad intelligendū ſe non indiget ſpecie, & per cōſequēs poterit ſe per ſuā eſſentiā cognoſcere.

Probatur tertio.

¶ Tertiò. Species obiecti informans intellectum eſt cauſa partialis intellectionis, ergo ſi ipſum obiectum vniatur potentiæ poterit etiam eſſe cauſa intellectionis ſui ipſius per ſe ipſam. Probatur antecedens, quia ſpecies operatur virtute obiecti, à quo cauſatur, & ſupplet eius vicem, ergo ſi ſpecies in virtute obiecti (id eſt quia cauſatur ab obiecto, vel quia eſt virtus obiecti) poteſt producere notitiā vnita intellectui, multo magis poterit ipſum obiectum ſi per ſe vniatur potentiæ.

Probatur quarto.

¶ Quartò. Si aliqua ratione non poſſet Angelus ſe intelligere per ſuam eſſentiam, maximè, quia etiam ſequeretur, quod obiectum ſenſibile, ſcilicet, lapis poteſt quando eſt intimè præſens oculis cauſare notitiam ſenſitiuam ſui ſine ſpecie ſenſibili, quia talis intima præſentialitas ſufficit ex dictis ad cauſandum notitiam, ſed ſenſibile ſupra ſenſum nō facit ſenſationem, ergo neque intelligibile ſupra intellectum faciet intellectionem. Sed iſta ratio nihil valet, quia talis præſentialitas ſenſibilis ſupra ſenſum non fit per vnionem, quia lapis ſupra potentiam viſiuam non vnitur potentiæ viſiuæ neque per ſe, neque per accidens, & ſic non tantum non eſt ratio videndi, ſed impedit ipſam viſionem, quod nō vniatur per ſe, patet, quia non eſt idem realiter cum potentia viſiua: at vero eſſentia Angeli cum ſit idem realiter cum ipſo Angelo, & ſit vnita intellectui ipſius Angeli, nō ſolum nō impedit intellectionem, quin potius facit ipſam intellectionem.

Reſp. argumentis.

Ad primū

¶ Reſpōdetur argumētis in principio poſitis. Ad primū reſpōdetur, ꝙ ꝓ iſto ſtatu intellectus noſter nō poteſt quicquā cognoſcere, niſi per cōuerſionē ad phantaſmata. Phantaſma autē idem eſt quod ſpecies rei ſenſibilis, & ſingularis, & ſic non poteſt intellectus aliquid intelligere niſi phantaſmata ſpeculando, quia talis ordo reperitur inter noſtrū intellectū & ſenſum, quod nihil ſit in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu. Obiectum enim ſenſibile imprimit ſpecies materiales, & ſenſibiles in medio, quæ multiplicātur vſq; ad organū ſenſus exterioris, ſcilicet viſus, vel auditus. Deinde migrant ſpecies nō eædem numero, ſed per generationē vſq; ad ſenſum cōmunē, qui eſt in anteriori parte capitis: & dicitur cōmunis, quia ibi recipiunt ſpecies omniū ſenſuū particulariū, & exteriorū. Deinde ſpecies illæ repoſitæ in ſenſu cōmuni tranſeunt ad Phantaſiam, & dicuntur phantaſmata, quæ illuſtrata lumine intellectus agentis ſimul cum illo producūt ſpeciem intelligibilem, quæ (quia accidentia ſunt) collocantur in intellectu poſſibili, deinde ſpecies cum intellectu producūt verbū, quod informat intellectū poſſibilē, & intellectus deinde operatur vitaliter, intelligendo. Quia igitur nullū phātaſma poſſumus habere pro iſto ſtatu de anima noſtra, ideo nō poſſumus noſtrā animā intelligere pro iſto ſtatu: at vero quia Angelus nō indiget phantaſmatibus ad cognitionem ſui ipſius, ideo poteſt ſeipſum intelligere per ſuam eſſentiam. Vnde ad argumentum in forma neganda eſt paritas rationis.

Ad ſecundum.

¶ Ad ſecundum negatur antecedēs, de qua re dicemus infra latè.

Ad tertiū.

¶ Ad tertium reſpondetur, ꝙ illa maxima Ariſt. debet intelligi de potentia organica, ſecus autem de potentia intellectiua. Nam potentia organica (vt oculus) oportet habeat contrariam diſpoſitionem ly, quam habet ſubiectum receptiuum coloris, ſubiectum autem receptiuum coloris eſt corpus denſum, & opacum, non enim recipitur color in perſpicuo, & raro, vt in aëre. Potentia autem cognoſcitiua coloris oportet, quod ſit perſpicua, & diaphana, vt oculus, & ideo oculus cogniturus colorem, vel albedinem, non debet habere albedinem, quia aliàs, ſi illam haberet non eſſet perſpicuus: at vero potentia intellectiua ens eſt, & intelligit omnia entia.

Ad quartum.

¶ Ad quartū reſpōdetur, ꝙ intellectus Angeli mouetur ab ipſa eſſentia Angeli, quatenus ex nō ꝓducēte verbū efficitur producēs per concauſalitatē ipſius eſſentiæ, quæ motio nō repugnat ipſi angelo, ſicut nō repugnat illi, quod modo intelligat iſtud, & modo nō intelligat illud.

Ad confirmat.

¶ Ad cōfirmationē reſpōdetur, cōcedendo maiorē, & negādo minorē (vt dictū eſt in corpore quæſtionis) quia ſola vnio eſt per ſe neceſſaria, informatio autē per accidens.

Ad quintum.

¶ Ad vltimū reſpondetur, negando ſequelā, & ad probationem dicitur, quod notitia non eſt mediū inter obiectum & potentiā, imo eſt extremum, cum ſit effectus vtriuſque.

TEX-

TEXTVS.

DICO, quòd Angelus quamlibet quidditatem aliam à ſe, & ſuam, & ſeipſum poteſt cognoſcere per eſſentiam, quādo cognoſcit cognitione intuitiua, ſcilicet, ſub ratione, qua præſens eſt in exiſtentia actuali. Et poteſt cognoſcere per ſpeciem, quando cognoſcit eam cognitione abſtractiua. diſt. 3. quæſt. 11. infrà lit. G.

EXPLICATIO LITERÆ.

IN hac litera Doctor duplici reſpondet quæſtioni. Quarum prima eſt, vtrum Angelus per ſuam eſſentiam poſsit cognoſcere alium Angelum notitia intuitiua: Secunda eſt, an poſsit etiam cognoſcere illum notitiæ abſtractiua, quæ quæſtiones difficiles ſanè ſunt, maximeque controuerſæ, præcipuè prima. Vt autem plena de hac re habeatur notitia, ſit titulus quæſtionis.

QVÆSTIO II.

¶ Vtrum Angelus per ſuam eſſentiam poſsit cognoſcere alium Angelum.

Prima ſententia. DE hac re omiſsis nonnullis ſententijs, quæ nullam probabilitatem habent, Prima ſententia eſt D. Tho. & omnium Thomiſtarum (dempto Ferrara) aſſerentium, impoſsibile eſſe aliquem Angelum ex his qui nunc exiſtunt, intelligere alium Angelum per ſubſtantiam ipſius Angeli cogniti, neque per eſſentiam ipſius cognoſcentis, ſed neceſſario ponēdas eſſe ſpecies intelligibiles ſuperadditas intellectui Angelico, vt aliquis Angelus poſsit alios cognoſcere diſtinctè, & ſecūdū eorū quidditates. Hāc ſententiā probāt quoad omnes ſuas partes, & *Prima pars probatur.* *Primum argum.* primò quoad primā, nempè, quod Angelus nō poteſt aliū Angelū naturaliter cognoſcere per ſubſtātiam Angeli cogniti. Primo, quia Angeli inferiores ſunt min⁹ ſpirituales quā ſuperiores, ſed vt angelus poſsit intelligere requirit proportionē inter intelligentē, & Angelū intellectū, ergo Angeli inferiores (cū nō habeant proportionē cū ſuperioribus) nō poterūt intelligere ſuperiores per eſſentiā ipſorū ſuperiorū. *Confirm.* ¶ Cōfirmatur, nā eſſentia Angeli ſuperioris nō eſt ſufficiēter proportionata intellectui Angeli inferioris, ergo nō poteſt illi immediatè vniri in ratione formę intelligibilis. Antecedēs patet, nā eſſentia Angeli differt ſpecie ab eſſentia alterius, ergo non proportionatur illi, ergo cū illud quod eſt principiū agendi ſimul cū potentia debeat eſſe proportionatū potentiæ, cū Angelus inferior nō ſit proportionatus Angelo ſuperiori, ita neque eſſentia Angeli ſuperioris eſt proportionata potentiæ Angeli inferioris. *Secūdum argum.* ¶ Secundò. Omne intelligibile eſt intra intellectū, quantū ad id quo intelligimus, ſed nulla ſubſtātia creata illabitur menti, niſi ſolū Deus, qui intimè eſt in omnibus rebus, per eſſentiā, & potentiā, ergo nullus Angelus poteſt ab alio cognoſci per eſſentiā illi vnitā in ratione formę intelligibilis, nā aliàs illaberetur menti illius. *Tertium argum.* ¶ Tertiò. Si Angelus cognoſceret Angelū per eſſentiā illius vnitā intellectui ipſius cognoſcētis, ſequeretur, quòd nō eſſet poſitū in poteſtate, & libertate Angeli cognoſcere aliū cū voluiſſet. Patet ſequela: nā incredibile eſt, quod vno Angelo volēte aliū intelligere, alius etiā nolēs vniatur intellectui alterius volentis intelligere per ſemetipſum, ſed poſitū eſt in poteſtate Angeli poſſe cognoſcere quēlibet Angelū cū voluerit, nā quilibet Angelus naturali virtute poteſt indepēdenter intelligere omnia, quæ ad naturæ ordinē pertinēt, ergo. *Quartum argum.* ¶ Quartò. Si naturalis modus operādi Angeli eſt poſſe illos cognoſcere per ſpecies ſuperadditas (vt etiā Scotus fatetur) non erit poſsibilis alius modus ſecūdū ordinē naturæ, vt videlicet cognoſcat illos per eſſentias eorum ſibi vnitas immediatè. *Quintum argum.* ¶ Quintò. Nā eſſentia Angeli eſt forma quædā limitata, & determinata etiā in eſſe intelligibili, ergo nō poteſt vniri intellectui alterius Angeli in ratione formæ intelligibilis. Patet cōſequētia, quoniā omnis actus determinatus, & limitatus reſpicit determinatā & certā potentiā, quam actuare poſsit, & nō poteſt quālibet indifferēter actuare, ergo. *Secunda pars probatur.* ¶ Secundā partē ſuæ ſententiæ probāt, nempè, quod nō poteſt Angelus Angelū cognoſcere per eſſentiā ipſiuſmet cognoſcentis. *Primum argum.* Primò, nā eſſentia vnius Angeli nō habet rationē cauſæ, neque effectus reſpectu alterius Angeli neque habet ſufficiētē proportionē & ſimilitudinem cū altero Angelo, ergo non poteſt eſſe principiū cognoſcēdi alterū Angelū. Antecedens quoad ſecundā partē patet, quia omnes Angeli differūt in eſſentia, & ſpecie, ergo nullus habet adæquatam ſimilitudinem cum eſſentia alterius. Imo verò etiam militat hæc ratio, ſi Angeli ſolo numero differrent.

Nam quilibet angelus includeret ſingularē proprietatem, & conditionē, qua diſſerret à ſingulis, & cōſequēter eſſentia vnius nō poſſet diſtinctè, & adæquatè repræſentare aliū. ¶Tertia pars ꝓbatur ab illis, quia omnis Angelus pōt cognitione abſtractiua cognoſcere reliquos Angelos, ſed huiuſmodi cognitio nō poteſt fieri per eſſentiā Angeli cogniti, ergo neceſſe eſt vt fiat per ſimilitudinem ſuperadditam. Minor probatur, nam ſi per impoſsibile Angelus Angelū cognoſceret per eſſentiam Angeli cogniti, talis cognitio non eſſet abſtractiua, nam eſſentia Angeli cogniti non poteſt eſſe intra alterius Angeli intellectum in ratione ſpeciei intelligibilis, niſi fiat illi actu præſens, ergo implicat quod ſit abſtractiua cognitio, quæ eſt rei abſentis, vt ſic, & quod cognoſcatur Angelus per eſſentiam eius vnitam in ratione ſpeciei intelligibilis actu præſentem.

Tertia pars probatur.

Secunda ſententia Doctoris. ¶Secunda ſententia eſt Doctoris, vt patet in litera. Pro cuius explicatione & totius quæſtionis eſt primò notandum, quòd notitia eſt duplex, ſcilicet, intuitiua & abſtractiua, intuitiua eſt rei præſentis, vt præſens eſt in ſe ſecundùm rem: abſtractiua vero eſt rei abſentis, vt abſens eſt ſecundùm rem, præſens tamen ſecundùm eſſe intelligibile.

Notab. 1.

Notab. 2. ¶Secundò eſt notandum, quòd obiectum intellectus humani eſt quidditas rei ſenſibilis, quia obiectum intellectus aliud eſt terminatiuum (& hoc eſt ens inquantum ens) aliud autem eſt motiuum, & hoc adhuc duplex, aliud ſcilicet naturale, & aliud ſupernaturale: obiectum motiuum naturale. Adhuc eſt duplex, ſcilicet, vel ex natura potentiæ, vel pro iſto ſtatu, ex natura potentiæ eſt ens finitum abſolutum. Pro iſto vero ſtatu eſt quidditas rei ſenſibilis. Vnde omne illud quod habet rationem quidditatis rei ſenſibilis habet rationem obiecti noſtri intellectus: at vero reſpectu Angeli non eodem modo philoſophandum eſt, quia non habet duplex obiectum, alterum ex natura potentiæ, & alterum pro iſto ſtatu, ſed in Angelo tantū inuenimus duplex obiectū, alterū terminatiuū, & eſt ens inqnantū ens, & alterū motiuum, & hoc vel naturale, vel ſupernaturale, vnde ſicut obiectum motiuū noſtri intellectus eſt quidditas rei ſenſibilis, quatenus facta eſt actu intelligibilis per ſpeciē intelligibilem, ita obiectū motiuum intellectus Angelici eſt quidditas finita intelligibilis, quatenus eſt actu intelligibilis vt optimè aduertit Ioannes Baſolis in 2. diſtin. 3. quæſt. 3. ibi, Dico igitur aliter, vbi ſic ait. Dico igitur aliter quantum ad iſtum articulum, quòd duplex eſt notitia Angeli, vna eſt intuitiua, & alia abſtractiua, loquendo de notitia intuitiua, dico, quod poteſt cognoſcere alia à ſe per ſubſtātias, & eſſentias ipſorum cognitorum ei ſufficienter præſentatas in re, ſiue materialia, ſiue immaterialia: materialia enim ſunt actu intelligibilia ab intellectu Angelico, quia actu ſunt entia, neque eſt neceſſaria in Angelo talis abſtractio, ſicut in nobis pro ſtatu iſto. Et hoc poteſt vniformiter probari, ſicut probatū fuit ſupra, quòd ſeipſum poteſt intuitiuè cognoſcere per ſuā eſſentiā. Et dico, quòd talem notitiam intuitiuam impedit nimia diſtantia obiecti, ſed quanta præciſè & determinatè neſcio. Vnde licèt vnus Angelus poteſt alium ſibi præſentem cognoſcere, non tamen quantumcunque diſtantem ab ipſo. Hactenus Baſolis. Eandem doctrinam docet paulo ſuprà in eadem quæſt. fol. 38. col. 1. ad primum, alterius opinionis, vbi ſic ait. Dico, quod ſi eſſentia alterius ſit ſufficiēter præſens Angelo, quòd poteſt aliū cognoſcere per eſſentiam illius, ſicut ſeipſum per eſſentiam ſuam, & ita vniformiter vtrobique. Ex qua doctrina ſufficienter colligitur quomodo intelligenda ſit ſententia Doctoris circa cognitionem per eſſentiam. *Nota hoc*

¶Tertiò eſt notādū, vt diximus quæſt. præcedēti ex doctrina quorundā expoſitium D. Tho. nempè, quod ad hoc quod intellectus producat intellectionem eſt neceſſaria vnio obiecti cū potentia, quæ vnio non eſt per informationē, neq; per identitatē, neq; per illapſum, ſed (vt ipſi dicūt) ſi præciſè cōſideretur, id quod per ſe requiritur ad vnionē obiecti cū intellectu, neuter illorum modorū eſt neceſſarius. Nā cū huiuſmodi vnio ordinetur ad hoc, vt intellectus & obiectū ſimul cōcurrāt ad producendum actū ſecundū, tātū dicemus pertinere ad hoc per ſe, id quod ad hūc finē fuerit per ſe neceſſariū, & quia ad hoc ſatis eſt, quod obiectum ſit indiſtans, aut præſens intellectui ſecundùm ſpatiū, & proportionatū ſecundùm gradū immaterialitatis, & nō requiritur inhæſio, aut identitas, vel illapſus ſicut in alijs agētibus, nihil horum eſt neceſſariū, vt vnum cum altero immediatè concurrat partialiter ad eundem effectum, ſed ſufficit indiſtātia, & præſentia vnius ad alterū, cū proportione *Notab. 3.*

vittu-

virtutis operatiuæ, & ideo dicimus, illud ſolum pertinere per ſe ad vnionē obiecti cum intellectu. Ex qua doctrina ſatis patet, non eſſe neceſſariū illapſum, ſed ſatis eſſe præſentialitatē neque ex præſentialitate obiecti cū potentia ſequitur per bonā cōſequentiā illapſus, quia ad rationē illapſus plus requiritur, quā præſentialitas, ſiue indiſtātia, & ſubſtātialis præſentia quātūcunque intima ſit, quia ad illapſum requiritur quod id quod dicitur illabi interius operetur vtēdo intellectu, aut voluntate, tanquā habēs plenū dominium harū potentiarum ad mouendū, & immutādū eas, prout voluerit, & hoc eſt propriū ſolius Dei, quoniā ſolus ipſe eſt cauſa dans, & cōſeruans eſſe huiuſmodi potentijs, & intimè eſt vnitus ipſis, dans eis eſſe, at vero eſſentia Angeli intimè vnita per modū obiecti cum intellectu alterius Angeli non habet reſpectu illius intellectus tale dominiū, vel tale imperium, ſed tantum eſt illi vnita ea vnione quæ requiritur, & ſufficit, vt poſſit concurrere cū intellectu tanquā ratio intelligendi, ad quā vnionem ſufficit, quod ita vniatur, vt ſit omnino indiſtans, ſiue præſens illi ſecundùm ſpatiū. Ex quibus facile colligitur quam pro volūtate loquātur qui freti argumēto illius illapſus dicunt ſententiam oppoſitam alij temerariam, alij pluſquā falſam, ac ſi argumēto illo aliquid probarent, cùm, vt ipſi fateri tenentur, nō habeat eſſentia Angeli vnita intellectui alterius Angeli, maiorem rationē illapſus, quā habet ſpecies intelligibilis Angeli vnita intellectui alterius Angeli, ſed ſpeciem intelligibilem habere rationē illapſus vel illi conuenire illabi menti nullus concedet. Quare ergo concedunt eſſentiam Angeli vnitam intellectui alterius Angeli habere rationem illapſus reſpectu illius, præcipuè quia ipſi expoſitores D.Tho. vbi ſupra, concluſ. 1. docent, quòd ad hoc vt ſubſtantia vnius Angeli vniatur intellectui alterius per modum obiecti intelligibilis, ſufficit, quod per ſuā ſubſtantiā poſſit eſſe intimè præſens intellectui abſq; alio dominio, aut poteſtate ſupra ipſum intellectū. Quod vero hoc modo Angelus poſſit eſſe intra intellectū alterius nō videtur dubiū. Nam ſicut poteſt eſſe intra aliquod corpus, quia penetrat illud, & ſimul eſt cū illo in eodem ſpatio adæquato, ita poteſt vna ſubſtantia intellectualis eſſe intra aliam, cum ambo ſimul etiam poſſunt eſſe in eodem puncto propter quod dixit Durandus in 2. diſt. 8. quæſt. 3. quòd poteſt vnus Angelus illabi alteri, idem habet Heruæus in. 1. diſt. 37. q. 1. arti. 1. ſed impropriè loquuntur & contra vſum Sanctorum, nā iſte nō eſt illapſus, ſed intima præſentia ſubſtantialis, quæ tamē videtur ſufficiēs ad efficientiā obiecti intelligibilis. Ex quibus omnibus ſatis patet, ex ratione illapſus nihil concludi contra Doctorem. ¶ Quartò eſt notandum, quòd cum inter obiectū & potentiam quamcūque debeat eſſe proportio, vt ab vtroque notitia pariatur, talis proportio non eſt neceſſariū, quod ſit entitatis ad entitatem, ideſt, quod tanta ſit entitas obiecti, quanta eſt potētiæ, vel ècontra: ſed ſatis eſt, quod ſit proportio quæ reperitur inter potentiam & obiectū in ordine ad actū. Ex quo fit vt idem numero obiectum poſſit percipi à duabus diſtinctis potentijs, quarum altera excedit alterā in perfectione, ſicut v.g. idem obiectū percipitur à potentia viſiua hominis & à potētia viſiua equi. Neque aliquid facit ſi reſpōdeas, quod percipitur tale obiectum per diuerſas ſpecies quas obiectum producit in diuerſis potentijs: nam quanuis hoc aliquam veritatem habeat, nihilominus tamen tam homo, quam equus vident lumen ſolis abſque aliqua ſpecie mediā, neque eſt inconueniens, quod obiectum tale per ſeipſum vniatur diuerſis potentijs, quales ſunt potentia viſiua hominis, & reliquorum animalium. Idem etiam dicendum eſt de lumine ignis, ſi vera eſt ſententia illorum, qui aſſerunt nō producere ſpeciem in medio, ſed immediatè per ſe vniri potentiæ, certū eſt quod non eſt proportio inter lumen ſolis & lumen ignis intra eādem ſpeciem, ſed ſi proportio eſt, eſt quædam analoga proportio, & tamē vna eadē potentia viſiua percipit vtrunque lumen vniendo ipſum lumen ſibi ipſi. ¶ Ex quibus etiam colligitur, quòd quanuis non ſit proportio intra eandem ſpeciem, inter Angelos, qui ſunt diuerſarum ſpecierum entitatis ad entitatem, non tamen hoc impedit, quin in ratione intelligibilitatis ſit proportio aliqua inter quemcunque Angelum & intellectum cuiuſcunque alterius, taliter tamen, quod per eandem eſſentiam, plus cognoſcet vnus, quā alius de illo Angelo, cuius eſt illa eſſentia. Et ratio eſt, quia cū obiectū cōcurrat vt cōcauſa cū potētia, mēſurāda eſt actio obiecti per actiuitatē ipſius potētiæ, quia actiuitas obiecti determinatur, & mo-

4. Notab.

& modificatur per actiuitatem potentiæ. Sicut v.g. in exẽplo de lumine quãuis lumẽ ſolis ſit idipſum quod ab omnibus viſiuis potẽtijs percipitur, nihilominus tamẽ, non cũ omnibus æqualiter operatur producẽdo viſionẽ, ſed ſecundũ plus, vel minus, iuxta maiorẽ, vel minorẽ actiuitatẽ potentiarum. Imo ſi idẽ numero lumen eſſet in omnibus potẽtijs, nõ produceret eundẽ numero effectũ, quia quãuis lumẽ agat ſecundũ ſuæ vlrimũ potẽtiæ, quia eſt cauſa naturalis, quia tamẽ nõ eſt cauſa totalis viſionis nõ producit niſi per modũ concauſæ, & per conſequens eius actiuitas modificatur iuxta actiuitatẽ potẽtiæ viſiuæ: ita in propoſito, quanuis ea dẽ eſſentia Angeli vniatur per modũ obiecti pluribus intellectibus diuerſorũ Angelorũ. Demus v.g. quod ſit perfectior quã in intellectus aliquorũ, & imperfectior aliorũ, quia eſt Angelus medius, neque ſupremus, neq; infimus, illa eſſentia repræſentabit Angelo infimo quantũ ille Angelus poteſt intelligere de illa, & Angelo ſuperiori plus repræſentabit, quia quãuis eadẽ eſſentia ſit reſpectu vnius, & alterius, nõ tamẽ eſt eadem cõcauſalitas reſpectu vtriuſque, vt de ſe patet, & ſic poteſt magis, minuſve repræſentare in ordine ad actũ, quẽ intellectus poteſt producere. ¶Quod ſi reſpõdeas (vt reſpondẽt nõnulli, nõ eſſe eãdẽ rationẽ de eſſentia Angeli, & de lumine, ſiue de luce, quia lux eſt accidens, & poteſt vniri per informationẽ potentiæ viſiuæ: at verò eſſentia Angeli nõ eſt accidẽs, ſed ſubſtãtia, & ideo non poteſt intelligi ſufficiens vnio abſque ratione ſpeciei. Iſta tamẽ ſolutio nullã cõtinet veritatẽ, quia vt diximus (quæſt. præcedẽte) ex mẽte ipſorũ expoſitorũ D. Tho. accidit ſpeciei quod informet intellectũ, ergo & accidit lumini, & luci quod informẽt potẽtiam viſiuã, vnde ſi daretur lumẽ per ſe ſubſiſtẽs, intime præſens potẽtiæ viſiuę abſque informatione, ita produceret cũ potentia viſiua viſionẽ illius, ſicuti modo producit, ergo ſi lux eſt viſibilis per ſe, ita & eſſentia Angeli erit intelligibilis per ſe. ¶Vltimò eſt notandũ, quòd obiectũ motiuũ intellectus Angelici eſt intelligibile in actu finitum. Vnde quodcũque intelligibile finitũ poteſt intelligi ab intellectu Angeli, ſecundum magis & minus, ideſt, iuxta maiorem vel minorẽ actiuitatẽ ipſius intellectus Angelici. Dixi notanter finitum quia quod infinitũ eſt, vel habet modũ infinitatis, nõ poteſt cognoſci

Not. vlt.

ab intellectu Angelico niſi aliquo auxilio conforterur. ¶Prima cõcluſio. Angelus cognoſcit quemlibet aliũ Angelũ notitia intuitiua per eſſentiã Angeli cogniti. Hæc cõcluſio eſt Doctoris, vt patet in litera, & omnium Scotiſtarũ. Ita Frater Ioãnes de Baſolis, Gratianus de Brixia, Tartaretus, & dominus Liquetus, Paduanus de Graſsis in ſuo Enchiridione ſcholaſtico ſupra. 15. quæſt. quodlib. q. 6. in ſolut. quæſt. quã ſubſcribit illuſtriſsimus Sarnanus meritiſsimus Sãctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis. Et probatur primò. Eſſentia Angeli ſeipſum cognoſcentis eſt principiũ cognitionis ſui in proprio intellectu, hac ratione, nempè, quia eſſentia cuiuſcunque Angeli eſt actu intelligibilis, ergo erit principium cognoſcendi ſe reſpectu alterius Angeli. Patet cõſequentia, quia reſpectu cuiuſcunque Angeli eſt actu intelligibilis. ¶Quod ſi reſpondeas, quòd eſſentia Angeli ſecundũ ſe nõ poteſt vniri intellectui alterius Angeli, & licet eſſentia Angeli ſit actu intelligibilis, hoc tamen eſt in ordine ad propriũ intellectũ, non tamen reſpectu alterius Angeli, ob id, quod non eſt alteri Angelo proportionata ſufficienter. Contra. Quia ad hoc quod aliquod obiectũ poſsit vniri potentiæ, ſatis eſt quod poſsit eſſe indiſtans ſecundũ ſpatium ipſi potẽtiæ, ſed eſſentia Angeli poteſt eſſe indiſtans ſecundũ ſpatiũ intellectui alterius Angeli, ergo & vniri. Quod autẽ dicunt ſecũdò, eſſentiã Angeli nõ eſſe proportionatam intellectui Angeli. Contra. Vel talis improportio prouenit ex eo, quòd eſſentia eſt perfectior intellectu, vel imperfectior, ſed neutrũ horum tollit rationẽ proportionis in ordine ad actũ, quem intellectus poteſt percipere de illo obiecto, ergo. Probatur minor. Nã idem obiectũ (nempè lux) poteſt percipi à diuerſis potentijs, quæ inter ſe non ſeruant eandem proportionem, ergo & eadẽ eſſentia à diuerſis potentijs, quanuis aliæ ſint perfectiores, & aliæ imperfectiores. ¶Præterea, quia ſaltim Angelus ſuperior poteſt intelligere Angelũ inferiorẽ per eſſentiã Angeli inferioris. Patet ſequela, quia talis eſſentia poteſt vniri intellectui Angeli ſuperioris, quia poteſt eſſe intimè præſens illi, & habet proportionẽ cũ intellectu Angeli ſuperioris in ordine ad actũ, quẽ de illa poteſt intellectus elicere, ergo. Probatur antecedens, inter ſpeciẽ repræſentantẽ iſtũ Angelum & intellectum Angeli ſuperioris eſt propor-

Prima cõcluſio.

Probatur primò.

proportio in ordine ad actum, ergo & inter eſſentia. Patet ſequela, quia tanto pōt eſſentia ſeipſam repræſentare, quanto illā repræſentat ſpecies, ergo. ¶Secūdò. Species intelligibilis repræſentatiua eſſentiæ Angelicæ nō habet maiorē actiuitatem intelligibilitatis, quā ipſa eſſētia repręſentata, ſed illa ſpecies pōt eſſe principiū intellectiōis, ꝑpter talē actiuitatē, ergo & ipſa eſſentia poterit eſſe principiū cognoſcendi ſeipſam in intellectu alterius Angeli. ¶Ad hoc argumentū reſpondent prædicti expoſitores dicentes, quod talis proportio debet eſſe inter ſpeciem intelligibilem & potentiam intellectiuam, vt neque potentia excedat ſpeciem intelligibilem, in proportione immaterialitatis aut cognoſcibilitatis, neque è conuerſo. At vero eſſentia ſuperioris Angeli excedit & ſuperat intellectum alterius Angeli inferioris in actualitate, & immaterialitate, atque puritate, ac proinde iuxta ordinem naturæ præſcriptū non poteſt per ſe ipſam illi vniri in ratione formę intelligibilis. Deinde, intellectus Angeli ſuperioris in eſſe intelligibili ſuperat & excedit ſimiliter inferioris Angeli eſſentiam. Vnde eſſentia inferioris non poteſt vniri illi in ratione formæ intelligibilis, ita vt maneat vera proportio, ſed debet aſcendere per ſpeciem intelligibilē ſui ad modū recipientis, & intelligentis. ¶Contra hanc ſolutionem ſic argumentor. Primo cōtra primam partem. Intellectus ſuperioris Angeli excedit & ſuperat eſſentiā Angeli inferioris in actualitate, & immaterialitate, atq; puritate, ergo poteſt intelligere eſſentiā inferioris Angeli vniendo illā ſibi in ratione obiecti. Patet conſequentia. Quia intellectus & obiectū non requirunt eandē immaterialitatem. Præterea. Eſſentia Angeli inferioris eſt æquè immaterialior ſicut ſpecies intelligibilis illius, ergo ſi poteſt intelligere illū per ſpeciem, poterit & per eſſentiā. Probatur antecedens. Eſſentia Angeli & ſpecies intelligibilis eius tantū diſtinguūtur quia eſſentia eſt ſubſtātia, & ſpecies eſt accidens, ſed ſubſtātia eſt æquè immaterialis (ſi caret materia) ſicuti accidens, ergo ſi poteſt illū intelligere per ſpeciē, poterit & intelligere per eſſentiā. ¶Vltimò ergo ſaltim ſi Deus produceret duos Angelos eiuſdē ſpeciei (quod ipſi reputāt poſsibile) vnus poterit aliū intelligere per eſſentiam. Patet ſequela, quia in tali caſu inter eſſentiā vnius & intellectū alterius eſt maxima proportio. ¶Cōtra ſecundā partem eiuſdē ſolutionis ſic argumētor. Species intelligibilis Angeli inferioris nō eſt magis illimitata in eſſendo, neque in repræſentādo, quā eſſentia Angeli, ergo. Probatur antecedēs, in primis, non eſt magis in eſſendo, quia accidens reale nō eſt magis ſpirituale quā ipſa ſubſtātia ſpiritualis. Præterea, dato quod ſit nō facit ad vnionē cū intellectu, quod ſit magis, vel min9 ſpiritualis, cū ſatis ſit ad hoc (quod ſubſtātia ſpiritualis vniatur intellectui per modū obiecti) intima præſentialitas vel indiſtantia ſpatij, ſed hanc poteſt habere ſubſtātia Angeli inferioris reſpectu intellectus ſuperioris, & eſſentia Angeli ſuperioris reſpectu intellectus Angeli inferioris, ergo vterque Angelus poterit alterū intelligere per eſſentiā ipſius Angeli. ¶Tertiò. Lux poteſt videri actu ſine media ſpecie per ſeipſam à quacunque potētia viſiua, ex eo, quia eſt actu viſibilis ſi vniatur potētię viſiuæ, ergo & Angelus poteſt intelligi cū ſit actu intelligibilis ſine media ſpecie à quacūque potētia intellectiua cuiuſcūque alterius Angeli. Patet ſequela, quia ſicut lux eſt obiectū potētiæ viſiuæ, ita Angelus, vel ſubſtātia intelligibilis eſt obiectum potētiæ intellectiuæ. ¶Ad hoc argumentū reſpōdetur negando paritatē rationis, quia cū lux ſit formale & primariū obiectū viſus habet exactā proportionē cū potētia, quę eſt in corporali organo ac proinde pōt immediatè illi vniri in ratiōe formę viſibilis: at vero eſſentia vnius Angeli nō eſt forma & primariū obiectū reſpectu intellectus alterius Angeli, & ita neganda eſt cōſequētia argumēti. ¶Cōtra hāc ſolutionē ſic argumētor. Sic ſe habet intelligibilitas ad intellectū ſicut lux ad viſum, ergo ſicut lux per ſeipſam pōt vniri potentię viſiuæ, ita intelligibile actu pōt vniri potentiæ intellectiuæ. Patet cōſequentia, quia intelligibile actu eſt obiectū intellectus, ſed eſſentia Angeli eſt actu (& nō in potētia) intelligibilis, ergo per ſe poteſt vniri intellectui. Quod ſi reſpondeas cōcedēdo ſequelā reſpectu proprij intellectus, non tamen reſpectu alterius. Contra. Eſſentia Angeli ex ſe eſt actu intelligibilis, ergo ex ſe à quocūque intellectu poteſt intelligi. Quod ſi reſpondeas, quod etiam lux ſolis eſt per ſe viſibilis, non tamen poteſt videri à quacunque potentia viſiua. Et ſimiliter aliqua lux ita poteſt eſſe minima, vt non poſsit videri à quacunque potentia viſiua, etſi lux

ſit

ſit actualiter viſibilis, quia vltra hoc requiri
rur proportio inter potentiā viſiuam & ip-
ſam, tanquā inter potētiam & obiectū. Ita
in propoſiro, quanuis eſſentia Angeli ſir
actualiter intelligibilis, nō tamen reſpectu
cuiuſcunque intellectus, qnia nō habet pro
portionē cū quocunq; intellectu, ſed rantū
cū intellectu proportionato, qualis eſt pro
prius intellectus, nō tamen alius, quia vel ſu
perat eius perfectionē, vel nō attingit illā.
¶Contra, ergo ſaltim vnus Angelus poteſt
intelligere aliū Angelū eiuſdem ſpeciei per
eſſentiā illius. Paret ſequela, quia inter illū
& potētiā alterius Angeli eſt maxima pro-
portio, cū ſit proportio ſpecifica. Et ſecun-
dò, quoniā ſequeretur quod neque etiā per
ſpeciem poſſet vnus Angelus alterū intelli
gere. Probatur ſequela, quia ſpecies illa non
magis neque minus repræſentât quam ipſa
eſſentia eſt repræſentabilis, ergo ſi eſſenria
nō poteſt intelligi ab intellectu Angeli in-
ferioris, ex eo quod excedit intellectū in
perfectione, neque etiā poteſt intelligi per
ſpeciē, quia illa ſpecies etiā excedet actiui-
tatem intellectus in perfectione. Sicut v.g.
ex eo quod lux ſolis excedit in perfectione
potentiam viſiuā noctuæ, neque per ſe, ne-
que per ſpeciē, poteſt videre lumē ſolis, niſi
eius potentia cōfortetur per aliquod auxi-
liū tenens ſe ex parte potētiæ, ergo ſi eſſen
tia Angeli (quæ ex ſe eſt actu intelligibilis)
nō poteſt intelligi ab intellectu Angeli in-
ferioris, neque per ſpeciē poterit intelligi,
cū illa ſpecies repræſentet illā, quantū ipſa
eſt intelligilis. ¶Prætetea ſpecies intelligi-
bilis ideo ponitur cōmuniter, vt illud quod
eſt in potētia intelligibile, ſiar actu intelli-
gibile, ergo quod ex ſe eſt actu intelligibile
reſpectu cuiuſcūque intellectus, nō indiget
ſpecie intelligibili ad hoc vt intelligatur.
¶Ad primā rationem reſpondent nōnulli
dicentes, ꝙ cū Angeli differāt inter ſe ſpe-
cie, ideo ſemper ſunt inæquales, ſi tamē di-
ſtinguerētur tantū numero, non eſſet eſſen
tia vnius alteri inæqualis in gradu immate-
rialitatis, aut actualitatis, ſed ſolū in differē
tia indiuiduali, quia tamē ipſi habent etiam
de potentia abſoluta fieri nō poſſe duos An
gelos, qui ſolū numero diſtinguantur: ideò
illā probationē nihil faceret cōtra illos, ſed
quoniā in anima noſtra habet argumētum,
hoc difficultatem cū eſt à corpore ſeparata
ideo reſpōdent ſecundò admittēdo caſum,
& dicunt, rationē pro ſua ſententia (nempè
quare vnus Angelus nō poteſt alterū intel-
ligere per ſuā eſſentiā) eam eſſe, quia conna
turale eſt cuicūq; Angelo habere à Deo in-
fuſas ſpecies omniū rerū, quas poteſt natu-
raliter cognoſcere, & ſic nō eſſe illis conna-
turale, quod eſſentia alterius Angeli vnia-
tur illis in ratione formæ intelligibilis, &
per cōſequens nō eſſe naturaliter poſsibile.
Primam conſequentiam probant, quia non
poſſunt eſſe cōnaturales eidem naturæ in-
tellectuali pro eodē ſtatu duo modi acqui-
rendi ſuā perfectionē intelligibilem. Secun
da etiā patet, nam natura intellectualis ſolū
eſt perfectio naturaliter modo ſibi cōnatu-
rali. Cōfirmatur autē, quia nunquam poteſt
naturaliter eſſentia vnius Angeli cōcurrere
per modum formæ intelligibilis ad intelle-
ctionē ſui ipſius, ergo ſignū eſt quod neque
poteſt naturaliter ei vniri per modū formæ
intelligibilis. Cōſequentia patet, quia natu
raliter reputatur impoſsibile, id quod eſt
fruſtra, ita, vt nō poſsit cōſequi finē, ad quē
ordinatur, ſed vnio formæ intelligibilis cū
intellectu ordinatur ad productionē intelle
ctionis, ergo ea vnio (ex qua non poteſt ſe-
qui intellectio) eſt impoſsibilis naturaliter.
Antecedens etiā probatur, quia cū vnus An
gelus nō poſsit habere ſemper ſibi vnitā eſ-
ſentiā alterius, ſed hoc pendeat ex alterius
volūtate, neceſſariū erit vt poſsit eū intelli
gere cū voluerit, ꝙ habeat ſibi vnitā ſpeciē
ipſius, ſed non poterit naturaliter impediri
cōcurſus huiuſmodi ſpeciei ad intellectio-
nem, ſi Angelus velit intelligere obiectum,
quod ipſa repræſentat, neque etiam poteſt
ſimul cōcurrere cū ea alia forma intelligibi
lis eiuſdem ordinis, qualis eſſet Angeli, quæ
per eā repræſentatur, ergo nō poteſt natu-
raliter hæc eſſentia cōcurrere per modum
formæ intelligibilis cū alieno intellectu ad
ſui ipſius cognitionē. Vnde ad argumentū
oppoſitæ ſentētiæ reſpōdent vltra prædi-
cta, quòd vt eſſentia Angeli vniatur alicui
intellectui per modū formæ intelligibilis,
nō ſatis eſt quod ſit præſens intellectui per
reſpectū ad ſpatiū, ſed etiā vlterius requiri-
tur, quod ſit ei æqualis in gradu immateria-
litatis, & quod ſint remota omnia quæ poſ-
ſunt impedire, ne ſimul cum intellectu con
currant ad ſui ipſius intellectionem.
¶Iſta tamen doctrina in confirmationem *Nota hoc.*
ſentētiæ oppoſitæ, & ſolutionē noſtri argu
menti potius fauet noſtri concluſioni, quā
illam impugnat. In primis, ex ea ſequitur,
quod

quòd ſi Deus non inſuderit ſpecies intelligibiles omnium Angelorum in intellectu cuiuſcunque Angeli, quod poterit Angelus ſaltim alium Angelum eiuſdem ſpeciei intelligere per eſſentiam. quia ſi ex eo non poſſunt naturaliter intelligere, quia habent ſpecies omnium rerum quas poſſunt intelligere infuſas à Deo, ergo remoto iſto impedimento poſſent intelligere per eſſentiã omne, quod eſt actu intelligibile, potuit autem Deus non infundere illas ſpecies, ergo ex eo quod infuderit non tollitur ab Angelo etiam (in eius opinione) poſsibilitas intelligendi alterũ Angelum per eſſentiam. ¶Præterea, quia totum inconueniens quã prædicti opinantes aſsignant eſt, quia vnus Angelus non poteſt habere ſemper ſibi vnitam eſſentiam alterius vt poſsit eum intelligere, cum voluerit, ſed hoc inconueniens non tollit poſsibilitatem intelligendi per eſſentiam, ſed tantum inducit incõueniens aliquod, quod ſequitur ex modo intelligendi, ergo quanuis non eſſet conueniens, ſaltim ſequitur poſſe Angelum alterum intelligere per eſſentiam. ¶Præterea. Angelus in ratione obiecti non vnitur voluntariè potentiæ, niſi actu poſitiuo velit non vniri, ergo non eſt in voluntate Angeli qui cognoſcitur, quod vniatur potentiæ Angeli cognoſcentis, vel non vniatur. Patet ſequela, quia officium hoc non eſt Angeli cogniti, ſed cognoſcentis.

Secunda concluſio. ¶Secunda concluſio. Potuit Deus in intellectu cuiuſcunque Angeli infundere ſpecies, quibus vnus alterũ poſsit cognoſcere. Hæc concluſio communis eſt apud omnes, nam Thomiſtæ illas pónunt de facto, Scotiſtæ autem non poſſunt hanc concluſionem negare cum nullam implicet contradictionẽ.

¶*Reſpondetur argumentis.*

Ad primum. ¶Ad primum concedendo antecedens, & negando ſequelam, & ad probationem dicitur, quòd inter obiectum & potentiam non eſt neceſſaria proportio entitatis ad entitatem, ſed ſatis eſt intelligibilitatis, vnde Angelus inferior & ſuperior quanuis non habeant proportionem in entitate, habent tamen in intelligibilitate, quia Angelus ſuperior per eſſentiam Angeli inferioris poteſt intelligere Angelum inferiorem, quantum ipſe eſt intelligibilis, Angelus autẽ inferior per eſſentiam Angeli ſuperioris poteſt intelligere tantum de Angelo ſuperiori, quantum eius potentia intellectiua poteſt extẽdi. Sicut v.g. quanuis lumẽ ſolis non ſit proportionatum omnipotentiæ viſiuæ, adhuc tamen omnis potentia viſiua poteſt illud percipere in ſuo gradu, ex eo quod quanuis non ſit proportionata ſecundùm omnem ſuam entitatem, eſt tamen perceptibile à quacunque potentia, quia eſt obiectum ipſius ſecundùm proportionem potentiæ: ita eſſentia Angeli etiam ſupremi, cum ſit actu intelligibilis, perceptibilis eſt à quocunq; intellectu alterius Angeli ſecundũ proportionem ipſius intellectus, quia quanuis non ſit proportionata quantũ ad ſuam entitatẽ, eſt tamen proportionata cum quocunque intellectu aliorũ Angelorum in ratione obiecti. ¶Ad ſecundum reſpondetur diſtinguendo maiorem, ſi ly (intra) dicat informationem, vel illapſum, negatur antecedens, ſi autem dicat approximationẽ, qualis requiritur inter obiectum & potentiam, concedenda eſt maior, & minor, & neganda eſt cõſequentia, quia illapſus, vt diximus in corpore quæſtionis, non inuenitur in tali approximatione ſicuti neque informatio. *Ad ſecundum.*

Ad tertium. ¶Ad tertium reſpondetur negando ſequelam, & ad probationem dicitur, quod reſpectu talis vnionis Angelus cognitus non ſe habet liberè, niſi quando vult ſe occultare.

Ad quartum. ¶Ad quartum reſpondetur negando antecedens, ſed vtrumq; eſt poſsibile etiam ſecũdùm ordinem naturalem. *Ad quintum.* ¶Ad quintum reſpondetur negãdo ſequelam, quia ex hoc quod vniatur per modum obiecti eſſentia Angeli alieno intellectui, non ſequitur aliqua illimitatio in ipſa eſſentia, quia eodem modo vnitur intellectui vnius Angeli, ſicuti & reliquis. Sicut v.g. ex eo quod intellectus poſsit intelligere infinita indiuidua ſucceſsiuè, non ſequitur aliqua infinitas in intellectu, quia eodem modo cognoſcit vnum, ſicut & reliqua.

QVÆSTIO III.

¶*Utrùm cognitio, qua vnus Angelus cognoſcit alium, ſiue ſit per ſpeciem, ſiue per eſſentiam ſit comprehenſiua.*

DE hac re ſententia prima eſt Magiſtri Bañes. 1. par. quæſt. 56. artic. 1. dubio. 2. aſſerentis, quòd quanuis oppoſita ſententia ſit ſatis probabilis, nihilominus tamen probabilior

bilior apparet ſententia quæ placuit Magiſtro Victoriæ, & Soto, nempè, quod Angelus inferior comprehenſiuè cognoſcit Angelum ſuperiorem. Probat autem ſuam ſententiam primò ex D.Tho. 2. contra gentes, cap. 98. vbi ait, quòd aliqua ſubſtantia eſt intellectualis, quatenus comprehenſiua eſt totius entis (ſcilicet, creati & pertinentis ad ordinem naturæ, vt ibi explicat Ferrara) ergo Angelus inferior, cum ſit intellectualis naturæ, poteſt comprehendere ſuperiorẽ, qui pertinet ad ordinem naturæ. Probatur ſequela. Subſtantia ſpiritualis Angelica eſt ſimpliciter perfecta in eſſe intellectuali, ergo poteſt cognoſcere perfectè omne ens intelligibile, quod pertinet ad ordinẽ naturę.

Confirm. ¶Confirmatur. Quæcũque ratio, & modus qui reperitur in Angelo ſuperiori, pertinet ad ordinem naturæ, ergo eſt naturaliter cognoſcibilis perfectè à ſubſtãtia intellectuali perfecta.

Secũdum argum. ¶Secundò. Nam ſequitur ex oppoſita ſententia, quòd Angelus ſuperior poſſet illuminare inferiorem, de aliquibus rationibus pertinentibus ad ordinem naturæ. Conſequens eſt contra D. Tho. infrà quæſt. 109. art. 3. ad ſecundum. Probatur ſequela. Quia Angelus ſuperior cognoſceret aliquas rationes in ſeipſo, quas non cognoſceret inferior, ergo de illis poſſet inferiorem illuminare. ¶Confirmatur. Nam D. Tho. vbi ſuprà ex 40 probat Angelum ſuperiorem nõ illuminare inferiorem de his, quæ pertinẽt ad naturalem cognitionem, ſed omnis ratio & modus qui reperitur in Angelo ſuperiori pertinet ad ordinem naturæ, ergo.

Tertium argum. ¶Tertiò. Omnes Angeli ſunt eiuſdem generis proximi ſecundum probabiliorẽ ſententiam, quam Caiet. colligit ex D. Thom. hic, & expreſsius tenet eam D. Tho. ſuprà quæſt. 50. art. 4. ad primum: & in 2. diſtin. 3. quæſt. 1. art. 4. Et ratio huius eſt, quia natura intellectualis eſt perfectiſsima in toto ordine vniuerſi, ergo ſub illa omnes gradus cõtenti ſunt ſpecifici, & non generici, quoniam diuerſi gradus ſpecifici quodammodo conſtituunt diuerſitatem naturæ, & faciunt alias naturas ſuperiores, quam natura intellectualis, ergo.

Quartum argum. ¶Quartò. In fauorem huius ſententiæ arguitur ab alijs, Angelus inferior habet ſpeciem repræſentantem ſuperiorem adæquatè, & comprehenſiuè, ergo poteſt cognoſcere eum comprehenſiuè. Patet cõſequentia. Quia ſpecies quas habet vnuſquiſque Angelus ſunt proportionatæ lumini naturali intellectus ipſius, quoniam ſunt connaturales ipſis Angelis, ergo poteſt Angelus cognoſcere quodcunque obiectũ tam perfectè, ſicut & repræſentatur per ſpeciem, quam habet de eo. Et Probatur antecedens, tum quia ſpecies, quam habet Angelus inferior de ſuperiori, repræſentat ſuperiorem prout in ſeipſo eſt. Tum etiam, quia repræſentat omnia prædicata pertinentia ad eius quidditatem, & omnes modos, & habitudines ipſi conuenientes naturaliter.

¶Quintò. Angelus inferior cognoſcit ſuperiorem totum, & totaliter, ergo comprehẽdit ipſum. Patet antecedens, quia cognoſcit eum perfectè quoad totam eſſentiam, & quoad omnes modos qui poſſunt ei naturaliter conuenire, aliàs non perfectè cognoſceret illum, ſiquidem, non cognoſcit omne pertinens ad ordinem naturæ, quod in illo reperitur. *Quintum argum.*

¶Secunda ſententia eſt aliorum ibidẽ quæſtione. 2. concluſione. 3. aſſerentium valde probabile, & rationabile eſſe Angelum inferiorem non poſſe comprehendere ſuperiorem. Quam ſententiã probant primò, quia comprehenſiua cognitio addit ſupra quidditatiuam, quod non ſolum exigit vt per eã cognoſcatur eſſentia vſque ad vltimam differentiam, ſed etiam, quod modus cognoſcendi adæquetur rei cognitæ, ideſt, quod tanta euidentia, & claritate penetretur res, quanta ex natura ſua eſt cognoſcibilis, & penetrabilis. Vnde conſequenter requiritur, vt perfectè cognoſcat prædicata eſſentialia, ita quidem, vt ex vi illius cognitionis diſtinctiſsimè, & perfectè cognoſcat omnes habitudines, & veritates quæ cum tali re habent naturalem connexionem: ſed Angelus inferior non poteſt ſic cognoſcere ſuperiorem, quia non habet lumen adæquatũ perfectioni, & cognoſcibilitati eius, quia vnuſquiſque Angelus ex natura ſua eſt cognoſcibilis tanta claritate, & lumine, quanta vnicuique Angelo eſt connaturalis, quia tam cognoſcibilis eſt Angelus, quam cognoſcitiuus, quia vtrumq; oritur intrinſecè ex perfectione ſuæ entitatis, Angelus autem inferior nõ habet tantũ lumẽ, nec tam efficax, nec tam clarum, ſicut ſuperior, ergo modus cognoſcendi Angeli inferioris non eſt adæquatus cognoſcibilitati ſuperioris, & per conſequens non eſt comprehenſiuus illius. *Secunda ſententia.* *Primum argum.*

¶Secun-

Secũdum argum. ¶ Secundò, Hac ratione D. Tho. ſupra quæſtione 12. oſtendit creaturam non poſſe cõprehendere Deum, quia lumen creatum nõ poteſt eſſe adæquatũ cognoſcibilitatis Dei & eadem quidem ratione anima ſeparata nõ poteſt comprehendere Angelum. Quo circa Angelus inferior cognoſcẽdo eſſentiam ſuperioris nõ cognoſcit diſtinctiſſimè oẽs veritates, & habitudines, & modũ operãdi, & cognoſcendi eius. Propter quam cauſam D. Tho. de malo quæſtione 16. art. 8. dixit, quod Angelus inferior nõ penetrat ſpecies ſuperiores, confunditur enim capacitate illius, quia excedit eius lumen. ¶ Confirmatur, nam quanuis eſſentia diuina poſſit videri ab intellectu creato illuſtrato lumine gloriæ: cæterum non poteſt cognoſci comprehenſiuè, ob id quod, intellectus creaturæ nũquam poteſt proportionari cũ excellentia obiecti etiam in eſſe cognoſcibilis, ergo ad comprehenſionem neceſſario requiritur, vel æqualitas perfectionis ſecundũ proportionem, vel maior perfectio cognoſcentis ad cognitum, ergo Angelus inferior, licet quidditatiuè cognoſcat ſuperiorẽ, non tamen comprehenſiuè.

Tertium argum. ¶ Tertiò. Nam ſi Angelus inferior ſuperiorem cõprehenſiuè intelligit, ſequitur, quod tam perfectè cognoſcit Deum autorem naturæ, ſicut ſuperior: conſequens planè videtur falſum: ergo. Patet ſequela, nam ſi inferior Angelus ſe, & omnia inferiora comprehenſiuè cognoſcit, & rurſus cognoſcit ſuperiores Angelos perfectè, & comprehenſiuè, ſicut ipſi ſe comprehendunt, optimè colligitur, quod tam perfectè cognoſcit Deũ autorem naturæ, ſicut ſuperior Angelus, niſi dicas, quod comprehẽſio habet latitudinẽ & ꝙ eſt maior in ſuperioribus quam in inferioribus, de quo modo iudicare nolo, quia per cõprehenſionẽ intelligo cognitionẽ adæquatã rei cõprehenſæ quantum cõprehenſibilis eſt. Falſitas vero conſequentis ſatis conſtat. Nam ſi ſcilicet id foret verũ, omnes Angeli eſſent æqualiter Beati beatitudine naturali, quæ poſita eſt in dilectione Dei, & cognitione naturali.

Quartum argum. ¶ Quartò. Potentia cognoſcitiua illiuſque perfectio commenſurantur perfectioni entitatiuæ ipſius cognoſcentis, & non perfectioni entitatiuæ ipſius rei cognitæ, ergo Angelus inferior nõ intelligit comprehenſiuè ſuperiorem. Oſtendo cõſequentiam. Quia ad iſtius modi cognitionẽ neceſſe eſt, vt cognoſcens habeat, vel ſuperioritatem, & excellentiam, vel ad minus æqualitatem cum obiecto cognito. Profectò ſi inferior Angelus in natura ſuperiorem comprehendit quantum comprehenſibilis eſt, ſequitur quod inferior Angelus cognoſcit ſuperiorem tam perfectè, ſicut ſuperior cognoſcit ſe ipſum: quod videtur falſum, nãm obiectũ excellentius melius cognoſcitur ab excellentiori potentia, & perfectiùs. Probatur ſequela, quia in præſenti eſt ſermo de vera cõprehenſione, ergo ſi verè comprehendit illum ſequitur, quod verè cognoſcit illum quantum cognoſcibilis eſt, & cõſequenter ſequitur quod cognoſcit cum perfectiſſimo modo.

¶ Pro explicatione huius quæſtionis, quia vtraque pars ab omnibus vt probabilis defenditur, vt probabilitas vtriuſque facilius intelligatur aduertenda ſunt nonnulla, quorum primum eſt, certum eſſe in vtraq; opinione quemlibet Angelum poſſe cognoſcere quidditatiuè quemcunque alterum, ſiue ſuperiorem, ſiue inferiorem: quia quilibet Angelus habet ſpeciem repræſentãtem omnia prædicta pertinentia ad eſſentiam cuiuſcunque alterius Angeli, & habet lumen naturale intellectus proportionatũ tali ſpeciei: poteſt igitur naturaliter cognoſcere quidditatiuè ipſum Angelum. Patet conſequentia, quia habet naturaliter omnia ea, quæ requiruntur ad cognoſcendum omnia prædicata pertinentia ad eius eſſentiam, & ad cognoſcendum rem aliquam quidditatiuè ſatis eſt cognoſcere eius eſſentiam quo ad omnia prædicata ipſi intrinſeca. Minor autem probatur, quia vnicuique Angelo infunduntur ſpecies connaturales ipſi, & per conſequens neceſſario debent eſſe proportionatæ lumini naturali ſui intellectus. Quod ſi defendas ſententiã Doctoris, nempè Angelum intelligere alium Angelũ per eſſentiam Angeli cogniti, illa met eſſentia habet actiuitatem proportionatam lumini intellectus cuiuſcunq; Angeli, taliter, quod cũ intellectu ſuperioris Angeli perfectius repræſentabit ſe ipſam, producendo perfectius verbum, quam cum intellectu inferioris Angeli, quia eius actiuitas modificatur per actiuitatem intellectus, cũ quo eſt cauſa verbi, vel ſimilitudinis expreſſæ, ab ipſa & intellectu, tanquam à cauſa totali producta. Vnde non eodem modo ſe habet reſpectu cuiuſcunque intellectus, propter eam 1. *Notab.*

modificationem, quam intellectus actiui-tas facit.

2. Notab. ¶ Secundo. Eſt certum in vtraque ſententia, quod quicunque Angelus poteſt cognoſcere comprehenſiuè quemcunque alium Angelum inferiorem. Et ratio huius eſt, quia Angelus ſuperior excedit inferiorem in perfectione eſſentiali: & per conſequens eius potentia intellectiua adæquabit intelligibilitatẽ angeli inferioris; & hoc eſt cõprehẽdere, vel cognitio cõprehẽſiua, ſcilicet, cognitio adæquãs cognoſcibilitatẽ vel cognoſcibilis.

3. Notab. ¶ Tertiò eſt notandũ, ꝙ tota difficultas cõſiſtit in angelo inferiori reſpectu ſuperioris. Et prima ſentẽtia habet pro fundamento; ꝙ omnes Angeli conueniunt in vna ratione generica, & in gradu naturæ intellectualis, vt in genere proximo, & ſub eo diſtingui inter ſe ſolum ſpecie, & hoc ſatis eſſe vt conueniant in gradu intelligibilitatis. Ex quo (vt nonnulli inferunt) videntur ſupponere quod intelligibilitas ex parte obiecti tunc ſolum eſt maior, cum perfectio entitatis eſt maior quoad gradum genericum, non verò ſi ſolum ſit maior quo ad gradum ſpecificum: & hoc potiſsimũ quando gradus genericus eſt ſupremus, in quo creatura poteſt diuinam perfectionem imitari: eiuſmodi eſt gradus naturæ intellectualis. Vnde licet Angeli different inter ſe genere proximo, non tamen different inter ſe in gradu intelligibilitatis, quæ tenet ſe ex parte obiecti, quoniam cõuenirent in natura omnium ſuprema, ſcilicet in natura intellectuali.

Nota. ¶ Alij autem qui contrariam tuentur ſententiam dicunt hoc ſine fundamento dici; quia eſſentia Angeli ſecundum ſe totam, & non ſolum ſecundum gradum genericum eſt fundamentum, & radix intelligibilitatis, ergo ſatis eſt quod duæ eſſentiæ Angelorum ſint inæquales ſecundum quoſcunque gradus ſibi intrinſecos, ſiue tales gradus ſint generici, ſiue differentiales, vt ex ipſis oriantur inæquales intelligibilitates: quia gradus differentialis, quo vnuſquiſque Angelus cõſtituitur in ſuo eſſe ſpecifico addit perfectionem formalem gradui intellectiuo, prout habet rationem generis; quoniam contrahit, & actuat illum formaliter, ergo non magis reſultabit intelligibilitas Angeli ex differentia, quã ex genere, & ex cõſequenti, non ſolũ habebit proportionẽ in ſua perfectione generis, ſed etiam cũ perfectione differentiæ. Vnde aduertunt prædicti, quod ſicut obiectum eſt in duplici genere, ſcilicet in genere rei, & in genere obiecti, ita poſſunt in eo diſtingui duplices conditiones, aut modi, nam quidã modi conueniunt ei in genere rei, & ſunt illi, qui conueniunt obiecto, vt eſt quædã res. Alij vero modi cõueniũt obiecto in genere obiecti, q̃ nõ ſunt aliud, quam modi cognoſcibilitatis, quos fundat, ratione quorũ habet poſſe varijs modis cognoſci. Ex quo fit vlterius, vt in vtroq; genere poſsit cognoſci totaliter, licet nõ eodem modo. Nam in genere rei dicitur cognoſci totaliter, cũ nihil conuenit ipſi, vt eſt res quædã, etiam tanquã modus, aut habitudo, quod nõ cognoſcatur. At verò in genere obiecti dicitur cognoſci totaliter, non quia modi cognoſcibilitatis cognoſcantur, ſed quia modus cognitionis adæquat modũ ſuæ cognoſcibilitatis. Hoc eſt, quia cognitio eſt tam perfecta quo ad proprias cognitiones, ſcilicet, ſimplicitatẽ, certitudinẽ, euidentiã, & alias ſimiles, vt obiectũ ex ſuis meritis nõ ſit alia perfectiori cognitione cognoſcibile. Vt autem obiectum aliquod cõprehenſiuè cognoſcatur, nõ ſatis eſt cognoſci totaliter priori modo, ſed ſimul eſt neceſſariũ totaliter cognoſci poſteriori modo. Ratio huius eſt: quia cognitio dicitur cõprehẽſiua, quatenus cõtinet, adæquatq; ſuũ obiectũ, & cũ nõ poſſet dici cognitionẽ ſimpliciter cõtinere, aut adæquare aliquod obiectũ ſi ſit minor, aut inferior eo ſecundũ ſuam cognoſcibilitatẽ, ideò cognitio cõprehẽſiua, vtrũq; requirit. Quod poteſt demõſtrari exẽplo D. Tho. 1. par. q. 12. art. 7. in corpore & ad. 2. vbi dicit, quod ſi propoſitio demõſtrabilis cognoſcatur ſolum per rationem probabilem, licet non ſit aliquid eius quod non cognoſcatur neque ſubiectum, neque prædicatũ, neque cõpoſitio: non tamen cõprehenditur: quia tota nõ ita perfectè cognoſcitur, ſicut cognoſcibilis eſt. Vnde quanuis Angelus inferior totaliter cognoſcat ſuperiorem, taliter quod nihil ſit in ſuperiori, ꝙ ſit ipſi ignotũ nõ tñ cognoſcit eũ cõprehẽſiuè: quia certũ eſt angelũ ſuperiorẽ poſtulat ex natura ſua, ꝙ cognoſcatur alia perfectiori cognitiõe, qualis eſt illa, quã quidẽ Angelus ſe ipſum cognoſcit. Talis nanque cognitio perfectior eſt, quoniam ſit modo perfectiori, vtpotè ſimpliciori, & magis abſtracto, & non excedit cognoſcibilitatem Angeli: quia eſt ipſi connaturalis. Quod ſi arguas. Maior perfectio cognitionis eſt modus ipſius cognitiõis, & non

nõ obiecti, ergo impertinẽs eſt ad cõprehẽſionem obiecti, dũmodo cognitio ſit talis, vt terminetur ad omnia, quæ de obiecto poſſunt cognoſci. Patet conſequentia, quia propter hanc rationem concedimus formicam ab Angelo comprehendi: quamuis nõ cognoſcatur ab eo tam perfecta cognitione, ſicut à Deo. Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam, ſi conſequens vniuerſaliter accipiatur: quia ſolum eſt verum, quando maior perfectio cognitionis non eſt debita cognoſcibilitati obiecti: quia tunc non eſt neceſſaria, vt cognitio ſit adæquata obiecto ſimpliciter, etiam quantum ad cognoſcibilitatem. Et ita contingit in exemplo adducto in probationem conſequentiæ. Secus tamen eſt, quando maior perfectio cognitionis eſt debita obiecto ſecundum ſuam naturam, vt in noſtro caſu: quia ſine ea non poterit cognitio eſſe adæquata ſimpliciter obiecto, vt ex dictis conſtat.

¶ Quod ſi vlterius dicas D. Tho. in illa quæſtione 12. ea ratione oſtẽdere intellectum creatum non poſſe videre in diuina eſſentia omnia, quæ ſunt in ipſa eminenter: quia cõprehenderet eam, & per conſequens, ſatis eſſet ad comprehenſionem obiecti, cognoſci omnia, quæ ſunt in eo, ſiue id fiat cognitione multum, parumue perfecta. Reſpondetur, totam efficaciam illius rationis fundari in hoc, quod ſi intellectus creatus videret illa omnia in diuina eſſentia, haberet infinitum lumen, & ex conſequenti, eſſet principium intellectionis infinitæ, atque adeò adæquatæ intelligibilitati diuinæ eſſentiæ, & comprehenſiuæ ipſius.

Sententia authoris. ¶ Inter has igitur duas opiniones mihi videtur pro nunc ſecundam maiorem habere cum veritate conformitatem. Moueor ad hoc, quia cognitio, qua Angelus ſuperior cognoſcit inferiorem ſe, & inferior cognoſcit eundem ſuperiorem ſe, non ſunt eiuſdẽ proportionis, non tantum ex parte modi cognoſcendi, ſed etiam ex parte cognoſcentis & obiecti cogniti: quia obiectum eodem modo ſe habet ex natura ſua in ordine ad vtramque potentiam: & cum ſpecies intelligibilis tantum repræſentet quantũ ipſum obiectum eſt repræſentabile, ideo eodem modo ſe habet ſpecies reſpectu vtriuſque potentiæ, ſicut ſe haberet ipſum obiectum, ſi eſſet ratio cognoſcendi.

Reſp. arg. pro ſenten. ¶ Reſtat igitur reſpondere argumentis pro vtraque parte. *Ad primũ.* Ad primum reſpondent authores ſecundæ ſententiæ concedendo antecedens, & negando ſequelam, ſi intelligatur de cognitione comprehenſiua totali, & totaliter. Nam quanuis quæcunque ratio & quicunq; modus, qui in Angelo ſuperiori inuenitur, pertineat ad ordinem naturæ, & perfectè cognoſcatur ab Angelo inferiori euidẽter, & quidditatiuè: nõ tamẽ cõprehẽſiuè, cõprehenſione totali, & totaliter quantum comprehenſibilis eſt. Neque Diuus Thomas docuit oppoſitũ. Solum enim voluit ſignificare, quod nihil latet intellectum Angeli ex his, quæ pertinent ad ordinem naturæ, & hoc appellat comprehenſiuam eſſe Angelicam ſubſtantiam totius entis: præſertim cum ſermo ſit de cognitione quidditatiua & euidenti.

Ad 1. confirm. ¶ Ad primam confirmationem reſpondetur negando ſequelam, quoniam inferior Angelus quidditatiuè cognoſcit ſuperiorem, & viſione clara non ſolum quantum ad rationem genericam, ſed etiam quantum ad ſpecificam: & ita non eſt neceſſaria manifeſtatio veritatis quantum ad naturalem cognitionem, quia omnes Angeli ſtatim à principio omnia cognouerunt. Et vt docet S. Thom. loco citato in confirmationem, maior plenitudo naturalis luminis non poteſt eſſe ratio illuminationis. Sed nihilominus quia comprehenſiua cognitio addit ſupra quidditatiuam, quod modus cognoſcendi ita adæquetur rei cognitæ nempe tanta euidentia, vt res penetretur quantum ex natura ſua eſt penetrabilis, & cognoſcibilis: idcirco non quilibet Angelus inferior poteſt comprehendere ſuperiorẽ, & conſequenter non poteſt naturaliter illuminari ad comprehenſionem totalem, totaliter efficiendam: quia non poteſt ſecundum ordinem naturæ Angelus inferior habere aliud lumen, quod ſit adæquatum totali comprehenſioni, & cognoſcibilitati ſuperioris Angeli. Vnde quanuis Angelus ſuperior non cognoſcat quidditatiuè plures rationes, quam inferior, cognoſcit tamen plures comprehenſiuè quam inferior: *Ad 2. arg.* quia licet inferior habeat ſufficiens lumen ad cognoſcendum quidditatiuè, non tamen comprehenſiuè. Et per hoc patet ad ſecundum.

Ad tertiũ argum. ¶ Ad tertium reſpõdetur, ſatis difficile eſſe intelligere, quomodo omnes Angeli ſint eiuſdem generis proximi, ſiquidem non

omnia viuentia ſub eodem genere continentur in inferioribus. Deſcendit enim gradus vitæ, non ſolum ad varias ſpecies ſub eodem genere, ſed etiam per diuerſa genera intermedia vſque ad hominem, & animalia, & ad plantas, aliaque imperfectiora viuentia. Et licet concedamus Angelos contineri ſub eodem genere proximo, neganda tamē eſt conſequentia reſpectu inferiorum, & in ordine ad ſuperiores. Imo vero non ſequitur, quod ſi Angelus cognoſcit Angelum quantum ad genus, & differentiam ſecundū prædicata quidditatiua, quod comprehendat illud genus quantum ad omnia, ad quæ poteſt deſcendere, & quæ continet in potentia eius confuſa, & ſibi intrinſeca. Nam ſpecies vel differentiæ ſpecificæ, quamuis contineantur in genere, nō tamen vt in virtute effectiua, ſed materiali, & imperfecta, & cui addunt perfectionem formalem.

Quartum argum. ¶ Ad quartum reſpondetur negando conſequentiam (quicquid ſit de antecedēte) quoniam multa poſſunt requiri ad perfectionē cognitionis, quam poſtulat aliquod obiectum ex natura ſua, ad quæ non eſt neceſſarium ſufficere virtutē potentię, licèt ſit proportionata ſpeciei repræſentanti perfectè & adæquatè ipſum obiectū, quia poteſt cōtingere, quod alicui obiecto ratiōe ſuæ perfectionis ſit debita cognitio tam perfecta quo ad ſimplicitatem, certitudinem, & claritatem, ſeu euidentiam, vt non ſufficiat ad eam virtus potentiæ, quāuis extendi poſſit ad omnia, quæ de tali obiecto repræſentantur iuxta ea quæ dixim⁹ in vltimo notabili.

Pro hac ſententia nota hoc. ¶ Vel ſecundo reſpondetur negando antecedens. Et ad primam probationem dicitur, nō eſſe ſatis, quod ſpecies repræſentet obiectum, vt eſt in ſeipſo, vt repræſentet ipſum cōprehenſiuè. Nam etiā quælibet viſio creata Dei terminatur ad Deum prout eſt in ſe ipſo, & tamē nulla eſt cōprehenſiua ipſius. Vnde licet ſpecies, quæ eſt in Angelo inferiori, repræſentet ſuperiorē quo ad omnia, quæ in ſuperiori reperiuntur, non ſequitur, quod repræſentet illum comprehēſiuè. (Et hoc eſt fundamentū huius ſententię.) Quia non repræſentat illam totaliter, & adæquatè, id eſt tam perfecto modo, ſicut ipſa ſunt ex ſua natura repræſentabilia. ¶ Ad argumēta autē pro ſecūda ſententia reſpōdetur,

Reſp. arg. pro ſecūda ſenten.

Ad primū. Ad primū, quod ad cognitionē comprehēſiuā ſatis eſt, quod cognoſcātur omnia illa, quæ ſunt in illo, quod cognoſcitur, quamuis nō cognoſcātur eodē modo ab omnibus, cognoſcentibus. Vnde cognitio comprehenſiua poteſt dupliciter dici, vel ex parte obiecti, vel ex parte cognoſcentis. Ex parte obiecti, quādo tantū cognoſcitur obiectū quātum ipſum obiectū eſt cognoſcibile, & hoc modo quilibet Angelus aliū cognoſcit comprehenſiuè, ſiue ſuperiorē, ſiue inferiorem, quantū ad omnia, quæ Angelis pertinent, iuxta ordinē naturæ. Nā alias poſſet Angelus ſuperior de illis, vel de aliquo illorū inferiorē illuminare. Cū autē ab omnibus cōcedatur, quēcunq; Angelū omnia pertinentia ad ordinē naturæ cognoſcere abſque aliqua obſcuritate, cū cognoſcat illa quidditatiuè, videtur neceſſario dicendū, quemlibet Angelū aliū cognoſcere cōprehenſiuè, cognitione, quæ ſe tenet ex parte obiecti: qa tantū cognoſcit quilibet Angelus de quocūque alio Angelo, quantum quilibet alius Angelus cognoſcibilis eſt. Vnde omnes cognitiones Angelorū ex parte obiecti ſunt adæquatæ, & cōprehenſiuæ.

Pro hac ſententia nota hoc. Si autē intelligatur de cognitionę cōprehenſiua ex parte cognoſcētis, vna eſt altera perfectior, quia perfectio illarū ſumitur ex perfectione intellectus, vel luminis. Sicut v.g. duo Angeli inæquales in perfectione inæqualiter cognoſcunt formicā ex parte cognoſcentis, quia perfectior Angelus perfectiori modo cognoſcit illam, non tamen ex parte rei cognitæ, ſed vtraq; cognitio eſt adæquata. Cū igitur natura intellectualis ſit vltima, & ſuprema in ratione entis, & in eſſe cognoſcitiuo, ideo proprium eſt illi, quod ſit perfectè cognoſcitiua omniū, quæ pertinent ad ordinē vniuerſi. Et quāuis maior vel minor perfectio Angelorū ſecundū gradus ſpecificos aliquid cōferat ad perfectionē cognitionis, at vero hæc perfectio nō ſe tenet ex parte rei cognitæ, ſed ex parte cognoſcētis, ita vt Angelus perfectior, ſeu ſuperior nō cognoſcat plura obiecta, vel plures ratiōes ex parte rei cognitæ, quā inferior, ſed ex parte ipſius cognoſcētis perfectiori modo cognoſcit eadē, quæ inferior cōprehenſiuè cognoſcit. Vnde ad argumentū in forma reſpōdetur diſtinguēdo antecedēs, vel ex parte obiecti, vel ex parte cognoſcentis, ſi intelligatur ex parte obiecti, maior eſt vera, & minor eſt falſa: quia illa claritas & euidentia, quæ eſt ſimpliciter neceſſaria ad cōprehenſionē, reperitur in quocūq; Angelo in ordine ad obiectū, quāuis ſit maior vel minor,

iuxta

ſuxta maiorē vel minorē perfectionē potētiæ. *Secūdum argum.* ¶Ad ſecundū reſpōdetur, ꝙ omnis creatura eſt longe inferioris ordinis ab eſſentia diuina, neq; cū illa cōuenit in ratione generica, & hac ratione diuina eſſentia eſt omnino ſincōprehēſibilis ab intellectu creato nō quia ſit neceſſaria omnimoda æqualitas ſecundū proportionē ſpecificā in ratione entis inter cōprehēdentē, & cōprehenſum, & per hoc reſpōdetur ad cōfirmationem, quia ad cōprehenſionē tantū requiritur neceſſario, quod obiectū cognoſcatur tantū quantū ipſum eſt cognoſcibile. *Ad tertiū argum.* ¶Ad tertium reſpōdetur, ꝙ omnes Angeli ęqualiter cognoſcūt Deū cognitione naturali quātū eſt ex parte obiecti cogniti, nō enim plura cognoſcit vnus, quā alius. At vero ex parte cognoſcentis ſuperior Angelus perfectius cognoſcit Deū cognoſcēdo propriā eſſentiā, quæ eſt imago perfectior Dei, quā eſſentiā inferioris, & hoc ſufficit, vt ſit beatior, ſicut in beatitudine ſuper naturali vnus eſt beatior alio, nō quia plura cognoſcat, quā alius, ſed quia intēſiori lumine gloriæ illuſtratur intellectus eius, quod quidē lumē ſe tenet ex parte potētiæ cognoſcētis. ¶Ad quartū reſpōdetur negādo ſequelam, & ad probationem dicitur, quod Angelus inferior eſt proportionatus ſuperiori in eſſe intelligibili, quamuis non in eſſe entitatiuo.

QVÆSTIO IIII.

¶*Utrùm Angelus poſſit cognoſcere ſuā eſſentiam cognitione abſtractiua.*

Prima ſententia. DE hac re eſt prima ſententia omniū Thomiſtarū partem tenentiū negatiuā, quorū fundamentum eſt, quia de ratione notitiæ abſtractiuæ eſt ꝙ res, quæ cognoſcit ſit abſens: ſed eſſentia Angeli non poteſt eſſe abſens ſibi ipſi, ergo nō poteſt cognoſcere ſuā eſſentiā cognitione abſtractiua. *Secunda ſententia.* ¶Cōtraria tamen ſentētia eſt Doctoris, vt patet in litera ſupra poſita cuius fundamētū eſt, quia Angelus poteſt cognoſcere ſuā eſſentiā, vt abſtrahit ab exiſtentia per ſpeciē acquiſitā vel infuſam, ergo poteſt Angelus ſuā eſſentiā cognoſcere cognitione abſtractiua. Antecedens patet, quia eſſentia Angeli, vt ſic eſt repræſentabilis, & cognoſcibilis. Conſequentia autē probatur à differentia, quæ eſt inter cognitionē intuitiuā & abſtractiuam, cognitio enim intuitiua, vt omnes fatentur eſt cognitio rei exiſtētis, vt exiſtens eſt, ergo cognitio rei, nō vt exiſtentis nō erit cognitio intuitiua, ſed poteſt Angelus cognoſcere ſuā eſſentiā, ſecūdū quod eſſentia eſt, ſine eo, quod cognoſcat illam exiſtere, ergo neceſſario cognoſcet illam cognitione abſtractiua: aliàs implicaret cognoſcere ſuam eſſentiam non cognoſcendo illam exiſtere, quia tamen exiſtētia ſeparabilis eſt ab eſſentia per intellectum, dicendum eſt poſſe intelligi ab ipſo Angelo cuius eſt eſſentia cognitione abſtractiua.

TEXTVS.

AD quæſtionem reſpondetur, quod licet ſecundū cōmuniter loquentes non poſſet Angelus ex puris naturalibus habere cognitionē Dei intuitiuā, de qua in 4. diſt. 49. q. 11. tamen non videtur negandū, quin poſſit naturaliter habere cognitionē eius abſtractiuā, hoc modo intelligendo, quod ſpecies aliqua diſtinctè repræſentet iſtā eſſentiā, licet nō repræſentet eam, vt in ſe præſentialiter exiſtentem, bene quidē poſſibile eſt habere cognitionē diſtinctā, licet abſtractiuā. Nā abſtractiua diſtinguitur in confuſam, & diſtinctā, penes rationē aliā & aliā cognoſcendi, & iſtā talem ſpeciem repræſentantē eſſentiā diuinā intellectui Angelico nō videtur inconueniens ponere intellectui Angeli inditam eſſe à principio, ita quod licet ipſa nō ſit naturalis intellectui hoc modo, quod iſte intellectus poſſit ex naturalibus ſuis eā acquirere, neq; etiā quod poſſit eā habere ex actione alicuius obiecti agentis naturaliter, quia nō poteſt eā habere præſentialitate alicuius obiecti finiti mouētis, niſi eſſentiæ diuinæ tantum, quæ nihil aliud à ſe cauſat naturali cauſatione: tamen ſicut perfectiones datæ Angelo in ſua prima creatione, licet nō neceſſario ſequātur naturā eius, dicerentur naturales diſtinguēdo cōtra merè ſupernaturales, ſcilicet, gratia & gloria: ita iſta perfectio data intellectui Angelico, qua eſſentia diuina eſſet ei præſens diſtinctè, licet abſtractiuè, poteſt dici naturalis, & ad cognitionē Angeli pertinere: ita quod quicquid cognoſcit Angelus de Deo virtute huius ſpeciei, aliquo

modo cognoſcit naturaliter,& aliquo modo nõ naturaliter. Naturaliter, inquantum iſta nõ eſt principiũ gratuiti actus, neque glorioſi. Non naturaliter autẽ quantũ ad iſtã nõ poſſet pertingere ex naturalibus, neq; ex actione naturali.d.3.q.9.litera. D.

EXPLICATIO LITERÆ.

IN hac litera Doctor aſsignat duas cõclu ſiones, ſupponẽs tamen, quod notitia eſt duplex, quarũ altera eſt intuitiua, & altera abſtractiua. Notitia intuitiua eſt notitia quæ habetur de re præſente in propria præſentia,& in propria exiſtentia, & talis notitia nõ eſt obiecti abſtrahẽtis à propria exiſtẽtia,ſed eſt de obiecto includẽte exiſtẽtiã,& præſentiã: & ideo dicitur notitia de obiecto exiſtẽte, vt exiſtẽs eſt. Notitia aũt abſtractiua eſt notitia eiuſdẽ obiecti nõ exiſtẽtis in ꝓpria exiſtẽtia ſed abſtrahẽtis ab illa. Vñ obiectũ cognitũ, nõ cognita eius exiſtentia in actu exercito, dicit cognoſci notitia abſtractiua. Dixi notãter in actu exercito,qa etiã ipſa exiſtẽtia cuiuſcunq; obiecti põt cognoſci & notitia intuitiua, & abſtractiua. Notitia intuitiua, ſi cognoſcat in actu exercito. Notitia autẽ abſtractiua, ſi cognoſcat ĩ actu ſignato. His igitur ſic ſuppoſitis, eſt prima cõcluſio Doctoris. Angel' nõ põt habere notitiam intuitiuã de Deo ex puris naturalib'. Hæc cõcluſio cõis eſt apud oẽs: & ꝓbatur quia tũc Angelus fuiſſet naturaliter beatus. Et ſecũdo, quia ſi Lucifer vidiſſet Deũ, nõ poſtea peccaſſet. Secũda cõcluſio Doctoris eſt nõ videri negãdũ, quin poſsit angelus naturaliter habere cognitionẽ Dei diſtinctã abſtractiuã. Hanc cõcluſionẽ primo explicat, deinde probat. Quantũ ad primũ dicit intelligẽdã eſſe in hoc ſenſu, nẽpe dabilẽ eſſe aliquã ſpeciẽ repræſentãtẽ eſſentiã diuinã diſtinctẽ, non vt in ſe præſentialiter exiſtẽtẽ: qa bene ſtat, ꝙ Angelus habeat notitiã diſtinctã de Deo, licet illa ſit notitia abſtractiua. Dicitur aũt notitia diſtincta abſtractiua, qa notitia abſtractiua in notitiã diſtinctã & cõfuſam diuidit. Notitia diſtincta eſt notitia, quę habetur de re ꝑ propriã eius rationẽ, vt notitia, quæ habet de leone per ſpeciẽ repræſentãtẽ leonẽ. Notitia autẽ cõfuſa eſt notitia, quæ habetur de re per rõnẽ cõem illi & alijs, vt notitia, quæ habetur de leone per ſpeciẽ animalis. ¶ Deinde doctor quærit duo. Alterũ eſt, quomodo angeli habuerũt illã ſpeciẽ repræſentantẽ Deũ diſtinctẽ, licet abſtractiuẽ. Et reſpõdet, quod fuit creata cũ illis in principio ſuę creationis, & per hoc rñdetur ad aliã quæſtionẽ, quã quærit, an talis ſpecies debeat dici naturalis, an ſupernaturalis: & dicit, ꝙ naturale dicit duplicitet. Vno modo, vt diſtinguitur contra habitũ ſupernaturalẽ. v.g. gratiæ & gloriæ, & hoc modo illa ſpecies erat naturalis. Secũdo modo, vt diſtinguitur cõtra illud ꝙ profluit ex principijs naturæ, vel põt elici, vel cõſequi per actus potẽtiæ naturalis, & tunc talis ſpecies, quia nec virtute intellectus angelici, neq; virtute obiecti naturalis naturaliter agẽtis poterat haberi, ſed tantũ virtute eſſentiæ diuinæ, quæ nihil ad extra naturaliter, ſed merè liberè cauſat, ideo illa ſpecies in hoc ſenſu non poterat dici naturalis, ſed poterat dici aliquo modo naturalis iuxta primũ ſenſum, & aliquo modo nõ naturalis iuxta ſecundũ. Vt hęc doctrina clarior reddatis ſit titulis quæſtionis.

QVÆSTIO V.

¶ *Vtrum Angelus cognouerit Deum per aliquam ſpeciem ſibi inditam, an vero per ſuam eſſentiam.*

DE hac re eſt prima ſentẽtia D. Tho. & omniũ Thomiſtarũ. 1. p. q. 56. art. 3. aſſerentiũ Angelũ nõ cognoſcere Deũ per aliquã ſpeciẽ immediatè repræſentatiuã ipſius ſibi inditã, vel cõcreatã: ſed cognoſcere Deũ per ꝓpriã eſſentiã concurrentẽ ad hãc cognitionẽ, nõ ſolũ per modũ effectus repręſentãtis ſuã cauſam, verũ etiã per modũ ſimilitudinis, & ſpeciei intelligibilis. *Prima ſententia.* ¶ Pro explicatione huius ſentẽtiæ aduertũt nõnulli vbi ſupra. q. 2. poſt. 4. cõclu. *1. Notab.* Primò, ꝙ effectus aliter repręſentat ſuã cauſam, & aliter ſpecies intelligibilis repræſentat ſuũ obiectũ. Nã ſpecies repræſentat immediatè ſuum obiectũ, nõ præſuppoſita cognitione ſui, id eſt, ſpeciei. Effectus vero vt ſic, non repræſentat immediatè ſuã cauſam, ſed mediatè cognitiõe ſui, id eſt, mediatè cognitione effectus. Verũtamẽ hæc repræſentatio ſui põt fieri duobus modis. Primò, ita vt cognoſcamus effectũ ꝑ vnã ſpeciẽ ꝓpriã eiuſdẽ effectus, cauſam vero per aliã ſpeciẽ cauſæ; & ita cõtingit, qñ per fumũ cognoſcimus ignẽ, & per veſtigiũ cognoſcimus animal. Secũdò modo effectus poteſt repręſentare cauſam, ita vt per eandẽ ſpeciẽ, per quã repræſentatur effectus, repræſentetur ſimul, & cognoſcatur ſua cauſa, & hoc modo

ſpecies

ſpecies intelligibilis immediatè, & primo repræſentat ipſum effectum, ſecundario autem cauſam, & ita cenſetur eſſe ſimilitudo cauſæ in eſſe intelligibili, & hac ratione eſſentia Angeli repræſentat Deum ipſum.

2. Notab. ¶ Secundo aduertunt, quod dupliciter poteſt comparari eſſentia Angeli in ordine ad proprium intellectũ. Primo in ratione obiecti cognoſcibilis. Secundò vero in ratione ſpeciei intelligibilis, quæ immediatè & primo repræſentat Angelum, mediatè autem & ſecundario Deum. Cæterum eſſentia Angeli magis propriè dicitur ſpecies intelligibilis, prout eſt repræſentatiua Dei, quam prout eſt repræſentatiua Angeli. Cuius rei vera ratio hæc eſt. Nam licet eſſentia Angeli reſpectu cognitionis eiuſdem Angeli ſit ratio proxima cognoſcendi, & efficiat quicquid faceret ſpecies intelligibilis, tamẽ propriè non eſt medium inter potentiã, & obiectum cognitum: cum ipſamet eſſentia ſit obiectum cognitum, ſed eſt medium quaſi negatiuè, ſcilicet, quod ſe ipſa ſine alio medio eſt ratio & principium cognitionis ſui ipſius, vt ingenioſe dixit Soncinas. 12. metaph. q. 59. At vero prout eſt repræſentatiua Dei, non tantum habet, quod ſit ratio, & principium cognitionis, ſed quod ſit reale medium inter Deum cognitum & potentiã Angeli intelligentis. Vnde, quod eſſentia Angeli Deũ repræſentet, ſicut effectus cauſam, competit ei, nõ prout eſt ſpecies intelligibilis, ſed quatenus eſt obiectum cognoſcibile.

3. Notab. ¶ Tertio aduertũt, quod iſta duplex repręſentatio, qua Angelica eſſentia Deum repręſentat, ſcilicet, per modũ ſpeciei intelligibilis, & per modum effectus, non efficit duplicẽ Dei cognitionem in intellectu Angeli, ſed vtraq; repræſentatio copulatur, & inuoluitur in vna cognitione, ꝓpter excellentiã naturæ angelicæ, & cognitiõis illius. ¶ Ex quibus omnibus infertur, ꝙ ſi Angelus ſe ipſum cognoſceret per ſpeciem inditam illi, & non per eſſentiã ſuam, quod tũc eſſentia Angelica repręſentaret Deũ, vt effectus ſuã cauſam, non tamen ſicut ſpecies indita ſuũ obiectũ. Nam hæc repręſentatio poſterior tribueretur illi ſpeciei intelligibili, ob id, ꝙ immediatè repræſentaret Angelũ ſecundario autẽ Deũ ipſum, vt dictũ eſt.

Primũ argu. pro prima parte ſua ſent. ¶ His igitur ſic conſtitutis, probant primã partem ſuæ ſententiæ in quadam quinta cõcluſione. Non poteſt dari ſpecies propria diuinitatis in Angelo, aut in aliqua creatura, & oppoſitum dicere eſt contra rationẽ, ergo. Probatur antecedens, nam ſi daretur ſpecies propria diuinitatis in aliqua creatura, ſequeretur, creaturam propria virtute poſſe Deum cognoſcere intuitiuè, & quidditatiuè, atque adeò propria virtute poſſet Deũ videre & beatificari, quod eſt hæreſis pelagiana. Probatur ſequela, quia colorem intuitiuè cognoſcimus, quia per propriam ſpeciem videmus, & vnus Angelus quidditatiuè cognoſcit aliũ, quia per propriã ſpeciem illius cognoſcit, & nos etiã quidditatiuè cognoſcimus rem materialẽ, qa per ſpeciẽ quidditatiuã illam cognoſcimus, ergo.

Secundum argum. ¶ Secundò, quia ſpecies illa diuinitatis eſt adæquata ipſius Dei, vel inadæquata. Si primũ, ergo per illã Angelus cõprehẽderet Deũ, id eſt, tantũ cognoſceret, quantũ cognoſcibile eſt ex parte obiecti. Patet, quia cuicũq; ſpeciei poteſt dari adæquata notitia in habente talẽ notitiã. Cõſequens autẽ eſt contra ſcripturã, & cõmunẽ ſenſum doctorum, qui, ex illo Ierem. magnus cõſilio, & incomprehẽſibilis cogitatu, colligũt Deũ, à nulla creatura, poſſe cõprehẽdi, ſeu tantũ cognoſci, quantũ cognoſcibilis eſt. Si autẽ inadæquata eſt illa ſpecies, ergo ſuperfluè ponit, quia eſſentia Angeli perfectius repræſentat Deũ quã quæcũq; ſpecies inadęquata & imperfecta, cũ ſit perfectior imago & ſimilitudo Dei, ergo per hãc melius, quã per quãcũque ſpeciẽ imperfectam Angelus cognoſcet Deũ, ac proinde ſuperfluit illa ſpecies Scotica.

Tertium argum. ¶ Tertiò. Impoſsibile eſt Angelũ cognoſcere Deũ per ſpeciẽ, ergo. Probatur antecedẽs. Species proueniens ab obiecto prouenit ab illo prout eſt: tanta enim eſt ratio repræſentãdi obiectũ, quantũ eſt ipſum eſſe obiecti, quia quale eſt, talem ſpeciẽ immittit, ſi ergo aliqua ſpecies à Deo emanat, ab ipſo procedit, prout eſt, non prout ipſe vult, ergo ipſa repræſentat prout eſt, atque adeo eſt adæquata ſimilitudo ipſius, ac ꝓinde, eſſet cõprehenſiua, Ita vt repræſentaret Deũ quantum repræſentabilis eſt, quod habet manifeſtã contradictionẽ. Quia ſequeretur Deũ poſſe cõprehendi cognitione creaturæ: tantã enim poteſt habere cognitionẽ creatura, quãta poteſt haberi per ſpeciẽ, ergo.

Quartum argum. ¶ Quartò. Cognitio qua Angelus per ſpeciẽ cognoſcit Deũ (ſecundũ Scotum) eſt abſtractiua, ergo ſupponit intuitiuã, ſed Angelus nullã habuit de Deo cognitionẽ intuitiuã, ergo neque potuit habere abſtractiuã.

Patet ſequela, qa notitia abſtractiua nõ põt naturaliter eſſe prima, ſed ſemp debet præſupponere aliquã intuitiuã, ex qua deducatur: qa naturaliter loquẽdo, prima cognitio debet eſſe alicuius entis in actu, quia nõ ens nõ põt cognoſci niſi ꝑ ens, & ens in potẽtia ꝑ ens in actu: ſed talis cognitio abſtractiua, de quã loquimur nõ eſt ſumpta ex intuitiua creaturarũ, vt patet, neq; põt naturaliter deduci ex notitia intuitiua Dei, qa hæc nulli intellectui creato eſt naturalis, ergo nullꝰ intellectus creatus põt ſuis viribus cõſequi talẽ notitiã abſtractiuã. ¶ Secũdam partẽ ſuæ ſniæ, nẽpe ꝙ Angeli per ſuã eſſentiã cognoſcãt Deũ, probãt. Primo Angeli cognoſcũt Deũ, & nõ per ſpeciẽ, ergo per ſuã eſſentiã. Maior eſt manifeſta, & minor manet probata in præcedẽte cõcluſione, ergo. ¶ Secũdò. Eſſentia Angeli eſt imago Dei, ad hoc peculiariter ꝓducta, vt ipſum repræſentet, & eſt ꝓportionata in gradu materialitatis intellectui ꝓprio, & ipſi ſufficiẽter vnita, ergo nihil deeſt ei, vt vniatur ſuo intellectui tãquã ratio intelligẽdi Deũ antecedẽter ad omnẽ cognitionẽ. ¶ Cõfirmatur primo, eſſẽtia angeli vnitur hoc modo ꝓprio intellectui in ordine ad cognitionẽ ſui, ergo, vt ita vnita, intelliget etiã ſufficiẽter vnita in ordine ad cognitionẽ Dei. Patet conſequentia. Quia nõ ſolũ eſt vnita, vt cõtinẽs ſe ipſam per idẽtitatẽ, ſed etiã vt imago repræſentatiua Dei. ¶ Tertiò. Quia eſſentia diuina, non ſolũ eſt eadem ſibi, ſed etiam repræſentat creaturas ſicut cauſa continens eas eminenter, ideo vnitur intellectibus beatorum antecedenter ad omnem cognitionem, vt ratio cognitionis, non ſolum reſpectu ſui, ſed etiã creaturarum, ſeruata proportione ad lumen gloriæ, ergo pari ratione, cum eſſentia Angeli, non ſolum ſit eadem ipſi, ſed etiã ſit imago repræſentatiua Dei, poterit vniri intellectui Angelico, non ſolum, vt ratio cognitionis reſpectu ſui, quin etiam vniatur, vt ratio cognitionis reſpectu Dei. ¶ Vltimò. Eſſentia Angeli non ſolum habet rationem ſimilitudinis obiectiuæ, ſed etiam ſimilitudinis formalis in ordine ad Deum, quem repræſentat, ergo. Antecedens patet. Quia eſſentiæ Angeli conuenit ſecundum ſuam entitatem repræſentare Deum, nam effectus non ſolum eſt ratio cognoſcendi ſuam cauſam, vt cognitus: ſed etiam vt ratio cognoſcendi, niſi quando effectus non poteſt vniri intellectui, vt principium formale intellectionis. Vnde, quod effectus ſolum ſit ratio cognoſcendi ſuam cauſam, vt cognitus, non prouenit præciſè ex eo, quod eſt effectus, ſed ex eo, quod non poteſt vniri intellectui, vt principium formale intellectionis, non quidem propter defectum repræſentationis, ſed quia non eſt proportionatus in gradu immaterialitatis ipſi intellectui: & ita, licet ſubſtantiæ omnes conueniant in hoc, quod eſt repræſentare Deum per modum effectuum, tamen quicunq; Angelus poteſt intelligere Deum per propriã ſubſtantiam tanquam per rationem intelligendi, & non per alias ſubſtantias, ſiue materiales, ſiue Angelicas: quia ſolum propria ſubſtantia poteſt vniri ſuo intellectui, vt principium formale intellectionis: ſed habens principium formale intellectionis per illũ poteſt cognoſcere illud, cuius eſt principium formale repræſentatiuũ, ergo cum Angelus habeat vnitam ſuam ſubſtantiam proprio intellectui, & ſit illi proportionata in gradu immaterialitatis, & ſit repræſentatiua Dei in ratiõe principij formalis, poterit per illam cognoſcere Deũ.

Primum arg. pro ſecunda parte prædictæ ſententiæ.

Secũdum argum.

Tertium argum.

Quartum argum.

¶ Secũda ſententia eſt doctoris, vt patet in litera. Pro cuius explicatiõe, & totius quæſtionis eſt primo notandum, quod in hac quæſtione intẽdimus oſtendere, ſiue explicare mediũ, per quod tanquam per rationem intelligẽdi poteſt Angelus naturaliter cognoſcere Deum tale autem medium poteſt cõtingere dupliciter. Vno modo vt ratio cognita, ſecundo modo vt ratio cognoſcẽdi. Sicut v.g. poteſt aliquis cognoſci, vel per propriam ſpeciem repræſentantem ipſum, vel per imaginem ipſius, ſicuti contingit in quocunque prototypo, vbi aliquid repræſentat, & cognoſcitur, nõ per rationẽ, quæ dicitur ratio cognoſcẽdi, ſed ꝑ rationẽ, quæ dicitur ratio cognita. Inter quas, hæc eſt differẽtia, ꝙ cognitio quæ ſit media ratiõe cognoſcẽdi, dicitur cognitio obiecti immediata: at vero cognitio, qua cognoſcitur res per rationẽ cognitã eſt immediata ipſius rationis: quia immediatè terminatur ad illam, & mediata obiecti, qa mediatè terminatur ad obiectũ. ¶ Secundò eſt notandũ, quod eſſentia Angeli, quomodocunque conſideretur, ſiue in ratione effectus, ideſt ſecundũ rationẽ relatiuã, qua ad Deũ, vt ad ſuã cauſam refertur, ſiue in ratione eſſentiæ, id eſt ſecundũ rationẽ abſolutã, nullo modo poteſt repræſentare eſſentiam diuinã, quantũ ipſa eſſentia eſt repræſentabilis,

Secunda ſententia.

1. Notab.

2. Notab.

bilis, quia quomodocunq; cōſideretur eſſentia Angeli, ſemper manet finita, & limitata, nō ſolū in eſſendo, ſed etiā in repræſentādo. Quare, etiā ſi cōcederemus prædictis opinātibus, eſſentiam Angeli in ratione effectus poſſe repræſentare proprio intellectui (ex eo, quod illi eſt vnita) Deū, vel eſſentiā diuinā, quā nō poſſunt repræſentare aliæ Angelorū eſſentiæ illis intellectibus, quibus non ſunt vnitæ: adhuc tamē, neq; ipſi cōcedunt, talē eſſentiā repræſentare Deū, quāto ipſe Deus eſt repræſentabilis. Vnde, ſiue Deus repræſentetur per eſſentiā Angeli, ſiue per ſpeciē intelligibilē à volūtate Dei, pductā per modū cauſæ efficiētis, & nō per modū obiecti, ſemper repræſentatur Deus infinitus & illimitatus, modo finito & limitato. Et ſic ex infinitate Dei non colligitur argumētū, vt nō poſsit per ſpeciē repræſentari, quia, ſicut quod Angeli cognoſcūt de Deo finitū & limitatū eſt, ita, quod cauſat illā cognitionē ſimul cū intellectu Angeli, eſt finitū & limitatū in repræſentādo. Et ſic, quanuis eſſentia Angeli, ex eo, quod vnitur proprio intellectui, aliter ſe habeat, quam reſpectu intellectus, cui nō vnitur, quia reſpectu vnius poſsit eſſe principiū cognitionis, & reſpectu alterius nō, iuxta illorū doctrinā: nihilominus tamē ſemper remanet eſſentia principiū finitū in repræſentando. Quanto magis, quod eſſentia Angeli nullo modo poteſt habere rationē principij cognoſcendi, niſi cogniti, & per cōſequens illa cognitio, qua Angelus per ſuā eſſentiā Deū cognoſceret, non eſſet immediata Dei ſed mediata. Quod autē eſſentia Angeli nō poſsit habere rationē principij cognoſcēdi nō cogniti, ex eo patet, quia eſſentia Angeli, ex eo repræſentat Deū, quia eſt effectus ipſius Dei, & quanto perfectior, tāto perfectius repræſentabit Deū: effectus autē nō repræſentat ſuā cauſam immediatè, ſed mediāte cognitione illius effectus, & per cōſequens nullo modo poteſt immediatè Deū repræſentare: nam, quod immediatè aliquid repræſentat, eſt propria ſpecies rei repræſentatæ. Cū igitur eſſentia Angeli, nō poſsit habere rationem ſpeciei, neq; propriæ ſimilitudinis, nō poterit repræſentare immediatè Dei ſubſtātiā, vel Deū. Neque eſſentia Angeli magis pprię dicitur ſpecies intelligibilis, prout eſt repræſentatiua Dei, quā prout eſt repræſentatiua Angeli. Quia vt ipſi fatentur, ſi nō eſt dabilis, ſpecies intelligibilis Dei, quomodo eſſentia Angeli, prout eſt repræſentatiua Dei, dicitur magis propriè ſpecies intelligibilis? ¶ Tertiò eſt notādū, q effectus & cauſa ſunt in duplici differētia. Sunt enim cauſa & effectus vniuoci: ſunt etiā cauſa & effectus æquiuoci. Inter quæ, hæc eſt differentia, quod effectus vniuocus habet eſſe eiuſdē rationis, & ſpeciei cū ſua cauſa. Effectus vero æquiuocus habēt eſſe diuerſæ ſpeciei, imo & diuerſi generis cū ſua cauſa. Vnde cōtingit, quod tātū cōueniant in genere logico. Ex quo prouenit, q effectus vniuocus aliter repræſentet ſuā cauſam, quā effectus æquiuocus, ſiue talis, repræſentatio fiat immediatè per ipſum effectū, ſiue fiat per ſpeciē repræſentātē ipſum effectū. Et ratio huius eſt, quia, cū effectus vniuocus habeat naturā eiuſdē ſpeciei cū ſua cauſa, illa natura, quæ eſt in tali effectu, nō ſolū eſt repræſentatiua ſui ipſius, ſed etiā cuiuſcūq; habentis eandē rationē cū illa. Vnde ſi plures Angeli ſunt in eadē ſpecie, vnus angelus per ſuā eſſentiā, tāquā per rationē cognoſcēdi poteſt cognoſcere eſſentias aliorū Angelorū, quæ ſunt eiuſdē ſpeciei. Nā talis eſſentia, nō ſolū eſt repræſentatiua ſui ipſius, ſed etiā aliarū, quæ habēt eandē rationē cū illa. Sicut etiā, ſi aliquis homo cognoſceret ſuā naturā humanā per ſeipſum, per talē naturā cognoſceret omnes naturas humanas, quātū ad rationē naturæ humanæ. Nā illa ratio, quā cognoſcit in ſeipſo, reperitur in alijs naturis humanis, & ſic per illā, tanquā per rationē cognitā, & etiā tanquā per rationē cognoſcendi, poterit talis homo, vel Angelus cognoſcere reliquas naturas, quæ ſunt eiuſdē ſpeciei, humanā vel Angelicā. Quia homo generās, & genitus, cum ſint cauſa & effectus vniuoci, conueniunt in vna ratione ſpecifica repræſentabili per naturā cauſæ vel effectus. At vero cauſa & effectus æquiuoci, cū nō conueniant in aliqua vna ratione ſpecifica, non poſſunt ad inuicē repræſentari, niſi tantū, quantū ad illud, in quo conueniūt. Vnde quanuis Angelus comprehēſiuè cognoſcat naturam humanam Petri. v.g. & per illam poſsit cognoſcere, ſiue tanquā per rationē cognitam, ſiue tanquam per rationem cognoſcendi, reliquas naturas humanas, quæ in vnoquoq; indiuiduo reperiūtur, quantū ad rationē quidditatiuā illarum: non tamē per illam poterit cognoſcere notitia diſtincta naturam Solis, quamuis ſit effectus illius, & Sol cauſa eius: quia natura humana, & Sol tantum

Nota hoc.

Notab. 3.

Nota.

tantum conueniunt in quadam ratione plus quã generica, nempè in ſubſtantia, quæ quã to magis cõtracta eſt per differentias ſpecificas, magis perfecta reperitur. Et ſic qui cognoſceret naturã equi, & per conſequẽs naturam animalis, cognoſceret etiã naturã animalis, quæ eſt in homine, quãuis nõ ita perfectè, ſicut, qui cognoſceret naturam hominis, quia natura animalis in homine perfectiori modo ſe habet, quã in equo: propter quod communiter dicitur, latere in genere multas æquiuocationes. Ita in propoſito, quanuis cognoſcens naturã humanã, cõprehenſiuè cognoſceret ſubſtantiam, vel eſſe ſubſtantiale, quod eſt in natura humana, & eſſe ſubſtantiale, quod eſt in Sole, non tamẽ ita diſtinctè, ſicut qui cognoſceret cõprehẽſiuè Solem. Quia perfectiori, & excellentiori modo eſſe ſubſtantiale, quod eſt in Sole, habet eſſe, quã eſſe ſubſtantiale, quod eſt in natura humana, quantũ ad eſſe corruptibile, vel incorruptibile. Nam, quantũ ad eſſe viuũ, vel nõ viuum, perfectiori modo ſe habet in natura humana, quã in Sole. Sicut dicitur cõmuniter de eſſe cæli, & eſſe muſcæ. Quod ſi per cognitionem naturę humanæ non poteſt cognoſci Sol cognitione diſtincta, quanto magis per cognitionẽ naturæ Angelicæ poterit minus cognoſci natura diuina, vel Deus, cũ ſit cauſa æquiuoca reſpectu Angeli, & tanto æquiuoca, quod in intellectu diſtinctè concipiente Deũ & Angelũ, neque in ratione entis poteſt dari vnicus formalis conceptus, ſed duobus conceptibus debent concipi, quia vt dixi in. 1. in diſputatione de attributis diuinis, Deo & creaturæ non datur vnicus formalis conceptus in intellectu diſtinctè cõcipiente, ſed tantum in intellectu cõfuſè cõcipiente. Cũ igitur Angelus tantũ conueniat in cõceptu entis cũ Deo, & hoc in intellectu cõfuſe cõcipiẽte nõ poterit repræſentare Deũ, quanuis ſit effectus eius, niſi quantũ ad conceptũ cõfuſum, in quo angelus & Deus cõueniũt?

Notab. 4. ¶ Quartò eſt notandũ, ꝙ in hac quæſtione non quærimus de notitia intuitiua, qua cognoſcitur res, vt præſens actualiter, & à parte rei exiſtẽs, ſed de notitia abſtractiua, qua quidditas alicuius rei cognoſcitur, vt ab actuali exiſtentia abſtrahit. Et quia notitia abſtractiua adhuc eſt duplex. Altera, qua cognoſcitur res ſub ratione vniuerſalis, & confuſæ. Altera, qua cognoſcitur res ſub ratione propria, & qua ab alijs diſtinguitur, quæ dicitur diſtincta: ideò in præſentiarũ, quod inquirimus eſt, Vtrũ Angeli habuerint notitiã diſtinctam abſtractiuam Dei, & an talẽ notitiã habuerint per ſpeciẽ deitatis, productã à voluntate diuina, an vero per eſſentiã propriam? ¶ Vltimò eſt notandũ, quòd ſpecies intelligibilis cuiuſcunq; rei creatæ poteſt dupliciter cauſari. Vno modo ab obiecto: ſecũdo modo à voluntate diuina. Obiectũ autem reſpectu talis productionis cũ ſit cauſa naturalis, tantã cauſat ſpeciem ex natura ſua, quantã poteſt cauſare. Deus autem cum ſit cauſa libera in productione ſpeciei producet ſpeciem ſecundùm eius volũtatẽ etiã in repræſentando. ¶ Et cũ poſſit Deus per ſe producere ſua voluntate illas ſpecies, ſine eo, quod obiectũ effectiuè cõcurreret, quia poteſt per ſe facere, quod cũ tali cauſa ſecunda facit, ideo ad rationẽ ſpeciei intelligibilis nõ eſt neceſſariũ (vt prædicti opinãtes falſo exiſtimant) quod producantur ab obiecto, neq; neceſſariũ eſt, quod adæquẽt ipſum obiectũ, ſed tantũ, quod reſpectu illius obiecti repræſentent tantũ, quantũ potentia poteſt cognoſcere de illo obiecto. *Notab.* 5.

Nota bene. Vnde quanuis ſpecies intelligibilis Dei, ſpo ſita à Doctore, nõ ſit producibilis ab eſſentia diuina tanquã ab obiecto, quia nulla eſt dabilis ſpecies, etiã de potentia Dei abſoluta, quæ repræſentet Deum, quantum Deus eſt repræſentabilis (præter eſſentiã diuinã) adhuc tamen volũtas diuina poteſt producere aliam & aliã ſpeciem intelligibilem repræſentatiuã eſſentiæ diuinæ, ſiue Dei, adæquatè, nõ in ordine ad obiectũ, nempè ad eſſentiam diuinã, vel Deũ, ſed in ordine ad actũ, quẽ intellectus creatus poteſt elicere.

Prima cõcluſio. ¶ Prima cõcluſio. De potentia Dei abſoluta poteſt dari ſpecies intelligibilis à volũtate diuina producta, quæ ſit naturalis ſimilitudo eſſentiæ diuinæ, & Dei, adæquata in ordine ad actũ, quem potentia creata de Deo poteſt habere. Hęc concluſio eſt Doctoris, quam latè probaui in. 1. diſput. 7. quæſt. 9. concluſ. 4. Et probatur præterea. Si aliqua

Prima ratio. ratione non eſt dabilis ſpecies intelligibilis repræſentans Deum, maximè, quia Deus non eſt repræſentabilis per aliquid creatũ, ſed hoc non obſtat, nam repræſentabilis eſt per eſſentiam Angeli, vt ipſi fatentur, ergo. Cõfirmatur. Eſſentia Angeli eſt repræſentabilis per aliquam ſpeciem quantum ad omnem eius entitatẽ & modũ, id eſt dabilis eſt aliqua ſpecies, quæ repræſentet eſſentiã

Angeli quoad omnia, quæ eſſentiæ Angeli poſſunt cõuenire, ſed eſſentiæ Angeli cõuenit ſecundùm illos repræſentare Deũ clarè, & diſtinctè, ergo & dabilis eſt per Dei potẽtiam aliqua ſpecies, quę repræſentet Deum diſtinctè. Maior probatur, quia eſſentia Angeli eſt finita & limitata in eſſendo, & in repræſentãdo, ergo põt repręſentari per aliquã ſpeciẽ à Deo ad hoc creatã. ¶Cõfirmatur ſecũdò. Quia, ꝙ nõ implicat cõtradictionẽ, Deus põt facere, quia nõ eſt impoſsibile apud Deũ omne verbũ, vt dicitur Lucæ. 1. ſed nulla eſt cõtradictio, quod detur aliqua ſpecies repræſentãs eſſentiã Angeli quantũ ad omnia, quæ ei cõueniũt ex natura ſua; ergo ſi ex natura ſua habet repræſentare Deũ (ſiue ſit per modũ effectus, ſiue p modũ ſpeciei intelligibilis) dabilis ergo eſt ſpecies per Dei potentiã, quæ ipſam eſſentiã repræſentet, quatenus Deũ repræſentat, & p cõſequẽs nõ eſt impoſsibile Deũ producere ſpeciẽ repræſentãtẽ eſſentiã diuinã adæquatè, nõ in ordine ad ipſam eſſentiã, ſed in ordine ad actũ, quẽ intellectus põt habere de Deo.

Secunda concluſio. ¶Secũda cõcluſio. Angelus per ſuã eſſentiã tanquã p rationẽ cognitã, & tanquã p rationẽ cognoſcẽdi, põt cognoſcere Deũ notitia abſtractiua cõfuſa. *Prima ratio.* Hæc cõcluſio eſt Doctoris in hac quæſt. Et probatur, quo ad vtrãq; partẽ. Primo quo ad primã. Quia Angelus, cognoſcẽdo ſuã eſſentiã, cognoſcit eſſe effectũ alicuius, quia cognoſcit nõ habere eſſe à ſe, ſed ab alio, & cognoſcit, ꝙ non eſt alius præter Deũ, qui poſsit illũ producere, ergo cognoſcit Deũ produxiſſe illũ: talis autẽ notitia eſt, notitia cõfuſa Dei, ergo. ¶Secunda pars probatur, nã effectus nõ ſolũ eſt cauſa cognoſcẽdi ſuã cauſam, vt cognitus, ſed etiã ſi põt p ſe vniri intellectui, eſt cauſa cognoſcẽdi ſuã cauſam, vt ratio cognoſcẽdi, ſed eſſentia Angeli eſt effectus Dei, & per ſe põt vniri intellectui proprio ſecũdũ oẽs, & etiã alieno, vt diximus quæſt. præced. ergo non ſolũ eſt ratio cognoſcẽdi, vt cognita, ſed etiã per modũ ſpeciei intelligibilis. ¶Confirmatur. In quolibet effectu repræſentat cauſa ſecũdũ aliquid ipſius cauſæ, ergo quilibet effectus (ſi per ſe põt immediatè vniri intellectui) poterit cauſare cognitionẽ ſuæ cauſæ. Vnde ſubſtãtia Angeli, vel eſſentia Angeli, poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo, vt obiectum terminans intellectionem, & ita dicitur ratio cognita. Secundò modo, quatenus antecedenter ſe habet ad huiuſmodi cognitionem per modum ſpeciei intelligibilis, & quatenus eſt vnita proprio intellectui, ad cõſtituẽdũ memoriã fœcundã, id eſt, quatenus per modum principij formalis cõcurrit cũ intellectu ad producendũ intellectionẽ, nõ ſolũ ſui ipſi⁹, ſed etiã Dei, & hoc modo cõſiderata nõ dicitur ratio cognita, ſed ratio cognoſcẽdi, & ſe, & Deum, quia per illã cognoſcitur ipſa eſſentia Angeli, & Deus, cauſa illius eſſentiæ. Ad hoc autẽ poteſt adduci exemplũ in eſſentia diuina, quæ reſpectu beatorũ eſt ratio formalis, & obiectiua cognoſcẽdi creaturas, quia ipſa cõcurrit in ratione obiecti motiui, quia intellectus diuinus nõ mouetur à creaturis ad cognitionẽ illarũ, ſed mouetur ab eſſentia diuina, quod eſt eius obiectũ motiuũ: & ob hoc dicimus, quod reſpectu cognitionis creaturarũ mouetur ab eſſentia per modũ ſpeciei intelligibilis intellectus diuinus, & vt ſic nõ eſt res cognita, ſed ratio cognoſcendi tãtũ. At vero quatenus eadẽ eſſentia terminat viſionẽ beatificã, taliter, quod Deus creaturas cognoſcit per ſuã eſſentiã, & in ſua eſſentia, id eſt, prout relucent in eſſentia diuina, vt dixi in. 1. diſput. 15. q. 2. concluſ. 2. & 3. Tũc eſſentia diuina dicitur ratio cognita, & nõ ratio cognoſcẽdi, quia in ipſa, vt in obiecto cognito, cognoſcuntur creaturæ. Ita in propoſito, eſſentia Angeli in ratione effectus Dei poteſt eſſe, & ratio cognita, quatenus cognita eſſentia, cognoſcitur Deũ eſſe cauſam illius: & põt eſſe ratio cognoſcẽdi, quatenus effect⁹ vnitus intellectui, nõ ſolũ cauſat cognitionẽ ſui, ſed etiã cognitionem Dei, qui eſt cauſa illi⁹.

Tertia concluſio. ¶Tertia cõcluſio. Talis cognitio, quã Angelus habet de Deo per ſuã eſſentiã, non poteſt eſſe cognitio diſtincta Dei. *Prima ratio.* Probatur concluſio. Cognitio, quę habetur de aliquo, quãtũ ad prædicata communia, non poteſt eſſe diſtincta, ſed illa cognitio, quę habetur de Deo, quantũ ad hoc, quod eſt eſſe cauſam, eſt cognitio, quantum ad prædicata cõmunia, ergo nõ poteſt eſſe diſtincta. *Secunda ratio.* ¶Secundò. Angelus per ſuã eſſentiam non poteſt Deũ cognoſcere diſtinctè, ergo. Probatur antecedens. Eſſentia Angeli tãtũ repræſentat Deũ, quatenus eſt effectus illius, & De⁹ eſt cauſa eius, ſed cognitio, qua cognoſcit aliquid eſſe cauſam, eſt cognitio cõfuſa, & nõ diſtincta, ergo. Probatur antecedẽs. Eſſentia Angeli tantum repræſentat Deum, quatenus cõtinet illũ in ratione ſuæ cauſæ. Probatur antecedẽs. Eſſentia Angeli ſecũdùm ſuũ eſſe abſolutũ nõ eſt producta ad repræſentandũ Deũ, quia ſi per impoſsibile

bile aliquis Angelus non eſſet productus à
Deo adhuc habent eſſentiã eiuldẽ rationis
formalis cũ illo, qui eſſet productus à Deo:
quia, ordo ad cauſam efficientẽ nõ eſt de ra-
tione fotmali alicuius, ergo ex eo, ꝙ Ange
lus ſit ꝓductus à Deo, vel ſi per impoſsibi
le nõ eſſet productus, nõ ex hoc variatur ra
tio formalis ipſius, ſed ſi nõ eſſet productus
per ſuã eſſentiã tantũ cognoſcetet de Deo
aliquod prædicatũ commune, & nõ cogno-
ſceret diſtinctè ipſum Deũ, ergo etiã ꝓdu-
ctus à Deo non repræſentabit de Deo, niſi
eſſe effectũ illiꝰ, ſed cognitio cauſæ per ſnũ
effectũ eſt cognitio cõfuſa, ergo. ¶Tertiò.

Tertia ratio.

Effectus æquiuocus nõ poteſt inducere co-
gnitionẽ diſtinctã ſuæ cauſæ, ſed Angelus
eſt effectus æquiuocus Dei, ergo per ipſum
nõ poteſt cognoſci diſtinctè Deus. ¶Quar-

Quarta ratio.

tò, quia etiã omnia argumenta, quæ ipſi fa-
ciunt cõtra ſententiã Doctoris, militãt con

Nota hoc.

tra ſuã ſententiã. Primò, quia vel iſta noti-
tia eſt intuitiua, vel abſtractiua ſi intuitiua,
ergo eſt viſio beata, quod eſt falſum, ſi ab-
ſtractiua, ergo præſupponit intuitiuam: ſed
nulla eſt dabilis intuitiua, ergo neque per
eſſentiã poteſt cognoſcere Angelus diſtin-
ctè Deũ. Quod ſi reſpõdeas, quod præſup-

Solutio.

ponit notitiã intuitiuã Angeli, Cõtra, ergo

Impugnatio.

eſſentia nõ habet rationẽ principij forma-
lis, ſed obiecti cogniti. Patet ſequela, quia
ex eo cognoſcitur Deus abſtractiuè, qa co-
gnoſcitur Angelus intuitiuè. ¶Vltimo. Eſ-

Quinta ratio.

ſentia Angeli nõ eſt proportionata eſſentię
diuinæ, neq; cũ illa cõuenit in aliquo prædi
cato reali cõi, neq; eſt producta ad repręſen
tandũ Deũ diſtinctè, ergo neq; p illã poteſt
Deus diſtinctè cognoſci. Antecedẽs patet
quo ad omnẽ ſuã partẽ, quia eſſentia Ange-
li nõ eſt magis producta ad repræſentandũ
Deum, quã reliquæ eſſentiæ cteatæ, & plus
minuſve diſtat ab eſſentia diuina, cũ omnes
diſtent in infinitũ ab ipſa eſſentia, ergo ſi re
liquæ eſſentiæ non repræſentant diſtinctè
Deũ, neque eſſentia Angeli diſtinctè illã re
pręſentabit. Secũda pars patet, quia Deo &
creaturæ nihil reale eſt cõmune, cũ tantum
cõceptus quidã formalis deſumptus ab eo-
dẽ modo ſe habendi de vtroq; verificetur,
ergo. ¶Quarta concluſio. Angeli in via ha-

Quarta concluſio.

buerũt cognitionẽ diſtinctã abſtractiuã ip-
ſius Dei. Hãc concluſionẽ docet Doctor in
hac quæſtione, & cõiter ſupponitur ab om
nibus quærẽtibus quomodo habuerũt talẽ
cognitionẽ Angeli. Vnde in cõcluſione nõ
eſt cõtrouerſia, ſed in modo explicãdi, quo
modo, vel pet quid, tãquã p rationẽ cogno-
ſcendi, habeatur talis notitia. Probatur ta-

Prima ratio.

mẽ ratione Doctoris. Angeli perfectius co
gnouerũt Deũ, quã primus parens in ſtatu
innocẽtiæ, & quã philoſophi, de quibus D.
Paul. ad Roma. 1. dicit, quod cognouerunt
Deũ diſtinctè ſub aliqua ſpeciali ratione:
inuiſibilia enim Dei à creatura mũdi per ea
quæ facta ſunt, intellecta conſpiciũtur, ſem
piterna eius virtus & diuinitas. (Ex quibus
verbis videtur dicendum, ꝙ cognitio Dei
per cteaturas fit cõcurrẽtibus ipſis p modũ
obiecti cogniti, & non per modũ principij
formalis. Nã D. Paulus dicit, ꝙ virtus Dei,
& diuinitas cõſpiciuntur intellectis creatu
ris.) Similiter primus parens in ſtatu inno-
cẽtiæ cognoſcebat ſuũ finẽ naturalem, ergo
multo melius Angeli, & per cõſequẽs Deũ
cognouerũt diſtinctè: ſed nõ notitia intuiti
ua, vt docuit Doctor in litera, neque abſtra
ctiua cõfuſa, ergo abſtractiua diſtincta.

¶Secũdò, quia D. Aug. 4. ſuper Gen. c. 3. in

Secunda ratio.

quit, Angelos in ſtatu innocentiæ habuiſſe
in via cognitionẽ matutinã creaturarũ, &
veſpertinã, & vocat cognitionẽ matutinã,
cognitionẽ creaturarũ in verbo abſtractiuè
cognito, quia tunc nõ erãt Beati. Cognitio
nẽ autẽ veſpertinã appellat cognitionem
creatutarũ in proprio genere. ¶Quinta cõ-

Quinta concluſio.

cluſio. Angeli habuerunt talem cognitionẽ
per ſpeciẽ infuſã à Deo creatã ad repræſen
tandũ Deum diſtinctè ſub propria ratione
Dei. Hæc concluſ. eſt Doctoris in litera. Et
probatur, quia Angeli habuerũt talẽ cogni

Prima ratio.

tionẽ diſtinctã, ſed illã nõ potuerũt habere
per propriã eſſentiã Angelorũ, vt probatũ
eſt, neq; quia Deus vniebatur intellectibus
illorum in ratione obiecti immediatè, ergo
pet ſpeciem repræſentantẽ ipſum Deũ. Pa
tet ſequela, quia omnis modus cognoſcendi
fit vno ex his modis. ¶Secũdò, non eſt incõ
ueniens dari talem ſpeciem, & eſt maximũ
incõueniens, quod Angeli per ſuã eſſentiã
cognoſcant Deũ, ergo ponenda eſt talis ſpe
cies. Antecedens patet reſpõſione argumẽ-
torũ. ¶Secunda pars cõcluſionis patet, quia
talis ſpecies non potuit eſſe acquiſita, ergo
fuit infuſa. Vtrum autẽ per talem ſpeciem
Angeli cognoſcebant, non ſolũ Deum, ſed
etiã omnia inferiora, & qnomodo per vnã
ſpeciẽ poſsint plura diſtincta, & diuerſa te-
præſentari, dicemus infra Diſputatione ſe-
quente, quando agemus de ſpeciebns Ange
lorũ aſsignando differentiã inter ſpeciẽ per
ſe infuſam, & ſpecies per accidẽs infuſas.

¶Reſpon-

Reſpondetur argumentis.

¶Reſpõdetur argumẽtis. Ad primũ negãdo ſequelã, quia vt dictũ eſt in explicatione literæ, talis cognitio eſt abſtractiua, & nullatenus intuitiua.

Ad primum.

¶Ad ſecundũ reſpõdetur, ꝙ talis ſpecies eſt adęquata & inadęquata, adæquata in ordine actũ, quẽ intellectus põt habere de Deo, inadæquata autẽ in ordine ad ipſam eſſentiam diuinã, ſiue in ordine ad obiectũ.

Ad ſecundum.

Ad tertiũ argum.

¶Ad tertiũ reſpõdetur negãdo antecedens, & ad probationẽ dicitur, quòd talis ſpecies nõ prouenit ab obiecto, ſed à volũtate diuina producẽte illã, ſicut etiã reſpectu aliarũ ſpecierũ intelligibilium, quæ fuerunt infuſæ ipſis Angelis, quæ ſpecies non fuerunt productæ ab obiectis, ſed ab ipſo Deo immediatè, qui poteſt ſe ſolo producere ſpeciem obiecti.

Ad quartum.

¶Ad quartum reſpondetur, vt reſpondi in. 1. vbi ſup. in ſolut. ad primum, (ſcilicet) negando, quod omnis notitia abſtractiua præſupponit intuitiuam, ex qua deducatur. Nã quando Angelus intelligit alia à ſe, talis cognitio nõ deducitur cauſaliter à notitia intuitiua, qua ſe ipſum cognoſcit. Vnde, licet in nobis notitia abſtractiua præſupponat intuitiuã, hoc prouenit quia intelligimus per ſpecies abſtractas à phantaſmatibus, quod nõ contingeret, ſi intelligeremus per ſpecies infuſas à Deo. Quare quia intellectus noſter ſecundũ cõmunẽ curſum, & etiam vires interiores ſenſitiuas, nõ acquirit ſpeciẽ ſenſibilẽ, aut intelligibilẽ, niſi miniſterio viriũ ſenſitiuarũ exteriorũ: ideo intellectus & ſenſus exteriores nõ poſſunt exire in actũ, niſi proſuppoſita ſenſatione exteriori. Oppoſitũ autẽ huius fuit in Adã, & poſſet fieri in nobis virtute diuina: vnde per accidens eſt, quod intellectio abſtractiua præſupponat ſenſationem, ſiue cognitionem intuitiuã. Præciſa ergo ratio differentiæ inter cognitionẽ abſtractiuã & intuitiuã hæc eſt, qa in notitia intuitiua habet immediatũ ordinẽ ad obiectũ in ratione termini, quia immediatè terminatur ad obiectũ, & ad indiuiduales cõditiones obiecti neceſſarias, vel cõtingẽtes. At vero notitia abſtractiua ex natura ſua terminatur ad nudã quidditatẽ obiecti, ſiue ad quidditatẽ ſub conditionibus præſentibus, aut præteritis, aut confictis per ipſum cognoſcentem.

Ad argumenta pro 2. parte.

Ad primũ & ſecũdũ.

¶Ad argumenta pro ſecũda parte reſpõdetur. Ad primũ negãdo antecedens. Ad ſecũdũ quod quãuis eſſentia Angeli aliquo modo ſit imago Dei, nõ tamẽ eſt imago repræſentãs Deũ ipſum adæquatè, neq; in ordine ad ipſum Deũ, neq; in ordine ad actũ, quem intellect⁹ poteſt habere de Deo: ſed eſt imago repræſentatiua Dei, ſicut quilibet effectus ipſius, tanto perſectius Deũ repræſentans, quãto perſectiorẽ rationẽ effectus habet: quia tamẽ effectus æquiuocus eſt, neq; in eo aliqua ratio realis communis Deo, & creaturæ reperitur: ideo, quãuis aliqualiter Deũ repræſentet, ſiue vt ratio cognoſcẽdi, ſiue vt ratio cognita, nõ tamen repræſentat Deũ, quantũ intellectus poteſt de Deo concipere, & ob hoc neceſſaria eſt ſpecies, immediatè à Deo producta per modum cauſæ efficiẽtis, & non per modũ obiecti, quæ repræſentet diſtinctè Deũ, quãtũ intellectus poteſt de Deo cognoſcere.

Ad cõfir.

¶Ad cõfirmationẽ reſpõdetur cõcedendo ſequelã, quãtum ad illud, quod poteſt repræſentare, ſed illud nõ ſufficit ad cognitionem diſtinctam Dei.

¶Ad tertiũ reſpõdetur negãdo paritatẽ rationis, quia eſſentia diuina repræſentat creaturas, quãtũ ipſæ creaturæ ſunt repræſentabiles. At vero eſſentia Angeli, neque repræſentat Deũ, quantum Deus repræſentabilis eſt, neq; quantũ intellectus creatus ex ſuis naturalibus poteſt de Deo cognoſcere.

Ad vltimum.

¶Ad vltimũ reſpõdetur cõcedendo totum, ſed illud nõ probat, quod Angelus per ſuam eſſentiã cognoſcat Deũ diſtinctè, ſed tantũ, quod cognoſcit Deũ eo modo, quo per eſſentiã Angeli poteſt repræſentari. Quia tamẽ talis repræſentatio, qua Angeli eſſentia Deũ repræſentat, nõ ſufficit ad cognitionẽ diſtinctã ipſius Dei: ideo neceſſaria eſt ſpecies producta à Deo, quæ repræſentet intellectui Angelico Deũ, quantũ ipſe Deus eſt cognoſcibilis ab intellectu creato. Quia tamen ſententia D. Tho. ſuã probabilitatẽ habet, ideo in ſauorem Thomiſtarũ quærẽdũ eſt de cognitione ipſius Angeli per propriã eſſentiã, ſi talis cognitio eſt perfectior quacunq; alia, quã Angelus poſsit habere.

QVÆSTIO. VI.

¶*Vtrũ Angelus inferior perfectiori modo cognoſcat Deum per ſpeciẽ Angeli ſuperioris, quã per propriã eſſentiam.*

Prima ſententia.

Primum argum.

DE hac re eſt prima ſententia quorundã aſſerentium, Angelum perſectiori modo cognoſcere Deum per ſuã eſſentiã, quam per ſpeciem Angeli ſuperioris. Probant autem ſuam ſententiam, quia

quia ſubſtãtia Angeli ſuperioris nõ eſt tam proportionata intellectui inferioris in ratione obiecti, ſicut propria eſſentia, ergo ſpecies repræſentans eſſentiam Angeli ſuperioris, nõ ita clarè & perfectè repræſentabit Angelo inferiori Deum, ſicut repræſentat illi propria eius eſſentia. Patet ſequela à ſimili, quia licet lumen corporeũ, quo maius eſt, eo clarius manifeſtat colores, tamẽ ſi propter ſuam excellentiam ſit improportionatum viſui, potius erit impedimẽtum, ne videantur colores, ſed eſſentia Angeli ſuperioris eſt improportionata intellectui Angeli inferioris, quare illam (vt diximus) non poteſt comprehenſiuè cognoſcere. At vero eſſentia propria eſt illi proportionata, quare quilibet Angelus ſuam propriam ſubſtantiam cõprehenſiuè cognoſcit, ergo Angelus inferior per propriã eſſentiã perfectiori modo cognoſcet Deũ, quam per ſpeciem repræſentantem eſſentiã Angeli ſuperioris.

Secundum argum. ¶ Secundò. Si Angelus inferior nõ cognoſcit perfectiori modo Deum per propriã eſſentiam, quam per ſpeciẽ Angeli ſuperioris, ergo neque Angelus ſuperior perfectiori modo cognoſcit Deũ per propriã eſſentiam, quã per ſpeciẽ Angeli inferioris. Probatur ſequela. Prædicata Dei, quæ non cõmunicantur creaturis, nõ poſſunt repræſentari clarius per vnam creaturam, quã per aliam, ergo quantum ad hoc nulla eſt differentia inter ſubſtantiam ſuperiorem & inferiorem. Probatur antecedens. Quia illa prędicata ſolum repræſentantur per creaturas, quatenus ſunt cõditiones neceſſariæ ad modum cauſalitatis Deo conuenientes, ſed eodem modo ſunt neceſſariæ reſpectu Angeli ſuperioris, & inferioris, quoniã non magis requiritur, quã quod nõ habeat eſſe ab alio, & habeat eſſe per ſuam eſſentiam, vt ſit prima cauſa vnius, quam alterius, & quod requiritur in Deo ad creationem vnius, idem ſufficit ad creationem alterius, cum indifferenter ad creationem eadem virtus requiratur in creante, ergo eodem modo, & æquè clarè repræſentatur diuina eſſentia per eſſentiam vnius Angeli, ſicut per aliã, & per conſequens non magis cognoſcet Angelus ſuperior de Deo, quam inferior.

Tertium argum. ¶ Tertiò. Subſtantia Angeli ad hoc eſt directè facta, vt ſit ad imaginẽ Dei, & ſic eſt immediatè repræſentatiua, ſed ſpecies Angeli ſuperioris non eſt directè facta ad repræſentandum Deum, neque eſt immediatè repræſentatiua illius, ſed tantum mediatè, nempè, quia eſt repræſentatiua eſſentiæ, quæ eſt repræſentatiua Dei, ergo perfectius cognoſcet Angelus inferior Deum per ſuam eſſentiã, quam per ſpeciem Angeli ſuperioris.

Secunda ſententia. ¶ Secunda ſententia fuit Magiſtri Victorię (vt referunt nonnulli) quam etiam tribuunt D. Bonauenturæ in 2. diſt. 3. quæſt. vltima. (quanuis illam ego non reperi) aſſerentium Angelum abſolutè cognoſcere perfectius Deum, cognoſcendo ſuperiorem Angelũ, quam ſeipſum.

Primum argum. Probant autem iſtam ſententiam primò, quia res & cauſa perfectius cognoſcitur per perfectiorẽ ſpeciem, & effectum, ſed ſuperior Angelus eſt perfectior effectus Dei, ergo Angelus inferior perfectiori modo cognoſcit Deum per illũ, quã per ſeipſum, qui eſt effectus imperfectior. Maior patet, nam in effectu perfectiori magis relucet perfectio cauſæ. Vnde aduerte, quòd D. Bonauentura vbi ſupra, quæſt. 2. num. 63. tantum dicit, quando illi arguitur. Ad illud quod obijcitur, quod aut per eſſentiam aut per ſpeciem. Dicendum, quod adhuc eſt tertius modus cognoſcendi, ſcilicet, per effectum, cognoſcitur autem Deus per effectus viſibiles, & per ſubſtantias ſpirituales, & per influentiam luminis connaturalis potentiæ cognoſcenti, quod eſt ſimilitudo quædam Dei, non abſtracta, ſed infuſa, inferior Deo, quia in inferiori natura. Hactenus D. Bonauentura, ex qua litera an colligatur præcedens ſententia videant, qui magis de hac re intelligunt.

Tertia ſententia. *Notab. 1.* ¶ Tertia ſentẽtia eſt aliorum, pro cuius explicatione aduertunt, tribus modis poſſe dici vnam cognitionẽ perfectiorem alia. Primo modo ex parte operantis, vt ſi cõcurrat ad eam perfectiori modo. Secundò modo ex parte proprietatum, quæ per ſe conueniunt ipſi cognitioni, quales ſunt veritas, euidentia, & certitudo. Tertio modo ex parte obiecti, & proprietatũ, quæ de ipſo cognoſcunt.

¶ His igitur præſuppoſitis aſſerunt primò, quòd ex parte operantis perfectior eſt cognitio, qua Angelus cognoſcit Deum per propriam ſubſtantiam, quam illa, qua per alias quaſcunque creaturas, cognoſcit Deũ, ſiue illæ creaturæ ſint perfectiores, ſiue imperfectiores ipſo Angelo. Probant autem iſtud aſſertum primò, quia prior cognitio eſt Angelo magis connaturalis, ergo & perfectior ex parte opinantis. Patet cõſequentia, Quia natura cuiuſcunque rei magis inclina-

clinatur ad operationes magis cōnaturales, & ex cōſequēti perfectius cōcurrit ad eas, quantum eſt ex parte ſua. Antecedens vero probatur. Quia propria ſubſtantia, quæ eſt principiū formale prioris intellectionis, magis cōnaturalis eſt cuicunq; Angelo, quam quæcunque ſpecies ipſi ſuperaddita, quę eſt principiū poſterioris intellectionis. ¶ Confirmatur. Inſeparabilius concurrit Angelus quantū eſt ex natura ſua ad priorē cognitionem, quā ad poſteriorem, ergo ſignū eſt, q̄ primū eſt magis cōnaturalis ipſi. Probatur antecedens, quia ſicut Angelus non poteſt ceſſare, aut (vt alij volunt) nunquā ceſſabit de facto à cognitione propriæ eſſentiæ, ita neque à cognitione Dei, quā habet per eā. At vero, ſicut poteſt ceſſare à cognitione aliarū rerum, & forſan ceſſat aliquando de facto à cognitione cuiuſcunque earū in particulari ſumptæ, ita etiam poterit ceſſare à cognitione Dei, quam accepit ex ipſis.

¶ Præterea. Simpliciori modo cōcurrit Angelus ad priorem cognitionem, quā ad poſteriorem, ergo & perfectius. Probatur antecedens, quia ad priorem cognitionē nihil recipit ab extrinſeco, ad poſteriorem vero recipit ſpecies aliarum creaturarum, hoc autem, ſicut eſt ſignum maioris potētialitatis in Angelo, ita etiam eſt cauſa maioris cōpoſitionis cū ipſo. ¶ Cōfirmatur ſecundò, quia Deus omnia intelligit per ſuam eſſentiam, tanquā per rationem intelligendi, ideo ſimpliciori & perfectiori modo intelligit ea, quam creaturæ, quæ indigent ſpeciebus ſuperadditis, & propter potentialitatem, & imperfectionē Angeli nō cōcedimus, quod poſsit intelligere alia à ſe per ſuam eſſentiā, & ſine ſpeciebus, ergo ſignum eſt, quod cōcurrere ad intellectionem ſine aliqua ſpecie ſuperaddita eſt ſimplicior & perfectior modus concurrendi ad eam, quam concurrere media ſpecie.

Secundum dictum. ¶ Secundò. Aſſertum iſtorum eſt, quod ex parte proprietatū, quæ per ſe conueniunt cognitioni, videtur probabile, Angelum clarius, & euidentius cognoſcere Deū ex propria ſubſtantia cognita, quā ex quacunque alia creatura imperfectiori, & minus clarè, quam ex perfectiori. Probatur autē iſtud aſſertū, quia, quo perfectior eſt aliqua creatura, eo clarius, & perfectius repræſentat Deū, ergo tāto à cognoſcente eā cognoſcitur clarior & expreſsior imago Dei, ergo etiam Deus ipſe cognoſcitur clarius & euidentius. Patet conſequentia, quia ex creaturis cognoſcitur Deus, quatenus in eis relucet ipſius perfectio, ergo ex ea creatura poterit clarius cognoſci, in qua clarius manifeſtatur perfectio ipſius. ¶ Neque contra hoc facit, quod euidētia cognitionis eſt effectus luminis intellectus, ſed hoc lumen in Angelo eſt vnū in ordine ad cognitionē naturalē, & concurrit eodē modo, ſcilicet, quātū poteſt, ſi Angelus velit, ergo etiā cognitio habebit æqualē euidētiā, ſiue mediū, ex quo deſumitur ſubſtātia Angeli ſuperioris, ſiue eius, qui eſt principiū cognitionis. Reſpōdetur enim negando minorē, quoniā lumen intellectus nō dicitur cauſa euidētię, quæ eſt in cognitione, niſi quatenus manifeſtat obiectū ipſius, & ideo debet accōmodari modo, quo ipſi proponitur obiectum: poteſt enim cōtingere, quod obiectū ita proponatur, quod non ſit capax totius manifeſtationis, quia lumē intellectus, quantū eſt ex ſe poteſt deficere, vt cū proponitur in imagine, aut effectu imperfectè repræſentāte, nō poteſt perfectè & omnino manifeſtari, ſed quātū relucet in tali obiecto, aut imagine. Sicut etiā lumē corporeū non ſemper manifeſtat qualiter quācunq; rē in imagine repræſentatā, ſed magis aut minus perfectè, iuxta maiorē aut minorē perfectionē repræſentātis, & ita cōtingit hic, quoniā Deus nō obijcitur lumini intellectus Angeli immediatè, ſed in alio, id eſt in diuerſis effectibus, quorū alter imperfectius, alter vero perfectius repræſentat ipſum. ¶ Vltimū aſſertū iſtorū eſt, quod ex parte obiecti ambæ cognitiones ſunt æquè perfectæ, quantū ad dignitatē obiecti, & numerū prædicatorum, quæ de ipſo cognoſcūtur. Nihilominus perfectius cognoſcitur Deus ab Angelo per eſſentiā Angeli ſuperioris, quā per propriā, & minus perfectè per eſſentiam inferioris, ita vt exceſſus in cognitione teneat ſe ex parte obiecti, etiā in genere rei. *Vltimum dictum.* Probant autē ſecundā partē huius aſſerti (quoniā prima eſt nota) quia omnia prædicata, naturaliter cognita de Deo, repræſentātur per eſſentiā cuiuſcūq; Angeli, tanquā per effectū, quod probant diſcurrēdo inductiuè per ſingula, in nullo enim eſt peculiaris difficultas. Tertia etiam pars patet; quia, quo perfectior eſt aliqua creatura, eo perfectius cognoſcuntur per eam prædicata Dei, quantum ad quod quid eſt, etiam illa, quæ non communicantur creaturis. ¶ Confirmatur. Quia per nullam creaturam repræſentan-

ſentantur prædicata Dei perfectè, & ad-
æquatè, & tamen per eā, quę perfectior eſt,
repræſentantur perfectius, ergo etiam per
eā penetrantur perfectius. ¶Quod ſi dicas,
apparere repugnantiam inter vltimas con-
cluſiones huius aſſerti, ſi enim vtroque mo
do cognoſcuntur eadem prædicata Dei, re-
pugnare videtur altera iſtarum, perfectius
Deū cognoſcit, quam altera. Reſpōdetur ta
men, bene ſtare iſta duo prædicta, quia non
cognoſcuntur vtraque cognitione totali-
ter, imo neutra: ſicut quilibet beatus videt
omnia, quæ ſunt in Deo formaliter, poteſt
tamē vnus videre ea perfectius altero, quia
nullus videt ea adæquatè, & cōprehenſiuè.

Ad argumenta reſpondetur. Ad primum.

¶His poſitis reſpondetur ad argumenta in
principio. Ad primum negando conſequen
tiam, quoniam, licèt ſubſtantia Angeli ſupe
rioris nō ſit tam proportionata intellectui
inferioris, vt comprehendatur ab eo, ſicut
comprehenditur propria, & quantū ad hoc
ſit ei magis proportionata propria ſubſtan
tia, eſt nihilominus ſimpliciter proportio-
nata in ratione obiecti, ita vt poſsit ab eo
quidditatiuè cognoſci, & ſecundum gradū,
quo cognoſcitur ab eo, manifeſtat clarius
naturam diuinam, cognoſcit enim Angelus
inferior in Angelo ſuperiori perfectiorem
modum intelligendi, quam in ſeipſo. Hic
autem modus, vt ita cognitus, clarius oſten
dit excellentiam ſui primi principij in gra-
du intellectuali, quam alter modus minus
perfectus, licèt cognoſcatur comprehenſi-
uè. Ex hoc patet ſolutio ad probationem
illius conſequentiæ. Nam lumen illud exce
dens, non ſolum eſt minus proportionatū
viſui, quam alterum lumen minus intēſum,
ſed etiam eſt improportionatum, ita vt læ-
dat ſenſum ſicut dixit Ariſt. & ita impediat
ſenſationem.

Ad ſecundum argumentum.

¶Ad ſecundum reſpondetur, quòd illo ar-
gumento vt plurimū poteſt colligi, illa prę
dicata tam euidenter repræſentari per ſub-
ſtantiam Angeli inferioris, ſicut per ſubſtā-
tiam ſuperioris, quātum Ad, an eſt, hoc eſt,
quantum ad hoc, quod eſt abſolutè conueni
re Deo, quia in productione Angeli inferio
ris poteſt habere tantam connexionē hoc,
quod eſt illa prædicata Deo cōuenire, ſicut
cum productione ſuperioris. Cū hoc tamē
ſtat, vt quantum ad quidditatem clarius ma
nifeſtentur illa eadem prædicata per ſubſtā
tiam Angeli ſuperioris. Nam, licèt non ſint
in creaturis ſecundùm eam rationem, qua
ſunt in Deo, etiam ſi ſumantur in communi
& analogicè, eſt tamen aliquid, quo aliquo
modo adumbratur eorum quidditas, & eo
perfectius, quo creaturæ ſunt perfectiores,
vt licèt in creaturis non ſit infinita virtus,
neque omnimodo immutabilitas, aut prima
cauſalitas, eſt tamen virtus operatiua modi
ficata ad certum gradum perfectionis, & ali
quis modus immutabilitatis, & ratio cauſę,
& ex his poteſt Angelus ſurgere ad cogno-
ſcendum aliquo modo quidditatem diuino
rum, & tanto perfectius, quanto fuerint per
fectiora, quia tanto ſunt ſimiliora diuinis,
nō quidem propter maiorem participatio-
nem, eorū cū nō participent ea, ſecūdū præ
dictas rationes: ſed ꝑpter maiorē receſſum
ab oppoſito, vt virtus creata tanto eſt ſimi-
lior infinitæ, quāto magis recedit à nō vir
tute ad agendum, & immutabilitas creata,
eo eſt ſimilior diuinæ, quæ eſt omnimoda,
quāto magis recedit à mutabilitate, & ſimi-
liter cauſalitas ſecunda, tanto eſt ſimilior
primæ, quanto eſt minus dependens ab
alijs cauſis.

Ad tertiū argum.

¶Ad tertium reſpondetur, quòd quanuis
ſpecies repræſentatiua ſubſtantiæ Angeli
ſuperioris, nō ſit primo producta ad repræ
ſentandum Deum, & ex hoc magis propriè
quantum ad modum eſſentia repræſentet
Deum, quam ſpecies. Nihilominus tamen
ſpecies intelligibilis Angeli eſt tam propor
tionatum principium ad cognoſcendā rem
repræſentatam per illam, ſicut eſt eſſentia
illius ad cognoſcendum ſeipſum, quia vtra-
que eſt forma intelligibilis connaturalis, &
propria ipſi Angelo, & vtraque eſt facta cū
commenſuratione, & proportione ad intel
lectum Angeli, præcipuè in opinione illa
dicentium ſpecies Angelorū eſſe proprias
paſsiones, vnde, quanuis entitatiuè eſſentia
ſit perfectior ſpecie, tamen quantum ad cō-
curſum & actum intelligendi, tam propor-
tionata eſt vna, ſicut altera, ſicut ſi Angelus
haberet ſpeciem ſui, non minus proportio-
natè & perfectè ſe cognoſceret, quam mo-
do. Item ſi loquamur de repræſentatione re
ſpectu intellectualis cognitionis per modū
principij effectiui cōſtat, quod eſſentia An
geli non immediatè repræſentat Deum in-
tellectui Angelico, ſed ſeipſam: nam ſe pri-
mo facit cognoſcere, & Deum, non niſi me-
dia cognitione ſui, & quantum ad hoc nihil
videtur differre ab ſpecie Angeli ſuperio-
ris. Vnde nulla eſt differentia, quæ ad pro-
poſi-

poſitum referat, vt patet in ſimili, ſi Angelus cognoſceret per ſpeciem ſui, non enim minus perfectè per illam cognoſceret Deū quam nūc per ſuam eſſentiam, & nunc etiā de facto Angelus ſuperior tam perfectè cognoſcit Deum per ſpeciem Angeli inferioris, ſicut ipſe inferior per ſuam eſſentiam. Vnde, quod eſſentia Angeli facta ſit imago repræſentatiua Dei immediata, nihil facit ad propoſitum, quoniam ratio imaginis tantū eſt per quandam analogam conuenientiam in natura, quæ tantum conducit ad cognitionem, vt obiectum cognitum, & hoc modo ſuperior Angelus habet cum Deo maiorem conuenientiam, & immediatam repræſentationem, & ob hoc eius cognitio cōducit ad perfectiorem cognitionem Dei. Neque refert quod illa cognitio fiat per ſpeciē vel per eſſentiam: eo præſertim, quod ſpecies data ad repræſentandam imaginem, vt ſic, poteſt etiam cenſeri data ad repræſentādam rem imaginatam, iuxta proloquium illud, quod eſt imago imaginis, eſt imago rei imaginatæ. Nam idem eſt motus in imaginem, & in rem cuius eſt imago. ¶Ex hac ſolutione videtur neceſſario dicendum, non eſſe impoſsibile Deo producere ſpeciem intelligibilem repræſentatiuam Dei in ordine ad actū, quem intellectus poteſt de Deo habere, nā ſi Deus poteſt repręſentari per ſpeciem repræſentantem eſſentiam Angeli, cur non poteſt repræſentari per ſpeciem repræſentantem ipſum Deum immediatè per ſe ipſum? Nam tota ratio impoſsibilitatis communiter aſsignatur, quia Deus non eſt repræſentabilis per ſpeciem, ſed ipſi fatentur eſſe repræſentabilem per ſpeciem repræſentantem eſſentiam Angeli immediatè, ergo & per ſpeciem repræſentantem ipſum immediatè & hoc notabis pro quæſtione præcedente.

Nota hoc.

QVÆSTIO VII.

¶ *Utrùm cognitio, qua Angelus cognouit Deum cognitione naturali fuerit quidditatiua?*

Prima ſententia, Ad primū

De hac re eſt prima ſententia Caietan. 1. part. quæſt. 53. artic. 3. aſſerentis cognitionē, qua Angelus cognouit per ſuam eſſentiam Deum naturaliter, non eſſe quidditatiuam. Probat autem ſuam ſententiā, quia quantum contingit eſſe repræſentatiuum, tantam contingit eſſe cognitionem, & propterea ad deſtructionem conſequentis arguendo, ſi non contingit eſſe tantam cognitionem, neque poſsibile erit eſſe tantum repræſentatiuum, ſed impoſsibile eſt dari naturaliter tantam cognitionem Dei in creatura, ſcilicet, quod ſit eius cognitio diſtincta, ergo impoſsibile eſt dari repræſentatiuum Dei diſtinctè. Quod autem talis cognitio ſit impoſsibilis, probatur ex eo, quod cognoſcere diſtinctè eſt cognoſcere vltimam differentiam, vel id quod ſe habet vt vltima differētia: cognoſcēs autem rem vſque ad vltimam differentiam incluſiuè, non ſolum ſecundum, quod terminat quæſtionē an eſt, ſeu quia eſt, ſed ſecundum quod terminat quæſtionem quid eſt, cognoſcit ſufficienter ex natura rei à priori omnia conuenientia illorum. Quoniam ſermo diffinitiuus ſoluit omnes difficultates, & principiū omnis demonſtrationis eſt quod quid eſt, quod nulli creaturæ naturaliter conuenire poteſt reſpectu Dei de tali obiecto, quod eſt Deus. Ex parte vero obiecti aduertendum eſt, quod ſi de diuinis balbutiendo loqui licet, irrepręſentabilitas eius relucet ex eo, quod infinitum entitatiuè, vt ſic non eſt diſtinctè repræſentabile. Vnde quamuis ſapientia diuina poſsit repræſentari per aliquod creatum diſtinctè, non tamen diſtinctè repræſentatur in quantum infinita, niſi quo ad quæſtionē an eſt, ſed conſtitutiuum proprium Dei, putà deitas, vt ſic eſt ens infinitū, ergo eſt irrepræſentabile diſtinctè. Patet minor, quia non eſt imaginandum, quod infinitas ſe habet ad deitatem, quemadmodum ſe habet ad rationes attributales. Non enim quemadmodum ſapientia, & bonitas ſunt quædam ratiōes formales, ſeu realitates ſecundum ſe, & infinitatem vel finitatem ſortiuntur, vt modum quātitatis perfectionalis, ita deitas ſortitur infinitatem, ſed infinitas eſt ipſum quod quid erat eſſe deitatis, alioquin non eſſet Deus eſſentialiter ens infinitum. Propè finem autem commētarij ſic ait Caiet. Ad obiectiones autem tertio loco adductas ex Scoto dicitur, ꝙ neque homo, neque Angelus in quocunq; ſtatu naturæ potuit habere cognitionē diſtinctam, id eſt quidditatiuam ipſius Dei, quamuis intra latitudinem cognitionis nō quidditatiuæ perfectius homo cognouerit in ſtatu innocentiæ quam nunc, & perfectius An-

geli quam homo: & inter eos vnus perfectius altero. Sed arguens decipitur in hoc, quia ſupponit, quod cognitio Dei non in communi, ſed in ſpeciali, ſit cognitio quidditatiua, quam negamus ab Angelis, cum tamen conſtat, quod ſtat cognoſcere aliquid in ſpeciali, & non quidditatiuè.

Secunda ſententia. ¶ Secunda ſententia eſt Doctoris. Pro cuius explicatione eſt primo notandum, cum

1. Notab. Liqueto ſuper iſtam quæſtionem Doctoris & nos diximus quæſtione præcedẽte, quod aliter ſe habet ſpecies intelligibilis immediatè producta ab obiecto in ordine ad ipſum obiectum, quam ſe habet ſpecies intelligibilis immediatè producta à volũtate diuina in ordine ad ipſum obiectum, cuius eſt ſpecies intelligibilis. Et ratio differentiæ eſt, quia cum obiectum in productione ſpeciei intelligibilis ſit cauſa naturalis producit ſpeciem intelligibilem adæquatè repræſentantem ipſum obiectum, quantum obiectum eſt repræſentabile, quia cauſa naturalis ſemper agit ſecundum vltimum ſuæ potentiæ: vnde ſi non impediatur ſemper producit effectum perfectiſſimum, quem poteſt producere. At vero ſi talis ſpecies producatur à voluntate diuina, non requirit, quod repræſentet obiectum quantum ipſum obiectum eſt repræſentabile; ſicut etiam contingeret, ſi obiectum voluntariè produceret ſpeciem: tunc enim nõ produceret ſpeciem adæquatè repræſentantem ipſum, ſed quantum ipſum obiectum voluerit repræſentari. Sicut v.g. ex eo quod eſſentia diuina eſt obiectum voluntarium (etiam in via D. Tho.) non repræſentat cuicunque intellectui beatorum tantum, quantum ipſa eſſentia eſt repræſentabilis, ſed tantum, quantum ipſa vult repræſentare. Ex quo prouenit, quod ſpecies intelligibilis producta ab obiecto naturaliter operante, non tantum repræſentat obiectũ quantum ad ſuã quidditatem, ſed etiam quantum ad omnia, quæ ipſi quidditati conueniunt ex natura quidditatis. At verò quando obiectum eſt volũtarium poteſt producere ſpeciem repræſentantem quidditatem nudam, non repræſentatis proprietatibus illius, & illam eandem quidditatem poteſt repræſentare per aliam & aliam ſpeciem repræſentãtes aliter, & aliter, ſcilicet magis & minus diſtinctè eandẽ quidditatem, quia ſi Deus (vt in ſe præſens) poteſt cauſare viſionem ſui intenſam, & remiſſam, multo fortius poterit cauſare ſpeciem intelligibilem, quę ſit præciſa ratio cognoſcẽdi ipſum quidditatiuè, licet remiſſè.

¶ Secundo eſt notandũ, quod cognitio quiddi- *2. Notab.*
tatiua, & cognitio comprehenſiua maximè diſtinguũtur inter ſe. Nam cognitio cõprehenſiua eſt cognitio alicuius cognoſcibilis, quantum ipſum cognoſcibile eſt, & de hac non eſt quæſtio. Cognitio autem quidditatiua eſt, quæ terminatur immediatè ad quidditatem alicuius, vt diſtinctam à proprietatibus ipſius. Sicut verbi gratia, ſi quis cognoſceret hominẽ eſſe riſibilem, non cognoſcendo eſſe rationalẽ, vel non cõſiderando, vel nõ concipiẽdo eſſe rationalem, talis cognitio nõ eſſet quidditatiua, quãuis eſſet cõprehenſiua riſibilitatis, quia per illã non cognoſcitur quidditas hominis. Si autẽ quis cognoſceret hominẽ eſſe rationalẽ, non tamen cognoſceret eſſe riſibilem, neq; aliquã eius proprietatẽ, talis cognitio eſſet quidditatiua, quia terminatur immediatè ad quidditatẽ hominis. Secũdò, ſi aliquis cognoſceret hominẽ eſſe animal cũ illo gradu animalitatis, quo reperitur animal in homine, id eſt cum illa perfectione quã animal habet in homine, illa cognitio eſſet quidditatiua quãuis nõ ita diſtincta, ſicut illa qua aliquis cognoſceret hominẽ eſſe animal rationale; quia illa cognitio terminatur immediatè ad prædicatũ quidditatiuũ hominis. ¶ Similiter qui cognoſceret rationalitatẽ in homine, haberet quidditatiuã cognitionẽ illius, nõ tamen ita diſtinctã, ſicut qui cognoſceret animal rationale: eſſet tamen cognitio quidditatiua, quia eſſet cognitio immediatè terminata ad prædicatũ conſtitutiuum quidditatis hominis. Vnde cognitio quidditatiua ſuã patitur latitudinẽ. Nam prædicatur de cognitione, qua tota quidditas co-

Nota hoc. gnoſcitur, & de cognitione qua vtraq; pars per ſe quidditatis cognoſcitur: vnde ſi quidditas nõ habet partes, vti in Deo, qui eſt actus puriſſimus, illa cognitio, quæ terminatur ad prædicatum, quod ſe habet reſpectu Dei, nõ per modũ proprietatis, ſed per modũ quidditatis & eſſentiæ, dicetur cognitio quidditatiua, illa vero cognitio, quæ immediatè terminatur ad aliquod prædicatũ, quod reſpectu Dei nõ ſe habet per modũ quidditatis, ſed per modũ proprietatis, ſiue modi intrinſeci, vt cognitio, qua cognoſcit Deus quatenus infinitus, vel per modũ perfectionis attributalis, vt cognitio, qua cognoſcitur Deus ſapiẽs, iuſtus, fortis, talis cognitio non

nõ eſt quidditatiua. Illa vero cognitio, quæ terminaretur ad Deũ quantũ ad primũ eius prædicatũ, eſſet cognitio quidditatiua, quæ reſpectu intellectus diuini non poſſet eſſe maior vel minor, quia obiectũ, quale eſt eſſentia diuina reſpectu intellectus diuini, nõ ſe habet vt obiectũ voluntariũ, ſed vt obiectũ naturale, quia tantũ repræſentat intellectui diuino, quãtũ ipſa poteſt ab intellectu diuino cognoſci, & tantũ poteſt intellectus diuinus cognoſcere, quantũ poteſt eſſentia diuina repræſentare, cũ ſit adæquata ꝓportio inter vtrũque. At vero reſpectu intellectus creati poteſt eſſentia diuina, etiã ſi per ſe vniatur in ratiõe formæ intelligibilis (vt dicunt Thomiſtæ) intellectui creato poterit repræſentare prædicatũ quidditatiuum ipſius, magis & minus pro ſua voluntate, vt in beatis contingit, & tamen quælibet illarum viſio eſt quidditatiua cognitio, quãuis neutra eſt cõprehẽſiua, quia immediatè terminatur ad prędicatũ quidditatiuũ Dei. Ita ſimiliter, ſi in cognitiõe intuitiua datur magis & minus perfecta cognitio quidditatiua Dei, & in cognitione abſtractiua nõ erit incõueniens dari maiorem & minorem cognitionem diſtinctam quidditatiuam Dei, quia vt diximus in præcedentibus, nulla repugnantia apparet in hoc, quod Deus producat aliquam ſpeciem repræſentantem naturam diuinam, quantum ad illud, quod intellectus creatus poteſt cognoſcere de illa. Et præterea, quia ſicut non apparet implicatio cõtradictionis, quod Deus poſsit producere ſpeciem repræſentantem aliquod attributum diuinum ſecundum rationem attributalem ſibi conuenientem, ita neque apparet impoſsibile Deum poſſe producere aliquam ſpeciem repræſentantem naturam diuinam, quantum ad illud prædicatum, ꝙ ita intrinſecè conuenit ipſi, quod per illum poteſt diſtingui. nõ ſolum à quocunq; alio, quod non eſt eſſentia diuina, ſed etiam à quacunque alia ratione, quæ in ipſa eſſentia reperitur. ¶ Vltimò eſt notandũ. Ex prędictis infertur, non eſſe idem cognoſcere Deum quidditatiuè, & cognoſcere Deum comprehenſiuè, quia ad cognitionem comprehenſiuam requiritur, quod cognoſcatur obiectum cognoſcibile, quantum ipſum eſt cognoſcibile, & ad hoc neceſſaria eſt cognitio infinita, quæ in intellectu creato nõ poteſt reperiri. At vero cognoſcere aliquid quidditatiuè, eſt cognoſcere quidditatem illius, vel prædicatum, quo tale diſtinguitur, non ſolum à quocunque alio, quod non eſt tale, ſed etiam à quacũque alia ratione, quæ eſt in ipſo.

Vltimum notab.

¶ Prima concluſio. Illa cognitio, qua Angeli cognouerunt Deum cognitione naturali diſtincta, licèt abſtractiua deitatis per ſpeciem intelligibilem illius, fuit cognitio quidditatiua. Hæc concluſio eſt Doctoris. Et probatur illa cognitio immediatè terminabatur ad quidditatẽ Dei, ergo fuit quidditatiua. Probatur antecedens. Illa cognitione cognoſcebatur Deus, & non ſub aliqua ratione attributali, ergo ſecundum rationem propriam & quidditatiuam. Probatur minor, quia iuxta Diuũ Paul. ad Rom. 1. Inuiſibilia Dei, à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas, ſed diuinitas eſt proprium prædicatum & intrinſecũ diuinæ eſſentiæ, quod per illam, nõ tantũ diſtinguitur Deus à quocunque alio, quod non eſt Deus, ſed etiam diſtinctione virtuali à quam plurimis rationibus, quæ ſunt in ipſo Deo, ergo cognitio illa, qua Angeli cognouerunt diuinitatẽ, vel Deum ſub ratione diuinitatis, erit cognitio quidditatiua. ¶ Confirmatur. Illa cognitio, qua Angeli cognouerunt Deum per ſpeciem repræſentantem diuinitatem, non erat cognitio accidentalis, neque attributalis, ergo ſubſtantialis & quidditatiua. Probatur antecedens, quia cognoſcebant de Deo per illã, non aliquod accidens, neque aliquod attributum, ſed ipſam Dei diuinitatem, ergo. ¶ Secunda concluſio. Illa cognitio, quam Angeli habuerunt de Deo per ſuam eſſentiam, ſiue in ratione cognoſcendi, ſiuè vt ratio cognita, nõ potuit eſſe cognitio quidditatiua. Hæc concluſio colligitur ex ſententia Doctoris. Et probatur. Nam cognitio, quã Angelus cognouit Deum per ſuam eſſentiã, ſiue in ratione cognoſcendi, ſiue vt ratio cognita, non potuit eſſe diſtincta, ſed confuſa, neque potuit eſſe prædicati proprij Dei, quantum ad rationẽ propriam, ſed quantum ad rationem cõmunem, ergo nõ potuit eſſe quidditatiua. Probatur antecedens. Angelus per ſuam eſſentiam (quomodocũque cõcurreret eſſentia) vt diximus ſupra, tantum potuit habere cognitionem de Deo quantum ad prædicatũ commune Deo, & Angelo: ſed nullum prædicatum quidditatiuum poteſt eſſe commune Deo & Angelo cum nihil reale ſit commune

Prima concluſio.

Prima ratio.

Secunda concluſio.

Prima ratio.

mune vtrique, ergo. ¶ Cõfirmatur. Qui cognoſceret hominem, quatenus eſt ens, non cognoſceret illum quidditatiuè, ſed Angelus communiori cõceptu conciperet Deũ, ſi cognoſceret illum per ſuam eſſentiam, ergo. Probatur minor, nam tantum poſſet illum cognoſcere quantum ad prædicatũ cõmune Deo & Angelo, ergo. ¶ Ad argumenta Caiet. reſpondetur. Ad primum cõcedendo maiorem, & negãdo minorem, & ad probationem reſpõdetur concedendo antecedens, neque ex hoc, quod aliquid cognoſcatur quantum ad vltimam differentiam, colligitur illud tale cognoſci quantum ad omnia, quæ conueniunt illi rei, niſi quando cognitio eſt comprehenſiua, & quãdo dicitur quod ſermo diffinitiuus ſoluit omnes difficultates, reſpondetur. Verum eſſe quantum ad id, quod cõuenit illi ex præciſa ratione, & ſic Angeli cognoſcentes Deum ſecundũ ſuam eſſentiam, per illam cognitionem ſoluerent omnes difficultates, quæ poſſunt inſurgere de eſſentia, quatenus ſub cognitione illorum cadebat: vnde poſſent diſtinguere eſſentiam à non eſſentia, etſi ipſi oſtenderetur aliquod attributum per ſpeciem productam immediatè à Deo, poſſent etiam cognoſcere non eſſe rationem formalem, vel quidditatiuam, ſed aliquid conueniens ipſi eſſentiæ per modum proprietatis. Ad illud autem, quod adducit Caiet. ex parte obiecti, reſpondetur, quod eſſentia diuina eſt irrepræſentabilis abſolutè, non tamen in ordine ad actum (vt dictum eſt in præcedentibus). Ad illud, quod vltimo adducit, infinitatem eſſe quidditatẽ ipſius Dei falſum eſt hoc, quia tantum eſt modus intrinſecus ipſius eſſentiæ, & quidditatis diuinæ.

Ad arg. reſpõdetur.

Ad primũ

DISPVTATIO DECIMA, DE SPECIEBVS INTELLIGIBILIbus Angelorum. Continet quinque Quæſtiones

Prima. Vtrum Angeli poſſunt accipere ſpecies intelligibiles à rebus.

Secunda. Vtrum, ſpecies intelligibiles Angelorũ ſint ſeparabiles ab illis.

Tertia. Vtrum, Angeli ſuperiores intelligant per vniuerſaliores ſpecies.

Quarta. Vtrum Deus de potentia abſoluta poßit producere aliquam ſpeciem repræſentantem plures naturas per modum plurium.

Quinta. Quomodo in angelis ſuperioribus ſe habeãt ſpecies vniuerſaliores in ſentẽtia D. Thomæ.

TEXTVS.

Reſpondeo ergo ad quæſtionem, ꝙ Angelus poteſt proficere in cognitione rerum, & hoc accipiendo notitiam actualem aliquam à rebus. Diſtin. 3. quæſtione. 11. litera. E.

EXPLICATIO LITERÆ.

In hac litera Doctor reſpondet quæſtioni, qua quærebatur, an Angeli poſsint cognoſcere lapidẽ vel hominẽ, ita quod homo vel lapis cõcurrãt actiuè ad cognitionẽ abſtractiuã cauſantẽ partialiter ſpeciem intelligibilem ſui, vel quod cõcurrant partialiter ad cognitionẽ ſui intuitiuã, etſi vtroq; modo concurrat. Quia ſi poteſt concurrere, tunc intellectus Angeli põt recipere vtrãq; cognitionẽ à lapide, recipere dico, tanquã à cauſa partiali producẽte partialiter cognitionẽ ſui intuitiuã, quæ recipitur in Angelo & partialiter ſpeciẽ intelligibilẽ, quę ſimul recipitur in intellectu poſsibili angeli, quæ ſpecies intelligibilis erit partialis cauſa cognitionis abſtractiuæ. Huic igitur quæſtiõi reſpõdet Doctor affirmatiuè, nempe, quod põt Angelus proficere in cognitione rerũ cognoſcẽdo illas, nõ tantũ per ſpecies intelligibiles, quas habet à Deo infuſas, ſed etiã per ſpecies intelligibiles acquiſitas virtute intellectus agentis ipſius Angeli à rebus materialibus vel immaterialibus. Vt autẽ litera Doctoris hæc, & eius doctrina facilius intelligatur ſit titulus quæſtionis.

QVÆSTIO I.

¶ Vtrùm Angeli poſsint accipere ſpecies intelligibiles à rebus?

De hac re eſt prima ſentẽtia quorundã aſſerẽtiũ Angelos poſſe cognoſcere oẽs quidditates, nõ quidẽ p eſſentiã, nec tantũ per ſpecies intelligibiles, ſed medio quodã habitu ſuperaddito ſuo intellectui, quẽ appellãt ſcientialẽ, q̃ eo mediãte fiũt Angelis præſentia ſua obiecta, quatenus in eo rñdẽt obiectiuè. Hãc ſententiã tribuit Doctor Enrico *Prima ſententia.*

co in. 2.d.3.q.10.in princ. ibi, hic dicitur, ꝙ Angelus &c. Vnde Enricus videt̃ ſentire nõ eſſe, aliud obiectũ reſplendere obiectiuè in huiuſmodi habitu, q̃ ipſum habitũ dicere intrinſecũ ordinẽ, & importare eſſentialẽ habitudinẽ ad obiectũ. Neque eſt incõueniẽs poſſe hoc cõuenire eidẽ habitui reſpectu diuerſorũ obiectorũ, ſicut nõ eſt incõueniens vnum habitũ ſciẽtiæ importare habitudinẽ eſſentialẽ ad plura obiecta materialia, quæ ptinẽt ad eãdẽ ſciẽtiã. ¶Iſta autẽ ſnĩa fundat̃ in hoc, q̃a ſecũdũ Enricũ nõ dãtur ſpecies intelligibiles repræſentãtes obiecta in potentia intellectiua, & ſic neceſſario ponẽdũ eſt aliquid in intellectu, rõne cuius determinet̃ ad intelligẽdũ hoc vel illud obiectũ. Si autẽ ſupponãtur dabiles ſpecies intelligibiles, vel ponendus ſit talis habitus ſciẽtialis, vidẽdus eſt Liquetus in. 1.d.3.q.6. poſt ibi ad quæſtionẽ, vbi refert ſnĩam Ochami, & diſputat quæſtionẽ. ¶Secũda ſnĩa eſt D. Tho. aſſerẽtis angelũ nullas ſpecies accipere à rebus, ſed oẽs quas habet, eſſe ipſi inditas à Deo à principio ſuæ creationis, quã ſnĩam ſequũtur oẽs expoſitores D. Tho. 1.p.q.55.art.2.& Capreol.in.2.d.3.q.2.art.1.cõcl.4. Ægidius de Roma ead.d.in.2.p.diſtinctiõis.q.2.dub.2.

Secunda ſententia.

1. Notab.

ꝓ cuius explicatione duo ſunt aduertẽda (ſecũdũ nonnullos ſnĩam D. Tho. explicãtes) primũ eſt, ſuppoſito dupliciter poſſe intelligi Angelũ habere ſpecies obiectorũ, ſcilicet, accipiẽdo eas ab ipſis rebus vel ſecũdo à Deo eas infundẽte, titulus q̃ſtiõis põt intelligi, quonã modo Angelus habeat ſpecies de facto, an per infuſionẽ, an vero ꝑ acquiſitionẽ. ¶Secũdũ eſt qđ põt verti in quæſtionẽ, an vterque iſte modus habẽdi ſpecies ſit Angelo cõnaturalis, vel alter tantũ, & quis? ¶Hoc igitur præſuppoſito dicũt primo Angelos habere ſibi inditas à Deo à principio ſuæ creationis oẽs ſpecies neceſſarias ad cognitionẽ ſuorum obiectorũ.

1. dictũ huius ſentẽt.

¶Secũdò aſſerũt, ꝙ vnus modus acquirẽdi ſpecies intelligibiles eſt cõnaturalis Angelo, & talis modus eſt per infuſionẽ à Deo in principio ſuę creatiõis. Probãt iſtud dictũ, quo ad vtrãq; partẽ, & primo, q̃a tantũ eſt vnus modus generationis naturalis entiũ perfectorũ, ergo etiã perfectio ſubſtãtiæ intellectualis (qualis eſt perfectio ſpeciei intelligibilis) tantũ poterit fieri vno modo naturaliter. ¶Cõfirmatur, q̃a fruſtra fiũt per plura, quæ poſsũt fieri ꝑ pauciora, ſed ſubſtãtia intellectualis æquè bene põt habere ſpecies obiectorũ altero ex duobus modis ſupra relatis, ſcilicet, ꝑ infuſionẽ, vel ꝑ acquiſitionẽ, ſicut vtroq; ſimul, ergo non conceſsit ipſis natura vtrũque, ſed alterum tantũ.

2. dictum.

1. argum.

Secũdò, Angelus naturaliter tantũ habet vnũ modũ eſſendi, ergo etiã tantũ habet vnũ modũ naturalẽ acquirẽdi ſuã perfectionẽ, ſcilicet, ſpecies intelligibiles. Patet cõſequẽtia, q̃a modus acquirẽdi ꝓpriã perfectionẽ proportionatur modo naturali eſſendi.

Secundum argum.

¶Secũdã autẽ partẽ, nẽpe ꝙ talis modus fuerit ꝑ infuſionẽ, ꝓbãt argumẽ. D. Tho. in corpore artic. Si Angelus eſt omnino indepẽdẽs, & ſeparatus à corpore quãtũ ad modũ eſsẽdi, ita vt nõ ſit act⁹ corporis, ergo etiã eſt omnino indepẽdẽs à corpore quantũ ad modũ acquirẽdi ſpecies & ex cõſequẽti non eſt ipſi cõnaturale accipere ſpecies à corpore, ſed à Deo eas infundente. Patet conſequẽtia, q̃a habere ſpecies obiectorũ pertinet ad perfectionẽ, & cõplemẽtũ naturæ intellectualis, vt eſt principiũ intelligẽdi, & modus, quo naturaliter quæcũq; res acquirit ſuã pfectionẽ, ꝓportionat̃ modo eſſendi ipſius, & dimanat ab eo.

1. arg. pro 2. parte huius dicti.

¶Cõfirmat̃, qm̃ anima rõnalis ex ſuo modo eſsẽdi habet, ꝙ à corporibus & ꝑ corpora conſequat̃ ſuã perfectionẽ intelligibilẽ, alioquin fruſtra vniret̃ corpori, ergo Angelus qui in modo eſsẽdi eſt omnino ſeparatus à corpore, etiã in modo acquirẽdi ſuã pfectionẽ naturalẽ erit omnino indepẽdens à corpore. Qđ ſi rñdeas cũ Scoto, & Gregorio ex eo, ꝙ Angelus ſit ſeparatus à corpore in modo eſsendi, non poſſe colligi, ꝙ nõ acquirat ſuã pfectionẽ ex corpore, tanq̃ ex obiecto, ſed ſolũ, ꝙ non acquirat eã ꝑ corpus, aut medio corporis miniſterio, & ad cõfirmationẽ, ꝙ anima nr̃a nõ vnitur corpori, vt perficiat̃ ex corpore, tanquã ex obiecto, qm̃ æquè bene poſſet iſto modo perfici ab eo, ſi eſſet ſeparata, ſed vt miniſterio ſenſuum accipiat ſpecies, & vt totum cõpoſitũ cuius ipſa pars habeat eſſe.

Solutio.

Sed hæc facile impugnari poſsũt, q̃a ſi principiũ intellectiuũ accipit ſuã perfectionẽ intelligibilẽ à corpore, vt ab obiecto, neceſſariũ eſt, ꝙ etiã accipiat eã per corpus, aut medio miniſterio corporis, ergo ſi ex eo, ꝙ principiũ intelligendi eſt omnino ſeparatũ à corpore in modo eſsẽdi, ſequit̃, ꝙ nõ ſit ipſi cõnaturale acquirere ſuã pfectionẽ intelligibilẽ medio corporis miniſterio, etiã poterit inde colligi, ꝙ nõ ſit ipſi connaturale acquirere eã ex corpore, vt ex obiecto. Probat̃ antecedẽs, q̃ vel pfectio illa intelligibilis ꝓducitur ſolũ ab intellectu agẽte ipſi⁹ Angeli, vel ab obiecto, vel ab vtroq; ſimul,

Impugnatio.

ſimul,ſed duo priora ſunt dupliciter falſa, & impoſsibilia, & tertium etiam eſt impoſsibile, niſi ſimul concurrat miniſterium corporis,ergo,vt Angelus accipiat ſpeciem ab obiecto,neceſſariū eſt, ꝙ accipiat eam mediāte corpore.Probatꝰ minor,quia impoſsibile eſt,ꝙ ſolū intellectꝰ Angeli ꝓducat ſpeciē nullo modo cōcurrēte obiecto,qa intellectus agēs ſiue angeli ſiue hominis de ſe eſt indifferēs ad ꝓducendū varias ſpecies, ergo ſi ſumatꝰ ſolus ſecluſo omni cōcurſu obiecti, nō poterit determinari ad ꝓductionē illius vnius obiecti,potius quā alterius. Secundū autē eſſe impoſsibile notū eſt: qm̄ corpꝰ virtute ꝓpria nō pōt ꝓducere formā immaterialē,qualis eſt ſpecies intelligibilis,neq; agere in ſubiectū immateriale , & ſpirituale, cuiuſmodi eſt Angelus. Qđ vero nō poſsit ꝓduci ab intellectu angeli,& obiecto ſimul cōcurrētibꝰ niſi medio corporis miniſterio, Probatur,qm̄ duobus modis intelligitur , ꝙ obiectū cōcurrat ſimul cū intellectu ad hūc effectū,ſcilicet, efficiēter attingendo eum, tanquā inſtrumētū ſubordinatū intellectui & ab eo eleuatū,aut ſolū determinādo intellectū ad ꝓductionē vnius ſpeciei , potius q̄ alterius(ſupponimus em̄ ex modo dictis, ꝙ obiectū materiale nō pōt cōcurrere,vt cauſa principalis efficiēs)ſi dicatur primū,aperte ſequitur intentū,qa vt intellectus Angeli ita eleuet obiectū,neceſſariū eſt, ꝙ applicetur ad eleuādū ipſum, ſed nō applicat naturaliter,ſicut anima in animalibus eſt naturaliter applicata ad eleuādū calorē ad ꝓductionē carnis,aut ſicut aliqui dicūt intellectū agentē in nobis eſſe naturaliter applicatū ad eleuādū phātaſma ad ꝓductionē ſpeciei,qm̄ ad huiuſmodi applicationē naturalē requiritur aliqua cōnexio,aut vnio naturalis, ſicut in exēplis poſitis reperitur:nā calor eſt coniūctus ipſi animæ,& phātaſia & intellectus agēs radicātur in eadē eſsētia animæ , Angelus vero nō habet cōnexionē cū obiecto, ergo neceſſariū eſt , ꝙ applicetꝰ libere ab ipſo angelo,volēte vti(medio ſuo intellectu agēte)obiecto illo ad ꝓductionē ſpeciei intelligibilis,ſed vt angelꝰ ita hoc velit neceſſariū eſt,ꝙ habeat aliquā cognitionē talis obiecti & hæc non pōt eſſe intellectiua, qm̄ intellectus caret ſpecie ipſius, cū huiuſmodi eleuatio ordinetur ad eius productionē,ergo neceſſariū eſt, ꝙ habeat aliā cognitionē diſtinctā ab intellectiua,quæ nō pōt eſſe alia quā ſenſitiua, & ex cōſequenti , vt Angelus hoc modo accipiat ſpeciē ab obiecto neceſſariū eſt, ꝙ vtatur miniſterio corporis. Et id etiā ſequitur ſi dicatur ſecundū,ſcilicet,obiectū ſolū cōcurrere determinando intellectū Angeli. Qm̄ dupliciter pōt dici intellectum determinari ab obiecto, ſcilicet , aut naturaliter merè,aut tanq̄ ab exēplari cognito.Primū dici nō pōt,quia obiectū nullā habet cōnexionē naturalē ꝓter coexiſtentiā,quæ tñ ſufficere nō pōt,qm̄ nec rōne ipſius recepit obiectū in ſe cōcurſum intellectus (cum huiuſmodi cōcurſus recipiatur in ſubiecto , in quo recipitur ſuus terminꝰ, ſcilicet ſpecies) neq; ē cōuerſo ipſum obiectum habet influxū aliquē,vt cōſtat, ſi vero dicatur ſecundū manifeſtè ſequitur intentū,ſcilicet,ꝙ Angelus debet vti miniſterio corporis. Qm̄ ſi determinatio illa fit ab obiecto,vt ab exēplari cognito,& non vt cognito p intellectū, qm̄ determinatio præſupponitur(ſaltim ordine naturæ)ꝓductioni ſpeciei intelligibilis,neceſſariū erit, ꝙ fiat ab eo,vt cognito per ſenſum.Vnde verū eſt antecedens ſupra aſſumptū in cōfirmationē, & explicationē rōnis D.Tho.ſcilicet,ꝙ ſi intellectus accipit ſpeciē ab obiecto corporeo,neceſſariū eſt,ꝙ accipiat eā miniſterio corporis. ¶Poteſt hoc amplius cōfirmari argumēto, quo vtitur D. Tho.ſolutione ad.2.ꝙ tale eſt.De extremo ad extremū nō eſt trāſitus,niſi p mediū,ſed eſſe rei corporalis in imaginatiōe eſt mediū quoddā inter eſſe purè materiale (qđ habet in ſe ipſa,ipſa res à parte rei) & eſſe omnino ſpūale(qđ habet in intellectu poſsibili p ſpeciem intelligibilē, qua vtitur ipſe intellectus,quā Angeli hominis)ergo quātūcunq; Angelus polleat virtute intellectiua, nō poterit ꝓducere ſpeciē rei, ſed neceſſariū erit, ꝙ habeat ſpeciē ipſius in phātaſia,ac ꝓinde, ꝙ vtatur miniſterio corporis. Quod ſi qs dicat,ꝙ illud eſſe obiecti in imaginatione, vel habet rōnē medij ex parte ipſius obiecti vel ex parte intellectus, ſi primū ſequitꝰ, ꝙ nec à Deo poſsit obiectū materiale cognoſci ſine illo medio,neq; ꝓduci in intellectu angeli,niſi prius ꝓducatur in imaginatiōe. Si ſecundū , ſequitur,ꝙ illa ratio ſit inefficax,qa nō ſemper id,ꝙ eſt mediū reſpectu virtutis inferioris,eſt etiā mediū reſpectu ſuperioris,& ita,licet ſit neceſſariū obiectum materiale prius habere eſſe in imaginatiōe,vt cū eo cōcurrat noſter intellectus agēs ad ꝓductionē ſpeciei intelligibilis,non ſequitur id eſſe neceſſariū,vt ab intellectu agēte angeli producatur ſimilis ſpecies. Rñdetur tñ,ꝙ illud eſſe medij obiecti in imaginatiōe eſt medium

Confirm.

Solutio.

Impugnatio.

diũ ex parte ipſius obiecti, nõ qdẽ quãtũ ad eius imaginationẽ, neq; quãtũ ad exiſtẽtiã, & ꝓductionẽ ſimpliciter ſpeciei intelligibilis, qm̃ ſi tãtũ eſſent res materiales, & Angeli poſsẽt cognoſcere res materiales, & habere eas ſpecies ſibi cõgenitas, & tñ res materiales non poſſent habere eſſe in imaginatiõe, ſed ſolũ quantũ ad ꝓductionẽ factã medio cõcurſu ipſi⁹ obiecti: qm̃ naturaliter loquẽdo impoſsibile eſt, ꝙ obiectũ materialẽ (& hoc eſt fundamentũ huius ſniæ) ſecundũ eſſe, ꝙ habet à parte rei cõcurrat immediatẽ ad ꝓductionẽ ſpeciei intelligibilis. Rationẽ hui⁹ reddit Caiet. qa vt colligitur ex D. Dionyſio, in rebus talis eſt ordo, vt ſupremũ inferioris attingat infimum ſuperioris, ſed ſupremum in genere ſenſibiliũ eſt illud eſſe, ꝙ habẽt in imaginatiõe, & infimũ in genere intelligibiliũ eſt reductio intellect⁹ de potẽtia in actũ p ꝓductionẽ ſpeciei intelligibilis, ergo nõ põt genus ſenſibiliũ ad hoc cooperari, niſi ſecũdũ ſui ſupremũ, hoc eſt quatenus habet eſſe in imaginatione.

Vlt. dictũ 1. argum. ¶ Vltimum aſſertũ iſtorum opinantiũ eſt, quod nõ ſolum reſpectu rerum materialiũ, ſed etiã reſpectu immaterialiũ eſt connaturale Angelo habere ſpecies infuſas, nõ vero accipere eas ab ipſis obiectis. Probãt autem primò, quia ſequitur ex præcedẽti cõcluſione Angelo tantũ poſſe eſſe cõnaturale vnũ modũ acquirẽdi ſpecies intelligibiles, & ꝙ neceſſario intelligẽdũ ſit de ſpeciebus quorũcunq; obiectorũ, colligitur ex argumentis confirmatiuis illius: ſi ergo altera pars, in qua affirmauimus hũc modũ cõſiſtere in hoc, ꝙ angelo ſpecies infundãtur à Deo, eſt ſufficienter ꝓbata quoad ſpecies obiectorũ materialiũ, bene ſequitur, idẽ eſſe dicẽdũ de ſpeciebus obiectorũ immaterialiũ. *Secundum argum.* Secũdò ex eo quod natura intellectualis in Angelis eſt valde pfecta, ꝓuenit, ꝙ ſit ipſi cõnaturale habere ſuã perfectionẽ intelligibilẽ ſibi cõgenitã à principio, & ꝙ nõ acquirat eam paulatim, neq; p impreſsionẽ factã ab alio agente, ſed ad hoc oportet, quod ſit Angelo connaturale habere ſibi congenitas ſpecies omniũ obiectorũ, ſiue materialiũ ſiue immaterialiũ, quoniã ex omnibus integratur ſua perfectio intelligibilis, & principalius ex ſpeciebus obiectorũ materialium, ergo connaturale eſt Angelo habere ſibi congenitas etiam ſpecies iſtorum obiectorũ. Confirmatur ex ſimilitudine corporum, qua D. Tho. vtitur in artic. ita enim comparatur potẽtia intellectiua in Angelo ad totam perfectionem, quæ poteſt haberi per ſpeciem intelligibilem ab ipſo, ſicut potẽtia materiæ in cælo ad perfectionẽ, quam poteſt habere per formam ſubſtantialẽ, ſed cęlum à principio habet concreatam omnem perfectionem reſpondentẽ ſuæ potentiæ, neque poteſt alio modo, neque ab alio agente eam naturaliter acquirere, ergo etiam Angelus habet à principio ſui ſpecies congenitas omnes, quibus ſua potentia intellectiua poteſt naturaliter perfici. *Obiectio.* ¶ Quod ſi quis arguat, ſpecies ex natura ſua ſunt repræſentatiuæ obiectorũ, ergo neceſſariũ erit, quod producãtur effectiuẽ ab obiectis, & ex conſequenti in intellectu Angeli debent tales ſpecies produci. *Solutio.* Reſpondetur ſatis eſſe, vt à Deo poſsint produci ſpecies obiectorum in aliquo intellectu, ſiue Angeli, ſiue hominis, ꝙ Deus ſit cauſa obiectorũ, & ꝙ in ipſo exiſtant ſimilitudines obiectorũ, hoc eſt ideę; ſic enim ſpecies ꝓducũtur ab obiectis, non prout habẽt eſſe in ſe ipſis, ſed ꝓut ſunt in ſuis exẽplaribus. Ex quibus ſequitur nõ poſſe naturaliter recipi in Angelo aliquã ſpeciẽ, quæ nõ ſit ipſi Angelo à Deo indita. Probatur, quia neque intellectus angeli eſt naturaliter alio modo perfectibilis, neq; ſpecies eſt aliter ꝓducibilis, ergo nulla ex parte eſt naturaliter poſsibile, ꝙ angelus aliter recipiat ſpeciẽ. Probatur antecedẽs, qa neq; Angelus, neq; aliqua alia res eſt naturaliter perfectibilis: niſi modo ſibi cõnaturali. Diximus autẽ illum modũ habendi ſpecies eſſe cõnaturalẽ Angelo, & ſimiliter ꝙ nulla perfectio, quã ſubiectũ poſtulat ex natura ſua, põt aliter produci, ſed eſſe ſibi congenitã, vt inductione patet. *Obiectio.* ¶ Neque obſtat ſi obijcias obiectũ immateriale habere virtutem ad producendum ſpeciẽ ſui; quia nulla ratio eſt, cur in hoc ſit minoris virtutis, quam obiectũ ſenſibile, & ex alia parte in intellectu Angeli eſſe potentiã receptiuã ſpecierũ, vt cõſtat, atque proinde nõ ſolum eſſe poſsibile, ſed etiã neceſſariũ produci ab obiecto immateriali ſpeciẽ in intellectu Angeli, ſuppoſita debita approximatione obiecti ad intellectũ, qm̃ ſi agẽs naturale ſit ſufficiẽter approximatũ paſso, & remoueãtur impedimenta neceſſariò ſequitur effectus. Reſpõdetur, ꝙ licet obiectum omnino immateriale poſsit producere ſpeciẽ ſui, non ſequitur, ꝙ poſsit eã producere in intellectu Angeli; qm̃ nõ eſt in eo potentia ad recipiendũ ſpeciẽ ab obiecto, ſed ſolũ à Deo infundẽte, qa vt ab agẽte creato ꝓducatur naturaliter forma in aliquo ſubiecto, *Solutio.*

requiritur in ſubiecto capacitas & potētia
naturalis ad recipiendū eam ab ipſo. Ex qui
bus infertur ſecundò, ꝙ Angelus non habet
duplicatas rerum ſpecies, nempe alias ēncr.
catas, & aliàs à rebus acquiſitas. Probatur,
nam ſpecies, quas Deus indidit Angelo in
principio ſuæ creationis, vel ſunt cōnatura
les, & proportionatæ lumini naturali Ange
li, ita vt poſsit perfectè vti illis per ſuū natu
rale lumen, vel non. Si ſecundū, ſequitur, ꝙ
ſpecies illæ non ſunt eiuſdem ordinis cū na
tura Angelica, neq; illi naturaliter debitæ,
ergo nō infunduntur naturaliter. Et præter
ea ſequeretur, ꝙ indigeret Angelus lumine
infuſo illis ſpeciebus proportionato ad per
fectum vſum illarum. Si vero detur primū,
ergo iam Angelus non habet duplicatas il-
las ſpecies, patet cōſequentia, quia illæ ſpe-
cies erūt eiuſdē ordinis & rationis, ergo nō
duplicantur aut plurificantur circa idem in
eodem ſubiecto. Nunquam enim printipia
operandi eiuſdem rationis multiplicātur in
eodē illo modo, Antecedens autē patet. Nā
ſi eſſent diuerſarū rationum nō poſſent am-
bæ eſſe cōnaturales, & proportionatæ. Pa-
tet cōſequentia, quia vna res ad eundē actū,
& circa idem obiectum tātum habet vnum
Secunda operandi principiū cōnaturale. ¶ Secunda
ſententia. ſententia eſt Doctoris, pro cuius explica-
1. *Notab.* tione & totius quæſtionis eſt primo notan
dū, ꝙ titulus quæſtionis pōt intelligi in du
plici ſenſu, primus eſt, vtrū ſi Angeli non ha
berent ſpecies concreatas reſpectu Angelo
rū, & rerum ſpiritualiū, an poſsint abſtrahe
re illas ab ipſis obiectis ſpiritualibus. Secun
dus ſenſus eſt, vtrū etiā ab obiectis materia-
libus poſsint Angeli abſtrahere ſpecies, ſi-
cut ab obiectis ſpiritualib⁹. Et in primo ſen-
ſu reputatur probabilis ſententia Doctoris
à quibuſdam D. Thom. expoſitoribus ſu-
per primam pat. quæſt. 55. artic. 2. quæſt. 1.
concluſione 4. quanuis cōcluſione. 5. dicant
oppoſitam ſibi probabiliorem.
2. *Notab.* ¶ Secūdò eſt notandū cū Alexā. Alenſ. 2. p.
q. 24. mēbr. 2. quod quadruplex eſt modus
cognoſcendi, vnum Angelū ab alio. Primus
eſt per effectum, & iſte eſt cōmunis Ange-
lo, & animæ, ſicut enim vna anima cogno-
ſcit aliā in ſuis effectibus, vtpote in hoc, qui
eſt mouere corpus, dare ſenſum, & loqu-
tionem, ita & vnus Angelus poteſt cogno-
ſcere alium per ſuos effectus, ſunt enim quę
dam operationes mirabiles, quę nō poſſunt
fieri niſi ab Angelo, per quas homo poteſt
deuenire ad cognitionem Angeli. Alius mo
dus cognoſcendi eſt per ſcripturas, ſecun-
dum quod inuenimus eos diuiſos, & diuerſi
mode apparuiſſe, vt patet tam in veteri Te
ſtamento, quā in nouo. Tertius & quartus
ſunt circūſcripta omni operatiōe: & ſic eſt
ſimpliciter cognoſcere. Et hoc dupliciter,
quoniā vel in verbo, vel in proprio genere,
ſiue in ſe. His enim duob⁹ modis cognoſcit
vnus Angelus alium, in Deo, vel in genere
ꝓprio, ſiue in ſe. Loquēdo ergo de hoc quar
to modo cognoſcēdi Angelū (ſcilicet in ſe)
dicimus, ꝙ vnus Angelus cognoſcit aliū An
gelū, & per ſpeciē non inditā, ſed potius ac-
quiſitā, quia ipſe eam ſibi facit in ſe. Et cōce
dimus, ꝙ in Angelo eſt duplex natura, ſcili
cet dandi formas intelligibiles, & recipiēdi
eas ab alio, & iſtæ duæ naturæ ſunt in Ange
lo, ſicut in anima, nā in eis eſt natura ſpecu-
li, & ſic poſſunt recipere formas intelligibi
les, & eſt ratio luminis, & ſic pōt dare eas,
nō tñ ſecundū rationē proprij luminis, ſed
ſecundū rationē primi luminis ſuperinfluē
tis. Dicimus ergo, ꝙ vnus Angelus cogno-
ſcit aliū per ſpeciē ſiue ſimilitudinē ſuā, &
accipit ſpeciē illā à ſpecie alterius Angeli,
qm̄ ſimilitudinē illius ſpeciei accipit. Con-
ſtat enim, ꝙ nō accipit ſpeciē eſſentialē An
geli, ſed remanet in eo ꝓpria ſpecies & ipſa
remanēte in proprio ſubiecto, Angelus co-
gnoſcēs ſimilitudinē illius accipit, & ſic di-
citur recipere, & ſibi dare, quoniam facit,
quòd in ſe ſit illa ſimilitudo quæ prius erat.
¶ Tertiò eſt aduertendum, vt præcedens 3. *Notab.*
doctrina facilius intelligatur, vt ipſe Ale-
xander ibi aduertit, quòd non ſe habent eo-
dem modo Angelus & anima quantum ad
hoc, quia in intellectu angelico non fit pro
priè abſtractio: vt cum ſic vnus alium in-
telligit, & ratio eſt, quia abſtractio fit, vt
res ſpiritualior fiat, ſed Angelus nō facit il-
lā ſpeciem ſpiritualiorē, neq; indiget, vt ſit
ſpiritualior, ſed hoc tantum indiget, vt ipſi
cognoſcēti cōiūgatur, & hoc eſt, qa iam eſt
abſtracta à materia ſenſibili. Sed è cōtra eſt
in forma viſibili materiæ cōiuncta. Si enim
eſſet forma viſibilis à materia abſtracta, iam
nō requireretur maior abſtractio ad hoc, vt
viſus fieret, ſed tantū ſufficeret ipſam con-
iungi viſui. Cōcedimus etiā, ꝙ non ſuffi-
cit Angeli pręſentia, ſed vlterius requiritur
cōuerſio ipſius cognoſcentis ſupra cognitū
accipiēdo eius ſimilitudinem, vt dictū eſt.
¶ Quartò eſt aduertendū cū eodē Alexan- 4. *Notab.*
dro vbi ſupra in principio, ꝙ natura in An-
gelo, & eſt factiua ſpecierum, & etiam rece-

ptiua

ptiua. Et ratio huius eſt, quia cũ Angeli ſint lumina, neceſſe eſt ponere in ipſis naturam factiuam ſpecierum, cum natura lucis ſit facere ſpecies. V.g. loquamur De vno Angelo cognoſcẽte aliũ, cõſtat, ꝙ ille qui cognoſcitur, cum ſit lux, facit ſpeciem ſuã in alio cognoſcente. Ergo & in Angelo cognoſcente oportet ponere naturam receptiuã, præter naturam factiuã, quæ in eo eſt, eo quod eſt lux. Item, ſi aliquod cõmune ineſt diuerſis, neceſſe eſt, quod ſecundum naturam cõmunem inſit illis, ſed tam in natura ſenſibili, quam intellectuali eſt fieri ſpecies, ergo eſt natura cõmunis à qua fiunt ſpecies hic, & ibi, ſed conſtat, ꝙ hoc non poteſt eſſe aliqua forma elementalis, quoniam talis natura nõ poſſet dare eſſe ſpirituale ſpeciei, aut formæ viſibili, cum ipſa non habeat eſſe huiuſmodi, ergo oportet, vt ſit talis natura, quæ traſcendat omnem aliam formam ſimpliciter corporalem, ſed hæc non videtur alia niſi lux, quoni... lux inter corporalia magis eſt id, quod appropinquat ſpiritualitati, licet ſit corporalis. Sed adhuc non quæcunque lux, ſed lux in actu, quoniã oculus lucem habet de ſua compoſitione, & tamen ſua lux non facit ſpecies, ſed requiritur lux extra, ſic ergo in ſenſu, & in intellectu requiritur natura cõmunis, quæ eſt datiua ſpecierum ſecũdum naturam lucis, ſed in ſenſu lux corporalis, & in intellectu lux ſpiritualis, ſicut eſt in anima intellectus agens. Angeli ergo habent naturam factiuam ſpecierum, cum habeant ſimiliter naturam lucis, ergo in eis erit natura dandi ſpecies ſibi inuicem ſiue ſimilitudines, & ſimiliter natura recipiendi, quoniã ſi vnus Angelus facit in alio ſpeciẽ, alius erit, in quo fieret ſpecies, ergo in eis eſt vtraq; natura. Item medium participat naturam vtriuſq; extremi, ſed ſi talia duo ſunt extrema, quod eſt quædã natura, quæ tantũ facit ſpecies, ita quod in ea nõ fiunt ſpecies, vt eſt natura ſuprema, quæ eſt Deus. Alia eſt, in qua tantum fiunt ſpecies, & ipſa non facit, ſicut eſt natura corporalis, ſicut patet in viſu corporali: ſed media natura inter hæc extrema eſt ſubſtantia intellectualis, vt anima & Angelus, ergo tam in anima quam in Angelo erit vtraque natura, ſcilicet dandi ſpecies & recipiendi.

5. *Notab.* ¶ Quintò eſt notandũ ex eodem, ꝙ intellectus Angelicus eſt nudus & poſſibilis, ſicut intellectus humanus, nõ propter admixtionem cum phantaſmatibus, & poſtmodum deputationem ab eis, quia talis intellectus nudus & poſſibilis tantum reperitur in anima vnita, & tantum in ea ſecundum, quod ſic eſt; ſecundo modo eſt intellectus poſſibilis & nudus propter ſolam receptionem ſpeciei intelligibilis, & ſic poteſt manere in anima ſeparata, & ſic poteſt eſſe in Angelo.

¶ Sextò eſt notãdũ ex Doctore in hac quæſtione vt præcedens doctrina Alexandri facilior reddatur, ꝙ quãuis Angeli habeãt ſpecies cõcreatas, & ſimul inditas, nõ tñ ob hoc tollenda eſt ab intellectu illorũ poſſibilitas intellectus, & ratio huius eſt, quia vt dicemus infra, tales ſpecies nõ profluũt per modum naturalis ſequelæ ab ipſa natura Angelica, ſed ſimul concreantur à Deo, & taliter infunduntur, ꝙ poſſet Deus creare Angelũ abſq; aliqua ſpecie intelligibili, & poſt eius creationem iuxta ipſius Dei voluntatẽ ſpecies illas intelligibiles infundere. Quare ex hoc, ꝙ Deus ſimul (cum Angelos creauit) cõcreauerit & ſpecies, non eſt tollenda ab illis, ſiue ab eorum intellectibus, ratio intellectus poſſibilis, & per cõſequens poſſe recipere ſpecies: cum poſſint & nouas intellectiones habere: imo dato ꝙ Angelus habeat omniũ rerũ ſpecies cõcreatas, adhuc tamen poſſunt recipere ſpeciem acquiſitã eiuſdẽ quidditatis, cuius antea habebat ſpeciem infuſam, vt aduertit Alexander. 2. p. q. 23. mẽbro. 3. dicens, dicimus, ꝙ Angelus cognoſcit res in ſe Angelo per ſpecies ſibi datas, & in proprio genere accipiendo ſpecies ab ipſis rebus, licet ergo vtrobique cognoſcat res per earum ſpecies, differenter tñ: & patet in exemplo de artifice, qui aliter cognoſcit arcam antequam fiat, & poſtquam facta eſt, & tamen vtrobique per ſuam ſpeciem cognoſcit. Neque obſtat quod duo accidentia ſolo numero differentia non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto, & per conſequens, nec duæ ſpecies eiuſdem quidditatis, quia tales ſpecies, quamuis repræſentent eandem quidditatem, non tamen eodem modo, nam ſpecies infuſa repræſentat quidditatem non exiſtentem, ſed abſtrahentem ab exiſtentia. At vero ſpecies acquiſita repræſentaret eandem quidditatem exiſtentem, & per conſequens non ſolo numero differrent, neque eſſent eiuſdem rationis. 6. *Notab.*

¶ Septimò eſt notandum inter Doctorem & Alexandrum eſſe conuenientiam, & differentiam. Conueniunt quidem, quia ambo fatentur, quòd Angelis ſunt concreatæ ſpecies & quòd in Angelis eſt intellectus 7. *Notab.*

agẽs & poſsibilis, & tertiò, ꝙ nõ obſtãte ſpecie infuſa Angelus habet ſpeciẽ acqſitã alterius Angeli, vel põt illã habere differũt tñ, qa ſecũdũ Alexãdrũ Angelus nõ põt cognoſceret Angelũ præſentẽ, niſi per ſpeciẽ infuſam, vt cognoſcat illũ in genere ꝓprio: indiget autẽ ſpecie acqſita, vt cognoſcat illũ in ſe. At vero ſecũdũ doctorẽ in hac diſt. q. 10. litera. G. Angelus cognoſcit aliũ Angelũ ꝑ ſpeciẽ infuſam vel acqſitã, qñ illũ cognoſcit abſtractiuè. At vero ad cognoſcẽdũ aliũ Angelũ, qñ eſt ſibi præſens cognitione intuitiua, nõ indiget ſpecie, cũ ſufficiẽs ſit eſſentia alterius angeli illi præſens. ¶ Vltimo eſt notãdũ, cũ Ioãne de Baſolis in. 2. d. 3. q. 4. ꝙ cũ Angelus cognoſcat, nõ tantũ quidditates & naturas, ſed etiã cognoſcat ſingularia & indiuidua illarũ naturarũ, indiget & ſpecie repræſentãte ipſas quidditates, & etiã ſpeciebus repræſentãtibus ipſa indiuidua. Et ratio huius eſt, qa impoſsibile apparet, ꝙ quidditas ſpecifica ſecũdũ ſuũ eſſe intelligibile repræſentet adæquatè indiuiduũ illius quidditatis, & ꝑ cõſequẽs, neq; ſpecies intelligibilis ꝓducta ab ipſa quidditate naturaliter repræſentatiuã illius poterit repræſentare adæquatè ipſum indiuiduũ, ſicut v. g. ſumamus igitur naturã humanã, & Petrũ, certiſſimũ eſt, ꝙ Petrus addit entitatẽ poſitiuã diſtinctam à natura humana; ſiue realiter ſiue formaliter, quia in quocũq; indiuiduo quatuor ſunt cõſiderãda. ſcilicet quidditas, differẽtia indiuidualis, vel ſingularitas, modus exiſtẽdi, & eius duratio, ergo indiuiduũ neceſſario includit aliqd poſitiuũ realiter, vel formaliter diſtinctũ ab ipſa natura & quidditate. Tunc ſic, natura vel quidditas indiuidui, ſi ꝑ ſe eſſet ſubſiſtẽs, nõ poſſet repręſentare ꝑ ſe ipſam ea, quæ cõueniũt indiuiduo, ergo neque ſpecies intelligibilis ꝓducta ab ipſa natura poterit illa repræſentare. Nã alias nõ eſſet talis ſpecies adæquata ipſi naturæ in repręſentãdo: imo eſſet perfectior ſua cauſa, à qua naturaliter eſt ꝓducta. Nã plus põt ſpecies repręſentare ex hypotheſi quã natura, à qua ſpecies naturaliter eſt ꝓducta ſed ſpecies eſt naturalis ſimilitudo naturæ, ergo nõ poterit plus repręſentare, quã ipſa natura repræſentaret. Et cũ illa entitas, quã addit indiuiduũ ſup naturã, ſit ꝑ ſe repręſentabilis (cũ ſit ꝑ ſe intelligibilis, vt infra dicemus, qñ diſputabimus ſingularia eſſe ꝑ ſe intelligibilia) ideo neceſſaria eſt ſpecies intelligibilis quæ repræſentet ſingularitatem diſtinctã ab illa ſpecie, quæ repræſentat naturã in rõne naturę. Vnde cõcedẽdũ eſt in Angelis eſſe cõcreatas, nõ tantũ ſpecies vniuerſales repræſentãtes naturas, ſed etiã ſpecies ſingulariũ repręſentãtes indiuidua, & qa indiuidua poſſunt eſſe infinita, videt̃ dicendũ ꝙ eſſent infinitæ ſpecies ꝓducendæ in quolibet Angeli intellectu, ꝙ repugnat, cũ potentia paſsiua & ſuſceptiua ſpecierũ cũ non poſsit eſſe infinita.

Vltimo notab.

¶ Prima concluſio. Angeli habẽt ſpecies infuſas, & cõcreatas omniũ quidditatũ. Hæc cõcluſio cõis eſt tã D. Tho. quã Doctori, & ꝓbatur cõiter ex illo Ezech. 28. vbi dicit̃, Hæc dicit Dñs Deus, tu ſignaculũ ſimilitudinis plen⁹ ſapiẽtia, & ꝑfectus in decore vbi loquit̃ ꝓpheta d̃ lucifero, ergo ille Angel⁹ fuit plenus ſpẽbus intelligibilibus, aliàs nõ eſſet plenus ſapiẽtia. Et confirm. ex illo D. Aug. ſup Gen. ca. 2. & 4. vbi affirmat prius fuiſſe cognitas ab angelo res, quã in ꝓprio genere cognoſcerent̃, ſed talis cognitio nõ potuit eſſe niſi per ſpecies infuſas, ergo. ¶ Cõfirm. ſecũdò, ex illo, ꝙ habet̃ in lib. de cauſis, vbi dicit̃ omnẽ intelligentiã eſſe plenã formis, ideſt ſpeciebus intelligibilibus. ¶ Rõne autẽ ꝓbat, nã cõgruũ erat, vt angeli, qui ſunt intelligẽtiæ, haberẽt intelligentiã, & cognitionẽ omniũ quidditatũ in principio ſuæ creatiõis, ſed talẽ cognitionẽ non poterãt habere niſi ſpecies vniuerſales omniũ quidditatũ illis infunderẽtur, ergo.

Prima cõcluſio. *Primo probatur.* *Secundo probatur.*

¶ Secũda cõcluſio. Si angeli nõ haberẽt ſpecies infuſas vniuerſales poterãt illas acqrere à rebus immaterialib⁹. Hæc cõcluſio eſt doctoris, quã defendit Alex. Alẽſ. vbi ſupra, & videt̃ eã docere D. Tho. q. de anima arti. 18. ad 13. & art. 20. ad 10. vbi aſſerit, ꝙ animę ſeparatæ infundũtur ſpecies mediãtibus angelis. Probat̃ tñ cõcluſio rõne Alexãdri, nã angeli ſunt lumina, ergo poſſunt acqrere ſpeciẽ intelligibilẽ alterius angeli. Probatur ſequela, nã ſpecies intelligibilis non eſt maioris ꝑfectiõis Angelo, cui⁹ eſt ſpecies. ¶ Secũdò, Angelus põt cognoſcẽs aliũ angelũ, producere verbũ Angeli cogniti; ergo & põt ꝓducere ſpeciẽ intelligibilẽ. Antecedẽs patet, qa ex eo, ꝙ angelus cognoſcit aliũ angelũ ꝓducit verbũ Angeli cogniti: quãuis enĩ opinio ſit, ꝙ Angelus intelligẽs ſe non ꝓducat verbũ, non tñ eſt opinio, quod Angelus intelligẽs aliũ Angelũ nõ producat verbũ. Modo ꝓbatur ſequela. Angelus põt recordari ſe cognouiſſe aliũ Angelũ, ſed talis recordatio fit ꝑ ſpeciẽ illius actus, quẽ habuit Angelus, ergo ſi ex illo actu potuit elicere ſpeciẽ, etiã ab ipſo Angelo poterit elicere ſpeciem.

Secunda concluſio. *Prima ratio.* *Secunda ratio.*

Solutio. ſpeciẽ. Quod ſi reſpõdeas, ꝙ per illã ſpeciẽ, quã habet Angelus, nõ tãtũ cognouit Angelũ, ſed etiã cognoſcit ſe cognouiſſe. Cõtra, *Impugnatio.* ſpecies illa vniuerſalis nõ repræſentat prædicata particularia, & cõtingẽtia, ſed angelũ cognouiſſe aliũ Angelũ eſt prædicatũ cõtingẽs, ergo per talẽ ſpeciẽ ſolã nõ põt Angel⁹ cognoſcere ſe cognouiſſe. Quod ſi reſpondeas, ꝙ ex hoc, ꝙ Angelus cognouit aliũ angelũ, remãſit in ipſa ſpecie quædã aſsimila-*Solutio.* tio. Cõtra. Talis aſsimilatio ad rẽ prẹteritã, *Impugnatio.* vel eſt aliqd in ipſa ſpecie, vel in intellectu Angeli reale, vel rationis. Si eſt aliqd reale, ſiue ſit in intellectu ſiue in ſpecie, ergo iam Angelus põt acquirere aliquid à reb⁹, & per cõſequẽs nõ repugnat angelo acquirere ſpeciẽ intelligibilẽ alterius Angeli. ¶ Tertia cõ-*Tertia cõcluſio.* cluſio. Angel⁹ ad cognoſcẽdũ intuitiuè aliũ *Prima ratio.* Angelũ nõ indiget ſpecie intelligibili alterius Angeli. Hæc cõcluſio eſt Doctoris, & probatur. Nã ſpecies intelligibilis ponitur, qñ obiectũ nõ põt per ſe vniri potẽtiæ, ſed quilibet Angelus põt vniri perfectè intellectui alterius Angeli, ergo. Probatur minor. (Nã maior eſt manifeſta, cũ ſpecies ponaẽ, vt ſuppleat vicem obiecti) Angeli ſunt actu intelligibiles, ergo nõ indigẽt ſpecie, vt intelligant. Probatur ſequela. Nã ex eo lumẽ, qđ eſt actu viſibile, videtur abſq; ſpecie ſui, quia p ſe põt vniri potẽtiæ viſiuæ lux enĩ ſolis & claritas iſta nõ indiget ſpecie, vt videatur: qa p ſe immediatè põt vniri potẽtiæ, ſed reſpectu intellectus cuiuſcũq; Angeli perfectius lumẽ eſt alius Angelus, ergo reſpectu illius nõ eſt neceſſaria ſpecies, & p cõſequẽs ad hoc, ꝙ vnus angelus aliũ intelligat cognitiõe intuitiua, nõ indiget ſpecie, ſed p ſe ipſum põt immediatè cognoſcere. ¶ Quarta *Quarta cõcluſio.* cõcluſio. Angelus põt acqrere à rebus materialibus ſpecies intelligibiles. Hæc cõcluſio eſt doctoris, q̃ docet Alex. vbi ſup. mẽb. 3. Tota tñ difficultas circa iſtã cõcl. ex eo ꝓuenit, ꝙ cũ intellectus Angeli ſit indifferẽs, & indeterminatus ad intelligẽdũ hoc & illud obiectũ, & nõ tãtũ ſit indeterminatus indeterminatione potẽtiæ actiuæ, ſed etiã potẽtiæ paſsiuæ, & per cõſequẽs indigeat aliquo determinãte illũ, ſi intellectus Angeli eſſet nudus ab omni ſpecie intelligibili, quomodo poſſet determinari ad intelligendũ iſtud vel illud obiectũ? Quia ſi Angelus aliqualẽ cognitiõẽ haberet huius & illius obiecti, nõ mirũ, ꝙ poſſet cõuertere ſe ad intelligendũ magis & magis illud obiectũ, cui⁹ aliqualẽ habet cognitiõẽ, ergo ſi nullã habet cognitiõẽ reſpectu huius vel illi⁹ obiectĩ, nõ poterit ſe cõuertere ad intelligẽdũ hoc vel illud obiectũ. Reſpõdetur tamẽ, ꝙ cũ quæ-*Solutio ad rationem.* libet quidditas ex ſeipſa habeat entitatẽ formaliter ex ſeipſa, etiã habet intelligibilitatẽ aliqualẽ, nẽpè tantã, quãta ſufficiẽs ſit ad hoc, ꝙ intellectus Angeli poſſet aliqualiter moueri ab ipſa quidditate: quia, quãuis ipſa quidditas nõ habeat intelligibilitatẽ tãtam, quanta neceſſaria eſt ad hoc, ꝙ Angelus diſtinctè poſsit cognoſcere quidditatẽ materialẽ, habet tñ illã, quæ ſufficiẽs eſt ad hoc, ꝙ Angelus moueatur ad intelligẽdũ diſtinctè & clarè talẽ quidditatẽ, & ſic cõcurrunt obiectũ & intellectus ad productionẽ perfectæ ſpeciei. Quia quodlibet obiectũ naturaliter mouet potẽtiã, cuius eſt obiectũ, ſecũdũ propottionẽ, quã habet cũ illa, & quãuis obiectũ materiale nõ habeat omnimodam proportionẽ cũ intellectu Angeli: habet tñ aliqualẽ, & illã, quæ ſufficit ad hoc, ꝙ Angelus cõuertatur ad intelligẽdũ perfectè & diſtinctè illa, quæ antea imperfectè cognoſcebat. Nã intellectus Angeli & obiectũ ſunt cauſæ naturales, ſemper producẽtes quãtũ poſſunt; ita ꝙ nõ poſſunt nõ producere, vti cõtingit etiam in nr̃a potẽtia viſiua: ſemper enĩ obiecta materialia colorata, vel lucida ꝓducũt ſpeciẽ ſenſibilẽ, & ſemper potentia viſiua eſt vidẽs plurima obiecta, nõ tñ eodẽ modo, qa illę ſpecies ſenſibiles nõ ęqualiter vniũtur cũ potẽtia viſiua, ſed alia minus repræſentãs ſua obiecta, qa alio & alio modo vniũtur cũ potẽtia. Quare tũc volũtas põt mouere potẽtiã viſiuã ad hoc, ꝙ clarè videat ea, quæ in cõfuſo videntur, & non videat ea, quæ clarè videbat, & ſic auertere potẽtiã viſiuã à viſione vnius obiecti, & ferre illam ad viſionẽ alterius obiecti, & quãuis ad perfectã viſionẽ obiecti. Sit neceſſari⁹ totus cõnatus potẽtiæ, & ꝙ ſpecies pfectò modo vniatur cũ illa. At vero ad aliqualẽ viſionẽ nõ eſt neceſſaria talis pfecta & adęquata vnio, neq; conat⁹ totalis potẽtię viſiuę. Ita in ꝓpoſito dicẽdũ eſt, ſi Angeli nõ haberẽt aliquas ſpecies cõcreatas, adhuc tñ in illis eſſet vir abſtractiua ſpecierũ intelligibiliũ pfectarũ, & impfectarũ ſecũdũ maiorẽ vel minorẽ cõnatũ intellectus Angelici, & ꝓcederet Angelus à cognitione cõfuſa ad cognitionẽ diſtinctã ex eo, quod quidditas rei materialis cũ quocunq; conatu ipſius intellectus Angeli produceret aliqualẽ ſpeciẽ ſui, quę ſufficiẽs eſſet ad hoc, quod voluntas Angeli imperaret intellectui, vt conaretur percipere perfectè

fectè taleobiectũ materiale. Et moueor ad hoc, quia cũ intellectus Angeli nõ ſit imperfectior reſpectu ſui obiecti, quale eſt eus finitũ, quã porẽtia viſiua reſpectu ſui obiecti, quale eſt ens lucidũ, vel coloratũ. Et potentia viſiua poteſt habere actũ imperfectũ ex præſenria aliqualis ſui obiecti, quo moueatur ad cognitionẽ diſtinctã, ita etiã & Angeli intellectus reſpectu ſui obiecti, nẽpè entis finiti, poterir habere aliqualẽ cognitionẽ cõfuſam ex ſola præſentia reali ſui obiecti per aliqualẽ ſpeciẽ, vel per ſeipſum mouẽs potẽtiã naturaliter, & ex illa cõuerti ad perfectiorẽ cognirionẽ illius obiecti. Er ſic patet, quomodo poſſet Angelus cõuertere ſe ad cognirionẽ cuiuſcũque obiecti diſtinctã, quæ cognirio præſupponit in ipſo Angelo aliqualẽ, cognitionẽ ipſius obiecti, quę cognitio orra fuit ex pręſentia reali obiecti cũ potẽtia, vel immediatè per ipſum obiectũ cauſata, ſimul cũ intellectu Angeli, abſq; aliqua alia ſpecie, vel per aliqualẽ ſpeciẽ ab ipſo obiecto & intellectu Angeli naturaliter cauſatã, taliter, ꝙ ſicut implicat, quod naturaliter loquẽdo exiſtẽre obiecto præſente potẽtiæ viſiuæ, nõ ꝓducatur ſpecies ſenſibilis: itá implicar, ꝙ exiſtente obiecto materiali & intellectu Angeli nõ óriatur aliqua ſpecies producta, quia vtraq; cauſa eſt nanuralirer ꝓducẽs ſimilitudinẽ obiecti, magis vel minus perfectã, ſecundũ maiorẽ vel minorẽ conatũ ipſius intellectns Angeli.

Nota hoc.

Reſpõdetur argumẽtis pro prima parte ſententia Diui Thom.

¶Reſpõdetur argumenris pro ſententia D. Tho. adductis. Ad primũ cõcedẽdo ſequelã, ſed ille modus non eſt per infuſionẽ ſpecierũ, imò naturalis modus, quo perfectio Angeli habet eſſe eſt per abſtractionẽ ſpecierũ intelligibiliũ, ſicut etiã in nobis cõringir, & nihilominus, quãuis modus naturalis acquirẽdi cognitionẽ in nobis, ſit per abſtractionem, adhuc tñ rèſpectu Adami tales ſpecies fuerũt infuſæ, ita in Angelis dicẽdũ eſt proportionabiliter, quòd quãuis poſsint habere ſpecies acquiſitas, habuerũt tamen illas per infuſionẽ. Vel ſecũdo reſpõdetur negãdo ſequelã, nã modus naturalis habendi eſſe in hominibus eſt per generationẽ, & tamen poteſt Deus producere hominẽ, ſicut produxir Adã.

Ad primum.

Secundo reſpondetur.

¶Ad cõfirmarionẽ reſpõdetur. Cũ Alexandro Alenſi, quod vtroq; modo poteſt Angelus cognoſcere res. Ait enim quæſt. 23. memb. 3. ſic. Ad illud ergo, quod obijcitur incontrariũ dicimus, quod Angelus cognoſcir res in ſe per ſpecies ſibi datas, ſed in proprio genere accipiẽdo ſpecies ab ipſis rebus, licet, ergo vtrobique cognoſcat res per earũ ſpecies differẽter tamen. Et paret exẽplũ de artifice, qui aliter cognoſcit arcã, anrequã fiat, & poſtquã facta eſt, & tamẽ vtrobique per ſuam ſpeciem cognoſcit. Hactenus Alexãder. Ex quibus verbis patet ſolurio ad confirmationem.

Ad ſecũdum argu.

¶Ad ſecundũ reſpõdetur cõcedẽdo antecedẽs, & negãdo ſequelã, quia naturalis perfectio Angelorũ quoad cognirionẽ non cõſiſtit in hoc, quod habeãt ſpecies infuſas, vel acquiſitas, ſed quod per ſpecies infuſas, vel acquiſitas cognoſcãt obiecta per illas ſpecies repræſentata.

Ad argumenta pro ſecũda parte opinionis D. Th.

Ad primũ & eius impugnationes.

¶Ad argumẽta pro ſecunda parte reſpondetur. Ad primũ, quod quãuis angelus ſit ſeparatus à corpore quantũ ad modũ eſſendi, & quãtũ ad modũ acquirẽdi ſpecies, quia non acquirit ſpecies abſtrahẽdo illas à phantaſmatibus, nõ tñ eſt ſeparatus à corpore, id eſt indepẽdẽs ab illo, tãquam ab obiecto, quia indiget corpore materiali tãquã obiecto ad intelligẽdũ illud, & ex cõſequẽti nõ eſt illi cõnaturale, id eſt, quod profluat à principijs illius habere ſpecies, ſed illud prouenit ex gratia Dei, & ex benignitate illius infundere illas, ſicut infudit animæ Chriſti.

¶Ad confirmationẽ reſpõdetur negãdo paritarẽ rationis. Et ad impugnationẽ ſolutionis doctoris, reſpondetur, quod miniſterio corporis põr intelligi dupliciter, vno modo quod ſicut in nobis miniſterio corporis ꝓducũtur ſpecies intelligibiles, ita & Angelo miniſterio corporis, & hoc falſum eſt, qa reſpectu noſtri illud miniſteriũ habet rationẽ medij, cũ nihil fuerit in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu. At verò reſpectu Angeli tantũ habet rationẽ obiecti. Vnde impugnatio faciliter ſoluitur ex differẽtia inter modũ inrelligẽdi Angelorũ, & noſtrũ. Vnde prima ſequela negãda eſt abſolurè, ſi nõ intelligatur iuxta ſolutionẽ datã ibi. Secundæ etiã eodẽ modo reſpõdetur ꝓprer differẽtiã ly, miniſterio corporis. Quãdo autem quæritur, quomodo cõcurrãt corpus & intellectus ad inrellectionẽ, reſpõſum eſt poſt vltimã cõcluſionẽ ante ſolutionẽ argumẽtorũ: ad probationẽ autẽ, quod nõ poſsit talis ſpecies produci ab inrellectu Angeli & obiecto ſimul cõcurrẽtibus, niſi medio corporis miniſterio. Reſpõdetur, ꝙ concurrũr vt duæ cauſæ partiales, ſicuti cõcurrunt phãtaſma & inrellectus agẽs reſpectu noſtræ intellectionis. Et ad improbationẽ reſpondetur, quod ad talẽ applicationẽ ſatis eſt præſentia.

ſentialitas inter obiecta materialia & intellectum Angeli, quia ex natura rei intellectus Angeli eſt applicatus ad producẽdum ſpeciem intelligibilem ſimul cum obiecto, ad quam applicationem non eſt neceſſaria aliqua alia connexio, neque vnio, niſi illa quæ requiritur inter obiectum & potẽtiã, & cum Angelus habeat talem connexionẽ cum quocunque intelligibili finito, ideo nõ eſt illi neceſſarium vti aliquo alio medio, neq; aliqua alia applicatione libera ad productionem ſpeciei intelligibilis, ſed ex ſeipſo, & præſentialitate obiecti eſt in vltima diſpoſitione, & perfectè in actu primo, ad productionem ſpeciei intelligibilis cuiuſcunque obiecti materialis vnde cum prædicta ſententia ſupponat falſum, nempè quod inter obiectum materiale & intellectũ Angeli nõ ſit aliqua cõnexio ex natura obiecti & potẽtiæ, ideo eius imꝓbatio nihil valêt.

Ad cõfir. ¶ Ad confirmationem reſpondetur cũ Doctore hac quæſtione, ꝙ imaginatio non eſt medium inter eſſe purè materiale, quod habet res in ſeipſa à parte rei, & eſſe omnino ſpirituale, quod habet in intellectu poſsibili per ſpeciem, imo eſt extremum, quamuis reſpectu noſtri intellectus habeat rationem medij inter eſſe intelligibile & eſſe purè materiale. Vide doctorem in hac quæſtione in fra literam C. vſq; ibi, alij dicunt. Ad ſolutionem autem quam ipſi adducũt ad quoddam argumentum Doctoris. Reſpondetur non eſſe impoſsibile, quod obiectum materiale ſecundum eſſe, quod habet à parte rei, concurrat immediatè ad productionem ſpeciei intelligibilis. Neque illa ratio (quàm dicunt Caietani) ex D. Dionyſio; nempè quod in rebus talis eſt ordo vt ſupremum inferioris attingat infimum ſuperioris, & quod ſupremum in genere ſenſibilium eſt illud eſſe, quod habent in imaginatione, & infimum in genere intelligibiliũ eſt reductio intellectus de potentia in actum per productionẽ ſpeciei intelligibilis, quia, quamuis hoc verum habeat reſpectu intellectus coniuncti propter ordinem potentiarum, non tamen reſpectu intellectus ſeparati; imo anima ſeparata poſſet intelligere obiectum materiale abſtrahẽdo ſpeciem intelligibilẽ ab illo.

Ad vltimũ dictũ. ¶ Ad illud autem quod vltimò dicunt eſſe connaturale Angelo habere ſpecies congenitas, etiam reſpectu obiectorum immaterialium falſum eſt, quia poſſet Deus producere Angelum ſine talibus ſpeciebus,

QVÆSTIO II.

¶ *Vtrùm ſpecies intelligibiles Angelorũ ſint ſeparabiles ab illis.*

DE hac re eſt prima ſententia Capreol. in 2. diſt. 3. q. 2. ad argumẽta Aureoli cõtra tertiam cõcluſionẽ aſſerẽtis ſpecies intelligibiles in Angelis eſſe cõnaturales, ipſis, ſicut reliquæ ꝓpriæ paſsiones, quia profluunt ab eſſentia, vt ab actiuo principio. Quã ſentẽtiã inſinuat Caieta. 1. par. q. 79. art. 2. & 2. 2. q. 5c. art. 6. Et probatur, quia tales ſpecies ſunt ſimpliciter cõnaturales Angelo, ſed nõ eſſent ſimpliciter connaturales, niſi ab intrinſeco dimanarẽt ex natura Angeli, ergo habent ſe veluti paſsiones dimanãtes ab eſſentia Angeli mediãte eius intellectu. Confirmatur. Nã ſpecies ſunt Angelis debitę tãquã propria paſſio, ſed paſsiones dimanant ab eſſentia, quia debẽtur rei, & cõgenerãtur cũ illa, ergo. *Prima ſententia.* *Primum argum.*

¶ Secũdò. Quia ſi De᷒ crearet Angelũ abſq; aliqua ſpecie eſſet imperfectior homine, quãtũ ad cognitionẽ, quia homo pòteſt acquirere cognitionem à rebus Angelus verò minimè, ergo. Cõfirm. Quia omne accidens propriũ, tã in rebus corporeis, quã incorporeis, dimanat ab eſſentia, cuius eſt, ſed ſpecies intelligibiles in Angelis ſunt accidẽtia ꝓpria, quia illis cõnaturales, ergo habẽt ſe tãquã proprię paſsionẽs. (Dicitur notanter tãquã propriæ paſsiones) quia propria paſſio profluit à ſola eſſentia. At verò ſpecies intelligibiles Angelorũ nõ profluunt à ſola eſſentia, ſed requiritur vltra eſſentiã Angelorũ, obiectũ ipſum materiale, vel immateriale, nõ prout in ſeipſo eſt, ſed prout relucẽt in eſſentia diuina, vel prout in Deo ſunt ideæ, & proxima exemplaria rerum. *Secundum argum.*

¶ Secũda ſentẽtia eſt Ferrar. 2. cõt. gent. ca. 98. aſſerẽtis ſpecies intelligibiles in Angelis nõ habere rationẽ propriæ paſsionis, ſed eſſe Angelis connaturales, quia ſunt iuxta inclinationẽ naturalẽ Angeli. Hãc ſentẽtiã explicãt nõnulli ſuper primã partẽ D. Tho. q. 55. ar. 2. q. 2. cõcl. 2. dicẽtes, ſpecies intelligibiles Angeli nõ ſunt propriæ paſsiones, aut ꝓprietates fluẽtes ab eſſentia Angeli ſub lumine intellectus Angelici, ſicut fluũt potẽtię ab anima, ſed dicũtur cõnaturales Angelo. Primò, propter naturalẽ inclinationẽ, vt eas à Deo immediatè recipiat. Secũdò, propter potẽtiã paſsiuã & aptitudinẽ naturalẽ, quàm *Secunda ſententia.*

quam Angelus habet ad huiuſmodi ſpecies, tanquam ad propriam perfectionem naturalem eorum. Perficitur nanque Angelus huiuſmodi ſpeciebus, ſicut perficitur diaphanum naturaliter per receptionem luminis. Tertiò, quia à primo ortu & creatione Angeli inditæ ſunt Angelo tanquam perfectiones naturales eorũ. Vltimò, quia ſpecies illæ intelligibiles rerum naturalium ſecundum naturæ ordinem debitæ ſunt Angelo propter perfectionem naturæ Angelicæ in genere intelligibilium. Eſt nanque Angelus in ſummo gradu naturæ intellectualis & ſpiritualis, & ideo debitæ ſunt illi intelligibiles formæ & ſpecies, quibus cognoſcere valeat & ordinem vniuerſi & vniuerſas rerum naturas. Quocircá quanuis ſpecies intelligibiles Angeli non ſint illi connaturales tanquam paſsiones & proprietates actiuæ fluentes ab eſſentia, ſicut potentiæ animæ ab anima, ſunt tamen cõnaturales iuxta inclinationem naturalem Angeli, & conferuntur à Deo vt eſt author naturæ, & ſecundum legem prouidentiæ naturalis. ¶Probatur autem iſta ſententia, quod ſpecies intelligibiles Angeli nõ ſunt propriæ paſsiones fluentes ab eſſentia Angeli ex eo, quod vt ſpecies intelligibiles dimanent & fluant ab intellectu Angeli, debent virtute contineri in illo & in eſſentia Angeli radicaliter; aliàs non eſſet verus fluxus aut vera dimanatio, ſeu efficientia, ſed eſſentia finita, qualis eſt Angelica, non poteſt virtute continere oẽs ſpecies repræſentatiuas rerum, ſicut neque per ſeipſam poteſt illas repræſentare, ſicut neque per ſeipſam continet omnia, ergo tales ſpecies nõn fluunt vt paſsiones ab eſſentia Angeli ſub lumine intellectus Angelici. ¶Confirmatur. Nam à quocunque prouenit ſimilitudo perfecta, & propria omniũ rerum naturaliter, illud debet neceſſario eſſe tale, vt in eſſentia ſua cõtineat res illas, ſed Angelus nõ continet in eſſentia ſua omnes res, tãquam perfecta rerum ſimilitudo, ſoli enim Deo reſeruatur omnia continere, ergo impoſsibile eſt tales ſpecies intelligibiles eſſe paſsiones emanantes ab eſſentia Angeli.

Primum argum.

¶Secundò. Nam ſi ſpecies dimanant ab eſſentia, ergo comprehenſa eius eſſentia comprehenduntur iſtæ ſpecies, ergo. Similiter cognoſcuntur res repræſentatæ per illas, & per conſequens Angelus comprehẽdendo ſe, neceſſario ſimul cognoſceret omnia, quæ repræſentatur in ipſis ſuis ſpeciebus, quod eſt abſurdum.

Secũdum argum.

¶Tertiò. Nam iſtæ ſpecies cum ſe teneant ex parte obiecti, & gerant vicem eius, & nõ ex parte intelligentis, rationabile eſt dicere, quod non oriantur ex eſſentia intelligẽtis, ſed aliunde. ¶Confirmatur. Nam ſi iſtæ ſpecies oriuntur ab eſſentia Angeli per modum paſsionis, determinarentur ab eſſentia Angeli, & in numero, & in rebus repræſentatis. Hoc tamen non ita eſt, ſed potius determinantur ex quadam prouidentia autoris naturæ, nam quia Deus decreuit creare has res naturales, hos Angelos, hos cælos, &c. idcirco donatæ ſunt Angelo ſpecies harum rerum, non vero aliarũ, quas Deus non erat facturus, quod ſi Deus facere decreuiſſet res alias, & iam donaret Angelo alias ſpecies ipſarum rerum, nam hoc poſtulat ipſa naturalis prouidẽtia, quæ cuique prouidet, animaduerſa eius natura, ergo manifeſtum eſt, quod iſtæ ſpecies tribuuntur ab autore naturæ ſine dimanatione intrinſeca ab eſſentia.

Tertium argum.

¶Quartò. Nam ex oppoſita Caietani ſententia plane ſequitur, quod eſſentia Angeli eminenter, & virtualiter continet omnes ſubſtantias creatas, tam in eſſe entitatiuo, quã in eſſe intelligibili. Probatur ſequela. Nam totum illud, quod reperitur formaliter in effectu neceſſe eſt, vt præhabeatur in ipſa cauſá, vel formaliter vel eminenter, & virtualiter, ſed ſpecies intelligibiles Angeli ſunt in eſſe intelligibili quaſi formaliter omnis ſubſtantia, ergo ſi iſtæ ſpecies fluunt ab eſſentia Angeli, ſequitur apertè, quod omnis ſubſtantia creata eminenter cõtineatur in eſſentia Angeli. Imo ex hoc ſequitur, quod ſi Angelus eminenter continet in ſua eſſentia reliquas creaturas, ſaltem eminenter in eſſe intelligibili, ſimiliter etiam contineat eas in eſſe entitatiuo, nam eſſe intelligibile in Angelo concomitatur eſſe entitatiuum, igitur ſi in eſſe intelligibili eſſentia Angeli continet omnes creaturas, ex hoc conſequenter infertur, quod etiam cõtinet eas in eſſe entitatiuo.

Quartum argum.

¶Quintò. Si Deus ab æterno aliter decreuiſſet, quam fecit, & produxiſſet alias creaturas diuerſas ab his, tunc ab eſſentia Angeli non fluerent iſtæ eædem ſpecies intelligibiles, quæ modo ſunt, ſed aliæ, quæ illas repræſentarent creaturas, igitur ſpecies iſtæ intelligibiles, quibus nunc

Quintum argum.

nũc intellectus Angeli perficitur, non ſunt propriæ paſsiones ab eſſentia eius fluentes. Probatur antecedens, nam nõ debentur Angelo ſpecies aliarum rerum minimè pertinentium ad ordinem vniuerſi; ſed data hypotheſi, multæ creaturæ, quæ modo ſunt, non pertinent ad ordinem vniuerſi, ergo Angelus non habet earum ſpecies.

Sextum argum. ¶ Sextò. Si ſpecies intelligibiles eſſent propriæ paſsiones Angeli, eſſent ex vi eſſentiæ Angelicæ determinatæ in certo numero, ita vt non poſſent eſſe plures neq; pauciores; Sed hoc eſt falſum, nam ſi Deus nouam aliã creaturam decreuiſſet producere in vniuerſo, infunderet Angelo nouã ſpeciem intelligibilem, vt docet D. Tho. in hac quæſt. ergo ſpecies intelligibiles Angeli nõ ſunt determinatæ ex natura ſua, ſed determinãtur ex ordine diuinæ prouidentiæ cũ ordine ad vniuerſum. ¶ Confirmatur. Quia ſequeretur, quod eſſentia Angeli haberet in ſe infinitã virtutem cathegorematicè. Probatur ſequela, nã tot ſpecies intelligibiles iuxta contrariã ſententiã poſſunt ab eſſentia Angeli fluere, quot põt Deus rerũ ſubſtãtia, ſi creare, ſed poteſt Deus infinitas; ergo poſſunt fluere infinitæ ſpecies ab eſſentia Angeli, & per conſequens erit virtutis infinitæ.

Solutio. Impugnatio. Quod ſi respondeas poſſe fluere infinitas ſyncathegorematicè, ſed non infinitas actu, Contra. Nã ad producendũ infinitas creaturas ſyncathegorematicè gradualiter requiritur virtus perfectionis infinitæ in cauſa, ergo ſi eſſentia Angeli poteſt produ ſpecies intelligiles in infinitum diſtinctas eſſentialiter, neceſſe eſt, quod in ipſa ſimpliciter ſit virtus infinita, nã inde colligimus virtutem infinitã eſſentiæ diuinæ, quia poteſt in infinitum plures ſubſtantias rerum eſſentialiter diſtinctas producere. Denique hæc ſententia eſt D. Tho. in. 2. diſt. 3. q. 2. artic. 1. vbi docet, ſpecies iſtas à ſolo Deo prouenire in mentibus Angelicis.

Tertia ſententia. ¶ Tertia ſententia eſt aliorum aſſerentium, quod quamuis negetur ſpecies intelligibiles Angelorum ab eſſentia effectiuè dimanare, non tamen eſt dicendum, ſolũ eſſe concreatas, tanquam vt ipſa eſſentia (ex intrinſeca perfectione, quã habet in ordine ad intellectum) poſtulet ſecum cõcreari, tanquã ſibi neceſſarias ad illud cõplementum, cum quo eſt ipſi connaturale produci. Et ſi hoc modo intelligatur ſententia Ferraræ vera eſt, non tamen illã ſatis Ferrara explicuit. Probant autem iſtã ſententiã, quia reliquæ ſententiæ facile poſsint impugnari. Primò quidem, quoniã eſſentia Angeli, neque formaliter, neque virtualiter continet ſpecies intelligibiles; ergo nõ poteſt eſſe earũ cauſa.

Primum argum. Probatur antecedens, quia alias quicunque Angelus, comprehendens propriam eſſentiam, cõprehenderet omnes ſpecies, vel cognoſceret omnes ſpecies, ſicut cõprehẽdẽs eſſentiã cognoſcit in ea omnes potẽtias, & proprietates naturales, quæ ab ipſa poſſunt emanare, & qui cõprehendit cauſam aliquã cognoſcit omnes effectus, qui in ea cõtinẽtur eminenter, aut virtualiter, & ex conſequenti cognoſceret omnia obiecta, quę per tales ſpecies repræſentãtur, quia nõ poteſt cognoſci aliqua ſpecies, vt ſpecies eſt, niſi cognoſcatur eius repræſentatio. Confirmatur, quia ſpecies eſt imago naturaliter repræſentatiua obiecti, ergo nõ poſſunt produci efficienter ab eſſentia Angeli, patet ſequela, quia non poteſt produci niſi ab obiecto, vel ab eo, ſi quo eſt ſimilitudo obiecti, quia alias indifferenter poterit quæcunque ſpecies à quocũque produci. *Confir. 1.* Confirmatur ſecundo; quia eſſentia Angeli ſecundum ſe ſumpta non eſt ſimilitudo obiectorũ, neq; formalis, neque virtualis, cum ab eis diſtinguatur formaliter, & non ſit eorũ cauſa. *Confir. 2.* Ex hoc quidem argumentũ poteſt etiam obijci contra vltimã ſententiam, quoniã cum eſſentia Angeli, & ideæ diuinæ nõ concurrãt vt duæ rationes agendi partiales & proximæ; ſed vt ratio particularis, & vt ratio vniuerſalis, neceſſarium erit, quod in ipſa eſſentia Angeli virtualiter contineantur ſpecies obiectorum, vt ex ea poſsint dimanare, & ita inſurgit inconueniens propoſitum. Neque poteſt dici, ſatis eſſe, quod contineantur in ideis, vt eſſentia Angeli quatenus ſubordinata ipſis ideis poſsit eſſe cauſa ſpecierum; *Solutio. Impugnatio.* quoniã ſi eſſentia Angeli eſt ratio producendi ſpecies, non eſt ratio inſtrumentalis, ſed conſtituens cauſam propriam, alioquin nõ deſeruiret eius cauſalitas ad explicandum quõmodo ſpecies ſint ipſi connaturales, & tamen ad hoc ſolum introducitur à ſuis autoribus. Neq; obſtat contra prædicta Diuũ Thomam docere ſpecies eſſe cõnaturales Angelo, quod eſſe nõ poteſt ſi omnino proueniant ab agente extrinſeco, & nullo modo oriantur ex principijs intrinſecis ipſius naturæ. *Obiectio. Solutio.* Cõfirmat, nã tribus modis poſſunt dici ſpecies cõnaturales angelo, q. ſunt ſibi coeuæ,

coenæ, vel quia ſunt ſecundùm inclinationẽ ipſius naturalem, vel quia dimanant ab eius eſſentia actiuè cõcurrente, ſed non ſufficiũt duo priora, vt dicantur connaturales, ergo neceſſario concedendum eſt tertium. Probatur minor, quia aliàs nullum eſſet diſcrimen quoad connaturalitatẽ inter ſpecies infuſas Adæ, & ſpecies Angelorum, quia illa duo etiam conueniunt ſpeciebus Adæ, cum fuerint ipſi à principio infuſæ, & cõformes inclinationi ſui intellectus, quoniã intellectus poſsibilis ex natura ſua eſt inclinatus ad recipiendum ſpecies, ſicut materia ad formã. *Obiectio.* ¶Quod ſi dicas eſſe diſcrimen quoniam Adæ per accidens conuenit non præcedere durationes ſuas ſpecies, Angelo vero per ſe. Sed contra, quia vlterius inquiri poteſt, quæ ſit ratio huius diſcriminis, & videtur, quod nulla poſsit aſsignari præter id, quod contendimus, ſcilicet, Angelo cõuenire ſpecies ratione principij actiui intrinſecè actiuè concurrentis, non tamen Adæ: ſi enim dicas rationem diſcriminis eſſe, quod habere ſpecies eſt conſonum, & naturale Angeli inclinationi, id poterit dici de omnibus, vt probatum eſt. *Solutio.* Reſpondetur tamen, ſpecies eſſe Angelo connaturales, non ſolũ, quia ſecundùm naturalem eius inclinationem, neque quia ſunt in eo à principio ſuæ actionis creatiuæ, ſed quia ita ſunt in eo, vt etiam modus quo, ſunt, & recipiuntur in eos ipſi eſt connaturalis, & ad hoc nõ eſt neceſſarium, quod ſpecies dimanent ex principijs intrinſecis ipſius, ſed ſatis eſt, quod productio earũ, licet ſit ab extrinſeco agente, ſcilicet, à Deo, ſint quodammodo debita ipſi Angelo, quia propria eius natura poſtulat ſic produci in eo ſpecies, ita vt ſeruato in eo ordine naturali, non poſsit aliter fieri: multa enim dicuntur connaturalia aliquibus rebus, non quia dimanent ab eis actiuè concurrentibus, ſed quia ſunt eis debita, vel ad eorũ integritatem, ſicut partes integrantes ſunt debitæ toti, vel ad complemẽtũ & actualitatem, ſicut anima rationalis eſt quodammodo debita materiæ vltimo diſpoſitæ, vel etiam ad exercitium ſuarum operationum, vt concurſus vniuerſalis eſt quodammodo debitus cauſis ſecundis, quia ſine eo non poterunt operari, atque hoc modo eſt quaſi debitum Angelo infundi ipſis ſpecies à Deo, cum creatur, quia & ipſę ſpecies ſunt ei neceſſarię ad exercitiũ propriæ operationis, & ex cõſequẽti quodãmodo debitæ, & quod ita producantur concreãdo eas cum ipſo: eſt etiam quaſi debitum, quia cũ non ſit alius modus, quo Angelus poſsit eas acquirere, propter eius maximã perfectionem in genere intellectualium, & ordo naturalis poſtulet, quod Deus, vt author naturæ, eas producat, quia Deus, & natura non deſunt in neceſſarijs, & ita non ſolum ſpecies, ſed etiam earũ infuſio eſt Angelo connaturalis, ſicut non ſolum anima rationalis, ſed etiam eius infuſio eſt naturalis, & quodammodo debita materiæ diſpoſitæ, ita quod ſicut Deum ſuſpendere eſſet miraculum, quia cum generãs, materiamque diſponens non poſsit producere animam rationalem, ratio & ordo naturalis poſtulat, vt ab authore naturæ, quia in neceſſarijs non deficit, producatur. ¶Neque eſt eadem ratio de ſpeciebus animæ rationalis, licèt ſint ei neceſſariæ ad exercitium operationis, ad quam inclinant naturaliter, & quandoque infundantur ei à primo inſtante ſuæ creationis, ſicut infuſæ ſunt Adæ, quoniã, quod ita infundantur, non eſt naturale, & quaſi debitum ipſi animæ, quoniam anima habet alium modum acquirendi ſpecies. Ex quo conſtat non ſatis explicari rem hanc à Ferrara, qui ſolum dixit, quod naturalitas ſpecierum reſpectu ipſius Angeli conſiſtit in hoc, quod in Angelis eſt naturalis inclinatio, vt eas recipiant immediatè à Deo, & de facto eas receperũt à principio ſuæ creationis, quoniam oportebat reddere rationem primi. ¶Quod ſi quæras, an ſit Angelo connaturale, quod ei infundantur ſpecies omnium obiectorum naturalium, quæ poſſunt produci, non ſolum per cauſas creatas, ſed etiam virtute diuina, an vero ſolum eorum, quæ de facto producuntur? Reſpondetur ſolum eſſe connaturale Angelo, quod ei infundantur ſpecies obiectorum pertinentiũ de facto ad ordinem naturalem vniuerſi, vel qui pertinebunt, in quo voluit eum Deus condere, quia productum eſt vt pars huius ordinis, & ideo ad authorem ipſius ſolum pertinet producere eum perfectum ſeruata proportione ad iſtum ordinem. Quare ſi Deus huic ordini adderet nouas creaturas, conſequenter eſſet Angelo connaturale, & quodammodo debitum, quod ei infunderentur à Deo nouæ ſpecies, vt expreſsè docet D. Tho. quæſt. ſequen. art. 2. ad quartũ.

Quarta ſententia. ¶Quarta ſententia eſt aliorum ſuper primã partem, quæſt. 55. art. 2. dubitatione. 2.

vbi

vbi docent oppoſitam ſententiam, quam tenet Capreolus vbi ſupra ad octauum argumentum contra ſecundam cooclusionē magis ipſis placere. Probant primo ſuam ſententiam ex Diuo Tho.q.54.art.4.ad.1. vbi ait, quod in Angelo non generatur ſcientia, ſed naturaliter adeſt, & ideo non oportet, quod habeat intellectum agentem, & poſsibilem. At vero ſi ſpeciali actione, quæ non eſt ipſa creatio Angeli, imprimit Deus in intellectu Aogeli ſpecies intelligibiles, non verificatur, quod non generatur ſcientiā in Angelo, & quod naturalitet adeſt illi, ergo.

Primum argum.

¶ Confirmatur ex eodem D. Tho. in art. ſequenti huius quæſtionis ad primū, vbi ait, quod prius ordine naturæ vniuerſales rerū rationes ſunt in intellectu Angelico, quam in ipſis rebus. At vero ſi ſpecies intelligibiles, quæ dicuntur vniuerſales rerum rationes, non ſunt propriæ paſsiones ab intrinſeco dimanantes in intellectu Angeli, non erunt prius ordine naturæ, quā rationes aliarum rerum in ipſis rebus. Verbi gratia, ſpecies intelligibilis, per quam repræſentatur ratio hominis aut cæli, nō erit prius ordine naturæ in intellectu Angelico, quā ratio hominis in ipſo homine. Probatur, quia ordine naturæ prius eſt, quod alicui cōuenit ex proprijs principijs, quam quod alteri conuenit omnioo ab extrioſeco, & per accideos, ſed ſi ſpecies intelligibilis Angeli non dimanar ex proprijs principijs non poteſt habere prioritatem ordine naturę reſpectu rationis hominis & proprietatū eius, ergo.

Confirm.

¶ Confirmatur ſecundo, quia ſecundum cōtrariam opinionem ſpecies intelligibilis datur Aogelo, oon propter ſe ipſum, ſed in ordine ad vniuerſum, vt cognoſcat res alias cteatas, ita quod ſi res aliæ non eſſent futuræ, non darentur Angelo illæ ſpecies, ergo prius eſt ordine naturæ, quod res aliæ habeant ſuas proprietates & rationes reales, quam quod Angelus habeat ſpecies intelligibiles. Si autem ſequamur ſententiam Capreoli, prius ordine naturæ habent Angeli ſuas proprietates, cum ſint enria perfectiſsima, quam aliæ res inferiores habeant ſuas proprietates.

Confir. 2.

¶ Secundò. Quia ex oppoſita ſententia ſequitur, quod per ſe loquendo homo eſt perfectioris naturæ intellectualis, quam Angelus. Probatur ſequela. Quia iam conuenirent homo & Angelus in hoc, quod ſpecies intelligibilis non dimanat à propria eſſentia in intellectu, ſed vterque eſt in potentia ad illas recipiēdas, ſed differrent in hoc, quod actus ille primus intellectus, ſcilicet, ſpecies intelligibilis reſpectu Angeli eſſet omnino ab extrioſeco, ipſo merè paſsiuè, ſe habente in acquiſitione ſpecierum, at vero homo propria virtute actiua intellectus agentis ſe ipſum reducit in actum primum, acquirendo ſpecies iotelligibiles, ergo homo per ſe loquendo, ex proprijs eſt magis in potentia proxima ad intelligendū alias res, quam Angelus. ¶ Confirmatur, & explicatur hæc ratio. Si Deus crearet vnum Angelum in puris naturalibus, ſcilicet, cū propria eſſentia & proprietatibus, quæ ab illa dimanant, ſequitur, quod Angelus erit ineptior ad cognitionem rerum, quam homo creatus in puris naturalibus. Probatur ſequela, quia homo per ſuas vires naturales poſſet acquirere ſcientiam, Angelus vero relictus ſuæ oaturæ nequaquam, niſi forte ſequamur ſententiam Scoti, ergo.

Secundum argum.

Confirm.

¶ Tertiò. Si quis cognoſceret diſtinctè quidditatem Angeli, cognoſceret conſequenter, quod eſt natura intellectiua aliarum rerum in potentia proxima, ergo ex natura ſua habet principia neceſſaria, & ſufficientia ad cognitionem rerum, aliàs eſſet in potentia remota, quod eſt falſum.

Tertium argum.

¶ Quartò. Ex duobus corporibus diaphanis, illud eſt perfectius, quod habuerit à ſe ipſo lucem, quam alterum, quod mendicat lucem ab extrinſeco, ſicur Sol eſt perfectior omnibus ſtellis, & cæleſtibus corporibus, quoniam à ſemetipſo habet lucem, tanquam proprietatem, ergo cum Angeli ſint naturæ ſpiritualis & lucidæ, ita vt quando dixit Deus, fiat lux, intelligantur Angeli creati, videtur abſurdum negare eas proprietates Angelicas ab intrinſeco conuenire, quæ neceſſariæ ſunt, vt ſpiritualiter luceant intelligendo vniuerſitatem rerum.

Quartum argum.

¶ Quintò. Quia ſequitur ex oppoſita ſententia, quod ſi Deus crearet vnicum Angelum, & nihil aliud, non ei imprimeret aliquam ſpeciem intelligibilem. Probatur ſequela. Quia ſecundum oppoſitam ſententiam non dantur Angelo ſpecies niſi ad cognitionem aliarum rerum, quæ ſunt in vniuerſo.

Quintum argum.

¶ Vltimò. Quia ratio Diui Thomæ, qua probat concluſionem primam multum deficeret: nam tunc non verificaretur, quod ſicut ſuprema corpora habent potentiam

Vltimum argum.

in ſui natura totaliter perfectam per formam, ita potentia intellectiua in ſubſtātijs idtellectualibus ſuperioribus naturaliter completa eſt per ſpecies intelligibiles con naturales ad intelligenda omnia, quæ naturaliter cognoſcere poſſunt. Hæc Diuus Thomas. Tunc eſt argumentum. Si potentia intellectiua Angeli de ſe non eſt completa, per iſtas ſpecies, magis quā per alias, nec de ſe habent maiorem vnionē cum iſtis, quā cū alijs, ergo eius naturalis potētialitas non eſt completa per iſtas ſpecies, quas mo do habet. ¶ Confirmatur, qui alias nō poterit bene diſſolui argumentum illud Durandi, quod ſic habet. Nam D. Tho. vel loquitur in illa ratione de complemento ſubſtan tiali, vel accidentali. Si primum, non eſt ad propoſitum, quoniam complementum ſub ſtantiale non fit in Angelis per ſpecies intelligibiles, ſed per ſubſtantiam ſuam. Si ſecundum, tunc ſic arguitur. Primo, nam Diuus Tho. aſſumit falſum, quoniam corpora cœleſtia non habent in prima ſua creatione totum accidentarium cōplementū, etenim luna & ſtellæ varijs modis illuminantur à ſole accidentariè ſecundum diuerſos aſpectus à ſole.

Confirm.

¶ Item ex iſta ratione probaret D. Thom. Angelum ſimul cum natura recepiſſe omnem perfectionem accidentariam, quam po teſt habere. Verbi gratia, actualem cognitionem omnium rerum ab ipſo cognoſcibilium, hoc autem falſum eſt, ergo. Probatur ſequela, quia hæc cognitio eſt complementum accidentarium Angelicæ naturæ. Si Angelus non habet ſpecies connaturaliter, tanquam proprias paſsiones ipſius, quomo do poteſt hoc argumentum diſſolui. Nam hoc Argumentū diſſoluitur dicendo, quod Diuus Thomas loquitur de complemento accidentali, ſed non de quolibet, ſed de illo qui eſt actus primus, cuius virtute potentia ſe ipſam poteſt reducere ad actum ſe cundum, vnde non ſequitur ex ratione Diui Thomæ, quod Angelus acceperit ſimul cum natura actualem cognitionem rerum omnium, quam poteſt habere, ſed quod acceperit omnes ſpecies intelligibiles, quæ ſunt principia ſufficientia ad cognoſcendum omnia, quæ naturaliter poteſt cognoſcere. Imo vero non loquitur Diuus Thomas, de omni complemento accidentali, qui eſt actus primus, ſed de illo tantum, qui eſt connaturale, & proprium, per ſe conueniens ſubiecto, vt ſunt ſpecies intelligibiles Angelicæ. Vnde ad illud ſtellarum & lunæ reſpondetur, quòd lumen illud non eſt perfectio connaturalis per ſe conueniens ſubiecto: & ita poteſt illis aduenire ab extrinſeco, ergo ſi ſpecies intelligibiles poſſunt aduenire Angelo ab extrinſeco, non ſunt connaturales Angelis neque potentia intellectiua in Angelis eſt naturaliter completa per ſpecies intelligibiles connaturales.

¶ Vltima ſententia eſt Doctoris, pro cuius explicatione & totius quæſtionis eſt primo notandum, quod in hac quęſtione aliud eſt quærere, quid ſit in rei veritate, & aliud quid ſenſerit Diuus Thomas, de hac re. Ex quantum ad hoc ſecundum non eſt mei muneris illud explicare, quia quod Thomiſtarum eſt, curent Thomiſtæ, & ipſi iudicent de hoc. Quantum vero ad primum aduertenda ſunt quæ ſequuntur.

Vltima ſententia. *1. Nota.*

¶ Secundò eſt notandum, quod totalis actiuitas ex parte intellectus tantum, non eſt, quod habeat naturaliter vnitum obiectum intelligibile ueque per ſe, neque per ſpeciem, vt patet in noſtro intellectu, quia cū ſint duæ cauſæ totales in ſuo ordine cauſandi, neutra ab altera dependet in ſua actiuitate. Vnde intellectus in ratione intellectus totam actiuitatem habet & obiectum, ſiue ſpecies in ratione obiecti, ſiue ſpeciei totam ſuam actiuitatem habet, ex quibus duabus actiuitatibus efficitur vna totalis actiuitas, taliter, quod quanuis ſpecies non informaret intellectum, dummodo eſſet vnita illi per realem præſentiam, qualiter eſſentia Angeli intelligentis ſe, quanuis nō ſit forma intellectus informās illum, eſt tamen illi intimè vnita in ratione obiecti, & propter hoc communiter dicitur, quod accidit ſpeciei quatenus eſt repræſentatiua obiecti, quod informet intellectum, & ſic nullo modo habet rationem partis, ſed rationem totius in ſua actiuitate, & idem dicendum eſt, de intellectu. Propter hoc à doctore in primo, diſtinctione. 3. quæſtione 6. dicitur, quod iſtæ duæ cauſæ ſunt totales in ſuo ordine.

2. Notab.

¶ Ex quo prouenit primo, quod intellectus Angeli, ſecluſo quocunque obiecto, ſiue ſpecie, habet ſuam actiuitatem totalem, ita quod reſpectu illius, neque ad illam indiget obiecto, vel ſpecie obiecti.

¶ Ex quo infertur ſecundo, quod obiectum

ſiue ſpecies obiecti accidunt ipſi intellectui, quatenus intellectus in ſuo ordine cauſandi eſt totalis cauſa.

¶ Ex quo infertur tertiò, quod cum neutra iſtarum cauſarum per ſe ſufficiat ad intellectionem, ſed ambo ſimul requirantur, quod vtraque altera indiget, quanuis vna ſit perfectior altera, nempe intellectus, quia ille imitatior eſt, & plura poteſt intelligere, quam ſpecies aliqua poteſt illi repræſentare propter quod dicemus quæſtione ſequente, intellectum pluribus ſpeciebus indigere ad cognoſcendum plura.

3. *Notab.* ¶ Tertiò eſt notandum, quod quanuis Angeli ſint intelligentiæ, & ad intelligendum non tot requirant, quot nobis ſunt neceſſaria: adhuc tamen eorum intellectus, ex vi intellectus præciſè, requirit obiectum vel ſpeciem ſibi præſentem in ratione obiecti. Quare non eſſet contra naturam Angeli, nihil aliud intelligere, quam ſe ipſum, quia ex vi intellectus nihil aliud habet ſibi præſens, quam propriam eſſentiam. Vnde ſi Deus nihil aliud produceret, quam vnum Angelum, non eſſet inconueniens illum tantum ſe ipſum intelligere, & quæ (ſi aliqua ſint) ex cognitione propriæ eſſentiæ manerent cognita. Habet tamen Angelus ex ſua natura virtutem actiuam, & pro ductiuam intellectionis, habita præſentia obiecti, ſiue per ſe ipſum, ſiue per ſpeciem, non taliter, quod ſine illa præſentia non habeat ſuam propriam actiuitatem, ſed taliter, quòd ſine illa obiecti præſentia non habet illam actiuitatem, quæ neceſſario requiritur ad intellectionem producendam, nam illa eſt, quæ conſurgit poſito intellectu, & obiecto ſibi præſente in ratione obiecti, vel per ſe, vel per ſpeciem, quam poteſt abſtrahere ab ipſa natura immateriali, vel materiali; vt diximus quæſtionibus præcedentibus.

Vltimo notab. ¶ Vltimò eſt notandum, quod cum Angeli intelligentiæ ſint, & Deus & natura non deficiant in neceſſarijs, & tribuant facultatem ad operandum, iuxta modum ipſius operantis, hinc prouenit, quod Deus infuderit illis ſpecies intelligibiles omnium intelligibilium, quæ infuſio naturalis eſt, id eſt iuxta naturam ipſorum Angelorũ. Nã ſi congruum & neceſſarium fuit Deum primo parenti infudiſſe ſpecies omnium rerum intelligibilium, quanto magis naturale erit illas infudiſſe Angelis, & intelligentijs ſeparatis. Cum igitur congruentius ſit intelligentias ſeparatas habere cognitionem omnium rerum, congruum etiam fuit Deum illis infudiſſe ſpecies vniuerſales intelligibiles omnium rerum. Et cum tales ſpecies non ſint ſimpliciter neceſſariæ ad naturam intelligentiarum, ſicuti neque obiecta, quorum ſunt ſpecies, quia poſſet Deus producere ſolam naturam Angelicam, & tunc eſſet vera ratio naturæ Angelicæ, ſine eo, quod eſſent in ea ſpecies intelligibiles aliorum obiectorum, hinc prouenit, quod modo nec de facto ſpecies intelligibiles ſint de integritate naturæ Angelicæ, nec de perfectione illius, niſi accidentali, quæ accidentalis perfectio eſt naturalis naturæ Angelicæ, quatenus naturale eſt ipſi omnia intelligibilia intelligere, & ita ſpecies ſunt naturales ipſi Angelicæ naturæ hoc modo, non tamen naturales, id eſt ex principijs ipſius naturæ proficiſcentes. Et per hoc patet quid dicendum ſit ad præſentem quæſtionem iuxta doctoris ſententiam.

Ad argu. pro vltima ſententia. ¶ Reſpondetur argumentis adductis pro vltima ſententia. Ad primum ex Diuo Thoma, reſpondetur, quod ſcientia in Angelis naturaliter adeſt, id eſt, non per acquiſitionem habetur, & ob hoc reſpectu illius non eſt neceſſarius intellectus agens. Quia in quacunque ſententia intellectus agens tantum ponitur ad acquirendas ſpecies intelligibiles. Vnde ſi intellectus habet illas infuſas, nõ eſt neceſſarius intellectus agens ad illas ſed ad alias acquirendas. *Ad primũ.* Ad confirmationem reſpondetur concedendo maiorem, & negando minorem: nam ſpecies intelligibiles in Angelis non habuerunt effectiuè eſſe ab obiectis, ſicut & reliquæ ſpecies in nobis, imo & quælibet ſpecies acquiſita habet eſſe prius natura in ipſis rebus, quam in intellectu, ſicut quilibet effectus prius natura habet eſſe in ſua cauſa, quam in ſe ipſo. *Ad confir.*

Ad ſecundã confir. ¶ Ad ſecundam confirmationem reſpondetur negando ſequelam, ſed inferendum eſt, ergo prius habuit Deus intentionem, quod res aliæ habeant ſuas proprietates, & rationes reales, quam quod Angelus habeat ſpecies intelligibiles, & hoc veriſsimum eſt, quia ſi Deus non intenderet producere alias res nec naturas, præter Angelicam, non tribueret illis alias ſpecies, quia nihil Deus facit ſuperfluum, & illæ ſpecies non eſſent ne-

neceſſariæ.

Ad ſecundum argu. ¶ Ad ſecundum reſpondetur negando ſequelam, quia Angelus ita habet propriam virtutem actiuam (& longè perfectiorem) intellectus agentis quam homo.

¶ Ad confirmationem reſpondetur, quod ſi Deus crearet vnum Angelum in puris naturalibus eſſet aptior ad cognitionem rerum, quam homo propter perfectiorem intellectum agentem.

Ad tertiū argum. ¶ Ad tertium reſpondetur, quod qui cognoſceret diſtinctè quidditatem Angeli, conſequenter cognoſceret, quod eſt naturæ intellectiuæ aliarum rerum, non tamen in potentia proxima, quia potentia proxima diceret totale principium, quale Angelus nō habet ex natura ſua, ſed vel à Deo infundente, vel ab ipſo acquiſito.

Ad quartum argu. ¶ Ad quartum reſpondetur, quod tantum concludit eſſe perfectiorem modum in Angelo habere ſpecies per modum propriarum paſsionum, non tamen probat, quod ille modus ſit poſsibilis.

Ad quintum argu. ¶ Ad quintum reſpondetur concedendo ſequelam, niſi Deus vellet, quod Angelus haberet cognitionem abſtractiuam rerum poſſibilium.

Ad vltimum arg. ¶ Ad vltimum reſpondetur, quod D. Thomas in illa ratione, qua probat concluſionem, tantum intendit, quod potentialita- intellectus Angeli completur naturaliter per iſtas ſpecies, quia intellectus Angeli naturaliter eſt inclinatus ad cognoſcendum intellectiuè quodcunque intelligibile, & talis inclinatio completur per iſtas ſpecies, quatenus Angelus per illas cognoſcit intuitiuè illa ad quorum cognitionem naturaliter inclinatur.

TEXTVS.

Ad quæſtionem igitur concedo concluſiones quatuor primarium rationum, quæ probant, quod Angelus ad cognoſcendum diſtinctas quidditates habeat diſtinctas rationes cognoſcendi. Diſtinct, 3. quæſt. 10. litera. F.

EXPLICATIO LITERÆ.

Doctor in hac litera ponit vnicā concluſionem, nempe quod Angelus per vnicam ſpeciem non poteſt cognoſcere perfectè, & diſtinctè plura, tam numero, quam ſpecie diuerſa. Hanc cōcluſionem probat quatuor rationibus, quas adducit à litera. A. vſque ad hanc literam. F. & quia in quæſtione ponendæ & corroborandæ ſunt, ideo hic illas omitto.

QVÆSTIO III.

¶ *Utrum Angeli ſuperiores intelligant per vniuerſaliores ſpecies.*

De hac re duplex eſt principalis ſententia. Prima eſt Diui Thomæ, & omnium Thomiſtarum, prima par. quæſt. 55. art. 3. aſſerentium partem affirmatiuam. *Prima ſententia. 1. Notab.* Pro cuius explicatione aduertunt, quod quæſtio impræſentiarum in duplici ſenſu poteſt diſputari. Primus eſt de ſpeciebus acceptis ab obiectis, & tunc idem eſſet, ac ſi quæreretur, vtrum à pluribus obiectis poſſet abſtrahī vna ſpecies intelligibilis, quæ repræſentaret omnia illa obiecta perfectè, & diſtinctè, & in hoc communiter fatentur, pro diuerſitate obiectorum debere eſſe diſtinctas ſpecies, neque poſſe eandem ſpeciem plures naturas ſpecificas repræſentare. Et ratio huius eſt, quoniam obiecta ipſa aut ſecundum ſe, aut ſecundum ſpecies, quas producunt in aliquo ſenſu concurrunt ſimul cum intellectu agente ad productionem ſpeciei intelligibilis, ſaltim determinando concurſum intellectus agentis ad productionem ſpeciei huius obiecti, potius quàm alterius, ergo neceſſarium eſt, quòd pro diuerſitate obiectorum reſultent diuerſæ ſpecies intelligibiles, quia diuerſitas effectuum reſpondet diuerſitati cauſarum particularium determinantium concurſum cauſæ vniuerſalis. ¶ Præterea, quia effectus non poteſt excedere virtutem cauſæ, ſed huiuſmodi ſpecies eſt effectus quidditatis particularis, ergo. ¶ Confirmatur, quia ita ſe habet ſpecies in eſſe intelligibili, ſicut ſemen in eſſe naturali, ſed ſemen ab animali deciſum tantum eſt productiuum ſimilis animalis ei, à quo deciſum eſt, ergo ſpecies accepta à particulari quidditate tantum eſt repræſentatiua illius, ergo. ¶ Quare in hac concluſione non eſt cōtrouerſia inter Diuū Thomam & Doctorem: tantum igitur controuertitur circa ſpecies infuſas, an tales poſſint repræſentare plures quidditates: taliter quod per vnam ſpeciem poſsit Angelus plures

plures quidditates cognoſcere, & in hac re, hanc aſsignant concluſionẽ. Si ſpecies ſint à Deo infuſæ, nõ eſt neceſſarium, quod ſint diſtinctæ pro diuerſitate obiectorum, ſed vna poteſt repræſentare plures naturas, quo ad propria cuiuſque earum. Hanc concluſionem probat primò: quia ſpecies comparatur ad potentiam cognoſcitiuam, ſicut forma conſtituens eam in actu primo ad operandum: ſed formæ, quibus particularia agentia conſtituuntur in actu primo ad exercendum proprias operationes; poſſunt contineri in vna forma, aut virtute ſuperioris agentis, ſicut in vna virtute ſolis continentur plures virtutes particularium agentium: ergo etiam in vna ſpecie ſuperioris potentiæ intellectiuæ poſſunt contineri plures ſpecies, deſeruientes intellectui inferiori, & ex cõſequenti per eam poterunt repræſentari ſimul plura obiecta, quæ ſigillatim repræſentantur per particulares ſpecies.

Primum argum.

Solutio. ¶ Quòd ſi reſpondeas, diſcrimen eſſe inter virtutem productiuam, & ſpeciem repræſentatiuam: quoniam virtus productiua nõ eſt poſterior effectu, nec menſuratur ab eo, ſed potius ipſe effectus eſt poſterior, & mẽſuratur à virtute productiua: & ideò cum vnitate virtutis productiuæ ſtat pluralitas effectuum. At verò ſpecies repræſentatiua ſi ſit creata, eſt poſterior obiecto, & ab eo menſuratur, & ideò cum eius vnitate nõ eſt pluralitas obiectorum, niſi detur vnum obiectum adæquatum: in quo reliqua formaliter contineantur. Hoc autem eſt impoſsibile.

Impugnatio. ¶ Contra, quia licèt diſcrimen hoc habeat apparentiam reſpectu ſpeciei, quæ deſumitur à rebus, non tamen reſpectu ſpeciei, quæ infunditur à Deo. *Confirm.* ¶ Confirmatur primò, quia non magis menſuratur ab obiecto ſpecies repræſentatiua, quàm habitus ſcientiæ: ſed idem habitus ſcientiæ poteſt terminari ad plures quidditates ſpecificas tanquàm ad obiecta, ergo etiam poterit vna ſpecies illas repræſentare.

Confir. 2. ¶ Confirmatur ſecundò, quia potentia cognoſcitiua ſuperior poteſt cognoſcere omnia obiecta, quæ percipiuntur omnibus potentijs inferioribus, licèt inter illa obiecta non detur vnum, quod contineat virtualiter reliqua. Sicut ſenſus communis percipit omnia obiecta ſenſuum externorum, inter quæ non datur aliquid, in quo contineantur reliqua virtualiter, ergo etiam vna ſpecies ſuperior poterit repræſentare omnia obiecta, quæ repræſentantur pluribus ſpeciebus particularibus, licèt non detur vnum aliquod obiectum, in quo contineantur omnia virtualiter.

Secundum argum. ¶ Secundo, eſſentia diuina repræſentat ſimul omnes quidditates poſsibiles, diſsimiles, atque diſtinctas inter ſe: ſed nulla ex parte repugnat, quòd iſta perfectio communicet in aliquo gradu limitato (etiã quo ad aliquas quidditates tantum) ſpeciei creatæ, licet non quo ad omnes: ergò bene poteſt fieri ſpeciem creatam ſimul repræſentare plures quidditates ſpecificas.

Solutio. ¶ Quòd ſi reſpondeas, negando minorem: quia ſpecies producũtur in Angelis à Deo, quatenus habet ideas omnium rerum, quæ per tales ſpecies poſſunt repræſentari: Vt Diuus Thomas inſinuat articulo præcedenti ad primum: & quia diuerſis naturis ſpecificis reſpondent diſtinctæ in Deo ideæ; ideo non poteſt produci vna ſpecies, quæ ſimul repræſentet diſtinctas naturas ſpecificas.

Impugnatio. ¶ Cõtrà, quia dato quod repræſentatio ſpeciei intelligibilis debeat eſſe commenſurata alicui ideæ, non commenſurabitur ideæ rei repræſentatæ per ipſam, ſed ideæ, per quam producitur: ſed non repugnat, quòd detur in Deo idea ſpeciei intelligibilis repræſentantis plures naturas ſpecificas: ergo non repugnabit ex ea parte, quòd producatur talis ſpecies. Probatur minor, quia ipſa eſſentia diuina, vt ratio cognoſcendi repræſentat ſimul omnes naturas, quæ à Deo cognoſcũtur, ergo etiam vt imitabilis per modum exemplaris, quod eſt habere rationem ideæ, poterit repræſentare plures naturas ſimul, & ex conſequenti poterit eſſe idea ſpeciei intelligibilis repræſentantis eaſdem naturas. Patet iſta cõſequentia, quia non repugnat quòd eſſentia diuina quo ad illam perfectionem repræſentandi plura ſimul, ſit imitabilis in ſpecie quo ad gradum aliquem finitum, neque quòd ſit exemplar talis imitationis.

Primo notab. præcedens ſententiæ. ¶ Vt autem prædictam ſuam ſententiam explicent, aduertunt nonnulla; quorum primum eſt: quòd in explicatione prædictæ cõcluſionis non eſt vna communis ſententia inter diſcipulos Diui Thomæ, nam nonnulli aſſerentes ſpeciem intelligibilem eſſe formaliter repræſentatiuam, dicunt, quòd

vna ſpecies intelligibilis non poteſt eſſe repræſentatiua plurium quidditatum. Quare concedunt ſpeciem intelligibilem poſſe repræſentare plures quidditates ſubſtantiales, quia non repræſentat formaliter, ſicut conceptus, ſed cauſaliter ſolum, vt principium effectiuum cognitionis, & verbi, quòd eſt expreſſa rei ſimilitudo formalis. Species autem eſt virtualis ſimilitudo: ſicut verbi gratia, ſemen dicitur ſimilitudo rei generandæ non formalis, ſed cauſalis vel virtualis. Alij verò docent, quòd ſicut in eſſe naturali datur vna cauſa æquiuoca, productiua pluriũ, vt ſic (vt patet ex ſole & ſtellis) ita dari poteſt in eſſe intelligibili vnica ſpecies æquiuoca, quæ repræſentat plura, vt plures ſunt: non tamen concurrat ſimul vnica actione ad intelligendum plura, ſed ſeorſum nũc ad intelligendũ hanc quidditatẽ, nunc verò ad illã. ¶ Alij verò dicunt ſpecies intelli gibiles in angelis eſſe formales ſimilitudines obiectorũ, & per cõſequẽs repræſentare formaliter plures quidditates diſtinctè & perfectè, & nõ tantũ eſſe virtuales ſimilitudines. Quã ſniam dicũt D. Tho. infra quæſt. 58. vbi ait, cõceptũ vniuerſalẽ in Angelis repræſentare formaliter, & diſtinctè plures quidditates quantum ad omnia, in quibus conueniunt, & differunt: & tamen conſtat, quòd conceptus repræſentat formaliter, & non effectiuè: ergo pari ratione ſi non eſt impoſsibile dicere de verbo mentis, multò minus de ſpecie intelligibili. Imo vero cum verbum productum aſsimiletur formæ, qua intellectus agit intelligendo. Sequitur quòd ſicut verbum, ſeu cõceptus poteſt repræſentare plures quidditates, quantum ad omnia, in quibus conueniunt, & differunt, id multò meliùs poterit ſpecies intelligibilis impreſſa, cùm id poſſit expreſſa. Profectò ſicut ſpecies intelligibilis in intellectu verè repræſentat imperatoris vultum, & faciem, ita vt perfectè repræſentet naſum, oculos, aures, & caput, ac ſi eſſent diſtincta, & diuiſa, non eſt cur repugnet, quòd ſpecies vnica perfectiſsima, & vniuerſalis, & Angelica poſſet plures quidditates rerum repræſentare.

Secunda ſententia. ¶ Secunda ſententia eſt Doctoris, vt patet in litera. Pro cuius explicatione, eſt primò

1. Notab. notandum, quòd in hac re & quæſtione ſupponimus ſpeciem intelligibilẽ eſſe naturalem quandam ſimilitudinem ipſius obiecti, & non tantum virtualem, ſiue productiuã per modum cauſæ æquiuocæ: nam ſi hoc verum eſſet, non eſſet difficultas, an poſsit dari vnica cauſa productiua pluriũ effectuũ, ſed tota quæſtio eſt. Vtrum, dato quòd ſpecies intelligibilis ſit ratio formalis, & naturaliter repræſentatiua obiecti, poſsit eſſe ratio diſtinctè cognoſcendi diſtinctas quidditates, & diſtincta indiuidua. ¶ Secũdò eſt

2. Notab. notãdũ, ꝙ ſpecies intelligibilis reſpectu intellectus ad intellectionem aliter ſe habet, quã habitus: nã habitus ponitur in potẽtia ad facilitandũ eam, non autẽ vt ſit cauſa partialis, niſi qñ habitus ſunt ſupernaturales reſpectu actuum ſupernaturalium: nam tunc verbi gratia, habitus fidei, ſiue charitatis non ſolùm ponitur in potentia ad facilitandum illam, ſed vt ſimul cum illa tanquàm cauſa partialis producat actum fidei, vel charitatis. At verò habitus naturalis generatus ex pluribus actibus non ponitur in potentia, niſi ad facilitandum illam ad actus ſimiles illis, ex quibus genitus eſt. At vero ſpecies intelligibilis ponitur in intellectu in abſentia obiecti, non tantum, vt intellectus faciliùs poſsit, ſed vt intellectus ſimpliciter poſsit producere intellectionem. Vnde quamuis ſcientia eſſet vnus ſimplex habitus (quæ non eſt in ſententia Doctoris) adhuc tamen non currit argumentum ab vnitate habitus ad vnitatem ſpeciei.

3. Notab. ¶ Tertiò eſt notandum, quod quæſtio iſta poteſt intelligi & de potentia Dei abſoluta, vel poteſt intelligi iuxta modum naturalem cuiuſcunque rei: & in primo ſenſu diſputabitur quæſtione ſequenti: in ſecundo autem ſenſu procedit noſtra diſputatio. Et ratio huius eſt, quia de ſpeciebus intelligibilibus poſſumus loqui dupliciter: vno modo de ſpeciebus intelligibilibus per accidens infuſis: ſecundò modo de ſpeciebus intelligibilibus per ſe infuſis. Dicuntur autem ſpecies intelligibiles per accidens infuſæ illæ, quæ vel ipſæ, vel aliæ eiuſdem rationis poterant acquiri ab obiectis ex natura ſua, infunduntur tamen à Deo ex mera Dei voluntate: ſicut verbi gratia, ſi Deus infunderet alicui tantam cognitionem Theologicam, quantam ipſe poterat acquirere ſtudio duorum vel trium annorum, tunc talis cognitio eſſet per accidens infuſa, & non per ſe: quia per ſe non requirebatur, cùm ſine illa talis cognitio haberi poterat, & ſpecies, quæ ſine infuſione haberi poterãt, ſi infundũtur, dicũtur per accidens

dens infuſæ. At verò illa, quæ per ſe non poſſunt acquiri, dicũtur per ſe infuſa: ſicut verbi gratia, illa ſpecies intelligibilis, quam Angeli habuerunt de Deo, qua Deũ quidditatiuè cognouerunt, iuxta ea, quæ (diximus diſputatione præcedente) fuit ſimpliciter, & per ſe infuſa, quia non poterat intellectus creatus illam acquirere, & abſtrahere ab obiecto, niſi Deus illam infunderet.

Primo ſenſus quæſtionis. ¶ Vnde in duplici ſenſu poteſt præſens quę ſtio diſputari. Primus eſt, Vtrum ſpecies infuſæ Angelis à principio ſuæ creationis fuerint per accidens infuſæ, an verò per ſe: & ſi fuerunt per accidens infuſæ, an per vnã ſpeciem poterat Angelus plures quidditates cognoſcere diſtinctè & in particulari, non tantum ſecundum rationem in qua conueniunt, ſed etiam ſecundum illas, in quibus diſtinguuntur. Et ſuppono pro iſta quæſtione, quòd non intereſt, an Angeli habeant intellectum agentem necne: ſed ſuppono quòd ſi haberent (vt habent) poſſent per illum abſtrahere illas ſpecies. Vnde tales fuerunt ipſis infuſæ ſpecies, quales ipſi acquirerent ab obiectis, ſi poſſent illas acquirere.

Secundus ſenſus quæſtionis. ¶ Secundus ſenſus quæſtionis eſt: an poſſit voluntas diuina producere ſpeciem aliquam intelligibilem repræſentatiuam plurium quidditatum diſtinctarum, quæ ſpecies non ſit naturaliter abſtrahibilis, ſed ſoli potentiæ Dei reſeruata: & in hoc ſenſu diſputabimus hanc quæſtionem in quæſtione ſequente. Nam iſta ſpecies eſt, quam appellamus in præſentiarum per ſe infuſam, quia implicat illam haberi actione alicuis cauſæ naturalis, quia dicit intrinſecum ordinem ad voluntatem diuinam, tanquam ad ſui cauſam productiuam.

4. Notab. ¶ Quartò eſt notandum, quòd ſicut cognitio eſt duplex, ſcilicet intuitiua, & abſtractiua, ita & ratio cognoſcendi eſt duplex, ſcilicet ratio cognoſcendi intuitiuè, & ratio cognoſcendi abſtractiuè. Dixi enim in primo, diſputatione. 15. quæſtione prima. notabili primo ex Doctore, quòd ad intellectionem alicuius tria videntur concurrere, nempe obiectum cognoſcibile, intellectus ipſe, & tandem ratio cognoſcendi, quamuis, vt ipſe docet in primo diſtinctione tertia, quæſtione ſeptima. ad intellectionem tantum requirantur intellectus, & obiectum, ſed ibi dicitur de notitia abſoluta, quæ ab obiecto & potentia paritur: ratio autem cognoſcendi requiritur propter diſtinctionem notitiarum. Vnde obiectum intelligibile intuitiuè eſt ipſa res exiſtens: ratio autem intelligendi intuitiuè eſt quidditas illius rei exiſtentis, quatenus eſt quidditas exiſtens: in cognitione autem abſtractiua res abſens eſt, quæ cognoſcitur: ratio autem intelligendi eſt quidditas rei, prout repræſentata per ſpeciem intelligibilem. Vnde quamuis ad notitiam intuitiuam requiratur ſpecies, ſicut ad abſtractiuam, quando obiectum per ſe non poteſt vniri potentiæ: maxima tamen differentia eſt inter ſpeciem repræſentantem obiectum præſens, & ſpeciem repræſentantem obiectum abſens. Nam ſpecies repræſentans obiectum præſens, repræſentat vtrumque obiectum, & eius præſentiam: & ſicut in obiecto eſt duplex repræſentatio paſsiua, vel duplex eſt ratio repræſentandi paſsiuè, ita in ſpecie eſt duplex ratio repræſentandi actiuè: quia repræſentando quidditatem præſentem, repræſentat & quidditatem, & præſentiam. Et ob hoc ratio cognoſcendi paſsiuè in obiecto non eſt præſentia, ſed quidditas à parte rei exiſtens, illa, ſcilicet, quæ cognoſcitur per ſpeciem, tanquam per rationem cognoſcendi actiuè: taliter tamen quòd ſi obiectum per ſe poſsit vniri potentiæ, non eſſet neceſſaria talis ſpecies. At verò in cognitione abſtractiua ſpecies intelligibilis eſt ſimpliciter neceſſaria, quia aliàs cum obiectum non ſit, non poſſet eſſe cognitio, & per conſequens neque in ipſo obiecto poteſt reperiri ratio cognoſcendi paſſiuè, ſed ipſa ſpecies eſt ratio cognoſcendi actiuè & paſsiuè, actiuè quatenus ſupplet vicem obiecti: paſsiuè verò quatenus in ipſa habet obiectum eſſe repræſentatum. Ex quo infertur, quòd ratio cognoſcendi intuitiuè hominem debet eſſe natura humana, taliter, quòd implicat intuitiuè cognoſcere hominem, niſi per naturam humanam, vel per aliquid, quod virtualiter, vel eminenter contineat illam ſecundum totam ſuam entitatem. At verò ad cognoſcendum aliquid abſtractiuè ſatis eſt ſpecies intelligibilis, quæ producat intellectionem. Vnde optimè aduertit Liquetus in primo, diſtinctione tertia, quæſtione ſexta. folio 89. columna ſecunda, quòd ratio formalis gignendi intellectionem abſtra-

ſtractiuam eſt ſpecies intelligibilis, & non obiectum relucens, quia obiectum, vt ibi tantum habet eſſe ſecundum quid, & nullum eſſe reale. Hoc autem eſt intelligendum de ratione intelligendi actiuè ſecus autem de ratione intelligendi paſsiue, quia (vt dixi) ita eſt obiectum ipſum repræſentatum in ſpecie, ſicuti in cognitione intuitiua, eſt quidditas realis per ſpeciem repræſentata.

¶ Ex quo infertur ſecundò, quòd ſpecies intelligibilis cauſata ab ipſa natura humana, eſt quæ naturalirer repræſentat illam, & nihil aliud ab ipſa natura poteſt producere ſpeciem intelligibilem illius, niſi contineat virtualiter vel eminenter ipſam naturam humanam.

5. *Notab.* ¶ Quintò eſt notandum, cum Liqueto in hac quæſtione, quòd differentia eſt inter rationem formalem cognoſcendi aliquid intuitiuè, & rationem formalem cognoſcendi aliquid abſtractiuè. Et ratio huius eſt, quia ratio formalis in cognitione intuitiua eſt prior natura, vel ſaltem ſecundum intellectum ipſo obiecto intuitiuè cognito, quia prius eſt quod obiectum vniatur intellectui, quàm quòd obiectum ſic cognoſcatur: & per conſequens prior eſt ratio formalis cognoſcendi actiuè ipſo obiecto cognito; & ſimiliter ratio formalis cognoſcendi paſsiuè ipſo obiecto intuitiuè cognito. At verò ratio formalis in cognitione abſtractiua ſemper eſt poſterior ipſo obiecto cognito, quia ſemper ſpecies intelligibilis cauſatur ab obiecto cuius eſt ſaltem remotè. Verbi gratia, natura albedinis mouet potentiam viſiuam cauſando ſpeciem ſenſibilem in ea, qua cauſata poſt eã cauſatur ſpecies ſenſibilis in phantaſia, quæ dicitur phantaſma, ipſum verò phantaſma partialiter cauſat ſpeciem intelligibilem receptam in intellectu poſsibili repræſentantem albedinem, vt albedo eſt. Et ſic patet quomodo ſpecies intelligibilis eſt poſterior ipſo obiecto intelligibili, quæ ſpecies eſt ratio intelligendi ipſum intelligibile obiectum.

¶ Ex quo patet quomodo vnitas ſpeciei repræſentando, & in cauſando cognitionem obiecti dependet ab vnitate obiecti, quod enim menſuratur præciſè ab aliqua menſura, non poteſt menſurari ab alia menſura. Quia ſicut vnitas effectus non poteſt eſſe à pluribus totalibus cauſis, ita nec vnitas menſuræ poteſt eſſe à pluribus menſuris totalibus, & ſic ſpecies intelligibilis hominis non poteſt eſſe ſpecies intelligibilis equi. Aduerte tamen quod iſta doctrina Liqueti tantùm procedit de ſpeciebus abſtractis ab obiectis, & de illis, quæ habent modum iſtarum. Secùs autem dicendũ eſſet de aliqua ſpecie per ſe infuſa, qua Deus de potentia abſoluta poſſet producere, vt cum ſapientiſsimo Bargio dicebam, talis enim ſpecies non habent prædictum modum, quia cum non eſſet cauſata ab obiecto, non haberet obiectum pro menſura illius, ſed cum eſſet excellentioris ordinis, aliter eſſet de illa iudicandum. Doctrina autem iſta Licheti intelligenda eſt, de ſpeciebus, quæ habent naturalem ordinem ſpecierum intelligibilium.

¶ Vltimò eſt notandum, quòd cùm Deus diſponat omnia ſuauiter attingens à fine vſque ad finem fortiter. Tales ſpecies infudit Angelus, qualis ipſi acquirerent ab obiectis, & moueor ad hoc, quia non ſunt ponẽda miracula abſque neceſsitate. Vnde quãuis fateamur probabiliter poſſe Deum producere ſpeciem intelligibilem repræſentatiuã plurium quidditatum etiã quatenus plures ſunt, non tamen ex hoc inferendum eſt, Deum optimum maximum illam talem ſpeciem produxiſſe, præcipuè in intellectibus Angelorum, quod ſi talis ſpecies producta à Deo eſt, quæ cum ſit vna plura poſsit diſtinctè, & adæquatè repræſentare mihi videtur dicendum ſoli Chriſto Dñõ eſſe talem ſpeciem conceſſam de qua rè latè dicemus ipſo Chriſto miſericorditer donante in diſputationibus ſuper tertium Sentẽtiarum in diſputatione de ſciẽtia Chriſti Dñi. *Vltimo notab.*

¶ Prima concluſio. Angeli à principio ſuæ creationis habuerunt ſpecies intelligibiles omnium rerum vniuerſalium. Hæc concluſio communis eſt apud omnes. Et probatur, quia Angelus non fuit inferioris conditionis quam homo, ſed homo habuit à principio ſuæ conditionis ſpecies omnium rerum vniuerſalium, ergo & Angelus. Maior eſt manifeſta & minor cõiter recepta. *Prima concluſio.*

¶ Secunda concluſio. Omnes Angeli habuerunt æquales ſpecies in ordine ad æqualia obiecta, neque vnus plures vel pauciores habuit, quàm alius. Hæc concluſio eſt Doctoris. Et probatur, quia inter ſpeciem, & obiectum eſt naturalis proportio & adæquata, ergo quot ſunt obiecta, tot debent eſſe *Secunda concluſio.*

eſſe ſpecies illa repræſentantes. Probo antecedens. Species eſt naturalis ſimilitudo obiecti, quatenus obiectum eſt repræſentabile, ergo alia & alia repræſentabilitas paſsiua requirunt aliam & aliam repræſentationẽ formalem, & per cõſequens aliam & aliam ſpeciem.

¶ Confirmatur. Nam ſpecies naturaliter repræſentat, taliter, quod non poteſt non repræſentare ea, quæ repræſentat, ergo ſi ſpecies eſt plurium repræſentatiua neutrum repræſentat adæquatè.

¶ Confirmatur ſecundò. Quia vna ſpecies, ſiue vna ratio cognoſcendi debet habere vnum obiectum adæquatum, & primariũ, in quo contineantur formaliter, aut virtualiter omnia, quæ repræſentare poteſt, & quorum eſt ratio cognoſcendi, ergo illi rationi cognoſcendi debet correſpondere vna cognoſcibilitas paſsiua, vel ſaltim vna ratio cognoſcibilitatis paſsiuæ, & per conſequens plura obiecta cognoſcibilia plures ſpecies repræſentantes illa requirunt.

¶ Secundò. Si Angeli acquirerent ſpecies à rebus non poſſent per vnam ſpeciem plures quidditates cognoſcere, ſed ſpecies infuſæ Angelis ſupplent ſpecierum acquiſitarum, ergo tot habent ſpecies infuſas, quot haberent acquiſitas: ſed ſi haberent ſpecies acquiſitas, omnes Angeli eſſent æquales, vel haberent ſpecies æquales, ergo, quamuis habeant ſpecies infuſas, erunt quales in ſpeciebus.

¶ Tertiò. Nam Deus illas ſpecies infudit Angelis, quas ipſi à rebus acquirerẽt, ſi illas infuſas nõ haberent, ſed acquirerẽt ſpecies æquales, ergo. Antecedens probatur quia non eſt ponendum miraculum ſine neceſsitate. Quia tamen præſens quæſtio aliã requirit, nempè, vtrũ Deus poſsit producere ſpeciem intelligibilem repræſentãtem plura, vel plures naturas, quatenus pluris ſunt, ideo eius explicatio differenda eſt vſq; ad quæſtionem ſequentem.

QVÆSTIO IIII.

¶ *Vtrùm Deus de potẽtia abſoluta poſſit producere aliquã ſpeciem repræſentantem plures naturas per modũ plurium.*

1. Senten. DE hac re eſt prima ſententia Thomiſtarum aſſerentium nõ tantum de potentia abſoluta, ſed etiam de facto ſunt ſpecies, ita vniuerſales in repræſentando, vt vna earum repræſentet ſimul diſtinctas naturas ſpecificas. ¶ Pro explicatione huius ſententiæ aduertunt nonnulli, 1. Not. quod aliter oportet intelligere ſpecies vniuerſales in intellectu Angelico, quam in noſtro quia cùm ſpecies intellectus noſtri ſint abſtractæ à ſingularibus & ab inferioribus, non continent illa actu, ſed ſicut & ipſa ſuperiora non continent actu à parte rei, ſed potentia. Nam animal ſolùm potentia continet differentias diuidentes. Ex quo prouenit vt inter homines, qui per ſpecies magis vniuerſales rerum naturas intelligunt, pauciora, & imperfectius attingunt: Vt ſiquis ſolùm cognoſceret in homine, quod eſt animal, imperfectè cognoſceret, & adhuc imperfectiùs, ſi ſolùm de illo cognoſceret quod eſt ſubſtantia. At verò in Angelis aliter contingit, qui non ab inferioribus ſpecies colligunt, ſed illas à ſupremo fonte ſuſcipiunt. Vnde ſicut in potentijs ſubordinatis quanto fuerit ſuperior, tanto ad plura ſe extendit, potens quidquid inferior, & aliquid amplius, & quantum fuerit vicinior ſupremo, tanto eius virtus pluribus cõmunicatur, vt in gradibus Eccleſiæ videmus, idem de ſpeciebus Angelicis dicendum eſt.

¶ Ex quo infertur primo, quod aſcendendo per gradus naturæ Angelicæ perueniri poterit ad vnum, ſiue creatum, ſiue poſſibilem Angeli, qui per vnicam ſpeciem omnia alia à ſe intelligat, de quare infra. Nam ſi demus quod inferior Angelus per vnam formam intelligibilem vnam intelligat naturam, facile erit gradibus multiplicatis ad eam vnitatem peruenire. Nunquam tamen eſt admittendum, quòd ſi Deus crearet alium ſuperiorem per propriam eſſentiam cognoſceret omnia, vt eius intellectio eſſet magis vnita. Nam ad creationem illius Angeli conſequeretur multiplicatio ſpecierum in inferioribus, vt aduertit Caietanus.

¶ Secundò infertur, quod poteſt eſſe conceptus Angeli, qui adæquate exprimat omnia, quæ in ſpecie repræſentantur. Nam ſpecies ſe habet ad conceptum ſicut ſemen ad prolem, ex vno autem ſemine vna integra proles naſcitur. Vnde quidquid ſpecies cauſaliter repræſentat, verbum exprimit

primit formaliter. Hoc autem intelligendũ dicũt de his, quæ per ſe primo repræſentantur qualis eſt ſpecifica natura. Nam indiuidua, quæ ſecundario continentur ab ſpecie non videtur eſſe neceſſarium, quod vnica comprehendantur notitia, quanuis qui oppoſitum diceret, nihil abſurdum concederet, dummodo ſingularia ſuam aliquando exiſtentiam habuerint. Hoc tamen certum eſt, quod cum vſus ſpecierum ſit Angelis voluntarius poterit per eam ſpeciem vniuerſalem obiectum aliquod partiale actu conſiderare.

¶ Tertiò infertur, quod Angelus ſuperior eodem tempore poteſt plura cognoſcere, quam inferior, & hoc potiſsimum præſtat illi vniuerſalior ſpecies. Nam ex dictis conſtat, quod ſicut vna ſpecies æquiualet multis inferiorum, atque adeo vnus actus æquiualet pluribus notitijs inferiorum, ſed eodem tempore non poteſt Angelus inferior plures habere actus quam ſuperior, quin potius ſuperiores ſunt ſimpliciores in operando, & ſunt eorum menſura. Id quod in viſione corporali ſatis patet. Nam qui præualet viſu, plura eodem actu attingere poteſt.

¶ Quartò infertur, quod illud, quod eſt totale obiectum reſpectu vnius, eſt partiale reſpectu alterius. Nihilominus tamen cuilibet ſpeciei reſpondet ſuum adæquatum obiectum, & quod illa repræſentat exprimit verbum. Eſt tamen conſiderandum, quod ſicut in ſcientijs humanis ſecundum vnam rationem cognoſcendi plures res ad eandem ſcientiam referuntur, vt patet in Aſtrologia, & Philoſophia, ita dicendum eſt de ſpecie cuiuſque Angeli, quod habet ſuam propriam rationem attingendi, in qua conueniunt plura, quæ ab illa repræſentantur. Quod ſi quæratur ab iſtis, quæ ſit iſta ratio formalis, quæ conſtituit obiectum adæquatum ſpeciei Angelicæ? Reſpondent, quod intelligibile proportionatum eſſentiæ cuiuſque ſicuti & viſibile proportionatum meæ potentiæ viſiuæ conſtituit adæquatum obiectum illius, poterit tamen eſſe, quod alterius acutioris viſus latius ſit obiectum. Vnde omnia obiecta, quæ repræſentari poſſunt per vnam ſpeciem infuſam, omnia illa habent rationem vnius obiecti adæquatè, comparatione ad illam ſpeciem, ita vt ſi Angelus per vnam ſpeciem intelligat hominem, leonem & equum, iſtæ tres naturæ habeant rationem vnius obiecti comparatione ad talem eſpeciem Angeli ſub vna ratione repræſentabilis reſpectu ſpeciei. Quo circa vniuerſi cognoſcuntur intra eandem ſpeciem intelligibilem, & ſub ratione eius cognoſcuntur per modum vnius obiecti, & ita fit, vt intellectus cognoſcat plura per modum vnius, & non per modum plurium.

¶ Secundò. Aduertunt, non ſatis conſtare inter expoſitores Diui Thomæ, quæ vnitas ſit iſta, quæ requiritur in obiecto repræſentato, ratione cuius dicatur, quod Angelus per vnicam ſpeciem intelligit plura in ratione vnius obiecti adæquati. Nam Capreolus in 2. diſtinctio. 3. ad primum Scoti contra. 7. concluſionem dicit tantum requiri in ſpeciebus acquiſitis talis vnitas non tamen in ſpeciebus infuſis, quia conſtat eandem ſpeciem intelligibilem eſſe rationem intelligendi habitus, & priuationes. Et tamen certum eſt, quod reſpectu vtriuſque non datur vna ratio, neque vnum obiectum adæquatum, in quo virtualiter contineantur habitus & priuatio.

2. Notab. Dubium.

Primus modus dicendi Thomiſtarũ.

¶ Iſta tamen explicatio alijs non placet, quia licet loquendo de obiecto materiali, & quod repræſentatur per ſpeciem, verum ſit, quod vna ſpecies, aut ratio cognoſcendi debet habere vnum obiectum adæquatum & primarium, in quo contineantur formaliter, aut virtualiter omnia, quæ repræſentare poteſt, & quorum eſt ratio cognoſcendi, & quod ſpecies, repræſentans perfectè diſtinctas quidditates, non poteſt habere aliquod obiectum vnum, in quo ita contineantur omnia, quæ per eam repræſentantur: quanuis igitur iſta vera ſint de ſpecie, aut de ratione intelligendi ab obiecto deſumpta, non autẽ de ſpecie infuſa à Deo, qualis eſt de qua loquimur. Nihilominus tamen illa expoſitio Capreoli continet duo, que videntur falſa. Primum eſt, ad vnitatem ſpeciei a Deo infuſæ non eſſe neceſſariam vnitatem aliquam obiecti. Alterum eſt, huiuſmodi ſpeciem non menſurari à ſuo obiecto. Primum enim falſum eſt, quia eſſentia ſpeciei, in quantum eſt formaliter repræſentatiua, conſiſtit in ordine ad obiectum, ſed ad vnitatem ſpecificam ordinis requiritur vnitas termini, ergo etiam ad vnitatem ſpeciei requiritur

Impugnatio prædicti modi dicendi.

vnitas

vnitas obiecti. Secundum autem dictum Capreoli etiam videtur falſum, quoniam non eſt aliud eſſentiam aliquam (quæ vere eſt abſoluta) conſiſtere in habitudine ad aliud, quam eſſe adaptatam, & commenſuratam in ordine ad aliud, ſicut ſolet dici de potentijs habitibus, & actibus, ergo ſi eſſentia ſpeciei, vt repræſentatiua eſt conſiſtit in habitudine ad obiectum, neceſſarium eſt, quod ſit commenſurata eum ordine ad ipſum, & ex conſequenti, quod reſpiciat ipſum tanquam menſuram.

¶ Confirmatur. Quoniam habitus infuſi, licet non producantur noſtris actibus, ſed à Deo infundantur, quia tamen in hoc conueniunt cum acquiſitis, quod habent eſſentiam ordinatam ad obiectum, ideo etiã in hoc conueniunt cum ipſis, quod ad ſuam vnitatẽ poſtulant obiecti vnitatem, & reſpiciũt obiectũ tanquã menſurã ſuam, ergo pari ratione, licet ſpecies infuſæ nõ accipiãtur ab obiectis, quia tamen conueniunt cũ ſpeciebus acceptis in hoc, quod earum eſſentia conſiſtit in ordine ad obiectum, habebunt etiam hoc illis commune, quod ad earum vnitatem ſit neceſſaria vnitas obiecti, & quod reſpiciant obiectum tanquam menſuram ſuæ repræſentationis.

Secũdus dicẽdi mod.

¶ Hac igitur de cauſa Caietanus ſoluendo hoc argumentum, admittit ad vnitatem ſpeciei neceſſariam eſſe vnitatem obiecti primarij, & adæquati: dicit tamen ſecundò, non eſſe neceſſariam vnitatem ſecundum eſſe reale. Hoc eſt, quæ conueniat tali obiecto ſecundum eſſe, quod habet à parte rei, ſed ſufficere vnitatem formalem ſicut ſpecies naturæ leonis exiſtens in noſtro intellectu, habet vnitatem in ſuo obiecto primario, & adæquato, formalem tamen, quæ non conuenit naturæ leonis ſecundum eſſe quod habet à parte rei, & ita non reſpondet adæquatè tali ſpeciei aliqua vna rei, ſed ſolũ vna ratio formalis.

¶ Et hoc modo (dicit) reſpondet ſpeciei repræſentanti plures naturas ſpecificas vnum obiectum adæquatum, non quidem vnitate rei, ſed vnitate rationis formalis, in qua omnes illæ naturæ conueniunt. Et licet non explicet, quænam ſit iſta ratio formalis, tamen aperte colligitur, quod ſentit eam eſſe rationem genericam, tum ex illo exemplo ſpeciei, naturæ ſpecificæ, quo vtitur, in eo enim aperte dicit, vnitatem rationis formalis ſpecificæ conuenire obiecto adæquato talis ſpeciei, tum etiã, quia nulla alia ratio formalis poteſt eſſe cõmunis pluribus naturis ſpecificis. Et ita ſententiã iſtam explicat Ferrara ſecũdò contra gentes c. 98. Vbi illã amplectitur quamuis etiam ſequatur ſententiam Capreoli.

¶ Sed neque iſta ſolutio placet prædictis impugnantibus ſententiam Capreoli, quia ſequitur ex ea neceſſarium eſſe, quod ſpecies repræſentans diſtinctas naturas ſpecificas, repræſentet ſimul omnes, quæ conueniunt genere, hoc tamen videtur falſum, & ratio eſt, quia quamuis fieri poſſet ſpecies, quæ repræſentet illas omnes naturas, non tamen eſt neceſſarium, quod quæcumque fuerit repræſentatiua aliquarum ex eis, ſit repræſentatiua omnium, quia non poteſt aliqua ſpecies repræſentare diſtinctas naturas ſpecificas, niſi habeat pro ratione formali obiecti illa rationem genericam, in qua conueniunt, ergo neceſſarium eſt, quod ſimul repræſentet omnes naturas, quæ in illa ratione conueniunt: conſequentia patet: quia tantam habet latitudinem repræſentatio ſpeciei, ſicut ratio formalis ſui obiecti, ſed quæcunque potentia, aut habitus extendi poteſt ad omnia, quæ participant rationem formalem ſui obiecti, ergo.

Explenditur prædictus modus.

¶ Confirmatur, quia cum diſtinctæ naturæ ſpecificæ pertineant ſecundum proprias differentias ad eandem ſcientiam, non ſemper poſſunt habere pro ratione formali conuenientiam in ratione generica, ergo nec vt repræſentantur per eandem ſpeciem. Antecedens patet, quia contingere poteſt, quod ratio generica, & differentiæ contrahentes ipſam habeant inæqualem abſtractionem, & ex conſequenti pertineant ad diſtinctas ſcientias. Neque fauet Caietano exemplum, quo vtitur ſpeciei naturæ genericæ, aut ſpecificæ, quæ eſt in noſtro intellectu, quia talis ſpecies non repræſentat plura quo ad proprias eorum differentias, ſed ſolum quoad gradum communem in quo conueniunt. At vero ſpecies de qua loquimur debet repræſentare plura perfectè etiam quoad eorum differentias.

Tertius modus tenentium Primã ſententiam.

¶ Omiſsis igitur prædictis explicationibus, prædicti opinantes propriam explicant ſententiam dicentes, vt ad vnitatem ſpecificam ſpeciei intelligibilis ſufficere vnitatem ſpecificam obiecti in genere obiecti,

obiecti, & non eſſe neceſſariam vnitatem obiecti in genere rei omnimodam, licet requiratur aliqua, & quia diſtinctæ naturæ ſpecificæ poſſunt eſſe vnum vnitate ſpeciei ſpecialiſsimæ in genere obiecti, ideo poſſunt repræſentari per vnam ſpeciem intelligibilem. Vt autem prædicta ſententia facilius intelligatur, aduertunt primo, obiectum ſpecici intelligibilis poſſe conſiderari in duplici genere, ſcilicet, in genere rei, & in genere obiecti, verbi gratia vt eſt res quædam, vel vt obiicitur repræſentationi ſpeciei, tanquam re per eam repræſentatam. Vnde iuxta hoc diſtinguendæ ſunt in obiecto duæ rationes formales, quibus in illis generibus conſtituatur. Prior appellatur ratio rei, ſiue ratio, quæ, poſterior autem ratio obiecti, ſiue ratio ſub qua, & licet duæ iſtæ rationes habeant inter ſe ordinem, ita vt prior ſupponatur poſteriori, ſicut materiale formali, & ex conſequenti ſit neceſſarium, vt quæuis earũ habeat aliquam vnitatem, quoniam alias nõ poſſent prædicto modo coniungi, non tamen eſt neceſſarium, quod conueniant in gradu vnitatis, ſed poteſt eſſe maior vnitas in poſteriori, quam in priori, ſicut in obiectis potentiarum conſtat: nam verbi gratia, colores, qui pertinent ad potentiam viſibilē, non ſunt in genere rei vnum vnitate ſpecialiſsimæ: At vero in genere obiecti, neceſſarium eſt, quod habeant hanc vnitatem. Et ratio huius diſcriminis eſt, quia ſpecificatio ſpeciei, vt repræſentatiua eſt, non ſumitur ab obiecto, vt eſt in genere rei præciſe, ſed vt collocatur in genere obiecti, & ideo ad vnitatem ſpecificam repræſentationis ipſius ſpeciei non requiritur, quod obiectum habeat eandem vnitatem in genere rei, ſed ſufficit & requiritur, quod habeat eam in genere obiecti. Vnde ad illam rationem doctoris, quod vna ratio cognoſcendi debet habere vnum obiectum adæquatum, & cætera. Reſpondent diſtinguendam eſſe, quia ſi intelligatur de obiecto in genere rei, eſt abſolute falſa, & habet manifeſtam inſtantiam in potentijs, in quibus certum eſt, non eſſe neceſſarium dari tale obiectum adæquatum, ſicut potentia viſiua habet pro obiecto colorem vel lucem, & tamen neque color continet virtualiter lucem, neque è conuerſo, neque etiam datur aliquod tertium, quod ſit obiectum viſus, in quo hæc duo virtualiter

1. Notab.

continerentur: ſi tamen intelligatur de obiecto, in genere obiecti, poteſt in aliquo ſenſu concedi, ſcilicet, de vnitate rationis formalis conſtituentis obiectum in genere obiecti, non enim poſſunt plura repræſentari per vnam ſpeciem, niſi quatenus conueniunt in vna ratione formali ſub qua, & in hoc ſenſu dicunt negandam eſſe minorē, nempe, quod ſpecies repræſentans perfecte diſtinctas quidditates, non poteſt aliquod obiectum vnum, in quo ita contineantur omnia, quæ per eam repræſentantur, quoniam ad hoc non eſt neceſſarium, quod vna ex naturis ſpecificis, quæ repræſentantur per talem ſpeciem, contineat reliquas virtualiter, ſed ſatis eſt, quod omnes conueniant in vna ratione ſub qua.

¶ His poſitis talem aſsignant cõcluſionem. Non ſolum eſt poſsibile Deum producere aliquam ſpeciem repræſentantem plura, verum etiam de facto, Deus produxit in Angelis huiuſmodi ſpecies vniuerſales plures quidditates repræſentantes. Hanc concluſionem probant primo, quoad primam partem.

Conc. authorũ prædictæ ſententiæ.

¶ Primò. Nulla poteſt aſsignari repugnantia in talis ſpeciei productione ergo. Probatur antecedens quia argumenta, quæ in contrarium opponuntur facillimè ſoluuntur: ergo.

Primũ argumẽtum pro. 1 par. conclu.

¶ Secundò Deus per ſuam vnicam eſſentiam repræſentat omnes quidditates poſſibiles, diſsimiles, & diuerſas inter ſe, non tantum per modum ſpeciei, ſed etiam per modum perfectiſsimi exemplaris ergo, non repugnat fieri ſpeciem creatam aliquo modo participantem illam repræſentationem diuinæ eſſentiæ, quæ ſpecies repræſentabit aliquas quidditates, licet non omnes, & modo minus perfecto, & tunc, talis ſpecies intelligibilis (prout eſt participatio diuinæ eſſentiæ) habebit participatiuè hanc eminentiam.

Secundum argumẽtum.

¶ Tertiò. Nam iſtæ ſpecies intentionales, & intelligibiles habent ſe tanquam principia agendi, complent tamen actiuitatem intellectus, ſed poſsibile eſt quod duæ virtutes actiuæ diuerſorum effectuum vniantur in ſuperiori virtute habẽte nobilius eſſe ergo ſimiliter eſt poſsibile quod duæ ſpecies inferioris ordinis vniantur in ſuperiori ſpecie habente perfectius eſſe, & conſequenter excellentiorem modum repræſentandi.

Tertium argumẽtum.

Vlti-

Vltimum argum. ¶ Vltimò. Nam ſenſus externi per diuerſas ſpecies attingunt ſua obiecta diuerſa, & nihilominus ſenſus communis omnia illa obiecta ſimul poteſt cognoſcere perſpeciem vnicam perfectius repræſentatiuam.

Primũ argum. pro ſecunda parte cõcluſionis. ¶ Secundam partem concluſionis probant primò. Nam Angeli habent magnam, & excellentem perfectionem in gradu intellectuali, & intelligibili, ſed intelligere per has ſpecies eſt perfectio Angeli, vt de ſe cõſtat, ergo.

Secundum argum. ¶ Secundò. Semper virtus, quo magis eſt vnita, eo eſt perfectior, ergo cum huiuſmodi perfectio Angeli ſit poſsibilis, (vt patet ex ſupradictis,) & hæc poſsibilitas non excedat ordinem naturæ, nam talis ſpecies habet entitatem ordinis naturalis, quia neque ex obiecto, neque ex alio capite habet ſupernaturalitatem, ſequitur quod de facto tales ſpecies vniuerſales (quales deſcripſimus) ſunt in Angelis.

Tertium argum. ¶ Tertiò. Species proportionantur lumini intellectuali, ſed lumen Angelicum eſt valde excellens, ergo ſpecies illæ proportionatæ erunt perfectiſsimi ordinis: ergo in modo repræſentandi habebunt aliquam excellentiam, quæ in hoc maximè relucet, quod vna ſpecies repræſentet plura. Nam in intellectu perfectiori perfectiores ſpecies debent conſtitui ex omnibus poſsibilibus, ſed tales ſpecies, de quibus loquimur, ſunt poſsibiles, ergo de facto debent in Angelis conſtitui, eo præſertim, quod quæ ſunt partita in inferioribus vniũtur in ſuperioribus.

Quartum argum. ¶ Quartò. Quanto aliqua cauſa ſuperior eſt, tanto ſimpliciori virtute operatur effectus omnes, quos inferiores, & multiplices cauſæ producunt.

Confirm. ¶ Confirmatur. Nam Diuus Thomas in diſputatis quæſtione de anima artic. 18. ad. 3. & de veritate quæſtione. 20. articul. 4. ad. 1. &. 2. ait, quod Angelus ſimul cognoſcit omnes numeros, & omnes ſpecies figurarum, & numerorum poſsibilium, quia non eſt cur ſiſtat in aliquo numero, cum poſsit illi addere vnitatem, & conſequenter vno actu cognoſcit, ergo per vnam ſpeciem, per quam comprehendit quicquid in numero continetur. Vel ſecundo formatur minor, ſed non cognoſcit ſingulis alias differentias ſingulis ſpeciebus intelligibilibus, aliàs eſſent infinitæ ſpecies Angeli in actu, ergo cognoſcit per vniuerſales ſpecies, per quas comprehendit quidquid in genere numeri continetur. Cõfirmatur ſecundo. Nam ſecundum, Diuum Thomam 1. part. quæſt. 57. artic. 2. Angelus cognoſcit per vnam ſpeciem naturam humanam, & omnia indiuidua, ergo ſaltem ſpecies intelligibilis Angeli eſt vniuerſalis reſpectu indiuiduorum, & ſufficiens ad diſtinctam ſingulorum cognitionem. *Confir.*

Vltimum argum. ¶ Vltimò. Nam Angelus non intelligit omnia indiuidua per ſpeciem vnius indiuidui, quia licet forte hoc in homogenis poteſt dici apparenter, non tamen in ætherequ genus, quæ in ſubſtantia, & proprietate magham habent diuerſitatem, ergo.

Secunda ſententia. ¶ Secunda ſententia eſt, Licheti, quam in proprijs terminis diſputat in præſenti litera. Pro cuius explicatione, & quæſtionis: *1. Notab.* eſt primo notandum, quod ſpecies intelligibilis eſt formalis ſimilitudo obiecti impreſſa, licet ſit virtualis ſimilitudo obiecti expreſſa, (id eſt) quia ſpecies intelligibilis poteſt producere verbum mentis, quod eſt expreſſa ſimilitudo rei, quamuis ipſa ſpecies in ſe ſit formalis ſimilitudo impreſſa, dicitur tamen ſimilitudo virtualis, non impreſſa, ſed expreſſa, quatenus potens eſt producere ſimilitudinem expreſſam.

2. Notab. ¶ Secundò eſt notandum, quod ſpecies intelligibilis, cum ſit formalis ſimilitudo obiecti, intrinſecum ordinem dicit ad illud, & intrinſecam commenſurationem. Et ratio huius eſt, quia tota ratio ſpeciei, vt ſpecies eſt, eſt repræſentatio, & per conſequens, ſicut repræſentabile & repræſentatum dicũt intrinſecum ordinem, quia ſi repræſentatiuum eſt adæquatum ipſi repræſentato, tantum debet repræſentare, quantum ipſum repræſentatũ eſt repræſentabile: ex quo prouenit, quod cũ ſpecies intelligibilis ſit forma naturalis in repræſentando, & de ratione cauſæ naturalis ſit, quod agat quantum poteſt, & ſecundum vltimum ſuæ potentiæ, implicaret contradictionem, actiuo & paſsiuo debitè approximatis & non impeditis (qualia ſunt intellectus & ſpecies intelligibilis) non produci ſemper tamen repræſentatio, vel verbum tantæ expreſsè repræſentans, quantum ipſa ſpecies poteſt repræſentare. ¶ Ex quo prouenit ſecundo neceſſarium eſſe ad vnitatem ſpeciei intelligibilis vnitatem ſpecificam obiecti, non in genere rei, ſed in genere obiecti, vt præ-

prædicti expoſitores Diui Thomæ contra Caietanum, & Capreolum fatentur. Vnde omnia illa, quæ in ratione obiecti conueniunt, poſſunt per vnicam ſpeciem repræſentari, & ſimiliter poſſunt per vnicam ſpeciem cognoſci: ſed omnia illa in tali caſu non habēt rationem pluriū, ſed vnius, vnde non erit verum dicere, quod plura cognoſcuntur, ſed vnum. Sicut verbi gratia quia homo equus & leo cōueniunt in vnica ratione animalis generica, ideo per vnicam ſpeciē poſſunt cognoſci quatenus animalia ſunt, ſed hoc non eſt cognoſcere plura, ſed vnum, nēpe naturam ſenſitiuā, quæ quāuis in pluribus ſpeciebus reperiatur, poteſt tamen per vnicam ſpeciem repræſentari, ſiue illa ſpecies infuſa ſit, ſiue acquiſita. Ita in propoſito (ſi verum eſt quod ipſi docent vt ſupra vidimus,) ſcilicet, ad vnitatem ſpecificam ſpeciei intelligibilis neceſſariam eſſe vnitatem ſpecificam obiecti in genere obiecti, quanuis non in genere rei ergo illud quod repræſentatur per ſpeciē, non eſt plura, ſed vnum formaliter, quanuis plura materialiter: quia illa plura tantum repræſentantur, quatenus in vnica ratione conueniunt, & quatenus illa vnica ratio eſt repræſentabilis, illa autem quæ in vnica ratione conueniunt, quanuis materialiter ſint plura, formaliter tamen vnum ſunt: ſicut plures homines ſunt vnus homo ſecundum ſpeciem (iuxta dictum Porphirij capite de ſpecie) & plura animalia ſunt vnum animal, & plures ſubſtantiæ ſunt vna ſubſtantia, quod non eſt intelligendum, quod ſint vna numero ſubſtantia, ſed quod ſicut in vno reperitur ratio ſubſtantiæ, & diffinitio ſubſtantiæ, & quidditas ſubſtantiæ, ita & in alio, & ſic in omnibus, in quibus ſubſtantia reperitur, taliter quod cognita ſubſtantia in vno remanet cognita in omnibus, quantum ad rationem ſubſtantiæ & hoc eſt conuenire omnes ſubſtantias in genere obiecti, quia æquè mouet intellectum ad cognoſcendam ſubſtantiam in ratione ſubſtantiæ in vno ſicut in alio: & ita producit ſpeciem intelligibilem ſui in vno ſicut in alio. Quod ſi ſubſtantia in ratione ſubſtantiæ perfectiori modo ſe habet in vno, quam in alio, per ſpeciem intelligibilem productam à ſubſtantia prout in equo, non cognoſcetur ille modus perfectionis, quam habet ſubſtantia, prout in homine. At vero quia ſubſtantia prout in homine perfectiori modo ſe habet, quam ſubſtantia prout in equo, per ſpeciem intelligibilem productam à ſubſtantia, prout in homine, poterit repræſentari ſubſtantia prout in equo, & quia ille modus non variat rationem ſubſtantiæ per ſpeciem ſubſtantiæ à quocunque productam, poterit cognoſci ratio ſubſtantiæ in quocunque reperta. Quod intellige de illis, quibus ratio ſubſtantiæ vniuocè conuenit. Vnde per ſpeciem intelligibilem ſubſtantiæ creatæ non poterit cognoſci ſubſtantia diuina, quia ſubſtantia creata & diuina pluſquam genere diſtinguntur, neque eſt illis aliquid cōmune vniuocū, vt ſæpe ſæpius dixi niſi tātum conceptus formalis in intellectu confuſe concipiente ſubſtantiam diuinam, & creatam, non conſiderante rationem diuinam, & creatam in talibus ſubſtantijs, ſed tantum quandam rationem conceptibilem confuſam de vtraque. Poteſt tamē vnica ſpecies ſubſtantiæ omnes ſubſtantias vniuocas repræſentare, ſed hoc non eſt repræſentare plura, ſed vnam rationem in pluribus repertam.

¶ Tertiò eſt notandum, quod præſens quæſtio tantum habet difficultatem in ſpeciebus per ſe infuſis, id eſt in illis ſpeciebus quæ non poſſunt ab obiectis acquiri, ſed neceſſario requirunt ad ſui eſſe potentiam ſuperiorem, nempe potentiam diuinam producentem illas in tali eſſe. Ex quo apparet quod ſi aliqua plura poſſunt cōuenire in ratione obiecti ſiue in genere obiecti vt predicti dicunt, poſſent ergo illa plura producere ſpeciem intelligibilem ſui ipſorum ſecundum illam rationem obiectiuam, in qua cōueniunt, quia cum illa ratio obiectiua ſit ratio realis in genere obiecti, poſſet produce re (ſi poſſet per ſe vniri potentiæ intellectiuæ) verbum mentis illius: ſi tamen per ſe non poteſt vniri potentiæ intellectiuæ, ſaltim poterit producere ſpeciem intelligibilem repræſentatiuam illius rationis communis. Vnde quæſtio in præſentiarum non eſt intelligenda de quidditatibus, quatenus cōueniunt in vnica ratione communi, ſiue ſit in genere rei, ſiue ſit in genere obiecti, quia de hoc nulla eſt controuerſia, cum neq; poſſit eſſe quæſtio, vtrùm illa ratio communis ſit repræſentabilis per vnicā ſpeciem, cum certiſsimum ſit illam rationem cōmunem eſſe per ſe cognoſcibilem, ſed tota quæſtio *Tertio nota.*

eſt, ſi plures illę quidditates (quaten⁹ plures ſunt) ſint cognoſcibiles diſtinctè, & perfectè, per vnicam ſpeciem, & vtrum vnica ſpecies dabilis ſit per Dei potentiam, quæ repræſentet ſimul, vel ſeparatim, diſtinctè, & perfectè illas quidditates plures, non tantum in genere rei, ſed etiam in genere obiecti, id eſt illas quidditates plures quantum ad eſſe, & quantum ad cognoſci.

Quarto nota. ¶ Quartò eſt notandum, quod aliqua plura cognoſci, poteſt intelligi dupliciter, vno modo diſtinctè, ſecundo modo confuſe. Et ſimiliter repræſentari contingit dupliciter, vno modo diſtinctè, & ſecundo modo confuſe, diſtinctè, quod ita cognoſcatur, quod cognoſcitur, quod nihil eius ignoretur, confuſe tamen, quod aliquid eius cognoſcatur, & quod plurima eius ignorentur. Sicut verbi gratia, quando quis videt venientē, ex eo quod videt illum moueri, diſtinctè cognoſcit eſſe animal, confuſe tamē quale animal, contingit tamen, quod ex pluribus viſionibus confuſis conſurgat viſio diſtincta. Sicut verbi gratia, quando quis videt aliquem exercitum, talis viſio eſt diſtincta reſpectu exercitus, & eſt confuſa cuiuſcumque illius exercitus. Eſt tamen aduertēdum, quod ſicut in toto per aggregationē non eſt aliud totum, quam plures partes ſimul ſumptæ cum ordine vel ſine ordine, ita ad viſionem totius per aggregationem non requiritur viſio diſtincta à viſione partium, quia totū ſicut per ſe non eſt, ita non eſt viſibile per ſe, & ſicut totum eſt partes ſimul ſumptæ, ita viſis partibus ſimul ſumptis, viſum eſt totum, & idē de cognitione per intellectū dicendum eſt. Vnde ſicut ad viſionē totius per aggregationē neceſſario ponendæ ſunt plures ſpecies, quibus ſingula illius totius percipiantur, neque eſt dabilis aliqua ſpecies, qua illa plura ſimul videantur, ita ſuo modo dicendum eſt de intellectu quando percipit plura, quæ habent inter ſe aliquam proportionem.

Quinto nota. ¶ Quintò eſt notandum, quod aliter ſe habet habitus reſpectu intellectus, & aliter ſe habet ſpecies intelligibilis, & ratio differentiæ eſt, quia habitus generatur ex pluribus actibus, & per conſequens non tantum ad productionē illius concurrit obiectum, ſed etiam concurrit intellectus, vel potētia illa in qua habitus ſubiectatur. At vero ſpecies intelligibilis non producitur ex pluribus actibus, & quanuis intellectus agens ſit cauſa talium ſpecierum, non tamen intellectus poſsibilis, in quo reſident, tanquam in proprio ſubiecto. Secūdò differunt, quia habitus tantum reſpicit potentiam actiuā illius potentiæ in qua eſt, facilitando illā ad hoc, vt facilius poſsit agere. (Et loquor de habitibus naturalibus). At vero ſpecies intelligibilis reſpicit potentiam actiuam intellectus, conſtituendo illam in actu primo totali, quare non eſt eadē ratio in vtroque. Tertiò differunt, quia ſpecies intelligibilis eſt naturalis ſimilitudo obiecti, à quo eſt producta. At vero habitus non repræſentat naturaliter per modum imaginis, ſed tantum per modum cuiuſdam effectus obiectum à quo eſt mediate productum. Nam habitus immediate eſt productus ab actu, & quia actus productus eſt ab obiecto, ideo quodāmodo repræſentat obiectum, quod ſi actus non produceretur ab obiecto non ex hoc tolletur ab habitu ratio habitus, vt patet in habitibus volūtatis productis ex plurib⁹ actibus amādi, qui habitus nullo modo producti ſunt ab obiecto, quia obiectū reſpectu actuū quibus habitus eſt productus, non habet rationem cauſæ ſimul cum voluntate, ſed tantum conditionis ſine qua non. At vero ſpecies intelligibilis ex prima ratione, ſua conſtitutione habet eſſe imaginem repræſentatiuā obiecti, & naturaliter productam ab illo, taliter tamen, quod implicat contra dictionē dari ſpeciem intelligibilem non repræſentatiuam obiecti. Nō tamen implicat dari habitum, non repræſentatiuum obiecti, vt de habitu voluntatis dictum eſt.

Vltimo nota. ¶ Vltimò eſt notandum, aliter ſe habere ſpeciem intelligibilem, & cauſam productiuā æquiuocā alicuius effectus. Sicut, verbi gratia, aliter ſe habet ſpecies in ordine ad repræſentādum obiectum, quam ſe habet forma ſolis ad producendum plures effectus. Et ratio huius eſt, quia forma ſolis eſt cauſa æquiuoca: neque eſt eiuſdem rationis cum ipſo effectu. Ex quo prouenit, quod ſit illimitata ad aliqua plura, & per conſequens, quod non ſit eiuſdem rationis cum aliquo illorum, quæ poteſt producere; Et propter hoc dicitur communiter, quod forma ſolis eſt ſimpliciter nobilior, quam formæ iſtorum generabilium & corruptibilium. Et ſecundo quod forma ſolis non dependet à generabilibus & corruptibilibus. Et tertiò, quod forma ſolis eſt aliquid prius ipſis generabilibus & corruptibilibus.

¶ Ex

¶ Ex quo infertur, quod cum vnitas prioris non dependeat ab vnitate poſterioris, imo vnitas poſterioris pendet ab vnitate prioris, quod vnitas formæ ſoli, poteſt ſtare cū multitudine formarum poſteriorum generabilium, & corruptibilium. Non tamen è contra.

¶ Ex quo infertur ſecundo, quod licet ſol ſecundum formam ſubſtantialem, quam habet, habeat plura producibilia. Non tamen oportet, quod habeat vnum, in quo omnia illa continuantur. Et ratio huius eſt, quoniā omnia illa ſunt poſteriora ipſa forma ſolis, quæ eſt cauſa æquiuoca, & prior illis, & per conſequens non dependens ab illis. At vero in ſpecie intelligibili non ita poteſt cōtingere. Nam ſpecies intelligibilis non eſt cauſa æquiuoca reſpectu intellectionis, & productionis verbi, neque etiam in ordine ad ipſum obiectum, neque etiam ſpecies intelligibilis (ex natura ſpeciei) eſt prior ipſo obiecto, imò neceſſario poſterior, quia ſpecies intelligibilis, naturaliter loquendo, habet eſſe ab ipſo obiecto in gene cauſæ efficientis: propter quod ipſi expoſitores D. Thom. fatentur, nullatenus poſſe dari aliquam ſpeciem acquiſitam, quæ ſit repræſentatiua plurium, quia cum ſpecie ſproducatur ab obiecto, debet eſſe poſterior ipſo, ex natura ſpeciei. Quia tamen Deus poteſt ſupplere cauſalitatem obiecti, ideo poterit producere ſpeciem intelligibilem, quæ ſit prior obiecto, ſed hoc conuenit illi ſpeciei per accidens. Nam ex natura ipſius ſemper eſt poſterior obiecto.

¶ Ex quo infertur tertiò, quod cum in ſpecie intelligibili duplex reperiatur ratio. Altera, qua eſt ens, altera, qua eſt repræſentatiua, quāuis Deus poſsit producere ſpeciē intelligibilem in ratione entis, non concurrēte obiecto, implicat tamen cōtradictionem producere ſpeciem intelligibilem in ratione repræſentantis non cōcurrente obiecto in ratione menſuræ. Vnde, quanuis Deus poteſt producere aliquod ens, quod ſit ſpecies intelligibilis, non concurrēte obiecto; implicat tamen illud ens produci in ratione ſpeciei intelligibilis non concurrente obiecto in ratione menſuræ illius ſpeciei, & per conſequens, neceſſario fatendum eſt, quod ſpecies intelligibilis in ratione ſpeciei intelligibilis, formaliter loquendo, ſemper præſupponit ſuum obiectum tanquam menſurā illius, & per cōſequens ſi in ſpeciebus acquiſitis non poteſt dari vna ſpecies repræſentans plura obiecta in ratione plurium, quia ſpecies non poteſt mēſurari à pluribus obiectis, quatenus plura ſunt, ita neque in ſpeciebus infuſis poteſt dari vna ſpecies, neque vnum ens repræſentatiuum in ratione plurium, præter eſſentiam diuinam.

¶ Concluſio prima. Probabile eſt, quod implicat de potentia Dei abſoluta dari ſpeciē intelligibilem repræſentatiuam plurium quidditatū, quatenus plures ſunt. Hæc concluſio prob. 1. Si dabilis eſſet vna ſpecies repræſentatiua plurium, ergo & infinitorum; conſequens eſt falſum ergo. Prob. ſequela, quia non eſt maior ratio, quare poſsit plura repræſentare & non infinita. Minor autē Probatur quia implicat dari ſpeciem creatā infinitam in repræſentādo, ſed talis ſpecies eſſet infinita, in repræſentādo ergo. Prob. minor. Nā repræſentare adæquate vnū obiectū dicit perfectionē in imagine, quia quāto aliqua imago magis minuſue repræſentat imaginatū, tāto eſt perfectior vel imperfectior, ergo repræſentare plura adæquate dicit maiorem perfectionem, quam repræſentare vnum. Et per conſequens repræſentare infinita dicit infinitam perfectionem, præcipuè quando in quolibet repræſentabili ſit peculiaris ratio difficultatis. Nam quanuis ſpecies intelligibilis hominis ſit repræſentatiua infinitarum naturarum, quæ in infinitis ſingularibus poſſunt reperiri, non tamen ex hoc dicenda eſt infinita, quia non eſt in qualibet natura ſingulari peculiaris ratio difficultatis in repræſentando, ſed eadem ratione, qua vna natura repræſentatur, & omnes ſimul repræſentantur. At vero in caſu noſtræ quæſtionis non poteſt eſſe ſimilis ratio, quia natura humana, & natura equina, ſicut habent aliam & aliam perfectionem taliter diſtinctas, quod neutra includit aliam in ſe, neque formaliter, neq; virtualiter: ideo ſpecies, quæ repræſentaret naturam humanā & equinam, eſſet perfectior in repræſentādo, quam ſpecies, quæ tantum naturam humanam repræſentaret, & per conſequens, ea quæ poſſet infinitas naturas repræſentare, eſſet infinita in repræſentando. Ad hoc argumentum reſpondent expoſitores D. Thom. dicentes, quod ſequela non eſt neceſſaria, nam recte poteſt vna ſpecies repræſentare duas, vel tres quidditates, & non plures, quia illæ continētur ſub ſuo obiecto adæquato, quod

Prima ratio.

Solutio.

Obiectio.

ſi ills

Solutio. ſi illis arguatur, ꝙ inter quaſcũque duas ſpecies poteſt dari aliqua media, ergo ſpecies intelligibilis, repræſentans duas quidditates ſpecificas, neceſſario repręſentat omnes intermedias, ergo infinitas, quia in his eſt proceſſus in infinitum. Reſpondent tamen, ꝙ poterunt fortè dari duæ ſpecies immediatæ diſtinctæ in perfectione, ſicut contingit in numeris. Nam ſpecies ſunt ſicut numeri, ꝙ maximè contingere poteſt in ſpeciebus conuentis in eodem genere proximo, differentibus tamen ſecundum maiorem vel minorem participationem eius. Neq; obſtat,

Obiectio. ꝙ vna ſpecies excedit alteram in perfectione, & non indiuiſibiliter, & per conſequens videtur dabilem eſſe ſpeciem mediã, ſi exceſſus ille diuiſibilis diuidatur. Nam exceſſus iſte poteſt eſſe diuiſibilis non quantitatiue, ſed ſubſtãtialiter & eſſentialiter.

Prima ſolutio. Reſpõdent tamẽ primo, ꝙ forte in illo exceſſu eſt indiuidualis latitudo ſub qua poſſunt eſſe plura indiuidua, magis vel minus perfecta, non vero media. Secundo reſpondẽt, ꝙ fortè non eſt inconueniens vnicam ſpeciem

Secunda ſolutio. repræſentare duas naturas ſpecificas, & non poſſe repræſentare alias, neq; perfectiores, neque medias, ideſt perfectiores vna, & imperfectiores altera. Nam poteſt contingere, quòd illa ſpecies ſit ſpecialiter adaptata iſtis quidditatibus, & non alijs, & quòd iſtæ quidditates in ordine ad repræſentationem habeant inter ſe maiorem conuenientiam cum alijs.

Impugnatio. ¶ Iſta tamen ſolutio non euacuat difficultatẽ, neque reſpondet argumẽto, & probatur primo, ſpecies intelligibilis per ſe infuſa non dependet ab obiecto in eſſendo, neque in repræſentando, ergo ex ſe nõ habet, quare poſsit duas ſpecies repræſentare & non plures. Antecedens patet, quia talis ſpecies non habet eſſe ab obiectis, neque poteſt habere eſſe ab obiectis, & ob hoc dicitur per ſe infuſa: cõſequentia autem probatur, quia ex parte ipſorum obiectorum non eſt maior ratio, quare poſsint duæ ſpecies repræſentari, quã tres vel quatuor naturæ, & per conſequens infinitæ. Probatur ſequela. Nã

Quarta impugnatio. tres vel quatuor naturas, & ſic omnes quot quot fieri poſſunt à Deo ſunt repræſentabiles paſsiuè, & ex parte ipſarum non repugnat repræſentari, ergo ſi repræſentabilitas actiua repugnat alicui ſpecici reſpectu omnium naturarũ, prouenit illi ex ratione formali ſpeciei, ſed talis ratio formalis non magis excludit tres naturas, quam plures, vel duas naturas, quã tres, ergo ſi non repugnat rationi formali ſpeciei actiuè repræſentare duas naturas, neque repugnabit illi plures alias repræſentare, & per conſequens infinitas. Probo iſtam vltimã ſequelã, eadẽ ratione, quia non eſt repugnãtia ex parte ipſarũ ad hoc; ꝙ repręſentenitur, neque etiã ex parte ſpeciei, ſi poteſt plura repræſentare, vt plura ſunt, neq; etiã ex parte Dei, quia quãtum eſt ex parte potentiæ ſuæ, certum eſt ipſum poſſe infinitã producere, ergo ſi poteſt duas naturas repræſentare poterit etiã & infinitas.

Secũda ſolutio ad argum. Doctoris. ¶ Alij autem reſpondent ad argumentũ Doctoris, quod licet de facto nõ ſint inditæ Angelis ſpecies repræſentantes naturas ſpecificas poſsibiles, quæ nunquam producentur, & ex conſequenti nulla ſpecies in Angelis repræſentet de facto omnes ſpecificas naturas, quæ poſſunt intra latitudinem alicuius generis multiplicari, tamen ſuppoſito, quod infunderentur huiuſmodi ſpecies, poteſt dici, quod indifferenter poterit vna ſpecies repræſentare ſimul; omnes naturas ſpecificas, quæ intra latitudinem illius generis potuerint multiplicari, & quanuis tales naturæ ſint infinitæ, & omnes per eandem ſpeciem repræſentarentur non ſequeretur, quod talis ſpecies etiam in repræſentando haberet infinitatem, quoniam neque ex parte obiecti repræſentati poſſet habere tantam perfectionem, cum cuncta perfectio illarum naturarum non ſit infinita, ſed limitata ad latitudinem illius generis. Neque etiam ex modo repræſentandi, quoniam modus repræſentandi non excedit modum eſſendi, qui proculdubio in illa ſpecie eſſet finitus.

Obiectio. ¶ Neque obſtat, quod ſicut ad repræſentandas plures naturas requiritur maior perfectio, quam ad repræſentandum vnam, & per conſequens ad repræſentandum infinitas naturas requiritur infinita perfectio.

Solutio. Quoniam non eſt neceſſarium, quod ſicut ad repræſentandum duas naturas ſimul requiritur maior perfectio in ſpecie, quam ad vnam repræſentandum, ita proportionaliter imo fieri poteſt, quod ſpecies habens perfectionem ad repræſentandũ duas ſimul, habeat etiam illam ad repræſentandũ ſex, aut plures, ita vt, ad repræſentandũ plures naturas maior requiratur virtus, quã ad vnã tantũ repræſentandũ: qa duæ naturæ habẽt rationẽ plurium, & ſpecies repræſentatiua

pluriũ habet altiorẽ,& minus limitatũ modũ repræſentãdi, quã ad vnũ tantũ determinata. Ad repræſentandũ tñ maiorẽ numerũ naturarũ intra latitudinẽ pluriũ nõ ſemper requiritur maior perfectio, vt fortè non eſt neceſſariũ; ꝙ ſpecies, ſit magis perfecta ad repræſentandũ quatuor naturas, quã ad repræſentandũ duas, quia ſuppoſita illimitatione, & indeterminatiõe ſpeciei requiſita ad repræſentandũ plures naturas, ꝙ repræſentet quatuor & nõ tantũ duas, potius videtur pertinere ad extenſionẽ repræſentationis, quã ad perfectionẽ intenſiuã; & non poſtulat maiorẽ perfectionẽ intenſiuam, ſicut quãuis ad cognoſcendũ aliquod obiectũ intelligẽdo requiratur maior perfectio in potẽtia, quã ad cognoſcendũ ſentiẽdo: nõ ideo ſequitur, ꝙ ad intelligendũ plura obiecta requiratur potentia perfectior, quã ad intelligendũ vnum. ¶Neque obſtat, ꝙ ſpecies illa æquiualet infinitis ſpeciebus, quarũ quęuis repræſentaret tantũ vnã naturã ſpecificam, & haberet aliquã perfectionẽ, & per conſequẽs eſſet infinita perfecta. Reſpõdetur enim negãdo cõſequentiã, qm̃ vt æquiualeat illis infinitis ſpeciebus non eſt neceſſariũ, ꝙ habeat infinitã perfectionẽ, ſed ſatis eſt, quod ſit altioris ordinis, quã illæ particulares ſpecies; quia vt bene aduertit Caiet. 3. p. q. 10. artic. 3. vnũ indiuiduũ altioris ordinis excedit infinita ordinis inferioris, & vna ſpecies altioris ordinis excedit perfectionẽ infinitarũ ſpecierũ inferioris ordinis: ſol enim eſt perfectior omnibus ſpeciebus generabiliũ, & corruptibiliũ nõ viuentiũ, quãuis in infinito multiplicetur. ¶Ad illud autem an poſſit produci aliqua ſpecies quæ repræſentet oẽs naturas ſub aliquo genere, an vero aliquas tantum, Reſpõdetur, ꝙ qui voluerit defendere, poſſe produci aliquã ſpeciẽ, quæ repræſentet, quaſdã naturas tantũ, poterit dicere rationẽ eſſe, ꝙ quædã illarũ naturarũ cõueniunt in quodã modo repræſentabilitatis, qui nõ ſit cõis alijs naturis; aut ꝙ per ordinẽ ad intellectũ, cui infundenda eſt illa ſpecies poterit limitari ad repræſentandum quaſdã ex illis naturis, & non oẽs, q̃a ita erit magis ꝓportionata eius repræſentatio ipſi intellectui. ¶Iſta tñ ſolutio nõ ſoluit difficultatẽ, & primo cõtra illã ſic argumentor. In primis talis ſpecies repręſentatiua ipſarũ ſpecierũ habet virtutẽ repræſentatiuã infinitam, ergo eſſet infinita. Probatur antecedẽs. Illa ſpecies ex parte ipſi⁹ nõ eadẽ ratione, quã repræſentat hominem, repræſentat equũ, ergo alia rõne repręſentat hominẽ, & alia repræſentat equũ. Probatur antecedẽs, quæ rõne repræſentat hominẽ, repræſentat; vt diſtinctũ ab equo, ergo nõ eadẽ rõne qua repræſentat hominẽ, repræſentat equũ. ergo ſi eſt repræſentatiua infinitorũ, quatenus illa infinita diſtincta ſunt, habebit infinitas rõnes repręſentãdi, & ꝑ cõſequẽs erit infinita in repræſentando. ¶Quod ſi dicas, vt iſti tradunt, nullã multitudinẽ creatã eſſe infinitã, & ꝑ cõſequẽs neq; illã ſpeciẽ repræſentatiuam talis multitudinis creatæ eſt infinita, cõtra, ergo ſaltim põt Deus producere ſpeciẽ infinitã in repræſentãdo. Patet ſequela, ex eo talis ſpecies repræſentatiua plurium nõ eſt infinita, quia ipſa repræſentabilia nõ ſunt infinita, ergo ſi ipſa eſſent infinita, & ſpecies repræſentatiua eſſet infinita, ſed talis ſpecies ſecundũ illos in eſſendo, neq; in repræſentando pendet ab obiectis, ergo dabilis eſt ꝑ potentiã Dei ſpecies creata infinita in repræſentãdo, & per cõſequens poſſet Deus de potẽtia abſoluta producere ſpeciẽ adequatẽ repræſentatiuã (in ordine ad obiectũ) eſſentiæ diuinæ. ¶Præterea ſpecies repræſentatiua quatuor naturarũ maiorẽ virtutẽ habet in repræſentãdo, quã illa, quæ tãtũ eſt repręſentatiua duarũ, ergo ſi eſt repræſentatiua infinitarũ, erit in repræſentãdo infinita. Antecedẽs, ꝙ ipſi negãt, probatur, ſi eadẽ perfectiõe ſpecies repræſentaret quatuor naturas, & duas naturas, id eſt, ſi nõ eſſet maior pfectio quatuor naturas repręſentare, quã duas, maximè, q̃a nõ eſt maior perfectio in intellectu cognoſcere plura, quam cognoſcere vnũ, ſed hoc nõ obſtat, q̃a intellectus nõ eſt imago rei intelligibilis, ſed cauſa effectiua imaginis. Et præterea, q̃a intellectus eſt cauſa æquiuoca reſpectũ obiecti intelligibilis, vel eſt cauſa indeterminata in ordine ad obiectum intelligibile, determinabilis vero ꝑ aliã, & aliã ſpeciẽ. At vero ſpecies intelligibilis nõ põt ab alio determinari, q̃a tũc neceſſariũ eſſet, ꝙ tot eſſent determinationes ſpeciei, quot eſſent cognoſcibilia, quæ determinationes, vel ſumerent ab ipſis obiectis, vel à Deo infunderẽtur: & ꝑ cõſequẽs ſuperflua eſſet illa ſpecies vniuerſalis, cũ nõ magis occuparet intellectũ angeli ſpecies particulares ſingularũ naturarũ, quã illæ determinationes, ergo ſi vna ſpecies põt repræſentare quatuor naturas, & alia duas, ſpecies repræſentatiua quatuor perfectior eſt in

Obiectio. Solutio. Impugnatio. Solutio. Impugnatio.

eſt in repræſentando ſpeciē repræſentatiuā duarū. ¶ Præterea, quia illud exēplū de ſole nō eſt ad propoſitū, qa perfectio ſolis nō diſtat in infinitū à quacūq; ſpecie creata: neq; eſt diſtātia poſitiua inter ſolē, & gñrabilia, & corruptibilia, ſed tantū eſt diſtātia negatiua: qa ſicut implicat aliqd generabile & corruptibile attingere eſſe ſolis, ita implicat perfectionē rei generabilis & corruptibilis attingere pfectionē ſolis, imo hoc cōmune eſt oībus ſpeciebus, quātūcūq; enim creſcat pfectio equi, implicat per Dei potētiā attingere perfectionē hominis, neq; ex hoc eſt diſtantia infinita inter hominē & equū poſitiua, ſed tantū negatiua, quæ fundatur in repugnātia formali, quæ eſt inter hominē & equū. At vero in ſpecie intelligibili nō ita cōtingit. Nam ſecundū ipſos nō repugnat aliquā ſpeciē plura repræſentare, neq; etiā repugnabit infinita repræſentare; & cū talis repræſentatio requirat maiorē perfectionē in vna ſpecie, quā in alia, ergo ſi eſt repræſentatiua infinitorū, habebit infinitā perfectionē in repræſentādo. ¶ Vltimo ſpecies eſt naturalis & formalis ſimilitudo rei, ſed maior perfectio eſt, q ſit ſimilitudo pluriū, ergo ſi eſſet ſimilitudo infinitorū eſſet infinite perfecta. ¶ Secūdò probatur cōcluſio.

Secūda impugnatio.

Omnis vna ratio cognoſcēdi habet vnū obiectū adæquatū, in quo obiecto includuntur perfectè omnia cognoſcibilia per illā rationē, ſed implicat dari vnicā rationē, in qua includantur plura cognoſcibilia, quatenus plura ſunt, ergo implicat dari vnā ſpeciē repræſentatiuā pluriū, quatenus ſunt plura, maiorē pbat Doctor p exēplū de diuina eſſentia, quæ pōt dupliciter cōſiderari. Primo vt ratio formalis cognoſcēdi, & tunc habet rōnē ſpeciei intelligibilis. Secūdo modo vt ratio cognita, & vt obiectū cognitū, ſi primo modo cōſideretur correſpōdet illi ipſamet eſſentia, quatenus in ipſa cognita cognoſcunt omnia cognoſcibilia. Nā in ipſa eſſentia, tanquā in obiecto cognito, cōtinētur virtualiter & eminēter omnia obiecta cognoſcibilia. Secūdò probatur rōne. Nā ſpecies intelligibilis, vt eſt ratio formalis cognoſcendi obiectū abſtractiuè, eſt poſterior ipſo obiecto, ergo ſi eſt vna ſpecies intelligibilis, & obiectū erit vnū, & per cōſequens implicat Angelū abſtractiuè cognoſcere plura obiecta ſpecie diſtincta per vnā ſpeciē intelligibilē. Probatur antecedēs ex differētia, quæ reperitur inter rationē formalē cognoſcēdi quæ eſt quidditas rei, ſiue quod quid eſt ipſius obiecti & rationē formalē cognoſcēdi in notitia abſtractiua, qualis eſt ſpecies intelligibilis obiecti. Nam talis ſpecies, per ſe loquēdo, præſupponit obiectum, & eſt producta ab obiecto, & per conſequens debet eſſe poſterior ipſo obiecto producente. Antecedēs patet, quia notitia abſtractiua & ratio formalis, qua notitia abſtractiua producitur, nēpe ſpecies intelligibilis, neceſſario præſupponūt obiectū cognoſcibile, tanquā cauſa vtriuſque ſpeciei, ſcilicet immediata, & notitiæ mediata. Modo probatur ſequela, implicat plura obiecta producere vnam ſpeciem adæquatè repræſentatiuam illorū, quatenus plura ſunt: ſed talis implicatio nō prouenit ex defectu ipſorū obiectorū, ergo talis implicatio prouenit ex ratione formali ipſius ſpeciei, ſcilicet, quia implicat dari talem ſpeciem, ſed quod implicat contradictionē Deus non poteſt facere, ergo. Maior eſt manifeſta, nā & ipſi opinantes cōcedūt non poſſe dari ſpeciem aliquā intelligibilē acquiſitā repræſentatiuā pluriū. Minor autem probatur. Nam ſi ipſa eſſet dabilis ſecundum ſe, cum obiecta ſint agentia naturalia, & agāt in quantū poſſunt, poſſent igitur & pducere talē ſpeciē. Probat ſequela, ſcdm prædictos opinātes ad vnitatē ſpecificā ſpeciei intelligibilis ſufficit vnitas ſpecifica obiecti in gñre obiecti, licet non requiratur talis vnitas in genere rei, & quia diſtinctæ naturæ ſpecificæ poſsūt eſſe vnū vnitate ſpeciei ſpecialiſsimæ in genere obiecti, ideo poſsūt repræſentari p vnā ſpeciē intelligibilē. Tūc ſic, ſi talia plura poſsūt eſſe vnū vnitate ſpeciei ſpecialiſsimæ in genere obiecti, ergo poſſunt producere illa plura, vt ſunt vnum vnitate obiecti, vnam ſpeciē intelligibilē repræſentatiuā illorū ſecundū illā rationem ſibi cōmunē, ſed hoc illi nō concedūt in ſpeciebus acquiſitis, ergo implicatio contradictionis, quā inuoluit talis productio ſpeciei erit ex ratiōe formali talis ſpeciei, & per cōſequēs, nec Deus pōt producere talē ſpeciē intelligibilē repræſentatiuā pluriū obiectorū.

Solutio.

¶ Ad hoc argumētū rñdent. Nōnulli negando paritatē rōnis, qa obiecta quāuis ſint agētia naturalia, ſunt tñ agētia finita, & per cōſequēs nō poſſunt illā producere ſpeciē, qualē Deus pōt pducere. Sed cōtra hāc ſolutionem ſic argumentor.

Refellitur prædicta ſolutio.

Talia obiecta cōueniunt in vnica ratione obiectiua, ergo poſſunt producere rationem formalem ſibi adæquatam. Patet ſequela, talis ratio obiectiua non eſt infinita, neque indiget

ſpecie infinita ad repræſentandũ illã, ergo ſicut põt repræſentari p ſpeciẽ finitã in repræſentãdo, ita talis ratio obiectiua poterit producere ſpeciẽ intelligibilẽ adæquatè repræſentatiuã illius vnius rõnis. Probatur ſe la. Ex eo ſecundũ ipſos ex pluribus actibus ſciẽdi pducitur vnus habitus ſcictiæ, qa quã uis ſit vnus numero, attingit tñ oĩa ſcibilia in illa ſcientia, quatenus oĩa illa cõueniũt in vnica ratiõe formali, & ex hoc nõ implicat dari vnũ habitũ acquiſitũ reſpectu omniũ illorũ, quę in illa ſciẽtia agũtur, ergo ſi oĩa obiecta poſsũt cõuenire in vnica rõne obiectiua, non implicabit aliquã ſpeciẽ produci ab ipſis obiectis ſecũdũ vnã illã rationẽ, & p cõſequẽs neque implicabit dari vnã ſpeciẽ acquiſitã repræſentatiuã illorũ, ſed ipſi fatentur implicare dari vnicã ſpeciẽ acquiſitã pluriũ obiectorũ repręſentatiuã, ergo & implicat dari vnã ſpeciẽ infuſam repræſentatiuã pluriũ obiectorũ. ¶ Tertiò probatur cõcluſio, Si dabilis eſt vna ſpecies intelligibilis repræſentatiua pluriũ obiectorũ, vel ergo angelus, habẽs illã ſpeciẽ ſemp, ſimul cognoſceret oĩa illa obiecta, vel aliqñ cognoſceret vnũ obiectũ altero non cognito, nullũ autẽ iſtorũ eſt dicẽdũ, ergo. Probatur minor. Primò, nõ poſſet intelligere oĩa obiecta ſimul, nã intellect⁹ nõ põt intelligere plura ſimul cognitiõe diſtincta, qa cõtingit ſcire multa, intelligere vero vnũ. Neque etiã põt intelligere modo vnũ, modo alterũ obiectũ. Nã talis determinatio nõ põt prouenire ab ipſa ſpecie, quia ſpecies, cũ ſit cauſa naturalis, neceſſario agit ſecũdũ vltimũ ſuæ potẽtiæ, & p cõſequẽs nõ põt ſe ipſam determinare ad repręſentandũ modo vnum obiectũ, modo aliũ. Neq; etiã talis determinatio põt prouenire ab intellectu, eadẽ quippe rõne: neque etiã põt prouenire à volũtate angeli, nã volũtas nõ põt ferri in incognitũ, ergo ſi intellectus p illã ſpeciẽ ante determinationẽ volũtatis nõ cognoſcebat obiectũ, neque p volũtatẽ põt determinare ſpeciẽ ad repræſentandũ obiectũ. Patet ſequela, qa talis determinatio nihil ponit in ipſa ſpecie, neque in ipſo intellectu, ergo eodẽ modo repræſentabit obiectũ poſt determinationẽ, ſicut ante determinationem. ¶ Quartò. Vni ſpeciei intelligibili ex parte obiecti correſpondet vnica ratio illi adęquata, & formalis, ſed nulli ſpeciei etiã infuſę vniuerſali repræſentãti plura põt rñdere ex parte obiecti vnica formalis ratio & adæquata, ergo implicat dari

Tertia impugnatio, & probatio concluſionis.

Quarta impugnatio.

huiuſmodi ſpeciẽ. Probat maior, nã ſpecies intelligibilis eſt ſimilitudo formalis; ergo illi debet rñdere vnũ repræſentatiuũ formale, & p cõſequẽs vnica ratio formalis illi adæquata. Minor autẽ probatur, nã talis ratio formalis illi ſpeciei correſpõdens, vel eſt ratio generica, vel ſpecifica, ſi ratio generica, ergo tantũ cognoſcẽtur p illã prædicata cõmunia & generica, & p cõſequẽs cognitio p illã ſpeciẽ erit cõfuſa & nõ diſtincta. Et eodẽ modo probatur de rõne ſpecifica, nã per illã nõ poſſent cognoſci prædicata particularia, ſicuti cognoſcere Petrũ, quatenus homo eſt non eſt cognitio Petri, ſed hominis, ergo implicat dari ſpeciem intelligibilẽ repræſentatiuã pluriũ repræſentatione diſtincta. ¶ Ad hoc argumentũ rñdent nõnullis ꝙ vniuerſalis ſpecies immediatè repræſentãs naturã animalis de ſe eſt repræſentatiua omniũ quidditatũ poſsibiliũ ſub genere animalis, ꝙ ſi actu exiſterẽt, actu etiã repræſentaret illas, & paulò infra ſic aſſerũt, verũtamẽ nos ſupra in ſolut. ad. 3. huius controuerſiæ diximus, ꝙ nõ nobis probatur dicere, ꝙ vna ſpecies nõ poſsit repræſentare plures quidditates ſpecificas, niſi repręſentet primario aliquod genus illarũ, ꝙ reſpicit vt obiectũ adęquatum. Nam põt Deus accõmodare & aptare ſpeciem intelligibilẽ angeli ſingulis quidditatibus, vt dictũ eſt in ſolut. ad. 3. In ſolutiõe autẽ ad. 3. ſic aſſerũt, ꝙ vna ſpecies debet habere vnũ obiectũ adæquatũ formale, vna aũt quidditas, licet reſpectu alicuius inferioris poſsit eſſe obiectũ adæquatũ, tñ reſpectu ſuperioris erit inadæquatũ, & materiale, vnde adequatum obiectum formale erũt oẽs quidditates repręſentatæ p illã ſpeciẽ, quatenus cõueniũt in aliquo genere, vel in aliqua rõne repræſentabilitatis, vel immaterialitatis, nã in ſimili aſsignamus habitui ſciẽtifico obiectũ adæquatũ cõprehẽdens plures quidditates ſub vna rõne ſcibilis, neq; placet opinio quorũdã qui dixerũt ꝙ vna ſpecies non põt repræſentare plures quidditates ſpecificas, niſi repræſentet primario aliquod genus illarũ, ꝙ reſpicit vt obiectum adæquatũ, ꝙ inſinuat Ferrara vbi ſupra, quãuis ibidẽ dicat oppoſitũ eſſe probabile, vt tenent Caiet. & Capreol. vbi ſupra. Et ratio eſt. Quia vnitas ratiõis formalis nõ eſt neceſſariũ, quod ſit in ratiõe, quæ repræſentatur, vel ſcitur, ſed ſufficit, ꝙ ſit in ratione ſub qua. Poſſunt autem plures quidditates ſpecificæ conuenire in eadẽ ratione

Solutio.

ſub qua, ſcibilis, vel repræſentabilis, in qua nō cōueniet ratio generica præciſè, & ſecūdū ſe ſumpta, alias ſi ratio generica ſecundū ſe deberet eſſe adæquata ratio obiecti, neceſſariū eſſet, vt ſpecies intelligibilis, habēs pro obiecto adæquato illam genericā rationē, repræſentaret omnes alias eiuſdē generis, eo q adæquatū obiectū eſſet ipſum genus. At conſtat ex primo poſteriorū, q vna ſciētia poteſt cōſiderare duas ſpecies ſub ea dē ratione ſcibilis, quanuis nō cōſideret genus, vt adæquatū obiectū. Et ratio eſt, quia genus diuerſimodè abſtrahit à materia, in qua cōſiſtit ratio ſcibilis, quā ſpecies, vt patet in ſubſtantia, quæ abſtrahit à materia negatiuè, ideſt indifferenter ſe habet ad eſſe ſine materia & cū illa, & duæ ſpecies Angelicæ abſtrahūt à materia poſitiuè, quia nullo modo poſſunt eſſe in materia. Et in ſolut. ad 5. ſic aſſerūt. Dico ſecūdo, q omnia obiecta quæ repræſentari poſſunt per vnā ſpeciem infuſam, omnia illa habent rationem vnius obiecti adæquati cōparatione ad illam ſpeciem, ita vt ſi Angelus per vnicā ſpeciem intelligat hominem, leonem & equū, iſtę tres naturæ habeant rationē vnius obiecti cōparatione ad talem ſpeciē Angeli, ſub vna ratione repręſentabilis reſpectu ſpeciei. Quocirca vniuerſa, quæ cognoſcuntur intra eandem ſpeciem intelligibilem, & ſub ratione eius cognoſcuntur per modū vnius obiecti: & ita ſit, vt intellectus cognoſcat plura per modum vnius, & non per modum plurium. Hactenus prędicti expoſitores D. Tho. Ex quorū doctrina facile colligitur, quomodo omnia intelligibilia debent cōuenire in vnica ratione formali repræſentata per illā ſpeciem, & ſecūdo, q omnia illa ſe habent in ordine ad ſpeciem ſicut ſe habēt, quæ aguntur in ſcientia in ordine ad habitum ſciētialem.

Impugnatio. Cōtra iſtam doctrinam facit ſecundū argumentū Doctoris contra Enricum. Nam talis habitus ſcientificus in intellectu noſtro nō facit obiectū præſens ipſi intellectui, & per conſequens ponenda eſt ſpecies.

¶ Præterea. Quia habitus nō ponitur in potētia ad ſimpliciter poſſe, ſed ad meliꝰ poſſe, at vero ſpecies intelligibilis ponitur in intellectu ad ſimpliciter poſſe. ¶ Et præterea, qa quanuis vnus ſit habitus in intellectu nr̄o vnius ſciētiæ: ſunt tn̄ neceſſariæ plures ſpecies intelligibiles ad intelligēdū illa plura, quæ ſunt in tali ſciētia. Vnde exēplū adductū ab expoſitoribus D. Tho. de habitu ſciētiali nō eſt ad propoſitū, qa habitus non ſe tenet ex parte obiectorū ſed ex parte intellectꝰ & potētiæ, quę facilitatur ex pluribus actibus, & p plures actus pducit habitū ad quē habitū pducēdū nō cōcurrit obiectū tanq̄ ſimplr̄ neceſſariū, & vt cauſa immediata, ſed tanq̄ cauſa illius actus, à quo immediatè pducit. Vn̄ ſi potētia produceret actus ſine obiecto vt cōcauſa, vt cōtingit in volūtate; ille habitꝰ eodē modo ſe habebit ad potētiā facilitandā, ac ſi eſſet ab obiecto etiā pductus. ¶ Et prætere, qa ſpecies nō ſolū cōcurrit vt cauſa efficiēs intellectionis, ſed etiā vt naturalis ſimilitudo obiecti. Vn̄ quāuis habitus poſsit plura cōprehēdere quatenus intellectus facilius poſsit per illū plura illa intelligere; nō tn̄ habet rationē naturalis ſimilitudinis, & hoc eſt, q Doctor docet implicare contradictionē dari vnā naturalē ſimilitudinē, quę in quātū naturalis ſimilitudo repræſentet plura, quatenus plura ſunt, quia quāuis illa plura poſsint cōuenire in vna ratione cōi: illa tn̄ ratio cōis non pōt eſſe adęquata vtriq;. Nā v.g. homo & equus poſsūt cognoſci quatenus animalia ſunt, & quāuis illi (vt ſic) dabilis ſit vna ratio cōis, nō tamē quatenus homo & equus, taliter q repræſentētur p vnā eandē ſpeciē neq; in gn̄re rei neq; in gn̄re obiecti, nā illa ratio in gn̄re obiecti quid aliud eſt, quam ipſa natura hoīs & equi put dicūt ordinē ad potētiā cognoſcitiuā. Potētia aūt cognoſcitiua ſecluſa ſpecie neutrū abſtractiuè pōt cognoſcere, ergo ſi intellectus debet cognoſcere hominē, vt homo eſt, debet habere ſpeciē repræſentatiuā hominis vt homo eſt, ſed homo, vt homo eſt, nō pōt cōuenire in vnica ratione obiectiua reali cū equo (vt equus eſt.) quia tunc poſſet talis ratio obiectiua pducere ſpeciē repræſentatiuā ipſius, & p cōſequēs dabilis eſſet aliqua ſpecies acqſita repſentatiua pluriū, ergo implicat dari ſpeciē intelligibilem repſentatiuā pluriū. ¶ Secūda cōcluſio. Probabile eſt etiā eſſe cauſabilē aliquā ſpeciē p ſe infuſam immediatè à Deo repręſentatiuā pluriū quidditatū. *Secunda concluſio.* Hāc cōcluſionē docet ſapiētiſs. Bargius in. 1. d. 3. q. 6. fol. 133. col. 1. ppè fin. & dicit eſſe de mēte doctoris. Et in hac ſententia illa vniuerſalis ſpecies indigeret exiſtētia rerum ad repræſentandū actualiter per modum termini, licet non per modū mouentes. ¶ Tertia cōcluſio. *Tertia concluſio.* Deus de facto non produxit iſtas ſpecies in angelis. Probatur, qa pduxit ſpecies conformes na-

turæ Angelorũ, ſed illæ ſunt quæ ſupplent ſpecierũ acquiſitarũ vices, ergo per accidẽs infuſás. ¶ Reſpõdetur argumẽtis. Ad primũ *(Ad arg. reſpõdetur. Ad primũ)* negando antecedẽs, & ad ꝓbationẽ dicitur, ꝗ quãuis argumenta, in cõtrariũ adducta, aliqualẽ videantur habere ſolutionẽ, non tñ habẽt verã ſolutionẽ, vt ex impugnationibus patet. ¶ Ad ſecundũ reſpõdetur negãdo ſequelã, quia eſſentia diuina eſt infinita, & in eſſendo, & in repræſentando, quæcũq; autẽ ſpecies creata in nullo genere põt eſſe infinita. *(Ad ſecundum arg.)* Et per cõſequẽs nõ põt infinita repræſentare, & qa implicat, ꝗ detur vnica ratio cõis pluribus differẽtibus, quatenus diſtincta ſunt (quia in rõne cõmuni, quæ cõueniẽt, nõ differẽt) & p cõſequẽs in illo, ꝗ differunt, nõ poſſunt cõuenire: ideo implicat dari vnã ſpeciẽ naturalẽ ſimilitudinẽ pluriũ diſtinctorum, quatenus illa plura diſtincta ſunt. ¶ Ad tertiũ reſpõdetur, ꝗ ſpecies intelligibiles nõ ſolũ habent eſſe principia agendi, ſed etiã habent eſſe naturales ſimilitudines obiectorũ, & ex hac parte implicat vnã ſpeciẽ eſſe naturalẽ ſimilitudinẽ pluriũ, quatenus plura ſunt. *(Ad tertiũ argum.)* ¶ Ad vltimũ reſpõdetur negãdo paritatẽ rõnis, nam ſenſus internus percipit ſenſibilia externa, nõ quatenus externa ſunt, qa hoc ꝑtinet ad ꝓpriũ ſenſum externũ, & ſic nõ ꝑcipit diſtincta, quatenus diſtincta. *(Ad vltimum arg.)* At vero angelus ſuperior percipit diſtinctas naturas, quatenus diſtinctæ ſunt. Quod patet ex eo, quia Angelus inferior in omni opinione per plures ſpecies percipit plures naturas, & tñ intellectus Angeli ſuperioris nõ ſe habet ad intellectũ Angeli inferioris, ſicut ſenſus extern⁹ ſe habet ad ſenſum externũ, qa intellectus Angeli ſuperioris & inferioris tãtũ diſtinguũtur penes perfectiorẽ rationẽ intellect⁹ in ſuperiori, quã in inferiori. At vero ſenſus internus & externus, quãuis cõueniãt in vna ratione analoga ſcilicet in rõne ſenſus, quæ eſt ratio generica, nõ tñ in rõne ſpecifica ſenſus, in qua oẽs ſenſus externi cõueniũt, nõ tñ ſenſus internus & externus. Et ſic nõ ꝓcedit argumẽtum à ratione ſenſus ad rationẽ intellectus.

(Ad argumen pro ſecũda parte) ¶ Ad argumẽta ꝓ ſecunda parte. Ad primũ rñdetur cõcedẽdo maiorẽ, & negãdo minorẽ, qa nõ eſt perfectio alicuius, ꝗ nõ eſt ſibi poſſibile. *(Ad primũ)* ¶ Ad. 2. reſp. negando minorẽ, nã talis ſpecies, quãuis nõ ſit ſupnaturalis, implicat tñ dari, qa implicat plura repræſentari ſub rõne pluriũ p vnicã rationẽ formalẽ tantũ. *(Ad ſecundum argu. Ad tertiũ argum.)* ¶ Ad tertiũ rñdetur cõcedendo totũ, negatur tñ, ꝗ talis ſpecies ex eo habeãt excellentiã qa poſſunt plura repræſentare, ſed habent excellentiã in hoc; ꝗ limpidius, clarius, & perfectius repræſentant ſua obiecta repræſentabilia. ¶ Ad quartũ rñdetur, non eſſe eandẽ rationẽ de cauſis effectiuis, & de ſpeciebus intelligibilibus, ꝓpter diſparitatẽ rõnis, quæ inter illa reperiũtur, nã ſpecies intelligibiles habent, ꝗ cauſant repræſentando. *(Ad quartum arg.)* Vnde ſi illis implicat poſſe plura repræſentare: implicabit etiã, & poſſe producere plura repræſentãdo, ꝗ nõ cõtingit in cauſis effectiuis, qa nõ eſt de rõne cauſæ effectiuæ, ꝗ repræſentet, ſed tantũ, ꝗ ſuũ effectũ ꝓducat. ¶ Ad cõfirm. rñdetur, illã eſſe ſniam D. Tho. *(Ad confir.)* At vero in ſnia Doctoris dicẽdũ eſt, ꝗ ſingulas differẽtias numerorũ cognoſcit angelus p ſingulas ſpecies. Neq; ex hoc ſequitur dari infinitas ſpecies in actu, qa numeri non ſunt infiniti. Vel ſecũdo rñdetur, ꝗ talium differẽtiarũ põt Angelus abſtrahere ſpecies ſucceſſiuẽ, & nõ ſimul, ſicut etiam de indiuiduis dicẽdũ eſt, quæ oĩa cognoſcit Angelus abſtrahẽdo ſpecies ſingulares ab illis, qa per ſpeciẽ. v. g. naturæ humanæ, nõ poſſunt cognoſci diſtinctè indiuidua ipſius naturæ, nĩ ſi ſub illa cõi rõne, qua homines ſunt. *(Reſpondetur arg.)* ¶ Ad vltimũ rñdetur, cõcedẽdo antecedẽs, & negãdo ſequelã. Nã vt diximus ſupra, quãuis oia indiuidua poſſint cognoſci p vnicã ſpeciẽ quãtũ ad illã rationẽ cõem, in qua cõueniũt: nõ tñ põt cognoſci quantũ ad peculiarẽ rationẽ vniuſcuiuſque, qua inter ſe diſtinguñt, & ꝓpter hoc ponẽdus eſt iuxta ſniam doctoris intellectus agens in Angelis, quo abſtrahat ſpẽs ſingulares ab ipſis indiuiduis. *(Ad vltimum arg.)*

QVÆSTIO V.

Quomodo in Angelis ſuperioribus ſe habeant ſpecies vniuerſaliores in ſententia Diui Thomæ.

Q Vanuis autem quæ diximus in præcedẽti quæſt. ſatis ꝓbabiliter, ſcilicet non poſſe dari ſpecies vniuerſaliores in Angelis, quia tñ cõtraria ſnia ſuã habet probabilitatem, vt facilius intelligatur in præſenti quæſtione iuxta ſententiam prædictam quæ verè D. Tho. eſt diſputandũ eſt, quomodo ſe habeãt tales ſpecies vniuerſales. Vnde pro parte negatiua eſt primũ argumentũ. Non eſt neceſſarium, quod deſcendendo ad Angelos

gelos inferiores augeatur ſemper numerus ſpecierũ, ergo nec quod aſcendendo ad perfectiores diminuat. Patet cõſequentia, quia eadẽ videtur eſſe ratio in vtroq;. Antecedẽs vero ꝓbatur, quia detur aliqs Angelus, qui pro vnaquaq; natura ſpecifica habeat vnam ſpeciẽ intelligibilẽ, ſi Deus creaſſet aliũ imperfectiorẽ iſto, talis nõ haberet plures ſpecies, ergo. ¶ Secũdò eadẽ eſt ratio, quãtũ ad hoc de ſenſu & intellectu, ſed nõ eſt neceſſariũ, ꝙ ſenſus pfectior, & ſuperioris ordinis cognoſcat per pauciores ſpecies, ergo etiã neq; eſt neceſſariũ, ꝙ intellectus perfectior cognoſcat per pauciores ſpecies. ¶ Tertiò ponamus, ꝙ Deus creaſſet Angelũ, qui per vnã ſpeciem cognoſceret omnes quidditates, adhuc tamen poſſet creare aliũ Angelũ perfectiorẽ iſto, ergo ille alius Angelus perfectior poſſet per ſuam eſſentiã cognoſcere omnia cognoſcibilia ſecluſa quacũque ſpecie. Patet cõſequentia, quia ille alius Angelus imperfectior per vnicã tantũ ſpeciẽ cognoſcit omnia cognoſcibilia, ergo Angelus illo perfectior ſine illa ſpecie per ſolam ſuã eſſentiam cognoſcet omnia cognoſcibilia.

1. Notab. ¶ Pro explicatione huius quæſtionis ſtando in ſententia D. Tho. eſt aduertendũ primò, quid intelligat D. Tho. per ſpecies vniuerſaliores. Quare dicunt nonnulli per ſpecies vniuerſaliores intelligere illas quæ plura obiecta repræſentant perfectè, & quoad proprias rationes ipſorum, & non illas ſpecies quæ repræſentãt obiecta vniuerſaliora in prædicãdo. *2. Notab.* ¶ Secundò aduertũt, tripliciter poſſe intelligi, ꝙ vna ſpecies ſit vniuerſalior altera in repræſentando, nã cũ in aliqua re tria poſsint eſſe quibus à multis alijs diſtinguatur, ſcilicet differẽtia indiuidualis differẽtia ſpecifica, & plures modi particulares, qui poſſunt ipſi conuenire, præſertim per reſpectũ ad diuinã prouidentiam à qua ordinatur ad varios effectus & fines, & habet diuerſas habitudines ad reliquas res vniuerſi. Tripliciter etiã poteſt vna ſpecies dici altera vniuerſalior. Primò quia repræſentat plura ſingularia ſub eadem ſpecie. Secũdò quia repræſentat plures naturas ſpecificas etiam quoad proprias differentias earũ. Tertiò tandẽ, quia repræſentat eãdem rem, ſecundũ plures ex illis modis, quibus eſt cognoſcibilis: in præſenti tamẽ, ſolum eſt difficultas de duobus vltimis modis vniuerſalitatis, & præcipuè de ſecũdo, nam de primo non poteſt eſſe vlla controuerſia in ſententia D. Tho. quam nunc explicare contendimus, quia cum ipſe doceat Angelum cognoſcere ſingularia cuiuſque naturæ ſpecificæ per ſpeciem ipſius naturæ, conſequenter dicendum eſt, ꝙ eo ſpecies aliqua eſt vniuerſalior reſpectu ſingularium, quò fuerit vniuerſalior reſpectu naturarũ quibus cõtinetur.

3. Notab. ¶ Tertiò eſt notandũ, dupliciter poſſe dici vnum Angelum ſuperiorem, & perfectiorẽ altero, quantum attinet ad præſens inſtitutum: ſcilicet ratione cuiuſq; exceſſus in perfectione eſſentiali, & ſpecifica, aut ratione alicuius maximi exceſſus qui pertineat ad inæqualitatem in Hierarchia, aut ordine, ſuppoſito Hierarchias & ordines diſtingui penes naturalia. *Vltimo notab.* ¶ Vltimo aduertunt tribus modis explicari ſentẽtiam D. Tho. ab eius interpretibus, nam primo dicunt quidam, intelligendam eſſe de quocunque exceſſu inter Angelos in perfectione ſpecifica, & de maiori vniuerſalitate ſpecierum, quæ cõſiſtat in hoc, quod eſt repræſentare ſimul plures naturas ſpecificas. Et hunc ſenſum videtur ſequi Caiet. in hoc loco. Alij vero admittunt primum quod attinet ad inæqualitatem inter Angelos, negant tamen ſecundum, ſcilicet, quod maior vniuerſalitas ſpecierum debeat neceſſario conſiſtere in hoc quod eſt repræſentare ſimul plures naturas ſpecificas, & dicũt, quod licet hoc ſufficiat, non tamen requiritur ſed ſufficit repræſentare eaſdẽ naturas ſub vniuerſaliori modo, hoc eſt ſecundũ plures rationes, & modos cognoſcibiles de ipſis. Ita docet Capreolus in 2. diſt. 3. q. 2. art. 3. in ſolut. ad 4. Aureoli contra 7. concluſionem. Alij autem, de quorum numero eſt Ferrara 2. cõtra gent. c. 98. cõueniunt cum Caiet. in modo explicandi vniuerſalitatem ſpecierum, dicũt tamẽ non ſufficere ex parte Angelorum qualẽcunque exceſſum in perfectiõe eſſentiali, ſed requiri exceſſum in Hierarchia, aut in ordine.

Concluſio. ¶ Cõcluſio. Quo aliquis Angelus eſt altero ſuperior in perfectione eſſentiali, tanto habet ſpecies vniuerſaliores: & ex cõſequenti quãto Angelus eſt ſuperior in gradu ſpecifico tãto habet ſpecies repræſentantes ſimul plures naturas ſpecificas. Hæc cõcluſio probatur, *Prima ratio.* nam in primis expreſsè affirmat Diuus Thom. Angelos quo perfectiores ſunt, eo vti ad intelligẽdũ vniuerſalioribus ſpeciebus. Qd vero per Angelos perfectiores intelligat eos qui alios excedunt in gradu ſpecifico, & nõ ſolũ eos, qui ſunt ſuperiores

in Hierarchia aut ordine. Probatur primo, quia abſolutè & ſine limitatiõe loquitur de Angelis perfectioribus. ¶ Et ſecundo, quoniam hoc probat eius ratio quæ fundatur in maiori aſsimilatione Angeli perfectioris ad Deum, conſtat autem quod hæc maior aſsimilatio nõ ſolum reperitur quãdo vnus Angelus excedit alterum in Hierarchia & ordine, ſed etiam quando excedit in gradu ſpecifico, ergo. ¶ Tertiò, quia non eſt certũ iuxta ſententiam D. Tho. differentiã vnius Hierarchiæ ab altera, aut vnius ordinis, ab alio ſumi ex diuerſitatibus in gradibus eſſentiæ, aut ſolum ex diuerſitate miniſteriorum, & donorum gratiæ. Eſt autem certum, quod iuxta ipſius ſententiam vniuerſalitas maior aut minor ſpecierum in Angelis proportionatur maiori aut minori perfectioni eſſentiali, ergo.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

¶ Quod etiã per ſpecies vniuerſaliores intelligat D. Tho. illas, quæ ſimul repræſentant plures naturas ſpecificas. Probatur, quia in ſolutione ad ſecundũ, expreſsè docet, quod per ſpecies vniuerſales intelligit eas, quæ repræſentant plura obiecta etiã quo ad ea, quæ ſunt ſingulis propria. Et in ſolutione ad tertium, comparat ſpeciem vniuerſalem cum eſſentia diuina, in hoc quod propter ſui excellentiam ſufficit, vt per eam cognoſcantur multa propria cognitione. Ex quibus locis aperte conſtat, quod Diuus Thomas vniuerſalitatem ſpecierũ explicat per reſpectum ad pluralitatẽ obiectorũ, & non per reſpectũ ad pluralitatẽ rationum in eodem obiecto, & ex conſequenti, quod eodem modo acceperit maiorem vniuerſalitatem quando comparat vnam ſpeciem ad aliam. ¶ Deinde probatur ratione articuli, vt explicatur à Caiet. quia non ſolum intelligere, aut intelligere clarè, & diſtinctè, ſed etiam intelligere plura per vnam rationem intelligendi eſt in Deo perfectio ſimpliciter, vt cõſtat ex diffinitione perfectionis ſimpliciter, ergo quo aliqua creatura intellectualis fuerit perfectior in gradu ſpecifico, eo magis aſsimilabitur Deo in iſta perfectione; & non ſolum in hoc quod eſt intelligere clarè & perfectè. Patet ſequela; quia quanto aliqua creatura eſt perfectior tanto magis aſsimilatur Deo in omnibus perfectionibus ſimpliciter, quarum ipſa eſt capax ſecundum ſuam naturam neque poteſt reddi aliqua ratio cur aliqua earum excipiat: conſtat autem, quod iſta perfectio intelligendi plura per vnam ſpeciem poteſt naturaliter cõmunicari Angelo, quoniam, & talis ſpecies poteſt naturaliter produci à Deo, & Angelo eſt connaturale intelligere per ſpecies infuſas à Deo ergo quo Angelus fuerit perfectior in gradu ſpecifico, tanto erit Deo ſimilior in iſta perfectione: & ex conſequenti, intelliget per ſpecies vniuerſaliores.

Quarta ratio.

¶ Probatur prærerea, ſimilitudine deſumpta ex ingenio humano, qua etiam vtitur D. Thom. in artic. Nam homines præſtantes ingenio in vno principio vniuerſali vident plures veritates, quam alij, qui tardiores ſunt ingenio, qui nõ intelligũt niſi ipſis tales veritates ſigillatim proponantur, ergo ſignum eſt, quod pertinet ad præſtantiã intellectus indigere paucioribus ad intelligendum, & ex conſequenti, etiam pertinebit ad ipſius perfectionem, quod paucioribus indigeat ſpeciebus. ¶ Confirmatur, nam in naturalibus, & moralibus, & in rebus artificialibus, quanto aliqua res eſt perfectior, & ſuperior, tanto paucioribus indiget ad operandum. Verbi gratia in naturalibus, Sol vnica virtute ſiccat, & calefacit, & tamen ignis id facit duabus virtutibus, ſcilicet calore, & ſiccitate. Et ſimiliter in moralibus, Rex vnica poteſtate facit ea quæ magiſtratus faciunt diuerſis poteſtatibus. Et tandem in artificialibus, quo artifex ſuperior eſt, eò vtitur paucioribus inſtrumentis, ergo ſimiliter dicẽdum eſt, quod Angeli ſuperiores vtuntur paucioribus ſpeciebus ad intelligendũ, & ex conſequenti vniuerſalioribus. ¶ Neq; ex hoc exẽplo colligi poteſt D. Thom. docere, quod homines præſtantes ingenio vtantur paucioribus ſpeciebus, ſed tantum quod indigeãt paucioribus principijs ad intelligendum plures veritates, & ex hoc colligit ſignum eſſe præſtantis intellectus indigere paucioribus ad intelligendum plura, & ex cõſequenti, quod Angeli præſtantiores indigent paucioribus ſpeciebus. Quare non eſt eadem ratio de Angelis & hominibus. Nam omnes homines æquali numero ſpecierum vtuntur, tum quia inter homines non eſt diſtinctio eſſentialis in gradu intellectuali, ſicut inter Angelos, tum etiam, quia homines nõ poſſunt habere ſpecies vniuerſales, cum accipiant eas à rebus, Angeli vero nec accipiũt, nec poſsũt accipere ſpecies à rebus, & ideo habent illas infuſas vniuerſales.

Quinta ratio.

Confirm.

¶ Sextò

6. Ratio. ¶ Sextò probatur, impugnatione aliarum ſententiarum, quoniam Angeli ſuperiores vtuntur ſpeciebus vniuerſalioribus, ſed iſta maior vniuerſalitas non poteſt primo conſiſtere in repræſentatione plurium ſingularium, aut modorum, ſiue rationum intelligibilium, ergo, neceſſariũ eſt, quod conſiſtat in repræſentatione plurium naturarum ſpecificarum. Maior patet ex dictis, licet intelligatur de inferioritate in gradu ſpecifico, quoniam omnia argumenta, quę propoſuimus probant eam in iſto ſenſu. Minor vero probatur, quia in primis, non conſiſtit illá maior vniuerſalitas in repræſentatione plurium ſingularium, quoniam nulla ſpecies in Angelis poteſt repræſentare plura ſingularia, niſi quia repræſentat plures naturas ſpecificas, cum iuxta ſententiam D. Tho. quæcunque ſpecies in Angelis ſufficiens eſt, quantum eſt de ſe, ad repræſentandum omnia ſingularia quæ multiplicari poſſunt ſub natura ſpecifica, quam repræſentat, & propter eandem rationem non conſiſtit in repræſentatione plurium modorum, quoniã omnes iſti modi ſi pertineant ad ordinẽ prouidẽtiæ naturalis, repræſentantur per ſpecies repręſentates naturas ſpecificas, aut ſingulares quibus accidũt, ſi verò pertineãt ad ordinẽ ſupernaturalẽ, non eſt mẽſurãda in ordine ad eos naturalis vniuerſalitas, & perfectio ſpecierũ non de qua nũc, loquimur.

Ad argumenta. Reſponde. Ad primũ. ¶ Reſpondetur argumentis. Ad primum reſpondetur, negando antecedens, & ad probationem dicitur, quod dato angelo, qui habeat ſpeciẽ in infimo gradum vniuerſalitatis, qui poſsit eſſe Angeli cõnaturalis, nõ poterit produci alius Angelus imperfectior.

¶ Ad ſecundũ reſpondetur negando maiorem, quia non poteſt ſenſus per vnam ſpeciem plura cognoſcere obiecta, quia accipit ſpecies ab obiecto, & ita non eſt neceſſarium, quod quanto ſuperior eſt, tanto habeat ſpecies vniuerſaliores, licet Caieta. videatur innuere oppoſitum.

Ad tertiũ. ¶ Ad tertiũ reſpondetur, quod licet daretur aliquis Angelus, qui intelligeret omnia alia à ſe per vnam ſpeciem, & Deus produceret aliam Angelum eo perfectiorem, non ſequitur, quod intelligeret omnia per ſuam ſubſtantiam, & ſine ſpecie, quia in eo caſu Deus Angelo (qui intelligeret per vnam tantum ſpeciem) infunderet aliam ſpeciem, qua intelligeret Angelum de nouo productum, quia ad intelligendum non haberet antea ſpeciem, & ſimilem ſpeciẽ infunderet omnibus alijs Angelis inferioribus, & ita in omnibus æqualiter multiplicarentur ſpecies, & ex conſequenti quo Angeli eſſent perfectiores, eo per pauciores ſpecies intelligerent, & ſic nunquã daretur aliquis Angelus (qui ad intelligendum alia à ſe) non haberet ſaltim vnam ſpeciem.

Obiectio. ¶ Quod ſiquis arguat, quod ex hoc ſolum ſequitur, quod Angelus ſupremus intelligeret per pauciores ſpecies, nõ tamẽ quod per vniuerſaliores,

Solutio. Reſpondetur etiam ſequi hoc ſecundum, quoniam ſpecies, qua vteretur Angelus vltimò productus, non ſolũ repræſentaret omnia, quę repræſentabat ſpecies, quã habebat Angelus præexiſtens, ſed etiam ſubſtantiam Angeli præexiſtentis, quam ipſe per eandem immediate, & nõ per ſpeciem cognoſcebat.

Obiect. 2. ¶ Quod ſi rurſum obijcias, quia ſaltem ſequitur, quod illa ſpecies de nouo infuſa non eſſet vniuerſalior in Angelo perfectiori, quam in minus perfecto, cum in omnibus repræſentaret tantum Angelum de nouo productum, & tamen videtur neceſſarium, quod quæuis ſpecies in particulari ſit proportionata Angelo, cui conuenit quantum ad perfectionem, & vniuerſalitatem.

Solutio. ¶ Reſpondetur concedendo ſequelam, neque, hoc eſt vllũ inconueniens, quia quando dicimus eſſe connaturale Angelis, quod ſuperiores excedant alios in ſingulis ſpeciebus, quoad earum vniuerſalitatem, non eſt intelligendum abſolutè, ſed cum limitatione, ſcilicet, de ſpeciebus quæ infuſæ ſunt Angelis in eorum creatione, & ſtante numero & ordine rerum, qui nunc eſt in vniuerſo, quia ſi Deus produceret de nouo aliquam naturam ſpecificam etiam materialem; aut à principio decreuiſſet ſolum producere in vniuerſo naturas Angelicas, non poſſet ſeruari talis proportio, quia in priori caſu neceſſarium eſſet, quod in quocunque produceretur de nouo ſpecies aliqua, quæ tantum repræſentaret illam naturam, quoniam ſpecies præexiſtentes non poſſent eam repræſentare, ita docet D. Tho. q. 56. art. 1. ad 4. vbi aſſerit quod eiuſdẽ ordinis eſſet, quod Deus adderet aliquã creaturã in vniuerſo, & aliquã ſpeciẽ intelligibilẽ Angelo. In poſteriori autẽ caſu prius finirentur obiecta, quam aſcendẽdo per ſpecies vniuerſaliores perueniretur ad maximam vniuerſalẽ, quæ ſupremo Angelo conueniret.

DISPVTATIO VNDECIMA, DE COGNITIONE ANGElorum reſpectu ſingularium materialium, vel immaterialium. Continet octo Quæſtiones.

P*Rima. Vtrùm ſingularia ſint per ſe intelligibilia.*

Secunda. Vtrùm in intellectu poſsibili ſint ponenda ſpecies intelligibiles ſingularium.

Tertia. Vtrùm Angeli per ſpecies proprias ſingularium cognoſcant ipſa ſingularia.

Quarta. Vtrùm duratio temporis repræſentetur Angelo per ſpeciem vniuerſalem.

Quinta. Vtrùm per diuinam potentiam poſſet dari ſpecies intelligibilis repræſentatiua, vel repræſentans futura contingentia.

Sexta. Vtrùm Angeli poſſunt cognoſcere futura ex naturalibus.

Septima. Vtrùm cogitationes cordis, intellectiones, & volitiones productæ in eſſe reali ſint naturaliter cognoſcibiles ab Angelis.

Octaua. Vtrùm Angeli naturaliter cognoſcant myſteria gratiæ poſt quam habent eſſe reale productum.

TEXTVS.

C Ontra hoc quod dicitur, quod non intelligit per ſe particulare, niſi per vniuerſale, quia ſingularitas non impedit, quin intelligatur, aliter Deus non poteſt ſe ipſum intelligere. Neque etiam limitatio, quia ſic quidditas Angelica non eſſet per ſe ab ipſo intelligibilis, neque eſt ibi materialitas, aut alia conditio impediens. Diſtinctione. 3. quæſt. 8. ante literam. C.

EXPLICATIO LITERÆ.

D Octor in hac litera docet ſingularia eſſe per ſe intelligibilia, pro cuius maiori explicatione ſit, quæſt. 1.

QVÆSTIO I.

¶ *Vtrùm ſingularia ſint per ſe intelligibilia.*

DE hac re duplex eſt principalis ſententia. Prima eſt D. Th. & omnium Thomiſtarum aſſerentium ſingularia non poſſe cognoſci per propriam ſpeciem cognitione directa, ſed tantum cognitione reflexa. Hanc ſententiam docet D. Tho. 1. p. q. 86. art. 1. & ibidē eius expoſitores & Ferrara. 1. cōtra Gent. ca. 65. & Capreolus in. 1. d. 35. q. 2. Probant autem ſuā ſententiam ratione D. Tho. ibidem. Nam intellectus noſter intelligit per ſpecies abſtractas à ſingularibus, ergo per illas ſpecies non poteſt directè cognoſcere ſingulare. Probatur conſequentia, quoniam illæ ſpecies abſtractæ non repræſentant ſingularia, ſed ſolum naturas vniuerſales. Quod autem intellectus noſter non poſsit intelligere per ſpecies ſingulares in ipſo receptas probabitur infra. *1. Senten. probatur quantū ad 1 partem. 1. Argu.*

¶ Secundò. Obiectū proprium & immediatum noſtri intellectus eſt quidditas rei materialis, ſed potentia nihil cognoſcit directè niſi contineatur ſub obiecto ſuo immediato, ergo intellectus non cognoſcit directè ſingulare. *2. Argu.*

¶ Tertiò. Singulare materiale nō poteſt immediate mouere intellectum, & directè, ergo neque poteſt directè intelligi. Probatur conſequentia, quoniam illud, quod directè intelligitur, directè etiam mouet intellectum. Antecedēs verò probatur, quia ſingulare materiale nō poteſt habere propriam ſpeciem in intellectu poſsibili, ergo, neque poteſt directè mouere intellectum. *3. Argu.*

¶ Quartò probatur. Ex Ariſto. 1. Phyſicorum ca. 5, textu. 49. & in 2. de anima cap. 5. textu. 60. Vbi docet, quod ſenſus eſt ſingularium intellectus verò, & ſcientia eſt vniuerſalium, &. 3. de anima textu. 10. inquit, vniuerſale cognoſci ab intellectu directè, ſingulare verò quaſi inflexione quadam. *4. Argu.*

¶ Quintò. Res, quæ in ſua ratione includit materiam ſenſibilem ſignatam, & particularizatam, *5. Argu.*

rizatam, non cognoſcitur directè à potentia cognoſcente per abſtractionem, ſed intellectus noſter cognoſcit per abſtractionē à materia; ſingulare vero in ſua ratione includit ſenſibilem materiam indiuiduā, & ſignatam, ergo. Probatur maior, quoniā ſi ſingulare ſenſibile & ſignatum cognoſceretur ab intellectu abſtrahente à materia, ſequitur, quod cognoſceretur aliquid per abſtractionem ab eo, quod eſt de intrinſeca ratione ipſius, & tunc non cognoſceretur vere ſecundum ſibi intrinſeca. Probatur minor, quoniam per illum intellectus differt à ſenſu, & propter abſtractionem conſtituitur à Philoſopho intellectus agens, vt naturas abſtractas efficiat à conditionibus indiuiduantibus.

Sextum argum. ¶ Sextò inter obiectum & potentiam debet eſſe proportio, ſed inter ſingulare, & intellectum non videtur eſſe legitimā proportio, cum intellectus ſit immaterialis ſingulare autem materiale, ex quo etiam fit, vt intellectus non poſsit moueri à ſingulari, neque recipere in ſe propriam ſpeciem eius cum ſit materialis, ergo.

Septimum argum. ¶ Septimò. Secundum Philoſophum. 3. de anima textu. 16. ea quæ habent materiā, tantum ſunt poteſtate intelligibilia, ergo cum ſingulare ſit penitus materiale, non erit actu, & per ſe intelligibile.

Confir. ¶ Confirmatur ex illo, quod ibi docet Ariſtot. ibidem textu. 18. Vbi docet, quod intellectus agens eſt qui facit omnia intelligibilia, ſed hoc ſtare non poſſet, ſi ſingulare eſſet per ſe intelligibile, nam cum ſingulare actu tale ſit, non ſit ſingulare ab intellectu agente, ac ideo per ſe, & actu eſſet intelligibile, neque fieret intelligibile ab intellectu agente.

Vltimum argum. ¶ Vltimò. Quia ſi ſingulare eſt per ſe intelligibile, ergo non eſt neceſſarius intellectus agens. Probatur ſequela, nam ideo ponitur intellectus agens, vt intellectus poſsibilis, qui eſt pura potentia ad intelligendum, neque poſsit recipere in ſe ſpecies rerum immaterialium & vniuerſaliū, intellectus agēs transferat res de ordine ſingularium materialium, & ſenſibilium ad ordinem vniuerſaliū immaterialiū, atque intelligibilium, ita vt percipi queant ab intellectu, ergo ſi ſingulare poteſt per ſe cognoſci, non igitur eſt neceſſarius intellectus agens.

Secunda pars. ¶ Secundò aſſerunt prædicti authores cū D. Tho. quod intellectus noſter cognoſcit ſingularia indirecte, & per quandā reflexionē. Probant autem ſuam ſententiam. Quia intellectus noſter cognoſcit ſingularia, quia intellectus cognoſcit (formans hanc propoſitionē, Socrates nō eſt Plato) Socratē & Platonē diſtinctè, ergo diſtinctè cognoſcit illa ſingularia, ſed illa nō cognoſcit directè, vt probatum eſt, ergo cognoſcit illa indirectè & reflexè. Patet ſequela, quoniam non datur alius modus cognoſcendi obiectum niſi aut directè, aut reflexè.

Probatio. Primum argum.

Secūdum argum. ¶ Secundò. Quia ſecundū D. Tho. 1. contra Gent. c. 48. & Ferrara ibi. intellectus nō poteſt cognoſcere directè niſi illud quod directè repræſentatur per ſpeciem, quā in ſe habet, ſed ſpecies intelligibilis, quæ eſt in intellectu poſsibili, nō poteſt repræſentare directè ſingularia, cum talis ſpecies ſit abſtracta ſiue denudata à ſingularibus, ac proinde non poteſt directè illa repræſentare, ergo.

Circa prædictā ſententiam. Primus dicendi modus. ¶ Quid autem intelligat D. Tho. quando docet intellectū cognoſcere ſingularia per reflexionem ſunt varij modi dicendi inter diſcipulos D. Thom. Primus eſt Caiet. aſſerentis, quod idcirco ſingulare cognoſcitur indirectè, & per reflexionem, quoniam nō cognoſcitur per proprium conceptum, ſed mediante conceptu naturæ ſpecificæ & argumentatiuè. De qua re infra.

Secundus modus dicendi. ¶ Secundus modus eſt Magiſtri. Soto. 1. Phyſicorum, q. 2. art. 1. ad argumenta Durandi, ſcilicet, quod intellectus cognoſcit ſingulare indirectè & per reflexionem, quoniam cognoſcit illud non per propriam ſpeciem, ſed per ſpeciem naturæ vniuerſalis, quæ ſpecies determinatur à phantaſmate ad repræſentandum hoc ſingulare, quod eſt repræſentare illum per reflexionem quandam intellectus ſupra ipſum phantaſma, in quo phantaſmate intellectus contemplatur ipſum ſingulare.

Tertius modus dicendi. ¶ Tertius modus explicandi eſt Capreoli in. 1. vbi ſupra ex doctrina D. Thom. de veritate, quæſtio. 10. articul. 5. & quæſtio. de anima articul. 2. in ſolutione ad. 1. 2. dicit quod iſta reflexio fit hoc pacto. Intellectus noſter primo cognoſcit directè naturam vniuerſalem repræſentatam per ſpeciem, quam in ſe habet. Secundò reflectitur ſupra ſe, & cognoſcit actum ſuum. Tertiò cognoſcit ſpeciem intelligibilem, quæ eſt principium illius actus. Quartò cognoſcit phantaſma, à quo accipit illam ſpeciem.

¶ Quin-

Quartus modus dicendi. ¶ Quintò. Denique cognoſcit ſingulare à quo illud Phantaſma cauſatum eſt; quæ omnia cognoſcit intellectus noſter per vnam ſpeciem, conuertendo ſe ad Phantaſma. Et quoniam pauci intelligunt iſtas reflexiones in ſuis actibus, ideo non bene percipiūt hanc doctrinam, quam tamen nō ſolum Capreolus adhibet, ſed etiam Ferrara in 1. contra gentes ca. 65. circa octauam rationē in reſponſione ad tertium dubium, & Iabelus. 7. metaphyſ. qui adducit alterū locum expreſſum D. Thom. in quæſt. 2. de veritate articu. 6. Exiſtimat autem hunc tertium modum dicendi non aduerſari ſecundo, ſed potius eſſe explicationem illius. Magiſter Bañez 1. part. q. 86. artic. 1. dubio. 1. ante ſolutionem ad argumenta principalia.

Tertius modus dicendi. ¶ Alij autem ſuper primam partem. q. 14. art. 11. diſputatione vnica, propriam explicantes ſententiam docent quid ſit intellectum ſingularia inflexione quadam cognoſcere ſiue reflexè in ſententia D. Tho. dicētes. In omni intellectione vniuerſaliū oportet intellectum ſe ſe cōuertere ad Phantaſmata eorū, quæ intelligit, ſed tamen in cognitiõe ipſius ſingularis, inflectitur quodāmodo ad eandem Phantaſmata, quaſi iterato ſe conuertens.

Notab. ¶ Eſt tamen aduertendum, quod conuerſio ad Phantaſmata non eſt intellectio, vel cognitio ipſius Phantaſmatis, ita vt intellectus videre non poſsit, & percipere obiectum ſuum vniuerſale, niſi viderit prius phātaſma, vt ſi aliquis colorem videre non poſſet, niſi in ſpeculo appareret. Sed idcirco conuertitur intellectus ad phantaſma, quoniam oportet intellectum, cognoſcentem, & percipientem vniuerſale vniri continuatione quadam cū imaginatione, vt ipſa imaginatio ex imperio intellectus cōſtituat in actu phātaſma ipſius vniuerſalis, quod actu intelligitur, ita docet Sanctus Tho. infra. q. 89. articulo. 7. quare intellectum conuerti phantaſmata, & non poſſe intelligere ſine ad phātaſmata, nihil aliud eſt apud Ariſt. 3. de anima cap. 8. Quam intellectum mouere imaginationem ad formandum phantaſma ipſius vniuerſalis, quod cognoſcitur. Reflexio autem ad phantaſmata, quæ contingit in cognitione, & in intellectione, rei ſingularis, eſt quaſi regreſsio quædam ad priorē intellectionē, & id ſignificat hoc ſimilitudine Ariſtot. 3. de anima c. 4. ex linea inflexa, quæ in ſe ipſam recurrit cū ex recta inflectitur in curuā. Quādo igitur, cognita quidditate ipſius vniuerſalis intellectus reuertitur, & redit ad conſiderationem ſui actus, & ſpeciei intelligibilis, & ex ea ad phantaſma, & ſingulare, (quia non poteſt actu intelligere niſi id cuius phātaſma eſt in actu) tunc dicitur cognoſcere ſingulare per reflexionem, ſiue inflexionem quandam ad phātaſmata. Et quamuis intellectus non poſsit habere ſimilitudinem indiuidui, quæ ſit ſpecies producta ab obiecto intelligibili, quia talis ſpecies producitur ab ea quidditate, quæ actione intellectus agentis ſeparata iā eſt à conditionibus indiuiduātibus, & à circunſtantijs & proprietatibus ſingularibus, & idcirco talis ſpecies repræſentat vniuerſale, & nō ſingulare: poteſt tamē intellectus habere in cognitione reflexa ſimilitudinem expreſſam, quę ſit conceptus ab ipſo formatus ipſius ſingularis. Quia cognoſcendo ſpeciem intelligibilem, ex ipſa cognita format conceptum phātaſmatis ſingularis, ex quo ipſa producta eſt, & talis conceptus immaterialis exiſtens, & nō determinatus ad proprietates ſingulares, repræſentat immaterialiter proprietates illas materiales, vt ſpecies intellectus Angelici. Vnde quemadmodum in cognitione, & intellectione ipſius vniuerſalis neceſſarius eſt actus imaginationis ex conuerſione ad phantaſmata, vt phātaſma rei intellectæ ſit in actu, ita in cognitione reflexa rei ſingularis cōſideratur phātaſma ipſum, vt fiat proprius conceptus ipſius ſingularis & eſt aduertendum, quod nō eſt opus vt per propriam ſpeciem intelligatur id, quod ex alterius cognitione intelligitur, vt conſtat in intellectione eorū, quæ ſunt à materia ſeparata, quorum nulla eſt in nobis propria ſimilitudo, ſed tantum ex intellectione ſenſibilium colliguntur remotæ quædam ſimilitudines, igitur cum intellectus in cognitione reflexa progrediatur ad cognoſcendum ſingulare, non oportet, vt in ſeipſo habeat propriā ſpeciem ipſius ſingularis, ſatis eſt vt habeat remotā. Nam illa ſpecies eſt propria ipſius quidditatis, cū quidditas illa ſit, quæ propriè intelligitur, & propriè eſt obiectum intellectus. Et eadem ſpecies intelligibilis, quæ eſt propria ipſius quidditatis, eſt quidem remota ipſius indiuidui ſenſibilis, & ipſius ſingularis determinati.

¶ Secunda ſententia eſt Caieta. quæſt. 86. 1. partis artic. 1. Aſſerentis intellectum per *Secunda ſentent.*

ſe nun-

ſe nunquam cognoſcere ſingulare determinatum, ſed ſolum cognoſcere illum ſub ratione vaga; & ſub ratione ſingularis, idque non ſtatim, ſed vt ipſe dicit arguitiuè; ideſt, diſcurſu, & ratiocinatione, nam cognoſcens vniuerſale intelligit, quod illa natura non poteſt ſic per ſe exiſtere, ſed neceſſario debet eſſe in aliquibus, & hac via percipit ſingulare, aliomodo non niſi per ſenſus.

Vltima ſenten. ¶ Vltima ſententia eſt doctoris vt patet in litera: eandem docet in 4 diſti. 45, quæſt. 3. quam defendit Gregorius in. 1. diſtin. 3. q. 1. artic. 3. Durandus in 2. diſtin. 3. quæſt. 7. Caiet. Tienenſis & Burleus. 1. Phyſicorum & Apollinaris in quæſtionibus. 3. de anima quæſt. 12. Et multi alij ſuper. 3. de anima & alij ſuper libros phyſicorum & eſt communis ſententia omnium ſcotiſtarum. Pro cuius explicatione eſt; primo notandum,

1. Notab. quod titulus quæſtionis nõ eſt de ſingulari immateriali, ſcilicet. Vtrùm vnus Angelus poſſet alium Angelum intelligere, ſed de ſingulari materiali, ſcilicet. Vtrùm Petrus, vel Paulus poſsint ab aliquo intellectu create (Angelico, vel humano) quatenus Petrus, & Paulus ſunt cognoſci, & hoc non tantum cõceptu confuſo in ratione ſingularis vagi, ſed conceptu proprio diſtncto quatenus Petrus Petrus eſt, & Paulus Paulus eſt.

2. Notab. ¶ Secundò eſt notandũ, quod in hac quæſt. alia inuoluitur quæſtio, ſcilicet, an talis cognitio fiat per propriam ſpeciem ipſius ſingularis, an vero per ſpeciem vniuerſalẽ, taliter tamen, quod ſicut ſpecies vniuerſalis eſt naturalis ſimilitudo hominis, ita ſit naturalis ſimilitudo Petri, quatenus Petrus eſt, & ratio huius eſt, nã tenentes contrariam ſententiam, docent, quod licet ſpecies intelligibilis vniuerſalis de ſe non magis ducat in cognitionem vnius quam alterius, tamen propter conformitatem, quam habet ſpecies illa vniuerſalis cum ſingulari, à cuius phantaſmate elicita eſt, & non cum alio, ita repręſentat vnum ſingulare, quod nõ aliud. Vnde ſi ſpecies vniuerſalis repræſentatiua hominis elicita eſt ex ſpecie Socratis, ita ducit in notitiam Socratis, quod non Platonis, & ſi elicita eſt ex ſpecie Platonis, ita repræſentat, & ducit in notitiam Platonis, quod non Socratis, & hoc eſt fundamẽtum præcipuum in contraria ſententia. Titulus vero noſtræ quæſtionis ſic eſt intelligẽdus, vtrùm intellectus noſter intelligat Petrum per ſpeciem Petri ſingularem, & particularem, & Platonem per ſpeciem Platonis ſingularem, & particularem cognitione diſtincta, & propria, ſcilicet, quatenus Petrus eſt Petrus, & Plato eſt Plato.

¶ Tertiò eſt notandum, quòd anima rationalis dupliciter poteſt conſiderari, vno modo vt eſt ſubſtãtia ſpirituales, & immaterialis per ſe ſubſiſtẽs, & ſimilis Angelis, & ſecũdum quod à metaphyſico cõſideratur. Secũdo modo poteſt conſiderari quatenus eſt actus corporis Phyſici pars hominis naturaliter cõnexa atq; copulata cum facultatibus ſenſitiuis, omnium rerum notitiam per ſenſus acquirens, & nullius rei cognitionem habens, & ſecundum quod à phyſico conſideratur, ſi cõſideretur primo modo eius ſumma perfectio conſiſtit in cognitione rerũ diuinarum, & vniuerſalium, ſi autem ſecundo modo conſideretur (cum vt ſic induat quandam rationem materialitatis, non quod materialis ſit, ſed quia corpori materiali coniũgitur tãquam propria eius forma) ex hoc prouenit illi vt verſetur circa res corporeas materiales, & ſenſibiles. Ex quo infertur, quod ſicut conſideramus animam rationalem duplici hac cõſideratione, ita poſſumus conſiderare duplicem ſtatum animæ rationalis, vnum ſecundum quem quieſcit in conſideratione rerum vniuerſalium. Alterum vero ſecundum quod perſcrutatur res, quæ ſub ſenſu cadunt. Et ratio huius eſt, quia cũ anima rationalis vtrãque rationem induat, quia & eſt forma ſpiritualis, & eſt actus corporis, cum nihil poſsit intelligere pro iſto ſtatu niſi fuerit adminiſtratum à ſenſibus, quia nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu. Hinc prouenit, quod intelligat & res immateriales, & res materiales, quia prius debet percipere per ſenſum ea, quæ per intellectum debet intelligere, tũc enim cum rerum ſingularium & ſenſibilium (quæ primum omnium ſe ſe ad intelligendum offerunt) notitias accipit, operatur quatenus eſt actus corporis, quando vero excitata, & illuſtrata talibus rerum ſingularium & ſenſibilium notitijs, ad rerum vniuerſalium, & immaterialium cognitionem, prouehitur, tunc enim agit, vt eſt ſubſtantia quędam immaterialis. Nã tunc animus noſter, ſe ipſum colligens, & excitans cum vim immaterialem, & prope diuinam cognoſcendi res vniuerſales, & immateriales, quæ antea veluti ſopita erat, intendit, & defigit in perueſtigationem, atque contemplationem re-

Vide doctorem in 4. diſt. 45. q. 2. tartaretum. 161. foli. 412.

rum

rum vniuerſalium,& immaterialium, atque hac ratione omnes artes,& ſcientias adipiſcitur.

4. *Notab.* ¶ Quartò eſt notandum, quod licet ſingulare & intellectum noſtrum illa proportio reperitur, quæ ſufficiens eſt ad hoc vt poſſit perfectè intellectus cognoſcere ſingulare,& ratio huius eſt, quia licet intellectus per ſe,& vt intellectus eſt, ſit immaterialis, tamen intellectus prout eſt potentia animę quæ eſt actus corporis, induit quandam rationem materialitatis, quia prout eſt coniunctus nihil poteſt intelligere, niſi fuerit prius in ſenſu, quod poſtea eſt in intellectu.

Vltimo notab. ¶ Vltimò eſt notandum, quod intelligibile, & ſenſibile ex ſuis rationibus formalibus differunt, iuxta ordinem, quem dicunt ad intellectum, & ſenſum, vnde intelligibile eſt illud quod poteſt percipi per intellectum, ſenſibile autem quod poteſt per ſenſum percipi. Vnde ſicut implicat quod intellectus ſit ſenſus, ita implicat quod intelligibile in quantum intelligibile, ſit ſenſibile in quãtum ſenſibile,& è cõtra, ſi ly in quantum ſumatur reduplicatiue. At vero illud quod eſt ſenſibile, poteſt eſſe intelligibile, quatenus illud, quod dicit ordinem ad ſenſum, poteſt dicere ordinem ad intellectũ. *Nota hoc.* Vnde quod eſt primo ſenſibile, eſt etiam intelligibile, quia eſt perceptibile ab intellectu, qui habet proximitatem quandam, & coniunctionem cum ſenſibus, qualis eſt intellectus noſter coniunctus: imò & quodcunque ſingulare materiale, ſicut habet ordinem ad potentiam ſenſitiuam, ſecundum quod ſenſibile dicitur, ita etiam habet ordinem ad quancunque potentiam intellectiuam creatam, ratione cuius ordinis dicitur intelligibile.

Prima concluſ. ¶ Prima cõcluſio. Intellectus humanus per ſe cognoſcit ſingulare materiale determinatè. Hæc concluſio eſt doctoris, vbi ſupra & *Prima ratio.* probatur ratione ipſius. Intellectus ponens differentiam inter aliqua neceſſario cognoſci illa, ſed intellectus coniunctus ponit differentiam inter hominem,& Petrum, inter Petrum & hunc hominem, ergo ſi determinatè cognoſcit hominem, & determinate cognoſcit hunc hominem, etiam determinate cognoſcit Petrum.

Secunda ratio. ¶ Secundò intellectus corrigit, ſenſum circa ſingulare determinatum, ergo per ſe cognoſcit illud, patet antecedens de baculo apparenti fracto in aqua, & intellectus iudicat contra iudicium ſenſus talem baculum non eſſe fractum.

¶ Tertiò. Potentia ſuperior cognoſcit omnia, quæ inferior ei ſubordinata, ſed ſenſus eſt ſubordinatus intellectui, ergo. Maior patet in ſenſibus, cõmunis enim percipit omnia, quæ exteriores percipiũt, imaginatioque exteriores & communes. Memoria autem omnia cõſeruat. *Tertia ratio.*

¶ Quartò. Argumentari eſt munus propriũ intellectus, ſed quædam ſpecies argumentationis, nempe inductio, verſatur circa ſingularia, ſiquidem inductio deſcribitur ab Ariſtot. 1. li. topicorũ. c. 10. Eſt quædã progreſſio à ſingularib⁹ ad vniuerſale, ergo intellect⁹ interdũ verſat in cognitione ſingulariũ. Quod ſi reſpõdeas ſingularia cognoſci quidẽ ab intellectu non diſtinctè ſed confuſe. *Quarta ratio.* *Solutio.*

¶ Vel ſecundò, quod ſingularia nõ cognoſcuntur ab intellectu, ſed tantum à ſenſu, ita vt inductio ſit opus duarum facultatum animæ, taliter tamen quod antecedens, habẽs quidem enumerationem ſingularium, cognoſcatur & formetur à ſenſu, concluſio autem colligens vniuerſale efficiatur ab intellectu, iuxta illud quod docet Themiſtius ſecũdo lib. poſteriorũ. c. 36. vbi docet, quod antecedens inductionis pertinet ad ſenſum: concluſio autem eius ad intellectum. *Secunda Solutio.*

¶ Iſtæ tamen duæ ſolutiones non euacuant difficultatem. Prima enim falſa eſt, nam cũ inductione ex pluribus ſingularibus infera tur vniuerſale, neceſſario fatendum eſt, talia ſingularia eſſe diſtinctè cognita. Patet ſequela, nam cognitio antecedentis, vel per ſe vel certe ſecundum nos eſt cauſa efficiens notitiam conſequentis, ergo ſi cognitio antecedentis eſt confuſa, cognitio conſequentis non poterit eſſe diſtincta, quia tunc effectus eſſet præſtãtior ſua cauſa, cũ igitur cognitio conſequentis ſit diſtincta, neceſſario non fatendum eſt etiã cognitionẽ antecedẽtis diſtinctam eſſe,& cũ antecedens ſit plura ſingularia cognita, ergo talia ſingularia erunt neceſſario diſtinctè cognita. *Impugnatio prima.*

¶ Neque ſecunda ſolutio aliquid valet, nam inductio eſt vna ſpecies argumentationis, vnus diſcurſus, vnus motus ipſius intellectus, prout continet in ſe antecedens, & cõſequens, quamobrem, in ea quoque erit vnũ idemque mobile quod à termino à quo, id eſt ab antecedente, & cognitione ſingularium, procedet ad terminum ad quem, hoc eſt ad conſequens, in quo cognitio rei vniuerſa- *Secũda ſolutio impugnatur.*

uerſalis continetur, ſed huiuſmodi mobile nihil aliud poteſt eſſe, imo neque fingere niſi intellectus, ergo intellectus non ſolũ cognoſcit conſequens inductionis diſtinctè, ſed etiam antecedens, ſed tale antecedens ſunt ſingularia, ergo in inductione intellectus diſtinctè cognoſcit ſingularia.

¶ Confirmatur. Nã argumẽtari eſt ex vno aliud inferre, ſed non poteſt inferri vnum ex alus niſi vtrumq; cognoſcatur, ergo cũ inductione intellectus ex ſingularibus inferat vniuerſale, & talem illationem non poſſit facere ſenſus, quia ſenſus nõ attingit vniuerſale, neceſſario igitur dicendum eſt vniuerſale, & ſingulare diſtinctè ab intellectu cognoſci.

Confir. 2. ¶ Confirmatur ſecundo. Quia falſum eſt dicere quod illud antecedens inductionis, ſcilicet, Petrus eſt homo, poſsit cognoſci & formari à ſenſu. Primò quia in tali antecedẽte, licet ſubiectum ſit terminus ſingularis, tamen prædicatum eſt terminus vniuerſalis, ergo quamuis ly, Petros & ly, Ioannes poſsint cognoſcit à ſenſu, tamen homo, quod de Petro & Paulo prędicatur, non poteſt à ſenſu cognoſci, & per conſequens antecedens inductionis non poteſt formari à ſenſu.

¶ Et ſecundo, quia cum in antecendente inductionis dicitur, ſi Petrus eſt homo, diſtinguitur homo à Petro, tanquã prædicatum à ſubiecto, talem autem diſtinctionem non poteſt facere ſenſus, ergo ab intellectu prouenit cognoſci, & effici tã antecedens quã conſequens inductionis, ſed cõſequens cognoſcitur diſtinctè, ergo & antecedẽs. Neque illud dictũ Themiſtij probat oppoſitũ noſtræ ſententiæ, quia in illis verbis rãrum voluit ſignificare; antecedens inductionis cognoſci quidem ab intellectu, ſed non niſi coniunctones, & ſibus complicato: At vero conſequens cum ſit vniuerſale ab intellectu tantum percipitur, & ad eius notitiã nullo pacto ſenſus admittitur.

Quinta ratio. ¶ Quintò. Omnis potẽtia, quæ ponit diſcrimen inter duas aliquas res, neceſſario cognoſcit illas, ſed intellectos ponit differentiam inter vniuerſale & ſingulare, ergo.

Solutio. ¶ Ad hoc argumentum reſpondent nonnulli diſtinguendo antecedens, vel per vnã potentiam, vel per aliam & aliam, ſi per vnã potentiam. Maior eſt vera, ſed minor eſt falſa ſi autem per aliam & aliam, nihil probat illa ratio, cum igitur ponens differentiam inter duas res, ſatis illis ſit cognoſcere vnam per vnam potentiam, & alteram per aliam, hinc prouenit quod homo ponens differentiam inter ſingulare & vniuerſale, non cognoſcat vtrumque per intellectum, ſed vniuerſale quidem per intellectum, & ſingulare per ſenſum.

Impugnatio. ¶ Iſta tamen reſponſio, veritati & Ariſtot. repugnat, etenim quærerẽ ex illis, an potẽtia, quæ ponit diſcrimen inter duo, (ideſt quod cognoſcit hoc eſſe aliud ab illo) ſit vna, an multæ, multa eſſe impoſsibile eſt, nam diſcernere vnum ab alio eſt vnus actus vna cognitio, vnunque iudicium, ergo erit vnius potentiæ, cum enim illa differentia, ſeu (vt ita loquar) varietas ſit vnũ quoddam intelligibile, & vno actu, & ab vna potentia cognoſci neceſſe eſt, quæ potentia proculdubio erit intellectus, ſed fieri non poteſt quin ſi intellectus cognoſcat hoc eſſe aliud ab illo, non apprehendat vtrumque, nam varietas eſt relatio, & non poteſt diſtinctè cognoſci niſi cognitis multis terminis eius, alias enim, quo pacto intellectus verè ac ſecure iudicare poterit hoc eſſe aliud ab illo, ſiue neutrum, vel certe, non vtrumque cognitum & perſpectum habet. Quod autem huiuſmodi reſponſio ſit contraria doctrinæ Ariſtot. paret ex illo, quod ipſe docet ſecũdo de anima textu. 196. Vbi ſic ait, neque ita ſeparatis contingit diſcernere, diſcernẽs quod aliud ſit dulce ab albo, ſed oportet aliquo vno vtraque manifeſta eſſe, ſic enim & ſi hoc quidem ego, illud autem tu ſentires, manifeſtũ vtique eſſet, qood alia ab inuicem oportet autem vnũ dicere, qood aliud, aliud enim dulce ab albo dicit, ergo idem, quare vt dicit, ſit & intelligit; & ſentit. Quod igitur non poſsibile ſit ſeparatis diiudicare ſeparata palam eſt. Hactenus Ariſtot. Quibus verbis ſignificat differentiam ſeu varietatem aliquarum rerum non ſeparatis, hoc eſt diuerſis potentijs, ſed vna eademque cognoſci, & iudicari. Relinquitur igitur quod prędicta ratio vim atque robor ſuum retineat, recteque conclodi ex ea, ſingularia diſtinctè cognoſci ab intellectu.

Secunda concluſio. ¶ Secunda concluſio ſingularia cognoſcuntur ab intellectu directè. Hęc concluſio probatur. *Prima ratio.* Primo ſingulare eſt cognoſcibile per propriam ſpeciem, ergo eſt directe cognoſcibile. Probatur antecedens, quia ſi ſingulare non poteſt per propriam ſpeciem, & per ſe ab intellectu cognoſci, vel id eſt, quia ſingula-

gulare eſt, vel quia materiale eſt, ſed neutrũ impedit, ergo eſt directè per ſe, & per propriam ſpeciem cognoſcibile. Probatur Minor, quia non quatenus ſingulare eſt, nam ſingularitas non impedit cognitionem intellectus, eo quod ſingularia immaterialia, & ſpiritualia per ſe intelligibilia ſunt. Neque etiam quatenus materiale, quia hoc modo vniuerſale non poſſet cognoſci, cum dicat materiam, caro enim in vniuerſali materiam dicit, & homo carnẽ & oſſa, ſi ergo ſingulare non habet aliud quam materiam, & ſingularitatem, & neutrum obſtat intelligibilitati per ſe, ergo eſt per ſe intelligibile.

Secunda ratio. ¶ Secundò. Intellectus incipit cognoſcere, vbi deſinit ſenſus, ſed ſenſus deſinit in cognitione rei ſingularis, ergo & intellectus incipit in re ſingulari.

Solutio. Ad hoc argumentum reſpõdent doctores contrariæ ſentẽtiæ, quod actio intellectus agẽtis incipit ab eo, in quo deſinit ſenſus, & terminatur in abſtratione ſpeciei intelligibilis; & ſic cõtinuãtur actio intellectus & actio ſenſus non tamen in cognitione, vel in operatione intellectus poſſibilis, quia inter operationem intellectus poſſibilis, & operationem ſenſus mediat operatio intellectus agentis.

Impugnatio. ¶ Secundò. Singulare mouet intellectũ primò & per ſe, ergo primò & per ſe intelligitur. Antecedẽs patet, quoniã actiones ſunt ſingularium.

Confirma. ¶ Et præterea, quia intellectus noſter cognoſcit differentiam inter Petrum & hominem, non enim tantum mouetur ab homine, ſed etiam mouetur à Petro.

Solutio. ¶ Ad hoc argumentum reſpondent authores contrariæ ſententiæ, quod mouere intellectum dupliciter contingit, vnomodo effectiuè, alio vero modo obiectiue, ad motionem effectiuã requiritur ſingulare in eſſendo, quale eſt ſpecies intelligibilis, quæ ſimul cum intellectu efficit intellectionem. At vero ad mouendum obiectiuè neceſſaria eſt natura vniuerſalis per talem ſpeciem intelligibilem repræſentata.

Solutio ad confirma. ¶ Ad illud autem de differentia reſpondẽt in quadam ſolutione ad. 7. quod vt intellectus noſter cognoſcat differentiam, quæ verſatur inter vniuerſale & particulare, ſatis eſt, quod cognoſcat vniuerſale directè, & ſingulare reflexe, & in hoc ſenſu haberet vim argumentum illud poſitum pro prima concluſione, quod deſumitur ex illo exemplo Ariſtot. de ſenſu communi, quoniam ſenſus cõmunis habet pro obiecto immediato ipſa ſenſibilia particularia. At vero intellectus, non habet pro obiecto proprio, & immediato ſingulare & vniuerſale. Et per hoc reſpõdent etiã ad quoddã argumentũ ſupra poſitum, nempe quod intellectus corrigit ſenſum, dicentes, ꝙ vt intellectus corrigat ſenſum ſatis eſt, quod ſingulare cognoſcatur ab intellectu per reflexionem, quanuis à ſenſu cognoſcatur directè.

Impugnatio. ¶ Contra iſtam tamen ſolutionem inſurgũt nonnulli dicentes hanc reſponſionem, quæ multorum communis eſt nihil aliud eſſe, quam effugium difficultatis, etenim quærendum ex illis, (dicunt prædicti) quid intelligant cum aiunt ſingulare cognoſci indirectè, nam hæc ratio illorum habet triplicem ſenſum. Primus eſt, ſingulare non eſſe directum obiectũ intellectus, hoc eſt principale, & ad quod cognoſcendum per ſe dirigitur, & ordinatur intellectus, & in cuius cognitione perficitur, & quieſcit.

¶ Secũdus ſenſus eſt; ſingulare idcirco cognoſci indirectè ab intellectu, quia intellectus nõ cognoſcit ipſum prout intellectus eſt, & in ſe manens, ſed prout applicat, & aggregat ſe ad ſenſus, & conuertit ad phantaſmata. Atque hi duo ſenſus veri ſunt, nihilque obſtant, quo minus ſingulare diſtinctè cognoſci queat ab intellectu, nam etiam accidens non eſt principale obiectum intellectus, nihilominus tamen cognoſcitur ab eo.

¶ Tertius ſenſus eſt, ſingulare indirectè cognoſci ab intellectu, (hoc eſt) non determinatè, & per ſe, neque per conceptum ad ſpeciem propriam, ſed per aliud, & hic ſenſus falſus eſt, tum quia eſt contra experiẽtiam: vnuſquiſque enim experitur, ſe determinate cognoſcere hoc, & illud ſingulare.

¶ Tum etiam, quia eſt contra rationem, nã ſi verbi gratia, Petrus cognoſcitur ab intellectu, non per proprium conceptum eius, ſed per conceptum alterius. Aut igitur per conceptum alterius ſingularis, vt Pauli, vel Ioannis: at fieri nõ poteſt vt cõceptus Pauli (cũ ſit ſingularis, & proprius eius) repræſentet Petrum, ergo. Aut per conceptum vniuerſale, nempe hominis, ſed cum vniuerſale per ſe indifferens ſit ad omnia ſingularia confuſe & indiſtinctè repræſentat ea, quare per conceptum eius non poteſt intellectus perduci in determinatam notitiam huius ſingularis, potius quam alterius. Quo

citca

circa manifeſtum eſt, reſponſionem eorum, qui, nihil ſingulare cognoſci indirectè ab intellectu; non obſtare, quominus ſingulare diſtinctè, determinatéque cognoſci queat ab intellectu.

Confirm. ¶ Confirmatur, ex ſententia Philoponi tum in ſecundo de anima, textu 136. quam in tertio, textu nono. Vbi docet dupliciter ſingulare cognoſci ab intellectu, tum; quia intellectus ponit diſcrimen inter vniuerſale & ſingulare quare debet vtrumque cognoſcere: tum etiã, quia rationis eſt corrigere ſenſum in his rebus, in quibus ſenſus fallitur; non poteſt autem ſenſus corrigi ab intellectu, niſi, quod ſenſibus percipitur, etiam ab intellectu diſtinctè cognoſceretur, ergo intellectus neceſſario cognoſcet directè ſingularis per propriam ipſius ſingularis ſpeciem.

Tertia ratio. ¶ Tertiò. Intellectus apprehendit Socratem eſſe incommunicabilem, vel non communicabilem pluribus, ſed talis incommunicabilitas; vel non communicabilitas, non poteſt cognoſci per ſpeciem vniuerſalem, ſed per ſpeciem ſingularem, ergo ſingulare cognoſcitur per propriam ſpeciem, & non per ſpeciem vniuerſalem.

Confirm. ¶ Confirmatur, quia per ſpeciem vniuerſalem hominis non magis determinatè cognoſcitur Petrus, quam Paulus, ergo per ſpeciem vniuerſalem hominis non poteſt cognoſci differentia, quæ eſt inter Petrum & Paulum, ergo neceſſario ponenda eſt ſpecies repræſentatiua Petri diſtincta à ſpecie repræſentatiua Pauli, ſed illud, quod cognoſcitur per propriam ſpeciem, cognoſcitur directè, ergo intellectus noſter directè cognoſcit ſingularia.

Solutio. ¶ Ad hoc argumentum reſpondent nonnulli, quod licet ſpecies intelligibilis vniuerſalis de ſe non magis ducat in cognitionem vnius quam alterius; tamen propter conformitatem, quam habet ſpecies illa vniuerſalis cum ſingulari, à cuius phantaſmate elicita eſt, & non cum alio, ita repræſentat vnum ſingulare, quod non aliud. Vnde ſi ſpecies vniuerſalis repræſentatiua hominis elicita eſt ex natura Socratis, ita ducit in notitiam Socratis, quod non Platonis. Et ſpecies vniuerſalis hominis elicita ex natura Platonis ita ducit in cognitionem, & notitiam Socratis, ſicut ducit in cognitionem, & notitiam Platonis.

Impugnatio. ¶ Contra vel ſpecies vniuerſalis repræſentans Socratem facit hoc ſecundum ſe, aut mediante ſpecie ſingulari Socratis, à qua fuit deciſa, vel quoniam ab ipſa ſpecie ſingulari aliquid eſt impreſſum ſpeciei vniuerſali, ratione cuius ſpecies illa vniuerſalis ita repræſentat: ſi primò modo, hoc eſt impoſſibile, quia ſecundum ſe non magis repræſentat Socratem, quam Platonem. Si autem ſecundo modo ſequitur ſpeciem ſingularem Socratis aliquid repræſentare intellectui, ſed hoc eſſe non poteſt, niſi talis ſpecies ſingularis, vel phantaſma ſit in intellectu, quia non eſt veriſimile ſpeciem ſingularem Socratis exiſtentem in cogitatiua aliquid immediatè intellectui repræſentare, ergo ſpecies vniuerſalis non poteſt ſingulare (vt ſingulare eſt) repræſentare.

¶ Neque etiam poteſt dici, quod ab ipſa ſpecie ſingulari aliquid imprimatur, quia non videtur, quid debeat imprimi à ſingulari ſpecie in vniuerſalem ſpeciem, ergo.

¶ Et ſecundo quæritur, quid ſit iſta conformitas ſpeciei vniuerſalis plus ad vnum phantaſma quàm ad alterum? ſi enim dicas quod eſt conformitas inter ſpeciem & indiuiduũ, tunc ſpecies hominis elicita ex ſpecie Socratis & ex phantaſmate Socratis, ita debet repræſentare Platonẽ ſicut Socratẽ. Probatur, quoniam vel eſt eadem vel prorſus cõſimilis cõformitas ſpeciei humanæ ad Socratem, & Platonem. Si dicas quod ſpecies intelligibilis acquiſiuit aliquid ex eo, quod proceſsit ab hoc Phantaſmate determinato non videtur quid illud ſit niſi conditio quædam limitans ad particularitatem. Et ita ſequitur, ſpeciem illam vniuerſalem non penitus denudari per intellectũ, à particularibus conditionibus, quod eſt cõtra communem ſententiam.

Quarta ratio. ¶ Quartò. Intellectus poteſt formare proprium conceptum & proprium verbum rei ſingularis, in quo veluti in imagine directè repræſentantur conditiones particulares, ergo poteſt formare ſpeciem intelligibilem rei ſingularis. Probatur ſequela. Nam inter ſpeciem intelligibilem & verbum hoc diſtat, quod ſpecies intelligibilis eſt ſimilitudo impreſſa, verbum autem eſt ſimilitudo expreſſa: conueniunt tamen, quia vtraque eſt naturalis ſimilitudo obiecti. Cum igitur dabilis ſit naturalis ſimilitudo obiecti expreſſa adæquatè re-

præſentans ipſum ſingulare, quantum ipſum ſingulare eſt repræſentabile ſecundum omnes eius conditiones indiuiduales, quare igitur non dabitur ſimilitudo impreſſa, & ſpecies intelligibilis adęquatè repræſentans ſingulare ipſum, quatenus eſt repræſentabile.

Vltima ratio. ¶ Vltimo. Quando dicitur, quod intellectus intelligit ſingulare cognitione reflexa, eo quod intellectus cognouit vniuerſale, voluntas applicat intellectum ad cognoſcendum hoc ſingulare vel illud, & facit quod intellectus iterato ſe conuertat ad phantaſmata, &c. Contra illa applicatio voluntatis ad intelligendum ſingulare neceſſariò prærequirit cognitionē ſingularis, alias aliquid eſſet volitum, quod nō eſſet præcognitum. Probatur ſequela. Nam ponam, quod quis intelligat naturam humanam per ſpeciem vniuerſalem, quæro per quid poteſt applicare illam ſpeciem ad cognoſcendum Petrum, vel ad cognoſcēdum Paulum: ſi enim ante talem applicationē ſpeciei non cognoſcebat Petrum, neque Paulum, quomodo poteſt voluntas applicare talem ſpeciem ad repræſentandum Petrum vel Paulum? Imo propter hoc argumentum docebant nōnulli ſupra non poſſe Angelos accipere cognitionem à rebus, ſi non haberent ſpecies infuſas; quia non videbāt, quomodo voluntas Angeli poſſet applicare intellectum illius ad abſtrahendum ſpeciem huius materialis vel illius, ſi Angelus non habebat aliqualem cognitionem priorem de ipſo materiali, ergo ſi intellectus non habet aliqualem cognitionem rei ſingularis, priorem applicatione illa ſpeciei intelligibilis per voluntatem, implicat poſſe voluntatem applicare ſpeciem intelligibilem repræſentatiuam hominis ad repræſentandum determinatè Petrum, vel Paulum, & per conſequēs talis cognitio reflexa non ſolum videtur difficilis ſed etiam impoſsibilis.

Ad argumenta reſpondetur. ¶ Reſpondetur argumentis. *Ad primum.* Ad primum cō cedendo antecedens, & negando ſequelam, quia ſicut intellectus poteſt abſtrahere ſpecies vniuerſales in repræſentando à naturis quæ ſunt in rebus ſingularibus, ita etiam poteſt abſtrahere ſpecies ſingulares in repræſentando ab ipſis ſingularibus, id eſt, ſicuti poteſt intellectus à natura, quæ eſt in Petro, abſtrahere ſpeciem intelligibilem repræſentatiuam ipſius, vt natura humana eſt taliter quod per illam poſsit cognoſci Petrus, quatenus homo eſt, ita ab ipſo Petro poteſt abſtrahi ſpecies intelligibilis Petri repræſentatiua ipſius, taliter quod per illam poſsimus cognoſcere Petrum, non tantum quatenus homo eſt, ſed etiam quatenus Petrus eſt: quare aliud eſt abſtrahere ſpeciem repræſentatiuam naturæ, quæ eſt in indiuiduo, & aliud eſt abſtrahere ſpeciē ipſius indiuidui.

Ad ſecundum arg. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, quod obiectū propriū intellectus dicitur dupliciter. Primo quod ita eſt propriū intellectus, quod non eſt alterius potentiæ, & hoc modo tantum vniuerſale eſt obiectum proprium intellectus, quia ſingulare non tantum eſt obiectum intellectus, ſed etiam eſt obiectum ſenſus. Secundò modo dicitur obiectū propriū, quod per ſe ipſum poteſt percipi à potētia, & quia ſingulare poteſt percipi ab intellectu, ſicut & vniuerſale, ideo cadit ſub obiecto proprio intellectus, ſicut & vniuerſale.

Ad tertiū argum. ¶ Ad tertium reſpondetur negando antecedens, & ad probationem negatur antecedens, vt diximus quæſtione ſecunda.

Ad quartum arg. ¶ Ad quartum reſpondetur, quod quando Ariſtoteles aſſerit ſenſum eſſe ſingularium, eſt intelligendus cum præciſiōne, at vero quando dicit intellectum eſſe vniuerſalium, intelligendus eſt ſine præciſione, ita vt ſenſus ſit, ſenſus eſt ſingularium tantum. At vero intellectus eſt ſingularium & vniuerſalium.

Ad quintum arg. ¶ Ad quintum reſpondetur negando maiorem, & ad probationem dicitur, quod aliud eſt cognoſcere materialiter, & aliud eſt cognoſcere materiam: & intellectus cognoſcendo rem quæ includit in ſua ratione materiam ſenſibilem ſignatam non intelligit illa immaterialiter, ſed ſpiritualiter vel intētionaliter, quia per ſpeciem intelligibilem abſtractam ab ipſa re materiali & ſingulari quare res ſingularis (quanuis dicatur materialis) ex eo prouenit, quia in rebus creatis indiuiduatio ſumitur à materia licet res ſit ſpiritualis, vt in Angelis patet qui ſunt ſpirituales, & tamen ſunt ſingulares.

Ad ſextū argum. ¶ Ad ſextum reſpondetur concedendo maiorem, & negando minorem, & ad probationē dicitur, quod ſingulare in re eſt quid materiale, at verò in ſpecie intelligibili ipſius eſt quid ſpirituale.

Ad ſeptimum arg. ¶ Ad ſeptimum ex Ariſto. 3. de anima. Reſpondetur, quod materialia, quatenus materialia

rialia ſunt, primo & per ſe reſpiciunt ſenſum, quia per ſe ipſa poſſunt imprimere ſpeciem ſui in ſenſibus. At vero materialia quatenus materialia, quia non poſſunt per ſe ipſa imprimere ſpeciẽ ſui in intellectu poſsibili, niſi virtute intellectus agentis: ſed phãtaſma ipſius materialis producit ſpeciem intentionalem, ideo Ariſt. docuit materialia eſſe poteſtate tantũ intelligibilia, quia per ſe ipſa, & virtute ſua non agunt in immateriale, & neceſſariò prærequirunt intellectũ agentem, quapropter vniuerſalia, & naturæ ſpecificæ, ſi per ſe ipſas poſſent ſtare abſtractæ, & ſeparatæ à conditionibus indiuiduãtibus, per ſe ipſas poſſent mouere intellectum poſsibilẽ, ſiue immediatè per ſe ipſas producendo ſpecies intelligibiles ſui: ſiue per ſe ipſas immediatè cõcurrendo per modum obiecti ad productionem verbi. At vero ſingularia, & materialia neceſſario debẽt producere ſpeciem intelligibilem ſui, mediante virtute intellectus agentis, vt ſimul cum intellectu agente producant ſpeciem intelligibilem, qualem per ſe ipſa ſola non poſſunt producere.

Tertia ſolutio. ¶ Vel tertiò reſpondetur iuxta ſolutionem ad quartum. *Ad confir.* Ad confirmationem reſpondetur, intellectũ agentem non eſſe neceſſarium ad hoc, quod eliciat ſpecies vniuerſales, ſed ad hoc ꝙ phantaſma poſsit imprimere ſpeciem ſui in intellectu, quia intellectus eſt immaterialis, neq; poteſt à ſolo phantaſmate pati. Vnde intellectus agens facit omnia intelligibilia, quia cum omnia, quæ ſunt in mundo, ſint ſingularizata per differentias indiuiduales, hinc prouenit, quod natura, quæ in ipſis ſingularibus eſt, non poſsit per ſe ipſam mouere intellectum poſsibilem, & ob hoc neceſſarius eſt intellectus agens ad hoc, quod phantaſma poſsit imprimere ſpeciem ſui in intellectu conjuncto propter ordinem potentiarum, cum nihil fuerit in intellectu, quin primo fuerit in ſenſu, at vero reſpectu intellectus ſeparati hoc non eſt neceſſarium, ſi naturę ſpecificæ, & vniuerſales (ideſt non ſingularizatæ) poſsint per ſe exiſtere.

Ad vltimum arg. ¶ Ad vltimum reſpondetur negando ſequelam, & ad probationem dicitur, quod res ſingulares per ſe ipſas non poſſunt immediatè producere ſpeciem intelligibilem, niſi virtute intellectus agentis, at vero res vniuerſales per ſe ipſas poſſunt imprimere ſpeciem ſui in intellectu poſsibili propter immaterialitatem, quam habent ex natura ſua, & proportionẽ cũ potentia, quam non habent ſingularia materialia ſenſibilia.

QVÆSTIO II.

¶ *Vtrum in intellectu poſsibili ſint ponenda ſpecies intelligibiles ſingularium.*

Prima ſententia. PRima ſententia eſt Diui Thomæ (quam dicunt nonnulli, prima parte quæſtione 56. articulo primo, & dubio tertio, in ſchola Diui Thomæ eſſe doctrinam indubitatam apud omnes & abſq; dubio veram & tenendam) ſcilicet non dari ſpeciem intelligibilem rerum ſingulariũ in noſtro intellectu. *Primum argum.* Quam ſententiam probat primo, quia ſequeretur, quod intellectus noſter cognoſceret ſingularia materialia directè, & non per reflexionem. Probatur ſequela, quoniam ſecundum omnium opinionem cognitio per ſpeciem eſt cognitio directa,

Secundum argum. ¶ Secundò, Intellectus noſter (vt docet Diuus Thomas) eſt quaſi medium inter intellectum Angelicum & ſenſitiuas potentias, ſed ſpecies, quæ ſunt in intellectu Angelico, repræſentant non ſolum vniuerſalia, ſed etiam ſingularia, vt oſtenſum eſt, quæſtione 55. articulo ſecundo & tertio. ſpecies vero, quæ ſunt in ſenſu interiori & exteriori repræſentant tantum ſingularia, vt probatum eſt quæſt. 78. arti. 3. & 4. ergo ſpecies quæ ſunt in intellectu noſtro, ſolum debent repræſentare naturas vniuerſales. Probatur conſequentia, quoniam hoc pacto, ſicut ipſe intellectus eſt medius inter intellectum Angelicum & ſenſum, ita etiam ſpecies noſtri intellectus erit media inter ſpecies Angelicas & ſpecies ſenſibiles in eſſe repræſentatiuo.

Tertium argum. ¶ Tertiò. Res materiales non ſunt actu intelligibiles ſed potentia, niſi quando per abſtractionem à materia fiunt actu intelligibiles, vt Ariſt. expreſsè docet. 3. de anima. capit. 4. textu 16. ſed hæc abſtractio debet eſſe à materia ſingulari, quoniam in Phyſicis non eſt abſtractio à materia in communi, ergo impoſsibile eſt, quod in intellectu noſtro ſint propriæ ſpecies rerum ſingularium. Probatur cõſequentia, quoniam alias res materiales abſque vlla abſtractione à cõditionibus ſingularibus eſſent actu intelligibiles, quod tamen Ariſt. negat.

Secunda ſententia. Primũ argu. pro prima parte ſuæ ſententiæ.

¶Secũda ſentẽtia eſt Caiet. 1. p. q. 86. art. 1. aſſerentis, res ſingulares materiales, nõ ſolũ nõ habere propriã ſpeciẽ, imo neque habere propriũ conceptũ, & diſtinctũ ipſius rei ſingularis. Vtrãque partẽ probat Caiet. (nẽpe ꝙ nõ dentur ſpecies intelligibiles rei ſingularis) primo quia intellectus eſt ſubſtãtia ſpiritualis, nõ includens materiã in ſe ipſo, ſed ſingulare materiale eſt ſubſtãtia materialis in ſe ipſo materiã includens, ergo non põt habere ſpeciẽ intelligibilẽ ſui in nro intellectu. Probat cõſequẽtia, quia talis ſpẽs cũ debeat eſſe adequata ipſi rei ſingulari debet repræſentare illã ſecũdũ oẽs cõditiones indiuiduantes illi cõuenientes, & per cõſequẽs debet repræſentare ſingulare cũ his conditionibus, ſcilicet, Hic & nunc, Hoc autẽ repugnat intellectui, ergo & ſpecies repræſentans ipſum obiectũ cũ illis cõditionibus hic & nunc.

Primũ argu. pro ſecunda parte.

¶Secundã partẽ ſuæ ſententiæ probat: quatenus dicit, ꝙ intellectus noſter nũquã habet cõceptũ propriũ, & diſtinctũ rei ſingularis materialis, & ꝙ intellect⁹ noſter cognoſcit ſingulare materiale in cõfuſo; & arguitiuè, ſicut nos cognoſcimus ſapientiã diuinã, non per propriam ſpeciem, & cõceptũ, cognoſcendo quid ſit, ſed cognoſcẽdo ꝙ ſit; arguitiuè iudicamus ex ſenſibilibus, Dei ſapientiã. Vnde in ſententia Caiet. dicendum eſt, ꝙ intellectus per ſe nunquã cognoſcit ſingulare determinatum, neque formale propriũ conceptũ ipſius, ſed intelligit ipſum in alieno conceptu alterius. Qui conceptus quãuis alienus ſit, quodãmodo tamẽ eſt ipſius ſingularis, ſicut v. g. quia intellectus noſter concipit hominẽ & ſingularitatem in cõmuni, ideo cõcipit aliquẽ eſſe hominem ſingularem, vnde cognitio rei ſingularis non fit formaliter per propriũ conceptum ipſius, ſed per alienũ. Hęc pars Caiet. ſic explicata ꝓbatur, quia ſi intellectus cognoſceret ſingulare per proprium cõceptũ ipſius efficeretur vnum in actu ſecundo cũ iſta re ſingulari, ergo præſupponeret ſe ipſum intellectum vnum in actu primo cum ipſa re ſingulari in eſſe intelligibili, ſed tale eſſe fit per ſpeciẽ intelligibilẽ, ergo cũ non ſit dabilis ſpecies intelligibilis rei ſingularis neq; dabile eſt verbũ neque proprius cõceptus ipſius rei ſingularis.

Secundum argum.

¶Secundo inter verbũm & ſpeciem hæc eſt differentia in repræſentando, quod ſpecies eſt naturalis ſimilitudo obiecti impreſſa, verbum autem eſt naturalis ſimilitudo obiecti expreſſa, ſed non eſt dabilis minor ſimilitudo, nempe ſpecies, ergo nec dabile eſt verbũ, quod eſt maior ſimilitudo.

Tertia ſententia. 1. Notab.

¶Tertia ſententia colligitur ex doctrina Doctoris, quam docent omnes Doctores primò citati in prima quęſtione & defendunt expoſitores recentiores D. Tho. alij prima parte quæſt. 14. arti. 11. diſputatione vnica, concluſione. 2. alij quæſt. 86. art. 1. dubio. 2. pro cuius explicatione eſt primo notandum, quod ſingulare materiale poteſt conſiderare dupliciter, vno modo materialiter. Secundo modo intentionaliter. Si conſideretur primo modo eſt obiectum ſenſus, quatenus per ſe ipſum immediatè poteſt imprimere ſpeciem, naturalem ſimilitudinem ſui in ſenſu. Secundo modo eſt obiectum intellectus, quatenus non immediatè per ſe ipſum, ſed virtute intellectus agentis, poteſt per proprium phantaſma producere ſpeciem intelligibilem ſui in intellectu poſsibili. Vnde hæc eſt differentia inter ſpecies intelligibiles productas à phantaſmatibus virtute intellectus agentis ſingulares, & vniuerſales. Nam ſpecies vniuerſalis producitur à phantaſmate, quatenus in ipſo eſt relucens natura virtute luminis intellectus agentis: ſpecies autem ſingularis producitur ab eodem phantaſmate quatenus in ipſo relucet natura determinata, & contracta conditionibus indiuiduantibus. Vnde ſicut nullum inconueniẽs ſequitur ex hoc; quod ponamus verbũ mentis naturalem ſimilitudinem rei ſingularis, ita neque ſequitur aliquod incõueniens ex eo, quod ponamus ſpeciem intelligibilem ipſius rei ſingularis.

2. Notab.

¶Secundo eſt notandum duplicem eſſe effectum intellectus agentis. Primus eſt illuminare phantaſmata. Secundus eſt abſtrahere ſpecies intelligibiles ab ipſis phantaſmatibus. Et ratio huius eſt, nam in quocunque indiuiduo cuiuſcunque naturæ creatæ ſunt natura, & proprietates indiuiduales, quibus talis natura contrahitur ad eſſe indiuidui. Vnde prouenit, quod natura ſit quaſi abſcondita, & quaſi latens ſub illis indiuidualibus proprietatibus, imo & ipſæ proprietates indiuiduales ſunt etiam quaſi abſconditæ, & latentes ſub eſſe ipſius indiuidui, vt autem iſta, quæ latent, & quaſi abſcondita ſunt, appareant, neceſſaria eſt illuminatio intellectus agentis, ſed adhuc tamen ipſa ſic illuminata non mouent intellectum poſsibilem, propter improportio-

nem

nem, quam habent cum altiori potentia, & propter hoc neceſſaria eſt ſecunda actio intellectus agentis, quæ dicitur abſtractio, qua & ipſum phantaſmaa actione ſua producit ſpeciem intelligibilem, ſiue ipſius naturæ, ſiue ipſarum proprietatum indiuidualium, ſiue ipſius indiuidui.

3. Notab. ¶ Tertio eſt notandum, quod ſpecies intelligibilis rei materialis abſtracta virtute intellectus agentis, eſt immaterialis in eſſendo, & in repræſentando, quamuis repræſentet materiale, quia quamuis repræſentet materiale, repræſentat illud non materialiter, ſed immaterialiter. Vnde ſicut verbũ mentis rei ſingularis eſt formaliter actualiter repræſentatiuum rei materialis, eſt tamen in eſſendo, & in repræſentando immateriale, habens virtutem repræſentandi conditiones materiales, immaterialiter tamen, ita & ſpecies intelligibilis rei ſingularis, quamuis repræſentet materiale, eſt tamen immaterialis, & in eſſendo, & in repræſentando.

Prima cõcluſio. ¶ Prima concluſio. Siue indiuiduum ſenſibile cognoſcatur per propriam ſpeciẽ, ſiue non, ſiue cognoſcatur directè, ſiue reflexè, intellectus tamen noſter format proprium conceptum, & diſtinctum illius, ita vt per illum habeamus euidentem, & claram notitiam ſingularium materialium, & ſuarum proprietatum. Hanc cõcluſionẽ docent expoſitores Diui Thomæ vbi ſupra cum Ferrara primo contra Gentes capit. 65. & Capreolo in primo diſtinctione 35. quæſtione ſecunda. Et probant primo contra Caietanum, quoniam per cognitionem confuſam & argumentatiuam qualem conſtituit Caietanus rerum ſingularium intellectus practicus non poteſt conſulere, & iudicare diſtinctè de rebus agendis ſingularibus, ſed intellectus practicus rectè & diſtinctè & propriè cognoſcit res ſingulares ſenſibiles & materiales, ergo. Hoc argumento vtitur Diuus Thomas in diſputatis de anima quæſtione vnica art. 20. oſtendens Deũ & Angelos habere cognitionem propriã euidentem & adæquatam rerum ſingularium, quoniam illa cognitio eſt neceſſaria ad gubernationem & prouidentiam rerum, & eodem modo dicendum eſt in gubernatione noſtra.

Prima ratio.

Secunda ratio. ¶ Secundò, ſillogiſmus practicus colligit concluſionem ſingularem circa res agendas ex altera propoſitione vniuerſali: & ex altera particulari includente hic & nunc, & cum omnibus differentijs indiuidualibus, ergo cognoſcens concluſionem diſtinctè: diſtinctè etiam cognoſcet ſingularia incluſa in illa concluſione.

Tertia ratio. ¶ Tertiò, Prudentia eſt virtus in intellectu practico, quæ verſatur propriè circa ſingularia contingentia, ergo diſtinctè cognoſcit illa. Probatur ſequela, quoniam qualibet virtus intellectualis diſtinctè attingit illa obiecta circa quæ propriè verſatur.

Quarta ratio. ¶ Quartò. Electio voluntatis ſemper eſt de re aliqua agenda in indiuiduo, ſed electio voluntatis neceſſariò pendet à iudicio ſingulari intellectus, quo iudicat hoc medium hic & nunc eſſe bonum conueniens ad finem, ergo intellectus diſtinctè iudicat de ſingularibus.

Vltima ratio. ¶ Vltimò, Intellectus corrigit ſenſum, & ponit differentiam inter ſingulare & vniuerſale, ergo diſtinctè cognoſcit vtrunque.

Secunda concluſio. ¶ Secunda concluſio. Per ſpecies vniuerſales abſtractas à ſingularibus non poteſt intellectus diſtinctè cognoſcere ſingularia.

Prima ratio. Hæc concluſio probatur. Intellectus tantum poteſt cognoſcere diſtinctè per illas ſpecies, quantum illæ poſſunt diſtinctè repræſentare, ſed illæ ſpecies vniuerſales non poſſunt repræſentare proprietates indiuiduales, nempe hic & nunc, ergo. Maior eſt manifeſta, & minor probatur. Nam ſi per ſpeciem hominis repræſentarentur Petrus & Paulus diſtinctè, ergo habens ſpeciẽ hominis neceſſario deberet cognoſcere Petrum & Paulum ſimul. Patet ſequela, quia illa ſpecies non habet à quo determinetur ad repræſentandum Petrum, & non ad repræſentandum Paulum.

Confirm. ¶ Confirmatur. Petro & Paulo conueniũt quam plurima prædicata cõtingentia, quæ non includuntur in ratione hominis, ergo talia prædicatã non poſſunt repræſentari per ſpeciem hominis, & per conſequens neque cognoſci cognitione diſtincta per ſpeciem hominis.

Secunda ratio. ¶ Secundò. Intellectus noſter, quando cognoſcit cognitione reflexa ſingularia tantum cognoſcit illa vt poſsibilia, ergo cognitione confuſa. Antecedens patet ex modo quo ipſi exponunt cognitionem reflexam: nam dicunt, quod intellectus primo cognoſcit directè naturam vniuerſalem repræſentatam per ſpeciem. Secundò reflectitur ſupra ſe, & cognoſcit actum ſuum. Tertiò cognoſcit ſpeciem intelligibilem, quæ eſt

principium illius actus. Quartò, cognoſcit phantaſma, à quo accipit illam ſpeciē. Quintò cognoſcit ſingularia quo phantaſma cauſatum eſt, ſed totum hoc non inducit cognitionem diſtinctā rei ſingularis, vt ſingularis eſt. Probatur minor, quia illa ſpecies (dato totum illum proceſſum verum eſſet) tātum repræſentat naturam, prout erat in illo ſingulari, non autem ipſum ſingulare diſtinctè; ergo. ¶ Tertiò naturæ humanæ ſpecies intelligibilis abſtractá virtute intellectus agentis eſt naturalis ſimilitudo, & adæquata ipſius naturæ humanæ, ſed natura humana poteſt comprehenſiuè cognoſci, non cognitis ſingularibus ipſius naturæ, ergo & ſpecies intelligibilis naturæ humanæ poterit repræſentare adæquatè ipſam naturam, non repræſentatis ſingularibus ipſius naturæ, & per conſequens implicat per ſpecies abſtractas à ſingularibus, ſi non ſunt propriæ ipſorum ſingularium, quatenus ſingularia ſunt, ſed ſunt vniuerſales, poſſe intelligi indiuiduū & ſingulare cognitione diſtincta & adæquata.

Tertia ratio.

¶ Tertia concluſio. Singularia materialia cognoſcūtur ab intellectu noſtro directè per ſpeciem propriam cuiuſcunque ſingularis. Hæc concluſio doctoris probatur, nā ſingularia materialia intelliguntur directè, ergo per propriā ſpeciē. Patet cōſequētia, qa illa eſt cognitio directa qn̄ cognitum cognoſcitur per ꝓpriū repræſentatiuū. ¶ Secūdò ſingulare poteſt comprehēdi ab intellectu; aut igitur poteſt comprehendi per ſpeciem ipſius propriam, aut per ſpeciem vniuerſalem, ſed non per ſpeciem vniuerſalis, nā ſpecies vniuerſalis indifferens eſt ad quodlibet eiꝰ ſingulare negatiuè & poſitiuè, ergo. Vel eſt ſimul repræſentatiua omnium ſuorū ſingularium vel nullius, ſed non omnium; vt de ſe patet, quia ſicut vniuerſale, v.g. ſpecies humana eſt æqualiter indifferēs quo ad eſſe ad omnia indiuidua humana, ita ſpecies intelligibilis vniuerſalis, primo repræſentans ſpeciem humanam, eſt indifferens ad ſuorū indiuiduorū repræſentationem, ergo cum per ſpeciem vniuerſalem nō poſsint indiuidua diſtinctè cognoſci, neceſſario ponendæ ſunt ſpecies intelligibiles ſingulares, quibus diſtinctè cognoſcatur ſingulare.

Tertia cōcluſio.

Prima ratio.

Secunda ratio.

¶ Reſpondetur argumentis. Ad argumenta tamē pro prima ſententia ex dictis patet, ad primum cōcedendo ſequelā, ſcilicet, ꝙ intellectus noſter directè cognoſcit ſingularia.

Ad argu. pro prima ſententia. Ad primū

¶ Ad ſecundū reſpōdetur, ꝙ intellectus noſter dicitur medius inter ſenſum & intellectum Angeli, quia quodā modo participat aliquid vtriuſque, nā cum ſit intellectus coniunctus, ex eo ꝙ coniunctus eſt habet aliquid cōmune cū ſenſu præcipuè interiori, quia ſicut ſenſus interior ad ſuam operationē indiget ſenſu exteriori, ita & intellectus coniunctus indiget ſenſu, quia iuxta doctrinā Philoſophi oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari. Ex eo autē ꝙ intellectus eſt habet quid cōmune cū Angelis, quia poteſt ſeparari à ſenſibus, & per conſequēs cognitionem aliquam habere ſine miniſterio ſenſuum, non autem dicitur medius ad modum quo in argumēto explicatur.

Ad ſecundum.

¶ Ad tertium reſpondetur cōcedendo maiorē, & ad minorem dicitur, ꝙ abſtractio ſingularium eſt abſtractio à materia phyſica, non autem à materia metaphyſica, & hoc eſt, qđ ſupra diximus, materialia ſingularia nō intelligūtur materialiter ſed immaterialiter.

Ad tertiū.

¶ Ad argumenta pro ſententia Caiet. Ad primum pro prima parte ſuæ ſententiæ concedendo maiorem & minorē, & negando conſequentiam, quia quāuis ſingulare materiale non poſsit per ſe ipſum immediatè producere ſpeciem intelligibilē ſui in intellectu poſsibili noſtro, bene tn̄ poteſt mediante phantaſmate & virtute intellectꝰ agētis. Ad probationē autē cōſequentiæ, rn̄detur talē ſpeciem intelligibilē repræſentare cōditiones oēs illas materiales, immaterialiter tn̄, & nō materialiter; quæ repræſentatio non repugnat noſtro intellectui, ſicut videmus in verbo mentis ipſorū ſingularium, ꝙ formaliter repræſentet ipſum ſingulare cū omnibus cōditionibus ſuis materialibus, ſcilicet, hic & nūc, &c.

Ad argu. pro ſecunda ſententia.

Ad primū pro prima parte.

¶ Ad argumēta pro ſecunda parte ſniæ Caiet. Rn̄detur primo, vt rn̄dent expoſitores D. Tho. nō eſſe eandē rationē de proprio cōceptu rei ſingularis, & de ſpecie intelligibili, nā per ſpecies rerū ſenſibiliū formamus cōceptus proprios ſubſtantiarū ſeparatarū, quāuis nō quidditatiuos, & tūc licet habeamus propriū conceptū, nō tn̄ habemus propriā ſpeciē, ita ad formandū conceptū ſpecialē rei ſingularis per reflexionē ſufficit illa ſpecies naturæ vniuerſalis ſimul cū cōuerſione ad phātaſmata.

Ad 1. argu. pro ſecunda parte reſpondetur.

¶ Secundo autē rn̄detur iuxta ea, quæ diximus, ſcilicet cōcedendo totū, & negando illā minorē nempe ꝙ nō ſit dabilis ſpecies intelligibilis rei ſingularis, & per hoc patet ad ſecundū.

Secūda & propria ſolutio.

QVÆSTIO III.

¶ *Vtrùm Angeli per ſpecies proprias ſingularium cognoſcant ipſa ſingularia.*

Prima ſententia.
Fundamentum iſtius ſententiæ.

DE hac re multiplex eſt doctorũ ſententia prima eſt Durandi in 2.d.3.q.7. aſſerentis: ꝙ ſpecies, quę collocãtur in intellectu Angelicò, primo & per ſe repræſentãt ſingularia & indiuidua, fundamentũ huius ſententiæ eſt, quia obiectũ primarium intellectus humani, & Angelici nõ eſt natura in cõmuni, ſed potius ſingulare & indiuiduũ.

Secunda ſententia.

¶ Secũda ſententia eſt Maioris in.2.d.3.q.2. aſſerẽtis Angelum cognoſcere ſingularia per ſpecies à Deo infuſas ſingulares, quas accepit in ſui creatione reſpectu illorum tantũ, quorum cognitio pertinebat ad ꝓpriũ cuiuſq; Angeli ſtatum.

Tertia ſententia.

¶ Tertia ſententia eſt D. Bonauẽturæ in.2.d.3. circa ſecundũ principale, quæſt.1.nu.54. propè finẽ. vbi ſic ait, & ideo eſt tertia poſitio, ꝙ Angelus omnia cognoſcit per ſpecies innatas, non quia non poſſet recipere ſpecies, tunc enim ſi Deus crearet aliquid nouũ in ſpecie neceſſe eſſet Angelũ ignorare, quod ſi falſum eſt poſſet recipere, & ideo hæc non eſt ratio, ſed hoc quod Deus intellectum Angelicum poſſibi[illegible] ſpeciebus impleuit, ꝙ per illas poterat omnia cognoſcere ſine omni receptione noua, & ideo dicitur intellectus Angelicus eſſe in actu reſpectu rerum, non quia in ſe ipſo ſit in actu, vel quia ſit actus, ſed per ſpecies tactus eſt in actu. Et modus, & intellectus iſtius poſitionis eſt hic: Deus in Angelis concreauit ſpecies vniuerſales omniũ creãdarum rerum, & per illas certum eſt, ꝙ poteſt omnia vniuerſalia cognoſcere, põt etiã ſingularia, ſed nõ niſi cõponat ad inuicẽ. v.g. ſi ego habeo penes me ſpeciẽ figurę, ſpeciẽ hominis, ſpeciẽ coloris & tẽporis, & cõponam adinuicẽ, ſine noua receptiõe ſpeciei cognoſcã indiuiduũ vt in ꝓpria natura, ſed quia talis cõpoſitio niſi eſſet ſcdm certitudinẽ & correſpõdentiã ad ipſam rẽ eſſet fictio & deceptio, ideo angel' huiuſmodi indiuidua & ſingularia nõ cognoſcit niſi dirigat aſpectũ ſupra ipſum cognoſcibile, & ſecũdũ illud, ꝙ eſt in re, ipſe cõponat ſpẽs in ſe, & tũc habet ita clarã, & certã cognitionẽ de re, ſicut ſi ſpeciẽ ſtatim reciperet. Et hæc poſitio magis placet, quia cõcors eſt rationi philoſophiæ & ſacræ ſcripturæ. Et nu.57. explicat iſtũ modũ intelligẽdi, dicẽs. Dico ꝙ cognoſcit ſingularia ꝑ ſpecies vniuerſaliũ applicãdo, & appropiãdo, vnde per appropiationẽ ꝓpriè vt diſtinctè cognoſcit, nec oportet infinitas eſſe, quia ſingularia ad numerũ finitũ vniuerſaliũ reducũtur, ſed finitæ ſpecies infinitis modis cõponi poſsũt, & ideo nunquã tot ſingularia cognoſcit Angelus, quin adhuc poſsit cognoſcere plura ſine receptione nouæ ſpeciei, nõ tñ ſine directione aſpectus ſupra rẽ, ex qua directione nõ recipit ſpeciẽ cognoſcibilẽ, cũ ſit in actu per ſpeciẽ, quã habet, ſed dirigendo aſpectũ ſpeciẽ appròpiat & appropiando cõponit, & rẽ ſingularẽ ſub vna ꝓprietate cognoſcit & perficit, quia tota cognitio eſt à forma, & forma hæc ſpecies eſt, quę eſt totũ eſſe indiuiduorũ. Et num.58, in fine, explicãs iſtũ modũ aſſerit. Ponatur etiã ꝙ nullã haberet cognitionẽ, ſed ſolum ſpecies vniuerſalis in intellectu ſuo, adhuc poterit applicare & appropriare, nõ cauſaliter, ſed certitudinaliter, ꝙ patet, ſi homo enim, cũ naſcitur non habet cognitionẽ, neq; ſpeciẽ ſingularium neq; cõmunem, neque propriã, ſola tamen directione aſpectus ſuper res cognoſcit omnia viſibilia, & recipit ſimul cognitionẽ certã & ſpeciem, quia denudatus erat à forma recepti, ꝙ ſi haberet ſpecies multo melius poſſet dirigendo aſpectum ad res mũdanas eas cognoſcere nõ ſuſcipiẽdo ſpecies, cũ iã habeat ex directione, & applicare & appropiare & componere & diſtinctè noſſe.

Quarta ſententia.

¶ Quarta ſententia fuit Magiſtri Cano aſſerentis, quod ſi ſpecies intelligibilis repræſentaret per modum formalis ſimilitudinis non poſſet eſſe repræſentatiua indiuiduorum & accidentium repræſentatione diſtincta, quia vero ſpecies intelligibilis tantum concurrit vt principium effectiuum ad cognitionem, ideo non eſt incõueniens, quod poſsit vnica ſpecies repræſentare & naturam & omnia indiuidua illius.

Quinta ſententia.

¶ Quinta ſententia eſt recentiorum expoſitorum Diui Thomæ prima parte quæſtione 57. articul. 2. aſſerentium Angelum per eandem ſpeciem vniuerſalem cognoſcere quidditatẽ & indiuidua, & omnia ſingularia accidentia, quoniam ſpecies illa Angeli eſt participatio quædam diuinæ ideæ, quæ nõ ſolũ repræſentat naturam quantum ad principia communia, ſed etiam quantum ad omnia indiuiduãtia, & accidentia, qualitercũq; in rebus ipſis inueniantur; vt autem expli-

cent prædictam ſententiam aduertunt, dicentes explicari hoc optimè à D. Tho. exemplo diuinæ eſſentiæ, nã ſicut ipſa repræſentat perfectiſsimè omnia, non ſolum quoad gradus vniuerſales, ſed etiam quãtum ad indiuiduales differẽtias, ita criã poterit Deus infundere Angelo aliquam ſpeciem, quę ſimul repræſenret res quantum ad naturã vniuerſalem, & quantum ad differentias indiuiduales, quia huiuſmodi ſpecies eſt quædam participatio diuinæ eſſentiæ. Adhuc addũt præterea pro maiori explicatione nõ repugnare veritati huiuſmodi ſpeciei pluralitas differentiarum indiuidualium; quoniã non comparantur ad ea vt obiecta primaria, ſed vt ſecundaria, & ad vnitatem cuiuſcunq; habitudinis impertinens eſt vnitas aut pluralitas obiecti ſecundarij, vt conſtat in potẽtijs & habitibus. Tertiò aduertunt, quod ſicut typus v.g. domus ædificandæ, quanuis imperfectior ſit prototypo in mente artificis exiſtente, nihilominus tamen eadem repræſentat, & eodem modo, ita prorſus ſe habet ſpecies Angelica ad ideam earũdem rerum exiſtentem in Deo.

Primum argum. ¶ His igitur ſic conſtitutis probant ſuã ſententiam. Primo, ille modus intelligendi ponendus eſt in Angelis, qui magis cõformis eſt naturæ eorum, ſed huiuſmodi ſpecies eſt illa, quæ ſimul repræſentans naturam repræſentat accidentia omnia indiuiduanria, ergo. Probatur minor. Hoc non implicat cõtradictionem, & Angeli quanto ſuperiores ſunt, tanto per pauciores ſpecies intelligunt, ergo ſi vna ſpecies poteſt repræſentare plures naturas, multo magis poterit repræſentare plura indiuidua eiuſdem naturæ. Antecedens patet, quo ad primam partem. Quo ad ſecundã autem probatur, quia ſi Angelus haberet propriam ſpeciem cuiuſque ſingularis, & diſtinctam ab ſpecie alterius, non poſſet eſſe verum, quod Angeli quo ſunt perfectiores, eò per vniuerſaliores ſpecies intelligunt.

Vltima ſententia. 1. Notab. ¶ Vltima ſententia eſt Doctoris pro cuius explicatione ſunt notanda nonnulla. Primum eſt, quod in hac quæſtione aliud eſt loqui de facto, aliud vero de poſsibili. De facto vtrum Deus conceſſerit Angelo ſpeciem repræſentantem, non ſolum naturam, ſed etiam indiuidua de facto. Secundus ſenſus eſt vtrum Deus poſsit producere ſpeciem intelligibilem repræſentatiuam naturæ, & indiuiduorum illius.

¶ Secundò eſt notandum, quod indiuidua cuiuſcunque naturæ addunt ſupra naturam ipſam realitatem quandam realiter diſtinctam ab ipſa natura iuxta ſententiam Caietani, vel modum realem, formaliter à natura diſtinctum iuxta noſtram ſententiam, vel duplicem illam negationem incommunicabilitatis, iuxta aliorum opinionẽ, quidquid illud ſit, eſt aliquid ab ipſa natura aliquo modo diſtinctum, & extra rationem formalem ipſius naturæ, & repræſentabile per propriam ſpeciem, iuxta ea, quæ diximus in præcedenti quæſtione. Vnde, dabilis eſt ſpecies repræſentatiua adæquatè naturæ, imo in ſpeciebus acquiſitis neceſſario eſt danda, quæ quidem ſpecies nullatenus poſſet repræſentare diſtinctè illud, quod indiuiduũ addidit ſuper naturam, quia cum illud tale ſit repræſentabile per propriam ſpeciem, implicat eſſe cognoſcibile diſtinctè per ſpeciem vniuerſalem, & per conſequens in ſpeciebus acquiſitis danda eſt ſpecies ſingularis in repræſentãdo illius. quod addidit ſuppoſitum ſuper naturam, & præcipuè ſi addidit entitatem realem, realiter ab ipſa natura diſtinctam. Imo tenentes, probabile eſſe ſingularia directè cognoſci per propriam ſpeciem, tenentur etiam ſimiliter fateri: probabile etiam eſſe per ſpecies acquiſitas vniuerſales non poſſe intelligi diſtinctè ipſa ſingularia. Vnde qui tenent Deum poſſe producere ſpeciem intelligibilem repræſentatiuam plurium naturarum, tenentur fateri poſſe Deum producere ſpeciem intelligibilem repræſentatiuã, non ſolum naturarum, ſed etiam ſingularũ ipſarum naturarũ, quia non magis implicat contradictionẽ vnum, quam aliud. Ex quo infertur vltimo, quod tenentes implicare contradictionem dari aliquam ſpeciem repræſentatiuam plurium naturarum, tenentur etiam fateri implicare contradictionem per ſpeciem aliquam repræſentatiuam naturæ, repræſentari diſtinctè ſingularia illius naturæ. *2. Notab.*

¶ Prima concluſio. Si cognitio fiat per ſpecies acquiſitas nõ poſſunt ſingularia cognoſci per ſpecies vniuerſales. Hæc concluſio probatur, nam ſpecies acquiſita eſt naturalis ſimilitudo, & adæquata obiecti, à quo eſt acquiſita, ſed obiectũ à quo eſt acquiſita talis ſpecies eſt natura, vt eſt cõis negatiuè omnibus indiuiduis illius, ergo ſicut natura ſecundũ ſe non põt repræſentare indiuidua illius *Prima concluſio. Prima ratio.*

illius naturæ diſtinctè, ita neque ſpecies ab illa deſumpta poterit repræſentare diſtinctè indiuidua. Patet conſequentia, quia tantum poteſt ſpecies repræſentare, quantum natura poteſt repræſentari, & tantum poteſt natura repræſentari, quantum poſſet ipſa natura repræſentare, alias non adæquate repræſentaretur, ſi non repręſentaretur ſecundum omne, quod ipſa natura poteſt repræſentare. Minor autem probatur, nempe quod natura non poſſet diſtinctè repræſentare indiuidua, nã indiuiduum dicit ſupra naturam, vel entitatem realem, realiter ab ipſa diſtinctam, vel modum formalem, vel modum realem formaliter ab ipſa diſtinctum, ſed talia non poſſunt per naturam repræſentari, ſecundum quod natura eſt natura, quia non magis poſſunt repræſentari à natura, quam contineri, ſed tantum continentur à natura potentialiter, & confuſe, ergo & tantum poterunt repræſentari à natura potentialiter, & confuſe.

Secunda ratio. ¶ Secundò. Si ſpecies acquiſita poſſet diſtinctè ſingularia repræſentare, ergo poſſet quis ſine aliqua reflexione cognoſcere ſingularia diſtinctè per ſpeciem vniuerſalem, conſequens tamen nullus cõcedet Thomiſtarum. Probatur ſequela, ex eo Angelus (ſecundum illos) poteſt cognoſcere ſingularia directè, quia ſpecies infuſa non ſolum repræſentat naturã, ſed etiã ſingularia, ergo ſi ſpecies acquiſita repræſentat naturam, & ſingularia, poterit intellectus noſter, directè cognoſcens naturam, directè cognoſcere & ſingularia.

Secunda concluſio. ¶ Secunda concluſio, Angeli de facto per ſpecies à Deo ſibi infuſas, per quas cognoſcunt naturas vniuerſales, non cognoſcunt ſingularia. Hæc concluſio probatur. *Prima ratio.* Primò. Species infuſæ Angelis eodemmodo ſe habent, & eiuſdem rationis ſunt, quam ſpecies acquiſitæ, quas illi acquirerent, ſi à Deo nõ infunderentur, cum ſint per accidẽs infuſę, ergo eodem modo repræſentant, ſicut repræſentarent ſpecies acquiſitæ ab illis; ſed ſpecies acquiſitæ vniuerſales non repræſentarent ſingularia, vt probatum eſt in præcedente concluſione, ergo.

Secunda ratio. ¶ Secundò. Si illæ ſpecies infuſæ repræſentant ſingularia, ergo repræſentant omnia ſingularia, & cum ſemper repræſentent, cũ ſint cauſæ naturales in repræſentando, videtur neceſſario dicendum, quod ſemper repræſentabunt omnia ſingularia, & per conſequens, quod Angeli ſemper cognoſcunt præterita, præſentia, & futura.

Solutio. ¶ Ad hoc argumentum reſpondent, nonnulli dicentes, quod ſicut Angelus potentiam ſuam intellectiuam comprehendit, & tamen neſcit quot actus particulares ſit habiturus, quia ſufficit ad comprehenſionem cognoſcere formale obiectum, & eos actus in genere, quos poteſt habere circa illud, ita forma intelligibilis comprehenditur, quando videtur adæquatum illius obiectũ, quamquàm nõn actu comprehendat omnia ſingularia, quæ actu repræſentantur. Nam ego poſſum comprehendere naturam ſpeculi, licet non cognoſcam ſingula particularia, quæ in futurum repræſentabit. Ex quo ſequitur, quod nunquã poterit eſſe aliqua notitia in Angelo, quæ comprehendat omnia, quæ per vnam ſpeciem repræſentãtur, eo quod ſingularia, quæ actu non exiſtunt, non poſſunt eſſe terminus repræſentationis ipſius ſpeciei.

Obiectio. ¶ Quod ſi quęras. Quid ergo mutationis habet ſpecies illa intelligibilis Angeli, vt repræſentet potius modo Petrum, quãdo eſt, quam ante quando non erat? Nam ſi illæ eſt omnino immutata, ergo omnino repræſentat idem & eodem modo.

Solutio. ¶ Reſpondent ad hoc aliqui, quod ita ſe habet ſpecies illa, ſicut album, quod non incipit eſſe ſimile, quouſque producatur aliud album, alijs verò productis manens immutatum fit ſimile.

Impugnatio. ¶ Iſta tamen ſolutio nihil valet, quia album non ſolum non repræſentat actualia alba, antequam ſint, ſed neque eſt ſimile illis antequam ſint. At verò ſpecies Angeli ſimilitudo eſt omnium ſingularium, & repræſentatiua illorum, quãuis non actu repræſentet illa antequam ſint. ¶ Secundò autem reſpõ- *Secunda Solutio.* detur cum Caieta. ita ſe habere ſpeciem illã ad exiſtentiam ſingularium, ſicut ſe habet ſpecies ipſa viſiua in oculo ad colorem, etſi enim illa maneret in oculo amoto colore, nihilominus eſſet repræſentatiua coloris, ſed non actu repræſentaret quouſque color rediret, aut præſens fieret. Et immerito quidem reprehenditur à quibuſdam dictũ hoc Caieta. quaſi aut poſsibile ſit conſeruari ſpeciem illam amoto obiecto, aut non repręſentare obiectum amotum, ſi manet ſpecies. Neutrum enim illorũ impoſsibile eſſe conſtat. ¶ Primo quia ſpecies illa dependeat à pręſentia obiecti in eſſe & cõſeruari,

hoc tamen verum eſt naturaliter loquẽdo;
nihil autem repugnat, quominus illã poſ-
ſet conſeruare ſine præſentia obiecti, ſicut
& lumen conſeruari poteſt ſine præſentia
ſolis, quanuis ab illo dependeat naturaliter
in eſſe & conſeruari, ſicut enim lumen à ſo-
le, ita ſpecies ab obiecto procedit, cuius con
curſum ſupplere poteſt Deus, cùm ſit in ge
nere cauſæ efficientis. ¶ Secundo etiam,
quia licet ſpecies illa, quandiu eſt in oculo
repræſentet obiectum, ſed ſimilis eſt illi ſpe
cies intelligibilis, quæ in intellectu noſtro
repræſentat quidditatem, ita enim ſe habet
intellectus noſter (inquit Ariſtot.) ad phan-
taſmata illuſtrata, ſicut oculus ad colores
illuminatos, ſicut ergo poteſt manere in in
tellectu noſtro ſpecies intelligibilis, ita vt
nõ actu repræſentet, vt cum dormimus aut
obliti ſumus, vel diſtracti aliud agimus, ita
eodemmodo poteſt (ſaltem de potẽtia Dei
abſoluta) manere ſpecies in oculo, ita vt nõ
repræſentet obiectum. Nihil ergo impoſſi-
bile Caiet. ſententia habet.

Solutio ſecundæ, ad præcedens argumen. ¶ Adde etiam, quod ad hanc rem explican-
dam non opus eſt ad Hipotheſim aliquam
confugere, ſatis enim explicatur ex Ariſto.
doctrina de intellectu noſtro, qui licet ſpe-
ciem intelligibilem habeat alicuius rei, per
eam tamen nunquam actu intelligit, aut ei
obiectum repræſentatur actu, niſi phantaſ-
mata ſpeculetur, ideſt niſi intellectu agente
actu illuſtrante phantaſma ipſum, intelle-
ctus poſſibilis actu ſe conuertat ad illud per
ſpeciem intelligibilem, iam dudum acquiſi
tam; ſicut ergo vt nos intelligamus per ſpe-
ciem iam habitam, oportet illuſtrari phan-
taſma, & quidditatem fieri præſentem, ita
ſane vt Angelus intelligat ſingulare, opor-
tet fieri præſens. Ratio autem horum om-
nium eſt, quoniam notitia per ſpeciem viſi-
bilem noſtram, & per ſpeciem intelligibilẽ
Angelorum, qua ſingularia cognoſcit, eſt in-
tuitiua, ac proinde non ſatis eſt, vt ſit ſimili
tudo repræſentatiua rei, ſed oportet, vt ſit
res actu præſens, quod eſt de ratione noti-
tiæ intuitiuæ. Inde ergo prouenit, vt Ange-
lus per eandem ſpeciem omnino immutatã
vtriuſque repræſentatiuam intelligat eſſe,
quando eſt ſingulare, & non eſſe, quando
nõ eſt ſine mutatione ſui, propter mutatio-
nem rei, quanuis rem eſſe non ſit ratio intel-
ligendi, ſed tantum ipſa ſpecies, ſed vt mini-
mum eſt conditio ſine qua nõ eſſet talis no-
titia, ſcilicet, intuitiua. Et id quod diximus

de eſſe & non eſſe ſubſtantiali rei ſingula-
ris, eodem modo eſt intelligendum de quo-
libet eſſe aut non eſſe accidentali eiuſdem
rei indiuiduæ. Quare ſicut Angelus intelli-
git eſſe quando eſt, & non eſſe quando non
eſt, ita ſedere quando ſedet, dormire, lege-
re, calefieri, &c. Quando hæc fiunt.

¶ Iſta tamen prolonga ſolutio non conti- *Impugnatio.*
net ſolutionem argumenti, & primo quan-
tũ ad illud, quod aſſerit in principio, quod
ſicut comprehendens potentiam intelle-
ctiuam non comprehendit actus particu-
lares quos potentia eſt habitura; ita ne-
que comprehendens ſpeciem non compre
hendit omnia quæ poteſt repræſentare,
facile conuincitur iſtam paratam non ſolue-
re argumentum, propter maximam diffe-
rentiam, quæ eſt inter potentiam intellecti
uam & ſpeciem intelligibilem. Nam poten-
tia intellectiua non eſt ipſum intelligibile,
niſi informetur ſpecie intelligibili obie-
cti, per quam cõſtituitur, & efficitur ipſum
obiectum in eſſe intelligibili in actu primo,
& ſic potentia intellectiua non habet totã
actiuitatem ſuam ſimul, cum ſecundum D.
Tho. ante receptionem ſpeciei intelligibi-
lis ſit pura potentia paſſiua, & ſecundum
doctorem habeat ſuam actiuitatem partia-
lem diſtinctam ab actiuitate ſpeciei. Qua
re ſi potentia intellectiua dicenda eſt ſimi-
litudo obiecti, vel obiectum in eſſe intelli-
gibili, ſi per ſe ſola conſideretur, tantũ erit
in potentia virtuali, & quaſi remota. At ve-
rò ſpecies intelligibilis eſt formalis ſimilitu
do obiecti, & totalis ſimilitudo obiecti, nõ
expreſſa ſed impreſſa, ergo quanuis com-
prehendens potentiam intellectiuam, non
comprehendat omnes actus, quos habitura
eſt, comprehendens tamen ſpeciem intelli-
gibilem neceſſario debet comprehendere
omnia, quæ naturaliter repræſentat.

¶ Poteſt etiam hoc confirmari; nam intel-
lectus non poteſt de non intelligente fieri
intelligens; niſi mediante aliqua mutatione
& recipiendo aliquam formam realem; quæ
ſit ſimilitudo impreſſa vel expreſſa, ergo ſi
hoc modo ſe habet ſpecies in repræſentan-
do ſingularia, ſicut ſe habet potentia intelle
ctiua intelligendo, recipit igitur ſpecies in-
telligibiles aliquid, ratione cuius modo re-
præſentet, quod antea non repræſentabat,
verbi gratia ſpecies intelligibilis hominis,
antequam Petrus ſedeat, non repræſenta-
bat Petrum ſedentem. Petro verò ſedente
repræ-

repræſentat Petrum ſedentem, tum ſic, vel illa ſpecies ſe habet in repræſentādo Petrū, ſicut ſe habet intellectus in intelligendo Petrum. Si dicas, quod ſic, ergo ſicut intellectus cognoſcens Petrum modo, quem antea non cognoſcebat, recipit aliquam formam, quam antea non habebat, ita ſpecies modo repræſentans Petrum, recipit aliquam formam, quam antea non habebat, hoc autem eſt intellectum Angeli recipere ſpeciem à rebus. Si autem dicas quod non eodemmodo ſe habent potentia intellectiua in intelligendo, & ſpecies in repræſentādo, ergo illa pars ſolutionis ſupra aſsignata nulla eſt?

¶ Secunda autem pars prædictæ ſolutionis, ſi Deus poteſt conſeruare vel non poteſt conſeruare ſpeciem in abſentia obiecti non facit ad propoſitum, nam nō quæritur in præſentiarum, ſi poſsit Deus producere ſpeciem intelligibilem adæquatè repræſentatiuam rei ſingularis, non exiſtente ipſa re ſingulari. Nā mihi nō dubium eſt, quod cū Deus infundit Angelis ſpecies vniuerſales omnium rerum, poſsit etiam infundere ſpecies ſingulares omnium, vel aliquorum ſingularium repræſentatiuas ipſorum ſingularium pro illo tempore, pro quo ſingularia futura erant, & ſecundum omnes conditiones & accidentia, quæ illis debebant conuenire. Sed quæſtio eſt, vtrùm ſi Deus verbi gratia, infunderet in intellectu alicuius Angeli ſpecies aliquas rerum ſingularium, quas non infudit in intellectu alterius Angeli, ſi eodemmodo ſe haberent ſpecies illa ſingularis Petri ſedentis in intellectu iſtius Angeli, & ſpecies vniuerſalis hominis in intellectu alterius Angeli ad repræſentandū Petrum ſedentem, antequā Petrus ſederet, & poſtquā ſedens eſt; an vero aliquid eſſet neceſſario in ſpecie ſingulari quod non eſſet neceſſario in ſpecie vniuerſali? Et præterea quia ſeſsio Petri & Petrum ſedere, non ſolum poteſt cognoſci notitia intuitiua, ſed etiam notitia abſtratiua, quatenus cognoſcibilis eſt ſeſsio Petri, nō conſiderata actuali exiſtentia. Quæritur igitur, per quid poteſt determinari ſpecies vniuerſalis ad repræſentandum iſtam ſeſsionē Petri abſtractiuè, antequā præceſſerit notitia intuitiua. Præcipuè cum ipſi in ſolutione ad. 2. cōcedant, quod notitia intuitiua non requirat ſpeciem deſumptam à præſentia obiecti, quanto igitur magis poterit quis abſtractiuè cognoſcere, quod intuitiuè non vidit.

¶ Vltimum autem quod docent, nempe ſpeciem vniuerſalem, ſine ſui mutatione repræſentare rem exiſtentem propter mutationem rei, quæro ab illis, talis repræſentatio quam modo habet illa ſpecies, eſt ne aliquid in re ipſa repræſentata, vel in ſpecie repræſentante? In ipſa re repræſentata non poteſt eſſe, ergo erit in ſpecie repræſentante, cum non ſit tranſitus de cōtradictoria in contradictoriam abſque mutatione in altero extremorum, ſed in extremo repræſentato non eſt aliquod, ratione cuius extremum mutetur in repræſentari, ſicut neque ex eo quod intelligitur mutatur extremū intellectum; ergo erit talis mutatio in ſpecie repræſentante.

¶ Quod ſi dicas, ſimile eſſe de ſpecie ſingulari, quæ, antequā ſingulare exiſtat, non repræſentat, & exiſtente ſingulari abſque ſpeciei mutatione ſingulare repræſentat, & tamen eſt tranſitus de contradictorio in cōtradictorium. Ad hoc tamē facile, reſpōdetur quod ſpecies ſingularis ex natura ſua intrinſeca, & ex primaria ſua inſtitutione inſtituta eſt ad repræſentandū rem ſingularem, & ſic quantum eſt, ex parte ſua ſemper eſt repræſentans. At verò ſpecies vniuerſalis non eſt repræſentans ſemper ſingulare, & ſic tranſitus de non repræſentare in repræſentare neceſſario requirit in illa mutationem.

¶ Aliter autem alij reſpondent, prædicto argumento. Primo impugnantes ſolutiones aliorum, quarum prima eſt Caieta. qui in illa quæſt. 57. & artic. 2. aduertit in ſingulari poſſe diſtingui quatuor, nempe naturā vniuerſalem, differentiam indiuidualem, exiſtentiam etiam vt coniunctam eis, ita vt ratione ipſius duo priora dicantur exiſtere, in rerum natura, & durationem talis exiſtētiæ, ſeu coniunctionis cum ipſa exiſtentia ex his, quæ dicit, ſpeciem infuſam Angelo, tria priora repræſentare tanquā res repræſentatas. Poſtremum verò dicit non repræſentari tanquā repræſentata, ſed tanquā conditio ſine qua coniunctio illa ſingularis cū exiſtentia non repræſentatur. Et ita concludit hæc duo ſtare ſimul, ſcilicet, quod Angelus per ſpecies ſibi infuſas cognoſcat ſingularia exiſtere, quando actu exiſtūt, & quod non cognoſcat ea antequam exiſtant, quia quando actu exiſtunt, repræſentantur per ſpecies, non verò quando non exiſtunt, idque non propter defectum ſpecierum,

quæ

quæ ſemper ſe habent eodemmodo, ſed propter defectum ipſorum ſingularium, quia nimirum deeſt conditio requiſita ex parte ipſorũ, vt repræſententur, ſcilicet, præſentiam coniunctionis ipſorum cum exiſtentia. Additque ideo requiri huiuſmodi conditionem, vt ſingularia repræſententur per ſpeciem, quia inter repræſentans & repræſentatum requiritur ſimilitudo: ſingulare autem non eſt ſimile ſpeciei, de qua loquimur, niſi exiſtat, quoniam ſpecies illa repræſentat ipſum ſingulare exiſtens. Hanc ſolutionem partim ſequitur, & partim reijcit Ferrara ſecundo contra gentes cap. 100. Sequitur enim eam quantum ad tria priora reijcit verò quantum ad vltimum, exiſtimans, vltimum etiam eſſe, rem repræſentatam per ſpeciem infuſam Angelo, non verò conditionem ex parte rei repræſentatæ. Neque ex hoc ſequitur Angelum poſſe cognoſcere futura contingentia, quia neque cognoſcuntur ab Angelo, neque illa coniunctio, aut eius duratio per ſpeciem repræſentatur, niſi cum eſt actu.

¶ Iſta tamen ſolutio placet quibuſdam modernis dicentibus ſpeciem, quæ eſt in Angelo, eſſe repræſentatiuam exiſtentiæ, & durationis ſingularium in actu primo, non tamen actu ſecundo, niſi quando ſingularia habent actu durationem exiſtentiæ, quia ante hoc ſingularia non aſsimilabantur ſpeciei.

¶ Iſtæ tamen ſolutiones non placent, nam falſum videtur aliquid repræſentare ſpeciem ſingularibus exiſtentibus, quod non antea. Probatur, hoc falſum eſſe. Primo repræſentatio, quæ conuenit ſpeciei, vel eſt entitas, imo & eſſentia ſpeciei, vel eſt aliquis modus realis ipſi intrinſecus, quod non eſt pura denominatio extrinſeca; ſed per hoc, quod producatur aliquod ſingulare, nulla entitas, vel modus realis acquiritur de nouo in ſpecie, quæ eſt in Angelo; (nam alias neceſſarium eſſet mutari aliquomodo ſpecies, quæ ſunt in Angelis quoties indiuiduum aliquod produceretur) ergo, neque acquiritur repræſentatio, & ex conſequenti talis ſpecies non incipit repræſentare de nouo aliquid, quod antea non repræſentaret.

Solutio. ¶ Ad hoc reſpondent nonnulli, quod ſicut vna albedo ſine vlla mutatione ſui incipit eſſe ſimilis alteri, quæ producitur de nouo, ita ſpecies, quæ eſt in Angelo poteſt incipere eſſe ſimilis alicui ſingulari, & ex cõſequẽti incipere repræſentare ipſum ſine ſui mutatione, ſed per hoc ſolum, quod ipſum ſingulare producitur. Sed contra quamuis poteſt res aliqua eſſe ſimilis alteri ſimilitudine ſumpta pro relatione ſine ſui mutatione, tamen ſimilitudine, quæ conſiſtit in hoc quod imago ſit repræſentatiua alterius, impoſsibile eſt rem aliquam incipere de nouo eſſe ſimilem alteri ſine ſui mutatione, ſed ſpecies eſt ſimilis poſteriori modo, ergo. Maior ab omnibus recipitur quo ad priorem partem, quo ad poſteriorem verò probatur, quia ille modus ſimilitudinis eſt intrinſecus entitati rei, & cõſiſtit in quadam coaptatione ipſius entitatis ad repræſentandum. *Impugnatio.*

Confir. 1. ¶ Confirmatur, quia modus repræſentandi non variatur in imagine, quantumcunque mutetur terminus, niſi contingat aliqua mutatio in entitate ipſius imaginis, ergo neque vt incipiat de nouo conuenire imagini, erit ſatis, quod terminus incipiat eſſe, ſed neceſſarium erit, quod mutetur aliquomodo entitas ipſius imaginis. Modo probatur antecedens, tum quia modus repræſentandi eſt abſolutus, & intrinſecus imagini repræſentanti; ergo impoſsibile eſt, quod mutetur, licet obiectum mutetur, ſi entitas imaginis manet omnino immutata: tum etiam exemplo imaginis externæ, quæ licet obiectum per eam repræſentatum deſinat eſſe, aut immutetur varijs modis ſemper habet eundemmodum repræſentandi, niſi ipſa aliquomodo mutetur.

Confir. 2. ¶ Confirmatur ſecundò, quia cum aliquis incipit eſſe ſimilis alteri, acquirit de nouo aliquem modum ſaltem relatiuum, ergo etiam quando ſpecies incipit eſſe ſimilis obiecto repræſentando ipſum acquirit de nouo aliquem modum repræſentandi, ſed talis modus non eſt relatiuus, ſed abſolutus; ergo ſufficit eius acquiſitio ad mutationem ſpeciei.

Obiectio. Solutio. ¶ Deinde conueniunt etiam prædictæ ſolutiones in hoc, quod ſpecies (de qua loquimur) non poteſt repræſentare ſingulare, niſi exiſtat, quia alias, non poteſt eſſe ei ſimilis, quod etiam videtur falſum. Nam ſi dicas rationem eius eſſe, quod ſimilitudo eſt relatio realis, ac proinde poſtulat exiſtentiam extremorum, facile hoc impugnari poteſt, quia licet relatio realis ſimilitudinis requirat

rat exiſtentiam vtriuſque extremi, tamen ſimilitudo, quæ conſiſtit in eo, quod vnum ſit imago alterius, non requirit talem exiſtentiam, ſicut verbi gratia imago Socratis eſt imago, & ſimilitudo Socratis, ſiue Socrates exiſtat, ſiue non: Et conceptus roſæ repræſentat roſam, quia eſt imago, & ſimilitudo illius, & tamen indifferenter repræſentat eam, ſiue exiſtat, ſiue non. Quod ſi dicat cum Caiet. quod exigitur exiſtentia termini ad ſimilitudinem imaginis cũ eo, nõ eſſe intelligendum de quacumque imagine, ſed de ea de qua loquimur, quoniam in ea eſt peculiaris quædam ratio, ſcilicet, quod repræſentat ſingulare, vt exiſtens, & per conſequens niſi exiſtat non poteſt eſſe ſimilitudo inter ipſum & imaginem: Sed cõtra quia hac ratione ſolum cõuincitur quod cum ſingulare non exiſtit, repræſentatio illius ſpeciei eſt falſa, ſi referatur ad idem tempus, quia tunc non ita ſe habet ipſum ſingulare, ſicut per ſpeciem repræſentatur, non tamẽ, quod ſpecies illa non repræſentet ſingulare. Sicut verbi gratia, quãuis forma alicuius adeo immutetur, vt maneat diſsimilis imagini, qua repræſentabatur, non ideo dicemus, quod imago non repræſentat ipſum, ſed locum, quod pro illo tempore non repræſentat verè.

Obiectio.

Solutio.

Impugnatio ſolutionum.

¶ Tandem aliquid continet quæuis harum ſolutionum, quod etiam eſt falſum, nam primo, quod Caietan. affirmat ſpeciem, (de qua loquimur) repræſentare coniunctionem actualem exiſtentiæ cum re ſingulari, & nõ durationem huius coniunctionis, videtur repugnantiam inuoluere, ſi loquatur prout exercet ſuum munus, quod eſt facere per modum formæ, quod res aliqua exiſtat, & ratio huius eſt, quoniam actualis coniũctio exiſtẽtiæ ita ſumptæ cum re aliqua eſt pars ſuæ durationis, ſcilicet, duratio præſens. Neque poteſt Caietanus negare exiſtentiam hoc modo ſumptam, quoniam non poteſt aliter eſſe vnita alicui rei, ſicut albedo non poteſt eſſe actu vnita, niſi reddat ipſum actu album.

¶ Præterea, quod neque coniunctio illa neque eius duratio repræſentetur per ſpeciẽ, poteſt probari contra Caietanum, & Ferraram, quia ſuppoſito, quod ſpecies non incipiat repræſentare aliquid, quod antea non repræſentabatur, vt paulo ſuperius probatum eſt, neceſſario efficit, vt poſsint illa duo repræſentari per ſpeciem aliquando, ſcilicet, quando ſingulare extiterit, quod etiam antequã exiſteret repræſentaretur; quod tamẽ videtur impoſsibile, quia repræſentatio ſpeciei eſſet naturalis, & determinata, illa verò duo antequam ſingulare exiſteret eſſent omnino indeterminata, & ad vtramque partem contingentia.

¶ Quod etiam addunt recentiores de illa diſtinctione inter vim repræſentatiuã ſpeciei, & actualem repræſentationem paruã, aut nullam habet probabilitatem, ſi ſpecies repræſentat formaliter ſuum obiectũ, quoniam in imagine repræſentante formaliter non poteſt ſeparari virtus repræſentatiua ab ipſa repræſentatione actuali: Quod ſic probo. Nam virtus repræſentatiua in hac imagine (de qua loquimur) non poteſt eſſe aliud, quam habere talem entitatem, vt formaliter ſit ſimilitudo obiecti, ſed ſimilitudo actualis eſt, actualis repræſentatio, ergo. Cõfirmatur, quia ſi repræſentatio actualis diſtinguatur in hac imagine à virtute repræſentatiua comparabitur ad eam, vt exercitium cauſæ formalis ad formã (ſupponimus enim vt certum, quod non eſt exercitium ipſius in genere cauſæ efficientis) ſed in genere cauſæ formalis, (ſiue ſit reſpectu effectus primarij, ſiue reſpectu ſecundarij) ſed effectus nõ poteſt naturaliter ſeparari à forma, dum eſt actu in rerum natura, ergo nec repræſentatio actualis eſt ſeparabilis ab imagine formaliter. Si autem reſpondeas, quod ſicut referre actu eſt exercitium relationis in genere cauſæ formalis, & tamen poteſt ſeparari ab ea actu exiſtente, quando non exiſtit terminus, ſicut ad miſſa ſententia dicentium vnica relatione patrem referre ad omnes filios, quos habet, conſequenter concedendum eſt, hanc relationem ſolũ referre actu patrem ad filios, quos habet actu, & quod incipit actu referre ipſum ad alios filios de nouo incipientes exiſtere: ita etiam dici poteſt ſpeciem Angelicam ſolũ repræſentare naturas ſpecificas, ſingularia que actu exiſtentia: Incipere autem repræſentare alia ſingularia, quando ipſa ſingularia incipiũt actu exiſtere. Sed hoc facile impugnari poteſt, quoniam repræſentare non eſt modus relatiuus, ſed abſolutus, & præterea vel (vt ſupra probatum eſt) non poteſt fieri, quod ſpecies repræſentet de nouo.

Confirma.

Solutio.

¶ Aliter igitur reſpondendum eſt, ad argumentum pro concluſione poſitum, & primo, ſi dicatur ſpeciem non eſſe ſimilitudi-

nem

nem formalem obiecti, ſed ſolum virtualem facile poterit diſſolui hoc argumentum, nã facta hac ſuppoſitione reſpondetur, nõ eſſe neceſſarium, quod ſpecies infuſa Angelo repræſentet exiſtẽtiam rei ſingularis, ad hoc, quod ſit ratio cognoſcendi eam. Quærenti autem, cur non ſit principium cognoſcendi rem ſingularem, quando non exiſtit, ſicut quando exiſtit ſtatim reſpondebitur, ſed quoniam multi cenſent formaliter ſpeciem repræſentare ſuum obiectum, ideo dicendũ eſt, quod vt Angelus per ſpeciem ſibi infuſam cognoſcat aliquod ſingulare exiſtere, quando non exiſtit, nõ eſt neceſſarium per talem ſpeciem repræſentari tale ſingulare, vt exiſtens actu, neque vt vnitum ex parte exiſtentiæ, vt exercitæ, ſicut ſignificatur per hoc verbum exiſtere, ſed ſatis eſt repræſentari exiſtentiam ſumptam per modum quidditatis, aut in actu ſignato, ſicut ſignificatur nomine exiſtentiæ, ſic enim ſufficienter eſt in actu inter actus Angeli ad hoc, vt ſi ſingulare exiſtat, cognoſcat non ſolum ſingulare exiſtens, ſicut viſus percipit colorem exiſtẽtem, ſed etiam, quod exiſtit. Neque obſtat, quod per ſpeciem, quam habet Angelus non repræſentetur ipſum exercitium exiſtendi, quia huiuſmodi exercitium non importat aliquid præter exiſtentiam ſumptam per modum quidditatis, ſed eſt ipſa met exiſtẽtia aliquo modo ſe habẽs, ſcilicet, vt exercita, & ideo vt cognoſcatur non requiritur maior, aut noua repræſentatio ex parte intellectus.

Obiectio. ¶ Quod ſi obijcias, quia iſte modus repræſentandi exiſtentiam non eſt magis determinatus ad exercitiũ exiſtẽdi, prout eſt pręſens quam prout eſt futurum, ergo indifferenter poterit Angelus per ſpeciem, quæ ita repræſentat cognoſcere exercitium exiſtẽdi, vt præſens, & vt futurum, & ex conſequenti poterit per eam cognoſcere futurũ contingens. *Solutio.* Reſpõdetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam, & ratio diſcriminis eſt, quia repræſentatio, vel eſt eſſentia ſpeciei, vel modus abſolutus ipſi intrinſecus, & ideo ſemper ſe habet eodemmodo, quando ſpecies manet immutata, neque dependet ab aliquo extrinſeco: *Nota hoc.* At verò cognitio eſt effectus ipſius ſpeciei in genere cauſæ efficientis, ſæpe autem, vt cauſa efficiens concurrat ad aliquem effectum, requiritur certa aliqua conditio, ex cuius defectu prouenit, quod non producatur effectus, & ita contingit in præſenti. Nam ſpecies iſta de qua loquimur eſt à natura inſtituta, vt deſeruiat notitiæ intuitiuæ, & ideo, ſicut notitia intuitiua non poteſt terminari ad obiectum, vt eſt abſens, ſed ſolum vt eſt præſens, ita vt poſtulet tanquam conditionem requiſitam ex parte obiecti, quòd ſit præſens: ſic etiam huiuſmodi ſpecies poſtulat eandem conditionem, ita vt ſine ea non concurrat ad intellectionem, & ideo licet ſpecies iſta, & intellect⁹ Angeli ſint totales cauſæ notitiæ, & ſe habeant eodemmodo, antequã ſingulare exiſtat, & quãdo exiſtit, tamen non poſſunt producere notitiam antequam exiſtat, non quia deficiat aliqua cauſa partialis, ſed ſolum propter defectũ conditionis ſine qua non operatur.

¶ Sed contra hanc ſolutionem quantum ad iſtud vltimum, quo reſpondet argumento, ſic argumẽtor. *Obiectio.* Species iſta intelligibilis eſt formalis ſimilitudo obiecti, & per conſequens quorumcunque ſingularium, ergo cognoſcens comprehenſiue iſtam ſpeciem intelligibilem cognoſcet omnia ſingularia per ipſa repræſentata, ſed ipſa ſemper repræſentat omnia ſingularia formaliter, ergo quanuis habens talem ſpeciem non producat cognitionem ſingularis non exiſtentis, quia reſpectu illius eſt tantum ratio cognoſcendi, cognoſcens tamen illam cõprehenſiuè, cognoſcet in illa omnia ſingularia repræſentata per illam, tanquam in ratione cognita, Probatur conſequentia. Species naturaliter repræſentat ſua repræſentata, ergo cognoſcens adæquate ſpeciem, cognoſcet & repręſentata per ſpeciem. Verbi gratia, qui cognoſceret adęquate imaginem imperatoris, neceſſario cognoſceret imperatorem, tanquam in ratione cognitã quantũ ad illud, quod per illam imaginem repręſentatur, ergo ſi ſpecies intelligibilis naturaliter formaliter repræſentat ſua repræſentata, & per conſequens cognoſcens adæquatè ſpeciem, cognoſcet adæquatè ſingularia.

¶ Secundò. *Secunda obiectio.* Singulare vltra naturam ſubſtãtialem includit quam plurimas naturas accidentales, includit etiam exiſtentiam, quæ eſt repræſentabilis per ſpeciem propriam diſtinctam ab ſpecie ipſius naturæ ſubſtantialis, ergo ſi dabilis eſt ſpecies, quæ repræſentet omnes iſtas quidditates, non tantum intuitiuè ſed etiã abſtractiuè, talis etiã ſpecies repræſentabit exiſtentiam, & intuitiuè, & abſtractiuè, & per conſequens quãdo

ſpecies

ſpecies repræſentat intuitiuè aliquid, ponitur in illa ratione cuius repræſentet intuitiuè, & non abſtractiuè, cum ex ſe ſit indeterminata ad vtrumque.

Solutio. ¶ Quòd ſi reſpōdeas, quod requiritur actualis exiſtentia indiuidui, tanquam conditio ſine qua non, quæ neceſſaria ſæpe eſt in agentibus *Impugnatio.* ¶ Contra. Nam quamuis iſta doctrina locum habeat in actionibus tranſeuntibus propter approximationē agentis ad paſſum, non tamen eſt neceſſaria in immanentibus, niſi quando eſt intrinſecus ordo inter potentias, vt in voluntate cōſtat, quæ nihil poteſt velle, niſi præoſtenſum ab intellectu. Cum igitur obiectum, vel ſingulare exiſtens non dicat intrinſecum ordinem ad cognitionem, ergo cognoſcens ſpeciem intelligibilem alicuius ſingularis repræſentatiuam, cognoſcet illum exiſtentem pro tempore, pro quo futurus eſt. *Confirma.* Confirmatur & explicatur præcedēs ratio exemplo. Ponāmus verbi gratia, ꝙ Deus infunderet alicui Angelo ſpeciem repræſentatiuam Antichriſti futuri pro tempore, pro quo eſt futurus, tūc ſic, per talem ſpeciem cognoſceret Angelus Antichriſtum futurum pro tēpore, pro quo futurus eſt, & nihilominus exiſtentia obiecti nihil faceret ad illam cognitionem, ergo ſi ſpecies vniuerſalis, quæ eſt in Angelo repræſentat Angelum cum omnibus prædicatis accidentalibus repræſentabit illum, ſaltim pro tempore, pro quo futurus eſt. vel ſi aliquando non repræſentat illud, & poſtea repræſentat illud, aliquid eſt ponendū in ſpecie, ratione cuius repræſentet illud, quando illud repræſentat, quo carebat quando ſingulare actu non repræſentabat. Probatur conſequentia. Ponamus verbi gratia, quod velit Deus Michaëlem Archangelum modo cognoſcere Antichriſtum futurum, quem antea non cognoſcebat, vel ergo talis cognitio efficeretur in intellectu Michaëlis per ſpeciem de nouo inditam, vel per ſpeciem, quam habuit à principio infuſam, ſi per ſpeciem, quam habuit ab initio infuſam, ergo illa ſpecies ab initio repræſentabat futura. Si autem per ſpeciem de nouo inditam, ergo illa ſpecies ab initio infuſa non erat repræſentatiua ſingularis.

Solutio. ¶ Quod ſi reſpondeas, quod eſt repræſentatiua ſingularis exiſtentis, non tamen ſingularis non exiſtentis ex defectu conditionis. *Impugnatio.* Cōtra, ſingulare exiſtens tantum terminat cognitionem, ſed ſpecies prior eſt cognitione, ergo ſingulare exiſtens non poteſt eſſe cōditio ad repræſentationem ſpeciei, quāuis ſit cognitio ad conditionē per illam productam, & per conſequens, vt ſupra inferebam, cognoſcens ſpeciem comprehenſiuè, cognoſceret ſuam repræſentationem.

¶ Præterea, exiſtentia rei ſingularis non eſt neceſſaria conditio ad cognitionem, ergo neque ad repræſentationem ſpeciei, antecedens patet, nam roſa cognoſcitur quando non eſt, ergo & ſingulare poteſt repræſentari quando non eſt. *Nota hoc.*

¶ Secundò probatur concluſio. Impoſsibile eſt intuitiue cognoſcere per ſpeciē, quæ indifferenter repræſentet rem, quando eſt, & quando non eſt, ſed ſpecies à Deo infuſa, æquè indifferenter repræſentat rē, quando eſt, & quando non eſt, ergo. Maior probatur, quia cognitio intuitiua fertur in rem præſentem, quatenus præſens eſt. Minor autem eſt manifeſta, quia talis ſpecies eſt vniuerſalis in repræſentando, ergo. *Secūda ratio pro concluſione.*

¶ Ad hoc argumentum, Reſpondent authores contrariæ ſententiæ multipliciter, primo negando maiorem exiſtimantes, quod per eandem ſpeciem, per quam abſtractiuè Petrum cognoſcimus, cognoſcimus poſtea illum intuitiuè. *Solutio. 1.*

¶ Secundò reſpondent, quod per ſpeciem, quæ repræſentat indifferenter rem, ſi maneat in ſua indifferētia veriſsimū eſt, quod non eſt poſsibilè per eam, vt ſic determinate cognoſcere rem quando eſt, & quando non eſt, & ob id requiritur determinatio vt dictum eſt in ſolutione ad primum. *Solutio. 2.*

¶ Tertiò reſpondent, probabiliter exiſtimantes cū aliquibus, quod notitia intuitiua & abſtractiua nō differunt eſſentialiter, ſed ſolum accidentaliter, quia eadem numero notitia ab eadem ſpecie procedēs, nunc eſt intuitiua, & poſtea abſtractiua abſente obiecto, quia ad rationem notitiæ intuitiuæ ſolum requiritur, quod terminetur ad obiectum præſens, per quamcunque ſpeciem procedat. *Solutio. 3.*

¶ Vltimò tamen reſpondent iuxta propriam ſententiam diſtinguendo maiorem, nam, ſi ſpecies æque repræſentat indifferenter rem eſſe, vel non eſſe, ſicut fit in ſpecie intellectus humani, ſic tranſeat maior, ſi autem hoc fiat propter vniuerſalitatem, & excellentiam ſpeciei, quæ poteſt repræſentare obiectum cum omnimodo, ſub quo reperitur, tunc negatur maior; nam ita contingit *Vltima ſolutio.*

gũt in ſpeciebus intelligibilibus Angeli.

Impugnatio. ¶ Contra iſtam tamen vltimam ſolutionẽ, ſic argumẽtor. Primo iſta ſolutio petit principium, nam hoc eſt, quòd quæritur in præſentiarũ. Vtrùm ſit dabilis ſpecies intelligibilis repræſentatiua obiecti cum omnimodo poſsibili ſibi conueniẽti, & dicere, quod talis ſpecies propter ſuam excellentiam repręſentaret obiectum cum omni modo, ſub quo reperiretur, hoc non eſt reſpondere argumento. Nam argumentum petit, quomodo ſpecies, quæ ex ſe indifferens eſt ad repræſentandum obiectum, & tali modo, modo repræſentet obiectum taliter, & poſtea alio modo illudmet obiectum repræſentet: præcipuè, quia ſpecies intelligibilis eſt cauſa naturaliter determinata ad repræſentãdũ quantũ ipſa poteſt repręſentare, ergo quantũcunq; excellens ſit, ſemper eodemmodo repręſentabit niſi ab alio ìte determinetur. ¶ Vltimò. Quia talis excellentia non poteſt conuenire talibus ſpeciebus, cum alia & alia repræſentatio requirat aliam, & aliã ſpeciem vel alium, & aliũ modum ſpeciei, ſed talis modus non eſt infuſus, ergo dato quod tales ſpecies habeant aliquam excellẽtiam, adhuc tamen neceſſariũ eſt aliquid à rebus acquiſitum, ratione cuius, modo repræſentat iſtud, modo illud.

Tertia ratio. ¶ Tertiò probatur concluſio. Si ſpecies Angelica repræſentat omnia naturę indiuidua cum accidentibus, quæ eis conuenire poſſunt in temporis diſcurſu, ſequeretur, quod eadem ſpecies repræſentaret oppoſita, cõſequens eſt falſum, quoniam ſpecies repræſentat tanquam naturalis ſimilitudo: ſed nõ poteſt eſſe eadem res naturalis ſimilitudo oppoſitorum, ergo. Minor patet, quoniam eidem ſingulari poſſunt contraria contingẽre, nam modo mouetur, modo quieſcit.

Confir. 2. ¶ Confirmatur. Nam repræſentatiuũ, quod manet in ſeipſo vniforme non poteſt difformiter repræſentare, ſed ſpecies intelligibilis Angeli eſt in ſeipſa naturaliter vniformis, ergo niſi aliunde mutetur ab obiecto, impoſsibile eſt difformiter repræſentare.

Solutio rationis. ¶ Ad hoc argumentum, reſpondent authores contrariæ ſententiæ, concedentes ſequelam, ſi tamen conſequens accipiatur pro diuerſis temporibus, ex parte eorum, quæ repræſentantur, nam ſpecies Angeli repræſentat Paulum currentem pro tempore, quo currit, & ſedentem pro tempore, quo ſedet. Itaque, ſpecies in ſe repræſentatiua eſt oppoſitorum, quamuis non ſimul repræſentet illa ex parte rei repræſentatæ, ſi ſimultas referatur ad rem, quia hoc eſſet implicatio cõtradictionis, cum ergo ſpecies Angelica ſit altioris ordinis, & participatio quædam ideæ diuinæ, hæc omnia repræſentare poteſt, quamuis non actu ſimul illa omnia repræſentet. Et hoc ſanè conuenit ſpeciei intelligibili Angelicæ, ſiue ſit principium intellectionis effectiuum, ſiue ſit ſimilitudo formalis rerum repræſentatarum. Vnde ſpecies determinata eſt ex ſemetipſa, vt ſit repræſentatiua etiam contrariorum, vtrumque tamen pro tẽpore, quo erit repręſentandum. Neq; hoc eſt mirabile, aut ſingulare in ſpeciebus Angelicis, nam & nos per eandẽ ſpeciem quidditatis intelligimus poſsibilia, & impoſsibilia: non enim datur propria ſpecies chimeræ, ſed eam eſſe impoſsibilem intelligimus per ſpeciem quidditatis poſsibilis. Per eandẽ etiam ſpeciẽ cognoſcimus habitũ, & priuationẽ; nã priuationis nõ datur ſpecies, ergo dicẽdũ eſt, quod Angelus eadẽ ſpecie Petri verbi gratia, cognoſcit ipſum eſſe, quãdo eſt, & nõ eſſe quãdo nõ eſt.

¶ Ad confirmationẽ reſpondetur, ꝙ repræſentatiuum eodemmodo ſe habens neceſſe eſt, vt ſemper vniformiter repręſentet, quãtum eſt ex parte ipſius repræſentatiui, non tamen ex parte rei repræſentatæ, quin potius poterit repræſentare difformiter ſi difformitas referatur ad rem repræſentatã. *Solutio cõfirmat.*

¶ Contra iſtas tamen ſolutiones, & doctrinam ſic argumentor, primo ſpecies Angeli repræſentat Paulum currentem pro tempore, pro quo currit, & ſedentem pro tempore, pro quo ſedet, ſed hoc non habet ſpecies à ſeipſa, ergo habet à Petro currente vel ſedente. Patet ſequela, quia cum talis repræſentatio ab aliquo ſit, & nõ ab ſpecie, erit ergo ab obiecto. Modo probatur minor. Nã ſpecies natura ſua vtriuſque eſt repræſentatiua, & non vtrùmque repræſentat ſimul, ergo ab alio, quam à ſe, habet, quòd modo repræſentet iſtud, & modo illud, ſicut verbi gratia ex eo, quod intellectus noſter eſt intellectiuus huius & alterius quidditatis, indiget aliquo determinãte illũ ad intelligendum modo iſtam, & poſtea illam quidditatem, ergo cum ſpecies ſit repræſentatiua, ſecundum illos, plurium quidditatum, & plurium ſingularium, indigebit aliquo determinante illam ad repræſentãdum modo iſtam quidditatem, modo illam, modo iſtud accidens, *Impugnatio ſolutionum.*

dens, modo illud. ¶ Illud autem, quod adducunt de poſsibilibus, & impoſsibilibus, non eſt ad propoſitũ, quia cum impoſsibilia, & priuationes & alia huiuſmodi non ſint per ſe intelligibilia, non habent propriam ſpeciem.

¶ Illud quod reſpõdent ad confirmationẽ, nõ reſpondet argumẽto, nã ſpecies, quæ eſt repræſentatiua, ſi ex parte ipſius nõ mutatur repręſentdoã modò hoc, modo illud, nõ poterit repræſentare hoc, & illud: hoc enim ſolum diuinæ eſſentiæ proprium eſt, quod ſemper eadem manens repræſentet omnia ſecũdum omnes conditiones ſibi poſsibiles.

Vltima ratio. ¶ Vltimò probatur concluſio, ſi ſpecies illa Angeli eſt ſpecies quidditatis repræſentatiua, ergo eſt vniuerſalis; ergo implicat per eã diſtinctè cognoſcere ſingularia. Ad hoc

Solutio. argumentũ reſpondent prędicti opinãtes, quod quãuis omnis ſpecies intelligibilis ſit ſingularis in eſſendo, poteſt tamen eſſe vniuerſalis in repræſentãdo, & hoc dupliciter. Primo, quia repręſentat vniuerſa ſub tali natura contenta. Secũdo quia repræſentat naturã vniuerſalẽ, vt ſic, & nihil ãplius species ergo, Angelica vniuerſalis dicitur primo modo, nõ ſecundo modo, ſicut verbi gratia tabella, quæ habens depictam ciuitatem aliquam cum ſuis omnibus partibus, non ſolũ repræſentat ciuitatem ipſam, ſed etiam ſingulas partes ſeorſum diſtinctas, & ita ſe habent quædam ſub ſpeciei, quidditate cõtenta, quare ſpecies intelligibilis Angeli repræſentat naturam vniuerſalem vt ſic, & etiam omnia ſub illa contenta: Imo eſt optimum argumentum, ad oſtendendũ quo pacto Angelus per ſpecies vniuerſales cognoſcit ſingularia, quoniam Angelus purior eſt; ſimplicioriſq; naturæ, quam rationalis anima, ſed intellectus humanus per vnicã ſpeciem hominis, quanquam à phãtaſmatibus abſtractam, cognoſcit ſingularia ſpeciei humanæ, & ipſam naturam humanam, ergo potiore iure Angelus per vnicam eandem ſpeciem non ſolum cognoſcit quidditatem, ſed etiam ſingularia eiuſdem quidditatis.

¶ Contra, ſic argumentor, ſic ſe habet ſpecies intelligibilis Angeli, ſicut tabella habẽs depictam ciuitatem, ſed tabella habens depictam ciuitatem ſemper repræſentat ciuitatem eodem modo, ſiue ciuitas moueatur,

Impugnatio. ſiue non moueatur, mutetur, vel non mutetur, pereat vel non depereat, ergo. ¶ Confir-

Confirma. matur quia tabella illa habẽs ciuitatẽ depictam repræſentat plura in illa ciuitate per plura repræſentabilia, ſicut videns exercitũ per plures ſpecies, videt plures illos homines. Imò ex hoc deſumo argumentũ, ſi duo homines, videret exercitũ vnum in tabella depictum, & alterum à parte rei exiſtẽtem, qui videret exercitum in tabella depictum, quia illa imago ſemper eodem modo ſe haberet, non poſſet, videns imaginem, cognoſcere accidentia, quæ cõtingerent exercitui ex eo, quod repręſentatiuum exercitus eodemmodo ſe haberet ſemper: videns autem exercitum à parte rei exiſtentẽ cognoſceret differentias, & accidẽtia, quæ exercitui cõtingerẽt ex eo, quod ille exercitus emitteret aliam & aliã ſpeciẽ, aliud & aliud accidens repræſentantẽ, ſi ergo ſpecies intelligibiles Angeli repræſentãt, ſicut tabella depicta, ergo ſemper idem eodẽmodo repræſentabit. ¶ Præterea ſi dicas, quod habet ſe vt tabella depicta ad inſinuandum tantũ, quomodo, vna cum ſit, poſsit plura repræſentare; *Solutio.*

¶ Contra quamuis tabella depicta habeat rationem vnius, habet tamen rationẽ vnius per accidens. Nam in ea ſunt plures imagines, & plura repræſentatiua, quod de ſpecie intelligibili non cõcedunt, illud autẽ, quod adducunt, quod per ſpeciem naturæ humanæ cognoſcit intellectus noſter ſingularia ipſius naturæ, hoc eſſet ſi ſingulare nõ eſſet intelligibile per propriã ſpeciem, cuius cõtrariũ docent ipſi quæſt. 14. art. 11. ergo ſingularia naturæ humanæ indigent propria ſpecie in noſtro intellectu, vt diſtincte intelligãtur, nõ enim eſt bonũ argumẽtũ deſumptum à ſingularibus naturæ humanę, ad probandum Angelos per ſpecies vniuerſales cognoſcere ſingularia cuiuſcumque naturæ. *Impugnatio.*

¶ Tertia concluſio; Angelus directè cognoſcit ſingularia per ſpecies abſtractas ab ipſis ſingularibus. Hæc concluſio eſt doctoris, & omnium Scotiſtarum, & probatur. Primo, Angeli cognoſcunt ſingularia directè, & diſtinctè, ſed non per ſpeciem vniuerſalem, vt probatum eſt in præcedenti concluſione, ergo per ſpeciem propriam, patet ſequela, quia ad cognitionem directam neceſſaria eſt propria ſpecies & ſimilitudo. *Tertia concluſio.* *Prima ratio.*

¶ Secũdò. Si aliqua ratione ſpecies vniuerſalis poſſet repręſentare, ſingulare poſito ipſo ſingulari in rerũ natura, maximè quia, vt dicunt nõnulli, vt patuit in cõcluſione ſecũda reſpondendo ad primum, quia ſpecies intelligibilis ad productionem verbi, & actualis *Secunda ratio.*

conſiderationis, requirit exiſtentiam rei ſingularis tanquã conditionẽ ſine qua non intellectus & ſpecies producant talem cognitionem & verbum, ſed ſi hoc eſſet verũ, ex hoc ſequeretur, quod Angelus ſimul cognoſceret omnia ſingularia exiſtentia in rerum natura, quia poſito actiuo & paſsiuo debitè approximatis, & non impeditis, neceſſario ſequitur actio, & poſitis duobus cauſis naturalibus cum omni requiſito ad operandum, neceſſario ſequitur operatio, ſed intellectus Angeli & ſpecies intelligibilis ſunt duę cauſæ naturales ad producẽdam intellectionem, & requirunt exiſtentiam ſingularium vt conditionẽ ſine qua non, ergo poſitis ſingularibus, neceſſario producent intellectionem, & per conſequens Angelus actualiter cognoſcit omnia ſingularia exiſtentia in rerum natura, ſed hoc non eſt dicendum, quia intellectus finitus, & limitatus non poteſt ſimul tot, tantaque intelligere, ergo Angelus non cognoſcit ſingularia per eam vniuerſalem ſpeciem naturaliter repræſentatiuam illorum, ſed per propriam cuiuſcũque ſingularis ſpeciem.

Ad argumenta Thomiſtarum.

Ad primũ.

¶ Ad argumenta pro ſententia Thomiſtarum reſpondetur, Ad primum, concedendo maiorem, & negando minorem, & ad probationem reſpondetur dupliciter. Primo negando antecedens ſecundo autem reſpondetur, quod non omnia, quæ non implicant contradictionem, fecit Deus, nam ſi non implicat contradictionem, quod detur vna ſpecies quæ in intellectu Angelico repræſentet plura diſtincta ſpecie vel numero; neque etiam repugnabit in intellectu humano, nihilominus tamen ex hoc non licet inferre, quod Deus tribuerit primo parenti tales ſpecies vniuerſales, quamuis illi Deus infuderit omnium quidditatum ſpecies, ergo neque ex eo, quod Deus Angelis tribuerit ſpecies omnium quidditatum inferendum eſt, quod tribuerit illis tales vniuerſales ſpecies quales ipſi ponunt.

¶ Ad probationem autẽ ſecundæ partis reſpõdetur, quod Angeli, quo ſuperiores ſunt & perfectiores, tanto limpidius & perfectius per eaſdem ſpecies intelligunt, ſicut dicit doctor de rudi, & ingenioſo, qui habentes eaſdẽ ſpecies, perfectius intelligit ingenioſus, quã rudis, & ita quamuis eaſdem numero ſpecies haberent Angelus ſuperior, & inferior perfectius cognoſceret ſuperior rem, quam Angelus inferior.

QVÆSTO IIII.

Vtrùm duratio temporis repræſentetur Angelo per ſpeciem vniuerſalem.

Prima ſententia.

1. Notab.

De hac re duplex eſt inter Thomiſtas principalis ſententia, prima eſt Caiet. in art. 2. quæſt. 57. aſſerentis exiſtentiam rei ſingularis nõ cognoſci per ſpeciem vniuerſalem; ſicuti cognoſcuntur reliqua accidentia. Ratio huius dicti Caieta. eſt, nam reliqua accidentia habent ſe vt obiectum cognitionis. At verò exiſtentia, ſiue duratio habet ſe vt conditio ſine qua non, vt ſicut verbi gratia. Præſentia coloris percipitur à potentia viſiua, nõ autẽ obiectũ viſionis, quia tale obiectum tantum eſt color, ſed vt conditio ſine qua non color perciperetur.

2. Notab.

¶ Secundò. Aduertit Caieta. quod exiſtentia rei ſingularis poteſt dupliciter conſiderari. Primo modo quatenus eſt quidã actus determinatiuus eſſentię, & quo eſſentia cõſtituitur in eſſe reali. Secundo modo, quatenus exercet officium exiſtentiæ, ſcilicet, cõſtituendo (verbi gratia) Petrum, quatenus exercet officium exiſtentiæ, nempe exiſtẽtem ſub actuali eſſe in rerum natura, & hoc modo conſtituitur Petrus ſub aliqua durationis mẽſura, hoc ſic cõſtituto docet Caie: quod ſi exiſtentia conſideretur primo modo, & prout in actu ſignato, & quatenus eſt quidam actus determinatiuus eſſentiæ, cognoſcibilis eſt per ſpeciem Angeli, tãquam obiectum cognitionis. Si autẽ conſideretur exiſtentia ſecundo modo, & in actu exercito, & vt habet rationem durationis, non eſt obiectum cognitionis, ſed conditio, neque repræſentatur per ſpeciem, ſed eſt conditio ſine qua non ſpecies ſingulare repræſentet.

Primũ argumẽtum, pro ſententia Caieta.

¶ Probatur autẽ ſententia Caieta. r. quia ſi ſpecies Angelica repræſentat rei durationẽ tanquã obiectũ, & terminũ ſequitur, quod repræſentet ſimiliter futura contingentia. Probatur ſequela, nam ſi ſpecies illa repræſentat futurã loquutionem tali die cõplendam, ergo talis ſpecies eſt naturalis ſimilitudo loquutionis futuræ exercendæ, & per conſequens repræſentat Angelo durationẽ futuram, vt actualem menſuram loquutionis futuræ, ſed hoc eſt cognoſcere futurum contingens, ergo.

Secundum argum.

¶ Secundo quidditas rei ſingularis, & indiuiduæ abſtrãhit ab actuali exiſtentiæ, & duratione, quia duratio & eſſe

eſſe ſolum ſunt de quidditate Dei, ergo ſpecies Angeli ita repræſentat quidditatē rei ſingularis, vt eius repræſentatio non referatur ad ipſius rei durationem, & exiſtentiam. Patet ſequela, quoniam exiſtentia illa, & duratio non eſt de ratione obiecti repræſentati per ſpeciem, ſed repræſentatio ſpeciei penſanda eſt ex obiecto proprio.

Tertium argum. ¶ Tertio. Si ſpecies Angeli eſt naturalis ſimilitudo loquutionis futuræ, & durationis illius, ſequitur, quod dum Angelus intuetur, & comprehendit omnia, quæ ſunt in ipſius intellectu, ſimiliter cognoſcet, quod ſpecies illa eſt naturalis ſimilitudo futuræ loquutionis, & durationis illius, & conſequenter ſequitur, quod Angelus euidenter iudicat talem loquutionem futuram eſſe, & tali die exercendam, ſed hoc eſt cognoſcere futurum contingens, ergo.

Secunda ſenten. ¶ Secunda eſt ſententia quorundam aſſerentium Angelum cognoſcere futura contingentia, non quidem quantum ad illorum exiſtentiam futuram, ſed quantum ad illorum quidditates, & quantum ad principia indiuiduantia, & propria accidentia ſingularia, *Primum argum.* & per conſequens, quod Angelus modo poteſt cognoſcere Antichriſtum futurum, non ſolum quantum ad quidditatem, ſed etiam quantum ad ſingularitatem illius, & eius proprietates. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quoniam arbitrantur cum Caietano, quod ſpecies Angelica eſt repræſentatiua quidditatis ſpecificæ, & indiuidualis Antichriſti. ¶ Ex quo inferunt, quod eſt naturalis ſimilitudo eius, & per conſequens, quod in iſto nunc illam repræſentat in actu ſecundo intellectui Angelico. Et ratio huius eſt, quoniam exiſtentia actualis ſub duratione futura non ſe habet vt res repræſentata per ſpeciem Angelicam, ſed tantum eſt conditio requiſita ad cognitionem intuitiuam. Hæc ſententia probatur rationibus quibus probata eſt ſententia Caietani. ¶ Et præterea quia Angelus non ſolum poteſt cognoſcere rem ſingularem cognitione intuitiua, ſed etiam abſtractiua, ſed ad cognitionem abſtractiuam non requiritur, quod obiectum exiſtat, ergo non eſt ſimpliciter neceſſaria conditio ex parte obiecti, quod exiſtat, ad hoc, quod ſpecies Angelica actualiter repræſentet, ſed ſolum erit neceſſaria ad cognitionem intuitiuam.

Secundum argumen. ¶ Secundò. Angelus modo cognoſcit præterita poſtquam iam non ſunt, ergo poterit cognoſcere futura, quæ erunt, patet antecedens, quia memoria præteritorum pertinet ad cognitionem naturalem cuiuſlibet intellectus. Conſequentia probatur quia præterita non ſunt actualiter, ſicut neque futura, ergo eadem eſt ratio vtrobique.

Tertia ſententia. ¶ Tertia ſententia eſt Ferrarienſis ſecundo contra gentes c. 100. aſſerentis, durationem rei contingentem pertinere etiam ad ſpeciem Angeli tanquam rem repræſentatam, *Primum argum.* probat ſuam ſententiam, primo, quia omnis entitas & omnis modus entis poteſt cognoſci ab Angelo, vt res cognita, ſed duratio contingens rei eſt entitas, vel modus entis, ergo poteſt repræſentari per ſpeciem Angelicam, vt res repræſentata. Maior patet, quia omnis entitas & modus entis cadit ſub obiecto Angelico, quod eſt ens in quantum ens. Conſequentia probatur, quia id, quod habet rationem obiecti cogniti, habet rationem rei repræſentatæ per ſpeciem intelligibilem, quæ debet eſſe ſimilitudo obiecti cogniti.

Secundum argum. ¶ Secundo. Angelus cognoſcit Petrū exiſtere hic & nunc, & habere talem rationem durationis, quia oppoſitum eſſet ridiculum aſſerere, ergo hæc omnia repræſentātur ab Angelo, per aliquam ſpeciē intelligibilem, quæ repræſentat Petrum cum omnibus ſuis modis, & per conſequens illa ſpecies, antequā repræſentaret erat repræſentatiua omnium iſtorum, non enim accipit ab ipſis rebus vim repræſentandi.

Quarta ſentia. Primum dictum. ¶ Quarta ſententia eſt recentiorum expoſitorum D. Thom. vbi ſupra, aſſentium ſpeciem Angeli repræſentare durationem rei contingentem, tanquam aliquid repræſentatum ex parte obiecti, ſicut repræſentat quemcunque alium modum accidentalem, & contingentem ipſi rei.

Secundum dictum. ¶ Secundo aſſerunt durationem rei contingentem eſſe neceſſariam conditionem ad ſpeciei Angelicæ repræſentationem, ita omnino, quod nihil poteſt repræſentare ſpecies Angelica niſi illud ſit ſub actuali duratione exiſtentis, vel in ſeipſo, vel in ſuis cauſis totaliter determinatis.

Primo notab. ¶ Vt autē explicent prædictam ſuam ſententiam aduertunt primò, quod idea diuina aliter dicitur repræſentare ea, quæ non habent aliquam durationem exiſtentiæ ſecundum aliquam differentiam præteriti, vel præſentis, aut futuri, illa enim non repræſentat in ſeipſis, ſed prout ſunt in ea. diui-

na idea, tanquam in cauſa ex exemplari potenti efficere res illas. Eſt tamen aduertendum, quod non intelligimus repræſentationem diuinæ ideæ non terminari ad res ipſas tanquam ad obiectum, quod cognoſcitur, ſed dicitur, quod terminatur ad res, nō prout ſunt in ſeipſis extra diuinam ideā, ſed prout ſunt factibiles, & poſſunt imitari diuinam ideam: Hoc enim eſt repræſentari, prout ſunt in idea, tanquam in cauſa. Cæterum illa, quæ aliquando habent eſſe in aliqua differentia durationis præteriti, præſentis, aut futuri diuina idea repræſentat quatenus aliquo modo actu participant ſimilitudinem diuinæ ideæ, & extra illam conſtituta actu imitantur, & huiuſmodi obiecta pertinent ad ſcientiam Dei, quæ dicitur viſionis, alia verò obiecta dicuntur pertinere ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ.

Secundo notab. ¶ Secundò aduertunt, quod licet idea diuina, (ſiue vno modo, ſiue altero repræſentet) ſemper ſit cauſa effectiua, & exemplaris; tamen quatenus repræſentat poſterior modo (ideſt) res in ſeipſis, ſi in rigore loquamur, repræſentat eas, non per modum cauſæ, ſed per modum excedentis, & inadæquatæ ſimilitudinis. Et ratio eſt, quia repræſentare per modum cauſæ non eſt repræſentare rem in ſe ipſa, ſed potius, vt habet eſſe in poteſtate cauſæ. Et quidem quãuis diuina idea propter ſui excellentiam non ſit, propriè loquendo, ſimilis, vel ſimilitudo rei creatæ, tamen cum res ipſa creata ſit, & eſt ſimilis ideæ, quadam imperfecta ſimilitudine, & imitatione, tunc rectè dicitur, quod idea repræſetant rem illam per modum ſimilitudinis excellentis, & inadæquatæ.

Tertio notab. ¶ Tertiò aduertunt, quod ſicut diuina idea non communicat ſpeciei Angelicæ, quod ſit cauſæ exemplaris, & effectiua rerum, ita neque illi communicat, quod repræſentet per modum cauſæ, ſed ſicut communicat illi, quod ſit vt quædam ſimilitudo excellens rerum intelligibilium, ita communicat, quod repræſentet res per modum ſimilitudinis, tanquam ſimilitudo excellens ſuum ſimile.

Primum corol. ¶ Ex dictis ſequitur primò, quod ſicut eſt neceſſaria conditio ad hoc, quod res aliqua repræſentetur per diuinam ideam modo illo poſteriori, (ideſt per modum ſimilitudinis excellentis) quod res illa exiſtat in æternitate, quæ eſt propria menſura diuinæ cognitionis, ita, vt ſpecies Angeli repræſentet res, neceſſaria conditio eſt, vt res illa coexiſtat in ſe, vel in ſua cauſa determinata ipſi menſuræ Angelicæ cognitionis, propterea quod ſpecies Angeli repræſentat per modum ſimilitudinis, res autem quæ non exiſtunt, neque in ſe neque in ſuis cauſis determinatis non habent realiter aliquam ſimilitudinem determinatam ad ſpeciem Angeli.

¶ Ex dictis ſequitur ſecundo facile intelligi D. Tho. in articulo ſequenti ad tertium *Secundum corol.* vbi ait, futura contingentia, quando non exiſtunt in ſeipſis, non cognoſci ab Angelo, cognoſcuntur tamen cum primum exiſtunt in rerum natura, nam tunc aſsimilantur Angelicis ſpeciebus. Vbi aduerte, quod non dixit quod ſpecies Angelica de nouo acquirit ſimilitudinem, ſed quod ipſum contingens de nouo aſsimilatur ſpeciei, etenim ſpecies ſecundum ſe ſimilis eſt rei contingēti. Quo circa per actualem exeſtentiā rei nullam ſubijt mutationem ipſa ſpecies quantum ad ſuum eſſe abſolutum, ſed tota mutatio ſe tenet ex parte rei contingentis. Diximus quantum ad eſſe abſolutum, nam quod ſpecies intelligibilis de nouo acquirat aliquam relationem realem, vel rationis, impertinens eſt ad rationem repræſentandi actualiter, quia relatio non eſt principium repræſentationis ſpeciei intelligibilis, ſicut benè aduertit Capreolus vbi ſupra ad 10. Scoti contra 8. concluſionem.

¶ Ex quo ſequitur tertio, quod veriſsimè di *Tertium corol.* cunt quidam graues Theologi, quorum doctrina colligitur ex D. Thom. quæſtione præcedente articul. 2. ad. 4. quod ad naturalem Angeli cognitionem tantum illa pertinent, quæ ſunt intra ordinem vniuerſi, vel in ſeipſis, vel in ſuis cauſis determinatis, & naturalibus.

¶ Quarto aduertunt, quod quamuis ſpe *Quarto notab.* cies intelligibilis actu repræſentet ſingularia, quæ de nouo ſunt in rerum natura, non tamen mutatur ſpecies Angelica, vel recipit aliquid à rebus, quia quamuis illa ſpecies videatur de nouo habere aliquam perfectionem, quam ante non habebat, quia modo in actu exercito repræſentat aliquid, quod antea in exercitio non repræſentabat, quia alias, ſi antea repræſentaret actu illud, Angelus cognoſceret futura contingentia, & per conſequens

videtur,

videtur, quod ſpecies modo repræſentans, quod antea non repræſentabat perficiatur recipiendo aliquam perfectionem de nouo; nam actualis repræſentatio aliqua perfectio eſt, præcipuè quia ſpecies Angelica, in tali repræſentatione de nouo, reducitur de potentia ad actum, quæ reductio non poteſt fieri ſine mutatione. Nihilominus tamen talis ſpecies non mutatur ſimpliciter, recipiēdo aliquid intrinſecum, vel aliquam qualitatem & entitatem, ſed mutatio fit ex parte termini, & obiecti repræſentati. Nam illa ſpecies antea erat repræſentatiua, nunc vero ſolum illa relatio & terminatio de nouo conſurgit per hoc, quod datur terminus actu, quia actualis illa repræſentatio ex parte ſpeciei nō eſt actio aliqua, neque noua entitas, ſed eſt relatio repræſentationis poſita in actu exercito per hoc ſolum, quod de nouo ponitur terminus. Sicut patet de relatione ſimilitudinis duorum alborum, vbi actus exercitus nihil ponit de nouo in eo, qui antea habebat albedinem, ſed ſolum actum exercitum aſsimilationis. Rurſus, cum color illuſtratur in pariete non recipit inhæſiuè aliquam entitatem vel qualitatem, ſed ſolum terminatiuè, & nihilominus habet ſe in actu ſecundo repræſentandi ſe. Imò ſola illuſtratione poſita habet veluti vicem ſeminis ad producendas ſpecies intentionales, eas lumine ipſo educente de potentia Diaphani, quid ergo mirabile eſt ſi ſpecies illæ Angelicæ illuſtrentur ab intellectu Angeli termino poſito in rerum natura.

Prima propoſitio authorū prædictæ ſententiæ.

¶ His igitur ſic prænotatis quatuor concluſionibus abſoluunt quæſtionem, quarum prima eſt, quod per ſpecies illas à Deo datas Angelo repræſentantur ab initio omnia, quæ temporis longo diſcurſu ab Angelis cognoſcuntur. Ratio huius propoſitionis eſt, quia ſicut in generatione naturali nulla ſuccedit proles, quæ non prius præceſſerit in virtute ſeminis, ita in conceptu mentali nihil exprimi poterit, quod prius non præceſſerit in virtute repræſentatiua ſpeciei. Quare omnes conceptus, quos de re ſingulari habent Angeli, vel ſunt habituri, præfuerunt virtute in ſpeciebus impreſsis.

Primum argum.

Secunda propoſitio.

¶ Secunda propoſitio eſt. Quanuis intelligibilis ſpecies vniformiter permaneat, poteſt nihilominus rerum varietates actu poſt modum repræſentare. Prima pars huius propoſitionis patet ex eo, quia ſpecies Angeli inditæ, & congenitæ ſunt inſtar naturalium proprietatum, quæ neque deleri poſſunt, neque intendi, aut remitti, ergo licet ſpecies intelligibilis actu repræſentet rerum varietates, nihilominus ſecundum ſeipſam ſemper permanet vniformiter.

Primū argumētum, pro 1. parte conclu.

¶ Secunda verò pars propoſitionis patet etiam, quia ex dictis conſtat, quod Angeli rerum ſingularium varios euentus cognoſcunt, ergo ſi aliqua mutatio eſt, non ab intrinſeco procedit, ſed ab extrinſeco ex parte obiecti.

Argumētum pro ſecunda concluſio.

¶ Tertia propoſitio talis eſt, ſpecies vniuerſalis Angeli per modum habitus repræſentat ſingularium rerum proprietates & ſucceſſus. Pro cuius explicatione memoriæ commendare oportet, ſpeciem intelligibilem Angeli mediam eſſe inter ideas diuinæ mentis, & ſpecies intellectus noſtri. Nam ſpecies à rebus abſtractæ non repræſentant materiales, vel indiuiduales proprietates, quin potius per harum ſeparationem colliguntur. At verò idea, diuini intellectus omnia ſimul actu repræſentat, communia, & particularia, præſentia, & futura abſque vlla dependentia à creatura, vel tanquam ab obiecto motiuo, vel terminatiuo, ſed omnia ſe habent ad diuinam ſcientiam, ſicut exemplata, & effectus; ſpecies tamen Angelica omnium quidem eſt ſecundum ſe repræſentatiua ſed actu ſolum ea repræſentat, quæ poſſunt eſſe terminus cognitionis. Nam, vt potentia cognoſcitiua actu cognoſcat, non ſatis eſt, quod ſit informata ſpecie, ſed præterea requiritur, quod habeat obiectum & terminum ſimilem ſpeciei, ad quē actus cognoſcendi terminetur, dicitur autem ſpecies eſſe in intellectu per modum habitus, eo quod habitus ſecundum ſe eſt ſufficiens principium operandi, ſi tamen fuerit operationis materia, ſic ergo ſpecies intelligibilis habet virtutem repræſentandi, cum fuerit terminus præſens. In ſolutione autem ad primum idem docent dicentes, quod ſpecies Angeli eſt repræſentatiua diſputationis meæ futuræ die craſtina, & eſt eius naturalis ſimilitudo in actu primo, non tamen in actu ſecundo, niſi quo tempore diſputatio actualiter habuerit exiſtentiam, & durationem.

Tertia propoſitio.

Notab.

Quarta propoſitio. Primum argum. ¶ Quarta propoſitio eorum eſt. Præſentia obiecti terminatiuè ad actualem Angeli notitiā eſt per ſe neceſſaria, ratio huius propoſitionis eſt, quia omnis cognitio intellectualis fit per quandam aſsimilationem, nō poteſt autem eſſe aſsimilatio, niſi fuerit terminus ſimilitudinis, ergo exigitur præſentia ipſius rei ſingularis. Vnde ſi Deus conſeruaret ſpeciem viſibilem albi, etiam eo diſcedente, non poſſemus cernere intuitiuè propter defectum obiecti terminatiui, modo etiam de facto, cum in memoria cōſeruatur ſpecies indiuidui abſentis, non poteſt fieri intuitiua cognitio propter defectum termini, ita ergo cenſendum eſt de ſpecie, quæ ab initio fuit in Angelico intellectu: non enim poteſt exire in actum circa ſingulare, donec terminum habuerit. Itaque quamuis in vna ſpecie ſit ſimilitudo multarum rerum, tamē Angelus per ſpeciē illam ea ſolū actu cognoſcit, quæ ſunt in obiecto terminante.

Vltima ſententia. Primum argum. ¶ Vltima ſententia eſt aliorum exponentium D. Thom. qui quamuis fateantur per ſpecies vniuerſales Angelos cognoſcere ſingularia tempore, quo exiſtunt, falſam tamen reputant, ſententiam prædictorum recētiorum docentiū aliquid repræſentari per ſpecie de ſingularibus exiſtentibus, quod non antea repræſentabantur, vide quæ diximus ſupra quæſtione præcedenti in prima probatione concluſionis ſecundæ.

Circa prædictam difficultatem primus modus dicendi. ¶ Omiſsis igitur his modis explicandi prædictam difficultatem recentiorum, iſti exponentes D. Thom. Reſpondent aliter quæſtioni dicentes, quod duplici modo poteſt intelligi quomodo ſpecies vniuerſalis repræſentet ſingularia, quando exiſtunt, non autem quando non exiſtunt. Primus eſt dicendo ſpeciem nō eſſe ſimilitudinem formalem, ſed tantum virtualem, vti dicebat Melchior Cano, facta igitur hac ſuppoſitione facile intelligitur non eſſe neceſſarium, quod ſpecies infuſa Angelo repræſentet exiſtentiam rei ſingularis ad hoc, quod ſit ratio cognoſcendi eam.

Impugnatio prædicti modi dicendi. ¶ Illa tamen explicatio prædictæ difficultatis maximam in ſe difficultatem continet vt ibi dicebamus, & præterea, nam quamuis ſpecies intelligibilis ad productionem verbi, & cognitionis actualis cōcurrat per modum rationis cognoſcendi, & ſic neceſſario requirat exiſtentiam obiecti, vt conditionem ſine qua non, ſi tamen ipſa ſpecies eſt naturalis ſimilitudo repræſentans exiſtentiam, & durationem, qui comprehenſiue cognoſceret ſpeciem iſtam intelligibilem tanquam obiectum cognitum, cognoſceret etiam futura contingentia. Probatur, Nam Angelus cognoſcit directè & comprehenſiue ſpecies, quas habet, ſicut comprehendit propriam eſſentiam atque potentias, ergo cognoſcet repræſentationem earum, & per conſequens obiecta huiuſmodi repræſetationis. Patet ſequela, quia vt prædicti opinantes docent repræſentatio non eſt relatio, ſed eſt, aut eſſentia ipſius ſpeciei, aut modus abſolutus pertinens ad eius entitatem, & præcipuè, quia non poteſt cognoſci perfectè repræſentatio formalis, quin cognoſcat ur eius obiectum. Et per conſequens videtur dicendum, quod ſi ſpecies vniuerſalis Angeli repræſentat exiſtentiam, & durationem per modum ſimilitudinis formalis, quod qui comprehenſiue cognoſceret ſpeciem in ipſa, tanquam in obiecto cognito, cognoſceret futura contingentia, ſed hoc non eſt dicendum, ergo neque quod ſpecies vniuerſalis ſit formalis ſimilitudo ſingularium.

¶ Quòd ſi reſpondeas cum recentioribus alijs iņ ſolutione ad primū, alijs vero ad confirmationem pro primo argumento, quod Angelus cognoſcit ſpeciem intelligibilem ſibi inhærentem, quatenus eſt accidens, & quædam qualitas, & cognoſcit etiam talens qualitatem eſſe repræſentatiuam alicuius obiecti. Verùm diſtinctè non cognoſcit, cuius obiecti ſit repræſentatiua, niſi ſolum illius, quod eſt actu, vel in ſe, vel in ſuis cauſis determinatis. Cuius ratio ea eſt. Quoniam ea quæ ſunt relatiua, & reſpectiua non poſſunt comprehendi, aut quidditatiue cognoſci niſi cum cognitione termini, quem reſpiciunt, & idcirco, quod Angelus non comprehendat totaliter omnem ſpeciei repræſentationem, non eſt imperfectio Angeli, quia non eſt debita ei maior perfectio. Rurſus, quod Angelus non comprehendat ſpeciem, non eo naſcitur quod terminus quem ſpecies reſpicit, ſecundum ſe, ſit incognoſcibilis ab intellectu creato, ſed quia non eſt actu in rerum natura in ſe, vel in ſua cauſa. Itaque Angelus, cognoſcens euidenter ſpeciem, cognoſcit ea, quæ actualiter illi ſpeciei aſsimilantur in ratione formali intelligibilis, non autem cognoſcit, quæ poſsibiliter *Solutio.*

liter ei ſpeciei aſsimilari poſſunt. Adducũt, ad hoc exemplum ex dictis ſupra quæſtio. 12. articul. 8. quod quilibet beatus videt quidditatiuè omnes perfectiones, quæ ſunt formaliter in Deo, non tamen videt omnes perfectiones, quæ eminenter ſunt in Deo, imo hoc eſt impoſsibile, ſicut impoſsibile eſt comprehendere Deum, quin potius poſsibile eſt, quod aliquis videns Deũ aperte, nihil videat eorum, quæ eminenter ſunt in Deo tantum. Et ratio eſt, quia ea, quæ ſunt formaliter in Deo, vt diſtinctè cognoſcantur, non requirunt cognitionem termini extrinſeci in particulari: ea verò, quæ ſunt in Deo eminenter, requirunt diſtinctam cognitionem, & quidditatiuam creabilium in particulari, quæ quidem extrinſecæ ſunt ad ipſam diuinam eſſentiam.

Impugnatio. ¶ Sed contra, quoniam ſi repræſentatio ſpeciei eſt obiectum proportionatum intellectui Angelico, & eſt ei ſufficienter vnita, nulla eſt ratio cur non cognoſcatur ab Angelo. Nec ſatis eſt dicere rationem eſſe, quia Angelus non cognoſcit terminum huius repræſentationis, quia oppoſitum deductum eſt tanquam inconueniens ex illa ſententia. Neque exemplum eſſentiæ diuinæ aliquid valet ad hoc, nam quod beatus non cognoſcat omnia creabilia in particulari, non eſt ratio à priori, propter quam non videat omnia, quæ ſunt in Deo eminenter, imo potius ex hoc colligitur illud, & in eo gradu, quo Beatus cognoſcit ea, quæ ſunt in Deo eminenter, cognoſcit etiam creabilia, ad quæ poteſt ſe extendere virtus diuina, ergo ſimiliter non eſt dicendum, quod quia Angelus non cognoſcit futura contingentia, ideo non cognoſcit perfectè repræſentationẽ ſpeciei, ſed potius concedendũ eſt, quod eo modo, quo cognouerũt repræſentationẽ ſpeciei, cognoſcit etiam eius obiecta, quæcunque fuerint, ſed ex Hipotheſi ſpecies vniuerſalis eſt repræſentans per modum imaginis, (& non ſolum repræſentatiua, vt probatum eſt,) omnia ſingularia, quæ poſſunt in aliqua natura reperiri, & in aliqua differentia tẽporis habebunt eſſe, ergò qui cõprehenſiue cognoſcit illam ſpeciẽ intelligibilẽ, cognoſcet futura contingentia, ſaltim quantum ad hoc, quod poterunt dicere, hæc ſingularia erunt, & non alia infallibiliter in vniuerſo. Conſequens tamen eſt falſum, ergo ſpecies vniuerſalis non repræſentat ſingularia, neque tanquam ratio cognoſcendi, neque tanquã obiectum cognitum.

Ad argumenta pro ſententia Caietani. ¶ Reſtat modo reſpondere argumentis adductis pro ſententia Caieta. & etiam pro ſecunda ſententia. Ad primum iuxta ſententiam doctoris, imo ad omnia facilis eſt ſolutio, quia cum non ponamus ſpecies vniuerſales repræſentantes ſingularia, neque dicendum eſt tales ſpecies repræſentare durationem, ſolum tamen eſt difficultas, vtrũ de potentia abſoluta poſsit dari aliqua ſpecies repræſentatiua futurorum contingentium, de qua re quæſtione ſequente.

Ad argumenta reſpondetur in via Thomiſtarũ. ¶ Nihilominus tamẽ in gratiã Thomiſtarũ adducã hic ſolutiones, ab ipſis adductas ad argumẽta in principio poſita. *Ad primũ.* Ad primũ dicendũ eſt quod ſpecies Angeli eſt repræſentatiua loquutiõis meæ futuræ die & actiua, & eſt naturalis ei⁹ ſimilitudo in actu primo, nõ tamen in actu ſecũdo, niſi quo tẽpore loquutio actualiter habuerit exiſtentiã, & durationẽ: tũc enim ipſa loquutio aſsimilatur ſpeciei Angelicæ. Sed quantum valeat hæc ſolutio dictum eſt in corpore quæſtionis.

Ad ſecundum argumentum. ¶ Ad ſecundũ reſpõdetur, quod vt plurimũ oſtendit per diuinã potentiam poſſe dari intelligibilem ſpeciem, quæ repræſentet quidditatem ſolam futuri contingentis antequã exiſtat; at verò de facto negãdum eſt talem ſpeciem inditam fuiſſe Angelis, propterea quod cognitio angeli determinata eſt de facto ad illa, quæ ad vniuerſi ordinẽ pertinẽt, quidditas autẽ rei priuſquã exiſtat in rerũ natura, vel in ſe, vel in ſuis cauſis determinatis non pertinet ad ordinem vniuerſi.

Ad tertiũ argum. ¶ Ad tertium reſpondetur, quod Angelus cognoſcit intelligibilem ſpeciem ſibi inhærentem, quarenus eſt accidens, & quædam qualitas, & cognoſcit etiam talem qualitatem alicuius obiecti eſſe repræſentatiuam, verum diſtinctè non cognoſcit, cuius ſit obiecti repræſentatiua, niſi ſolum illius, quod eſt actu, vel in ſe vel in ſuis cauſis determinatis. *Impugnatio ſolutionis.* Sed quantum valeat iſta ſolutio dictum eſt in corpore quæſtionis, imo ex exemplo adducto ab illis in ſolutione ad primum, ſi Deus verbi gratia conſeruaret in oculo ſpeciem albi, tunc ſpecies ſecundum ſe eſſet repræſentatiua illius albi tanquam eius ſimilitudo formalis, non tamen repræſentaret in actu ſecundo, niſi quando album exiſteret, fieretque præſens potentiæ viſiuæ, ex quo exẽplo ſic deduco argumentum contra eos. Qui comprehenſiue cognoſceret talem ſpeciem, cognoſceret diſtinctè

illam eſſe ſimilitudinem formalē albi, à quo deducta eſt, ergo illa ſpecies, licet tanquam ratio cognoſcendi non producat cognitionem albi, albo abſente, tamen tanquā obiectum cognitū verè producit cognitionē albi, cuius eſt ſpecies, ergo ſimiliter ſi ſpecies vniuerſalis eſt naturalis, & formalis ſimilitudo ſingulariū, qui comprehenſiuè cognoſceret talem ſpeciē, cognoſceret per illam tanquam per obiectum cognitū ſingularia cuius eſt naturalis ſimilitudo. Et per cōſequēs futurū contingens, quod ipſi non cōcedūt.

Ad argumenta pro ſecūda ſententia etiā in via Thomiſta.

Ad primū argument.

¶ Ad primum reſpondetur ex argumentis adductis pro ſecunda ſententia, quod cognitio abſtractiua ſecundum naturæ ordinē ſupponit intuitiuam, quam Angelus nequit habere illius rei, quæ nullomodo exiſtit in ſe, vel in ſuis cauſis determinatis. Sed aduertēdū eſt cum Caiet. hic, quod in obiecto intellecto cōſideratur duplex ratio, ſcilicet, motiua & terminatiua, idea quidem diuina, dū Angelo ſpeciem imprimit, ſupplet vicē rei non exiſtentis, quantum ad rationem obiecti motiuam, quatenus confert intellectui ſpeciem exemplatam ab ipſa idea, & totaliter determinatam vt ſit repræſentatiua cuiuslibet rei, quam poſtea repræſentare poteſt. At verò non ſupplet rationem obiecti terminatiuā: quia potius ad ipſum obiectū pertinet terminare actualē repræſentationē illius ſpeciei: atque adeò re nō exiſtente, ſpecies illa non repræſentabit in actu ſecundo propter defectum obiecti terminatiui.

Impugnatio ſolutionis.

¶ Iſta tamen ſolutio, ſicut aliæ præcedentes eūdem patitur defectum, nam verbi gratia ſi aliqua imago deducta eſt, vel ſi verbi gratia, Deus conſeruaret ſpeciem impreſſam in ſpeculo in abſentia obiecti, quis poteſt dubitare, quod talis ſpecies naturaliter repræſentaret obiectum à quo fuit impreſſa, & quod videns talem ſpeciem cognoſceret in abſentia obiecti obiectum per illam repræſentatum? *Nota hoc.* Et quod illa ſpecies non ſolum eſt repræſentatiua, ſed repræſentans? Vnde videtur implicatio contradictionis, quod ſi ſpecies intelligibilis eſt formalis ſimilitudo obiecti, & actualis, quod cognoſcens ſpeciem, non cognoſcat obiectum, cuius eſt ſimilitudo obiecti, ſicut etiam videtur implicare, quod vidēs imaginē impreſſam in ſpeculo, non cognoſcat obiectum, cuius eſt talis imago.

Impugnatio ſolutio.

¶ Et præterea, qui comprehenſiuè cognoſceret ideas diuinas, nōne cognoſceret omnia repræſentata per illas? ergo ſi ſpecies intelligibilis Angeli eſt quædam participatio ideæ diuinæ, qui comprehenſiuè cognoſceret ſpeciem, cognoſceret etiam & repræſentatū per illū, & per cōſequens ſingularia antequā exiſtant, quia naturalis ſimilitudo repræſentat illud, cui⁹ eſt naturalis ſimilitudo indifferēter ad exiſtentiā, & nō exiſtētiā ſicut verbi gratia in exēplo poſito. Si Deus conſeruaret ſpeciē infuſam in ſpeculo, ſemper illa repræſentaret obiectū, cuius eſt ſpecies, ſiue obiectum exiſtat, ſiue nō exiſtat.

Ad ſecundam argumentum.

¶ Ad ſecundū reſpondetur, quod quatuor modis ſe poteſt habere res præterita ad Angeli intellectum. Primo, quod cognita fuerit ab ipſo tempore præterito, quando res exiſtebat. Secundo, quod non fuerit ab illo cognita propter non aduertentiam ipſius Angeli, neque enim neceſſe eſt, quod Angelus ad omnia ſingularia, quæ exiſtunt aduertat. Tertiò quod illud ſingulare præteritum relinquat aliquem effectum ſui in ſua cauſa. Quarto denique, quod nihil poſt ſe reliquerit. Hoc ſuppoſito reſpōdetur quod Angelus poteſt cognoſcere rem præteritā, quæ eſſe habuit primo modo. Hoc patet, quoniam ſpecies Angelica iam ſemel fuit determinata in actu ſecundo ad cognitionē illius rei ſingularis, quæ actualiter terminauit cognitionem Angeli, ergo ex vi huius determinationis poterit poſtea illa ſpecies repræſentare Angelo eandem rationem, & hæc cognitio dicetur abſtractiua, quæ præſupponit intuitiuam eiuſdē rei, atque ita eſt quaſi rememoratiua cognitio. Etenim propriè in Angelo non ponitur memoria, ſi autem Angelus nō cognouit rē præteritā pro tempore, quo extitit: tamē res illa reliquit poſt ſe aliquod veſtigium ſui in effectu, vel in aliqua determinatione cauſæ, poterit Angelus rem cognoſcere illam præteritam, & cognoſcet de facto quotieſcunq; vtetur ſpecie repræſentante quidditatem ſub qua cōtinebatur res præterita: & hoc ꝓbatur quoniā ſpecies Angelica, adiuncto lumine efficaciſsimo ipſius Angeli, potēs eſt repræſentare quamlibet rem, cuius reperitur in rerū natura aliqua determinatio in effectu vel cauſa. At verò illud præteritum, quod poſt ſe nullum reliquit veſtigiū, non poteſt cognoſci poſtea ab Angelo, ſi quando extitit in rerum natura nō fuit cognitū, hoc patet, quia illud præteritum ita ſe habet ad ſpeciē Angeli, ac ſi nunquam fuiſſet.

QVÆ-

QVÆSTIO V.

Vtrum per diuinam potentiam poſſit dari ſpecies intelligibilis repræſentatiua, vel repræſentās futura cōtingētia.

Prima ſententia Caietani.

De hac re eſt prima ſententia Caieta. 3. parte, quæſt. 10. artic. 1. aſſerentis non ſolum dabilem eſſe ſpeciem intelligibilem repræſentantem futurum contingens, vt futurum eſt, ſed de facto in Chriſto Domino datæ ſunt ſpecies intelligibiles repræſentantes, non ſolum præterita, & præſentia, ſed etiam futura. ¶ Pro cuius explicatione aduertit, quod ſpecies intelligibiles ſunt in duplici differentia, quædam enim ſunt per ſe infuſæ, & quædam ſunt per accidens infuſæ. Quæ ſunt per accidens infuſæ ſunt eiuſdem rationis cum ſpeciebus acquiſitis. At vero ſpecies per ſe infuſæ, & ex ſuo genere, non ſunt enim alterius rationis à ſpeciebus acquiſitis, quia habent aliud obiectum formale (vt contingit inter ſpecies innatas Angelis, & acquiſitas à nobis) ſed ſunt longè alterius ac altioris ordinis, quia ſic ſunt ſimilitudines naturæ, putà leoninæ, quod repræſentat ea in quacunque diſpoſitione accidentali ſit, ita quod per vnam ſpeciem poteſt intellect⁹ cognoſcere quidditatiuè leonem, & omnia ipſius indiuidua ſecundū indiuiduales cōditiones, & intueri leones oēs actu exiſtentes. Neque hoc eſt mirabile, ita quod ſit incredibile, ſed ratione fultū, quia ſcilicet huiuſmodi ſpecies ſunt exemplatæ à diuina eſſentia, quæ vna exiſtens eſt ſimilitudo, ita cuiuſque propria, vt nihil in quocunque prætermittatur irrepræſentatum diſtinctiſsime: ſi enim hoc de facto fatemur in ueniri in diuina eſſentia reſpectu omnium, cur non poſsibile fateremur in multis illius participationibus inueniri, quod quælibet earum repræſentat aliquam vnam naturam cum ſuis quomodolibet accidētibus, vt vnitè præhabentur in eſſentia diuina ſuper omnes ordines diuiſim participetur in aliquibus ſpeciebus ſpectantibus ad ſupremum ordinem cognoſcitiuorum, quales ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ, & animæ ſupernaturali lumine illuſtratæ? & paulo infra. Non autem dicimus, quod ſpecies iſtæ, quæ in anima Chriſti ſunt, ſunt adeò altioris ordinis, vt intueantur diuinam eſſentiam, vt repræſentantem veritatem contingentium, & non ſolum vt repræſentantem naturam quamlibet ſecundum ſe, & propterea anima Chriſti intuitiuè perfectè per illas videt præterita præſentia & futura.

Nota.

¶ Poteſt autem hæc ſententia Caiet. probari primo, nam futura contingentia quatenus futura ſunt, ſunt repræſentabilia, ergo poteſt dari de potentia abſoluta ſpecies repræſentatiua illorum. Antecedēs patet. Futura contingentia, vt futura ſunt, habent veritatem cognoſcibilem, ergo repræſentabilem. Probatur antecedens, Deus certa, & intuitiua cognitione cognoſcit futura contingentia antequam ſint, ergo futura cōtingentia antequam ſint habent certam, & determinatam cognoſcibilitātem, ſed quælibet certa, & determinata cognoſcibilitas eſt repræſentabilis per ſpeciem, ſaltim per ſe infuſam, ergo poteſt Deus de potentia abſoluta talem ſpeciem producere.

Primū argu. pro ſententia Caietani.

¶ Secundò. Futura contingentia habent determinatam veritatem à determinatione voluntatis diuinæ, quæ determinatio non extrahit futura contingentia à ſua ratione formali futurorum contingentium, quia poſita tali determinatione remanent futura contingentia, futura contingentia. Cum ſapientia diuina, attingens à fine vſque ad finem fortiter, diſponat omnia ſuauiter, ergo dabilis eſt de potentia abſoluta ſpecies repræſentans illam veritatem determinatā iuxta modum ſuæ determinationis. Probatur ſequela, quia illa veritas repræſentabilis eſt præcipuè cum non ſit infinita.

Secundum argum.

¶ Tertiò. Chriſtus Dominus viſione beatā vidit futurum contingens, vt futurum eſt, & in opinione probabiliori beati videntes Deum producunt verbum, & ſimilitudinem expreſſam, ergo potuit Deus de potētia abſoluta producere ſpeciem intelligibilem illius futuri, quatenus viſi per illam viſionem beatam, ſed illa viſio beata non extraxit futurum à ratione futuri, ergo. ¶ Cōfirmatur. Potuit Chriſtus Dñs recordari ſe vidiſſe viſione beata quoddam futurū cōtingens, ſed talis recordatio non potuit fieri niſi per ſpeciem futuri contingentis, ergo talis ſpecies dabilis eſt de potentia abſoluta.

Tertium argum.

Ad confir.

¶ Secunda ſententia eſt recentiorum expoſitorum D. Tho. 1. par. quæſt. 57. arti. 2. quæſt. 3. pro cuius explicatione aduertunt, quod futurum cōtingens bifariam poteſt conſiderari, primo quo ad quidditatem

Secūda ſententia.

Not.

eius ſpecificā & ſingularem. Secundo quan tum ad coniunctionem quidditatis cum actuali exiſtentia futura. Si conſideretur futurum contingens primo modo, docent nihil repugnare, quod detur ſpecies intelligibilis, quæ actu repræſentet ſolam, & nudā quidditatem ipſius futuri cōtingentis, ſiue ſpecificam ſiue ſingularem per potentiam Dei abſolutam. Ratio huius eſt: quia poſſet Deus producere phantaſma Antichriſti, vt non aliter mihi repræſentaret Antichriſtū, atque ſi oculis illum viderem. Quo phantaſmate impreſſo per intelligibilē ſpeciem hominis poſſem ego tunc per quendam recurſum ad illud phātaſma cognoſcere quidditatem ſingularem Antichriſti, & in hoc caſu non repræſentaretur mihi habitudo, quam ſingularis illa quidditas dicit ad exiſtentiam determinandam in futuro tempore, ergo poſſibile eſt per diuinam potētiam vt infundatur Angelo vel animæ rationali certa ſpecies intelligibilis, quæ repræſentet ſingularem quidditatem, ſeu ſingularizatā alicuius contingentis futuri, non repræſentata habitudine ad futuram exiſtentiam.

Primum arg. p pri mo diuiſioni s membro.

¶ Secundò, inter prædicata quidditatiua cuiuſcunq; indiuidui eſt neceſſaria habitudo, quæ non pendet ex voluntate alicuius, vt quod Petrus ſit homo, & quod ſit animal rationale, ergo poterit talis neceſſaria habitudo cognoſci ab Angelo per inditam ſpeciem & per eandem repræſentari.

Secundum argum.

¶ Tertiò. Si Deus crearet modo Angelum cum cognitione ſcientifica rerum creabiliū aut producibilium, talis cognitio eſſe non poſſet abſque ſpeciebus repræſentatiuis, in quibus ſplenderent illarum rerum quidditates, & quidē, ſi intellect⁹ apud ſemetipſum poteſt fingere idolum: & ſimulacrum alicuius rei impoſſibilis, vel chimeræ, aut alterius rei imaginabilis, multo melius poterit Deus creare ſpeciem intelligibilem repræſentatiuam illius abſtrahendo ab exiſtentia, vel ſine determinata habitudine ad eandem exiſtentiā, ergo nihil prohibet Deum producere ſpeciem actu repræſentantem ſolam quidditatem ſpecificam vel ſingularem ipſius futuri contingentis.

Tertium argum.

¶ Confirmatur. Nam cur non poterit ſpecies à Deo proxime voluntate indita repræſentare Antichriſti faciem, ſingulares quem illius conditiones ſine ordine ad exiſtentiā tali tempore futuram, & in tali menſura durationis. Quia ſi aliqua ratione Deus non poſſet, maximè, quia nunquam res eſt actu ſimilis ſpeciei intelligibili, aut in ſe aut in ſua cauſa, ergo impoſſibile videtur per ſpeciem intelligibilem actualiter repræſentari quidditas illa indiuidualis & ſingularis, ãntequam ſit, ſed hoc non obſtat, ergo. Probatur minor, quia quidditas & eſſentia creata rei, aut creabilis eſt ſimilis ſpeciei intelligibili ſimilitudine eſſentiali, ante quā exiſtat, & etiam ſi non exiſtat ob id, quod quidditas, quantū eſt de ſe in rebus creabilibus abſtrahit ab actuali duratione, & ab exiſtentia. Aliter vero euenit ſi conſideretur res ſecundum actualem coniunctionem & vnionem eſſentiæ cum exiſtentia, quoniā in hoc non poteſt eſſe ſimilis res ipſa ſpeciei intelligibili, niſi aliquo pacto exiſtat in ſe vel in ſua cauſa determinata.

Confirm.

¶ Vltimò, quia ſecundum veriorem ſententiam ſpecies indita animæ Chriſti, & ſpecies Angelica in ſua habitudine cōcernit cō nexionem eſſentiæ cum exiſtentia, quia tales ſpecies inditæ ſunt ad hoc, vt repræſentarent per habitudinem ad vniuerſum ſecundum ordinem actualem naturæ vel gratiæ. Cæterum de potentia abſoluta nulla poteſt excogitari ratio ſufficiens, cur dicamus non eſſe poſſibilem ſpeciem repræſentatiuam quidditatis abſtrahendo ab actuali exiſtentia.

Vltimum argum.

¶ Si autem conſideretur futurum contingens, ſecundo modo quantum ad coniunctionem quidditatis cum actuali exiſtentia futura, eſt ſecunda propoſitio iſtorum, fieri non poſſe, vt ſit ſpecies creata intelligibilis, quæ repræſentet futurum cōtingens vt ſic. Fundamentū huius eſt, quia implicat, quod ſit ſpecies creata repræſentans futurum cōtingens, vt cōtingens eſt, quantum ad vnionem & coniunctionem huius quidditatis cum futura exiſtentia actuali & contingenti. Probatur. Futura contingentia toto tempore, quo non exiſtunt, aut in ſe ipſis, aut in cauſis determinatis, impoſſibile eſt, quod habeāt determinatam habitudinem ad propriam exiſtentiam, alioquin non eſſent futura contingentia, neque contingenter euenirent, igitur nulla ſpecies creata repræſentare poteſt determinatam habitudinem futuri contingentis ad propriam exiſtentiā, ac proinde non poterit futurum contingens determinatè repræſentari. Patet conſequentia, quia determinata habitudo excludit contingentiam.

Primum arg. pro ſecundo membro præfatæ diuiſionis.

¶ Secun-

Secundum argum. ¶ Secundò. Si aliqua ratione dabilis eſt talis ſpecies, maximè, quia futura contingentia dicunt determinatam habitudinem ad ſuam exiſtentiam per ordinem ad diuinam cognitionem, quia alias non determinatè cognoſcerentur à Deo, igitur talem determinatam habitudinem, quam futura contingentia dicunt per ordinem ad diuinã cognitionem, poteſt Deus de potentia abſoluta per ſpeciem intelligibilem creatam intellectui Angeli repræſentare, ſed iſta ratio nihil obſtat, ergo. Probatur minor, quia illa repræſentatio, quam habet futurum contingens præciſe reſpectu diuinæ cognitionis, non eſt communicabilis ſpeciei creatæ. Volo dicere, quod illa perfectio repræſentandi determinatè, ſeu per determinatam habitudinem, quam contingens futurum habet in ordine ad cognitionem infinitam, communicari non poteſt alicui creaturæ vel ſpeciei. Et ratio eſt, quia Deus cognoſcit futura contingentia, non ſolum, quia coexiſtũt diuinæ cognitioni, quæ æternitate menſuratur ambiente omne tempus, etiam futurũ, qua ratione cognitio diuina dicitur eſſe futurum contingentium in ſemetipſis, ſed etiam cognoſcit futura contingentia in propria idea determinata per diuinam voluntatem, & prædiffinitionem ad productionem futuri contingentis ſuo tempore faciẽdam, & hæc cognitio dicitur eſſe futuri contingentis in ſuis cauſis determinatis per diuinã voluntatem & ideam. Hoc igitur cõſtituto patet, quomodo ſpecies creata non poteſt repræſentare determinatam habitudinem, quam futurum contingens habet reſpectu diuinæ cognitionis, vt primo modo cognitum eſt à Deo, quoniam ſpecies creata, aut eius repræſentatio menſurari non poteſt æternitate, ſed tempore vel æuo. At vero illa habitudo determinata futuri contingentis reſpectu æternitatis, ſolum eſt per ordinem ad menſuram æternitatis, quod ex ſe habet continere, cum ſit menſura per eſſentiam quamlibet aliam cuiuſque rei menſuram. Et idcirco determinata illa habitudo ſolum põt euenire futuro contingenti prout coexiſtit æternitati vt ſic. Quod vero habitudo illa, quam dicunt futura contingentia reſpectu diuinæ ideæ determinatæ per voluntatem & diuinæ prædiffinitionis repræſentari non poſsit per ſpeciem creatam ſic oſtendo. Quoniam talis determinatio ſolũ eſt in cauſa, hoc eſt in idea diuina determinata per liberam Dei voluntatem ad productionem futuri contingentis, ſed huiuſmodi determinationem nulla creata ſpecies repræſentare poteſt, ergo neque etiam determinatam habitudinem futuri contingentis ad exiſtentiam ſuam, prout illam habet in ſuprema cauſa. Probatur minor, tam ex parte diuinæ libertatis & prædiffinitionis, cuius determinationem nulla ſpecies repræſentare poteſt, quam etiam ex parte ideæ diuinæ, vt cauſa eſt. Quoniam vt ſic oporteret, quod ipſa idea eſſet in ſe ipſa cognita, vt effectus cognoſceretur in ea, ſed plane conſtat, quod nulla creata ſpecies poteſt repræſentare diuinam ideam, vt in ſe eſt, ſicuti neque eſſentiam diuinam, ergo.

Vltimum argum. ¶ Vltimo, determinata habitudo ad exiſtẽtiam & contingentiam, vt ſic, pugnant inter ſe oppoſitione contradictionis, quia determinatio excludit contingentiam vt ſic, ergo implicat, quod detur ſpecies intelligibilis repræſentans futurum contingens, vt ſic, quantum ad vnionem quidditatis cum exiſtentia, quia exiſtentia importat determinationem, contingentia vero indeterminationem.

1. Notab. In quo placitum autoris explicatur. ¶ In hac quæſtione probabiliorem iudico Caiet. ſententiam. Et moueor ad hoc, quia futura contingentia. v. g. Petrus ſedebit tali die & tali hora, & ſic de alijs poſſunt conſiderari vel prout intelliguntur ante determinationem diuinæ voluntatis, vel poſſunt conſiderari quatenus determinata, & prædiffinita per voluntatem diuinam. Si conſiderentur primo modo ſicut nullam habent veritatem neque falſitatem, ita nullam habent intelligibilitatem, verum enim eſt dicere, ante determinationem diuinæ voluntatis, quod Petrus ſedebit, vel non ſedebit tali die & tali hora. Non tamen eſt verum quod Petrus ſedebit, neque etiam eſt verũ, quod Petrus non ſedebit, quia cum neutra pars ſit determinata per voluntatem diuinam, ſicut neutra pars habet determinatam veritatem, ita neutra habet determinatam falſitatem, ſed cum vtraque poſsit eſſe obiectum diuinæ determinationis, ita vtraque poteſt eſſe ſubiectum talis veritatis. Et ob hoc à Doctore in primo diſtin. 39. quæſt. 1. appellantur propoſitiones neutræ. Poſita tamen determinatione, & prædiffinitione diuinæ voluntatis, altera pars eſt vera, & altera falſa. *2. Notab.* ¶ Secundò eſt notandum, quod determinatio diuinæ voluntatis imò & determi-

terminatio noſtræ voluntatis pro tempore, pro quo determinat ſe non eſt eiuſdem rationis, cum determinatione cauſæ naturalis. Et ratio huius eſt, nã cauſa naturalis ex ſua intrinſeca ratione, & ſecluſo quocũque actu ipſius cauſæ, & quaten⁹ cõſideratur in actu primo præciſe, ſemper eſt determinata ad actum producendum ab ipſa, quia cauſa naturalis ſemper agit in quantum poteſt. Vnde ſi non impediatur ſemper ſequetur effectus. ¶ Ex quo infertur quod ſi per impoſsibile nulla eſſet cauſa libera in rerum natura, ſed omnes cauſæ eſsẽt naturales omnes effectus eſſent naturales, & nullus eſſet effectus liber, imo ſatis probabiliter loquuntur dicentes, quod in tali caſu vix poſſet aſsignari aliquod futurum, quod non poſſet ab Angelo infallibiliter cognoſci, qa in eo caſu omnes cauſæ agerent ex neceſsitate naturæ, & per conſequens penetratis cauſis cognoſcerentur certo, quæ eſſent de facto impediendæ, & quæ non, & ex conſequenti, qui effectus eſſent de facto futuri, & qui non. Et ratio huius eſt, quia duo ſolent admitti vt certa etiam in doctrina Diui Tho. Primum eſt intellectum comprehẽdentem aliquam cauſam ad omnes eius effectus, ad quos talis cauſa poteſt extendi, cognoſcendos extendi, & modum quo vnuſquiſque eorum ab ea emanet; hoc eſt cõtingenter, vel neceſſario. Secundum eſt intellectum Angelicum comprehendere virtutem cauſarum naturaliũ. His poſitis, ſi omnia euenirẽt ex neceſsitate naturæ nullum inconueniens ſequitur, ſi dicatur Angelum in tali caſu omnia futura cognoſcere, quia in tali caſu, quanuis illa eſſent futura, non tament eſſent futura contingentia, ſed futura naturalia, qualia ſunt eclypſes ſolis, & lunæ. At vero determinatio noſtræ voluntatis, quandiu eſt ſub actuali operatione non ita ſe habet, cum voluntas noſtra nõ ſolum ſit libera prout exiſtens in actu primo, ſed etiam prout exiſtens in actu ſecundo, vt late diximus in primo in Diſputatiõe, de ſciẽtia Dei. Et ſic quanuis determinatio cauſarum naturalium tollat è medio contingentiam, determinatio tamen noſtræ voluntatis non tollit ab effectu, quem producit ſuã contingentiam, quia ſicut ipſa voluntas quã do operatur libere operatur, ita effectus à voluntate productus quando producitur libere producitur. ¶ Tertiò eſt notandum,

3. Notab. quod illa, quæ dicunt perfectionem in humanis ponenda ſunt & in Deo ſecluſis imperfectionibus; & cum intellectus & voluntas in humanis dicant perfectionem, ideo & Deo tribuimus intellectum & voluntatem: ſed quia intellectus noſter, & voluntas noſtra, quandoque ſunt in potentia ad ſuos actus, & habent modo iſtum, modo illum, & reſpectu cuiuſcunque obiecti aliam, & aliã operationem (quod imperfectionem dicit; quia potentialitatem) ideo intellectui & voluntati diuinæ tribuimus actum ſemper intelligendi, & volendi, & fatemur ſecundum fidem Catholicam non eſſe in potentia ad intellectionem & volitionem, ſed Deum ſemper eſſe intelligentem & volentem, & intellectum, & volũtatem diuinam nunquam ſeparari ab actuali intellectione & volitione. Propter quod nonnulli fatentur in Deo non eſſe intellectum & voluntatem per modum actus primi, ſed tãtum per modum actus ſecundi, quod ego ſic intelligo, quod intellectus, & intellectio diuina adeo ſunt omnibus modis idem, vt ſi intellectus diuinus conſideretur vel concipiatur conceptu deſumpto ab ipſo intellectu diuino, & conceptu proprio, non poteſt concipi non concepta intellectione, ſi autem cõcipiamus illum per conceptum alienum deſumptum à creatura, tunc poſſumus intelligere intellectum diuinum quatenus intellectus eſt, non intelligendo intellectionem diuinam, ſed talis conceptus eſt cõceptus partialis, & inadæquatus. Per conceptum autem adæquatum & totalem vnum ſine altero nequit intelligi, & idem philoſophandũ eſt in voluntate diuina.

¶ Quartò eſt notandum, quod in voluntate

4. Notab. noſtra poſſumus conſiderare ipſam voluntatem prout ab actu diſtinctam & ſeparatam, ſcilicet voluntatem per modum actus primi. Et poſſumus iſtam conſiderare, quando eſt ſub actuali operatione, & poſſumus illam intelligere, quando iam habuit operationem. Si conſideretur primo modo eſt in actu primo indifferens ad actum ſecundum, & indifferens ad hunc, vel illum actum, & tunc dicitur libera libertate contradictionis, ſiue exercitij, & eſt libera libertate contrarietatis, & ſpecificationis. Si autem conſideretur, quando eſt ſub actuali operatione, adhuc dupliciter poteſt conſiderari, vno modo vt dicit ordinem ad actum, quem habet quatenus eſt in illo complacens. Secundo modo quatenus poteſt illum continuare

vel

vel non continuare: ſi conſideretur hoc ſecundo modo, nulli dubium eſt illam eſſe liberam, ſi autem cōſideretur ſub actuali operatione complacens fuerunt qui dixerunt cum Gregorio & Ocham non eſſe liberam voluntatem, ſed de hac re fuſius egimus in primo in Diſputatione, de ſcientia Dei in propria quæſtione, vbi diximus etiam voluntatem ſic conſideratā eſſe liberam, & ratio huius eſt, quia voluntas reſpectu illius actus non ſe habet vt potentia determinata, ſicut cauſa naturalis eſt determinata, & ſic non ſe habet vt cauſa naturalis. Naque etiam ſe habet vt ipſamet voluntas, quatenus antecedit ſuum actum, quia voluntas vt ſic eſt libera libertate contrarietatis, & contradictionis. At vero voluntas prout eſt ſub actu nullam iſtarum libertatē habet reſpectu illius, prout ſub illo eſt, quia tamen ita eligibiliter & delectabiliter operatur, vt ſi non complaceret non operaretur, & quia agit pet formam determinantem ipſam voluntatem iuxta cōdirionē naturalem ipſius voluntatis, ideo eſt libera libertate intrinſeca & eſſentiali, quæ libertas conſiſtit in hoc vt docet Doctor in quolibetis quæſtione 16. articul. 3. quod voluntas reſpectu talis operationis ſe ipſam determinat, & non ab aliquo extrinſeco determinatur per modū formæ quantum ad actum primum. Vnde voluntas, quando eſt ſub actuali operatione, eſt determinans ſe, quia à ſe ipſa habet quod opetetur. Hæc enim eſt differentia inter agens naturale, & agens liberum, quia agēs naturale dicitur agere naturaliter, quia determinatur ab alio ad ſic agendum, ſicut v. g. intellectus naturaliter intelligit lapidem, quia determinatur ad ſic agendum ab obiecto vel ab ſpecie vel à voluntate. At vero agens liberum, ideo dicitur liberum, quia quamuis ad ſuam actionem ſemper præſupponat actionem intellectus, quia nihil volitum, niſi præcognitum. Nihilominus tamē dicitur voluntas liberè agere, quia ad agendum non determinatur ab alio, ſed voluntas ſeipſam determinat ad agendum ex quo prouenit, quod quando voluntas eſt ſub actuali operatione non eſt indeterminata, ſicut quando eſt in actu primo, quia ſic eſt determinata, vt determinatio opponitur indeterminationi in actu primo. Neque eſt determinata vt cauſa naturalis eſt cauſa determinata, ſed eſt determinata per modum determinantis ſe, id eſt, eſt determinans ſe, quç determinatio & indeterminationi, & determinationi opponitur. Et poteſt ad hoc adduci exemplum in veritatibus de præſenti, præterito & futurò. Nam veritates de præterito ſunt veritates determinatæ, veritates de futuro ſunt veritates indeterminatæ, veritates autem de prçſenti ſunt veritates quaſi determinantes ſe, volo dicere, quod ſunt veritates non determinatæ ſicut veritates de præterito. Neque indeterminatæ ſicut veritates de futuro, ſed determinantes ſe, id eſt, quod reſpectu veritatū de futuro: poſſunt dici determinatæ, reſpectu vero veritatum de præterito poſſunt dici indeterminatæ, quia non ſunt determinatæ determinatione veritatum de præterito. At vero reſpectu ſui poſſunt dici quaſi determinantes ſe, ita in propoſito voluntas noſtra pōt cōſiderari in ordine ad actum præteritum, vel in ordine ad actum futurum, vel in ordine ad actum præſentem. Si cōſideretur in ordine ad actum præteritum dicitur voluntas determinata, quia implicat non eſſe determinatam, cum ad præteritum non ſit potentia. Si conſideretur in ordine ad actum futurum, dicitur determinabilis, quia poteſt velle, & nō velle, velle hoc & velle illud. Si autem conſideretut in ordine ad actum præſentem, dicitur determinans ſe, quæ determinatio opponitur determinationi primo modo, quia non eſt determinatio de præterito, & opponitur indeterminationi, quam habet ad actum futurum, quia non determinabitur, & dicitur determinatio de ptæſenti, & voluntas determinans ſe.

¶ Quintò eſt notandum, quod inter determinationem voluntatis de præterito, & de- 5. *Notab.*
terminationem ipſius voluntatis de præſenti, hæc eſt differentia: quod determinatio volūtatis de præterito tollit libertatem ad illum actum. At vero determinatio voluntatis de prçſenti non tollit libertatem. V. g. habuit Petrus heri iſtum actum volo currere, tranſacto illo actu voluntatis non manet in voluntate libertas ad non habuiſſe illum actum, quia ad præteritum non eſt potentia, & ſic determinatum per modum præteriti non poteſt non eſſe determinatum. At vero ſi ego habeo iſtum actum, volo legere, quandiu iſtemet actus habet rationem præſentis non manet mea voluntas determinata, ſed ſe determinans, & per cōſequens ſemper manet libera, quia ille actus æquipollet huic, volo libere legere, & quādiu iſte actus

volo

volo libere legere manet in mea voluntate, manet volitio libera: aliàs falſum dicerem, dicendo volo libere legere, vel libere volo legere, ſi libera in me non maneret voluntas. Applicando igitur prædicta ad voluntatem diuinam, ſuppoſito quod diximus in primo Diſputatione 15. q. 11. quod Deus voluit me loquuturũ æquipollet huic Deus vult me loquuturũ, qa nõ aliter voluit ab æterno me modo loquuturũ & ſcripturũ quã modo vult me loqui & ſcribere, ſi igitur voluntas diuina ex eo, quod vult me modo loqui, non tollit à me libertatem ad loquendum, neque ex eo quod voluit ab æterno me modo loqui, abſtulit à me libertatem, quia determinatio, & prædiffinitio quam Deus habuit ab æterno, eadem prorſus eſt cum determinatione & prędiffinitione quã modo habet & cum determinatio quã modo habet, non tollat à me libertatem nec determinatio ab æterno, tollit à volũtate mea libertatem.

Secũdũ cõſectariũ. ¶ Ex quo prouenit, quod actus voluntatis diuinæ ſi conſideretur in ordine ad eandem voluntatem, ſemper habet rationem pręſentis & nunquã præteriti, vel futuri, niſi quatenus conſideratur in ordine ad præteritũ, vel futurum, & per conſequens ipſa voluntas in ordine ad ſuum actum conſiderata neque habet rationem determinabilis neque determinatæ, ſed ſemper habet rationem determinantis ſe, vnde ſicut nunquam voluntas diuina conſiderata conceptu deſumpto ab ipſa diuina voluntate conſideratur per modum actus primi quaſi ſeparata ab actu ſecũdo, ideo nunquam voluntas diuina poteſt conſiderari indifferens, & indeterminata. Et ſimiliter quia nunquam actus volũtatis diuinæ (ſecluſo ordine quem dicit ad obiectum, ſed per ordinem quem dicit ad ipſam voluntatem diuinam) poteſt conſiderari per modum præteriti; ideo nunquã voluntas diuina poteſt conſiderari vt iam determinata ad alteram partem contradictionis.

Tertio conſectarium. ¶ Ex quo infertur tertio, quod cum voluntas diuina ſemper ſit cum ſuo actu & volũtatis ſemper ſit cum voluntate, & neutrum reſpectu alterius habeat rationem præteriti, vel futuri, ſed ambo habeant rationem præſentis. Hinc prouenit quod voluntas diuina conſiderata in ordine ad ſuum actum ſemper ſit determinans ſe.

Quartum conſectarium. ¶ Ex quo prouenit quarto, quod voluntas diuina reſpectu cuiuſcunq; operationis ſuæ quãuis ſit neceſſariſsimã ab intrinſeco, ſemper tamẽ manet liberã, quia licet nunquã ſis indifferens, nunquã tamen eſt determinata per modum præteriti conſiderata in ordine ad ſuum actum. Et cum determinare ſe, ſit modus cauſæ, & principij liberi, non eſt denegandus neque tollendus à voluntate diuina, quia in hoc ſaluatur modus operandi libere, qui modus compatitur ſecum omnimodam, & intrinſecam neceſsitatem.

Vltimo notab. ¶ Vltimò eſt notandum (vt reuertamur vnde digreſsi ſumus) quod futura contingentia quæ habent veritatem à determinatione voluntatis diuinæ poſita tali determinatione adhuc habent veritatem contingentem. Nihilominus tamen quanuis habeant veritatem contingentem, habent tamen veritatem cognoſcibilem, quantum eſt ex parte ipſorum futurorum contingentium, quanuis nõ cognoſcantur ex defectu intellectus. Vnde intellectus diuinus poſita tali determinatione optime cognoſcit talem veritatem contingentem. Cum igitur veritas contingens cognoſcibilis ſit quantũ eſt ex parte ſua non video quare repugnet potentiæ diuinæ producere ſpeciem intelligibilẽ repræſentantem talem veritatem contingentem, ſiquidem, dabile eſt verbum, & cognitio talis veritatis,

Concluſio. ¶ Concluſio. De potentia abſoluta poteſt Deus producere ſpeciem intelligibilem repræſentantem connexionem, vnionem, & coniunctionem quidditatis cum futura exiſtentia actuali, & contingenti. Hæc concluſio probatur in primis rationibus adductis

Prima ratio. in principio pro ſententia Caiet. Et prætereà, quia quod non includit manifeſtam repugnantiam non eſt denegandum Deo, ſed hoc non includit manifeſtam repugnantiam, ergo cum non ſit impoſsibile apud Deum omne verbum, non eſt denegandum Deo poſſe producere talem ſpeciem. Minor probatur, reſpondendo ad argumenta

Secunda ratio. in oppoſitum. ¶ Secũdo, quod habet veritatem habet intelligibilitatem & repræſentationem paſsiuam, ergo poteſt Deus producere repræſentationem actiuam tali repræſentationi paſsiuæ correſpondentem, ſed futura contingentia poſita determinatione diuinæ voluntatis habent veritatem & cognoſcibilitatem, & repræſentationẽ paſsiuam, vt & ipſi fatentur, ergo de potentia abſoluta poteſt dari ſpecies repræſentans iſtã veritatem contingentem. ¶ Tertio ſequeretur,

tur, quod Deus non poſſet producere ſpeciem repræſentantem Antichriſtum venturum, modo quo venturus eſt & contingentia, qua venturus eſt, ſed hoc non includit manifeſtam repugnantiam, neque contradictionem, ergo non eſt Deo denegandum.

Ad argumenta. ¶ Reſpondetur argumentis adductis pro ſecunda propoſitione & opinione prædicto- *Ad primū* rum. Ad primum concedendo antecedēs & negando ſequelam, & ad probationem dicitur, quod determinata habitudo, quæ tranſijt in præteritum tollit contingentiam. At vero determinata habitudo per modū præſentis non tollit contingentiam. Et quod iſta ſolutio vera ſit etiam in opinione illorum, patet ex his quæ ipſi docent in materia de prædeſtinatione, dicētes, quod Deus prędeterminat noſtram volūtatem ad quēcunque actum bonum moraliter, per quam prædeterminationem manet voluntas noſtra determinata ad illum, non tamen manet abſque libertate, quia determinatio voluntatis, vti diximus per modum præſentis, non tollit rerum contingentiam.

Ad ſecundum. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, quod talis ſpecies eſt dabilis ex eo præciſe, quia futura contingentia habent determinatam veritatem à determinatione voluntatis diuinæ, vt & ipſi fatentur, & per conſequens habent veritatem repræſentabilem, & ſic non implicat quod Deus poſsit producere ſpeciem aliquam intelligibilem repræſentātem talem habitudinem futuri contingentis. Ad probationem autem prope finem argumenti, neganda eſt minor, nempè, quod huiuſmodi determinationē nulla creata ſpecies poſſit repræſentare. Et ad probationem dicitur, quod quanuis ex parte diuinæ libertatis non poſsit dari aliqua ſpecies repræſentans ipſam voluntatem diuinam, quantum ipſa eſt repræſentabilis; nihilominus tamē, ſicut non implicat dari aliquā ſpeciem creatam repræſentantem eſſentiam diuinam in ordine ad actum, quem intellectus creatus poteſt habere pro iſto ſtatu, vt diximus in primo Diſputatione 7. quæſt. vltima, ita nō implicat dari ſpeciem intelligibilem repræſentatiuam voluntatis diuinæ, & eius prædiffinitionis in ordine ad actum quem intellectus creatus poteſt habere, quanuis implicet dari ſpeciem repræſentantem voluntatem, & prædiffinitionem eius ſecūdū quod eſt repræſentabilis, quia cum ſit infinita, ſicut eſſentia tantum per ſpeciem eſt repræſentabilis adæquatè.

Ad vltimum reſpondetur negando antecedens: vt dictum eſt in corpore quæſtionis niſi intelligatur de determinata habitudine per modum præteriti, quæ habitudo determinata non poteſt competere futuris contingentibus, quanuis determinata habitudo per modum præſentis à determinatione diuinæ voluntatis neceſſario debet illis conuenire: quia vt diximus in primo, Diſputatione 25. quæſt. 8. futura contingentia habent determinatam veritatem à determinatione voluntatis diuinæ.

QVÆSTIO VI.

¶ *Vtrùm Angeli poſsint cognoſcere futura ex naturalibus.*

PRO parte affirmatiua eſt primum argumentum, omnia futura ſunt Angelo præſentia in æuo, quod eſt ipſorum menſura, ergo poſſunt ab eo cognoſci verè, & infallibiliter. *Primum argum.* Antecedens patet, quia ideo futura ſunt præſentia Deo in æternitate, quia æternitas quoniam eſt ſimul, & indiuiſibilis coexiſtit tempori præſenti, præterito, & futuro, ſed æuum (iuxta ſententiam D. Tho.) eſt ſimul, & indiuiſibile, ergo debet coexiſtere omnibus partibus temporis, ſed inter iſtas connumeratur futurum, ergo coexiſtit tempori futuro, & per conſequens, ſicut Deus cognoſcit futurū (quia coexiſtit nunc æternitatis) ita, & Angelus cognoſcit futurum, quia coexiſtit æuo.

¶ Secundo, Angeli cognoſcunt perfectè ordinem naturæ, & omnium cauſarum naturalium diſpoſitionem, ergo & cognoſcent futura illa, quæ proueniunt ex diſpoſitione, & concurſu cauſarum naturalium. *Secundum argum.* Probatur ſequela, quoniam contingentia naturalium cauſarum conſiſtit in hoc, quod ipſæ cauſæ ſunt impedibiles per alias cauſas naturales, ſed Angeli cognoſcunt, & penetrat quando de facto futurum eſt impedimentū cauſæ naturalis, & quando nō eſt futurum, quia huiuſmodi impedimenta (naturaliter loquendo, & ſecluſo concurſu liberi arbitrij) proueniunt ex naturali diſpoſitione cauſarum ſuperiorū, ergo cum Angeli hæc omnia poſsint perfectè cognoſcere, & ipſa futura poterunt ab Angelo cognoſci.

Tertium argum. ¶ Tertiò. Dæmones prædicant quam pluri-

ma futura, imo & Aſtrologi per iudiciariã Aſtrologiam dicunt quam plurima contingentia, ergo & Angeli poterunt talia contingentia futura cognoſcere. Anteccedẽs patet exemplo Diui Auguſti. de diuinatione dæmonum, tomo. 3. vbi commemorat quẽdam dæmonem prædixiſſe futuram ruinam idolorum per euãgelicam prædicationem, ergo. ¶ De hac re eſt prima ſententia quorundam aſſerentiũ futura contingentia quę pendent ex noſtro libero arbitrio nullatenus poſſe ab Angelis cognoſci. At vero illa futura contingentia, quæ nullatenus à noſtro libero arbitrio pendent talia ab Angelo poſſe cognoſci. Fundamentum huius ſententiæ eſt, argumentum ſecundum poſitũ in principio. Et prætereà, quia cum Angelus cognoſcat ordinem cauſarum naturaliũ, & per conſequens cùm contingentia talis conſiſtat ex impedimentis, Ideo comprehẽ ſiuè cognoſcentes ordinem, & impedimenta, debent neceſſatio cognoſcere talem rerum contingentiam. ¶ Secunda ſentẽtia, eſt aliorum aſſerentium, quod inter futura cõtingentia, quæ nullo modo dependent ex voluntate arbitrij, quædam ſunt contingentia ſecundum quid, quædam vero ſunt ſimpliciter contingentia. Contingentia ſecundum quid ſunt (verbi gratia) aliquis habens occultam infirmitatem, & poſtea repente moritur, & tale futurum contingens potuit cognoſci ab Angelo, quia fuit præuiſum in cauſa nãturali, quæ per naturam impediri non poterat. Cõtingentia vero ſecũdo modo ſunt illa, quorum contingentia tantum eſt penſanda per ordinem ad cauſam particularem, quæ naturaliter impedibilis eſt, quanuis reſpectu diſpoſitionis naturalium cauſarum, & vniuerſalium nullam habent contingentiam, ſed potius neceſsitatem, eo quod ille effectus ſecundum ordinem à natura diſpoſitum non erat impediendus (verbi gratia) quod arbor iſta ſit tempore debito productura ſuum fructum. Et ratio huius eſt, quia arbor iſta impedibilis eſt à fructu, ex ictu fulminis, vel ab alio particulari agente, & quanuis non ſit impedienda ſufficit tamen hoc (vt effectus illius dicatur ſimpliciter contingens) quod procedat à cauſa impedibili, atque ita eſt ſimpliciter futurum contingens, iſta autem futura contingentia poſſunt cognoſci ab Angelo, non omnino certè, ſed per magnam coniecturam. Sunt etiam, & alia futura contingentia, quæ habent omnimodam cõtingentiam in ordine ad cauſas naturales, qualia ſunt fortuita, & cauſalia (verbi gratia) quod domus iſta ruet cras, & hoc poteſt Angelus certo cognoſcere cognita debilitate fundamenti, vel propter ventorum tempeſtatem futuram, quam Angelus cognoſcit in coniunctione planetarum neceſſatiam, ſed hoc pertinet ad futura contingentia primi generis. Cæterum quod ex mutua colliſione cadentium lapidum ignis accendatur, qui comburat vicinam domum omninò eſt futurum contingens, & ab Angelo naturaliter incognoſcibile.

Prima ſententia. *Secunda ſententia.*

¶ Tertia ſententia, eſt quorundam, pro cuius explicatione aduertunt, quod tota diffi cultas huius rei conſiſtit in hoc, an omnis motus rerum inferiorum efficaciter ſit ex motionibus, & influentijs ſuperiorum corporum, ſecludendo concurſum liberi arbitrij, applicantis actiua paſsiuis. Nam ſi verum eſt, quod omnis motus rerum inferiorum (ſuppoſita naturali diſpoſitione vniuſcuiuſque rei naturalis) efficaciter prouenit ab influentijs cæleſtium corporum, non eſt dubium, quin Angelus poſsit omnes huiuſmodi motus certo præcognoſcere ſi velit: ſi autem ſint aliqui motus in rebus inferioribus, qui non procedent efficaciter ab influentia cæleſtium corporum, ſed ex aliquo appetitu, vel apprehenſione animalium, quæ non pendeat quantum ad ſui determinationem à cæleſtibus corporibus, non poterit Angelus eiuſmodi futuros euentus præcognoſcere, ſed eorum contingentia reducenda eſt ad diuinam voluntatem, tanquam ad authorem ſupremum. Cum igitur res maximè dubia ſit, vtrum primo modo, an vero ſecundo modo huiuſmodi futuri euentus proueniant, dubium etiam eſt an omnia iſta futura ab Angeli ſposſint cognoſci, necne.

Tertia ſententia.

¶ Pro explicatione huius quæſtionis eſt primo notandum, quod futura contingentia ſunt in duplici differentia, quædam neceſſario prouenientia ex ſuis cauſis, quædam vero contingenter. Primi generis ſunt illa quorum cauſæ ita determinatæ ſunt ad vnum ex natura ſua reſpectu eorum, quòd etiam naturaliter non poſſunt naturaliter impediri, vt quod Sol orietur cras, & tali die futuram eſſe eclipſim ſolis, aut lunæ. Secunda vero futura contingentia ſunt, quorum cauſæ non ſunt ex natura ſua determi-

1. Notab.

terminatæ ad vnum.

2. Notab. ¶ Secundò eſt notandum, quod de primis contingentibus poſſumus loqui, vel in ordine ad ſe ipſa, vel in ordine ad voluntatem diuinam: ſi conſiderentur primo modo, ita ſunt futura, quod non ſunt contingentia, propter quod dicebamus in primo Diſputatiõe quarta, quæſtione tertia. quod prima cauſa agente neceſſariò (& per conſequens omnis cauſa ſecunda naturaliter, & neceſſario cauſaret) nulla eſſet contingentia in rebus, quia cum omnis contingentia in effectu oriatur ex contingentia in cauſa, ſi nulla eſſet cauſa contingens, neque aliqua eſſet contingentia in effectu. At vero ſtantibus omnibus cauſis ſecundis naturaliter agentibus, ita quod nullum eſſet liberum arbitrium creatum, adhuc tamen poſſet eſſe contingentia, ex diſpoſitione primæ cauſę libere operantis, quidquid ad extra operatur.

Prima cõcluſio. ¶ Prima concluſio. Futura illa contingentia quæ dependent in fieri à cauſis indeterminatis ad vnum (qualia ſunt contingentia libera) non poſſunt ab Angelis cognoſci. Hæc concluſio eſt de fide & probatur ex illo Iſaiæ quadrageſimoprimo. vbi dicitur, Annũtiate quæ ventura ſunt in futurum, & dicemus quia Dij eſtis vos, & quadrageſimoquinto. Hæc dicit Dominus, Sanctus Iſrael, Plaſtes eius, vẽtura interrogate me, & capit. quadrageſimoſexto. Ego ſum Deus, & non eſt ſimilis mei, annuntians ab exordio nouiſsima, & ab initio, quæ nondum facta ſunt. Ex quibus locis colligunt Sancti, cognitionem futurorum contingentium adeò eſſe Dei propriam, vt ſoli Deo conueniat, ita Diuus Auguſtinus libro nono de ciuitate Dei. capit. vigeſimoſecundo. & Diuus Damaſcenus lib. ſecundo fidei orthodoxæ. capit. tertio & quarto, & capitul. vigeſimonono. dicit, quod ſoli Deo cognita ſunt. Iſidorus libro de ſummo bono. capit. decimo. ait, quæ futura ſunt Angelis, à Deo reuelantur, quia niſi reuelatione diuina cognoſcere ea non poſſunt. D. Chryſoſtomus Homilia decimaoctaua in Ioannem aſſerit, certa futurorum prædictio immortalis Dei ſolius opus eſt. Origenes libr. quarto Periarchon. cap. ſecũdo. Diuus Cyrilus, & Theodoretus ſuper illum locum Iſaiæ quadrageſimoprimo. Diuus Gregorius vigeſimooctauo moralium capit. ſeptimo. Tertullianus in Apologia vbi ait, quod dæmones ſimilantur diuinitatem, & idcirco contendunt diuinare futura, Euſebius. 5. de præparatione Euangelica. cap. decimo. Iuſtinus martyr quæſtione ſecunda. & 146. ad gentes. Et probatur ratione, quia futura contingentia non ſunt cognoſcibilia, niſi prout habent determinatam veritatem in ſua cauſa, ſed talia futura non habent determinatam veritatem in ſua cauſa, ſed tantum in determinatione voluntatis diuinæ, ergo cum Angeli non poſsint cognoſcere talem determinationem diuinę voluntatis, neque poterũt cognoſcere ipſa futura cõtingẽtia.

Secunda concluſio. ¶ Secunda concluſio. Angeli non poſſunt cognoſcere omnia futura cõtingentia, quæ participant aliquam libertatem. Senſus concluſionis eſt. Et ſi omnes cauſæ ſecundæ eſſent cauſæ naturales ſtante tamen cauſa prima libera, non poſſet Angelus cognoſcere omnia contingentia. Hæc concluſio probatur, quia poſita tali ſuppoſitione poteſt Deus diſpónere de effectibus cauſarum ſecundarum iuxta ipſius Dei voluntatem, ſed talis diſpoſitio non poteſt cognoſci ab Angelis, ergo.

Tertia concluſio. ¶ Tertia concluſio. Si prima & ſecundæ cauſæ eſſent naturales in operando, non eſt improbabile dicere, quod poſſet Angelus cognoſcere omnia futura in rerum natura. Probatur concluſio, nam intellectus Angeli comprehenderet virtutem cauſarum naturalium, ergo comprehenderet cauſam, & omnes effectus ad quos extendi poſſet, & per conſequens, cognoſceret effectus, & modum quo vnuſquiſque eorum à ſua cauſa emanaret, ergo cognoſceret omnia futura. Probatur ſequela, nam cauſalitas primæ cauſæ regulanda eſſet tunc iuxta cauſalitatem cauſarum ſecundarũ. ¶ Cõfirmatur, nã Angelus cõprehenſiuè cognoſceret virtutẽ cauſarũ ſecũdarum, ergo oẽs effectus quos poſſent & producerent.

Quarta cõcluſio. ¶ Vltima concluſio. Modo de facto Angeli non cognoſcunt omnia futura contingentia (quanuis non procedant à cauſa indeterminata, ſed procedant à cauſis determinatis) certò & determinatè, ſed tantum per cõiecturã quandã. Hæc cõcluſio probatur, quia cauſalia, & fortuita quæ (vt in pauciorbus, proueniũt ex ſuis cauſis) nõ habent vnde determinatè poſsint cognoſci ab Angelis, ergo. Probatur antecedẽs, quia non à virtute cauſæ, quia cũ virtus cauſæ ſemper eadem ſit, ſemper deberet prouenire talis

Dd effe-

effectus, ſed non contingunt niſi raro, ergo non poteſt cognoſci talis effectus per ſuam cauſam.

¶ Præterea. Quia ſunt quam plurima impedimenta quæ quanuis habeant aliquam cauſam, non tamen poſſunt facile reduci ad illam.

Secunda ratio. ¶ Vnde inferunt nonnulli, non eſſe credibile Angelum poſſe ex naturali cognitione, & ſola corporum cæleſtium, tantam futurorum mutuam varietatem, ſeu rerum cognoſcere in his inferioribus, nempe quot formicæ ſint futuræ ab hinc mille annis, & quoties mouebuntur, quot etiam muſcæ, aut vermes naſcentur, & alia id genus, quæ fiunt ex ſolo corporum cæleſtium motu, aut influentia quæ modo cerni non poſſunt, aut certo cognoſci, ſicut futuro tempore erunt. Ego fateor me non percipere quomodo poſſet Angelus iſta cognoſcere.

Ad argu. ad primũ. ¶ Ad argumenta reſpondetur. Ad primum cum Caiet. prima parte, quæſtione 14. articulo 13. negando conſequentiam, & ad probationem ſimiliter, & Caietanus reddit rationem diſcriminis dicens, quod cognitio Angeli non menſuratur æuo, in quo ſunt præſentia futura contingentia, ſed inſtanti temporis diſcreti. Cognitio vero diuina menſuratur æternitate, in qua ſunt præſentia futura contingentia ſecundum ſuum eſſe exiſtentiæ. Item addit, quod repræſentatio ſingularium temporalium per principium cognitionis Angelicæ (ſcilicet per ſpeciem intelligibilem) non menſuratur æuo; quia aduenit ipſi ſpeciei de nouo, quando ſingularia incipiunt exiſtere, eſſentia tamen diuina etiam quantum ad modum repræſentandi eſt omnino immutabilis, & menſuratur æternitate.

Impugnatio. ¶ Iſta tamen ſolutio non placet quibuſdam quia contra primum diſcrimen obijci poteſt, quod quanuis cognitio Angeli menſuretur inſtanti temporis diſcreti manet eadem difficultas, quod ſic probatur, inſtans temporis diſcreti poteſt coexiſtere vni horæ, & pluribus noſtri temporis, & eſt totum ſimul & indiuiſibile, ergo coexiſtit illi toti horæ ſimul & ex conſequenti, ea quę ſunt in extrema parte illius horæ, ſunt præſentia illi inſtanti, cum primum incipit eſſe. Contra ſecundum facile obiicitur, quia falſum eſt repræſentationem ſingularium materialium aduenire ſpeciei de nouo. Et ex conſequenti, etiam erit falſum quod propterea non menſuretur æuo.

¶ Confirmatur. Quia repræſentatio conueniens ſpeciei tam immutabilis eſt ſicut entitas ſpeciei, cum ſit aut eſſentia, aut modus abſolutus, & intrinſecus ſpeciei, ergo ſicut ſpecies quantũ ad ſuam entitatẽ menſuratur æuo, ita quantum ad repræſentationem. Vnde aliter reſpondetur negando antecedens (ſcilicet) in æuo eſſe præſentia futura contingentia, quia licet verum ſit futura eſſe præſentia in æternitate, quia æternitas coexiſtit omnibus partibus temporis, etiam futuris: tamen, quod æternitas ita coexiſtat tempori, non prouenit præciſè ex eo, quod ipſa ſit indiuiſibilis, & tota ſimul, ſed ex eo quod habet infinitam perfectionem in ratione durationis, & habet eam à ſe, & independenter ab omni extrinſeco, & hinc prouenit, quod contineat totam durationem temporis, & quod nullo modo dependeat ab aliquo futuro, vt coexiſtat tempori. At vero æuum, ſiue inſtans temporis diſcreti, quod ſecundum ſententiam Diui Thomæ eſt menſura cognitionis Angeli, non habet infinitam perfectionem in ratione durationis, & ideo, non continet totam durationem temporis, & præterea, vt coexiſtat tempori futuro dependet à conſeruatione propriæ entitatis, quæ eſt futura per correſpondentiam ad tempus, & ita non coexiſtit ſimul toti tempori, ſed ſucceſsiuè, quia coexiſtit, ſua entitate conſeruata ſucceſsiuè, per correſpondentiam ad tempus, quare ex eo quod eſt indiuiſibile, & caret ſucceſsione, ſolum habet quod poſsit coexiſtere partibus temporis, ſine ſucceſsione partium ſuæ entitatis, non tamen, quod coexiſtat ſimul, & ſine omni ſucceſsione, habeatque independenter ſimul correſpondentiam.

¶ Iſta tamen ſolutio quanuis in ſententia Diui Thomæ veritatem habeat, tamen in ſententia Doctoris non poteſt ſuſtineri. Et ratio huius eſt, quia ſecundum ſententiam Doctoris futura contingentia non cognoſcuntur à Deo, ex eo quod coexiſtunt in nunc æternitatis. Vt latè diximus in primo Diſputatione decima, quæſtione ſeptima. ſed cognoſcuntur à Deo, per determinationem diuinæ voluntatis, quare ad argumentum in ſententia Doctoris facilis eſt ſolutio. *Reſpõ. iuxta Doctorem.*

¶ Ad

Ad ſecun-dum. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, quod Angeli cognoſcunt naturæ ordinem, & diſpoſitionem cauſarum naturalium; tamen quia natura determinata eſt ad vnum, ſolum ex certo cognoſcunt, quæ ſunt determinata in ſe, vel in ſua cauſa, & cum multa ſint indeterminata in ſe, vel in ſua cauſa, quia poſſunt gubernari à voluntate diuina ſecūdum eius beneplacitum, ideo, quantuis nullum eſſet veſtigium libertatis in rebus creatis, adhuc tamen non poſſet Angelus omnes euentus futuros præſcire. Vel ſecundo reſpondetur quod ſunt aliqua, adeò minimæ entitatis, & conſiderationis, vt omnia impedimēta quæ poſſunt contingere omnibus cauſis ſecundis, vt nullum ſit inconueniens fateri, quantumcunque illa futura eſſent determinata in ſua cauſa, neutiquam Angelum omnia illa præſcire. Iuxta ea quæ diximus in vltima concluſione: quia talis determinatio in ſua cauſa non eſt omnimoda determinatio, qualis eſt, ſi omnes res eſſent inanimatæ.

Ad tertiū. ¶ Ad tertium reſpondetur, quod dæmones prædicunt futura, quam plurimis modis. Primo ex intelligentia Sacræ ſcripturæ cui licet inuiti credunt. Iuxta illud quod docet Diuus Athanaſius in vita Antonini, & colligitur ex Diuo Auguſtino de Trinitate capi. decimoſeptimo. & libro de diuinatione dæmonum: & Sanctus Thomas ſecunda ſecundæ, quæſtione 172. articul. ſexto. de quo videndus eſt Diuus Auguſt. octauo, de ciuit. Dei: cap. vigeſimotertio. & Auguſtinus Eugubinus. 3. de perenni Philoſophia. cap. decimonono.

¶ Secundò. Dæmones prædicunt futura ex diuina reuelatione, vt docet Diuus Auguſtinus ſecundo, ſuper Geneſim ad literam: capit. decimoſeptimo, & decimonono. & Diuus Thomas ſecunda ſecundæ, quæſtione 176. artic. ſexto. ad primum. vbi ait, quod prophetæ dæmonum non ſemper loquuntur ex dæmonum reuelatione, ſed interdum ex inſpiratione diuina, ſicut patet de Balan Numerorum vigeſimoſecundo. & ſtatim ſubdit D. Thomas, quod quandoq; prophetæ dæmonum admonitionibus inſtruūtur, & aliqua vera prædicunt, virtute quidem propriæ naturæ, cuius author eſt Spiritus ſanctus, quandoque etiam reuelatione bonorum ſpirituum, & ſic verum eſt illud, quod dæmones enuntiant ab Spiritu ſancto eſſe. Videndus eſt Diuus Auguſtinus vbi ſupra, vbi dicit quod Deus aliquando vult aliquos homines futura præſcire per dæmones, in pœnam eorum quibus iſta prædicunt, & iſto modo dicitur primo Regum vigeſimooctauo. prædictam fuiſſe Sauli mortem ſuam per dæmonem, qui ad vocem Pythoniſſæ apparuit in figura Samuelis. Ita docet Diuus Auguſtinus libro octuaginta trium quæſtionum, quæſtione ſexta, & ſecundo de doctrina Chriſtiana, capitul. vigeſimoſexto. & in quæſtionibus noui & veteris Teſtamenti, quæſtione vigeſimatertia. & in libro de mirabili ſucceſsione capit. vndecimo. Diuus Hieronymus, Iſaiæ ſeptimo. Ezechielis decimotertio, & Matthæi ſexto. Quanuis probabile multum ſit illam fuiſſe animā Samuelis, vt tenet Diuus Thomas prima parte, quæſtione 89. artic. quarto. ad ſecundum, & ſecunda ſecundæ, quæſtione ſeptuageſimaquarta. articul. quinto. ad quartum. & Petrus Galatinus ſecundo libro de arcanis Sacræ ſcripturæ capit. octauo. Arboreus libro. decimoſeptimo. Theoſophiæ capit. quinto. & libr. primo Regum capit. vigeſimooctauo.

¶ Tertio prædicunt futura dæmones, quæ ipſi ſunt operaturi, vel quādo à Deo fieri vident, & velociter dicunt in vno loco, quæ vident fieri in alio, & ſic prædicunt aduentum inimicorum.

¶ Quartò prædicunt etiam futura, quæ ſunt determinata in ſuis cauſis, nobis tamen occulta, vti mors repentina alicuius.

¶ Vltimo etiam prædicunt ſumendo experientiam ab inclinatione cuiuſque: quam homo diſcolus, & male morigeratus ſemper ſequitur, præcipuè quando homines ad hunc malitiæ ſtatum veniunt, vt potius inferant vim ſuæ inclinationi, quam illā refrænent, & ſic dæmones poſſunt illis aliqua prædicere per quandam coniecturā, quam deſumunt ex inclinatione ipſius hominis. Certum tamen eſt nunquam dæmones futura prædicere, quæ vere futura ſint ex viribus ſuis. Vnde ad argumentum in forma neganda eſt maior.

TEXTVS.

Licet aliqui dicant, quod Angelus poteſt intellectionem ſuam per actum voluntatis ſuæ occultare: & non occultare, & iſtud non occultare eſt loqui, tamen

non videtur, quare aliquod actu intelligibile eſſet præſens intellectui paſsiuo, & nõ poſſet ipſum immutare, nec videtur maior ratio, quare per voluntatem ſuam poſſit occultare magis intellectionem ſuam, quam eſſentiam, quare etiam alius Angelus cui vult occultare intellectionem ſuã, non poteſt videre illam volitionem ſi ponatur illã, occultari, ergo per aliam volitionem, & ſic in infinitum, Diſtinct. 9. quæſt. 2. infra literam. M. in ſolutione ad primum.

EXPLICATIO LITERÆ.

DOctor in hac litera reſpondet cuidam quæſtioni, ſcilicet, quomodo vnus Angelus poteſt alteri loqui, & primo aſsignat ſententiam Diui Thomæ prima parte, quæſtione 57. art. quarto. aſſerentis, ex eo vnum Angelum alteri Angelo loqui, quia poteſt Angelus occultare ſuã intellectionem, & non occultare illam, & illud non occultare eſt illi loqui. Contra iſtam rationem arguit Doctor, dicens, Si Angelus occultat talem intellectionem, debet eſſe per voluntatem, ſed illa volitio qua Angelus occultat talem intellectionem, eſt ita intelligibilis ſicut & ipſa intellectio, ergo per aliam volitionem debet illã occultare, & per conſequẽs debet dari proceſſus in infinitum, vel deueniendum eſt ad aliquam volitionem, quam non poſsit Angelo occultare. Quia tamen circa iſtam rationem Doctoris grauis ſeſe nobis offert difficultas & controuerſia operæpretium erit præſentem diſputare quæſtionem.

QVÆSTIO VII.

¶ *Vtrùm cogitationes cordis, intellectiones, & volitiones producta in eſſe reali ſint naturaliter cognoſcibiles ab Angelis.*

DE hac re duplex eſt principalis ſententia: dico duplicem eſſe tantum, quia quamuis quam plurimæ aliæ ſint, reducuntur tamen ad iſtas duas, tanquam probabiliores, & quæ in hac re aliquam veriſimilitudinem habent. Eſt igitur prima ſentẽtia Diui Thomæ prima parte, quæſt. 57. artic. quarto, & omnium expoſitorum aſſerentium nequaquam Angelum (ſi ſuæ naturæ relinquatur, & non impediatur) poſſe cernere, & videre viribus ſuæ naturæ cogitationes, & affectiones liberas alterius Angeli, taliter quod oppoſitum dicere eſt cõtra ſcripturam. Vt autem explicent ſuam ſententiam aduertunt primo, quaſdam eſſe operationes penitùs naturales, & omnino extra genus moris, ſicuti ſunt operationes animæ vegetatiuæ, & naturales motus appetitus, & voluntatis. Eſt etiam ſecundum genus earum operationum, quæ in nobis ſunt, in quo comprehenduntur operationes prorſus humanæ, & liberæ, quæ deliberatæ procedunt, & eliciuntur ab intellectu, & voluntate. Tertium genus eſt earum, quæ dicuntur actus imperati, in quibus, præter ſpeciem naturæ inuenitur directio intellectus, & participatio quædam libertatis, ſicuti ſunt actus exteriores, vt ſcribere, ambulare, & porrigere eleemoſynam: quæ etiam pertinent ad genus moris. Adde etiam quod inter cauſas naturales, & morales eſt maximum diſsidium, nam cauſæ naturales mouentur potius, & diriguntur ad finem quem (vel) non cognoſcunt (vel) neſciunt rationem mediorum, per quæ tranſeunt, ſicut hirundo, quanquam nidum ex cognitione conſtituat, neſcit tamen proportionem mediorum, quæ ponit. Cauſæ vero morales non ſolum ſe mouent ex appetitu finis, verum etiam dirigunt ſuas actiones, ex conſilio & ratione finis præconcepti. Quocirca exigunt ſpecialem rationem prouidentiæ, non ſolum quantum ad directionem, verum etiam quantum ad retributionem operum, eo quod naturalia neque mereri poſſunt, neque culpabiliter deficere, quæ tamen moralibus agentibus accidunt, propter quod Deus eſt immediatus iudex creaturæ rationalis.

Prima ſententia.

1. Notab.

¶ Secundò aduertunt, quod triplex eſt rerum ordo. Primus eſt ordo rerum ſupernaturalium, & in hoc ordine conſtituuntur actus ſupernaturales, & dona ſupernaturalia, gratia, & gloria. Secundus ordo eſt actuum, qui ſunt ſimpliciter, & formaliter liberi, & voluntarij: cuiuſmodi ſunt actus immediatè eliciti ab intellectu & voluntate, per facultatem liberi arbitrij. Tertius eſt ordo rerum naturalium, vt condiſtinguuntur *2. Notab.*

guntur contra actus liberos, & ad hunc ordinem reducuntur illi ſubiti actus intellectus, & voluntatis præuenientes voluntatem, & actus aliarum potentiarum, ea parte qua producuntur ab eis, quanquam libere imperentur à libero arbitrio.

¶ Differunt tamen huiuſmodi ordines, quia primus eſt ſimpliciter ſupernaturalis, ac proinde excedit omnem facultatem naturalem, & cognitionem naturalem. Secundus autem eſt naturalis (vt opponitur ſupernaturali) ſed vt diſtinguitur à tertiò gradu, eſt alterius ordinis ab eo, obtinetque ſupremum gradum in rerum natura, & dicit immediatum ordinem ad primum cauſam. Nam ſolus Deus poteſt efficaciter mouere illas potentias in ordine ad tales actus liberos.

3. Notab. ¶ Tertiò aduertunt, quod quilibet Angelus naturaliter cognoſcit naturales, & neceſſarias cogitationes, & affectiones alterius Angeli. Volo dicere, quod cogitationes, & volitiones neceſſariæ quantum ad exercitium ipſius Angeli, quæ pertinent ad ordinem naturalem, & non ad ordinem liberum, illæ quidem cognoſcuntur ab Angelo naturaliter, quæ ſanè doctrina communis eſt apud Theologos in quo omnes conueniunt. Quoniam huiuſmodi cogitationes, & affectiones naturales, & neceſſariæ quantum ad exercitium pertinent ad ordinem naturalem, & ad naturalem Angeli perfectionem, ſed quilibet Angelus naturaliter poteſt cognoſcere non ſolum quidditatem alterius, ſed etiam omnia quæ illi neceſſario conueniunt & connectuntur: explorata igitur debet eſſe doctrina hæc.

Prima propoſitio huius ſententiæ. ¶ His igitur ſic conſtitutis talem concluſionem aſsignant. Nulli creaturæ conuenire poteſt neque Angelo ex facultate naturæ cognoſcere cogitationes liberas, ac ſubinde in Angelo non eſt virtus naturalis ſufficiens ad cognoſcendum iſtos actus morales.

Prima ratio. Hanc concluſionem probant primo, quia non tantũ ex Sanctis colligitur Deum cognoſcere hos actus liberos de facto, ſed etiam ſolum illum hoc poſſe ex propria virtute, vnde licet loquantur aliquando per propoſitiones de ineſſe, tamen æquiualent propoſitionibus de poſsibili, vt in alijs ſimilibus. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, id eſt; quod poſſumus non habere per naturam, & aliquando teſtimonia ſcripturæ loquuntur de poſsibili, vt Hieremias decimoſeptimo. Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile (id eſt) quod à ſolo Deo ſcrutari poteſt, vt interpretatur Hieronymus, & Auguſtinus decimooctauo, de ciuitate Dei, capite trigeſimotertio.

Secunda ratio. ¶ Secundò. Nam eodem modo dicunt Sancti eſſe proprium Dei cognoſcere cogitationes, & futura contingentia, ſed cognoſcere futura conuenit ſoli Deo non ſolum de facto, ſed etiam de poſsibili, ergo.

Tertia ratio. ¶ Tertiò. Quia non eſſet conueniens prouidentiæ, quod Deus non conferret ſuum concurſum alicui virtuti naturali in omnibus ſpeciebus, & indiuiduis, maximè ſecundum naturalem prouidentiam, ergo ſi Angeli haberent virtutem naturalem ad hoc actus cognoſcendos, Deus non denegaret concurſum ſuum.

Quarta ratio. ¶ Quartò. Si Angeli poſſent naturaliter cognoſcere liberas aliorum cogitationes, non indigerent loquutione ſecundum naturam ſuam, quod eſt contra modum rationalis creaturæ.

Quinta ratio. ¶ Quintò. Scriptura ſacra, & Sancti eodem modo dicunt eſſe proprium Dei cognoſcere cogitationes, & intentiones cordis humani, ſicut & præſcire futura, & ſicut hominem iuſtificare, & mortuos ſuſcitare, ſed hæc nulli creaturæ poſſunt natura ſua conuenire, ergo neque illud.

Confirm. ¶ Confirmatur. Quia ſi id poſſet propria virtutis Angeli conuenire non ſumeretur argumentum efficax ad probandum diuinitatem Chriſti ex eo, quod cognoſceret cogitationes hominum, ſed vniuerſaliter Diuus Paulus hoc habet pro euidenti ſigno ad probandum diuinitatem Chriſti: vt primæ ad Corinthios decimoquarto, & in alijs locis, ergo.

Confir. 2. ¶ Et confirmatur ſecundò, ex illo Lucæ quinto. Vt cognouit Ieſus cogitationes eorum, &c. Vbi Beda, Theophilactus, & Diuus Auguſtinus de Eccleſiaſticis dogmatibus capit. 89. & libro decimotertio. contra Fauſtum, capit. octauo. & tractatu trigeſimoſecundo, & trigeſimotertio. in Ioannem, & ſecundo retractationum. cap. 30. limitat quod dixerat libr. de diuinatione Dæmonum, & Diuus Damaſcenus, libr. ſecundo fidei, capitul. quarto. & Cirillus libro ſecundo in Ioannem, capit. decimonono. & libro tertio, capit. tertio. & libr. quarto, capit. quinto. & Diuus Ambroſius, oratione de

ne de obitu Theodoſij, & Chryſoſtomus Homilia trigeſima in Matthæum, & vigeſimatertia in Ioannem. Athanaſius libro, de quæſtionibus ſcripturæ. Et denique omnes Sancti colligunt in Chriſto fuiſſe certum ſignum diuinitatis, quia cognoſcebat cordium cogitationes. Vnde ad Hebræos quarto, dicitur, Diſcretor cogitationum, & intentionum cordis, & primæ ad Corinthios ſecundo, quæ ſunt hominis nemo nouit niſi ſpiritus hominis, qui eſt in ipſo, id eſt, nulla alia creatura. Et Actorum primo. Tu Domine qui noſti corda hominum. Et ſecundo Paralipomenon ſexto. Tu reddis vnicuique iuxta vias ſuas, quas noſti habere in corde ſuo, ſolus enim tu noſti corda filiorum hominum. Vnde propheta. Ego Dominus ſcrutans renes, & corda, ergo cum proprium ſit Dei cogitationes cognoſcere, non poterit Angelis conuenire, & per conſequens nullo modo poteſt cum veritate ſtare, quòd Angeli ex natura ipſorum poſſunt niſi à Deo impediantur cogitationes cordium cognoſcere.

¶ Quod ſi reſpondeas cum Scoto, quod ſolus Deus cognoſcit cogitationes cordium, ita vt à nullo poſsit impediri eius cognitio, Angeli vero impediri poſſunt, tum à Deo non concurrente cum illis: tum etiam ab altero Angelo, ſi fiat diſtans, & fugiat, quod ſanè ridiculum eſt, quia localis diſtantia Angelorum, non impedit intuitiuam cognitionem, magiſquam impediatur cognitio elementi terræ, quæ ſupremo cælo empyreo maximo diſtat.

¶ Deinde ſi Scoti reſponſio vera foret, pari ratione poſſemus dicere, proprium eſſe ſolius Dei cognoſcere res naturales, patet quia ſolus Deus habet potentiam cognoſcitiuam, quæ à nullo impediri poteſt, Angelus vero impediri poteſt per non concurſum Dei, vel per maximam diſtantiam creaturæ cognoſcendæ, ergo nullo modo prædicta ſolutio Scoti poteſt admitti.

¶ Imo ſequitur ex Scoti reſponſione, quod naturæ author Deus non contulit Angelis facultatem manifeſtandi ſuas cogitationes, patet, quia tota neceſsitas Angelicæ loquutionis ſumitur ob id, quod vnus Angelus non poteſt alterius mentem penetrare, & cognoſcere.

¶ Rurſus ſi natura ſua poſſent Angeli percipere cogitationes hominum, ergo contra naturam ipſorum impediti ſunt, vt vſu perpetuo huius facultatis careant, dicere autem (vt Gabriel reſpondet) quod fortaſsis aliquando, imo frequenter permittuntur vti huiuſmodi facultate, hoc certè contra expreſſam ſententiam Sanctorum eſt, qui ſolum Deum dicunt cognoſcere huiuſmodi cogitationes liberas, vt probatum eſt ſupra.

¶ Dicere autem ſecundo (vt Gabriel reſpondet) quod hoc non eſt mirum, quia etiam perpetuo Dæmones impediuntur à pleriſque iacturis, & calamitatibus quas inferre poſſunt humano generi, ſi ſuæ naturali potentiæ permitterentur, non ſatisfacit, quoniam hoc fit, tum in pœnam ipſorũ: tum etiam, quia quanuis, id naturaliter poſſunt, ſed maligne volunt, & non ſecundum rationem.

¶ Et præterea, hoc velle peſsimum etiam eſt in dæmonibus ipſis, at vero impedire Angelum ab vſu virtutis naturalis, qua poſsit cognoſcere ſecreta cordium vniuerſale eſt, tam bonis, quam malis conueniens, vnde non poteſt eſſe in pœnam, & ſaltem boni non vterentur hac facultate, niſi rationabili vtilitati, ergo ſaltim Angelis bonis non eſt ablata talis facultas cognoſcendi ſecreta cordium, & per conſequens, in ſententia Scoti Angeli boni cogitationes cordium cognoſcere poſſunt.

¶ Sextò. Quia ex ſententia Scoti ſequitur, nullum eſſe miraculum, ſi Angeli omnes ſemper cognoſcerent huiuſmodi cogitationes, imo vero miraculum perpetuum eſt, quod non cognoſcant, ſi haberent ad id naturalem potentiam. *Sexta ratio.*

¶ Sequitur rurſus, quod non eſſet neceſſaria loquutio vnius Angeli ad alterum. Patet, quia ſi naturale eſt, vt pateant corda hominum Angelis, naturale eſt etiam, vt pateant conceptus cuiuſlibet Angeli, ergo cum loquutio nihil aliud ſit quam aperire conceptum, tunc in caſu poſito illa non eſſet neceſſaria, quod eſt cõtra communem modum dicendi, & concipiendi.

¶ Septimò. Nam ſicut pertinet ad dignitatem naturæ humanæ, quod à ſolo Deo immediatè moueatur: ita, & ad eius libertatem, quod ſolum Deum habeat inſpectorem cordis, eo quòd, ea quæ fiunt coram multis, neceſsitate quadam fieri videntur: quod ſi omnes Angeli ſecreta cordis viderent, coram maxima multitudine operaretur rationalis natura: vnde iuſti magnopere gau- *Septima ratio.*

gaudent, quod ſoli Deo nota ſunt eorum arcana, iuxta illud Iob decimoſexto. Ecce in cælis teſtis meus, & conſcius meus in excelſo. Profectò derogare videtur diuinæ maieſtati, & authoritati, quam habet ſuper rationalem naturam, ſi cordis occulta Angeli cognoſcerent. ¶ Vltimò non eſt conſentaneum rationi, quod nobiliſsima creatura in omnibus ſuppoſitis impediatur ab eo opere, quod naturaliter illi conueniebat, quia ſuauis rerum diſpoſitio ita diſponit, vt vnumquodque conſtituatur, ſicut aptum natum eſt diſponi, ſed nullus Angelus cognóſcit ſecreta cordis humani, ſicut ex præcedenti conſtat, ergo non poſſunt naturaliter eos cognoſcere.

Octaua ratio.

Confirm. ¶ Et confirmatur. Quia ad rectam rationem, & ordinem conuenientem gubernationi cuiuſcunque rationalis creaturæ ſpectat, vt liberæ affectiones, & cogitationes, non omnibus pateant, ergo eſt fundamentum in tali natura, & via naturalis cur illi actus ſint occulti, ergo ex natura ſua occulti ſunt, ergo in alijs non eſt virtus ſufficiens ad illos cognoſcendum.

Vnde proueniat cogitationes cordis eſſe occultas et actus liberos.

¶ Quod ſi quis quærat ab iſtis Doctoribus vnde proueniat cogitationes cordis eſſe occultas ex natura ſua, Reſpondent quibuſdam concluſionibus, quarum prima eſt, quod actus liberi idcirco ſunt occulti, & non poſſunt naturaliter ab Angelis cognoſci, quia non repræſentantur per ſpecies, quas habent Angeli naturaliter congenitas. Et ratio eſt, quia ſpecies illæ primo & per ſe repræſentant res naturales, & conſequenter, ea quæ habent neceſſariam connexionem cum illis. Actus autem liberi ſunt ſuperioris ordinis, & rationis, neque habent neceſſariam connexionem, cum alijs rebus naturalibus, & idcirco, non repræſentantur per illas ſpecies. Et hæc videtur communis via Thomiſtarum, quam ſignificat Ferrara, ſecundo contra Gentes capitul. 154. neque diſſentit Caietanus in præſenti, imo expreſsè illam docet. Et ſanè re intellecta, hæc opinio probabilis eſt; quia Angelus non poteſt intuitiuè cognoſcere iſtos actus ante loquutionem; quia in ſe ipſo non eſt ſufficienter conſtitutus in actu primo ad habendam talem notitiam intuitiuam, ergo non habet ſpecies, quibus cognoſcat liberas cogitationes. Nã ſi ſic eſſet conſtitutus in actu primo per lumen & ſpecies, non poſſunt occultari ab alio, ſed ſolum à Deo miraculoſe poſſent occultari. Quæ res ſufficienter explicari poteſt ex ſenſibilibus, in quibus impoſsibile eſt, quod ſpecies (verbi gratia ſoni) differatur vſque ad auditum & quod auditus in ſe recte ſit diſpoſitus ad audiendum, & tamen quod ille ſonus ſit occultus auditui, & idem eſt in obiecto viſibili, &c. Et à fortiori in ſpiritualibus maximè cum in illis non ſit dependentia à medio extrinſeco. ¶ Confirmatur. Quia neque exponi, neque intelligi poſſe videtur, quomodo occultetur obiectum potentiæ intellectiuæ ſi illa habeat omnia requiſita, & proportionatas ſpecies ex parte ſua ad cognoſcendum illud obiectum, ergo ratio quare actus liberi non cognoſcuntur ab Angelo, neque poſſunt naturaliter cognoſci eſt: quia non repræſentantur per ſpecies quas habent congenitàs. Quoniam ſi Angelus à principio haberet ſpecies intelligibiles repræſentatiuas iſtarum cogitationum, & lumen ſufficiens, nulla poſſet aſsignari ratio, cur cogitationes iſtæ iam exiſtentes non cognoſcerentur ab Angelo. Neque ſatis eſt dicere, quód cogitatio libera eſt obiectum improportionatum reſpectu cognitionis naturalis Angeli. Nam rogo, ſi Angelus habet proportionatas ſpecies, & lumen ſufficiens, in quo poteſt eſſe cogitatio illa obiectum improportionatum? aut quid accipit, & habet cogitatio illa libera, quando cognoſcitur, vt fiat obiectum proportionatum reſpectu potentiæ Angelicæ iam habentis ſpeciem intelligibilem & ſufficiens lumen? Nam ſuppoſito lumine gloriæ & ſpecie intelligibili in intellectu beati, eſſentia diuina eſt proportionatum obiectum in ratione obiecti, quamuis non in ratione entis. Præterea dicere, quod obiectum eſt improportionatum, eſt nihil dicere, quia neque eſt improportionatum in ratione motiui, neque in ratione terminatiui; ſiquidem intellectus habet ſpeciem repræſentatiuam obiecti, à qua moueatur non dependentem ab obiecto. Et rurſus, obiectum habet ſufficiens lumen, quo illuſtretur in intellectu Angeli, & eſſe terminum cognitionis, & intellectionis præter lumen & ſpecie obiecti repræſentatiuã nõ ponit aliquid in obiecto, niſi extrinſecã denominationẽ, ergo. ¶ Præſertim, ꝙ manifeſtatio cogitationis liberæ, non aliter fieri poteſt, quam per ſpeciem intelligibilem, &

lumen, ergo implicatio eſt in dictis aſſeuerare, quod cogitationes liberæ occultantur ab Angelo habentes ſpecies intelligibiles earum repræſentatiuas, & ſufficiens lumen ad videndum & intelligendum eas.

¶ Quod ſi quæras ab iſtis quando Angelus acquirit, vel habet ſpecies quibus cognoſcat cogitationes cordium? Reſpondent, ꝙ à Deo in eo inſtanti, quo Angelus alteri loquitur, & manifeſtat cogitationem liberam, alter Angelus de nouo accipit ſpeciem repræſentatiuam illius cogitationis, ita inſinuat D. Tho. de veritate. quæſt. 8. arti. 13. & ſatis probabile eſſe perſuadent Caietanus & Ferrara.

Secunda propoſitio. Prima ratio. ¶ Secundam propoſitionem aſsignant prædicti dicentes probabiliſsimum eſſe quod Angeli in cognoſcendis cogitationibus cordium, non acquirunt de nouo ſpecies, ſed habuerunt illas à principio ſuæ conditionis inditas. Probant primo, quoniam actus liberi, quamuis ſint ſuperioris ordinis ab ordine naturali, & ab homine, prout ingreditur eundem ordinem naturalem, non tamen ſunt alterius ordinis ab homine, quatenus homo ingreditur ordinem moralem, & rationem liberi arbitrij.

¶ Et præterea, cogitationes liberæ pertinēt ad ordinem huius vniuerſi, cum ſint actiones optimæ creaturæ propriæ ſpectātes ad ordinem eiuſdem vniuerſi, imo ad perfectā rationem, & perfectum ordinem vniuerſi ſpectat, vt in eo contineantur operationes morales, & liberæ, & id maximè expediebat iuxta prouidentiam Dei. Ex quibus omnibus infertur, quod Angelus à principio habuit ſpecies inditas, non ſolum pertinentes ad ordinem naturalem, ſed etiam pertinentes ad ordinem moralem, quatenus homo, & Angelus, eorumque operationes in vtroque ordine naturali, & morali iſtius vniuerſi continentur: ſi enim homo, vt homo pertinet ad ordinem vniuerſi, ergo vt habens liberum arbitrium, ergo vt liberè operans, mirabile nanque eſſet, quod homo pertineret ad ordinem vniuerſi, & quod operationes hominis (vt ſic) non pertinerent ad eundem ordinem: expediebat, ergo reſpectu eiuſdem ordinis, Angelum habere ſpecies etiam in ordine ad operationes.

Confirm. ¶ Et confirmatur, quia vniuerſum non ſolum continet ordinem naturalem, ſed etiam moralem, & ideo dicitur vniuerſum, eo præſertim, quod operationes morales à libero arbitrio procedunt, quod eſt potentia naturalis hominis liberè agens, & illi naturaliter debita, fuit igitur conueniens, vt quilibet Angelus à principio haberet ſpecies intelligibiles inditas operationum pertinentium ad ordinem ipſius vniuerſi, in quo ipſe homo, & eius operationes liberæ continebantur.

¶ Secundò. Quoniam ad cognoſcendum quid Angelus cogitat, vel homo, de curſu Pauli non indiget niſi ſpeciebus repræſentantibus curſum, & Paulum, ſed has habuit Angelus à principio, ergo non indiget niſi applicatione, & vſu earundem ſpecierum facta loquutione alterius Angeli ad ipſum. *Secunda ratio.*

¶ Confirmatur. Quia ſi cogitat Angelus de morte Petri, ſufficit quod habeat ſpeciem repræſentantem Petrum, vitamque ipſius, & priuationem. Nam præter hæc, ſola compoſitione indiget. Habet præterea Angelus ſpeciem inditam, qua cognoſcit, quid ſit ſecundum eſſentiam cogitare, & intelligere, & quid ſit cogitatio libera, vel neceſſaria, igitur applicatis, & compoſitis ſpeciebus rerum, poterit componendo & diuidendo ſuppoſita loquutione alterius Angeli, ſine noua acquiſitione ſpecierum cognoſcere cogitationes quæ ei ab Angelo manifeſtantur, *Confirm.*

¶ Tertio probatur ex Diuo Thoma de veritate quæſtione nona, articul. nono. ad vndecimum. vbi inquit, quod Angelus per ſpeciem innatam, per quam cognoſcit alium Angelum, eius etiam cogitationes cognoſcit, cum primum ab altero Angelo ſibi reuelantur, & quidem (ſuppoſito, quod in Angelis non eſt intellectus agens) explicari non poteſt, quo pacto Angelus abſtrahat ſpeciem à cogitatione alterius manifeſtantis ſibi cogitationem. Nam Angelus loquens ſuamque manifeſtans liberam cogitationem, non poteſt eſſe cauſa efficiens illius ſpeciei, alioqui illaberetur menti, & intellectui ipſius cogitantis, quia vbi non eſt operari non poteſt. *Tertia ratio.*

¶ Vltimò. Si Angelus non haberet à principio ſpecies inditas, ſed eas de nouo acquireret, quoties alter Angelus illi loquitur, ſequeretur primo, ꝙ ſi omnes Angeli vni loquerentur, tot ille reciperet ſpecies, quot ſunt cogitationes, quæ manifeſtantur illi. Et ſecūdo etiam ſequeretur, quod quotieſcunque Angelus loquitur ad Angelum tot ſpecies intelligibiles imprimerentur de no- *Quarta ratio.*

no,

uo, quot cogitationes illa reuelantur & manifeſtantur.

Tertia propoſitio. ¶ Tertia propoſitio eſt. Intellectus Angelicus non habet ſufficiens lumen, ad manifeſtādum cogitiones cordis, antequam manifeſtentur ab ipſo cogitante, quando loquitur, tunc enim facta loquutione Angeli quodammodo reducuntur ad ordinem naturæ reſpectu intellectus cui fit manifeſtatio, & loquutio. Adde etiam, quod cum ſpecies intelligibilis debeat proportionari intellectui Angelico, ſimiliter de ipſa eſt affirmandum, quod nūquam repræſentabit aliquod obiectum in actu ſecundo, niſi illud habeat connexionem, & coordinationem cum ordine naturali vniuerſi reſpectu intellectus Angeli, cui obiectum manifeſtatur. *Prima ratio.* Probatur hæc propoſitio, quoniam ſi tale lumen eſſet perfecte ſufficiens, & rurſus intellectus Angeli haberet ſpecies poſſet naturaliter cognoſcere cogitationes cordiū, quod exploſum eſt in prima propoſitione, vnde lumen intellectus Angelici naturaliter habet determinatum quendam modum manifeſtandi res cognoſcibiles, ita ſane vt illa præciſe manifeſtet intellectui Angelico, quæ proportionem habent cum naturali ordine vniuerſi.

Secunda ratio. ¶ Secundò. Quia ſpecies intelligibilis ſecūdum ſe repræſentatiua eſt exiſtentiæ contingentis, non tamen illam vnquam repræſentat, in ſe re ipſa actu iam exiſtente, ſic etiam dicendum eſt quod licet ſpecies Angeli quas à principio accepit, ſint repræſentatiuæ cogitationum cordis vt tamen illas actu repræſentet neceſſarium fore, eſſeque conditionem ex parte obiecti terminatiui neceſſariam; quod eadem cordis cogitatiò per liberam voluntatem cogitantis ordinetur ad intellectum alterius Angeli, quocirca non ſatis erit cogitationem exiſtere in actu in rerum natura, vt per illam ſpeciem repræſentetur, ob id quod ſola exiſtentia, nō conſtituit cogitationem intra ordinem naturalem vniuerſi, reſpectu intellectus alterius Angeli.

¶ Vltimo. Probatur ex D. Thom. in hoc articulo dicente, quod cogitationes Angeli prout ſunt in intellectu, & affectiones prout ſunt in voluntate à ſolo Deo cognoſcuntur.

Quarta propoſitio. ¶ Quarta propoſitio eſt. Cogitationes liberæ non idcirco dicuntur occultę, neque ſubducuntur à naturali cognitione Angelici intellectus, quia ſunt excellentis entitatis, ſed duntaxat propter modum præternaturalem quem habent ad ſui productionem, hoc eſt dicere, quod libera cogitatio occulta eſt propter modum liberum, quem habet, videlicet, quia libera cogitatio pertinet ſolum ad liberam cogitantis voluntatem; quocirca occulta eſt cogitatio cordis libera, quoniam ſola libera voluntas ſine dependentia à cauſa aliqua creata, naturali determinat productionem illius cogitationis. Hāc propoſitionem expreſſe docet D. Tho. in hoc articu. vbi ait quod cogitationes, & affectiones elicitæ liberæ, prout ſunt in intellectu, & voluntate Angeli à ſolo Deo cognoſci poſſunt. Cuius ratio eſt, quia voluntas ſoli Deo ſubiacet, & ipſe ſolus in ea operari poteſt, & ob id ea quę ex voluntate ſola depēdent, vel quæ in volūtate ſola ſunt, ſoli Deo nota ſunt, & ideo ſola voluntas poſt Deum plenarium habet dominium ſuarum cogitationum, ſic adeò, vt in poteſtate ſolius voluntatis poſitum ſit ordinare cogitationes ſuas cuicunque ſibi libuerit eas illi ſubijcere, profecto ſanctiſsimus præceptor pro ratione, (cur ſolus Deus cogitationes liberas cognoſcere poteſt, & cur ſint occultæ) aſsignat, quod voluntas ſoli Deo ſubiacet, in quā ille ſolus operari poteſt, nam modus libere operandi ipſius volūtatis in cogitationibus cordium ab omnibus cauſis naturalibus eſt exemptus. Ex his ſequitur ratio, cur cogitationes cordium, ſint occultæ, nempe, quia intellectus Angeli, ſolum habet facultatem naturalem ad illa cognoſcenda; quæ pertinent ad ordinem naturæ, ſed cogitationes, & affectiones liberæ cordis non pertinent ad ordinem naturæ, niſi manifeſtētur ab Angelo loquente, & manifeſtante, ergo id circo occultæ ſunt. *Cur cogitationes cordium ſunt occultæ.* Declaratur hæc ratio. Nā ad ordinem naturæ ea ſola pertinent, quæ ſunt ſubſtantia, aut accidentia, quæ habent connexionem & dependentiam à cauſis naturalibus præciſe, cum ergo cogitationes liberæ pendeant à cauſa libera, & non habeant connexionē, & dependētiam ſolum à cauſis naturalibus, ſequitur, quod ſunt exemptę ab ordine rerum naturalium, nam cauſa naturalis dicit determinatam habitudinem ad vnum ſicut natura ipſa.

Quinta propoſitio. ¶ Ex quo colligitur cogitationes cordium pertinere ad quendam ordinem ſuperiorē, non quidem ſupernaturalem, ſed exemptū, & liberum ab ordine naturæ, vt ſupradictū

eſt, in poteſtate ſolius voluntatis libere volentis, & ipſius cogitantis poſitum eſt eaſdem patefacere cogitationes liberas, illas ordinando ad intellectum alterius. Quocirca, talis ordinatio conſtitutiua eſt illius cogitationis in eſſe naturalis cognoſcibilis, niſi entitas eius (hoc eſt) illius cogitationes ſit ſupernaturalis, & ſupernaturam excedens, & ſuperans totum ordinem naturæ, quoniã cogitatio moralis libera nõ ob aliud ſubducebatur à cognitione naturali Angeli, niſi, quia pertinebat ad ſolum ordinem liberum, & ad ſolam voluntatem liberã, plenè & perfectè illi dominantem, ex quo plenario, & perfecto dominio cogitans poteſt cogitationem ſuam ſubijcere alteri, tanquam obiectum intellectus alterius.

Quinta propoſitio. ¶ Quinta propoſitio prædictorum eſt, Angelus non eſt ſufficienter cõſtitutus in actu primo ad cognoſcendum intuitiuè actus alterius Angeli, per loquutionẽ autem fit, vt poſsit illos intuitiuè cognoſcere, quo circa per eandẽ loquutionem Angelus factus eſt in actu primo, quia ante loquutionem non erat, hæc concluſio facile intelligitur ſuppoſito quod poſt loquutionem vnus Angelus poteſt euidenter, & intuitiuè cognoſcere actum loquentis.

Notab. 1. De loquutione Angelorum. ¶ Aduerte tamen non eſſe neceſſariũ quod hæc impreſsio loquentis fiat per productionem nouæ ſpeciei omnino diſtinctè à præexiſtentibus in Angelo, ſed ſufficit, quod ſit quædam veluti intenſio, vel extenſio alicuius ſpeciei ex præexiſtentibus. Imaginandum eſt enim, Angelum habere ſpeciẽ congenitam repræſentantem alium Angelum, vel actus intellectus, & voluntatis ſecũdum ſpecificas rationes, quæ tamen à principio non repræſentat omnes actus in indiuiduo propter rationes commemoratas. Illa ergo ſpecies perficitur magis per loquutionem, & augetur eius repræſentatio, vt ſe ſe extendat ad hunc, vel illum actum in indiuiduo, & cum hoc ſufficiat, nõ eſt cur ponamus nouam ſpeciem, quamuis negari non poſsit, noua aliqua efficientia circa talem ſpeciem, quod eſt contra Caietanum & alios, quia illa ſpecies ante loquutionem non repræſentat actum formaliter, poſt loquutionem vero repræſentat, ergo facta eſt in illa aliqua mutatio, quia talis repræſentatio eſt modus intrinſecus ſpeciei, non ergo poteſt addi. Quod ſi quæras? qualis eſt iſta efficiẽtia Angeli loquentis circa ſpeciem alterius, Reſpõdetur, quod hæc efficientia ſit immediate per ipſum actum, qui manifeſtatur, per loquutionem autem fit tanquam per rationẽ agendi, quia ille eſt quaſi obiectum impreſſiuum ſuæ repræſentationis.

¶ Vt autem plenior de hac re habeatur notitia, quæſtioni, quo pacto in Angelis fiat manifeſtatio iſtorum actuum, ſeu cogitationum cordis reſpondetur quæſtio. 3. quod inter omnes ſententias illæ duæ probabiliores ſunt, quæ ſunt Alexandri, & Ricardi, modo ab ipſis interpretatæ. Nempe hanc manifeſtationem conceptuum inter Angelos, & loquutionem fieri per hoc quod Angelus qui loquitur imprimit alteri ſpeciem ſui actus, quam antea non habebat, & per hanc actualem efficientiam, & impreſsionem, alter excitatur ad cognoſcendum. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia ante loquutionem Angelus non eſt ſufficienter conſtitutus in actu primo, ad cognoſcendum intuitiuè actus alterius, per loquutionem autem fit, vt poſsit illos intuitiuè cognoſcere, quã propter per loquutionem illam factus eſt actus primus. Quæ ſane ſententia probabilis eſt, ſuppoſito, quod poſt loquutionem vnus Angelus poteſt euidenter intuitiue cognoſcere actum loquẽtis, & crediderim nõ eſſe neceſſarium, quod hæc impreſsio fiat per productionem nouæ ſpeciei omnino diſtinctæ à præexiſtẽtibus in Angelo, ſed forte ſufficit, quod ſit quædam velut intenſio, vel extenſio alicuius ſpeciei ex præexiſtentibus. Imaginari namque oportet, Angelum habere ſpeciem congenitam repræſentantẽ alium Angelum, vel actus intellectus, & voluntatis ſecundum ſpecificas rationes. Quæ tamen à principio non repræſentant omnes actus in indiuiduo propter rationes ſupra aſsignatas. ¶ Illa igitur ſpecies intelligibilis perficitur magis per loquutionem, & augetur eius repræſentatio, vt ſeſe extẽdat ad hunc, vel illum actum in indiuiduo, & cum hoc ſufficiat non eſt cur ponamus nouam ſpeciẽ, ſic enim probabilior ſit hæc ſententia, & melius ſaluatur, quod Angelus habeat ſpecies congenitas quamuis negari non poſsit aliqua noua efficiẽtia circa illos. Quod etiam pertinet ad hominem contra Caietanum & alios, quia illa ſpecies ante loquutionem non repræſentat actum formaliter, & poſt loquutionem repræſentat, neceſſe eſt ergo vt facta ſit aliqua mutatio in illa, quia illa repræſentatio eſt modus intrinſe-

trinſecus ſpeciei, ergo non poteſt addi ſine mutatione aliqua.

¶ Aduertendum eſt tamen quod hæc efficiẽtia fit immediate per ipſum actum qui manifeſtatur per loquutionem tanquam per rationem agendi, vt dictum eſt, quia ille eſt quaſi obiectũ impreſsiuum ſuæ repræſentationis, neque enim id fieri poterat ab Angelo per ſolam volitionem nudam. Primo, quia ſi Angelus haberet in ſe omnia requiſita ad intelligendum actus alterius, non eſt intelligibile, quomodo illius actus ſint occulti, quia ſola volitio alterius non tollit lumen, neq; ſpeciem, neque aliquod impedimentũ conſtituit, ergo. Secundo quia loqui alteri non ſolũ eſt permittere, quod alter cognoſcat omnes actus, ſed etiã eſt excitare audientem, vt attendat mihi, quod etiam affirmat D. Tho. q. 107. artic. 1. ad. 3.

¶ Si dicas (vt dicunt nonnulli) quod mens Angeli excitatur à loquẽte ad attendẽdum ob id, quod loquitur, & quod hoc eſt quod habetur Apocaly. 7. Vbi dicitur quod vnus Angelus clamauit voce magna quatuor Angelis, & illud clamare eſt excitare efficaciter, ſed dico quod non poteſt illos efficaciter excitare abſque efficientia circa illos, nã attendere, & excitare ſunt effectus reales in excitato, vnde ſicut non eſt intelligibile quod Angelus moueat, vel caleſaciat volẽdo, & nihil circa corpus efficiendo, ita ſimiliter, non eſt intelligibile, quod efficaciter moueat intellectum, nihil efficiendo, ſed tãtum attendendo. Neque exemplum de intellectũ (qui per ſolam voluntatis ordinationem ſine alia efficientia circa illum poteſt fieri practicus) aliquid valet, nã per hoc quod artifex velit, aut nolit, ipſe tamen actus intellectus non mutatur, neque eſt magis practicus quã antea, ſed per volũtatem applicatur ad opus in actu ſecundo. Impoſſibile eſt autem fieri practicum in actu ſecũdo, quin reuera per illum aliquid fiat, neceſſe eſt, ergo vt in ſpecie ſit facta aliqua mutatio.

¶ Iſta autem efficientia quæ immediate fit per ipſum actum qui manifeſtatur per locutionem tanquam per rationem agendi (vt dictum eſt) non dimanat omnino naturaliter ab illo actu, ſed in hoc ſubeſt imperio voluntatis ipſius loquentis, & idcirco, quando vult loquitur, & non antea, & cui vult, & non alteri, & ratio huius eſſe videtur, quia in re perfecte libera omnis actiuitas (præcipuè ad extra) ſubiecta eſt voluntati, & dependet ab applicatione eius, nam hoc pertinet ad perfectionem rei liberæ vt patet inductione. Quod ſi dicas, actus naturaliter efficit habitum, vel relinquit ſpeciem ſui in memoria, ergo ſimiliter poteſt naturaliter agere in alterum, Reſpondetur negando conſequentiam, quia illa actiuitas reſpectu ſui, eſt quaſi naturalis emanatio, quia eſt propter perfectionem proprij ſubiecti, ſecus verò eſt de actiuitate ad extra.

¶ Sed contra hoc eſt, nam ſupradictum eſt Angelum inferiorem non poſſe efficere naturaliter niſi motum localẽ, quia indecens videtur, quod Angelus inferior habeat efficientiam circa ſuperiorem, quem alloquitur. Præterea, quia Angeli loquuntur cum Deo, & tamen nihil circa illum efficiunt. *Obiectio.*

Reſpondetur: ſupra tantum dictum eſſe, Angelum circa corpora non poſſe efficere niſi motum localem. At verò circa ipſos bene poſſunt Angeli efficere aliquid intentionaliter, quia ad hoc ſunt ſatis proportionati, potiſsimè ſi non efficiant per ſolum imperiũ, ſed per modũ obiecti intellectus, & quidem ſanctus Thom. quæſtione de anima articul. 18. & 20. Significat Angelos efficere ſpecies circa animam ſeparatam, & Thomiſtæ etiam dicunt, quod etiam in corporibus efficiunt qualitates intentionales. Neque vero eſt maior imperfectio quod inferior Angelus aliquid efficiat circa ſupremum, quam quod illi loquatur, & quod ipſe ſuperior non poſſet cognoſcere cogitationes inferiores ſine tali loquutione, nam iſta ſe concomitanter habent. Quapropter, licet inferior Angelus, ſit imperfectior Angelo ſuperiori ſimpliciter, in hoc tamen eſt quodãmodo ſuperior illo, quia poteſt occultare ſuas cogitationes, & ille in hoc eſt inferior, quod dependet ab illo in cognitione illorũ actuum, & idcircò, licet in alijs non poteſt inferior agere in ſuperiorem, tamen in hoc non inconuenit, imo neceſſarium eſt, vt hic poſsit. Neque eſt ſimile id quod objicitur de Deo vt patet, ex D. Thom. quæſt. 107. arti. 3. Nam Angelus loquitur Deo non quidem, vt illi communicet, vel reuelet aliquid quod illi erat occultum, neque vt excitet Deum ad attendendum, ſed tantum ordinat ſuum conceptum ad Deum voluntate ſua, quaſi conſentiens, & volens, vt Deus intelligat ſuam affectionem. Profectò hæc ſenten- *Reſponſio.*

ſententia iſto modo explicata eſt ſatis probabilis, & forte eſt vera.

Loquutio cuius potẽtiæ ſit intellectus an voluntatis.

¶ Ex quibus infertur cuius potentiæ actus ſit loquutio Angelica, & dicẽdum eſt quod eſt actio intellectus, vt docet S. Thom. de veritate quæſt. 9. artic. 4. quod facile eſt intelligere ex dictis. Nam profecto formare ſigna pertinet ad intellectũ, quia eſt quædam actio artificioſa, & quia illa ſigna deberent produci per imperium, talis autem productio eſt immediate per intellectum, ſicut in nobis manifeſtatio actuum per voces pertinet ad intellectum dirigentem, licet in executione fiat per inſtrumenta corporea: ita quidem dicendum, in re ſpirituali quæ non indiget his inſtrumentis, quod tota illa actio pertinet ad intellectum.

¶ At vero, iuxta ſententiam quam probabiliorem diximus, dicendum eſt, quod hæc loquutio eſt à voluntate tanquam à mouente, & applicante. At verò tanquam ab immediata ratione agẽdi eſt ab illo cuius eſt actus qui manifeſtatur. Nam hæc manifeſtatio eſt per modum impreſsionis ſpeciei, quam efficit ipſemet actus manifeſtatus per modum obiecti (vt ſupradictũ eſt) & ſic quãdo actus qui manifeſtatur eſt actus voluntatis, per illam fit repræſentatio ſpeciei, & impreſsio, & ſimiliter quando eſt actus intellectus. Qui autem dicunt in hac loquutione nullam interuenire efficientiam, conſequenter debent dicere, eſſe actum voluntatis ſemper, quia tantum erit loquutio, quidam conſenſus quo aliquis vult, vt alter cognoſcat ſuum actum (alias occultum) & idcirca qui hanc tuentur opinionẽ non loquuntur conſequenter dicentes tantum eſſe actũ intellectus & non voluntatis.

Secunda ſententia Doctoris.

¶ Secunda ſententia eſt doctoris vt patet in litera, pro cuius explicatione & huius diffi-cillimæ quæſtionis ſunt præmittenda nonnulla, quorum primum eſt, quod cum tota reſolutio quæſtionis pendeat ex reſolutione quæſtionis illius quomodo Angeli loquãtur, & quomodo vni & non alteri ideo prę-mittendum eſt primo omne illud in quo doctores conueniunt. Quare primo præmittendum eſt quod loquutio, & intellectus in Angelis non ſunt omnino idem quia ad loquutionem requiruntur plures quorum alter excitet audientem, alter vero attendat, loquutio enim & auditio mutuo ſe reſpiciunt. Vbi enim loquutio eſt, auditio reperiri debet, & vbi auditio reperitur, ibi & loquutio eſt, quod patet ex illo quod prædicti opinantes docent in poſitione, tertiæ ſententiæ dicentes, loqui alteri, non ſolum eſt permittere, quod alter cognoſcat omnes actus, ſed etiam eſt excitare audientem, vt attendat mihi.

1. Notab.

¶ Secũdo eſt notandũ quod inter loquutionem & auditionem hæc eſt differẽtia, quod loquutio eſt actus loquentis producentis in nobis verbum vocale, cuius ſpecies reponitur in noſtro auditu, qua informatus producit auditionem. Et ratio huius eſt, quia ſicut ad videndum requiritur ſpecies, quæ ſimul cum potentia viſiua producat idolum, quo potentia viſiua informata operatur vitaliter videndo, nam qualem ordinem poſuimus in primo diſputatione. 10. quæſt. 1. reſpectu intellectionis, & intelligere, talẽ debemus ponere in potentia viſiua, & quacunque alia potentia ſenſitiua exteriori, reſpectu ſuarum operationum vitalium, & ſicut diximus de potentia viſiua, talis etiam ordo ſeruãdus eſt in noſtra potentia auditiua. Primo enim ſonus (quia per ſe coniungi non poteſt cum potentia auditiua) producit ſpeciem ſui, quam recipit potentia auditiua, quia accidens eſt. Potẽtia auditiua per illam ſenſibilem ſpeciem, tanquam per concauſam in genere cauſæ efficientis, producit idolum quoddam repræſentatiuum formaliter mei verbi prolati, tale autem idolum informat ipſam potentiam auditiuam, & totum hoc nõ eſt audire, quia vſque nũc non dicitur potentia operans vitaliter, tali autem idolo potentia auditiua informata vitaliter operatur audiendo, vel audiens; vnde audire eſt operari vitaliter, & vltima perfectio potentiæ auditiuæ, & non eſt agere, ſed operari neque eſt actio de genere actionis, qualis eſt productio, vel qualis requiritur in productione illius idoli, pro quo vide quæ dixi in primo diſputatione. 11. quæſt. 2. Explicando ſententiam doctoris præcipue notabili ſecundo, explicans quomodo intelligere, & amare non ſint actiones intellectus, & voluntatis, ſed ſunt operationes intellectus, & voluntatis, & differentiam inter actionem, & operationem, cuius ignorãtia multi decipiuntur, pro eodem vſurpantes actionem, & operationem vitalẽ, quodquam falſum ſit ex his quæ ibi dixi, ſatis patet, & in noſtro exemplo ſupra poſito experitur. Nam potentia auditiua ex eo quod cum ſpecie producit idolum agit, ſed non opera-

2. Notab.

Nota hoc.

operatur vitaliter, neque ex eo quod recipit idolum productum operatur, ſed patitur, operatur autem vitaliter, ex eo quod informata tali idolo tendit in verbum prolatum, audiendo illud, & talis tendentia eſt audire, & operari vitaliter, & vltima perfectio ipſius pōtētię auditiuę. ¶ Ex quo infertur quod audiens ex eo quod debet audire, prius tenetur recipere ſpeciem verbi prolati, quam audiat, vnde neceſſario requirit, quod ſit in potentia paſsiua, quam quod ſit in potentia actiua, quia prius eſt, quod recipiat ſpeciem, quam quod producat per illā tanquam per concauſam idolum illud, & prius eſt quod informetur tali idolo, quam quod operetur vitaliter audiendo, & ſic prius eſt in potentia paſsiua, quā in potentia actiua, cum eius potētia actiua (vt in actū exeat) præſupponat receptionem ſpeciei. ¶ Ex quo infertur ſecundo optimam eſſe differentiam quam aſsignat doctor in ſecun distinctione. 9.q.2. inter viſionem, & auditionem dicens, quod videns ſe habet actiuè, audiens verò paſsiue, quod non eſt intelligendum vt quidam expoſitores D. Thom. 1.part.quæſt.57.articu.4.quæſt. 3.in principio aſsignantes ſententiam doctoris: extimant, nempe, quod Angelus audiens tantū paſsiuè ſe habet, hoc enim nullū habet fundamentū, vt ipſi dicunt quia repugnat actui vitali eſſe ſine actiuitate, ſed intelligendum eſt iuxta ea quæ diximus, quod loquens & audiens ita ſe habent, quod loquens operatur vitaliter, ex eo quod loquens eſt. Audiens autem (vt audiat) requirit productionem alicuius in ipſo audiente à loquente, quia ſi loquens non imprimit ſpeciem, verbi prolati vel ipſum verbū prolatum in potentia auditiua, quantumcunque loquatur audiens, non poterit audire, & hoc eſt, quod docet ibi doctor, quod ad hoc quod audiens audiat requirit, quod loquens in pōtentia eius auditiua producat, vel eius loquutionem, vel ſpeciem illius, & quia reſpectu huius loquutionis, quam loquens reponit, in potentia auditiua audientis, loquens ſe habet actiuè vel operatiue, & audiēs ſe habet receptiuè, & paſsiue, ideo differētia ſignata à doctore inter intelligentem, & loquētem, & audientem optima eſt, & oppoſitū non habet fundamentum, quia non eſt dicere (vt ipſi putāt) quod audire non eſt operatio, vitalis ſed ꝙ ad audire, & ad iſtam operationem vitalem, neceſſario requiritur potētia paſsiua, & receptiua verbi prolati à loquente, & hoc adeo verum eſt quia, vt ipſi docent, paulo infra vt ſupra retuli, loqui alteri, nō ſolum eſt permittere quod alter cognoſcat omnes actus, ſed etiam eſt excitare audientem, vt attendat mihi, quod etiam affirmat D. Thom. infra quæſt. 107. artic. 1. & 3. ſed inter excitantem & excitatum nonne hæc differencia eſt? quod excitans vt excitans actiuè ſe habet, excitatus autem (vt excitatus) paſsiuè ſe habet, ergo cum in loquutione, & auditione ſic excitās, & excitatus, excitatio actiua, & paſsiua & loquens ſit excitās, & audiēs excitatus: erit igitur optima doctoris differentia inter intelligentem, & audientem, fundamentum habens in veritate rei.

Manifeſtatur ſententia doctoris.

Liberatur doctor à calumnia.

3. Notab.

¶ Tertio eſt notandū, quod cū loquutio Angelorum non innoteſcat nobis niſi arguitiuè, ex his quæ in nobis fiunt, ponendum eſt in ipſis Angelis, ſimilem eſſe differentiam inter loquutionem, & auditionem, qualem in nobis reperitur, & quod Angelus loquēs excitat Angelum audientem, & Angelus audiens excitatur ab Angelo loquente, & per conſequens quod Angelus audiens (quatenus excitatus) eſt in potentia paſsiua, & Angelus loquens (quatenus excitans) eſt in potentia actiua, & quia auditio vel audire eſt operatio vitalis, ideo vltra talem excitationem paſsiuam (quæ non eſt audire) requiritur operatio vitalis ipſius Angeli audientis, vnde imaginandum eſt, quod Angelus ita audiat Angelum loquentem, quia Angelus loquens excitat Angelum audientem, vel producendo conceptum ipſius Angeli loquentis in intellectu Angeli audientis, vel volendo quod alter intelligat illud quod vult intelligi, efficiendo tamen aliquid circa illum, vel imprimendo alteri ſpeciem ſui actus, ſiue fiat per productionem nouæ ſpeciei, ſiue intenſione, vel extenſione alicuius ſpeciei ex præexiſtētibus, ſiue fiat ordinando conceptum ipſius loquentis ad alterum. vt videatur, & cognoſcatur, ex eo quod habet in ſe virtutem quandam excitatiuam, ob id quod facit huiuſmodi conceptum eſſe de pertinentibus ad illum cui loquitur, ſiue fiat per ſigna quædam ſpiritualia repræſentantia illos actus, quæ ſigna ſunt veluti ſpirituales voces Angelorum, quas ipſi audiūt immediatæ, & per illas credunt, & concipiunt quæ dicuntur, vt docet Gregorius in ſecundo diſtinctione. 9.q.2. & Durandus di

ſtinctio-

ſtinctione 11. q. 2. Nihilominus tamen neceſſariū eſt aliqua excitatio realis, nā attendere, & excitare (quæ neceſſario requiruntur in auditione) ſunt effectus reales in excitato, & per cōſequēs, requiritur aliquid reale de nouo in ipſo Angelo audiēte, ratione cuius Angelus excitatur de nouo, & mouetur. Alias enim, quomodo poſſet Angel⁹ audiēs ꝙ ante nō audiebat aliter ſe haberē nūc quam prius, audiens modo, quod antea non audiebat, & quomodo poteſt mutari non recipiendo formam, quam antea nō habebat, ergo Angelus audiens requirit aliquid de nouo, ratione cuius excitetur, & moueatur, ad audiendum, & ad operandum vitaliter.

4. *Notab.* ¶ Quarto eſt notandum, quod in Angelo audiente vltra ſpecies intelligibiles, quas habet rerum vniuerſalium, neceſſario ponendæ ſunt ſpecies particulares rerum particularium de quibus loquuntur, & ratio huius eſt quia vt probatum eſt ſupra, ſpecies intelligibiles non ſunt repræſentatiuæ, ſed repræſentantes, quia repræſentatio, vel eſt eſſentia ſpeciei vel eſt modus intrinſecus ipſius (vt ipſi exponentes fatentur exponendo ſententiam Alexandri, & Ricardi) & quamuis poſsit aliqua res conſiderari non conſiderato eius modo intrinſeco, non tamen poteſt eſſe ſine ſuo modo intrinſeco. Sicut verbi gratia poſſumus conſiderare creaturam non conſiderando eius finitatem, & poſſumus conſiderare deitatem, non conſiderando eius infinitatem, quia abſtrahentium non eſt mendacium, non tamen poteſt eſſe creatura ſine ſua limitatione, & finitate, neque Deus ſine ſua infinitate. Cum igitur repræſentatio ſit modus intrinſecus ſpeciei, non poteſt eſſe ſpecies, non repræſentans, & per conſequens ſicut eſt, implicatio duo cōtraria ſimul, repræſentari eadē repræſentatione: ita implicat eādē ſpeciē duo contraria repræſentare, & per conſequens ſpecies Angelis infuſæ vniuerſales non repræſentant ſingularia, & ſic neceſſarium eſt ad hoc quod Angelus intelligat ſingulare habere ſpeciem ipſius ſingularis quatenus ſingulare eſt, & per cōſequens ad hoc quod audiat aliquam rem ſingularem quod habeat, vel acquirat ſpeciem rei ſingularis. Vnde aliter ſe habet Angelus audiens reſpectu rei cuius habet actualē conſiderationem, quā reſpectu rei cuius nullam cōſiderationē habet. Verbi gratia, ſit Michael Angelus loquens Gabrieli de re quam Gabriel antea conſiderabat, & reſpectu cuius erat in actuali conſideratione, in tali caſu Michael excitat Gabrielem ad intelligendum, vel audiendum, Gabriel tamen præter illam excitationem non acquirit aliquid in intellectu ſuo ratione cuius dicatur moueri, ſed tantum intuetur intellectionem Michaëlis, & tunc cognoſcit quod Gabriel illi loquitur, neque ex tali locutione Gabriel producit aliquid in intellectu Michaëlis, ſed aperit illi, & oſtēdit cogitationem ſuam. Et ad hoc eſt exemplum in nobis: nam quando ego loquor alicui de aliqua re, quam ipſe cognoſcit, vnico ſigno intelligit, quidquid alius per multa verba prolata cognoſcit, & ſic ſi in hominibus reperitur quod reſpectu aliquorum pauciora verba ſufficiunt, & reſpectu aliorum plurima ſunt neceſſaria, quid mirum, quod in Angelis pauciora ſint neceſſaria ad audiendum, vel intelligēdum, ꝙ ab alijs illis proponitur, præcipue quādo ſunt in actuali, vel habituali conſideratione, & ſicut in nobis quando aliquis loquitur alteri, (de re quam ipſe neſciebat) plura verba ſunt neceſſaria producta à loquente, & recepta in audiente, ita in Angelis quando non ſunt in actuali conſideratione, vltra ipſam excitationem, qua Angelus loquens vult auditorem attentum reddere, eſt neceſſaria multiplicatio verborum mentalium, vel productio ſpecierum, quibus Angelus audiens informatus producat intellectionem, & cognitionem rerum de quibus loquitur.

¶ Quintò eſt notandum, ex hoc colligi quomodo vnus Angelus alteri loquatur, nempe producendo ſpeciem intelligibilem ſui verbi, vel vniendo ipſum verbum quod in ſe habet per modum obiecti intellectui alterius Angeli, vel producēdo verbū in intellectu alterius. Verbi gratia eſt modo Angelus intelligēs me ſcribere, vult dicere alteri Angelo, Frāciſcus ſcribit, ad hoc vt dicat me ſcribere, oportet, vt videat me ſcribere, quia alias quomodo dicet alteri ſi ipſe non intelligit, dicet autem hoc modo, vel producendo ſpeciem intelligibilem illius verbi, quod habet productum in ſe ad intellectionem, quod eſt terminus ſuæ dictionis, nam vt latē diximus in primo, diſputatione. 10. Verbum mentale producitur per dicere mentale, ſicut verbum vocale producitur per dicere vocale. Illud igitur verbum productum ab Angelo intelligente poteſt per ſe vniri intellectui alterius Angeli in ratione obiecti, 5. *Notab*

cti,

cti, vel per ſe, vel per ſpeciem ſui ipſius pro ductã ab ipſo,& quatenus volũtas Angeli lo quẽtis vult tale verbum vniri per ſe, vel per ſuã ſpeciẽ, intellectui alterius Angeli, dicitur Angelus loqui alteri Angelo, & alterũ Angelũ audire,& quia Angelus recipiens tale verbum, vel ſpeciem, per illam mouetur ad intelligendum non à ſe, ſed ab alio, quia ab alio habet quod talis ſpecies vniatur illi, ideo quanuis receptio illius ſpeciei non ſit locutio propriè, niſi quatenus Angelus per illam tanquam per rationem cognoſcendi cognoſcit illud quod per ſpeciem repræſentatur, nihilominus tamẽ receptio illius ſpeciei cum ordine ad intelligentiam illius rei quam repræſentat eſt auditio, & per conſequens productio illius ſpeciei cum ordine ad cognitionem illius rei quam ſpecies repræſentat eſt loquutio, ſicut etiam & in nobis, quando quis producit ſpeciem verbi vocalis quod profert, quæ recipitur in auditu cum ordine ad cognitionem illius rei, quam ſpecies repræſentat, tunc dicitur loqui, & receptio ſpeciei cum ordine ad cognitionem dicitur auditio verbi. Quod ſi quis proferat verba quæ alter non intelligit quanuis alius illa audiat, non dicitur talis audire loquentem, quia nõ audit illud in quantũ loquens, ſed in quantum aërem verberans.

Nota hoc. ¶ Quod ſi dicas, quomodo verbum, quod eſt in intellectu vnius Angeli in ratione terminantis dictionem (vel vt Thomiſtæ dicunt) terminantis intellectionẽ, poteſt per ſe vniri intellectui alterius Angeli per modum principij & rationis cognoſcendi, quia videtur quod idem verbum ſit in duobus ſubiectis nempe, in intellectu Angeli intelligentis, & in intellectu Angeli audientis. Reſpõdetur, quod vnio obiecti cum potentia non eſt vnio per informationem, ſed eſt vnio cauſalitatis, nempe vnio duarũ cauſarum ſimul producentium eundem numero effectum. Et ad iſtam vnionem non eſt neceſſarium, quod vna cauſa informet alteram, neq; quod ſit in altera tanquã in ſubiecto, ſed ſatis eſt quod ſit ita proxime alteri coniuncta vt poſsit ſimul cum alia eundem effectum producere, ſicut verbi gratia intellectus agens & phantaſma concurrunt ſimul ad productionem ſpeciei intelligibilis, intellectus per modum potentiæ, & phãtaſma per modum obiecti, certum tamẽ eſt, quod phantaſma non eſt in intellectu agente tanquam in ſubiecto. Ita à ſimili quanuis verbum productum ſit in intellectu alicuius Angeli intelligẽtis aliquam rem, poteſt tamen in tali intellectu exiſtens mouere in tellectum alterius Angeli per modum obiecti, ad producendum cognitionem illius rei cuius verbũ eſt naturalis ſimilitudo, & hoc eſt verbum vnire per ſe intellectui alterius Angeli. Quod ſi hoc tibi durum videatur, quia etiam non percipis quomodo materialia poſsint per ſe vniri intellectui poſsibili Angeli ad cognitionem intuitiuam ipſorũ, vel ſaltim poſsint per ſe vniri intellectui agenti Angeli ad abſtrahendum ſpeciem intelligibilem ipſorum materialiũ ſaltim poteris intelligere, quod cum tale verbum ſit obiectum intelligibile poterit producere ſpeciem intelligibilem repræſentantem ipſum verbum in intellectu alterius Angeli, per quam tanquam per rationem cognoſcẽdi poterit cognoſcere verbum, & in verbo cognito cognoſcere quidquid per verbum repræſentatur.

¶ Sextò eſt notandum, vt iam ad primam quæſtionem deueniamus, quod, vt late dixi mus in primo diſputatione 10. quæſt. 1. intellectio & volitio non ſunt actiones de genere actionis, ſed ſunt qualitates de genere qualitatis, vnde vt ibi late dixi, intellectio, verbum, conceptus & notitia idẽ ſunt omnibus modis, neque aliquo modo diſtinguuntur, ſimiliter volitio & amor, vnde aliud eſt intelligere & aliud eſt intellectio, & aliud eſt volitio, & aliud eſt velle, volitio & intellectio ſunt qualitates de genere qualitatis productæ ab intellectu, & voluntate, per actionem de genere actionis, vt cõmuniter dicitur neq; ſunt fines intellectus, & voluntatis, quales ſunt, intelligere, & velle, ſed ordinãtur ad intelligere, & velle tanquam ad vltimam perfectionem illarum potentiarum. Nam omne quod eſt in intellectu ordinatur ad intelligere, & quod eſt in voluntate ad velle, & ſic intelligere & velle ſunt operationes vitales immanentes quæ nihil producunt in eſſe reali, ſed ſolum ſua obiecta in eſſe cognito, vel volito iuxta ea quę diximus in primo diſputatione de ideis quæſtione. 2. *6. Notab.*

¶ Septimò eſt notandum, quod ſpecies intelligibilis (verbi gratia leonis) & verbum productum ab ipſa ſpecie cum intellectu etiã leonis, ſunt duæ qualitates ambæ naturales ſimilitudines ipſius leonis, formaliter repræſentantes leonem, quanuis ſpecies in telli- *7. Notab.*

telligibilis ſit naturalis ſimilitudo impreſſa, & verbum naturalis ſimilitudo expreſſa, & prætereа ſpecies habet rationem principij dictionis, verbum autem habet rationem termini, quia intellectus per ſpeciem dicit verbum, vel producit, vt ipſe intellectus intelligat, quare verbum antecedit ipſum intelligere, ſequitur tamen ipſum dicere, vnde Angelus dicens producit verbum, quo verbo producto intellectus informatur, & ſtatim operatur vitaliter intelligendo (vt late diximus in primo diſputatione. 10.) Ex quo infertur quod intelligere & dicere maximè inter ſe diſtinguuntur, cum dicere præſupponatur ad ipſum intelligere tanquam via, & intelligere ſit vltima perfectio ipſius intellectus quia eſt operatio vitalis, & operari vitaliter.

¶Ex quo infertur ſecundo, quod verbum & intelligere maxime inter ſe diſtinguuntur. Nam verbũ eſt terminus dictionis, & reſpicit memoriam fæcundam, ſcilicet, intellectum & ſpeciem tanquam cauſam totalem ſui, at vero intelligere eſt finis potentiæ intellectiuæ. Et prætetea, quia verbum nõ eſt actio, neque operatio, ſed qualitas: Intelligere autem non eſt qualitas, ſed eſt operatio vitalis.

Nota hoc. ¶ Ex quo infertur tertio, quod quanuis Angelus cognoſceret aliquod verbum productum in intellectu alterius Angeli, non tamen ex hoc ſequeretur ipſum cognoſcere cogitationem ſiue intelligere alterius Angeli, quia cogitare, vel intelligere vltra verbũ productum, dicit operationem vitalem potentiæ intellectiuæ: talis autem operatio non cognoſcitur cognito verbo, ergo quanuis Angelus cognoſceret verbũ productũ, non cognoſceret intelligere, vel cogitare illius Angeli: ſicut verbi gratia qui cognoſceret ſpeciem intelligibilem quanuis cognoſceret illam eſſe naturalem ſimilitudinem alicuius obiecti, non tamen ex hoc cognoſceret diſtinctè illã eſſe naturalẽ ſimilitudinem huius obiecti: ſicut verbi gratia qui cognoſceret aliquam imaginem quanuis cognoſceret eſſe verum prototypum, non tamen cognoſceret eſſe verum prototypum huius hominis, vel illius, niſi viſo iſto vel illo homine, & viſa ipſa imagine. Ita quanuis Angelus cognoſceret verbum eſſe naturalem ſimilitudinem alicuius obiecti; non tamen ex hoc cognoſceret ipſum eſſe naturalem ſimilitudinem huius obiecti, niſi viſo obiecto & verbo, quia poteſt cognoſci verbum in ratione qualitatis non cognita in ipſo ratione imaginis perfectæ. Imò dato, quod Angelus intelligeret, & cognoſceret verbum exiſtens in intellectu alterius Angeli, & quod eſt naturalis ſimilitudo huius obiecti, non tamen poſſet intelligere, an Angelus intendat iſtud, vel illud obiectũ, quia quanuis in intellectu Angeli vnica tantum ſit intellectio per ſe intenta, nihilominus tamen ſunt quam plurimę intellectiones, quę ſimul cum illa exoriuntur: ſicut verbi gratia, quanuis quando ego video aliquod obiectum, per ſe intendam videre tale obiectũ, nihilominus tamẽ cum tali viſione poſſum videre quam plurima obiecta. Imò neceſſario habeo plures viſiones plurium obiectorum, & quãuis aliquis poſsit iudicare, quod ego video plura illa obiecta, nullus tamen niſi ſolus Deus poteſt iudicare quod obiectũ eſt (inter illa plurima, quæ video) quod per ſe intendo videre, quia talis intẽtio, nec relucet in viſione, neque in obiecto viſo, niſi aliquo ſigno exteriori illud ego manifeſtem. Ita poſſemus dicere de Angelis, quod quanuis alius Angelus cognoſcat cogitationes, & intellectiones alterius Angeli, non tamen poterit diſtinctè cognoſcere, quid cogitet alius Angelus, cuius cogitationes videt, quia cogitare vltra cogitationem (ſicut intelligere vltra verbum) dicit tendentiam potentiæ in obiectum cognitum, vel cogitatum, quæ tendentia non eſt cogitatio, ſed eſt cogitare, ſicut tendentia intellectus in obiectum per verbum, non eſt verbum, ſed intelligere, & talis tendentia eſt quidam ordo conſurgens inter potentiam intellectiuã informatam verbo, & ipſum obiectum cognitum, non realis, ſed tranſcendentalis, qui ordo nõ poteſt cognoſci, etiam poſito verbo, & obiecto cognito, non cognita applicatione intellectus ad ipſum obiectum: quę applicatio fit per voluntatem, cuius actus quanuis poſsit cognoſci ab Angelo, quatenus eſt volitio, & qualitas, non tamen poteſt cognoſci quatenus eſt velle iſtius obiecti, quia tale velle (vltra volitionem) eſt tendentia voluntatis in tale obiectum, quæ tendentia non eſt aliquis actus volũtatis diſtinctus ab ipſo velle, ſed ipſum velle volũtatis quatenus voluntas ſe determinat magis ad iſtud, vel ad illud obiectum, quæ determinatio non eſt aliquis actus ipſius voluntatis diſtinctus ab actu volendi, ſed eſt quidam ordo

ordo in voluntate fundatus in ſelpſa, quatenus eſt potētia libera, & terminatus ad obiectum volitum, & quia talis ordo à nullo alio præter Deum poteſt cognoſci, ideo quantumcũque Angelus cognoſceret omnes volitiones, & qualitates illas productas per actũ volũtatis, qui dicitur producere, cuius terminus eſt volitio, vel amor, antecedēter ſe habens ad ipſam operationem vitalem volendi, nõ tamen poſſet cognoſcere quid determinate Angelus velit, hoc enim propriũ ſolius Dei eſt, qui nõ ſolũ cognoſcit voluntatem, & quidquid reale abſolutum reperitur in ea, ſed etiã omnẽ modũ, & omnẽ affectionẽ, & omnẽ ordinẽ ſiue realem ſiue trãſcẽdentalẽ, qui in volũtate poteſt reperiri.

Prima cõcluſio. ¶Prima concluſio. Solius Dei eſt hominum cogitationes cordium & affectiones volũtatis cognoſcere, quatenus dicũt operationẽ vitalem liberam. Hæc concluſio probatur authoritatibus ſacræ Scripturæ & ſanctorũ ſupra adductis pro ſententia D. Tho. & probatur, quia tales operationes vitales includunt intrinſecũ ordinem, qui ex natura ſuà non eſt cognoſcibilis niſi à ſolo Deo, ergo. Probatur antecedens. Nullus poteſt cognoſcere, me iſtud intelligere, niſi cognoſcat determinationẽ meæ voluntatis applicantis intellectionem meam ad obiectũ cognitũ, ſed talis applicatio nõ poteſt cognoſci niſi cognita determinatione meæ voluntatis, talis determinatio non eſt cognoſcibilis ab aliqua creatura, niſi à ſolo Deo, ergo. Probatur minor. Talis determinatio tantum dicit intrinſecum ordinem tranſcendentalem inter voluntatem & rem volitam, qui fundatur in ipſa voluntate, quatenus ſe determinans per illam tendit liberè in obiectũ volitum, ergo.

Secunda ratio. ¶Secunda cõcluſio. Angelus naturaliter cognoſcit actus naturales intellectus, & voluntatis. Hæc concluſio conceditur etiam ab expoſitoribus D. Tho. vbi ſupra quæſt. 4. dicto primo, quam exemplificãt in actibus puerorum ante vſum rationis cogitationis etiam dormientium, vel amentiũ, quia omniũ viſa eſt ratio & probatur, quia illi actus ſubtrahuntur à notitia Angelica, qui peculiari ratione pertinent ad diuinum iudiciũ, & tribunal; ſed actus naturales non ſunt huiuſmodi, quia talibus neque meremur, neq; offendimus; ergo ſubduntur Angelicæ notitiæ. Quod ſi argvas, ſequitur quod Angeli naturaliter cognoſcunt primũ actũ liberum voluntatis qui tamen pertinet ad genus moris, Probatur ſequela, Iudicium intellectus quod præceſsit eſt naturale, & ſecundũ illud mouetur voluntas, ergo cognoſcit illũ motũ, nam actum intellectus naturalẽ diximus Angelum cognoſcere, Reſpondetur, Quod quamuis illud iudiciũ ſit neceſſarium, quia tamen ingreditur limen actuum moralium eo quod ab illo dirigitur volũtas, etiam fruitur eorum priuilegio, vt ſimiliter ſit occultum. Arbitror quod Angelus nõ cognoſcit motus primo primos neque habet proprias ſpecies illorum, quia illi actus cenſentur eiuſdẽ ordinis, & rationis cũ actibus liberis, & per ſpecies eiuſdem rationis cum actibus liberis cognoſcuntur. Et præterea, per ſe loquẽdo futuri erant liberi, & per accidens cõtingit fieri naturaliter, eo quidẽ qui fuit actus primo primus addit aduertẽtia ab intellect' potuit fieri liber. Et idcirco non eſt idẽ de actu quo Angelus ſe amat, vel cognoſcit, quia ille eſt ab intrinſeco, & per ſe neceſſarius. Tertio dico, quod licet Angelus cognoſceret illud iudicium quoad ſubſtantiam, tamẽ quia illo poſito multipliciter ſe poteſt habere voluntas ceſſando proſequendo, hoc vel illo modo appetendo, ob id dicendũ eſt, quod ille actus eſt occultus Angelo, ſcilicet, motus primo primus nr̃æ volũtatis. Quod ſi quæras de actibus phantaſiæ & appetitus, dicũt nonnulli quod quando ſunt neceſſarij cognoſcuntur ab Angelo, non vero quando ſunt liberi: ſed verius eſt, quod iſte actus cognoſcatur ab Angelo vt in præſenti dicit D. Tho. quia ſunt materiales, & inferioris ordinis, non tamẽ intuetur Angelus an iſti actus ſint liberi, necne, quia hoc pẽdet ex cognitione intellectus, & voluntatis, ob id quod actus appetitus non eſt liber ab intrinſeco. Hactenus prædicti expoſitores. Ex quorũ doctrina facile intelligitur, quomodo intellectio & volitio noſtra poſſunt conſiderari dupliciter, vno modo, vt qualitates ſunt, ſecundo, vt liberæ ſunt. Si conſiderentur vt qualitates ſunt, ſunt actu cognoſcibiles ab Angelo, ſi autem vt liberæ, non ſunt cognoſcibiles ab Angelo, quia tamen libertas in illis actibus non tollit ab illis rationem qualitatis neſcio, cur non poſsit dici quod poſsit Angelus cognoſcere noſtras cogitationes, aut volitiones, quatenus qualitates ſunt, & quod non poſsit cognoſcere noſtrum intelligere, & velle, nempè, operationes illas vitales quatenus

liberi ſunt; quia iſtæ operationes vitales ſi conſiderentur quatenus neceſſariò proficiſcuntur ab informatione intellectus, & voluntatis per verbum, & amorem ſunt naturaliter cognoſcibiles, vt patet in amētibus, & dormientibus, quia vt ſic nullam induunt libertatem: ſi autem quatenus cadunt ſub determinatione noſtræ voluntatis libera, cum talis determinatio non ſit obiectum intellectus, neque & ipſę operationes vitales liberæ, erunt obiectum intellectus creati. Confirmatur. Quia intellectio v. g. vel volitio qua actualiter vnus Angelus intelligit aliū Angelum eſt qualitas de genere qualitatis, vel in via D. Tho. præſupponit qualitatem de genere qualitatis vel habet pro termino qualitatem, nempè verbum de genere qualitatis, ſed talis qualitas ex natura ſua eſt naturaliter cognoſcibilis ab Angelo, ergo poſſunt naturaliter cognoſci ab Angelo. Probatur minor. Sit v. g. aliquis homo acto intelligens aliquam quidditatem, & perſiſtens in tali intellectione amittat iudicium, fiatque inſanus & amens; in tali caſu illa intellectio in ratione qualitatis, & in genere rei eſſet eadem numero in vtroque ſtatu illius hominis, ergo ſi poſtquam factus eſt amens, & inſanus talis homo, talis intellectio eſt naturaliter cognoſcibilis, ergo & antea erant naturaliter cognoſcibiles. Probatur conſequentia. Primo quia ſemper eſt eadem intellectio. Secundò, quia quod ſit libera, vel nō ſit libera non ponit aliquam realitatem in ipſa intellectione in genere rei, ſed tantum ordinem ad voluntatem, qui quantumuis ignoretur ab Angelo, adhuc tamen poteſt intellectio cognoſci in genere qualitatis.

Tertia cōcluſio. ¶ Tertia concluſio. Angelus poteſt cognoſcere ex natura ſua cogitationes cordiū intellectiones & volitiones quantum ad eſſe abſolutum quod habent. Hæc cōcluſio quæ explicat ſententiam Doctoris, probatur primo. *Prima ratio.* Nam intellectio, & volitio quātum ad eſſe abſolutum tantum ſunt quędam naturales qualitates in genere qualitatis, ſed qualitates naturales ſunt naturaliter intelligibiles, ergo. Probatur minor. Tales qualitates naturales (vt ſic) non habent aliquid libertatis, neque aliquo modo pendent à voluntate, ergo ſunt naturaliter cognoſcibiles. Probatur antecedens. Ex eo cogitationes liberæ non poſſunt naturaliter ab Angelo cognoſci, quia habent præter naturalem modum quātum ad ſui productionem (hoc eſt) ex eo libera cogitatio occulta eſt propter modum liberum quem habet, videlicet, quia libera cogitatio pertinet ſolum ad liberam cogitantis voluntatem, ideſt, propterea cogitatio cordis libera eſt occulta, quia ſola libera voluntas ſine dependentia à cauſa aliqua creata naturali determinat productionem illius cogitationis, ſed cogitatio in genere cogitationis, & intellectio in genere intellectionis non dicit ordinem ad voluntatē, ergo cogitatio, & intellectio, prout ſunt in genere qualitatis, & in genere entis ſunt naturaliter cognoſcibiles ab Angelo. Probatur ſequela. Ex eo ſunt occultæ quia ſunt cogitationes liberæ, ergo conſideratæ quatenus non ſunt liberæ, non erunt occultæ, ſed quatenus præciſè procedunt ab intellectu non ſunt liberæ, ergo quatenus procedunt ab intellectu non ſunt occultæ, & idem argumentum efficitur in volitione, volitio ex eo eſt libera quatenus producitur à voluntate & quatenus recipitur in voluntate non eſt libera ſed naturalis, ergo cum volitio vtramque rationem habeat, nempè, quod producitur à voluntate, & quod producta in voluntate recipitur quanuis nō ſit naturaliter cognoſcibilis, quatenus producitur à voluntate propter modum liberū quē habet, erit tamen naturaliter cognoſcibilis quatenus recipitur in volūtate propter modum naturalem quem habet, ſed tūc volitio habet rationem volitionis in genere entis, & qualitatis, ergo.

¶ Secundò. Si aliqua ratione Angelus non poteſt intelligere intellectiones, & volitiones quatenus ſunt qualitates, & in genere entis, maximè quia nunquàm poſſunt eſſe qualitates procedendo à cauſa libera, quin ſint liberæ, & per conſequens cum quatenus liberæ ſunt, non poſſunt naturaliter cognoſci, ergo neque quatenus qualitates ſunt: ſed iſta ratio nihil valet, ergo. Probatur minor. Quia ex illa ſequitur, quod operationes exteriores liberæ non poſſunt ab Angelo naturaliter cognoſci, ſicut v. g. quod ego modo ſcribo, non poſſet naturaliter ab Angelo cognoſci, quia libere ſcribo, ſed hoc falſiſſimū eſt, ergo & operationes intellectus ſunt naturaliter cognoſcibiles, quanuis liberæ ſint, non inquantum liberæ ſunt. Ad hoc argumentum reſpondēt, prædicti opinantes vbi ſupra quæſt. 1. in ſolut. ad 2. vbi prædictam obiectionem opponunt, quod abſque dubio argumētum probat omnes, operationes, *Secunda ratio.* *Solutio.*

nes prçterquam operationes voluntatis liberas manifeſtas eſſe Angelo ſecundum ſuam ſubſtantiam tantum, ergo ſunt occultæ intellectiones omnes, ſenſationes, & appetitiones, inquantum liberæ ſunt aut humanæ: quanuis hoc differat inter appetitũ ex vna parte, & facultatem motiuam ex altera, quod appetitus non obedit ad nutum voluntati, facultas autem motiua non læſa, aut impedita paret ad nutum, quanuis ſimiliter hoc differat inter intellectum, & facultatem motiuam, quod intellectus operatione ſua radix eſt & origo libertatis, facultas vero motiua nihil habet pertinens ad voluntatem. In hoc tamen conueniunt omnes iſtæ potentiæ quod quantum eſt ex ſe naturaliter operantur, & ſunt ad vnum determinatæ, & in tantum ſunt liberæ inquãtum ab ipſa mouentur, & à voluntate dependent. Alia ergo ratio eſt de his omnibus quam de operationibus voluntatis. Vnde S. Tho. nunquam dixit operationes has occultas eſſe Angelis, niſi inquantum à voluntate ſola dependent, & hoc habent inquantum participant libertatem & hac ſola ratione ſunt Angelis occultæ. Et quia operationes liberæ voluntatis à nullo alio principio naturaliter agente procedũt quã ab ipſa volũtate libera, & à Deo libere etiã agente. Hinc etiam eſt, quod neque ſecundum ſubſtantiam volitiones liberæ Angeli, aut hominis manifeſtæ ſunt alijs, qa ſubſtantia illarũ eſt etiam ipſa libertas. Actus autem externi ex propria natura vendicãt quod ſint ſubiecti notitiæ humanæ, nec dũ Angelicæ, ſed quatenus participant libertatem volũtatis ſicut pertinent ad genus moris, ſic etiam ſunt Angelis occultæ. Adde quod nihilominus dicendum eſt, cogitationes intellectus liberas eſſe naturaliter occultas, quia licet intellectus non ſit formaliter liber, tamen eſt radicaliter liber. Nam omnis voluntatis libertas originatur ab intellectu tanquã à radice & mẽſura actionis volũtatis liberæ. ¶ Cõtra iſtã ſolutionẽ ſic argumẽtor. Actiones volũtatis quãuis ſint ſecundũ ſuam ſubſtãtiã naturaliter liberæ amor tñ productus per illas ſecundũ ſuam ſubſtantiam non eſt naturaliter liber, ergo quanuis Angelus non poſſet naturaliter cognoſcere actionem voluntatis, poterit tamen naturaliter cognoſcere ipſum amorẽ.

Impugnatio.

¶ Confirmatur, quanuis amor ſit liber quatenus reſpicit volũtatem, prout eſt potentia productiua, non tamen eſt liber prout reſpicit voluntatem, quatenus eſt potentia receptiua, ergo cum amor ſecundum ſuam ſubſtantiam abſtrahat ab hoc quod eſt produci & recipi non erit ſecundum ſuam ſubſtantiam in genere libertatis, & per conſequens quamuis non poſsit cognoſci prout reſpicit voluntatem ipſum producentem, & in quantum eſt liber, vel humanus, poterit tamen cognoſci inquantum reſpicit voluntatem recipientem. ¶ Cõfirmatur, ſit verbi gratia, quis qui ex nimio amore alicuius inſaniat, in tali caſu eodẽ amore proſequitur obiectum amatum, quo illud diligebat antequam inſaniret, ſed poſt quã inſaniuit talis amor eſt naturaliter cognoſcibilis, imo cognoſcitur ſecundum illos, ergo antea erat naturaliter cognoſcibilis, & per conſequens libertas illius amoris, & illius qualitatis tantũ prouenit, quatenus reſpicit voluntatem illam producentem, vel conſeruantem, & per conſequens talis qualitas conſiderata ſecundum ſe non eſt ſecũdum ſubſtantiam libera.

¶ Tertiò, & præterea, ſi actus intellectus non eſt naturaliter cognoſcibilis ab Angelo, quia licet intellectus non ſit formaliter liber liber eſt tamen radicaliter, ergo neq; ipſe intellectus, neq; volũtas ſunt naturaliter cognoſcibiles ab Angelo. Probatur ſequela, quia intellectus eſt radicaliter liber, & voluntas eſt formaliter libera. Si reſpondeas quod intellectus & voluntas poſſunt dupliciter conſiderari, vno modo vt ſunt potentiæ. Secundo modo vt ſunt liberæ, altera radicaliter & altera formaliter, & ſecundo, quod potentiæ iſtæ poſſunt conſiderari, vel in ordine ad ſe, vel in ordine ad ſuos actus, ſi conſiderentur vt potentiæ, & in ordine ad ſe, ſunt in genere entium naturalium, & non dicuntur liberæ niſi in actu primo, ſi autem conſiderẽtur in ordine ad ſuos actus, ſicut actus ſunt liberi, ita & ipſæ potentiæ dicuntur liberæ in actu ſecundo, & ſicut ipſi actus non ſunt naturaliter cognoſcibiles, ita nec libertas voluntatis in actu ſecundo eſt naturaliter cognoſcibilis. Contra libertas voluntatis in actu ſecundo nihil aliud eſt quã ipſe actus voluntatis prout dicit ordinẽ ad voluntatẽ vt eſt producẽs vel cõſeruans talẽ actũ cũ indifferentia, ergo quamuis talis actus non poſſit cognoſci naturaliter, prout producitur, vel conſeruatur à voluntate, poterit

tamen naturaliter cognoſci prout productusvel conſeruatus in voluntate recipitur. Probatur ſequela. Ille actus prout productus, vel conſeruatus ſecundum ſuam ſubſtantiam, & prout in voluntate receptus nõ habet rationem libertatis, quia tantum eſt liber prout procedit à voluntate vt producente illum, vel conſeruante, ergo actus ille conſideratus prout productus, & conſeruatus recipitur in voluntate non habet rationem libertatis. Quod ſi reſpondeas, quod ſicut nunquàm poteſt actus voluntatis conſiderari vt productus, quin etiam conſideretur vt ſemper in produci, ita nunquàm poteſt conſiderari, vt productus quin conſideretur liber, & ita ſemper manet occultus ex natura rei. Contra volitio v.g. (quæ eſt qualitas de genere qualitatis iuxta ea quæ diximus in 1. diſput. 10. quæſt. 1. notab. 4. Iuxta ſententiam etiam Soncinatis. 9. Metaph. quæſt. 21. Et Caietan. 1. par. quæſt. 79. ar. 2. ante ſolutionem ad tertiam dubitationem num. 8o. vbi ſic ait. Quicumque autem eleuare poteſt intellectum, & recolendo, quod actiones immanentes qualitates ſunt, nõ actiones, aut paſsiones, &c. vt ſic habet ſuam quidditatẽ & eſſentiã diſtinctam ab illo reſpectu quem dicit ad voluntatem, prout eſt potentia productiua, & conſeruatiua, ergo vt ſic eſt naturaliter cognoſcibilis. Patet ſequela, quia vt ſic, non eſt liber, ſed eſt in genere entium naturalium, ergo actus voluntatis, nẽpe volitio, vel illa qualitas, qua voluntas informata tendit in rem volitam per ſuam operationem vitalem eſt naturaliter cognoſcibilis ab Angelo.

Tertia ratio. ¶ Tertiò probatur concluſio. Operationes intellectus non ſunt formaliter liberæ, niſi quatenus ſunt imperatæ à voluntate, ergo ſunt naturaliter cognoſcibiles ab Angelo. Probatur ſequela, quia ex eo quod actus ſit imperatus a voluntate non tollitur ab illo quod ſit naturalis ſecundum ſuam ſubſtantiã, nam tunc ſequeretur ꝙ actus, ſcilicet, externi imperati à volũtate non eſſent naturaliter cognoſcibiles ſecundum ſuam ſubſtãtiam. Probatur ſequela, nam actus intellectus non ſunt liberi niſi quatenus ſint imperati à volũtate, & ſic omnes actus intellectus antecedentes actum voluntatis ſunt naturales, ergo ex imperio voluntatis non redduntur non naturales ſecundum ſuam ſubſtantiam, ſed eodẽ modo ſe habebunt ſicut actus externi imperati.

Confirm. ¶ Confirmatur, ſit verbi gratia, modo quis intelligens aliquid ex naturali inſtinctu, & perſeueret per horam antequã actus volũtatis adueniat poſt horam aduertat ſe talia intelligere, & tunc complaceat in tali intellectione, & perſeueret in ea tunc ſic. Primo quæro, vtrum illa intellectio antequam actus voluntatis adueniret eſſet cognoſcibilis ab Angelo necne. Si ſic (vt ipſi fatentur, vbi ſupra quæſt. 4. dicto. 1.) ergo cum per complacentiam ſequentem nihil ponatur in illa intellectione quod illam occultet manebit poſt talem complacentiam intelligibilis ſicuti antea quamuis poſtea ſit libera ex eo quod reſpicit voluntatem in illa complacentem, & claritatis gratia, ponamus duos homines cogitantes de aliqua re ex naturali inſtinctu, & omni actu voluntatis remoto, poſt horam tamen vterque aduertit ſe tale cogitare, complaceat vnuſquiſque in tali cogitatione: alter tamen vult illam occultare, alter tamen nihil de hoc curat, in hoc caſu certum eſt Angelum cognoſcere illas duas cogitationes, antequam actus voluntatis adueniret, quia erant actus naturales. Secundo certum eſt Angelum non cognoſcere illam cogitationem, quam homo voluit occultare, ergo illam cogitationem quam homo noluit occultare poteſt Angelus naturaliter cognoſcere. Patet conſequentia, quia aliàs non eſſet neceſſarium velle illam occultare ſi ex eo quod voluntas complacet in illa manet naturaliter occulta. Et ſecundo, quia ex eo quod voluntas complacet in illa, non mutatur illa cogitatio quantum ad ſuam ſubſtantiam, ſed in genere entis manet eadem numero, licet in genere moris aliter ſe habeat, quam prius.

Solutio. Ad ſimile argumentum reſpondent prædicti expoſitores in quadam ſolutione ad tertium, quæſtiõis primæ, quod inter operationes à voluntate imperatas, & inter operationes intellectus, tam practici, quam ſpeculatiui, hoc eſt diſsidiũ, quod illæ quidem nõ pendent à ſola determinatione liberæ voluntatis, ſed etiam ab alijs cauſis naturalibus, tam primis, quam ſecundis à cælo, & elementis, &c. At vero operationes liberæ intellectus quantũ ad exercitium, pendent à ſola volũtate, tanquã à mouẽte immediatè ſine alicuius naturæ cõſortio. Itaq; volũtas ſe ſola determinat intellectũ ad exercitiũ ꝓptiæ operationis, quo fit vt operatiões intellect⁹ quę nõ ſunt cõnaturales angelo, ne

que

que conſequuntur ex neceſsitate naturæ, tam occultæ ſunt à cognitione alterius Angeli, ſicut operationes elicitæ liberæ ab ipſa voluntate. Adde etiam quod operationes imperatæ à voluntate poſſunt conſiderari dupliciter. Primo materialiter, quantum ad entitatem, & ſubſtantiam ipſarum. Secundò vero formaliter prout participant libertatem, & imperium, voluntatis, & intellectus. Et hoc ſecundo modo quædam ſunt operationes quæ fieri poſſunt dependenter à voluntate, & aliquando abſque dependentia eius, quales ſunt operationes phantaſiæ, quæ aliquando præueniũt actionem voluntatis liberam, aliquando vero fiunt repugnante voluntate, & eædem operationes poſſunt fieri ex libera voluntatis applicatione mouentis phantaſiam, & appetitum ad tales operationes. Dicendum eſt, ergo quod cogitationes quatenus imperantur à voluntate libera non ſunt ab Angelo naturaliter cognoſcibiles, niſi coniecturaliter. ¶In ſolutione tamen ad ſecundum, vbi dicunt nos recurrere pro maiori explicatione prædictæ opinionis ſic aiunt. Ad ſecundum reſpondetur, quod materia prima, anima rationalis, & Angeli dependent quidem à ſolo Deo liberè producente, & conſeruante, cæterum vnumquodque iſtorum non. Magis dependet ſecundum ſuum eſſe eſſentiæ à cauſa libera, quam naturali quia eiuſdẽ rationis eſſet & eſſentiæ homo, aut Angelus, licet Deus naturaliter produceret hominem, vel Angelum, & non libere. At verò actiones liberæ ex propria eſſentia, & ratione à cauſa libera procedunt, vnde prudẽter D. Tho. ſecreta cordium dixit Angelis eſſe occulta eo quod in ſola voluntate conſiſtunt, & à ſola voluntate dependẽt. Actiones autem exteriores procedunt à principio naturali, ſcilicet, à virtute motiua animalis, in tantum autem liberæ ſunt inquantum virtus hæc voluntati liberæ paret ad nutum. Vnde licet Angelus cognoſcat huiuſmodi operationes non tamen certò intelligit eas ſemper à voluntate libera procedere niſi veluti indicijs quibuſdam videndo ordinem, & rationem quam ſeruant inter ſe huiuſmodi operationes.

Impugnatio. ¶Iſtæ tamen ſolutiones nõ ſoluũt difficultatẽ in primis, quia ſicut operationes iſtæ ꝓcedũt à principio naturali ſcilicet à virtute motiua animalis, ita intellectio procedit à virtute intellectiua naturali, & ſicut voluntas ſe ſola determinat intellectum ad exercitium propriæ operationis. Ita voluntas ſe ſola determinat potentiam motiuã ad exercitium propriæ operationis, & ſicut actiones imperatæ à voluntate poſſunt conſiderari materialiter, & formaliter, ita actio intellectus imperata à voluntate poteſt conſiderari materialiter, & formaliter, ergo quanuis Angelus non certo intelligat actionem intellectus ſemper procedere à libera volũtate, niſi veluti indicijs quibuſdam, videndo ordinem & rationem quam ſeruant inter ſe huiuſmodi operationes, poterit tamen certò cognoſcere huiuſmodi operationem materialiter, nempè quatenus elicita à potẽtia naturali, ſcilicet, intellectu.

Solutio. ¶Quod ſi reſpondeas vt prædicti reſpondẽt in ſolutione confirmationis pro ſexto argumento, quod non occultantur Angelis mentis arcana, vel quia magis intima ſint, aut magis ſpiritualia, ſed quia tranſeunt in aliud genus rerum, quod ſuperat naturalẽ ordinem, vnde actus intelligendi, qui naturaliter procedebat ſi tamen deinceps libera voluntate reducatur ad genus moris, & ad ordinem liberum deſinit eſſe manifeſtus, vt ſi quis cogitabat de re aliqua abſque deliberatione, ſi tamen poſtea libere volens proſequatur cogitationem illa quidem iam non erit manifeſta Angelo. Ex quo cœpit eſſe moralis cogitatio & in ordine libero.

Impugnatio. ¶Iſta tamen ſolutio non euacuat difficultatem. Primò, quia ex illa tantum colligitur non poſſe Angelum cognoſcere, an illa cogitatio quæ antea erat naturalis modo ſit libera, nec ne. Nam antea cognoſcebat iſtam cogitationem, quia erat naturalis, quod autem conſtituatur in genere entium moraliũ non tollit ab illa, quantum eſt ex parte ſua ſuam naturalitatem, ſicut in reliquis actibus imperatis à voluntate contingit, ſolũ ponit in ea ordinem ad voluntatem, quem antea non habebat, qui ordo cum ſit occultus Angelo, nõ poteſt talis cogitatio ab Angelis cognoſci, quatenus eſt libera cogitatio, ſed poteſt ab Angelo cognoſci quatenus eſt cogitatio. Et ſecundo, quia Angelus cognoſcit non ſolum ſubſtantiam alterius Angeli, ſed etiam potẽtiam intellectiuã, ergo cognoſcere poteſt illam eſſe in actu ſecundo, quando eſt in actu ſecũdo, ergo cognoſcere poteſt quãcunque cogitationem, quatenus cogitatio eſt, quanuis non cognoſcat illam quatenus libera eſt, neq; vt ſic poſſet illã cognoſcere.

Quarta cõcluſio. ¶Quarta concluſio. Angelus non poteſt cognoſcere naturaliter cogitationes cordiũ & volitiones prout dicunt intrinſecum ordinem ad voluntatem, vt eſt potentia libera. Hæc concluſio probatur in primis autoritatibus adductis pro prima concluſione & ex illo Pſal. 43. nonne Deus requiret iſta. Ipſe enim nouit abſcõdita cordis, & Pſal. 4. Scrutans corda & renes Deus, & Ierem. 17. Ego Dominus ſcrutans corda. Eſt tamen aduertendum quod ſcrutari eſt vſque ad intima penetrare, acſi dicat quod cognoſcere cogitationes cordium vſque ad intima & penetralia, ideſt cum ordine quem poſſunt dicere ad voluntatem quantumcunque volũtas velit illas occultare. Hoc ſolius Dei eſt, quare ad Hebr. 4. dicitur, Deus diſcretor eſt cogitationum & intentionum cordis, nõ poſſet autem Deus diſcernere cogitationem & intentionem, niſi cum omni ordine quẽ poteſt dicere ad volũtatem cognoſceret talem cogitationem & intentionem, & hoc eſt quod de Chriſto Domino dicitur Matth. 9. Cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum & Lucæ. 5. Vt cognouit Ieſus cogitationes eorum & 6. ipſe vero ſciebat cogitationes eorum, & cap. 8. ipſe autem vt vidit cogitationes eorum, vbi ponderandum eſt ly eorum, ac ſi dicat cogitationes volitę ab ipſis, in quibus ipſi maxime gaudebant, & complacebant. Vnde firmiſsimum argumentum diuinitatis Chriſti eſt, cognitio cogitationum quæ à libera voluntate procedũt, vt optime colligit Ioannes Arboreus, lib. 4. Theoſophiæ & multi ex ſanctis Patribus.

Quinta cõcluſio. ¶Quinta concluſio. Si Angeli non cognoſcunt cogitationes & volitiones, quantum ad eſſe naturale quod habent ſubiectiue in intellectu, & volũtate, ex eo prouenit quia Deus non concurrit cum intellectu alterius Angeli ad intelligendum illas. Hæc concluſio explicat ſententiam Doctoris (quæ cõmuniter circumfertur) dicẽtis quod niſi Angeli impedirentur à Deo poſſet ſcire naturaliter omnium ſecreta cordium humanorum, quæ ſententia ni fallor explicanda eſt iuxta ea quæ diximus in præcedẽtibus, quæ vt faciliora reddantur, vide fratrem Guillelmum de Rubione in 2. diſtinctione. 9. quæſtione. 4.

Sexta cõcluſio. ¶Sexta concluſio. Licet intellectus ſeparatus cõceptum alterius videret, propter hoc non cognoſceret quid ille cogitaret. Vt autem prædictam concluſionem probet præmittit nonnulla. Primum eſt, quod huiuſmodi actus voleudi, vel intelligendi dupliciter poſſunt conſiderari, vno modo vt ſunt quædam entia abſoluta, vt cõmuniter ſupponitur, alio modo vt eis mediantibus obiectũ apprehenditur & diligitur. Poſſet enim eſſe actus intelligendi quo nihil intelligeretur, vel ſentiendi quo nihil ſentiretur. Vt ſi talis actus ab omni ſubiecto ſepararetur propter quod licet tendere in obiectum arguat in potentia tendente actum, non tamen ẽcõuerſo actus neceſſario arguit obiectum eſſe apprehenſum, cum etiam per diuinam potentiam, forte poſſet eſſe in intellectu non intelligente actus intelligendi. ¶Iſta autem doctrina debet intelligi de verbo mentis ſiue de conceptu, notitia, vel actuali intellectione quæ omnia idem ſunt. Nam verbum mentis dicitur actualis intellectio in ſententia doctoris, vt latè diximus in 1. diſpnt. 10. quæſt. 1. ad differentiam ſpeciei intelligibilis quæ dicitur habitualis intellectio, ſicut habens ſpeciem dicitur habitualiter intelligens, habens autem verbum dicitur actualiter intelligens, quanuis habere verbum non ſit ipſum actualiter intelligere, cum intelligere ſit operatio vitalis, quæ oritur & ſupponit verbum receptum. Iuxta illud 3. de anima intelligere eſt quodã pati. Vide quæ ibi dixi prope finem notab. 5. Et ſic quando prædictus doctor aſſerit quod huiuſmodi actus poſſunt ſumi, & vt ſunt quædam entia abſoluta & vt eis mediantibus obiectum apprehenditur, &c. ni fallor, intelligendus eſt de verbo mentis, & de amore, vel volitione, vel qualitate illa producta per actionem voluntatis, quæ eſt de genere actionis antecedenter ſe habẽte ad operationem vitalem voluntatis, quæ dicitur velle.

¶Secundò præmittit, quod ſicut accidens ſubſtantiæ realiter inexiſtens eſt immediatè in ipſo, ita quod nullum eſt medium inter ſubiectum & accidens, putà albedinem ipſi realiter inhærentem, ita neq; inter actus huiuſmodi immanentes, (putà intelligendi vel volendi) & ipſorum obiectum, eſt aliquod medium, quo habens actus tendat in obiecta ipſorum, neque enim actu intelligendi intelligitur eius obiectum ab habente actum ipſum propter aliquod medium poſitum inter obiectum & actum. Immediatè enim per actum intelligendi obiectum intelligitur, & per actũ diligẽdi diligitur, & ſentiẽdi ſentitur, ita quod immediatè quilibet

quilibet talium actuum ad ſuum terminatur obiectum.

¶Tertiò. Præmittit quod aliter actus iſti dicuntur in ſubiecto recipi, & aliter ad ſuum obiectum terminari: in ſubiecto enim recipiuntur realiter, & ſicut accidentia realia actualiter ſuſtentãtur, non ſic autem ad obiectum terminantur, neque enim obiecto ad quod terminari dicuntur realiter coniunguntur, neque obiectum ipſum, ſed tantum ſubiectum eis actualiter informatur. Accidens enim realiter coniunctum ſubiecto nõ coniungitur realiter alteri diuiſo à ſuo ſubiecto, & localiter ſeparato; ſed obiectum intellectum, vel dilectum, vel ſenſatũ, poteſt eſſe à ſentiente, intelligente, & diligente, ſubiecto iſtorum actuum localiter, & actualiter ſeparatum, ergo actus iſti non ſic ad ſuum obiectum realiter terminantur, quod ipſi vt ſuo ſubiecto in quo ſunt realiter vniãtur. Neque enim realiter loquendo actus videndi, vel intelligendi vel diligendi albedinem eſt propinquior, neque magis coniunctus, ſeu vnitus ipſi albedini intellectæ, vel ſenſatæ, quam alteri non viſæ, neque intellectæ, dicitur tamen terminari ad ipſam, & nõ ad aliam, quia eſt illud, quo ab eius ſubiecto vidente, (videlicet) vel intelligente ita hæc albedo apprehenditur, quod non illa. Nec tamen per hoc quod apprehenditur eſt in apprehendente aliquid realiter, niſi actus, cui etiam accidit, quod per eum apprehendatur obiectum, ſeu quod eius ſubiectũ tendat in ipſum, cum poſſet eſſe etiam forte in ſubiecto non apprehenſo eius obiecto, ſicut enim actus ſubiecto realiter inexiſtens nõ dicitur aliquid præter extrema, cum nullũ ſit medium inter albedinem inhærentem & ſubiectum, & tamen albedo ipſa poteſt ſubiecto ineſſe, & non ineſſe, ita conſimiliter licet habens actum elicitum tẽdat in eius obiectum per ipſum poſſet tamen non tẽdere nullo corrupto, ſicut & albedo ſubiecto inexiſtens poſſet non ineſſe nulla re corrupta ſed ipſa à ſubiecto ſeparata. Poteſt enim ſubiecto vniri nulla alia re producta, & eadem ratione ſibi vnita ab eo diuidi, abſque aliqua re corrupta. Et ita conſimiliter ſentiens, vel intelligens nunc obiectum aliquod, poteſt non intelligere ipſum, abſque aliquo corrupto, ſolo actu ab ipſo per diuinam potentiam ſeparato, vel etiam forte remanente in eo, & è conuerſo, nunc nõ ſentiens, vel intelligens, poteſt poſtea intelligere, vel ſentire nullo producto de nouo poſito in ipſo, ſicut enim albedinem ſubiecto realiter eſſe vnitam non dicit aliquid præter ſubiectum & ipſam, ita neque ipſam eſſe actu viſam, vel intellectam dicit præter actũ & eius ſubiectum, ac obiectũ (quod eſt ipſa albedo) aliquid in re extra.

¶Aduerte tamen iſta duo, quæ præmittit prædictus doctor ſupponere, intelligere nihil aliud eſſe quam intellectũ recipere verbum, quod etiam multi ex Scotiſtis fatentur & dicunt eſſe ſententiam doctoris (falſò tamen, ni fallor, vt dixi vt in primo vbi ſupra.) Poteſt tamen adhuc iſta ſententia explicari iuxta ea quę diximus in notabilibus. Et præterea dicendo quod inter verbum receptum in intellectu, & obiectum cognitũ nihil mediat quod habeat rationem principij attingendi ipſum obiectum, quanuis mediet ipſa operatio vitalis intellectus quæ eſt attingentia ipſius obiecti, & ſic quanuis Angeli poſsint videre verbum receptum in intellectu alicuius, non tamẽ ſequitur ex hoc quod viderint attingentiam obiecti, neque cognoſceret quid ille cogitaret. His præſuppoſitis probatur concluſio. Nullus, licet videat ſeu intelligat intuitiuè cogitationem alterius poteſt ſcire quid ipſe cogitet, niſi ſciat ad quod obiectum huiuſmodi eius cogitatio, ſeu intentio terminetur, ergo licet intellectus ſeparatus conceptum alterius videret, propter hoc non cognoſceret, quid ille cogitaret. Probatur antecedens, quoniã ſicut ſciens albedinem & ſubiectum nõ ſemper cognoſceret albedinẽ ſubiecto eſſe vnitam niſi ipſam cognoſceret vt ſubiecto realiter inhærentem. Ita neque cognoſcens aliquem actum intelligendi vel volendi vt tale ens abſolutum poteſt ſcire quid per talẽ actum velit vel intelligat habẽs ipſum eſto quod intelligat illius actus intellecti obiectum, niſi ſciat quòd actus ille alterius quem intelligit ad obiectum huiuſmodi terminetur: ſed ex hoc quod aliquis intellectus intelligit conceptũ alterius nõ ſequitur quod cognoſcat ad quod obiectũ terminetur huiuſmodi actus intellectus, ergo. Maior patet. Minor probatur: quoniam, vt præmiſſum eſt, actus non ſic ad obiectum terminatur quaſi realiter ipſi coniungatur: cum actus ipſe non magis ſuo obiecto ipſum terminãti quã alteri realiter ſit vnitus, nõ enim obiecto cõiungitur realiter ſed ſubiecto: ſed cognoſcẽs aliqđ obiectũ ab aliqbus pluribꝰ

æque diſtans realiter,& differens, per tale obiectum cognitum non cognoſcit magis vnum illorum ab eo æqualiter differẽtium, & diſtãtium,quam alterum, neque quod ad vnũ illorum magis quam ad alterum terminetur,ergo cum actus intelligendi, vel volẽdi albedinem æque ab albedine ſicut à nigredine vel rubedine ſit diſtinctus realiter , & diuiſus , per conſequens intelligens ipſum vt tale ens abſolutum , modo quo habet intelligi à quocunque intellectu in quo realiter non exiſtit, non poteſt intelligere,quod magis ad albedinem, & nigredinem , vel ad quodcunque obiectum aliud terminetur.

Confirm. ¶ Confirmatur, quia quod vidẽs ſubiectum & albedinem ſibi realiter inhærẽtem intelligat ſubiectum illa albedine eſſe album , hoc eſt, quia iſta duo videlicet ſubiectum & albedo intellecta ſunt realiter vnita , ſi enim albedo non magis vni ſubiecto quam alteri vniretur propter ipſam intellectionem non magis ſciretur vnum ſubiectum quam alterum eſſe album:ſed actus intelligẽdi,vel volendi non magis vnitur realiter , neque eſt præſens obiecto intellecto , vel volito , ipſum non terminanti,ergo propter ipſum intellectum & eius obiectum non habetur magis quod ad iſtud obiectum quam ad alterũ terminetur ex prædicta concluſione & ſua probatione concludo corollariũ, quod nullus intellectus ſeparatus magis quam cõiunctus poteſt naturaliter ſcire quid intelligit, vel diligit alius,neque per conſequens propriè eſt ſcire per conceptum mentis ipſius. Dico autem propriè,quia licet poſsit naturaliter ſcire alterius conceptum , vt tale ens abſolutum,non tamen vt per ipſum tẽditur in tale obiectum,ſed hoc ſolum eſt propriè ſcire alterius conceptum,& affectum, videlicet intelligere quid ipſe intelligit, vel diligit,quia cum cogitatio dicatur quaſi mentis ſuper obiectum iactatio ; nullus propriè dicitur ſcire alterius cogitationem,niſi ſciat ſuper quod obiectum actualiter mens iactetur , quod autem naturaliter hoc ſcire non poſsit apparet quia licet poſsit naturaliter ſcire alterius conceptum vt tale ens abſolutum,vt dicetur concluſione ſequenti , quod non eſt propriè ſcire conceptum, non tamẽ poteſt ſcire , quod ſit obiectum terminans ipſum,ſed neſciens ad quod obiectum actus alterius terminatur non poteſt ſcire quid ipſe intelligat neque quid velit , ergo.

Confirm. ¶ Confirmatur,quia non magis intelligens aliquem actum vt ſuo ſubiecto coniunctum poteſt intelligere eius obiectum terminans ipſum quam intelligens eum vt ab eo ſubiecto realiter ſeparatum. Hoc apparet quia vnus,& idem actus intelligendi omnino ſubſtantialiter inuariatus, qui eſt naturæ intellectuali vt ſuo proprio ſubiecto cõiunctus, poſſet diuina potentia mediantẽ per ſe exiſtere à ſubiecto quolibet ſeparatus , habens à ſubiecto diuiſus quidquid habebat ipſi vnitus,ergo vniformiter eſt ſecundum ſe intelligibilis ſeparatus à ſubiecto ſicut exiſtens in ipſo,ſed nullus actum ſeparatum intelligens poteſt intelligere eius obiectum per eum,quia nullum habet magis quam alterũ, quia eius(vt exiſtit in ſubiecto)dicitur propriè eſſe obiectum,ſed potius ſui ipſius. Illius enim propriè eſt obiectum quod tẽdit in ipſum , actus autem non tendit in obiectum,ſed eius ſubiectum, quia tamen tendit per actũ,ideo etiam ipſius actus,dicitur eſſe obiectum,quare &c. Ex qua ratione manifeſte colligitur quod ſupra aduertebamus,nẽpè per actum intelligendi,& volendi intellectionem & volitionem prædictum doctorem tantum intelligere qualitatem illã quæ in intellectu dicitur conceptus,& verbum. In voluntate autem dicitur amor,nõ autem operationem illam vitalem,quæ eſt ipſa attingentia obiecti intellecti,vel voliti iuxta ea quæ diximus in 1. diſputa. 10.& 11.aſsignando differentiam inter intellectionem, & intelligere,volitionem,& velle. *Nota hãc rationem.*

¶ Vltima concluſio. Conceptus mentis,vel affectus cuiuſlibet acceptus vt eſt forma aliqua abſoluta,eſt naturaliter tam abſtractiuè quam etiam intuitiuè intelligibilis à quocũque alio intellectu ſeparato. Hanc concluſionem probat multipliciter prædictus doctor. Primo quoniam ſicut omne ſenſibile ab vno ſenſu,eſt ſenſibile à quocunque alio eiuſdem rationis cum illo , ita & omne intelligibile ab intellectu vnius, & ab intellectu alterius eiuſdem rationis eſt intelligibile,ſed conceptus mentis cuiuſlibet, vt eſt talis forma abſoluta eſt intelligibilis tam abſtractiuè quam intuitiuè ab intellectu illius in quo eſt,ergo & ab intellectu cuiuſque alterius,qui ſit eiuſdem rationis. Cõfirmatur, Quia quod eſt tale ſecundum ſe , & ratione ſuæ entitatis abſolutæ non minus eſt tale vt exiſtit in vno,vel in alio ſubiecto , ſed actus intelligendi vel volendi cuiuſlibet eſt intelligibilis naturaliter à quocunque intelle- *Vltima concluſio.*

ctu

ctu creato abſolutè ſecundum ſe vt tale ens. abſolutè ſicut albedo eſt viſibilis, ergo ad hoc quod poſsit intelligi naturaliter accidit ipſi quod in tali ſit, vel in alio ſubiecto, ergo nõ minus modo quia in tali ſubiecto poteſt naturaliter intelligi à quocunque à quo intelligi poſſet ſi ſeparatum eſſet.

¶Secundò. Omnis potẽtia cognoſcitiua poteſt naturaliter elicere actum circa obiectũ ſibi proportionatum, & approximatũ, ſed conceptus mentis vnius Angeli vel cuiuſcũque alterius creaturæ intellectualis eſt obiectum proportionatum intellectui alterius, & poteſt exiſtere ipſi præſens, ſeu approximatum, ergo. Minor quantum ad primam partem videlicet quod ſit obiectum proportionatum alterius ſicut eius in quo eſt ſubiectiuè apparet primò, quia, ſicut quod eſt obiectum proportionatum viſus vnius, & alterius, ita quod eſt obiectum proportionatũ vnius, erit & alterius, ſed cõceptus mentis, vel affectus, eſt obiectum proportionatum illius in quo eſt, ergo & alterius. Secundò, quia omne ens creatum eſt obiectũ proportionatum intellectus abſtracti, & independentis à ſenſibilibus quãtum ad ſuum actum intelligendi ſibi poſsibilem. Confirmatur, quia omne quod eſt alicuius potentiæ obiectum proportionatum, vt per ſe ſumptum, & ab omni alio ſeparatum eſt obiectũ proportionatum vt coniunctum cuicunque alteri, ſed conceptus mentis vnius (vt ab omni ſubiecto per diuinam potentiam ſeparatus) eſt obiectum proportionatum, & naturaliter intelligibile à quocunque intellectu ſeparato independenter à ſenſibilibus, ergo conſimiliter eſt intelligibilis naturaliter nõ exiſtens realiter in ſubiecto. Secunda pars minoris patet, videlicet quod conceptus vnius poſsit eſſe ſufficienter approximatus ſiue præſens intellectui alterius, quoniam poteſt eſſe (licet non per informationem) immediatè; & realiter ipſi præſens, quia cui eſt præſens aliquod ſubiectum etiam eſt præſens omne eius accidens in eo exiſtens, ſed intellectus ſeparatus poteſt eſſe realiter præſens alteri intellectui, ergo etiã poteſt eſſe præſens eius actus intelligendi vel diligendi in ipſo realiter exiſtens. Reliqua vide in prædicto doctore.

¶Ad argumenta pro contraria ſententia ad primum deſumptum ex authoritatibus ſacræ Scripturæ & ſanctorum Patrũ dicitur, quod illud confirmat noſtram concluſionẽ, nempè quod nullus præter Deum poteſt cognoſcere mentem noſtram neque cogitationes cordium; quia per hoc quod conceptus alicuius intelligatur, vt eſt ens abſolutum nõ poteſt cognoſci naturaliter quod ſit obiectum talis actus. Et per cõſequens non poteſt cognoſci naturaliter quid cogitet ille cuius eſt talis actus, vt dictum eſt ſupra cõcluſione. 6. & alijs.

¶Ad ſecundum reſpondetur eodem modo, & cõceditur totũ neque facit contra nos.

¶Ad tertium reſpondetur, quod ſupponit falſum nempè quod ex eo quod Angelus cognoſceret cogitationes, cognoſceret etiam quid cogitet ille cuius eſt talis cogitatio.

¶Ad quartũ reſpõdetur, quod illud probat noſtram concluſionẽ, quia ex eo quod Chriſtus Dominus non ſolum cognoſcebat cogitationem ſecundum eſſe abſolutũ, ſed etiam tendentiam illius in obiectum, quam nullus alius præter Deũ poteſt cognoſcere ex natura ſua, ideo manifeſtè colligitur Chriſtũ eſſe verum Deum. Neq; illę ſolutiones quas ipſi confingunt ex Scoto ſunt doctoris, ſed nihil mirum, quia non eſt hoc primũ quod illi imponitur, & ſi doctor id aſſeruit fateor me non percipere doctrinã doctoris.

¶Ad ſextum reſpondetur negando ſequelã propter differentiam, quæ eſt inter cognitionem cogitationum ſecundum eſſe abſolutum, quod habent, & cogitationum cognitionem cum tendentia quam dicunt ad obiectum, vt ſatis patet ex dictis in notabilibus & in ſexta concluſione.

¶Ad ſeptimum reſpondetur concedẽdo totum, neque concludit aliquid contra nos. Et hæc ſatis ſint pro iſta prolixa & difficili quæſtione.

QVÆSTIO VIII.

¶Verùm Angeli naturaliter cognoſcant myſteria gratiæ poſtquam habent eſſe reale productum.

DE hac re eſt prima ſententia D. Tho. 1. par. quęſt. 57. ar. 5. & omniũ Thomiſtarum aſſerentium, quod Angelus virtute naturæ ſuæ & lumine naturali ipſius non poteſt cognoſcere res ſupernaturales quantum ad ſuã ſubſtãtiã, etiam poſtquàm factæ ſunt, non ſolum quantum

ad quid eſt; ſed neque quantum ad, an eſt per viſionem intuitiuam, & idem eſt de modo ſupernaturali exiſtendi, quem corpus Chriſti Domini in Euchariſtia habet, & ſimilibus. ¶Et ſimiliter dicendum eſt quod Angelus naturali lumine, & virtute non valet, neque eſt potens cognoſcere res ſupernaturales, quoad ſubſtantiam, etiam iam factas cognitione euidenti, etiam quantum ad, an eſt per ſigna ſolũ, vel per effectus ſecluſa omni reuelatione, & teſtificatione. Et idem eſt dicendũ de illo modo ſupernaturali quo Chriſtus eſt in ſacramento altaris. Intelligitur autem hæc concluſio de cognitione propria, & in particulari, non autem de cognitione confuſa. Vt autem prædictam ſuam ſententiam oſtendant, aduertunt nonnulla, quorũ primum eſt, quod ſcriptura diuinitus reuelata eſt ſupernaturale motiuũ, quo adiuti nõ mirũ eſt quod Angeli multa cognouerint, quæ ſolo naturæ lumine intelligere non poterant, iuxta ea quę docet D. Auguſt. in lib. de diuinatione dæmonum, in præſenti autẽ diſputatione. Loquimur de Angelico intellectu ſuis viribus relicto. Adde etiam quod ad intelligendã ſacræ Scripturæ myſteria neceſſaria eſt diuini ſpiritus reuelatio, à quo principaliter conditæ ſunt ſcripturæ. Vnde inter reliquas gratias eccleſiæ collatas recẽſet Paul. 1. ad Corint. 12. Interpretationem ſermonum, eo quod neque lumen humani, aut Angelici intellectus per ſe valet penetrare ſcripturam, & multo minus dæmones qui ſunt aperti hoſtes nominis Chriſtiani. Nam pia quædam affectio neceſſaria eſt ad aperiendum arcana de Chriſto. Quocirca verus ſcripturæ ſenſus ab eccleſiæ filijs, hoc eſt ſacris doctoribus petendus eſt, non ab inimicis, à quibus propter infidelitatem, & ingratitudinem ablatum eſt regnum Dei, idest ſacra Scriptura. Quocirca dæmones conſectari quidem poterant ex ſcripturis nonnulla, ſed non euidenter cognoſcere. Poſtea vero rerum euentu & ſucceſſu conuicti, pleraque crediderant quanquã ea odio habebant.

¶Secundò aduertunt, quod ad fidem aliqua dupliciter pertinere poſſunt, quædam quidã per ſe, & hæc ſunt illa quæ nulla via poſſunt ſciri, niſi Deo reuelante, eò quod ſuperant naturalia principia ſcientiarum vt trinitas perſonarum in eadem natura. Alia vero per accidens, & hæc ſunt illa quæ naturaliter erant cognoſcibilia, ſed accidit propter ignorantiam, & imbecillitatem ſubiecti quod non aliter quam per fidem cognoſcantur, vt Deum eſſe vnum, quod eſt naturaliter cognoſcibile ſed Philoſophiam ignorantibus, id oportet per fidem accipere.

¶Tertio aduertunt, quod alia eſt conſideratio de myſterijs gratiæ ſecundum ſubſtantiam; & alia de effectu inde prouenitre, ſtat enim quod diuini ſuppoſiti virtus latens in humanitate ſit occulta, quæ tamen manifeſtos reddat effectus, ſicut patet in miraculis à Saluatore noſtro editis.

¶Vltimò aduertunt, quod in hac controuerſia non agitur de aliquibus myſterijs, vt de myſterio Trinitatis, ſed de myſterijs, & operib⁹ à Deo ſupernaturaliter factis, inter quæ potiſsimum eſt incarnatio. Adde etiã quod cognitio rei factæ duplex eſſe poteſt. Alia quidem eſt intuitiua, vt quando res cognoſcitur in ſe, & prout in ſe eſt. Alia autem eſt cognitio per ſignum, vel teſtimonium, vel per vtrumque ſimul, hoc eſt per teſtimoniũ ſignis & miraculis comprobatum.

¶Vltimò aduertunt, quædam miracula facta fuiſſe à Chriſto circa viſibilium rerum ſubſtantiam, vt conuerſio aquæ in vinum, quędam circa immutationem humanæ mentis, vt conſtat de ſubita conuerſione Pauli, & de dono linguarum Apoſtolis collato, de quibus ſatis conſtat, quod ſubiecta erãt Angelicæ notitiæ, atque adeò naturaliter cognoſcebant, quod hæc nulla creata virtutẽ fieri poterant. Comprehendunt enim Angeli virtutes cauſarum naturalium, ac proinde apertè videbant illa eſſe miracula, & opera præter naturæ ordinem. Ex quo etiã ſequitur, quod etiam naturaliter ſcire potuerunt, beatam Dei matrem Virginem concepiſſe, cum & ipſa hoc naturaliter potuerit experiri. Neque obſtat quod Origen. ſuper Matth. cap. 1. in illa verba, cum eſſet deſponſata inter alia dicit, idcirtò deſponſatã fuiſſe, vt hoc ſacramentum diabolo celaretur, quod etiam alij patres ſcripſerant, & in eo loco, & Lucæ. 1. Reſpondetur tamen, quod proculdubio dæmones naturaliter videre potuerunt abſque virili opere virginem cõcepiſſe, opus enim illud externum naturaliter erat cognoſcibile. Patrum vero ſententia intelligenda eſt, quod myſterium perpetuę virginitatis de facto fuit eis occultũ aliquo tempore, & quod à principio contractum matrimonium neſcierunt an ſicut factũ videbant, ita futurum erat conſummatum.

¶His

Primum argum. ¶His igitur ſic conſtitutis probant ſuā ſententiam. Primo quia ſicut obiectum proportionatum intellectui humano pro hoc ſtatu eſt quidditas rei materialis, & ideirco non poteſt ſpiritualia intuitiuè cognoſcere, ita obiectum proportionatum cuiuſcumque intellectus ſeparati, & creati eſt ens ordinis naturalis, non vero res ſupernaturalis quo ad ſubſtantiam, quia pertinet ad altiorem rerum ordinem, & ſicut res ſupernaturales in intellectione, & ſubſtantia ſunt ſupernaturales, ita quidē in cognoſcibilitate propria; ergo illæ licet ſint actu, non poterunt virtute naturali intuitiuè cognoſci. Quòd explicatur, quia ſicut res ſpirituales non poſſunt intuitiuè cognoſc, iniſi per proprias ſpecies ſpirituales, & lumen ſpirituale proportionatum, ita res ſupernaturales non poſſunt intuitiuè cognoſci niſi per ſpeciem, & lumen eiuſdem ordinis, ſcilicet, ſupernaturalis, ergo non poteſt Angelus talem habere cognitionem virtute naturali. Nam implicat talē ſpeciem, & tale lumen eſſe Angelo connaturalia. *Confir. 1.* Confirmatur. Primò, quia cognitio intuitiua illius rei erit etiam ſupernaturalis.

Confir. 2. Confirmatur ſecundo, quia cognitio intuitiua eſt maximè propria, & proportionata rei cognitæ, ſi ergo ipſa res eſt ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam, ſequitur quod nō poteſt naturaliter intuitiuè cognoſci ab Angelo. *Confir. 3.* Confirmatur tertio, quia alias virtute naturali dæmones videre poſſent beatificā viſionem, & gloriam ſanctorum. Patet, quia illa ſunt entia creata, licet ſupernaturalia. Conſequens autem eſt abſurdum, & contra illud Iſaiæ. 64. Oculus non vidit, &c. Et ſimiliter dæmones & Angeli poſſent naturaliter cognoſcere myſteria omnia ſupernaturalia facta in Incarnatione diuini Verbi, quod non eſt catholicum.

Secundum argum. ¶Secundò probatur ratione D. Tho. Nam res iſtæ ſupernaturales ex ſola Dei voluntate pendent taliter quod Deus in productione harum rerum non ſe habet ad modū cauſæ naturalis, ſed per ſuam omnipotentiam libere producit illas ſuper totum illud quod ordo naturalis poſtulat & ſecundum illud quod ordo ſupernaturalis expoſcit, ergo bene ſequitur, eas non pertinere ad cognitionem naturalem Angeli, non ex eo præciſè, quia libere ſunt productæ à Deo, ſed quia ſunt tales taliterque diſpoſitæ, quod ordo naturæ non poſtulabat eas, quia magis ſunt ſupra ipſam naturam, & hoc etiam conſonat diuinæ omnipotentiæ, vt ſcilicet poſsit operari aliquid, quod Angelus cognoſcere naturaliter non ſufficiat, & quod Angelicæ naturæ data ſit ſcientia rerum, quæ naturaliter fiunt. Quæ vero Deus extraordinaria virtute pro ſua voluntate facit, non ſic nota fiunt Angelicæ naturæ, niſi de illius voluntate & reuelatione cognoſcantur.

Tertium argum. ¶Tertiò. Angelus non poteſt naturaliter cognoſcere exiſtentiam corporis Chriſti in ſacramento, ergo neque reliqua myſteria gratiæ, quamuis habeant eſſe reale productum. Probatur antecedens. Ille modus eſt abſolutè ſupernaturalis, ergo non poteſt naturaliter cognoſci per propriam ſpeciem. Patet ſequela, quia talis ſpecies debet eſſe proportionata illi modo, & conſequenter deberet eſſe eiuſdem rationis, & ordinis ſupernaturalis & ſimiliter lumen quo poſſet ille modus videri, prout in ſe eſt, deberet eſſe proportionatum, & eiuſdem ordinis, ergo talis cognitio eſſe non poteſt naturalis. Quocirca anima Chriſti Domini ex vi ſuæ naturalis cognitionis præciſè, & luminis naturalis, tantum non intuetur modum exiſtendi quo ipſemet Chriſtus, vt homo eſt in Euchariſtia, licet fortè poſsit naturaliter cognoſcere ſe eſſe ibi. Sicut anima nr̄a corpore cōtenta euidēter cognoſcit ſe eſſe in corpore, non tamen intuetur modum eſſendi quem habet in corpore, lumine autem ſupernaturali & per ſcientiam infuſam optimè cognoſcit Chriſtus, & intuetur modum exiſtendi, quem ipſemet habet, vt homo in Euchariſtia.

Quartum argum. ¶Quartò. Myſterium Incarnationis nō eſt cognoſcibile naturaliter ab Angelo, ergo. Probatur antecedens, quia nullū eſt ſignū, vel naturalis effectus habens neceſſariam cōnexionem cum vnione hypoſtatica Verbi diuini, ergo naturali cognitione non poteſt cognoſci euidenter ab Angelo illud myſterium eſſe factum ab effectu, vel ſigno. Patet conſequentia: nam talis cognitio deberet ſumi ex cognitione alicuius ſigni, vel effectus naturalis. Antecedens autem probatur. Nam talis effectus vel eſſet effectus poſitiuus, vel negatiuus, non primum, quia omnes perfectiones poſitiuæ illius humanitatis naturalis poſſet communicari puro homini, & omnia quæ Deus operatus eſt per illam humanitatem tanquam per inſtrumentum ad extra, poſſet operari per aliam humanitatem non ſibi vnitam, ergo ex his

non

nō poteſt cognoſci illa vnio ineffabilis. Neque etiam per effectum priuatiuum, oā maximè per carentiam ſubſiſtētiæ creatæ, ſed non per hanc, quia licet re vera humanitas Chriſti caruerit ſubſiſtentia propria, fortè Angelus lumine naturali non poſſet euidenter cognoſcere illam carere propria ſubſiſtentia, quia ſubſiſtentia nō addit propriam entitatem diſtinctam ab actuali entitate naturæ tanquàm res à re, vt eſt in opinione probabili, ſed tantum dicit quendam modū exiſtentię, ſcilicet, quod ſit in ſe neque ioni tatur alteri. Angelus autem videbat illam humanitatem in propria entitate exiſtentem, & ſubſtantia creata neque videbat illā naturam alteri vnitam eſſe ſubſtantialiter, imo neque ſuſpicari poterat illam vnionem eſſe poſsibilem, & idcirco forte putaret illā naturam eodem modo ſubſiſtere, quo aliæ naturæ. Neque forte eſt cognoſcibilis illa carentia propria exiſtentiæ, niſi cognoſcendo illam vnionem cauſantem illam priuationem & carentiam. Neque videtur inconueniēs quod in viſione intuitiua ſit aliquis defectus, maximè ſi in obiecto fiat mutatio ſupernaturalis.

Quintum argum. ¶ Quintò. Dato quod Angelus euidenter cognoſceret ſe ibi non videre ſubſiſtentiam creatam, non ob id euidenter iudicaret ibi non eſſe, ſed ſolum poſſet in confuſo iudicare, ibi eſſe aliquid præter naturale, videlicet quod in obiecto facta fuit aliqua mutatio, vel quod impeditur ipſe à cognitione, ſicut licet Angelus euidenter videret ignem non calefacere, vel ſe non videre calorem ignis, non idcirco euidenter cognoſceret ignem carere calore, quia ille effectus poteſt prouenire ex illo, & ex alio opere miraculoſo, ergo talis effectus non poteſt euidenter cognoſci, ex quo determinatè proueniat, & potius eſſet ſuſpicandum illud prouenire ab opere ſupernaturali quod minus videtur impoſsibile, vt ſic facilius eſſet Angelū impedire à cognitione ſubſiſtentię creatę, quā naturam creatā carere propria ſubſiſtentia.

Sextum argum. ¶ Sextò, Quanuis Angelus cognoſceret euidenter naturam illam carere propria ſubſiſtentia, non cognoſceret euidenter illam ſubſiſtere ſubſiſtentia diuina, neque forte crederet id eſſe poſsibile, & poſſet fortè exiſtimare illam eſſe ſine ſubſiſtentia, quia nullam ſubſiſtentiam videt in ea creatam. Quocirca non eſt cur cognoſcat illam habere aliquam ſubſiſtentiam euidenter, neque non illam humanitatem ſubſiſtere; ſicut ſi Angelus videret lineam, & non videret terminū, ſeu punctum vltimum, ſeu initiatiuum poſſet forte non cognoſcere illam eſſe terminatam. Et præterea forte demonſtrabile non eſt quod implicet naturā eſſe in re ſine vlla ſubſiſtentia. Deinde non cognoſceret Angelus euidenter illam humanitatem non ſubſiſtere ſubſiſtētia creata aliena, quia forte hoc non implicat, vel ſi implicat fortè implicatio non eſt euidenter cognoſcibilis, & quanuis Angelus non videret ſubſiſtētiam illam creatam per quam ſubſiſtit humanitas illa, non tamen immediatè id euidenter colligeret non ſubſiſtere per aliquam, quia poſſet Angelus cognoſcere illam ſecundum ſe non tamen vt vnitam alienæ naturæ, quia hoc eſſet cognoſcere ſupernaturaliter ex hoc effectu quod non cognoſcit Angelus euidēter hoc myſterium eſſe fidei.

¶ Secunda ſententia communiter tribuitur Doctori in 4. diſt. 10. quæſt. 8. Aſſerentis quod malus Angelus abſolutè ex natura ſua & virtute ſua poteſt cognoſcere omne cognoſcibile creatum ſi permittatur ſibi. *Secunda ſententia.* Quam ſententiam explicat Tartaretus ibi inferens quod mali Angeli ex natura ſua ſi Deus permitteret poſſent cognoſcere cogitationes cordium, & myſteria gratiæ (puta) omnia ſacramenta, & omnes effectus ſacramentorum, ſcilicet, collationes gratiæ in illis ſacramentis. Et ſi quæras an de facto cognoſcant illa, Reſpondet cum Magiſtro ſententiarum quod licet malus Angelus ex natura ſua poſſet cognoſcere cogitationes cordium tamen Deus non permittit. Ex quo ſequitur quod dæmon ex natura ſua poſſet cognoſcere exiſtētiā, corporis Chriſti in ſacramento. Ex quo ſequitur ſecundo, quod dæmon ex natura ſua potuit cognoſcere Virginitatem beatæ virginis Mariæ in partu, ſed Deus non permiſit, quia ſi cognouiſſent nunquàm Dominum gloriæ crucifixiſſent, & ſic impediuiſſent redemptionem noſtram. Quod ſi quis arguat, illa exiſtentia corporis Chriſti in Euchariſtia eſt ſupernaturalis, ergo eſt cognoſcibilis ſupernaturaliter, ergo non poteſt cognoſci naturaliter. Conſequentia patet, quia bene ſequitur, eſt cognoſcibile ſupernaturale, ergo nō poteſt cognoſci niſi ſupernaturaliter, quia factibile ſupernaturaliter non poteſt naturaliter fieri, ergo cognoſcibile ſupernaturaliter non poteſt naturaliter cognoſci.

¶Pro ſolutione huius argumenri aduerrit videndum eſſe an aliquæ prædictæ conſequentiæ ſint bonæ, & quæritur vtrum bene ſequatur, hoc eſt exiſtens ſupernaturaliter, ergo eſt cognoſcibile ſupernaruraliter. Reſpondetur primo ſic diſtinguendo de ly, ſupernaturale, quia ly ſupernaturale, tam in antecedente quam in conſequenre, aut determinat idem (puta) ly ens, & tunc bona eſt conſequentia, & antecedens, & conſequens ſunt vera, vnde iſta eſt vera, exiſtentia corporis eſt cognoſcibilis ſupernaturaliter, ad iſtum ſenſum, ens ſupernaturale ſupernaruraliter eſt cognoſcibile. Aut ly ſupernaturale in antecedente determinat ly ens, & in conſequente ly cognoſcibile, ſeu cognoſcibilitatem rei, tunc non valet conſequentia, quia tunc antecedens eſt verum, & conſequens falſum. vnde illa eſt falſa', illa exiſtentia non eſt cognoſcibilis niſi ſupernaturalirer. Ex quo patet, quod illa conſequentia nihil valet, eſt ens ſupernaturale, ergo non pōt cognoſci niſi ſupernaturaliter. Et ratio huius eſt, quia ly ſupernaturaliter aliter connotat in antecedente, quam in couſequente. Vnde in anrecedente denotat, ſeu determinat rem ſub ratione, qua eſt factibilis à ſua cauſa, & eſt cognoſcibilis. Vnde ſtat bene quod aliqua res fiat ſupernaturaliter, & quod naturaliter cognoſcatur. Er ratio huius eſt, quia quantumcunque producatur aliquid ſupernaturalitet, poſtquam eſt productum eſt quid creatum, & per conſequens eſt obiectum proportionatum intellectui creato, & ſic poteſt intelligi. Et per hoc paret ad iſtam conſequentiam quæ fiebat. Bene ſequit̄ eſt factibile ſupernaturaliter, ergo eſt cognoſcibile ſupernaturalitet, diſtingo quod bene ſequitur, aut quod ly ſupernaturale dererminat idem, puta ly ens incluſum in ly factibile vniformiter in antecedente & conſequente, & ſic concedo, aut difformiter, ita quod in antecedente determinat ly factibile, & in conſequente ly cognoſcibile, & ſic nego. Ex quo patet ad formam quod neganda eſt iſta conſequentia, & cum probatur negatur iterum conſequentia, & cum probatur per ſimile de ly factibile. Reſpondetur per diſtinctionem, vt patet ſuperius. Hactenus Tartaretus: quæ omnia deſumpſit ex Doctore ibi in ſolutione ad primum. Quam ſententiam communiter defendunt Scotiſtæ ibidem, & Frater Ioſephus Angles in ſuis Floribus in ſecundo diſtinctione tertia, quæſtione quarta. difficultate. 12. concluſione prima. Vbi ſic ait, Angeli, ſi loquamur de poſſibili, poſſunt omnia myſteria gratiæ ſcire, nempe incarnationem, id eſt ineffabilē vnionem humanitaris à Verbo aſſumptæ, & videre Chriſtum in Eucha riſtia & cognoſcere gratiam quæ datur per ſacramenta, &c. Probant autem iſtam ſententiam, primo quia myſteria gratiæ ſunt entia creata & omne ens creatum eſt naturaliter ab Angelo, & ab anima ſeparata intelligibile, quod paret quia ens naturale à ſupernaturali nō diſtinguitur ex parte maioris vel minoris perfectionis, ſed ex parte principij actiui. Quare ſupernaturale dicitur illud quod dicit ordinem ad agens ſupernaturale, ſi tamen ſecundum ſe conſideretur tali ordine ſecluſo eſt obiectum proportionatum intellectus noſtri, ergo poterit Angelus quodcunque ens creatum ſecundum eſſe abſolutum quod habet intuitiuè cognoſcere.

¶Secundò. Viſio beatifica alicuius Angeli, vel animæ beatæ non minus eſt ſupernaturalis quam quodcumque myſterium gratiæ, ſed vnus Angelus beatus poteſt videre viſionem beatificam alrerius beati ergo. ¶Tertio, quia ſicut anima Chriſti Domini naturaliter vide exiſtenriam corporis in Euchariſtia, poterit ſimiliter quilibet ſpiritus ſeparatus naturaliter hoc idē cognoſcere.

¶Quartò, non obſtat quin poſsint naturaliter cognoſci myſteria gratiæ quod modus exiſtendi corporis Chriſti in Euchariſtia, & humanitatis in Verbo ſit ſupernaturalis, nam eſſentia Angeli eſt ens ſupernarurale, & tamen naturalirer intelligitur ab ipſiſmet Angelis. ¶Confirmatur, quia gratia, & charitas, & reliquæ ſupernaturales virtutes ſunt in tertia ſpecie qualitatis. ¶Eandem ſententiam docet in quarro quæſt. de exiſtentia corporis Chriſti artic. vndecimo, cōcluſione ſecūda. Vbi ſic ait, intellectus ſeparatus beati naturaliter poteſt corpus Chriſti in Euchariſtia videre. Probatur primo, quia intellectus ſeparatus poteſt naruraliter notitiam intuitiuam ſubſtantiæ panis, & non tantum accidentium habere, ergo poterit notitiam intuitiuam corporis Chriſti ſub illis accidentibus exiſtentis habere. Vis huius illationis ita demon-

monſtratur. Corpus enim Chriſti ſub accidentibus eſt obiectum intellectui noſtro proportionatum quemadmodũ panis ſubſtantia cum ſit finitum. Antecedens vero ſic confirmatur. Ratio ob quam intellectus noſter coniunctus non poteſt intuitiuè formas ſubſtantiales videre, eſt propterea, quod notitiam alicuius obiecti niſi medio ſenſu habere non poteſt, & quæ ſenſibus percipiuntur ſunt accidentia ſola: vnde fit vt pro hoc ſtatu viſio intuitiua non de ſubſtantia, ſed ſolum de accidenti habeatur. Verum enim vero cum intellectus ſeparatus in cognoſcendo à ſenſibus non dependeat, poterit intuitiuè formã ſubſtantialẽ, paniſque ſubſtantiam cognoſcere. Deinde intellectus ſeparatus abſentiam panis poteſt naturaliter cognoſcere, quia cognoſcens habitum & priuationem cognoſcere poterit, igitur naturaliter Chriſti præſentiam cognoſcere. Ita enim eſt intellectui ſeparato obiectum proportionatum Chriſti Ieſu præſentia, ſicut panis abſentia. Nam vtrumque eſt obiectum finitum.

¶ Secundò. Sicut res ſe habet ad eſſe ita ad cognitionem, ſed ſubſtantia ſub accidentibus contenta prior eſt accidẽte, ergo prius natura intellectus ſeparatus cognoſcet corpus Chriſti ſub accidentibus contentum quam accidentia.

¶ Tertiò, ſupernaturalis modus exiſtendi quem ibi habet corpus Chriſti non obſtat quominus ab intellectu ſeparato poſsit naturaliter cognoſci, quia naturale & ſupernaturale non mutant eſſentiam rei, cum eiuſdem rationis ſit homo genitus, & creatus, quapropter neque variabitur ratio cognoſcendi ipſum, perinde ac ſi ſub modo naturali & accidentibus eſſet.

¶ Vltimo, intellectus ſeparatus naturaliter cognoſcit ſubſtantias ſpirituales, quamuis ſunt inextenſæ, ergo quamuis corpus Chriſti in Euchariſtia ſit inextenſum naturaliter poterit videre illud.

¶ In hac tamen quæſtione fateor me non percipere quomodo ſententia Doctoris poſsit veritatem habere, quia cum talia entia ſint obiecta ſupernaturalia, non poſſunt à potentia naturali percipi, niſi talis potentia eleuetur, vt dixi in primo Diſputatione prima quæſtione ſecunda, tertia, & quarta. Neque argumenta Tartareti aliquid probant, vt ſatis de ſe patet, niſi forſan intelligatur prædicta Doctoris ſententia quantum ad aliqua prædicata communia. Et hęc ſufficiant pro hac quæſt. & diſputatione. *Sententia authoris.*

DISPV-

DISPVTATIO DVODECIMA, DE MODO COGNITIONIS Angelorum, Continet quatuor Quæſtiones.

Prima, Vtrùm Angelus poßit habere ſimul plures actus intelligendi.
Secunda, Vtrùm Angelus poßit vti ſimul pluribus ſpeciebus.
Tertia, Vtrùm intellectus Angeli ſit diſcurſiuus.
Quarta, Vtrùm in Angelis ſit cognitio matutina, & veſpertina.

TEXTVS.

Concedo quod Deus poteſt immediatè cauſare intellectionē, ſed quia Angelus non poteſt ſimul plures intellectiones habere, vel illa intellectio quam Deus cauſaret ſemper ineſſet ſibi actualiter, & per conſequens non intelligeret aliud, vel oporteret, quod Deus de nouo cauſaret iſtam, poſtquam Angelus intellexit aliud, & vtrumque eſt inconueniens; melius igitur ponitur ſpecies cauſati, vt ſit habitus, & cognitio per ſpeciem, & ſic poteſt ſe reducere ad actum, quando placet diſt. 3. q. 9. litera H. in quadā additione.

EXPLICATIO LITERÆ.

In hac litera R. cuidā obiectioni factę cōtra ſententiā Doctoris aſſerētis Angelū cognoſcere Deum, ſiue diuinam eſſentiam cognitione abſtractiua per ſpeciem repræſentātem illā diſtinctè. Contrà quod obijcitur, nam poſſet Deus talem cognitionē efficere abſque ſpecie, & per conſequens, videtur non neceſſaria talis ſpecies, Reſpōdetur concedendo primum, quod Deus poteſt cauſare talem intellectionem, quod eſt intelligendum, nempè quod Deus poteſt producere immediate verbum mentis, cum quidquid poteſt per cauſam ſecundam poſſit etiam per ſeipſum immediatè, vnde cum poſſit per ſpeciem intelligibilem, & intellectum noſtrum tanquam per cauſas efficientes producere verbum mentis, poterit etiam immediatè per ſeipſum illam eādem qualitatem producere. Neque contra præcedentem doctrinam obſtat quod Deus nō poteſt ſupplere operationem vitalem, & productio verbi eſt operatio vitalis, ergo non poterit Deus illam ſupplere. Reſpondetur enim quod productio verbi non eſt operatio vitalis, qualis eſt intelligere, ſed eſt actio, & cum verbum non producatur per intelligere, ſed per dicere. Hinc prouenit quod verbum non producatur per operationem vitalem, neque Deus ſuppleat operationem vitalem, ſed tantum ſupplet actiuitatem principij productiui, ſcilicet, ſpeciei intelligibilis & intellectus. Vnde verbum non eſt terminus ipſius intelligere, ſed dictionis, ſiue dicere. Imo verbum eſt principium formale ipſius intelligere. Ex quo prouenit quod quāuis Deus poſsit immediatè ſe ſolo producere verbum, non tamen poteſt immediatè facere me intelligere ſine verbo; quia ſicut anima eſt ratio formalis viuendi, ita quod implicat, poſſe Deū facere hominem viuere ſine anima, ita implicat hominem intelligere ſine verbo, quia verbum eſt ratio formalis intelligendi, & Deus non poteſt ſupplere vicem cauſæ formalis. Vnde quando in litera dicitur, quod Deus poteſt immediatè cauſare intellectionem, intellige qualitatem illam, quæ eſt verbum, non tamen intelligere, quia intelligere eſt ipſum operari vitaliter, intellectio autem eſt qua intellectus per modum principij formalis vitaliter operatur.

¶ Addit ſecundo Doctor in litera quod Angelus non poteſt ſimul plures intellectiones habere. Quod ſi obijcias, vt aduertit Gratianus de Brixia Doctorem in 4. diſt. intentione. 49. aſſerentem quod actus beatificus ſemper manet, & eſt ei adæquatus intenſiuè, non tamen eſt adæquatus intellectui beato extenſiuè, quia ſimul cum illo poteſt habere alium actum cognoſcendi res in genere proprio & ſeipſo, & per conſequens

ſequens videtur dicendũ plures actus poſſe eſſe in Angelo. Reſpondetur enim cum eodem Gratiano, quod aliud eſt loqui de Angelo in ſtatu viæ, & non beatifico, & aliud eſt loqui de illo in ſtatu beatifico. Ratio autem huius differentiæ deſumitur, ex differentia, quæ eſt inter actũ, & aliũ ſtatum, nẽpe, inter ſtatim viæ, & ſtatim beatificũ. Imo, & in nobis poſſunt eſſe plures actus cognoſcẽdi ſimul, quando inter ſe habẽt aliquã connexionem. Sicut v. g. quãdo intellectus ponit differentiam inter aliqua duo, ſimul cognoſcit vtrumque, & ſimiliter cognoſcens principium, & concluſionem; ſimul habet actus cognoſcendi principium, & cognoſcendi concluſionem, & quia inter tales actus talis eſt connexio, quod ad vnum ſequitur alius; ideo propter talem connexionem ſtant ſimul concomitanter. Doctor autem in præſentiarum intelligendus eſt de actibus diſparatis.

¶Tertio docet Doctor, quod ſi Deus cauſaret immediatè illam intellectionem, ſemper eſſet agens illud intelligens, & per conſequens, quod non intelligeret aliud, & ſic non eſſet in poteſtate Angeli (iſtud intelligentis) aliud intelligere.

QVÆSTIO PRIMA.

¶*Vtrùm Angelus poſsit habere ſimul plures actus intelligendi.*

Prima ſententia Durandi.

DE hac re eſt prima ſentẽtia Durandi in 2. diſtinctione. 3. quæſtione. 8. numero. 6. aſſerentis quod Angelus intelligit ſe, & alia à ſe, reſpectu autem ſui ſemper eſt in actu ſecundò, quia vnumquodque per hoc intelligitur, quia præſens eſt intellectui, Angelus autem ſemper ſibi ipſi præſens eſt, ergo & idem eſt de omnibus incorruptibilibus, quia ſemper ſunt ei præſentia. Reſpectu autem futurorum, quæ dependent ex ſolis cauſis naturalibus Angelus ſemper eſt in actu ſecundo, quia etſi talia non ſint præſentia naturæ angelicæ ſecundum eſſe propriæ exiſtentiæ tamen ei præſentia ſunt ſecundum eſſe quod habent in cauſis ſuis. Quæ autem dependent ex libero arbitrio noſtro, vel Angeli dum futura ſunt, non ſunt actu cognita ab Angelo, niſi forte per aliquam coniecturam. Dum autem ſunt actu, cognoſcuntur ab Angelo. Quæ autem ſunt ſupernaturalia & ex ſola voluntate Dei dependent, neque futura, neque præſentia cognoſcuntur ab Angelo niſi per reuelationem. Numero autem ſeptimo inſurgit Durandus contra prædicta dicens. Sicut vnitas motus requirit vnitatem termini, ſic vnitas operationis requirit vnitatem obiecti, ergo non videtur poſsibile, quod Angelus vno actu, ſimul intelligere plura poſsit, quod eſt contra ea, quæ dicta ſunt. Reſpondet Durandus quod cum intelligere fiat in nobis per hoc quod intelligibile ſit præſens intellectui, & ſimiliter in Angelo, quam præſentiam non facit ſitus, ſed ordo omnia illa habent rationem vnius intelligibilis, & vno actu intelligi poſſunt ab Angelo, quæ ſub vno ordine ei præſentari poſſunt. Omnia autem, quæ cognoſcit Angelus naturaliter ea ſub vno ordine, & in ordine ad vnum præſentantur eidem, videlicet in ordine ad eſſentiam ſuam, quæ talem gradum tenet in entibus, quod alia tam ſuperiora, quam inferiora ſunt ei præſentia; vel in ſe, vel in cauſis ſuis, & ideò poſſunt ſimul & vnico actu ab Angelo cognoſci. Hæc autem ſententia Durandi probatur. Primò, nam quilibet Angelus comprehenſiue cognoſcit ſe, ergo & comprehenſiue cognoſcit quidquid eſt in illo, ſed in Angelo ſunt ſpecies vniuerſales, naturales ſimilitudines rerum, ergo cognoſcendo ſe comprehenſiuè, cognoſcit etiam comprehenſiuè illas naturales ſimilitudines omnium rerum, quas in ſe habent, ſed illæ non poſſunt comprehenſiue cognoſci niſi cognitis ipſis rebus, quarum ſunt naturales ſimilitudines, ergo per vnum actum (quo cognoſcit ſe,) plures res ſimul cognoſcit.

Secundum argum.

¶Secundò. Implicat comprehenſiuè cognoſcere ſpecies, & non cognoſcere quod per illas ſpecies repræſentatur, ſed Angelus per vnicum actum cognoſcit omnes ſpecies, quas in ſe habet, ergo & per illum actum cognoſcit omnia quæ per illas ſpecies repræſentantur. Probatur maior. Nam ſpecies ſunt agentia naturalia, ergo agunt inquantum poſſunt, & producunt quantum poſſunt producere, ergo comprehenſiuè cognoſcens ſpecies neceſſario cognoſcet omne illud, quod per ſpecies illas

illas repræſentatur. Minor autem probatur quia Angelus comprehenſiuè cognoſcit ſe, & per conſequens cognoſcit quidquid in illo reperitur.

Tertiũ argumen. ¶ Tertio. Si Angelus non vnico actu intelligeret ſe, & omnia alia à ſe, ergo exiſtens in actu reſpectu ſui, poſſet eſſe in potentia reſpectu aliarum rerum, quæ per ſpecies repræſentantur, & per conſequens, non poſſet Angelus de illa potentia exire ad actum. Patet ſequela, nam ſi aliqua ratione hoc poſſet contingere, maximè quia exiſtens ſub actuali conſideratione vnius obiecti, vult cognoſcere aliud obiectum, ſed voluntas non poteſt ferri in obiectum incognitum, ergo neceſſario Angelus habet cognitionem cuiuſcunque obiecti, ſed hoc nõ poteſt fieri, niſi quia vnico actu omnia cognoſcit, ergo dicendum eſt quod Angelus non habet ſimul plures actus intelligendi, ſed quod eodem actu ſimul plura cognoſcit.

Secunda ſententia Gregorij. Primum argum. ¶ Secunda ſententia eſt Gregorij in ſecundo diſtinctione 11. aſſerentis quod Angelus, poteſt cognoſcere plura per plures ſpecies perfectè, & per modum plurium, non vnica cognitione, ſed per plures actus elicitos. Probat autem ſuam ſententiam ex ex illo Diui Auguſtini. 4. ſuper Geneſi. ad literam. c. 23. 32. & 34. aſſerentis quod Angelus cuncta quæ voluerit ſimul facillimè apprehendit, quia mens Angelica omnia ſimul poteſt cognoſcere, quæ ſigillatim per ordinem connexarum cauſarum ſermo diſtinguit.

Secundum argum. ¶ Secundo probatur ratione: nam Angelus ſimul elicit diſtinctos actus, & diſtinctas intellectiones, ergo. Probatur antecedens, nam Angelus per ſuam eſſentiam tanquam per ſpeciem intelligibilem ſeipſum cognoſcit, & per eſſentiam diuinam in ratione ſpeciei intelligibilis ſibi vnitam cognoſcit Deum clare, & per ſpeciem inditam ſimul cognoſcit res naturales, ergo Angelus poteſt ſimul plures actus elicitos habere.

Tertia ſententia Doctoris. ¶ Tertia ſententia eſt doctoris, vt patet in litera, quam docent omnes Thomiſtæ cum Diuo Thoma prima parte quæſtione quinquageſima octaua articulo ſecundo. Pro eius explicatione eſt primo notãdum, quod iſta quæſtio ſupponit aliam, quam ſupra tetigimus, nempe, verùm ſpecies intelligibiles Angeli ſint illis connaturales per modum propriarum paſſionum, an vero ſit intellectus Angeli in potentia ad illas. Et ſimiliter dicendum eſt de habitibus intellectualibus, nam ſicut ſpecies ſunt neceſſariæ, ad apprehenſionem, ita & habitibus ad iudicium, vt intellectus ſit rectè diſpoſitus ad iudicandum, & ad bene vtendum ſpeciebus. Pro quo aduerte quod in noſtro intellectu præter intellectum, & intellectionem reperiuntur quædam qualitates mediæ inter ipſum intellectum, & eius intellectionem, quales ſunt ſpecies intelligibiles, & habitus intellectuales: interque eſt hæc differentia: quod ſpecies intelligibiles (cum habeant vices obiectorum, & ſint quaſi procuratores ipſorum) ſimul concurrunt cum potentia, ac ſi ipſum obiectũ concurreret, vnde concurrunt ad apprehenſionem obiecti, habitus autem intellectuales tenẽt ſe ex parte potentiæ intellectiuę, & ſic concurrunt inclinando potentiam ad actum, ex quo prouenit quod non ſunt ita ſimpliciter neceſſarij habitus, ſicuti ſpecies, nam ſpecies ſunt ſimpliciter neceſſariæ ad poſſe facere, habitus verò ad bene facere. Si autem iſti habitus in Angelis debeant eſſe congeniti, ita quod nullatenus ſit ad eos in potentia non ſatis conſtat inter doctores, docent enim nonnulli, prædictos habitus eſſe congenitos, ex eo quia habitus cum teneat ſe ex parte potentiæ eſt magis intrinſecus potentiæ, ipſius, quam ſpecies, ſed ſpecies rerum naturalium ſunt illis congenitæ, ergo. Pro hac ſententia vide Ferraram ſecundo contra agentes cap. 56. & D. Thom. 1. 2. quæſt. 50. articul. 6.

¶ Alij verò prædictos habitus negant in Angelis reſpectu eorum quæ poteſt Angelus naturaliter cognoſcere, ex eo, quia intellectus Angeli eſt perfectus in ſuis operationibus, & habitus ponuntur in potentia ad perficiendum illam, ergo cum intellectus Angeli nõ indigeat aliqua perfectione reſpectu rerum naturalium, neque indigebit aliquo habitu reſpectu potentiæ.

¶ Alij autem cum Caietano, prima ſecundæ quæſt. quinquageſima quarta arti. 4. & quæſtione 63. articulo primo docent quod in intellectu Angelico reperiuntur prædicti habitus intellectuales, nullatenus tamen diſtincti ab ſpeciebus intelligibilibus. Fundamentum huius ſententiæ eſt, nam ſpecies Angelicæ, (cum ſint participatio-

nes diuinæ Ideæ,) altioris ordinis ſunt, quàm ſpecies noſtræ, ex quo prouenit illis, vt habeant rationem principij effectiui perfecti, ſicuti & habitus reſpectu cognitionis, & ſimiliter habeant rationem ſpecierum, nempe, vim ad repræſentandum obiectum.

¶ Alij verò ponunt prædictos habitus realiter diſtinctos à lumine, & ſpeciebus, acquiſitos per proprias operationes Angelorum.

¶ Inter iſtas igitur ſententias aliquid eſt certum, & aliquid eſt ſub opinione. Certum enim eſt quod in Angelis ponendi ſunt habitus ſupernaturales realiter diſtincti ab ipſis ſpeciebus, quibus rebus ſupernaturalibus aſſentirentur, & ratio huius eſt quia intellectus Angeli, quanuis eſſet in actu reſpectu rerum naturalium, ex natura ſua, fuit tamen in potentia reſpectu beatitudinis ſupernaturalis, & per conſequens indigebat habitu, quo res ſupernaturales perciperet, quanuis non indigeret ſpeciebus ſupernaturalibus diſtinctis ab illis, quas habuit infuſas, (vt ſentit Doctor,) vel naturaliter congenitas (vt communiter ſentiunt Thomiſtæ) quod etiam in nobis contingit, quia licet reſpectu rerum ſupernaturalium neceſſarius nobis ſit habitus ſupernaturalis, non tamen ſunt nobis neceſſariæ ſpecies intelligibiles ſupernaturales. Verbi gratia eiſdē ſpeciebus quibus cognoſcimus hominem, & cognoſcimus Deum, cognoſcimus per habitum fidei Deum hominem. Manet tamen ſub opinione, an Angelus indigeat habitibus naturalibus, qui dicuntur virtutes intellectuales, maximè, ſpeculatiuæ: nam iuniores Thomiſtæ, probabiliſsimum iudicant, quod ſicut circa ſupernaturalia in Angelo ſunt habitus præter ſpecies, per quos Angelus conſtituitur in actu primo ad cognoſcendum ſupernaturalia, ita vt certum reputant, quod etiam, in ipſis Angelis circa naturalia eſt aliquis habitus conſtituendus ab ſpeciebus intelligibilibus diſtinctus: Qui habitus vnus tantum eſt, per quem ita ſe habet Angelus ad omnia naturalia, ſicut nos per habitum principiorum, & per plures habitus ſcientiarum ad omnes ſcientias naturales. Fundamentum huius ſententiæ eſt: nam ſecundum Philoſophum ſecundo Poſter. cap. vltimo, in nobis conſtituitur habitus principiorum, qui à

Verùm in intellectu Angeli ſit ponendus habitus naturalis diſtinctus ab ſpeciebus intelligibili.

Prima ſententia.

natura ineſt realiter diſtinctus ab ſpeciebus intelligibilibus, intellectus appellatus, quo ad inuariabiliter iudicandum de principijs per ſe notis, & ad aſſentiendum illis indigeamus, quia per ſpecies intelligibiles tantum extrema apprehendimus, at vero per habitum illum (qui dicitur intellectus) ad iudicandum verè, & inuariabiliter de illis determinamur, ſed reſpectu horum principiorum nullo indigemus diſcurſu, & cum eodem modo ſe habeat Angelus circa omnia naturalia quæ cognoſcit ſicut nos circa prima principia, ſequitur quod Angelus etiam indiget ſimili habitu ad inuariabiliter iudicandum de omnibus, quæ propria virtute cognoſcit. Quod autem ille habitus vnus tantum ſit, ita quod non ſit neceſſe in Angelo habitus multiplicare, reſpectu eorum, quæ naturaliter cognoſcit, ex eo patet, quia ſicut vna ſpecies Angelica poteſt plura ſcibilia, & intelligibilia repræſentare, nihil mirum, ſi vnus habitus ſufficiat in Angelo reſpectu omnium ſcientiarum naturalium, quia ſanè habitus, (vnicus cum ſit) eſt virtute multiplex, quoniam non ſolum eſt habitus principiorum, ſed etiam omnium concluſionum naturalium. Quod ſi quæras ob quam rationem diſtinguitur ille habitus ab ſpeciebus, reſpondent, quia actus primarius ſpeciei eſt apprehendere, habitus autem eſt iudicare, & cum in Angelo vtrùmque reperiatur (ſcilicet, apprehendere, & iudicare) ideo neceſſariæ ſunt Angelo ſpecies vt apprehendat, & habitus vt iudicet.

¶ Secunda tamen ſententia conformior eſt doctrinæ doctoris in ſecundo diſtinctione. 3. quæſtione. 11. quam videtur defendere Caietanus prima ſecundę, quæſtione quinquageſima tertia, articulo primo, nempe, quod Angelus non indiget aliquo habitu, aliquomodo diſtincto ab ſpeciebus intelligibilibus, quibus apprehendit obiecta naturalia, ſed quod lumen intellectus Angelici, (prout accommodatur ſpeciebus intelligibilibus diuerſorum obiectorum) habet virtualiter rationem plurium habituum. Fundamentum huius ſententiæ eſt quia lumen naturale intellectus Angelici eſt perfectum, & comprehenſiuum rerum naturalium, nec aliquod impedimentum habet in ſuis operationibus, ergo nullo indiget habitu: patet ſequela, quia habitus non

Secunda ſententia.

ſunt

ſunt neceſſarij in noſtro intellectu, niſi vel propter imperfectionem illius, vel propter impedimentum luminis natura-lis, ſed intellectus Angeli eſt perfectus, & reſpectu rerum naturalium, neque impeditus, nec impedibilis, qualiter noſter intellectus, ergo non indiget habitu illo perficiente, vel ab illo impedimentum remouentes ad ſuam operationem.

¶ Confirmatur, nam ſi intellectus noſter non eſſet impedibilis, & curis, & quam plurimis alijs rationibus, nempe, quia vix poſt longum temporis ſpatium homines ad cognitionem perueniunt, & quia cognitio intellectualis per abſtractionem à ſenſibilibus fit, & vehementia paſsionum actus contemplationis impeditur, & quandoque plerique propter laborem, & triſtitiam ab inquiſitione veritatis retrahuntur: ideo quanuis habitus principiorum (qui dicitur intellectus) determinet (quantum eſt ex parte ſua) potentiam ad aſſentiendum primis principijs. Sine aliquo diſcurſu, eſt tamen in nobis ſimpliciter neceſſarius propter grauia, & quãplurima impedimẽta quę poſſunt noſtro intellectui inſurgere, at vero reſpectu intellectus Angeli nullus poteſt eſſe error circa veritates naturales, neque poteſt eſſe aliquod impedimentum, ad quod expellendum lumen Angelicum non ſit ſufficiens, ergo non eſt ponendus habitus naturalis à lumine intellectus realiter diſtinctus in Angelis. Et idem dicendum eſt de habitu artis, quòd ars in Angelo non eſt habitus diſtinctus ab ipſo lumine intellectus, quia cum ars in homine duo efficiat: primum cognitionem ſcientificam concluſionum artis, ſecundum, facilitatem quandam, & habilitatem in ipſa executione operis artificioſi, & in practica directione illius, & quantum ad vtrumque Angelus per lumen intellectus, habet ſufficiens principium, & per potentiam executiuam, ergo non eſt aliquis habitus artis in Angelis conſtituendus.

¶ Ex quibus omnibus infertur, dabilem eſſe in Angelo habitum fidei acquiſitæ, & opinionis naturalis circa illa obiecta quæ non pertinent per ſe ad naturalem cognitionem eius. Ratio huius eſt, nam tria ſunt quæ Angelus per eius naturale lumen ſufficienter cognoſcere non valet, verbi gratia myſteria gratiæ, quæ ordinis ſuperioris ſunt, & futura contingentia, ſimiliter cogitationes cordium, quanuis ordinis inferioris ſint, iuxta ea quæ diximus in proprio loco, ſed reſpectu eorum intellectus Angelicus non eſt determinatus, neque per habitum, neque per ſpecies aliquas repræſentatiuas, ergo Angelus indiget aliquo habitu acquiſito ad facile iudicandum de huiuſmodi rebus. *Nota hoc.*

¶ Et confirmatur, nam reſpectu illarum veritatum intellectus Angeli eſt in potentia, ergo poteſt perfici per habitum ex pluribus actibus generatum. Iuxta hoc poteſt intelligi illud Iacobi, dæmones credũt, &c. Nam conuicti miraculorum euidentia ad iudicandum de illis inclinantur. De futuris autem contingentibus ex eo patet, quia quanuis Angelus habeat ſpecies congenitas omnium rerum, non tamen poteſt cognocere futura contingentia, niſi quibuſdam coniecturis, & per conſequens cum ſit in potẽtia Angelicus intellectus poterit pluribus actibus habitum generando determinari. De cognitionibus autem cordium diximus ſupra: de his igitur omnibus poteſt Angelus habitum acquiſitum habere, quia ad ipſum obiectum nude propoſitum manet intellectus non ſatis propenſus, aut determinatus, & idcirco indiget habitibus iſtis.

¶ Secundò eſt notandum, præſupponendum etiam eſſe, quomodo ſe habeat Angelus reſpectu actualis conſiderationis, & ratio huius eſt, nam Angelus naturaliter poteſt cognoſcere Deum, ſeipſum, & alia entia naturalia. Si Angelus poteſt eſſe in potentia ad cognitionem ſui, & ſemper eſt in actuali conſideratione ſeipſum cognoſcens, & in actu ſecundo: communis ſententia eſt fere omnium, quanuis aliqui ex Thomiſtis contrarium ſentiant, quod probant alij ex Thomiſtis ex D. Thom. de veritate quæſtione. 8. articulo. 6. ad. 7. & articulo. 24. ad. 6. &. 1. part. quæſtio. 56. articulo. 2. ad. 3. & docent Caietanus. 1. part. quæſtione. 58. articulo. 2. Ferrara ſecundo contra gentes c. 57. & Capreolus in ſecundo diſtinctione. 3. quæſtione. 2. in reſponſione argumenta contra priorem reſponſionem, præſertim ad tertiam probationem. Et fundamentum huius eſt, quia eſſentia Angeli eſt obiectum maximè proportionatum eius intellectui, & ei vnitum *2. Notab.* *Vtrũ Angelus ſit ſemper in actuali cognitione ſui.* *Prima ſententia.*

vnitum intime in ratione intelligibilis, ergo Angelus ſemper eſt in actu ſecundo reſpectu cognitionis ſui, patet ſequela nam poſito obiecto & potentia, neceſſario ſequitur actio, niſi aliunde impediatur, nihil tamē poteſt reperiri quod talem actum impediat, ergo. Minor probatur, nam, ſi aliquid maximè cognitio aliarum rerum, ſed hoc ooo quia cognitio ſui ipſius eſt principium, & fundamentum cognoſcendi alia à ſe. Præterea quia cum omne viuens habeat aliquam operationem illi neceſſario ſemper conuenientem, & Angelus ſit viuens perfectiſsimum, neceſſario videtur quod aliqua operatio illi ſemper conueniat, nulla autem videtur aſsignabilis niſi cognitio ſui ipſius, ergo. Neque obſtat dicere ſatis eſſe quod Angelus ſit ſemper intelligens, non tamen eſt neceſſarium, quod ſemper ſe intelligat: ſicut ſimiliter licet neceſſarium ſit, quod Angelus ſit in actuali volitione, non tamen eſt neceſſarium quod ſit ſemper in actuali volitione ſui ipſius, & per conſequens non eſt neceſſarium quod ſemper ſe intelligat, ſed ſufficit quod vage neceſsitetur ad hanc, vel illam, quamuis quamcunque determinate libere eliciat intellectionem. Reſpondetur tamen quod ſicut motus cordis in animalibus eſt fundamentum aliorum motuum, & ideo naturalis eſt, & neceſſarius, ita in Angelis cognitio ipſius eſt quaſi fundamentum, & gubernaculum omnium cognitionum naturalium, & illa cognitio eſt immutabilis. Sic etiam conſuetum eſt in natura vt omnes motus reducantur ad aliquod immobile, & ideo ille actus eſt quaſi naturaliter dimanans per modum paſsionis, nec refert plurimum quod actiuitas, & influxus circa ipſum actum ſit vitalis, quia non repugnat influxum eſſe vitalem, & eſſe per modum naturalis emanationis, ſicut patet in illo motu cordis, & ita Angelus non poteſt velle ceſſare à cognitione ſui, & quia videt illum actum eſſe quaſi paſsionem dimanantem naturaliter, & quia iudicat illum eſſe ſimpliciter neceſſarium ad ſuam naturalem perfectionem, & ceſſante illo non poſſe exercere cognitionem; neque commode alios actus, & etiam, quia videt ex tali actu ſuam naturalem beatitudinem dependêre. Quare non eſt contra perfectionem viuentis ſemper aliquem actum vitæ continuare, imo eſt illi maximè conforme, & conſeotaneum, & in homine etiam animal rationale (vt ſic) ſemper eſt in aliquo actu ſecundo, quod ſi contingat non ſemper continuare dum eſt in corpore actum voluntaris, & intellectus, illud quidem eſt ex imperfectione, & dependentia à ſenſibus, quare ſeparata à corpore ſemper ſe intelligit.

Secunda ſententia.

¶ Alij autem oppoſitam tuentur ſententiam, dicentes, Angelum non ſemper ſe intelligere, quia Angelus non neceſsitatur ad intelligendum ſe, ergo poteſt non intelligere ſe. Patet conſequentia, & antecedens probatur, quia talis intellectio non dimanat per modum propriæ paſsionis, & cum Angelus habeat voluntatem, per illam eſt Dominus ſuorum actuum, & ſicut poteſt vti illa, vel illa ſpecie, ita poteſt vti ſua eſſentia ad intelligendum ſe, & poteſt non vti illa ad non intelligendum ſe. Et quod actus cognitionis ſui non fiat per naturalem reſultantiam, patet ex eo, quia eſt actus liber, nec Angelus cognoſcit in ſui intellectione conſiſtere aliquod ſummum bonum, ſimpliciter neceſſarium, neque ſuam beatitudinem, aut quid ſimile, non eſt igitur vnde voluntas neceſsitetur, ergo cum talis actus ſit ſubditus voluntati, non eſt dicendum quod Angelus per quandam reſultantiā illum habeat, cū hoc ſit cōtra rationē ipſius actus, nec ꝙ voluntas ſit neceſſitata quoad exercitū, quo ad illū, vnde dicendum dicunt, quod licet ſit rationi conforme Angelum neceſſario eſſe in aliqua operatione actuali, ob id, quod perfectioni ipſius Angeli conſentaneum non eſt quod aliquando ſit otioſus, aut quaſi dormiens, nulla tamen neceſsitas eſt, neque ratio, cur ſit circa determinatam operationem.

Sententia authoris.

¶ Mihi tamen videtur dicendum iuxta ea quæ docet doctor in hoc ſecundo diſtinctione tertia, quæſtione decima, litera. H. quia non habemus regulam de intellectu Angelico, nec enim poſſumus attribuere illi omnem perfectionem, quæ eſt in intellectu ſimpliciter, nec tantam imperfectionem, quantam experimur in intellectu noſtro, rationabile tamen eſt, tribuere illi omnem perfectionem quæ conuenit intellectui creato. Hinc prouenit, quod poſſumus dicere, quod Angelus reſpectu ſui ſemper eſt in aliquali cognitione ſui ipſius, imo & omnium cognoſcibiliū naturalium, non tamen in adæquata cognitione ſui ipſius.

ſius. Et hoc modo facile explicatur quomodo poſsit Angelus ab vna intellectione diuertere ſe ad aliã, ſicut etiã cõtingit noſtræ potentiæ viſiuæ, quæ ſimul plura videt, nõ tamen adæquata viſione: ita Angelus ſe, & omnia naturalia ſimul videt, non tamen adæquata viſione, neque hoc eſt ponere imperfectionem in Angelo, ſed ponere non tantam perfectionem, quantam authores primæ ſententiæ illis tribuunt. Et ſic patet quomodo Angelus intendens, & conſiderans vnam rem cognitione adæquata & diſtincta, cognoſcat ſimul alias res cognitione inadæquata, & confuſa, quæ cognitio confuſa ſufficiens eſt ad mouendum voluntatem Angeli, vt conuertat intellectum ad cognoſcendum, diſtinctè rem quam cognoſcebat confuſe. Hanc ſententiam probabiliorem dicunt authores primæ ſententiæ prima parte quæſtione quinquageſima octaua articulo ſecundo, quæſtione tertia, dubio ſecundo in explicatione propriæ ſententiæ dicentes probabilius eſt quod Angelus cognoſcendo ſe, & ſuas ſpecies cognoſcit aliquo modo ſimul omnia quæ per illas ſpecies repræſentantur, non cognitione diſtincta, & quidditatiua, ſed confuſa, ſufficienti tamen ad cognoſcendum diſtinctè ipſas ſpecies & differentias inter illas. Dicitur tamen illa cognitio confuſa, non quod per illam cognoſcantur res repræſentatæ ſolum ſecundum prædicata communia, nam hoc non ſufficeret, & ideirco cognoſcuntur aliquomodo, ſecundum propria, ſed vocatur confuſa, quia per illam Angelus non penetrat diſtinctè quidditates, & proprietates, omnium rerum, ſed illas imperfectè cognoſcit, magis quantum ad an eſt, quam quantum ad quid eſt. Hæc autem cognitio haberi poteſt de rebus repræſentatis per ſpecies ipſas obiectiue cognitas, & conſequenter, ſpecies ipſæ non perfectius cognoſci poſſent, niſi prius cognitis ipſis rebus repræſentatis in ipſis, & hæc quidem cognitio ſufficit, vt Angelus poſsit velle applicare ſe ad cognitionem diſtinctam, circa hoc vel illud particulare; qui modus dicendi inſinuatur à Caietano articulo ſecundo ſequenti, & à Ferrarienſi vbi ſupra. Hactenus prædicti. Ex quibus omnibus ſatis patet quomodo Angelus exiſtens in actuali conſideratione adæquata alicuius obiecti, poſsit habere inadæquatam cognitionem alterius, neque in hoc reperitur aliqua repugnantia, neque aliqua difficultas, quia cum nõ ſit minoris actiuitatis, neque capacitatis intellectus Angelicus, quam potentia noſtra viſiua, ſi hoc noſtræ conceditur viſiuæ potentiæ, & intellectui Angelico non eſt denegandum.

¶ Infertur etiam ſecundo quod poteſt Angelus inadæquatam cognitionem habere ſui ipſius, & ratio eſt, quia poteſt habere adæquatam aliarum rerum, non habendo adæquatam cognitionem ſui ipſius, ergo poteſt Angelus habere inadæquatam ſui ipſius cognitionem habere. *Primum Corollar.* *Secundum Corollar.*

¶ Ex quo infertur tertio quod quamuis Angelus poſsit habere adæquatam cognitionem ſui, & adæquatam cognitionem Dei, quatenus eſt author naturæ, poteſt etiam habere adæquatam cognitionem ſui, & inadæquatam cognitionẽ Dei, & ſimiliter adæquatam cognitionem Dei, & inadæquatam cognitionem ſui. Prima pars huius Corollarij ex eo patet, quia Angelus poteſt ſe conſiderare quatenus habet Deum finem naturalem, & ſicut ſupra dicebamus in explicatione literæ, ſimul poteſt habere cognitionem principij, & concluſionis, ex tali principio deductæ, ergo ſimul poteſt Angelus habere cognitionem adæquatam ſui, & cognitionem Dei, vt eſt author naturæ & finis naturalis ipſius, patet ſequela, quia cognitio iſta, quam de ſe Angelus haberet, eſſet cognitio comprehenſiua, & quo ad prædicata abſoluta, & quo ad prædicata reſpectiua vt ad authorem naturæ, ergo cognoſcendo ſe neceſſario debebat cognoſcere dependentiã, quam habet à Deo, vt authorem naturæ, & per conſequens, neceſſario debebat cognoſcere Deum: patet ſequela, quia implicat intelligere dependentiam aliquam, non intellecto termino talis dependentiæ, ergo cum adæquata cognitione ſui ſtat adæquata cognitio Dei, vt eſt author naturæ. *Tertium Corollar.*

¶ Secunda autem pars corollarij probatur, quia non neceſsitatur Angelus ad intelligendum ſe adæquatè, ergo poteſt habere inadæquatam cognitionem ſui, & ſimiliter non neceſsitatur Angelus ad habendum adæquatam cognitionem Dei, vt eſt author naturæ, nam ſi ſic, maximè, quia Deus vt ſic eſt finis naturalis ipſorum quantum ad ſuam beatitudinem naturalem, ſed

hoc non obſtat, quia etiam dæmones ſunt Angeli, & tamen non neceſsitantur ad habendum iſtam adæquatam cognitionem, ex eo quod non habent naturalem beatitudinem, quia certum eſt dæmones non habere aliquam beatitudinem, neque naturalem, neque ſupernaturalem cum ſint omnibus modis miſeri, ergo ex hac ratione, nempe, ex beatitudine naturali, Angelorum, non licet colligere illos ſemper eſſe in actuali conſideratione Dei, maximè, quia in natura eleuata, (qualis eſt natura Angelica, & humana) non eſt naturalis beatitudo diſtincta à ſupernaturali: quia cum carentia Dei clare viſi nulla ſtat beatitudo. Dicitur autem beatitudo naturalis Deus vt author naturæ, quia ſi Deus non conderet nos vel Angelos, vt frueremur ipſo clare viſo, poſſet Deus, vt author naturæ, noſtrum appetitum quietare, nullum igitur inconueniens eſt (imo ni fallor) neceſſario fatendum quod cum cognitio Dei, & cognitio ſui poſsint eſſe duo actus diſtincti in Angelo, poſſe ſtare cum cognitione adæquata ſui cognitionem inadæquatam Dei, & cum cognitione adæquata Dei cognitionem inadæquatam ſui.

4. Corol. ¶ Ex quibus infertur quarto, quòd quanuis Angelus reſpectu ordinis vniuerſi, ſemper ſit in actuali cognitione, non tamen ſemper habet adequatam cognitionem omnium rerum, imo nõ eſſe neceſſarium Angelũ habere aliquem actum adæquatum reſpectu alicuius obiecti, ſed pro ſua libertate habere actum inadæquatum reſpectu cuiuſcunque obiecti à ſe cognoſcendi. Hoc Corollarium probatur, ex eo quod Angelus intelligens, per vnam ſpeciem (quæ repræſentatiua eſt plurium, & diuerſarum rerum) non eſt neceſſe habeat actum adæquatum illi ſpeciei ſecundum omnem eius amplitudinem, nam alias ſequeretur in ſententia Diui Thomæ, quod Angelus qui per vnam ſpeciem intelligit omnia, neceſſitaretur ſimul ad cognitionem omnium rerum, & ad omnem varietatem intelligibilem, & modum rerum, & totius vniuerſi, quod cum libertate Angeli pugnat, nam poteſt Angelus pro ſua libertate modo cognoſcere, hoc modo illud, & non neceſſitari ad cognoſcendum omnia. Nec eſt ſimilis ratio de intellectu diuino, cum ille ſit actus puriſsimus, & nullo modo in potentia.

¶ Tertiò eſt notandum, (vt præſenti reſpondeamus quæſtioni) quod intelligere plura contingit dupliciter, vno modo ſeorſum, id eſt ſine aliquo ordine vnius ad alterum: ſecundo modo plura, vt habent rationem vnius, & cum aliquo reſpectu, & ordine vnius ad alterum, ita quod illa plura comparentur ad intelligentem tanquam vnum obiectum. 3. Notab.

¶ Vltimò eſt notandum, quod intelligere plura per modum plurium contingit dupliciter, vno modo diſtincta, & perfecta cognitione, ſecundo modo imperfecta, & confuſa cognitione. 4. Notab.

¶ Prima concluſio. Angelus non poteſt habere plures cognitiones adæquatas plurium obiectorum. Hæc concluſio probatur, Tales cognitiones repugnant intellectui Angelico, ergo. Probatur antecedens, cognitio adæquata vnius obiecti includit adæquatam conſiderationem intellectus reſpectu illius obiecti, ſed adæquata conſideratio vnius obiecti excludit adequatam conſiderationem alterius obiecti, ergo. Prima cõcluſio.

¶ Confirmatur, quia ex eo Angelus non poteſt eſſe in pluribus locis adæquatis, quia in tali caſu neuter eſſet adæquatus locus Angeli, cum virtus motiua non poſsit in Angelo eſſe multiplex, ergo nec Angelus poteſt habere plures intellectiones adæquatas, nec illas producere, alias neutra eſſet adæquata cognitio. Quod ſi dicas quod quanuis illæ intellectiones ſint adæquatæ in ordine ad obiecta, eſſe tamen inadæquatas in ordine ad potentiam, vnde quanuis cognitio vnius Angeli ſit adæquata in ordine ad obiectum, non tamen eſt adæquata in ordine ad potentiam, quia Angelus ſuperior comprehenſiuè cognoſcens infimũ, habet cognitionem adæquatam illius, non tamen habet cognitionem adæquatam in ordine ad potentiam, quia poteſt ille Angelus maiorem cognitionem habere, quam habet de illo obiecto. Vt verbi gratia, cognoſcens Angelus infimum, poteſt cognoſcere & ſupremum, & præterea, quia vnus Angelus poteſt audire ſimul duos Angelos loquentes, etiam ſi diuerſe loquantur, ergo Angelus audiens poteſt habere plures cognitiones adæquatas reſpectu obiecti, patet ſequela, quia auditio in Angelis fit per cognitionem. Reſpondetur tamen, quod cum attentio Angeli requiſita ad intelligendum non ſit infinita, ſed finita, & habeat

habeat terminum, ideo neceſſario conſtituendus eſt terminus aliquis in numero cognitionum etiam remiſſarum, quanto magis in cognitionibus adæquatis, & cum in opinione doctoris Angelus per vnam ſpeciem vnicum tantum cognoſcat obiectum, idem eſt dicere, quod Angelus non poteſt cognoſcere plura cognitione adæquata cuiuslibet, ac dicere, quod Angelus, non poteſt vti ſimul pluribus ſpeciebus ad cognoſcendum plura obiecta adæquata.

Secunda conclu. ¶ Secunda concluſio, Angelus poteſt cognoſcere plura per modum vnius obiecti, adæquati: hæc concluſio probatur quia illa plura habent vnum ordinem intelligibilem adæquatum potentiæ, vel illi proportionatum, ergo poſſunt illa plura cognoſci cognitione adæquata ab Angelo.

¶ Confirmatur, nam Angelus poteſt cognoſcere ſe, & Deum, vt eſt author naturæ vnica cognitione adæquata, ſed talis cognitio eſt plurium(vt dicunt ordinem in ter ſe) ergo cognitio plurium obiectorũ vt habent rationem vnius obiecti poteſt competere Angelo.

¶ Confirmatur ſecundo. Nam beatus ſimul cognoſcit res in verbo, & in propria natura, & ſimul habet cognitionem plurium rerum, ex eo quod illę cognitiones dicunt ordinem inter ſe, quatenus vna alteri ſubordinatur, & neutra alteram impedit, ergo & poteſt Angelus plura obiecta ſimul cognoſcere dummodo illa ſint ordinata inter ſe.

Tertia cõcluſio. ¶ Tertia concluſio, Angelus poteſt cognoſcere plura obiecta per modum plurium cognitione tamen remiſſa, & imperfecta. Hæc concluſio probatur, nam ad cognitionem requiruntur ex parte principij actiui intellectus, & ſpecies, ex parte autem principij formalis intellectus, & verbum, ſed poteſt intellectus Angeli remiſſe, & imperfectè affici pluribus ſpeciebus, & pluribus verbis, ſicut idem ſubiectum poteſt affici qualitatibus contrarijs ſub eodem genere in gradibus remiſsis, ergo. Confirmatur quia tota actiuitas intellectus non ſatiatur actiuitate vnius ſpeciei intelligibilis, nec vna ſpecies intelligibilis adæquat totam actiuitatem intellectus, ergo poteſt intellectus vti ſimul duabus ſpeciebus intelligibilibus, & per conſequens duo producere verba. Quod autem talis cognitio ſit imperfecta patet ex eo, quia per illas plures ſpecies non producit verba quæ ita adæquate repræſentent obiecta ſicut ſi quodlibet per ſe obiectum cognoſceretur. Sicut verbi gratia in noſtra contingit viſione, quando ego video exercitum ſimul video plures homines, non tamen ita perfectè video vnumquemque, ſicut ſi ſolum illũ perſpicerem ſigillatim. Ita in propoſito, ſimul Angelus poteſt videre quam plura per proprias ſpecies, ſed non ita perfectè illa cognoſceret, ſicut ſi ſolum vnum quodque per ſe ipſum intueretur.

Quarta cõcluſio. ¶ Vltima concluſio. Si Angelus per vnicam ſpeciem plures cognoſcit, quidditates, poteſt ſimul elicere plures actus cognoſcendi per plures ſpecies, qui licet ſint imperfecti reſpectu ipſarum ſpecierum, & virtutis ipſius Angeli, tamen reſpectu rerum cognitarum poſſunt eſſe perfecti. Hãc concluſionem aſsignant, diſcipuli Diui Thomæ, quam tamen probabimus infra quæſtione ſequenti.

Reſpondetur argumentis.

Ad argumenta pro prima ſententia ad primum. ¶ Ad argumenta Durandi reſpondetur, quod ſententia Durandi fundatur in quodam fundamento falſo, ſupponit enim Durandus Angelum ſemper eſſe in actuali cognitione quod tamen falſum eſt vt ex dictis patet. Vnde ad argumẽtum in forma reſpondetur concedendo antedens, & negando ſequelam, quia non infertur ex illo antecedenti, niſi quod comprehenſiue cognoſcit omnia eſſe in illo, quæ ſunt in illo, & ad talem comprehenſiuam cognitionem ſatis eſt, quod comprehenſiue cognoſcat per aliquem actum illas ſpecies vniuerſales, quas per primum actum cognoſcit habere, & eſſe in illo, per ſecundum actum cognoſcit eſſe naturales ſimilitudiñes illorum obiectorum, quorum ſunt ſimilitudines. Quare ad cognitionem comprehenſiuam ſui ipſius, ſatis eſt Angelum cognoſcere ſe, & ſuam eſſentiam, & quod in illo ſunt naturales ſimilitudines omnium rerum.

Ad ſecundum. ¶ Ad ſecundum reſpondetur concedendo maiorem, & negando minorem, ſi intelligatur de cognitione comprehenſiua, vnius cuiuſque ſpeciei, nam hoc pertinet ad ſecundum actum, quo poſt quam Angelus intellexit ſe habere naturales ſimilitudines omnium rerum, ſecundò actu comprehenſiue cognoſcit, quid vna quæque ſpecies repræſentet.

Ad tertiũ. ¶ Ad tertium reſpondetur, concedendo ſequelam quantum ad cognitionem comprehenſiuam diſtinctam, nam cum cognitione comprehenſiua ſui ſtat, quod habeat Angelus cognitionem confuſam reliquarum rerum, quæ cognitio confuſa ſufficiens eſt ad mouendum voluntatem Angeli, vt vellit diſtincte cognoſcere, quæ antea in confuſo cognoſcebat, ſicut etiam contingit in nobis, qui quãuis diſtincte aliquod obiectum videamus, ſtat tamen cum illa diſtincta viſione talis obiecti confuſa quædam viſio reliquorum obiectorum quæ circa nos ſunt quæ confuſa viſio ſufficiens eſt admouendum meam voluntatem, vt vel indiſtincte videre, ea quæ confuſe videbam. Ita in propoſito, cum actuali cognitione diſtincta vnius obiecti poteſt Angelus habere confuſam alterius, quæ quanuis ſit actus ſecundus, dicitur tamen Angelus eſſe in potentia ad illam, quantum ad cognitionem diſtinctam.

Ad argumenta pro ſecũda ſententia. ¶ Ad argumenta Gregorij reſpondetur ad primum. Ex D. Auguſt. reſpondetur quod mens Angelica adeo facillimè plura cognoſcit, vt videatur ſimul omnia intelligere, quia cum non intelligat per conuerſionem ad phantaſmata, non indiget tanto tempore, quanto intellectus noſter ad intelligendum.

¶ Ad ſecundum reſpondetur, quod illa plura non habent rationem plurium ſed vnius, iuxta ea quæ diximus in explicatione literæ.

QVÆSTIO II.

Vtrùm Angelus poſſit ſimul vti pluribus ſpeciebus.

Primum argum. PRO parte affirmatiua eſt primum argumentum. Potentia viſiua noſtra ſimul vtitur pluribus ſpeciebus, ergo & potentia intellectiua Angeli, patet antecedens, nam nos ſimul videmus albũm & nigrum, hoc autem non poteſt fieri per vnicam ſpeciem, ergo.

Secundum argum. ¶ Secundo, Angelus ſimul cognoſcit omnes ſuas perfectiones, ſed hoc non poteſt cognoſcere niſi à qualibet ſua propria perfectione moueatur, ergo ſicut poteſt moueri à pluribus obiectis poteſt etiam moueri à pluribus ſpeciebus, ſed hoc eſt vti illis, ergo.

Tertium argum. ¶ Tertio, intellectus ponens differentiam inter aliqua duo, ſimul cognoſcit vtrumque, ergo vtitur ſpeciebus vtriuſque, patet ſequela, quia non poteſt fieri cognitio niſi poſita vnione obiecti cum potentia, vel informatione intellectus cum ſpecie, ergo in tali caſu Angelus vtitur pluribus ſpeciebus.

Quartum argum. ¶ Quartò Angelus poteſt ſimul cognoſcere perfectè, & diſtinctè omnia quæ per vnam ſpeciem repræſentantur verbi gratia (poſita ſententia Diui Thomæ) per ſpeciem animalis hominem & equum ergo ſimiliter poterit ſimul cognoſcere hominem per propriam ſpeciem hominis, & equum per propriam ſpeciem equi patet ſequela, quia non repugnat ex parte actiuitatis intellectus Angeli, nec etiam repugnat ex parte ipſorum ſpecierum, nam ſicut poſſunt ſimul informare intellectum, ita poſſunt ſimul producere cum intellectu, patet ſequela, quia non magis ſatiatur actiuitas intellectus, per actiuitatem vnius ſpeciei, quam ſatiatur potentia paſſiua intellectus per receptionem vnius ſpeciei, ergo ſicut intellectus poteſt recipere plures ſpecies; ita poterit vti pluribus ſpeciebus.

1. Notab. ¶ Pro explicatione huius quæſtionis eſt primo notandum, quod quæſtio præſens poteſt in duplici opinione diſputari, nempè, & in ſententia Doctoris docentis vnum quodque obiectum propriam habere ſpeciem, & in ſententia D. Thomæ aſſerentis eandẽ ſpeciẽ plura obiecta ſimul poſſe repræſentare. Nam certũ eſt, quod ſi vna ſpecies poteſt plura repræſentare, aliter ſe habebit intellectus Angeli reſpectu illius, quã ſi vnicum tantũ obiectum talis ſpecies repræſentaret, quia actiuitas intellectus eſt partialis cauſa ad intellectionẽ obiecti producendam, & per conſequens maior actiuitas requiritur in intellectu ad producẽdum adæquatam intellectionem ſpeciei intelligibilis plura repræſentantis, quam ad pducendum adæquatam intellectionẽ ſpeciei intelligibilis vnicum tantũ obiectum repręſentantis. Niſi forſan velis dicere (vt videtur dicendum iuxta ſententiam Caiet. prima parte, quæſt. 69. artic. 2.) quod intellectus (cum ſit in potentia paſſiua ante receptionem ſpeciei intelligibilis) illam tantũ habere

habere actiuitatem. quam tribuit illi ſpeciesintelligibilis, nam cum ex ſpecie & intellectu efficiatur vna vis animalis, ſicut ſpecies habet maiorem repræſentationē quanto vniuerſalior eſt, ita ex illa & intellectu maior vis animalis efficitur, & per conſequens, ſi ſpecies vniuerſalior eſt, plura poterit intellectus percipere quam ſi minus vniuerſalis extiterit. Sed iſta ſententia non probatur ab omnibus. In ſententia tamen Doctoris falſiſsima eſt, qui tribuit actiuitatem intellectui diſtinctam ab actiuitate ſpeciei intelligibilis, & quod ſpecies intelligibilis ſit ſubiectiuè in intellectu, & forma illius hoc prouenit illi: quia accidens eſt, & non quatenus continet obiectum repræſentatum in ſe, nam quando Angelus intelligit ſe per ſuam eſſentiam, certiſsimum eſt, quod eſſentia & intellectus angeli producunt talem cognitionem, & tamen eſſentia quanuis ſit forma determinans intellectum ad intelligendum ſe, non tamen eſt, forma informans illum, ſed eſt forma determinās per modum cauſæ particularis, nam intellectus ex ſe non eſt magis determinatus ad intelligendum ſe, quam aliud à ſe, determinatur tamen per obiectum, vel ſpeciem determinatione cauſæ actiuæ, quæ determinatio non requirit informationem qualem requirit determinatio potentiæ paſsiuæ. Et ſic in præſenti quæſtione agendum eſt, ſuppoſito quod intellectus habet actiuitatē diſtinctam ab actiuitate ſpeciei intelligibilis, ſiue illa ſpecies vnicum tantum poſsit repræſentare obiectum, propter repugnantiam quæ eſt in ipſis obiectis, quæ non poſſunt plura, vt plura vnica ſpecie repræſentare, ſiue illa ſpecies plura poſsit obiecta repræſentare, vt ſentit D. Thom. & omnes communiter Thomiſtæ.

2. *Notab.* ¶ Secundo eſt notandum, quod intellectus reſpectu ſpecierum intelligibilium poteſt dupliciter ſe habere, vno modo ſi ſpecies intelligibilis ſe habeant ad intellectum, vt rationes cognoſcendi, ſiue vt obiecta motiua. Secundo modo ſi ſpecies intelligibiles ſe habeant ad intellectum, vt rationes cognitæ, ſiue vt obiecta terminatiua, & ratio huius differentiæ eſt, quia Angelus vtendo ſpeciebus, vt obiectis motiuis, vel vt ſunt rationes cognoſcendi per illas, non cognoſcit ſpecies ipſas intelligibiles, quia nō ſunt rationes cognoſcendi ſui ipſarum, ſed obiectorum relucentium in ipſis: quare obiectū in ipſis relucens eſt, quod eſt cognitum per illam cognitionem, & illam terminat: quando vero ſpecies cognoſcuntur, tunc enim habent rationem obiecti terminatiui, quia terminãt cognitionem ſui ipſarum, & ipſæ cognoſcuntur immediatè, non autem obiectum in ipſis relucens, niſi mediatè, ſicuti videns imaginem imperatoris immediatè videt imaginem, mediatè vero imperatorem, ita videns ſpecies intelligibiles, immediatè videt ſpecies, mediatè vero obiectum in ipſis repræſentatum.

¶ Tertiò eſt notandum, quod intelligens (ex eo quod intelligit) fit ipſum intelligibile nō in eſſe rei, ſed in eſſe intelligibili, & hoc, ex eo, quia vnumquodque habet illud eſſe, quod forma illi tribuit: vnde forma rationalis tribuit eſſe rationale, & forma lapidis tribuit eſſe lapidis, & per conſequens intellectus recipiens formam rei in eſſe intelligibilis fit ipſa res cuius formam recipit intelligibiliter. Receptio autem formæ intelligibilis fit dupliciter, ſicut & ipſum intelligere, nempe, & per modum actus primi, & per modum actus ſecundi, per modū actus primi recipiendo ſpeciem intelligibilem, qua intellectus informatus dicitur in actu primo conſtitutus, & memoria fœcunda prægnans. Per modum autem actus ſecūdi fit per receptionem verbi. Vnde cum ſecūndum philoſophum tertio de anima intelligere noſtrū neceſſariò requirat, quod intellectus noſter reducatur de potentia ad actum & talis reductio non fiat adæquatè per receptionem ſpeciei, ideo neceſſario requiritur quod intellectus informetur verbo, & quia verbum nunquam eſt ſine actua li conſideratione, & operatione, vel quia operatio & actualis conſideratio eſt actus ſecundus intellectus neceſſario requirens informationem intellectus, quæ nō poteſt intelligi de informatione ſpeciei, cum acci dat ſpeciei quod informet intellectū, neceſſario igitur requirit verbum, quo intellectus de potētia rei in eſſe intelligibilis fiat ipſa res intelligibilis intelligibiliter, reducendo ſe ad actum per verbum receptum, & ſic iuxta hoc, dicendum eſt in intellectu (qui non eſt puriſsimus actus, ſed eſt in potentia ad eſſe rei intelligibilis intelligibiliter) implicare poſſe eſſe cognitionem, ſine eo quod verbū ab intellectu & ſpecie productum noſtrum informet intellectum. *Nota hoc.*

3. *Notab.*

¶ Vnde infertur, quod verbum non ſolum *Corol.*

terminat noſtram cognitionem, vti dicunt Thomiſtæ, qui ponũt verbum produci per hoc quod intellectus intelligit obiectum, quæ intellectio vel quod intelligere duo habet. Primum eſt productio verbi, ſecũdum autem eſt, quod in illo verbo producto obiectum contemplatur, & ad hoc eſſet exem plum, verbi gratia, Si ego videndo parietem producerem imaginem in pariete, illa viſione producerem imaginem, & viderem illam, quod ſi illa imago eſſet imperatoris: eadem actione, & viſione qua produco imaginem, cognoſcerem imperatorem. Sed

Notà bene. quãuis iſtud exemplum aliqualem habeat apparentiam nullam tamen habet veritatem, quod ex eo patet, quia ſequeretur ex illo, quod omnis cognitio eſſet immediata cognitio verbi, & mediata obiecti, ſicuti cognitio imperatoris cognita imagine eſt cognitio immediata imaginis, & mediata imperatoris. Conſequentiam autem illam nullus concedet, non igitur in verbo contemplatur quis obiectum, ſed per verbum, tanquam per rationem cognoſcendi (non effectiuam (ſicuti ſpecies) ſed formalem, intelligit obiectum in ipſo verbo formaliter relucens.

4. Notab. ¶ Quartò nota (vt praecedens doctrina magis explicetur) obiectum repræſentari per ſpeciem intelligibilem, & per verbum: aliter tamen, & aliter: nam per ſpeciem intelligibilem tanquam per ſimilitudinem effectiuam: per verbũ autem tanquam per rationem formalẽ. ¶ Ex quo prouenit, quod aliter reſpiciat ſpecies noſtrũ intellectum, & aliter verbum, nam ſpecies reſpicit potentiam actiuam noſtri intellectus, verbum autem potentiam paſsiuam. ¶ Ex quo prouenit ſecundo, quod ad hoc quod nos intelligamus aliquod obiectum poteſt Deus ſupplere virtutem ſpeciei intelligibilis, & eius cauſalitatem, cum ſit cauſalitas cauſæ efficientis: non tamen poteſt ſupplere cauſalitatẽ verbi, cũ ſit cauſalitas cauſę formalis, quam cauſalitatẽ Deus non poteſt ſupplere, cum non poſsit eſſe pars alicuius totius, neque forma dans eſſe.

5. Notab. ¶ Quinto eſt notandum, quod intellectus Angeli cum ſit virtus finita, finitam debet habere operationem, ſicut & actiuitatem, & non tantum quantum ad ſubſtãtiam, ſed etiam quantum ad modum, & per conſequens non ſolum debet finitè operari intelligendo obiectum ſed etiam modo finito.

6. Notab. ¶ Vltimò eſt notandum, quod quæſtio impræſentiarum poteſt intelligi & quantum ad cognitionem diſtinctam, & quantum ad cognitionem confuſam.

Prima cõcluſio. ¶ Prima concluſio. Angelus non poteſt ſimul intelligere perfectè ea quæ per duas ſpecies repræſentantur. Hæc concluſio cõmunis eſt doctori, & Diuo Thomæ, ſiue enim ſpecies repræſentet vnum obiectum, ſiue plura: concluſio de pluribus ſpeciebus loquitur. Probatur tamen primo, nam pluribus intentus minor eſt ad ſingula etiam

Prima ratio. intellectus, ergo intellectus non poteſt vti duabus ſpeciebus, perfectè cognoſcendo re præſentata per illas. ¶ Secundo quælibet ſpecies adæquat totam virtutẽ intellectus,

Secunda ratio. ergo nõ poteſt intellectus pluribus vti ſpeciebus. Probatur antecedens, quælibet ſpecies repræſentat intellectui quantum intellectus poteſt percipere de obiecto, ſed intellectu exiſtente in actuali conſideratione perfecta alicuius obiecti non poteſt aliam de alio obiecto perfectam habere, ergo. Maior eſt manifeſta, & minor probatur, quia ſicut corpus non poteſt ſimul multis figuris perfectis figurari, ita nec intellectus poteſt pluribus verbis informari, ſed ad intellectionem perfectam neceſſario requiritur verbum, ergo nõ poteſt intellectus plures intellectiones perfectas habere, & per conſequens, neque pluribus vti ſpeciebus.

Obiectio. ¶ Quod ſi arguas ex hoc ſequi non poſſe intellectum eadem ratione pluribus ſpecie-

Reſpõſio. bus informari, Reſpondetur negando paritatem rationis, propter differentiam ſupra aſsignatam inter informationem ſpeciei, & informationem verbi, ſcilicet, quod intellectus per accidens informatur ſpecie, per ſe autẽ informatur verbo, quia ſpecies informat intellectum quatenus accidens eſt, & non quatenus ſpecies intelligibilis eſt, vel repræſentatiua, verbum autem per ſe informat intellectum, quatenus verbum eſt, & quatenus repræſentatiuum obiecti, & ſic non eſt inconueniens quod intellectus informetur pluribus ſpeciebus, eſſet tamen maximum inconueniens, quod intellectus informetur pluribus verbis, quia non eſt inconueniens quod vna cauſa actiua poſsit habere ſimul plura principia agendi totalia ad talem, & talem operationem, eſſet tamẽ maximum inconueniens quod vna potentia paſsiua habeat ſimul plures formas totaliter tribuentes eſſe, & ex hoc non eſt incõuueniens quod idem intellectus plures habeat

beat ſpecies inrelligibiles quæ ſunt plures rationes agendi, eſſet tamen maximum inconueniens eundem intellectum plura habere verba perfecta, ſicut & plures habere intellectiones perfectas, & quia non poſſunt eſſe ſimul plura verba in inrellectu, neque plures intellectiones perfectæ, niſi intellectus pluribus vtatur ſpeciebus, ideo intellectus creatus nõ poteſt pluribus vti ſpeciebus perfectè & per conſequens neq; perfectè intelligere ea quæ per duas ſpecies repræſentantur.

Tertia ratio. ¶ Tertio, vna potentia non poteſt ſimul habere duos actus perfectos non habentes ordinem inter ſe, ergo neque intellectus poteſt vti pluribus ſpeciebus, & per conſequẽs nec intelligere perfectè, quæ per duas ſpecies repræſentantur. Maior probata manet quæſtione præcedenti, & in explicatione literæ illius. Et prætetea, nam pluraliras ſine ordine ſemper cauſat confuſionem, & imperfectionem, ſed plura quæ non dicunt ordinem ad vnum ſunt plura ſine ordine, ergo non poſſunt pluribus actibus cognoſci ſimul abſque confuſione.

Secunda concluſio. ¶ Secunda concluſio. Angelus poreſt vnũ formare conceptum ſpeciei adæquatum, & per eandem ſpeciem plures ſucceſsiuè inadæquatè concipere. Hæc concluſio communis eſt Doctori & Diuo Thomæ. Probatur tamen, nam intellectus cum ſpecie inrelligibili poteſt producere verbum ſibi adæquatum, quia vt dicebat Doctor in primo diſtinct. 2. quæſt. 7. obiectum prout in memoria producit ſe ipſum prout in intelligẽria, propter quod dicebamus nos in primo Diſpur. 10. quæſt. 7. nota. 4. quod verbum *Nota hoc pro doctore.* primo & per ſe non eſt naturalis ſimilitudo obiecti, ſed intellectus informati ſpecie, nã ſi iuxta Doctorem prout eſt in memoria obiectum producit ſeipſum prout eſt in intelligentia, & obiectũ eſt in memoria quatenus ex ſpecie intelligibili & intellectu, memoria fœcunda cõſtituitur, reſtar quod verbum productum non eſt immediatè, & primo naturalis ſimilitudo obiecti, ſed ipſi⁹ memoriæ fœcundæ: quod ex eo paret ſecũdo, nam intelligens fit ipſum intelligibile, & per ſpeciem, & per verbum: per ſpeciem habitualiter, per verbum actualiter, ergo quamuis verbum ſit naturalis ſimilitudo obiecti ſecundario primario tamen eſt naturalis ſimilitudo ſpeciei, non quomodocunq; ſed ipſi intellectui coniunctæ & cum illo memoriam fœcundam cõſtituenti, & quia in ſpecie intellectui coniuncta reſplendet & repræſentatur obiectum, ideò verbum eſt naturalis ſimilitudo obiecti. Obiectum igitur, prout eſt in memoria, producit ſe ipſum prour eſt in intelligentia, ſed in tali productione obiectum eſt cauſa naturalis ergo producit quantum poteſt producere, & per conſequens producir verbum ſibi adæquatum. Patet ſequela, quia verbum tantò perfectum poteſt produci quantò cauſa productiua poteſt producere, ergo ſpecies poterit producere verbum ſibi adæquatũ.

¶ Secunda pars cõcluſionis probatur, quia ſi vera eſſet ſententia Diui Thomæ, quod dabilis eſt vna ſpecies plures quidditates repræſentans, poterit Angelus per illam, vnam quidditatem tantum cognoſcere, & poſtea aliam. Et in ſententia Doctoris non cognoſcere per illam ſpeciem quantum obiectum eſt cognoſcibile, quia poteſt vti maiori, vel minori efficacia ſui intellectus, & iuxta actiuitatem inrellectus tunc repræſentare ſpeciem, magis vel minus obiectũ, ergo. ¶ Confirmatur, quia ſpecies angelica quantum ad eius vſum pendet ex libera Angeli voluntate, ergo Angelus poterit pro ſua voluntate vti ſpecie illa, vel ad cognoſcendum vnum partiale obiectum, & non alterum (verbi gratia) ad intelligendũ hominem, & non leonem, vel ad intelligendũ vnum prædicatum de vno obiecto, & non de altero, vt ad intelligendum de homine quod eſt animal, abſque eo quod intelligat eſſe rationale.

¶ Tertia concluſio. Angelus poteſt intelligere plura per modum vnius & vti pluribus ſpeciebus quatenus dicunt ordinem inter ſe. *Tertia concluſio.* Hæc concluſio communis eſt, ſicuti & præcedẽtes, quam expreſsè docent Thomiſtæ prima parte, quæſt. 58. artic. 2. Cum Caietano quæſt. 85. artic. 4. Et probatur, nã Angelus poteſt cognoſcere plura cum ordine ſimilitudinis, vel diuerſitatis, nempè, ꝙ Angelus non eſt homo & quod Angeli inter ſe magis conueniunt, quam homo, & angelus, ergo ſimul poteſt cognoſcere hominem & Angelum. Patet ſequela, nam cognoſcens conuenientiam, vel ponens differentiam inter aliqua duo neceſſario cognoſcit vtrunque, ſed non poteſt illa cognoſcere niſi vtendo ſpeciebus vtriuſque, ergo poterit Angelus vti pluribus ſpeciebus, quando dicunt ordinem inter ſe.

¶ Quod

Dubium. ¶ Quod ſi quæras. An angelus in tali caſu eliciat plures actus an vero vnico actu illa plura cognoſcat, ad hoc reſpondent cōmuniter nonnulli cum Caietano quæſt. 85. artic. 4. quod pluribus actibus, ex eo quia plures ſpecies habent ſe vt principia operandi ſpecie diuerſa, ergo non eliciunt tales ſpecies vnum actum, ſed plures per modum vnius. Patet conſequentia, nam actus ſecundus debet proportionari actui primo, ergo ſi actus primus ſunt plura principia quotū quodlibet per ſe producit ſuū actum, actus ſecundus erit plures actus ab illis principijs producti.

Prima ſententia.

Secunda ſententia. ¶ Alij vero probabiliorem ſentētiam iudicant illam, quæ docet Angelum elicere ſimplicem actum, quo primo & per ſe intelligit habitudinem illam, quæ eſt inter extrema, quæ habitudo habet rationem vnius, extrema autem illa tantum concomitanter quatenus intelligūtur partes cuiuſdam totius. Neque obſtat quod illæ plures ſpecies producunt illam intellectionem, & per conſequens, multiplex deberet produci cognitio, quia tales ſpecies non concurrunt primo, & per ſe ad producendam cognitionem extremorū, ſed tantum ad producendam cognitionem ordinis illius inter extrema. Et ad hoc eſt exemplum, nam ſicut imaginatiua per ſpeciem montis & auri poteſt formare vnum idolum montis aurei, ita intellectus per ſpeciem Angeli & hominis poteſt formare verbum naturaliter repræſentans illam conuenientiam, quę inter hominem & Angelum repetitur.

Quarta cō-cluſio. ¶ Vltima concluſio. Dato quod per vnam ſpeciem poſſint plura diſtincta repræſentari, non tamen poteſt Angelus vnico actu ſimul cognoſcere omnia, quæ ad ſingularia omnia eiuſdem ſpeciei pertinent. Hæc concluſio probatur à Thomiſtis, quia ſi Angeli cognoſcerēt omnia ſingularia, & quæcūq; illis accidere poſſunt, ferè cognoſcerent infinita, hoc autē nulli intellectui creato eſt poſſibile, ergo. ¶ Confirmatur, nam Pſalm. De cælo reſpexit Dominus, vidit omnes filios hominum, vbi tanquam excellentia diuinæ cognitionis proponitur cognitio omnium indiuiduorum, & confirmatur ex illo. Iob primo. Circuiui terram & perambulaui eam. Vbi notanter dicitur, circuiui, & perambulaui eam, vbi ſignificatur, ꝙ dæmon curioſa inueſtigatione indigebat ad cognoſcenda particularia, quæ in terra agebātur, quod non eſſet ſi vnico actu res omnes videret.

Reſpon. ar gumentis. *Ad primū* ¶ Ad primum reſpondetur, quod potentia viſiua ſimul vtitur pluribus ſpeciebus, quatenus omnes illæ tendūt ad plura viſibilia, prout dicunt ordinem inter ſe, vel ſecundo reſpōdetur, quod potentia viſiua vtitur pluribus ſpeciebus ad producendas plures viſiones partiales, quarum neutra eſt adæquata ipſi potentiæ viſiuæ.

Ad ſecundū & tertium. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, iuxta prædicta, ꝙ Angelus cognoſcit omnes ſuas perfectiones, quatenus ex illis omnibus quaſi integratur vna totalis perfectio ipſius Angeli. Et per hoc patet reſponſio ad tertium.

Ad quartum. ¶ Ad quartū reſpondetur cōcedēdo antecedens, quia omnia illa habent rationē vnius.

TEXTVS.

Omnis diſcurſus præſupponit notitiam illius ſimplicis, ad quod diſcurritur, igitur ſi per illam eſſentiam cognitam habetur notitia de eſſentia di[illegible] a per diſcurſum, oportet præhabere conceptum ſimplicem de eſſentia diuina diſtinctione. 3. quæſt. 8. ibi, Secundo quæro ante literam. A.

EXPLICATIO LITERÆ.

In hac litera Doctor arguit contra Diuū Thomam docentem Angelum non cognoſcere eſſentiam diuinam naturaliter per aliquam ſpeciem, neque per aliquam ſpeciem inferiorem, nec per aliquam ſuperiorem, ſed per eſſentiam ſuam propriam, quia ipſa eſſentia Angeli eſt imago Dei, & ſimilitudo. Vnumquodque autem cognoſcitur per ſuam ſimilitudinem. Cōtra hanc doctrinam inſurgit Doctor dupliciter. Primo, quia quanuis eſſentia Angeli ſit imago eſt tamen imago cognita, & imago cognita inducit diſcurſum, quia imago cognita non repræſentat imaginatum niſi ſit cognita, & iſta non repræſentat intellectui niſi per diſcurſum, ſicut diſcurritur à cognoſcente ad cognitū, & iſte diſcurſus pſupponit cognitionē illius, ad quod diſcurritur, ſicut. v. g. imago Cæſaris nō repræſentat tibi Cæſarē niſi cognoſcas eam eſſe imaginē Cæſaris, & ita oportet te cognoſcere Cæſarem, qui eſt terminus diſcurſus. Ita ſimiliter eſſentia angeli eſt imago Dei cognita, & nō ratio cognoſcēdi, & per conſequens, ſi Angelus debet

bet cognoſcere Deũ per illã, ex co erit, qa priuſcognoſcit Deũ, & ſecundo cognoſcit illam eſſe imaginẽ Dei, & per conſequens, poneodus eſt diſcurſus in Angelis, quod in D. Thoma maximè eſt inconueniens. In litera autem ſupra aſsignata confirmat iſtam doctrinam dicens, quod diſcurſus præſupponit notitiam ſimplicem illius ad quod diſcurritur, & ita ſi Angelus ex cognitione ſui (vt eſt imago Dei) cognouit Deũ, oportet vt priùs cognoſcat Deum ante diſcurſum. Patet ſequela, quia non poteſt ſe cognoſcere ſub ratiõe imaginis Dei, niſi prius cognoſcat Deum, quia imago dicit relationem & cum relatio nõ poſsit cognoſci, niſi cognitis extremis, igitur non poterit cognoſci eſſentia Angeli ſub ratione imaginis Dei, niſi præcognito Deo, & per conſequens, vltra eſſentiam Angeli neceſſario requiritur in ipſo aliquid, ratione cuius poſſit intelligere Deum, quod ſit ratio cognoſcendi, & nõ ratio cognita. Quia tamen pro inconuenienti reputat Doctor in ſententia Diui Thomæ ponere diſcurſum in Angelis, ſit quæſtio tertia.

QVÆSTIO III.

¶ *Vtrùm intellectus Angelicus ſit diſcurſiuus.*

Prima ſententia recentiorũ.

DE hac re non ſatis conſtat inter Scotiſtas, & Thomiſtas, imo neq; inter Thomiſtas inter ſe. Eſt igitur prima ſententia Thomiſtarum recentiorũ prima part. quæſt. 58. artic. 3. aſſerẽtium intellectum Angelicum nullatenus eſſe diſcurſiuum in cognitionibus ſuis, tam circa ſupernaturalia, quam circa naturalia. Probant autem ſuam ſententiã quo ad vtramque partem, nam Angelus cognoſcendo effectum aliquem, vel cauſam, non tantum cognoſcit quæ neceſſario illi conueniunt, verum etiam ea quę habent cũ cauſa & effectu probabilem, ſeu coniecturalem cognitionem, ſimul enim, atque Angelus aliquem effectum videt, cognoſcit omnes cauſas, & radices, quas cognoſcere poteſt, quia cognoſcit effectum, quantum poteſt, ſine diſcurſu, & ſimiliter abſque diſcurſu probabiliter coniecturatur, quæ nos per probabiles diſcurſus colligimus, ergo ſi in futuris contingentibus cognoſcendis Angeli non diſcurrunt, nec in naturaliter cognóſcendis aliquo modo diſcurrent.

Prima pars probatur 1. arg.

¶ Secundò. Quia ex eo prouenit vt nos diſcurrendo intelligamus, quia ſumus in potentia ad intelligibilia in actu primo, & habemus lumen quoddam exiguum, ac diminutum, quod ad principia tantum ſe extendit, & quoniam non poſſumus in principijs ipſis concluſiones penetrare, niſi deducendo vnum ex alio, ſed Angeli reſpectu omnium naturalium ſunt in actu primo, & lumen habent adeo perfectùm vt in principijs poſsint concluſiones penetrare, ergò non habent intellectum diſcurſiuum.

Secũdum argum.

¶ Confirmatur, quia ſi Angelus haberet intellectum diſcurſiuum, poſſet pro ſua libertate diſcurrere, ſed hoc non poteſt, ergo. Probatur minor, quia ſi poſſet diſcurrere, maximè, quia poſſet pro ſuo arbitrio cognoſcere cauſam, & ſuſpendere cognitionem effectus, & poſtea exire in cognitionẽ effectus ex cognitione ipſius cauſæ, ſed nõ poteſt Angelus pro ſua voluntate cognita cauſa ſuſpendere cognitionem effectus, eo quod cauſa & effectus præſentantur illi per modum vnius, ergo.

Confirm.

¶ Quod autem reſpectu rerum ſupernaturalium non ſit diſcurſus in Angelo, probant ex eo, quia cum ſupernaturalia infunduntur illis ſecundum modum ſuæ naturæ, fortè non reuelatur Angelo aliquod principium, quin ſimul omnia reuelentur, quæ in tali principio contineotur, quia reſpectu Angeli illud principium, & quicquid in illo euidenter continetur, habet rationem vnius obiecti, quod totum Angelus ſimul intuetur. Et dato quod in principio reuelato poſsit Angelus medio lumine naturali aliquid aliud cognoſcere, tamen ad hoc nõ indiget diſcurſu, nam ſimul atque ſit reuelatio principij ſtatim per lumen illud intuetur, quicquid in illo euidenter continetur, nam tam homines, quam Angeli debent ſupernaturalia intelligere proportionabiliter ad naturalia, ergo lumen illis communicatum datum eſt Angelis, proportionabiliter ad intellectum eorum, qui diſcurſiuus non eſt. Et conſequenter ſicut naturale lumen ſimul oſtendit omnia, ita & ſupernaturale ſimul manifeſtat quæ ſub tali lumine de obiecto propoſito cognoſci poſſunt.

Secunda pars probatur primo.

¶ Confirmatur, quia diſcurſus eſt actus proprius rationalis naturæ, intrinſecè naturæ humanæ conueniens, ergo non poteſt naturæ Angelicæ conuenire, cum ab illa ſpecie diffe-

Confirm.

Secunda ſententia. differat. ¶ Secunda ſententia eſt aliorum Thomiſtarũ, quam docuit doctiſsimus Cano, & tenet Marſilius in ſecundo quæſt.6. concluſ.1. & Capreolus in ſecundo diſt. 3. quæſt.2.concluſ.10.& Deça ibidem,qui dicunt,quod quanuis Angeli non diſcurrant in concluſionibus naturalibus cognoſcendis: nihilominus tamen, dæmones interdũ cognoſcere ſecreta mentis noſtræ per diſcurſum, & etiam ſupernaturalia ex factis exterioribus. Probant autem ſuam ſententiam primo. *Primum argum.* Nam dæmones viſis miraculis Chriſti colligebanr coniectura quadam eſſe filium Dei, & viſis effectibus exterioribus coniectantur noſtri cordis cogitationes,hoc autem non poteſt fieri ſine diſcurſu,ergo. *Confirm.* ¶Confirmatur. Nam dæmones videbant quã plurima opera naturalia Chriſti Domini in quibus continebantur myſteria plutima ad eius diuinitatem pertinentia,ergo per cognitionem illorum operum *Solutio.* poterant in aliquali cognitione venire illorum myſteriorũ. Quod ſi reſpõdeas, quod *Impugnatio.* cognoſcendo Angelus aliquem effectum, vel cauſam:non tantum cognoſcit quæ illi neceſſariò cõueniunt, verum etiam ea quæ habent cum cauſa, aut effectũ probabilem ſeu cõiecturalem cognitionem. Contra,dabile eſt,quod aliquis effectus præcipuè ſupernaturalis ſaltim quo ad modum poſsit procedere ex duplici cauſa,ergo quando talis effectus non per ſe ſtatim cognoſcitur, poterit Angelus ſuo diſcurſu cauſam illius indagare,ſed hoc eſt diſcurrere, vel ſit per diſcurſum,ergo.

Tertia ſententia doctoris. ¶ Tertia ſententia eſt Doctoris in hoc ſecundo in materia de æuo, & diſtinct. 3. in materia de ſignis Angelorũ, & in tertio diſtinct. 14. vbi concedit in Angelis eſſe, & repetiri diſcurſum. Pro cuius explicatione *1. Notab.* eſt primo notandum prædictas duas ſententias in aliquo cõuenire inter ſe, & in aliquo conuenire cum ſententia Doctoris, conueniunt quidem omnes circa naturam diſcurſus, dicentes, quod ad diſcurſum non requiritur quod duæ operationes, ſiue duæ cognitiones ſibi inuicem ſuccedant ſecũdum ordinem temporis, ſed tantum eſt neceſſarius ordo naturæ, quo vna cognitio ex alia cauſetur,taliter quod cognitio vnius ſit cauſa cognitionis alterius, ſicut verbi gratia, qui cognoſceret Deum eſſe immutabilem, & per conſequens eſſe æternum, quanuis ſimul tempore cognoſcetet vtrunque haben do tamen cognitionem immutabilitatis & cognitionem æternitatis cauſatam ex cognitione immutabilitatis, verum haberet diſcurſum quanuis in eodẽ tempore vtrũq; cognoſceret. ¶ Ex quo infertur primo, ꝙ *1. Corol.* ad veram rationem diſcurſus duplex cognitio requiritur: & per conſequens, reſpectu eorum quæ vnica ratione cognoſcuntur nõ requiritur diſcurſus, quia tunc non eſt cognitio vnius per alterũ,ſed cognitio vnius, & alterius. Secũdò requiritur quod illa duplex cognitio habeat ordinem inter ſe, ita quod vna procedat ex cognitione alterius. Vnde ſucceſsio vnius notitiæ ad alteram non eſt diſcurſus,quando tales notitiæ non habent ordinem inter ſe(cauſæ & effectus) in cognoſcibilitate. Et in hoc non eſt controuerſia inter Doct. & D.Tho. ¶Secundò *2. Notab.* eſt notandũ, quod quæſtio in præſentiarũ poteſt in duplici ſenſu diſputari. Alter eſt vtrum Angelus reſpectu omnium cognitionum in quibus intellectus humanus diſcurrit, vel diſcurrere poſsit, an vero in aliquibus diſcurrat,vel diſcurrere poſsit: nam certum eſt, vt docet Doct. in hoc ſecũdo diſt. 3. quæſt. 10. litera. H. quod intellectus Angelicus neq; habet illam omnem perfectionem, quæ eſt intellectu ſimpliciter, ſcilicet,in intellectu diuino, neque tantam imperfectionem,quantam reperimus in intellectu noſtro, & per cõſequens, quanuis nõ ſit omnino negãdus diſcurſus ab intellectu Angeli, ſicut negamus intellectui diuino, non tamen eſt concedendus tantus diſcurſus,quanrus conceditur intellectui humano, quia multa quæ intellectus humanus non poteſt cognoſcere niſi plutibus cognitionibus, poteſt intellectus angelicus vni ca cognitione intueri, & per cõſequẽs, vbi intellectus humanus diſcurrit, & illa quæ per diſcurſum intellectus humanus cognoſcit, poſſet Angelus ſine diſcurſu cognoſcere, & per conſequens quanuis aliqualis diſcurſus reperiatur in Angelis, non tamẽ tantus diſcurſus, quantus in homine reperitur. ¶Tertiò eſt notandum, quod vt colligitur *3. Notab.* ex præcedenti notabili, aliud eſt dicere, vtrũ Angelus in ſuis cognitionibus diſcurrat, & aliud eſt dicere vtrum intellectus Angeli ſit diſcurſiuus, & ratio differentiæ ex eo patet, quia in ſententia illorum Thomiſtarum (aſſerentium Angelum reſpectu rerum ſupernaturalium diſcurrete) non po- *Nota hoc.* teſt negari intellectum Angeli eſſe ſimpliciter

citer diſcurſiuum, quanuis prædicti authores doceant intellectum Angeli tantũ diſcurrere reſpectu rerum ſupernaturalium, quare iuxta illos videtur dicendum Angelum non ſimpliciter diſcurrere, ſed tantum diſcurrere quantum ad aliqua: ſimpliciter tamen abſolutè fatendum eſt in illorum ſententia intellectum Angeli eſſe ſimpliciter diſcurſiuum.

4. *Notab.* ¶ Quartò eſt notandũ, quod præſens quæſtio iuxta duplicem ſententiam de repræſentatione ſpecierum, & cognitione Angelorum per ſpecies, duplex habet fundamentum, qui enim aſſerunt Angelum per vnicã ſpeciem poſſe plures quidditates cognoſcere, ſiue vna cognitione totali, ſiue pluribus partialibus, tenentur fateri, quod in tali cognitione, vel in talibus cognitiònibus Angelus non diſcurrit, quia in vna cognitione non poteſt eſſe diſcurſus. Neque etiam in illis pluribus cognitiõibus diſcurrit, quia illæ cognitiones non habent ordinem inter ſe cauſæ & effectus in cognoſcibilitate. Si autem teneatur ſententia Doctoris aſſerentis Angelum poſſe accipere cognitionem à rebus, certũ eſt in his cognitionibus poſſe eſſe diſcurſum, nam certum eſt, quod poteſt accipere cognitionem à natura humana, quòd eſt natura rationalis, & poteſt cognoſcere quòd riſibilitas profluit à natura humana tanquam eius propria paſsio, ergo cum Angelus poſsit facere hunc ſyllogiſmum, omne quod habet naturã humanã eſt riſibile Chriſtus habet naturam humanam, ergo Chriſtus eſt riſibilis, poterit, ergo diſcurrere in cognitiõibus deſumptis ab ipſis rebus. Et ſimiliter ſi vera eſt ſententia Doctoris, quod Angelus indiget pluribus ſpeciebus ad intelligendum plura obiecta, cũ certum ſit (vt ex præcedentibus patet) nõ poſſe Angelum plura intelligere ſub ratione plurium cognitione adæquata, certum etiam eſt, poſſe habere plures cognitiones, quarum vna ſuccedat alteri ordine naturæ, habens rationem cauſæ in cognoſcibilitate reſpectu alterius, non taliter, quod cognitio præcedens ſit cauſa effectiua cognitionis ſequentis, ſed taliter quod obiectum relucens in cognitione præcedenti ſit cauſa obiecti relucentis in cognitione ſequenti.

5. *Notab.* ¶ Quintò eſt notandum, quòd dato quod Angelus non diſcurreret reſpectu cognitionum rerum naturalium, non tamen poteſt negari Angelum poſſe diſcurrere in cognitionibus obiectorum ſupernaturaliũ, quia quanuis intellectus Angeli nunquam eſſet in potentia reſpectu cognitionis rerũ naturaliũ, neceſſariò tamen ponendus eſt in potentia reſpectu cognitionis rerum ſupernaturalium, & ſic poſſet Angelus ex vna cognitione ad aliam tranſire, & in illis diſcurrere. ¶ Vltimò eſt notandum, quod in dæmonibus (cum naturalia manſiſſent integra) id quod de illis iudicatur, quantum ad rationem diſcurſus, de bonis Angelis etiam concedendum eſt, vnde cum diſcurſus non pertineat ad rationem gratiæ, ſed naturæ, & per conſequens ſi in dæmonibus reperitur diſcurſus, & in Angelis cõcedendus eſt. 6. *Notab.*

¶ Prima concluſio: Angeli reſpectu illorũ quæ vnica cognitione cognoſcunt non diſcurrunt. Hæc concluſio communis eſt. Et probatur, quia diſcurſus requirit plures cognitiones, ergo reſpectu illorum quæ vnica cognitione cognoſcunt (quanuis vnum cognoſcant in alio) non poteſt eſſe diſcurſus. Probatur ſequela, quia reſpectu illorum non ſunt plures cognitiones, ſed vnica tantum cognitio. *Prima cõcluſio.*

¶ Secunda concluſio. Angeli in cognitione rerum ſupernaturalium poſſunt diſcurrere. Hæc concluſio probatur, quia effectus ſupernaturales poſſunt magis, & minus cognoſci ab Angelis, ergo poſſunt Angeli circa illa obiecta habere diſcurſum. Probatur antecedẽs, Angeli poſſunt aliam, & aliã habere cognitionẽ circa talia, & talia obiecta, & quod cognitio ſequens pendeat ex cognitione priori, ergo. Probatur maior, Angelo potuit reuelari (antequam Deus fieret homo) quod verbum diuinum poterat aſſumere naturam humanam, & ex hoc antecedenti poterat inferre ſtatim, ergo poterit eſſe caput Angelorum, & hominum, & ſimiliter poterat inferre, veniet, ergo in carne paſsibili, vel impaſsibili, & ſimiliter, alias quã plures ꝓpoſitiones inferre ex præcedẽti antecedẽti, ſed hoc eſt diſcurrere, ergo. Quod ſi reſpondeas ꝙ Angeli beati quã diu non habent certas reuelationes vel euidentiam, non iudicant ita eſſe, vel non eſſe abſolutè, ſed iudicant poſſe eſſe hoc, vel illud; & in hoc eſſe differentiam inter homines, & Angelos, quia homines ex rationibus probabilibus proferunt abſolutum iudicium de aliqua re: tum, propter imperfectionem hominis, tum etiam, quia ſuppoſita iſta imperfectione (ratione cuius homo *Secunda concluſio. Probatur primo.* *Obiectio.*

non

non poteſt habere omnium euidentiam) rationabile eſt, quod ducatur probabili ratione, & quod præſtet abſolutũ aſſenſum probabilibus alias nulla republica poſſet ſubſiſtere, neque gubernari, imo neque ipſe homo in particulari poſſet viuere ſecundum rationem, & virtutem: nam nemo coleret parentes, ſi per fidem humanam non crederet illos eſſe parentes ſuos. Angeli vero, quia perfectiſsimi ſunt, nunquam adhibent perfectum aſſenſum ſolum ex rationibus probabilibus, ſed ſolum iudicant illud eſſe probabile, & poſſe ita euenire, quia Angeli nullam habent neceſsitatem abſolutè aſſentiendi ſolum propter rationes probabiles, nec ob eorum gubernationem, neque ad vitæ inſtitutionem, imo Angeli beati, quia ſemper ſunt ſubditi Deo, & omnium rerũ naturas actualiter contemplantur ſuæ potentiæ ſubditas eſſe, non proferunt abſolutum iudicium circa res naturales ſecundum quod ſubijciuntur diuinæ diſpoſitioni, per quam poteſt eas mutare ſecundum placitũ ſuæ voluntatis, & hinc eſt, quod quanquam Angeli videant in cauſis naturalibus futuram peſtem, aut ſiccitatem non proferunt abſolutum iudicium ſcientes, quod oratione alicuius Sancti poteſt Deus hæc omnia mutare & vitare. ¶ Iſta tamen ſolutio potius probat noſtram concluſionem, quam reſpondeat argumento. Nam ex illa ſequitur, quod ſaltim dæmones, & Angeli mali poſſunt proferre abſolutũ iudicium ex coniecturis, quia poſſunt velle ſe exponere periculo falſitatis, ergo poſſunt ex cognitione aliquarum coniecturarũ proferre abſolutũ iudiciũ, ſcilicet, hoc futurũ eſt. ¶ Confirmatur, nam prædicti contrariam tuentes ſententiam, in expoſitione articuli quinti, concluſione. 3. ſic aſſerunt, Angeli mali in rebus ſupernaturalibus & incõtingentibus atque liberis decipi poſſunt, quia ſunt imprudẽtes & prauè affecti, & ideo facilè præbent iudicium in rebus, quas tantum coniecturaliter cognoſcunt, ex quo ſic iudicium illud quod præbent eſt cognitio diſtincta à cognitione quam habent ex coniecturis, & eſt cauſata à cognitione habita ex coniecturis, ergo ſi Angeli boni in tali caſu non diſcurrunt, non prouenit eis ex eo quod non poſſunt diſcurrere, ſed ex eo quod nolunt diſcurrere, & per conſequens, tam boni, quam mali Angeli reſpectu rerum ſupernaturalium contingentium atque liberarum

Impugnatio.

Confirm.

poſſunt diſcurrere. ¶ Confirmatur ſecundo in Angelis poteſt eſſe dubium, & conſultatio circa prædictas res, ergo & diſcurſus. Probatur antecedens, nam dæmon qui tentauit Chriſtum potuit rationabiliter dubitare, an ille homo eſſet plus quam homo ex aliquibus operationibus perſpectis, & ex alijs conſideratis eſſe hominem ſicut & cæteri, ergo in tali comparatione operum poterat diſcurrere. Probatur ſequela. Nam iſtud conſequens, iſte homo eſt pluſquam homo non continebatur diſtinctè in illis ſignis & coniecturis quas dæmon accipiebat ex operibus Chriſti, ergo cum poterat vtrumque dubitare, poterat & vtrumque inquirere, ſumendo pro antecedenti ipſa opera, dicendo (verbi gratia) iſta opera nullus purus homo vnquam fecit vſque nunc, ergo iſte homo non eſt purus homo. Et ſimiliter, iſte homo patitur eaſdem neceſsitates quas reliqui homines, eſurit enim, ergo nõ eſt pluſquam homo, ex his duobus antecedentibus inferre iſtas duas concluſiones & poteſt remanere in opinione reſpectu vtriuſque, ergo.

Confirm. 2

¶ Tertia concluſio. Angeli tam boni quam mali habent intellectum ſimpliciter diſcurſiuum. Hæc concluſio eſt Doct. & probatur contra prædictos opinantes fundamento ab ipſis allato vbi ſupra, dubio primo, vbi docent inde prouenire quod nos diſcurrendo intelligamus, nempe, quia ſumus in potentia ad intelligibilia in actu primo, & lumen quoddam habemus exiguum, ac diminutum, quod ad principia tantum ſe extendit, & quo non poſſumus in principijs ipſis concluſionẽ penetrare niſi paulatim deducendo vnum ex alio. Sed ſic eſt, quod Angeli ſecundum ſuam naturam ſunt in potentia ad intelligibilia in actu primo: nam etiam ſecundum quoſdam ex Thomiſtis ſpecies intelligibiles ſunt illis per accidens infuſæ, & dato quod reſpectu rerum naturaliũ ſint illis velut propriæ paſsiones reſpectu tñ rerum ſupernaturaliũ ſunt in potẽtia ad actum primũ, neq; habito principio ſupernaturali, ex acumine ſui luminis poſſunt quicquid in illo principio virtualiter continetur cognoſcere, niſi medio aliquo diſcurſu, ergo habent intellectum ſimpliciter diſcurſiuum. Patet ſequela, quia ad hoc vt aliquis intellectus ſit ſimpliciter diſcurſiuus non eſt neceſſarium quod reſpectu omnium diſcurrat, ſed ſatis eſt,

Tertia concluſio.

quod

quod reſpectu aliquorum poſsit diſcurrere. ¶ Ad argumenta autem pro prima ſententia ſatis patet ex dictis, quomodo, ſcilicet, intellectus Angeli ſit diſcurſiuus, & poſsit diſcurrere.

TEXTVS.

POteſt tamen probari ex dictis eius, quod hæc cognitio quæ vocatur cōmuniſsimè cognitio matutina, ſit naturalis, & non præciſe beatifica diſtinct. 3. quæſtione 9. infra literam F. poſt medium.

EXPLICATIO LITERÆ.

DOctor in hac litera communem amplectitur ſententiam, nempe, quod Angeli cognitionem habuerunt matutinam, & veſpertinam. Quid autem ſit vtraque iſtarum cognitio in ſequenti quæſtione patebit.

QVÆSTIO IIII.

¶ *Vtrùm in Angelis ſit cognitio matutina & veſpertina.*

CIrca explicationem huius quæſtionis eſt aduertēdum, totam eius difficultatem conſiſtere in explicando quid ſit cognitio matutina, & quid ſit cognitio veſpertina: ad quod reſpondet Alexander Alenſis ſecunda parte, quæſtione 23. membro primo. in reſponſione, dicens quod ſicut patet in libro ſuper Geneſ. ad literam, cum Aug. ponit prædictam Angeli cognitionem, intendit ibi diuidere diem à nocte, ſecundum quod fit huiuſmodi diuiſio, Geneſis primo, cum dicitur, Deus diuiſit lucem à tenebris, & vult quod cognitio Angeli dicatur dies, cui⁹ ſunt duæ partis mane, ſcilicet, & veſpera, & vult cognitionē Angeli comparare diei, ſiue luci, ignorantiam vero nocti, ſeu tenebris & cum mane ſit principium diei, veſpera finis vult ſimiliter ſecundum hoc, quod cognitio Angeli in verbo dicatur matutina, cum ſit tanquā in principio rerum, cognitio tamen eius, vel rerum in ſe ipſo, vel rerum in proprio genere eſt veſpertina, cum ſit in creatura, quæ inquantum eſt creatura, eſt indeclinatione, & caſu. Poterat tamen cognitio matutina appellari cognitio diurna, iuxta illud Diui Auguſtini. 11. de ciuitate Dei. capit. 29. dicentis, in verbo cognoſcunt Angeli tanquam in diurna cognitione, & in ſe ipſis tanquam in veſpertina. Et quarto ſuper Geneſ. ad literam, dicit cognitio quæ eſt in verbo ad diem pertinet, quæ eſt in ſe ipſis ad veſperam.

¶ Quod ſi quæras quare nō ponit cognitio meridiana in Angelis reſpōdet Alex. quia non poteſt Angelus cognoſcere res niſi aut in creatore, aut in creatura, & hoc vel cognoſcendo in ſe ipſo res, vel in proprijs generibus, & prima dicitur matutina ſecunda vero veſpertina. Iſta autem veſpertina cognitio dupliciter dici poteſt, verbum cognoſcunt Angeli res in ſuo genere, vel cum ex ipſis rebus, ſiue ex ipſa natura Angeli ſine adminiculo gratiæ gratum faciētis aſcendit Angelus ad cognitionem creatoris, & vtraq; iſta cognitio dicitur veſpertina, quia vtraque cognitio eſt in creatura, quanuis cognitio Dei in creatura eſt aliqualiter veſpertina, cognitio autem creaturæ eſt ſimpliciter veſpertina. Iſta autem cognitio rerum quandoque fit ex eo quod Angelus cō gnoſcit res in ſe Angelo per ſpecies ſibi datas, & quandoque in proprio genere accipiendo ſpecies ab ipſis rebus, licet vtrobiq; cognoſcat res per earum ſpecies, differenter tamen, & patet exemplo de artifice qui aliter cognoſcit arcam antequam fiat, & poſtquam facta eſt, & tamen vtrobique per ſuā ſpeciem cognoſcit. Ex quo patet quod quanuis in Angelo ſint tres rationes cognoſcendi, eſt tamen tantum duplex cognitio, ſcilicet, matutina & veſpertina. Matutina cognoſcit res in verbo, & per cōſequens, & cognitio verbi dicetur matutina, nam non eſt ſimile de viſione ſolis, & eius quod videtur in lumine, & de cognitiōe verbi, & eius quod videtur in verbo, viſio enim alicuius in lumine ſolis non eſt idem quod viſio ſolis, viſio autē alicuius in verbo eſt idē quod viſio verbi, res enim in verbo eſt idē quod ipſum verbū. Viſum autem in ſole non eſt idē quod Sol, cū ergo matutina, vel diurna dicatur viſio illā quæ eſt cognitio rei in verbo dicetur ſimiliter matutina, ſeu diurna ipſa cognitio verbi. ¶ Si autem quæras vtrū in dæmonibus ſit cognitio veſpertina, reſpondet Alexā. membr. 6. quod huiuſmodi differentiæ cognitionis prout ibi accipiuntur non conueniunt dæmonibus, quia ibi accipiuntur inquantum primum lumen, & æternum illuminat ad cognoſcendum res certitudinaliter, & hoc vel in ſe ipſo, ſcili-

cet, primo lumine, & ſic dicitur cognitio matutina, vel in ſe ipſis Angelis, vel in ipſis rebus, ſcilicet, in proprio genere, & vtroq; modo dicitur cognitio matutina, ſed conſtat quod ſic tantum bonos illuminat, ergo, &c. Si tamen extenderemus nomen veſpertinæ cognitionis poſſet dici illa cognitio naturalis, quæ tunc fuit In Angelis malis veſpertina, reſpectu cuiuſlibet cognitionis gratuitæ, cum hæc multum obſcuritatis habeat reſpectu illius, ita quod illud quod gratiæ eſt à veſpertina cognitione tollatur.

Dubium. Prima ſententia. ¶ Quod ſi quæras, vtrum cognitio matutina fuerit cognitio beatifica, De hac re prima ſententia eſt quorundã. 1. p.q.59.art.6. aſſerentiũ, quod apud Aug. matutina cognitio eſt cognitio creaturarũ in verbo per viſionẽ beatificã. Ita cõſtat tum ex dictis, tũ etiã ex locis D.Aug.11.de ciuit.cap.13.& 29.& ad Horoſiũ.q.56. Vnde qñ ait mane fieri, cũ Angelus ex cognitiõe creaturæ inſurgit in laudẽ creatoris, ſenſus eius eſt, ꝙ tũc incipit apud illũ oriri alius nouus dies. Et ideo illud appellauit mane, quia dũ angelus vnã creaturã cognitã refert in Deũ, fingit Aug. ꝙ nũc de nouo recipit viſionẽ nouæ creaturæ. Et hãc expoſitionẽ ſequit̃ D. Tho.infr.q.62.art.1.ad 3.& 3.p.q.9.art.3. & Alex.Alen.3.p.q 23.mẽb.1. Gabri.lect. 31.in can. Soto in.4.d.49.q 3.art.3. Ex his patet quid ſit cognitio veſpertina. Nã ſecũdũ D.Aug. eſt cognitio rerũ p ſpecies inditas, & cognitio fidei põt etiã dici veſpertina. Addit tñ D.Thom. ꝙ ipſa viſio Dei põt dici matutina, ꝑut terminat̃ ad Deũ, & põt dici veſpertina, ꝑut terminat̃ ſecũdario ad creaturas. Cæterũ hoc nõ eſt ſatis ſecũdum ſenſum D.Aug. qui nunquam diſtinxit has cognitiões in ordine ad Deũ, ſed in ordine ad creaturas. Inuenit em̃ diſtinctionẽ ad explicãdam creationẽ rerũ cognitarũ, ſed ex parte meliorũ. Vnde, ſunt qui dicãt, ipſam Dei viſionẽ, ꝑut terminat̃ ad Deũ, nõ cõputari ab Aug. inter matutinã, & veſpertinã, qa talis viſio Dei eſt ſuperior, imo eſt ipſa lux meridiana. Ita aſſeuerat D. Tho. hic ar ti.6.ad 1.& ſignificat D.Bernard.ſerm.33. ſuper cant. circa illud, vbi cubes in meridie.

Secunda ſententia. ¶ Secunda ſententia eſt aliorum aſſerentiũ cognitionem matutinam non fuiſſe cognitionem beatificam, ſed quandam cognitionem ſupernaturalem, quam habuerunt Angeli in via, qua certius cognouerũt Deum, quam lumine naturæ, cum quodam modo euidentiæ cognouerunt etiam illa cognitione ipſas creaturas, & quia cognoſcebant per lumen ſupernaturaliter dimanans à verbo, ideo dicebantur cognoſcere in verbo. Fundamentum huius ſententiæ quo ad primam partem eſt fundamentum Doctoris infra aſsignandum.

Sententia Doctoris. ¶ Doctor autem, vt patet in litera explicans cognitionem veſpertinam, & matutinam, ponit hunc ordinem, quod cum Deus dixit, Fiat lux, facti fuerunt Angeli, qui lux dicuntur, & cum primum fuerunt producti conuerterunt ſe omnes ad Deum, vt cauſam ſuam, & ibidem in cauſa ſe cognouerunt, ſic quod prima cognitio (quam habuerunt) fuit cognitio Dei. Secunda cognitio ſui, niſi velis dicere quod eodem actu cognouerunt Deum, & ſe, deinde conuerterunt ſe ſupra ſe, & ſe ipſos cognouerunt in genere proprio, & hæc dicitur notitia veſpertina. Hoc autem facto boni non ſteterunt in cognitione ſui, ſed exurrexerunt in laudem, & honorem Dei, ex eo quod Deus eos creauerat, & gratias Deo egerunt, & hoc fuit primum mane poſitum in ſcriptura, & illud mane eſt principium ſecundi diei, in quo viderunt in verbo ſecundam creaturam, videlicet, firmamentum: & producto firmamento illud cognouerunt in ſe, & ſic fuit veſper, & notitia veſpertina, tandem vltimum mane, quod eſt mane ſeptimi diei exurrexerunt in laudem Dei vniuerſalem ex mundo producto. Ex quibus omnibus patet quod illa cognitio prima non fuit cognitio beatifica, nam inter creationem Angelorum & eius beatitudinem fuit aliqua morula, & per conſequens fuit aliqua cognitio matutina, quæ non ſit cognitio beatifica: alias non eſſet cognitio matutina prior cognitione veſpertina, nã certum eſt ſecundum Diuum Auguſtinum quod cognitio rerum in verbo præceſsit naturaliter cognitionẽ rerũ in genere proprio, ſed cognitio in genere proprio non fuit beatifica, ergo nec matutina illa (quæ veſpertinã anteceſsit) ſed fuit cognitio illa qua Angeli per ſpeciem ſibi infuſam non naturaliter acquiſibilem cognouerunt eſſentiam diuinam cognitione quadam abſtractiua diſtincta, & res producibiles ſecundum quod habent rationes ideales quas habent in ipſa: & hæc fuit matutina cognitio in Angelis.

DISPV-

DISPVTATIO XIII.

DE VOLVNTATE ANGELORVM.

Continet tres Quæſtiones.

Prima. Vtrum voluntas Angeli & hominis diſtinguantur ſpecie.
Secunda. Vtrum in Angelo ſit liberum arbitrium.
Tertia. Vtrum liberum arbitrium ſit æquè in Angelo & in homine.

TEXTVS.

POteſt etiam addi (licet non ſit neceſſarium) pro ſolutione quæſtionis, quod intellectualitas Angeli inquantum intellectualitas non differt ſpecie ab intellectualitate animæ, inquantum intellectualitas, hoc eſt quod licet iſte actus primus, & ille differunt ſpecie, vt conſiderantur abſolutè in ſe, non tamen ſecũdum illam perfectionem quam virtualiter continent ſecundum quam ſunt principia actuum ſecundorum, diſtinct. 1. quæſtione ſexta. Litera. D.

EXPLICATIO LITERÆ.

IN hac litera Doctor aſsignat concluſionem, nempe, quanuis Angelus, & anima differant ſpecie, intellectus tamen Angeli, & animæ non differunt ſpecie. Hanc concluſionem probat primo, quia quanuis aquila, & bos differant ſpecie, potentia tamen viſiua aquilæ, & potentia viſiua bouis non differunt ſpecie, & ſecundo, quia ſicut paſsiones entis contentæ in diſtinctis ſpeciebus, nõ diſtinguũtur ſpecie, quia vnitas lapidis non diſtinguitur ſpecie ab vnitate hominis, ita nec diſtinguuntur ſpecie intellectus Angeli & intellectus hominis quamuis homo, & Angelus ſpecie diſtinguantur.

¶ Quia tamen Doctor hanc concluſionem non ponit vt indubitatam, ſed ſtatim ſubdit, in fine literæ E, aut ſi iſtud non eſt verum, ſed relinquatur iſtud modo ſicut dubium. Et in ſolutione ad primum, litera F. vtramque tangit ſententiam, nempe, quod eſſentia Angeli, & hominis differant ſpecie, non tamen potentiæ, nempe, intellectus Angeli, & intellectus hominis. Et ſtatim ſubdit, vel poteſt dici, quod potentiæ differentes ſpecie, &c. in quibus verbis, & in tota ſolutione ad illud argumentũm quaſi pro certo ſupponit vtramque potentiam ſpecie diſtingui, ſicuti, & ipſæ eſſentiæ diſtinguuntur, cum idem iudicium ſumendum ſit circa voluntatem Angelorum, & hominum, operæpretium erit in initio diſputationum de volũtate Angelorum quid in hac re ſentiendum ſit diſputare.

QVÆSTIO PRIMA.

¶ *Vtrùm voluntas Angeli & hominis diſtinguantur ſpecie.*

PRO parte negatiua eſt primum argumentũ. Potentia viſiua hominis, & equi non diſtinguuntur ſpecie, ergo & voluntas Angeli, & hominis non diſtinguuntur ſpecie. *Primum argum.*

¶ Confirmatur, nam Auerroes ſecundo de anima textu comment. 33. ex Ariſtot. ibidem dicit, quod potẽtiæ diſtinguuntur per actus, & actus diſtinguuntur per obiecta, ergo ſicuti diſtinctio actuũ ab obiectis cauſat diſtinctionem potentiarum, ita & identitas obiectorum cauſabit identitatem potentiarum. Patet ſequela, quia propter diuerſitatem obiectorum arguimus diuerſitatem actuum, & propter diuerſitatem actuũ arguimus diuerſitatem potentiarum, ergo ex identitate obiectorum orietur identitas actuum, & ex identitate actuum colligitur identitas potentiarum. Et per conſequens voluntas hominis & Angeli (cum habeant idem obiectum ſecundum ſpeciem) erunt eædem potentiæ ſecundum ſpeciem.

¶ Pro explicatione huius quæſtiõis eſt primo notandum, ꝙ illa maxima Ariſt. nempe quod potentiæ diſtinguuntur per actus, intelligenda eſt de diſtinctione extrinſeca, *1. Notab.*

 vel

vel ſaltim intelligenda eſt de intrinſeco ordine quem potentiæ dicunt ad actus proprios, & adæquatos, qui ordo non eſt aliquid. ſuperadditum ipſi potentiæ abſolutum, vel reſpectiuum, ſed eſt ipſamet potentia ſecundum eſſe abſolutum, quatenus dicit ordinem quendam tranſcendentalem ad actus ſibi adæquatos. Vnde vt optime aduertit Bargius in primo diſtinctione tertia fol. 182. litera. I. potentiæ diſtinguuntur per ſuos actus tantum à poſteriori (id eſt) diſtinctio potentiarum tantum nobis innoteſcit per ſuos actus. Vnde Doctor diuerſimodè gloſſat iſtam propoſitionem in primo diſtinctione ſecunda, parte ſecunda, quæſtione quarta. illius ſecundæ partis. & diſtinctione ſexta. & in ſecundo hac quæſtione ſexta, diſtinct. primæ, & diſtinctione decimaſexta & vigeſimaquarta, & in tertio diſtinctione decimaquarta, quæſtione prima. & in quarto diſtinctione decimatertia, quæſtione prima, articulo tertio. & in quolibetis. quæſtione decimatertia, articulo tertio. & quæſtione. 17. artic. primo. in principio. Ex quo prouenit quod identitas obiecti, non arguit identitatem potentiarum, nec valet argumentum ab oppoſitis, quod ſicut diſtinctio obiectorũ quaſi à poſteriori arguit potentias diſtinctas, ita identitas obiectorum arguat identitatem potẽtiarum, quia talis argumentatio non valet niſi in cauſis præciſis, & adæquatis. Quare Ariſt. intelligendus eſt ibi de ordine potentiarum ad obiecta ſibi adæquata, ac ſi dicat impoſsibile eſt, quod obiectum adæquatũ vnius potentiæ ſit adæquatum obiectũ potentiæ alterius ab illa ſpecie diſtinctæ in ratione potentiæ. Quare implicat quod obiectum adæquatum potentiæ viſiuæ ſit obiectum adæquatum potentiæ auditiuæ. Aduertit tamen Liquetus poſſe etiam prædictam regulam limitari quod intelligatur de potentijs non ſubordinatis, ita quod loquatur Ariſt. tantũ de obiectis adæquatis, quæ reſpiciunt tales potentias quatum vna non ſubordinatur alteri, nec vna in operando neceſſario præexigit operationem alterius, ita quod tantum loquatur de potentijs diſparatis. Quod ſi etiam loquatur de ſubordinatis, debet ſic exponi quod quamuis ſit idem obiectum potentiæ viſiuæ, & phantaſiæ, quia in quod viſiua poteſt, poteſt & phantaſia, non tamen è contra, quia obiectum adæquatum phantaſiæ non eſt adæquatum potentiæ viſiuæ, ſed melior eſt prior expoſitio, nempe, quod potentiæ diſtinguuntur per obiecta adæquata taliter, quod diſtincta obiecta ſpecie arguunt potentias diſtinctas ſpecie.

¶ Secundò eſt notandum, quod volũtas hominis & angeli poſſunt conſiderari dupliciter, vno modo ſecundum quod conueniunt in quadam ratione quaſi generica voluntatis, abſtracta per intellectum à voluntate hominis, & Angeli: nam voluntas hominis voluntas eſt, & voluntas Angeli voluntas eſt, quare hoc prædicatum voluntas, vniuocè de vtraque voluntate prædicatur. Secundo modo poſſunt conſiderari, quatenus voluntas hominis, & volũtas Angeli ſunt quædam entitates reales, & quædam perfectiones intrinſecæ ipſius hominis. & angeli: quæ proficiſcuntur ex ipſo eſſe reali hominis, & angeli. Si cõſiderentur primo modo, nempe, ſecundum quandam conſiderationẽ logicã, ſcilicet, vt ſunt hæc, & hæc voluntas non diſtinguuntur ſpecie in ratione potentiarum inter ſe, quia ambæ ſunt potentiæ volitiuæ. Diſtinguuntur tamen ſpecie etiam vt ſic, à potentia intellectiua, & reliquis ſenſitiuis. Vnde poteſt ſic formari coordinatio Potentia alia intellectiua, alia volitiua, alia ſenſitiua, potentia intellectiua alia Angeli, alia hominis. Neque hic connumeratur potentia intellectiua Dei, quia cum intellectus diuinus non ſit ſeparabilis etiam per intellectum à ſuo actu, ſi concipiatur conceptu proprio (ideſt) deſumpto ab ipſa ratione intellectus diuini, qualiter ſeparabilis eſt intellectus angelicus, & humanus, hinc prouenit quod non includatur in ratione potentiæ, ſicut intellectus angelicus, & humanus includuntur. Dixi ſi ſecundum conceptum proprium concipiatur, nam ſi concipiatur ſecundum conceptum alienum, bene poteſt concipi intellectus diuinus in ratione potentiæ, ſine eo quod concipiamus non eſſe ſeparabilem à ſuo actu. Intellectus igitur angelicus & humanus in ratione potentiæ intellectiuæ æquè conueniunt, vtrumque enim reſpicit obiectum intelligibile, vt intelligibile eſt. Nec ſunt diuerſæ potentiæ ad modum quo potentiæ in ratione potentiarum dicuntur diuerſæ. Poſſunt autem & ſecundo conſiderari quatenus ſunt diuerſi gradus perfectionales, & diuerſæ entitates reales duarum naturarum ſpecie diſtinctarum. 2. *Notab.*

¶ Prima

Prima cõcluſio. ¶ Prima concluſio. Voluntas hominis, & Angeli in ratione potentiarũ ſecundum rationem logicam non diſtinguuntur ſpecie. Hæc cõcluſio probatur argumentis in principio. Et præterea, quia potentiæ ſpecie diſtinctæ non induunt eandem rationem formalem, ſed ratio formalis intellectus, vel voluntatis æquè conuenit intellectui angelico & humano, nam hæc eſt prædicatio vniuoca, intellectus Angeli, & hominis ſunt intellectus, voluntas hominis & Angeli ſunt voluntas, ergo cum illa ratio formalis in ratione intellectus & voluntatis non ſit alia, & alia ſecundum ſpeciem (cum obiectum non ſit aliud, & aliud & ſecũdum ſpeciem) erunt intellectus hominis & Angeli potentiæ in ratione potentiarum non diſtinctæ ſecundum ſpeciem. Confirmatur. Nam potentia qua homo poteſt mouere lapidem, vel expellendo illud à ſe, vel trahendo illud ad ſe non diſtinguitur ſpecie in ratione potentiæ à potentia, qua aliud quodque animal poteſt, & illum lapidem mouere, non alias niſi, quia tendunt in ipſum obiectum ſub eadem ratione obiecti, ergo cum voluntas Angeli, & hominis tendant in idem obiectum ſub eadem ratione obiecti non erunt diſtinctæ potentiæ in ratione potentiarum.

Secunda ratio. ¶ Secunda concluſio. Voluntas hominis & Angeli quatenus ſunt entitates reales, & ſecundum eſſe abſolutum perfectioneſque diuerſarum naturarum diſtinguuntur ſpecie. Hæc concluſio probatur primo, quia eſſentiæ diſtinguuntur ſpecie, ergo & illæ quatenus ſunt proprietates diſtinctarum naturarum diſtinguuntur ſpecie, patet conſequentia, nam proprietates intrinſecæ quæ neceſſario cõſequũtur naturas ſpecie diſtinctas, neceſſario diſtinguuntur ſpecie. ¶ Confirmatur, tales proprietates, vt ſic propriæ iſtius naturæ, quod implicat eſſe in altera ſecundum illam rationem formalem, ergo ſi naturæ diſtinguuntur ſpecie, & proprietates illæ diſtinguuntur ſpecie. Ex quibus omnibus patet quid ſit dicendum ad præſentem quæſtionem iuxta prædictã diſtinctionẽ potentiarũ in ratione potentiæ, vel in ratione perfectionis.

QVÆSTIO II.

¶ *Vtrùm in Angelo ſit liberum arbitrium.*

Primum argum. PRO parte negatiua eſt primũ argumentum, liberum arbitriũ eſt facultas voluntatis, & rõnis qua bonũ eligit gratia aſſiſtẽte, & malum gratia deſiſtente, ſed nec in bonis, nec in malis reperit prædicta facultas, ergo. Probatur minor, nã boni nõ põt eligere malũ gratia deſiſtente, nec mali bonũ grã aſſiſtẽte, ergo. ¶ Secũdò. Si libe-*Secundum argum.*rũ arbitriũ eſt in angelis, eſſet etiã & i Deo. Patet ſequela, qa libertas arbitrij eſt perfectio quędã à prima perfectiõe deriuata. Cõſequẽs tũ falſum eſt. Probat minor, qa Deus prſus immutabilis eſt in ſua volitione, & ꝙ ſemel voluit ſemp vult, nec põt mutari de volẽte, in nolẽtẽ, nec cõtra, ergo. ¶ Cõfir-*Confirm.*matur, qa liberũ arbitriũ præſupponit conſiliũ, & electionẽ cũ procedat ex collatiõe mediorũ quæ poſſunt eligi ad finem. Conſilium autem importat conſultationem, & mediorum inquiſitionem cum determinatione ſententiæ, talis autem conſultatio, & inquiſitio in Deo eſſe non poteſt, ergo.

Tertium argum. ¶ Tertiò. De ratione liberi arbitrij eſt eſſe poteſtatem ſeruandi rectitudinem propter ipſam rectitudinem, ſed Angeli non habẽt iſtam poteſtatem, ergo nec liberum arbitrium. Probatur minor. Nam poſita aliqua Angeli operatione non poteſt eius voluntas in contrarium verti, ergo.

¶ Pro explicatione huius quæſtionis videndus eſt Alexand. Aleñ. 2. parte, quæſt. 29. memb. 1. per ſeptem articul. vbi definiens liberum arbitrium dicit eſſe facultatem, voluntatis, & rationis, extendendo nomẽ rationis ad intellectũ angelicũ, nam ſecundũ Ioan. Damaſc. oportet dicere & ſcire quod angeli rationales entes arbitrio liberi ſunt, & vt creabiles, & vertibiles, & iterũ aut nõ erit rõnale, aut rõnale ens Dñs actuũ erit, & liberi arbitrij. Vnde irrationalia nõ ſunt libera arbitrio, agũtur enim à natura magis quã agũt. ¶ Secũdò eſt notandũ, ꝙ ratio libertatis noſtræ volũtatis poteſt cõſiderari quatenus eſt libertas abſolutè. Secundo modo quatenus eſt libertas cõtrarietatis, & cõtradictionis, & ratio huius eſt, quia libertas vt docet Doctor in quolib. q. 16. non conſiſtit in hoc quod poſſit volũtas eligere hoc, & illud, cum hoc non ſit libertas abſolutè, ſed libertas cum tali modo, nempe libertas contrarietatis, & contradictionis, ſed principaliter conſiſtit in hoc, quod voluntas non eſt à natura potentia determinata *2. Notab.*

ad ſuã operationẽ. Vnde quanto voluntas
perfectior eſt, tanto, & libertas perfectior,
& liberum arbitriũ perfectius, vnde cũ in
Deo, Angelo, & homine intellectu, & vo-
luntas habeant inter ſe ordinẽ excellentiæ,
nam perfectior eſt voluntas Angeli volũta
te hominis, & perfectior eſt in infinitũ vo-
luntas Dei voluntate Angeli: ita & libertas
in Angelo pfectior eſt libertate hominis &
libertas in Deo libertate Angeli, iſta autem
libertas conſiſtit in hoc ꝙ voluntas delecta
biliter, & eligibiliter elicit ſuã operationẽ,
ideſt, ꝙ ipſa voluntas, non aliundè determi
netur ad eliciendã ſuam operationẽ quã à
ſe ipſa. Hæc tñ differẽtia eſt inter potentiã
naturalẽ, & inter potentiã liberam, nam po
tentia naturalis ex natura ſua, & ex ratione
formali eius determinata eſt ad operationẽ
cõuenientẽ ſuæ naturæ, & ad talẽ operatio
nẽ: at vero potẽtia libera nõ eſt ex ratione
ſua formali determinata ad ſuam operatio-
nẽ, vnde quãuis voluntas diuina in ſuis ope
rationibus nunquã fuerit indeterminata nũ
quã tñ dicenda eſt determinata, niſi ꝓut in
telligitur ſemper cũ ſuo actu cõiuncta, ſi tñ
intelligatur vt voluntas eſt, nõ intelligitur
determinata, & quia nõ põt intelligi ſi intel
ligatur per cõceptũ deſumptũ ab ipſa abſq;
ꝓprio actu cũ ſit actus puriſsimus, & nullo
modo in potẽtia ad illũ, ideo nunquã intel-
3. Notab. ligenda eſt indeterminata niſi concipiatur
cõceptu alieno deſumpto à volũtate crea-
ta quæ vtrũq; habet & determinationem à
ſuo actu & indeterminationẽ à ſe. ¶ Tertiò
eſt notandum, vt prædicta doctrina melius
percipiatur, qđ colligitur ex doctore in il-
lo quolib. 16. ꝙ illa quæ in creaturis dicunt
formaliter perfectionẽ, & nullã includunt
imperfectionẽ poſſunt & debẽt formaliter
Deo adſcribi, & cũ in creaturis reperiamus
potentiã naturalẽ & potentiã liberã, poten
tiam naturalẽ (ideſt) potentiã determinatã
ex natura ipſius potentiæ ſecluſa cõſiderae
tione cuiuſcũq; ſui actus ad ſuã operationẽ.
Potentiã autẽ liberã (ideſt) potentiã nõ de-
terminatã ex formali ratione ipſius poten-
tiæ ſecluſa cõſideratione ad ſuũ actum & ad
ꝓpriã operationẽ, vnde ſi quis cõſideraret
intellectũ diuinũ nõ cõſiderãdo actũ ei' vel
operationẽ, ſed conſideraret illũ per modũ
actus primi, & quatenus intellectus eſt, &
potentia potens elicere ſuũ actũ: adhuc tñ
conſideraret illũ taliter determinatũ ad ſuã
operationẽ determinatione fundatã in ipſa
natura intellectus, & ratione formali illius,
quod talis intellectus nõ indigeret proprio
ſuo actu, vt potẽtia determinata diceretur:
at vero volũtas nõ ita ſe habet, nã ſi quis cõ
ſideraret voluntatẽ diuinã nõ cõceptu pro
prio (ideſt) vt eſt voluntas diuina, ſed tantũ
quatenus voluntas eſt, ſi nõ conſideraſſet il
lam eſſe actum puriſsimũ, ſed per modũ nõ
ſtræ voluntatis eſſe potentiã nõ coniunctã
ſuo actui, in illo caſu teneretur cõſiderare il
lam potentiã nõ determinatã ad ſuã opera-
tionẽ, quia teneretur conſiderare illã cũ ſua
formali ratione intrinſeca qualis eſt liber-
tas, quæ cõſiſtit in illa non determinatione
potẽtiæ actiuæ, vel ꝓductiuæ. Nec ex hoc
dicẽda eſſet volũtas diuina potẽtia indeter
minata, præcipuè indeterminatione poſiti Nota hoc.
ua, ſed tantũ, non determinata, nec ſequitur
nõ eſt determinata, ergo eſt indeterminata
qa nõ bene infertur cõſequens ex antecedẽ
ti, ſed inferendũ eſſet non eſt determinatã,
ergo eſt nõ determinata, neq; ex hoc ſequi
tur, ergo eſt indeterminata, qa volũtas diui
na in hoc diſtinguitur ab intellectu diuino,
quatenus intellectus diuinus eſt potẽtia na
turalis, & voluntas potentia libera quod in
tellectus diuinus eſt potentia determinata,
& non determinans ſe ad ſuã operationẽ: at
vero voluntas diuina eſt potentia determi
nans ſe ad ſuam operationẽ, & ob hoc non
eſt dicenda determinata, neque etiam inde
terminata, ſed ſe ipſam determinans, & pro
pter hoc doctor ibi fundat libertatẽ volun-
tatis in hoc quod volũtas delectabiliter, &
eligibiliter elicit ſuũ actum. Delectabiliter
quaſi dicat, potentia naturalis, vellit, nolit,
tenetur producere, & producit ſuũ actũ, at
vero potẽtia libera volũtariè cõplacenter,
& delectabiliter cũ ipſe actus voluntatis ſit
actualis cõplacentia. Eligibiliter, id eſt, ꝙ
volũtas ita producit ſuũ actũ ac ſi prius cõ-
ſultaret, vel prius imperaret intellectui in-
ueſtigaret de actu illo, eſſet ne ſibi cõueniẽs
an nõ. Quãuis enim volũtas neceſſariſsimè
operetur, nõ tamẽ tollitur ab illa iſte mod'
operãdi; qa taliter operari perfectio eſt ip-
ſius volũtatis. Non tñ ꝙ voluntas ad quam-
cunque eius operationẽ indigeat tali cõſul
tatiõe, præcipuè volũtas diuina & maximè
in productione Spiritus ſancti, vbi eſt iſta
formalis, & intrinſeca libertas cũ ſit produ-
ctio maximè volũtaria, quia à volũtate eli- Nota in
cita; in tali tñ productione eſt volũtas libe- quo conſi-
ra, & nõ determinata prout intelligitur an- ſtat ratio
te ipſam

libertatis intrinſeca. te ipſam productionem, nec etiã indeterminata cũ ſit actus puriſsimus, ſed ſe ipſam determinans, in quo tota ratio libertatis cõſiſtit. ¶ Diſtinguitur etiã voluntas diuina, à voluntate creata (inter alia) penes hoc, ꝙ voluntas diuina cum ſit actus puriſsimus nunquã eſt dicenda indeterminata ex parte ipſius potẽtiæ, quia quicquid Deus vult, & in futurũ volet ab æterno voluit, nec poteſt volũtas diuina mutari de non volente, in volentẽ, ſolum tamẽ eſt mutatio in obiecto volito, & tunc qñ obiectũ volitum eſt præteritũ, voluntas diuina dicitur determinata reſpectu illius, nõ ab aliqua determinatione reali, quæ inſit illi, quæ antea non inesset, ſed à determinatione reali quæ erat in obiecto volito, & à quadã relatione rationis in ipſa volitione diuina. Vnde de volitione diuina poſſumus dupliciter loqui, vno modo ſecundũ ſuũ eſſe abſolutũ, & ſic ſemper omnino eadẽ eſt ſimpliciter inuariabilis & immutabiliter ſe habens ſecũdo modo quatenus cõſideratur tranſiens ſuper iſtud, vel illud obiectũ: & tunc denominatur denominatione obiecti, ſi obiectum determinatũ eſt, & voluntas diuina reſpectu illius obiecti determinata dicitur. Si autẽ obiectũ præſens eſt, & voluntas diuina ſe ipſa determinãs dicitur, ſi autẽ obiectum futurum eſt, & nõ habet eſſe determinatũ, ſed determinabitur, & voluntas diuina reſpectu illius obiecti, & quaſi conſideratus ſuper illud tranſiens, dicitur non determinata, ſed quod determinabitur. At vero cum nunc æternitatis ſemper ſit Deo præſens, ideo volitio diuina, quæ nunc æternitatis menſuratur, habet eſſe præſens ſemper Deo, & per cõſequens volũtas habet ſe ad illam vt ſe ipſa per ſe determinans in illa volitione, & per illã. At vero voluntas creata cũ ſit ſeparabilis ſecundũ rem à ſuo actu, per ſuũ actũ eſt determinans ſe, nõ ſolũ nõ determinata, ſed indeterminata, & ſic libertas volũtatis creaturæ fundatur in determinatione illa cũ indeterminatione poſitiua præcedenti.

4. Notab. ¶ Quarto eſt notandũ diſcrimen eſſe inter D. Tho. & Doct. circa naturã voluntatis in ordine ad ſuos actus, nã D. Tho. diſtinguit voluntatẽ in voluntatẽ, vt naturã & volũtatẽ, vt potẽtiã. & volũtati vt naturæ tribuit actum naturalem, voluntati autem vt potẽtiæ tribuit actum liberũ. Vnde docet ꝙ voluntas Angeli ad duo eſt determinata, nempe, & ad proſequutionẽ boni, & ad propriã felicitatẽ quę finis naturalis vocatur, ab his tñ duobus nõ põt volũtas per actũ cõtrariũ auerti. At vero ad alia indeterminata eſt, ſupernaturalẽ beatitudinem, & ad illa media quæ nẽpe ad non habẽt neceſſariã cõnexionẽ, cũ fine naturali, & ad oĩa etiã, quæ pertinẽt ad finẽ ſupernaturalẽ, nã quãuis principia moralia neceſſario cognoſcant, ſicut & ſpeculatiua, tñ circa particulare agibile, nõ eſt neceſſario determinatũ iudicium hominis, vel Angeli, ac proinde manet in eius volũtate libertas, cũ indifferentia intellectus: vnde quãuis iudicia ſpeculatiua in Angelo (etiã circa res particulares) ſint determinata in Angelo, non tñ iudiciũ practicũ, ſed liberũ eſt. & primũ quidem neceſſum erat ad perfectionẽ intellectus, vt omnia clarè, ac determinatè cognoſceret: ſecundũ vero cõueniebat libertati volũtatis, vt in his in quibus non erat ſita ſumma perfectionis libere ducerentur. Vnde ad finem naturalẽ oportebat determinatã eſſe, non autẽ ad finẽ ſupernaturalẽ, qui cũ excedat naturæ facultatem nõ eſt imperfectionis, ſi ad illud nõ inclinetur. Quod ſi quæras vnde prouenit, ꝙ cum cognitione ſpeculatiua determinata intellectus eſſet indifferentia voluntatis circa obiecta inferiora, Reſpõdetur ꝙ quãuis intellectus iudicet hoc eſſe bonũ, non tñ iudicat eſſe ſibi neceſſariũ. ¶ At vero Doctor quamuis diuidat voluntatẽ in naturã & potentiã non tñ tribuit illi duplicẽ actum, nã voluntas (vt natura) non habet aliquẽ actũ elicitũ ſed tantũ dicit propenſionẽ & inclinationẽ, ſicut & graue ad ſuũ centrũ, & vnaquæque natura ad ſuam propriã perfectionẽ, & cum talis inclinatio nõ ſit actus voluntatis quãuis volũtas ſit determinata ad illã nõ tñ eſt determinata in ordine ad aliquẽ actum eliciendũ, quia quamuis reſpectu felicitatis naturalis ſit determinata quo ad ſpecificationẽ, ex eo quod nõ põt miſeriã appetere manet tñ reſpectu propriæ felicitatis liberã quo ad exercitiũ, cũ poſsit elicere & nõ elicere, & quãuis neceſſario eliceret, eſſet neceſsitas quæ cõſequeretur, & cõſequenter ſe haberet ad actũ ipſius volũtatis, non tamen antecedenter (vt diximus ſupra) ad ipſum actum voluntatis, & ſic voluntas in ordine ad ſuum actum eliciendum vel elicitum quandiu actus durat ſemper conſideratur vt potentia ſecundum Doctorem, & per conſequens, vt libera, & nunquam vt natura, & potentia determinata.

¶Vltimò eſt notandum, ꝙ ratio liberi arbitrij, & ratio libertatis quantū ad exercitiū in noſtra volūtate eſt indifferētia rationis, & intellectus, quatenus intellectus iudicat hoc melius eſſe illo, vel magis ſibi cōueniēs & in volūtate Angeli, ſi ſecundū ſententiam D.Tho. loquamur (tenentes Angelū non poſſe mutari ex oppoſito in oppoſitū, quia ſi ſemel aliquid eligit ſemper manet in illa electiōe, nec pōt oppoſitū eligere) conſide ratā mutabilitas in libero arbitrio quatenus electionē ipſam (quam modo habet) potuit nō habere, etiā ex parte actus, ac per conſe quēs aliter ſe habere in ſe ipſo, quā modò ſe habet. At vero in Deo, quāuis nō poſsit aliter ſe habere voluntas diuina modo, quam prius, quatenus tamen illa volitio includit libertatem ad faciendum hoc, vel illud, ad faciendum hoc, & non faciendum ex perfectiſsima ratione ipſius voluntatis, & ex indifferentia intellectus diuini, non quatenus intellectus diuinus eſt, ſed ex indifferentia quæ reperitur in obiecto iudicato ab intellectu diuino eſſe indifferēs ad hoc vel illud. Ideſt, quāuis intellectus diuinus ſemper habeat omnino eandem intellectionem nec poſsit eſſe in potentia, ad aliam, & aliam, nihilominus tam ex hoc quod iudicat aliquod obiectum eſſe taliter neceſſarium ad iſtum finem, & illud obiectū magis, vel minus neceſſariū quam prædictum, ex indifferentia iſtorum obiectorū denominatur intellectus diuinus quantum ad iudicium practicum indifferens, & tunc voluntas diuina liberè tranſiēs ſuper illa obiecta eligit iſtud magis quam illud, & ſic ratio liberi arbitrij non eodem modo ſumitur in nobis, in Angelis, & in Deo, nā quamuis ſecundū Doctorem tenearis fateri, Angelum poſſe mutare propoſitū ex natura ipſius Angeli & velle, quod antea noluit, & modo velle, quod antea odio habuit, non tamen eſt tanta mutabilitas in Angelo, quanta in homine.

Vide infra Diſputatione 17. quæſt. 7.

Prima cōcluſio. ¶Prima concluſio. In Deo eſt liberum arbitrium. Hæc concluſio probatur in primis,

1. Proba. nam Sancti & Doctores ex illo loco, Faciamus hominem ad imaginē, & ſimilitudinē noſtrā, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cęli &c. Et ſtatim ſubdit, Creauit Deus hominē ad imaginē ſuam, ad imaginem Dei creauit illū. Vbi docent hominem ex eo ad imaginē Dei factum eſſe quod per liberum arbitrium libere agit, quaſi Iudex & Dominus ſuarū actionum, ergo & Deus erit liber reſpectu ſuarū actionū. Patet ſequela, nam imago, & in quo homo Deo aſsimilatur eſt in libertate, & dominio ſuarum actionum.

Secunda ratio. ¶Secundò. In homine eſt liberū arbitrium, ergo & in Deo. Probatur ſequela, nā ſi prima cauſa ageret naturaliter nulli eſſent effectus contingentes in rerū natura, vt latè oſtendimus in primo Diſput. 4. quæſt. 3.

Tertia ratio. ¶Tertiò probatur prædicta prima concluſio. Si aliqua ratione nō eſſet ponendum in Deo liberū arbitriū, maximè quia liberum arbitriū eſt reſpectu illorū de quibus eſt cōſilium: ſed in Deo non eſt conſilium: nam conſilium vocatur inquiſitio rationis, & Ariſtotel. 3. Ethicorum. capit. tertio. dixit quod electio eſt appetitus præconſiliati, & per conſequens videtur quod cum in Deo nō reperiatur talis inquiſitio, nec etiā videtur quod poſsit reperiri conſilium. Cōſequens tamē hoc falſum eſt, quia vt docet D. Tho. 1. 2. quæſt. 14. arti. 1. in ſolut. ad. 1. conſilium duo importat, nempe, & inquiſitionem de rebus dubijs, & ſententiam ferre, & præcipere de ordinandis in fine, quorum rectam rationem habet conſilians, & quamuis conſilium primo modo Deo non conueniat, bene tamen ſecundo modo, præcipuè, quia D. Thom. 1. par. quæſt. 22. art. 1. ad primum. docet quod ipſa ratio rerum agendarum dicitur in Deo conſilium, non propter inquiſitionem, ſed propter certitudinis cognitionem, ad quam conſiliantes inquirendo perueniunt. Vnde D. Paul. ad Epheſ. 1. loquens de Deo dicit, quod operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ. Cum igitur conſilium (quatenus dicit determinationem conſilij, & ſententiā, ſiue iudicium practicum de medio, quod ſecundum ſe non habet neceſſariam connexionem cum fine) neceſſario ſit ponendum in Deo, ergo ſimpliciter, & abſolutè dicendum eſt, in Deo eſſe liberū arbitriū. Patet ſequela: quia vbi eſt conſiliū ſecūdū aliquā eius rationē, ibi eſt libertas arbitrij. ¶Cōfirmatur. Nam inquiſitio in cōſilio (reſpectu mediorū qđ ſecundū ſe nō habēt neceſſariā cōnexionē cū fine) ꝓuenit ex imperfectione intellectus creati, ſententia vero, & iudiciū de tali medio (quod ſecūdū ſe nō habet neceſſariā cōnexionē cum fine, ſine eo ꝙ dicat reſpectū ad inquiſitionem) prouenit ex ſumma Dei perfectione, ergo cū omnis imperfectio ſit à Deo auferēda & omnis perfectio tribuēda, auferēda eſt à cōſilio diuino inqui-

inquiſitio,& tribuenda inquiſitionis perfe cta determinatio. Cũ igitur in Deo ſit cõſiliũ,quãrũ ad perfectã determinationẽ qua determinat hoc mediũ cõducere ad finẽ cõſequendũ,nõ vero illud,licet iſtud, & illud nõ habeāt neceſſariã cõnexionẽ cum fine, erit etiã in Deo (propriè & formaliter loquendo) liberum arbitrium.

Quarta ratio. ¶ Vltimò probatur ex illo D.Auguſt.libr. de Correctione & gratia, vbi dicit Deo magis ad ſuam omnipotentiſsimam bonitatem pertinere, & de malis benefacere, quam mala eſſe non ſinere, & ſic ordinauit Angelorum & hominum vitam, vt in ea prius oſtẽderet quid poſsit liberum arbitrium,& deinde quid poſſet gratia beneficij. Ex quibus verbis manifeſte patet, quod in Deo eſt ratio prudentiæ,& prouideutiæ, & per conſequens libertatis arbitrij.

Secunda conclu. ¶ Secunda concluſio, in Angelis ponẽdum eſt liberum arbitrium. Hanc concluſionem ponit Alexand. vbi ſupra artic. 1. quam etiã docet D.Thom. 1. par. q. 59. arti. 3. & ſecundo contra gentes, c. 48. & de veritate. q. 23. artic. 1. & q. 24. art. 2. & 3. & de malo, q. 16. artic. 5. & probatur, nam voluntas Angeli non eſt determinata ad media, quæ non habent neceſſariam connexionem cum fine, neque quoad exercitium, nec quo ad ſpecificationem, ergo voluntas Angeli reſpectu illorum eſt libera, & intellectus Angeli eſt indifferens, poteſtque habere conſultationem, & inquiſitionem, præcipuè, quia (vt diximus ſupra) intellectus Angeli eſt discurſiuus etiam in ſententia aliquorum Thomiſtarum reſpectu rerum ſupernaturaliũ præcipue quia D.Thom. q. 113. artic. 8. vbi loquẽs de pugna bonorum Angelorum dicit, quod in pleriſq; rebus cognoſcere non poſſunt, quid ordo diuinæ ſapientiæ habeat, niſi Deo reuelante, & idcirco neceſſe habẽt, ſuper ijs ſapientiam Dei conſulere, ergo cũ in Angelis propriè, & formaliter ſit conſilium, erit propriè, & formaliter liberum arbitrium. ¶ Ex quo loco D.Thom. facile probatur in Angelis ſaltim reſpectu rerum ſupernaturalium eſſe diſcurſum cum ſit inquiſitio, & per conſequens quod Angeli intellectus eſt ſimpliciter diſcurſiuus.

Tertia conclu. ¶ Vltima concluſio. In homine verè, & formaliter eſt liberum arbitrium. Hæc concluſio eſt de fide contra Lutherum dicentem, liberum arbitrium hominis eſſe titulum ſine re. Probatur tamen, nam voluntas hominis mutari poteſt, & mutatur, cum quod heri voluit, hodie non vult, & quod modo vult, ſtatim nolit, & ex parte intellectus habet in differentiam poſitiuam, & indiget maxima inquiſitione, cum inter intellectus ſit imperfectior, ergo.

Reſponde. argum. ¶ Reſpondetur argumentis. Ad primum reſpondet Alexand. quod illa diffinitio liberi arbitrij propriè eſt liberi arbitrij prout in homine, in quo remanet electio boni per gratiam, & mali per ſe, ſi verò ſumatur communiter ad liberum arbitrium in Angelo, ſecundum hoc conuenit Angelo ratione primarij ſtatus, tũc enim potuit eligere bonũ gratiam aſsiſtente, & malum gratia deſiſtẽte, ac ſi dicat Alexã. volũtas Angeli quãuis eſſet informata habitu charitatis & gratiæ, exiſtẽs in actu primo potuit elicere actum conformẽ inclinationi ipſius gratiæ, & hoc eſt elicere actũ gratiæ aſsiſtẽte, & potuit elicere actũ contrariũ inclinationi ipſius gratię, & hoc eſt, ꝙ dicit gratia deſiſtente, vnde quãuis Angel' eſſet adeo inflexibilis, vt poſt quam ſemel cœpit aliquid velle, non poſsit contrariam habere volitionem, adhuc tamẽ liberrimus eſt, quatenus exiſtẽs in actu primo, potuit in illam, quam cæpit, & in aliam illi oppoſitam operationem exire.

Ad ſecundum. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, concedendo ſequelam, & ad probationem dicitur, hanc eſſe perfectionem voluntatis diuinæ, quod attingat à fine vſque ad finem fortiter, diſponens omnia ſuauiter, & quod immutabiliter exiſtens omnia mutabilia gubernet, determinans in ordine ad aliquem finem conſequendum medium, quod ex natura ſua non eſt determinatum, & in hoc conſiſtit ratio liberi arbitrij in Deo iuxta id quod diximus in prima concluſione.

Ad confir. ¶ Ad confirmationem reſpondetur in Deo reperiri conſilium, non quantum ad conſultationem, & mediorum inquiſitionem, ſed quantum ad determinationem ſententiæ.

Ad tertiũ. ¶ Ad tertium reſpondetur concedendo maiorem, & negando minorem, & ad probationem dicitur, quod Angeli, ſiue boni, ſiue mali, ſemper liberi manent in illis actibus, in quibus viam finierunt, vnde quanuis de malis Angelis dicatur vere illud Pſalm. Superbia eorum qui te oderunt aſcẽdit ſemper, nihilominus tamẽ talis ſuperbia, vel ſuperbus actus liberè elicitur ab Angelo, quia Angelus malus delectabiliter, & elegibiliter elicit illum, quanuis immobiliter illi adhæreat,

hæreat, vnde D. Thom. 1. p. quæſt. 64. arti. 2. in ſolutione ad tertiũ, aſſerit quod in diabolo manet adhuc peccatum, quod primò peccauit, quantum ad appetitum, licet non maneat quantum adhoc, quod credat ſe poſſe obtinere, quod appetit: ſicut ſi aliquis credat, ſe poſſe facere homicidium, & velit facere poſtea tamen poteſtas faciendi ei auferatur, nihilominus tamen poteſt manere, in eo voluntas, & affectus homicidij, vt velit feciſſe, & facere, ſi poſſet.

QVÆSTIO III.

Vtrùm liberum arbitrium ſit æque in Angelo, & in homine,

Primum argum. PRO parte affirmatiua probatur, primo, nam ratio liberi arbitrij ſumitur penes rationẽ imaginis, ſed homo, & Angelus æque portant imaginem Dei, ergo & libertas arbitrij æque reperitur in Angelo, & homine. Maior eſt Diui Bernardi diſtinguentis inter libertatem cõſilij, & complaciti, & libertatem arbitrij. Nam libertas conſilij, & complaciti attenditur, penes rationem ſimilitudinis, libertas vero arbitrij, penes rationẽ imaginis, minor autem probatur, quia Angelus non habet rationẽ imaginis per hominem, nec homo mediante Angelo, ergo æquè cõuenit vtrique.

Secundum argum. ¶ Secundo. Libertas fundatur in voluntate naturæ intellectualis, ſed habere voluntatẽ vel eſſe naturam voluntariam, & non cogibilem æquè conuenit homini, & Angelo, ergo.

1. Notab. ¶ Pro explicatione huius quæſt. eſt aduertẽdum libertatem eſſe triplicem, prima eſt, libertas à coactione ſiue neceſsitate. ¶ Secũda eſt à peccato, iuxta illud 2. ad Corinth. 3. vbi ſpiritus Domini ibi libertas, & Ioan. 8. ſi filius vos liberauit verè liberi eritis. Tertia libertas eſt à miſeria, iuxta illud ad Rom. 8. ipſa enim creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.

2. Notab. ¶ Secundò eſt notandum, quòd facultas in rationali creatura eſt duplex. Altera quæ ſequitur voluntatem in quantũ eſt voluntas, altera vero quæ ſequitur naturam creaturæ rationalis. Prima facultas cõuenit voluntati quatenus eſt potentia libera, & ſecundũ hanc facultatem dicimus, quod poteſt velle natura rationalis, & non velle, & quod poteſt velle hoc & eius oppoſitum: iuxta illã diſtinctionem libertatis in libertatem contrarietatis, & contradictionis. Facultas autẽ quæ ſequitur naturam explicatur per hoc, quod natura ſimplicior poteſt facilius exire in ſuum actum, quam illa quæ minorem immaterialitatem habet, & ſic dicimus, quod Angelus facilius poteſt exire in actum volendi, quam homo, & per conſequens, facultas exeundi in actum, maior eſt in Angelo, quam in homine.

¶ Tertio eſt notandum, quod quamuis voluntas diuina ſibi ſufficiat ad exeundum, & producendum in eſſe quodcunque vult, & omnibus voluntatibus præſideat, cum volũtate Angeli, & hominis ſint illis ſubiectæ nec ipſæ ſibi ſufficiant ad ſuas operationes, præcipuè ſupernaturales, ſed diuina indigeant voluntate, vel per auxilium, vel per gratiam illas adiuuante, nihilominus tamen ſi conſiderentur prædictæ voluntates quantum ad hoc, quod eſt cogi poſſe, vel non cogi, quælibet eſt ita libera, ſicut & alia. *1. Notab.*

¶ Prima concluſio. Libertas arbitrij quantũ ad coactionem æquè conuenit Angelo, & homini. Hæc concluſio probatur, quia ratio voluntarij, æquè cõuenit Angelo, & homini, ergo & libertas, patet ſequela quia ratio voluntatis conſiſtit in libertate. Confirmatur. Sicut nõ poteſt cogi Angelus vt bene, vel male faciat, ita nec poteſt cogi homo, vt bene, vel malefaciat, ergo ſicut Angelus eſt liber à coactione, ita & homo. *Prima cõcluſio.*

¶ Secunda concluſio. Libertas à corruptione, non æquè reperitur in homine, & Angelo. Hæc concluſio patet ex eo, nã Angelus non eſt corruptibilis, homo autẽ corruptibilis eſt, ergo non æquè conuenit incorruptibilitas Angelo, & homini. *Secunda concluſ.*

¶ Tertia Concluſio. Libertas à miſeria non æquè reperitur in homine, & Angelo. Hæc concluſio patet, nam ſi conſideremus hominem vt à beatitudine ſeparatum, quam plurimis miſerijs eſt repletus, iuxta illud Iob; homo natus de muliere breui viuens tempore repletur multis miſerijs.

¶ *Argumenta, in principio probant concluſionem.*

DISPV-

DISPVTATIO XIIII.

DE DILECTIONE NATVRALI Angelorum: Continet tres Quæſtiones.

PRima; *Vtrùm in Angelis ſit naturalis dilectio.*

Secunda, Vtrùm naturalis dilectio qua Angelis ſe ipſum diligit, ſit neceſſaria quantum ad ſpecificationem, & quantum ad exercitium.

Tertia, Vtrùm Angelus naturaliter prius diligat Deum, quam ſe.

QVÆSTIO I.

¶ *Vtrùm in Angelis ſit naturalis dilectio, & electiua.*

Primum argum. PRO parte negatiua eſt primũ argumentum, ſi eſſet in Angelis dilectio naturalis, talis eſſet recta, vel non recta, ſi eſt recta, eſt dilectio charitatiua, ſi eſt non recta eſt inordinata, & peccatum; neutrum autem poteſt dici de Angelo, cum de illo non poſsit dici, quod ex natura ſua habeat charitatiuam dilectionem, nec peccatum, ergo neque quod in illo ſit dilectio naturalis.

Secundum argum. ¶Secundò, vel reſpectu talis dilectionis Angelus eſt agens naturale, vel liberum, ſi eſt agens naturale, ergo nõ ſeipſum diligit, nec mouetur à ſe reſpectu talis dilectionis, cum agentia naturalia habeant naturam ab alio determinatam ad ſuam operationem; & ſic communiter docetur, quod grauia, & leuia mouentur à generante, ſi autem ſunt agentia libera, poſſent igitur Angeli ceſſare à dilectione ſui, & per conſequens, non ſeipſos diligere: conſequẽs eſt falſum, quia dilectio ſequitur cognitionem, ergo cum Angeli nõ poſsint nõ intelligere ſe, nec etiam poſſunt non diligere ſe.

Tertium argum. ¶ Tertio, quod Angeli non habeant dilectionem electiuam probatur. Illam non habent reſpectu ſui, nec reſpectu aliorum, ergo. Probatur antecedẽs, nam reſpectu ſui habent dilectionem naturalem, ergo non dilectionem electiuam. Probatur ſequela nam dilectio electiua in hoc diſtinguitur à naturali, quod naturalis determinata eſt, electiua vero libera. Et Confirmatur: nam cum intellectus Angeli ſemper ſit determinatus in ſuis iudicijs, nullamque poſsit habere indifferentiam, neque voluntas aliquam poteſt habere electionem, & per conſequens, nec in Angelis poteſt eſſe dilectio electiua. *Confir.*

Notab. ¶ Pro explicatione huius. q. eſt primo notandũ cum Doctore in.4. diſtin.49. quæſt.10. litera. A. quòd in voluntate duplex eſt appetitus, ſcilicet naturalis, & liber. Appetitus naturalis eſt ipſamet potentia voluntatis, quatenus dicit ordinem ad ſuã propriã perfectionem, & talis naturalis appetitus non eſt actus aliquis à voluntate elicitus, ſed tantum inclinatio quædam, & propenſio: quæ propenſio, & inclinatio in quacunque natura reperitur reſpectu ſuæ proprię dilectionis, & ſuę vltimę perfectionis. In graui, reſpectu loci deorſum, in leui, reſpectu loci ſurſum, & per conſequens reſpectu illorum, quæ dicunt intrinſecum ordinem ad illam vltimam perfectionem: quare motus deorſum dicitur graui naturalis propter neceſſariam cõnexionem quam habet, ad hoc quod graue ſuam vltimam perfectionem adquirat, & talis appetitus in voluntate non eſt magis actus elicitus, quam in lapide, ſed eſt inclinatio ad propriam perfectionem ſuam, ſcilicet, volũtatis, ſicut in alijs nõ habentibus appetitum liberũ, & de illo appetitu loquitur Philoſophus 1. Phyſ. text. 81. dicens quod materia appetit formam, & vniuerſaliter imperfectum ſuam perfectionem, & iſto appetitu naturali docet doctor, vbi ſupra quod voluntas neceſſario, & perpetuò, & ſummè appetit beatitudinem, & hoc in particulari, quia natura nõn poteſt remanere natura, quin ad ſuam perfectionẽ inclinetur, vnde ſi tollis illam inclinationẽ, tollis naturam. cum igitur appetitus naturalis non ſi[illegible] inclinatio talis: & beatitudo cuiuſcu[illegible] naturæ ſit vltima eius perfectio, natura appetens beatitudinem naturaliter,

liter, neceſſario debet appetere illam. Ex quo prouenit illi, ꝙ ſummè appetat, quia cum ſumma inclinatio ſit, ad ſummā perfectionem, & beatitudo ſit ſumma perfectio naturæ beatificabilis, erit igitur, & ſummus appetitus in natura reſpectu illius. Præcipuè quia in cui⁹ poteſtate nō eſt tēdere, vel nō tendere, nec in ei⁹ pôteſtate eſt remiſſe tendere, ergo ſi voluntas, (vt natura,) neceſſario determinatur ad appetendam beatitudinem, cum non poſsit non appetere illam, ſummè appetit illā. Quod autem beatitudinem appetat in particulari, ex eo probat Doctor, quia talis appetitus eſt ad perfectionem intrinſecam realem, qua voluntas perficitur, ſed perfectio realis non eſt aliquid vniuerſale, qua voluntas perficitur, ſed particulare, ergo. Qualiter autem materia appetat formam, & ſit naturaliter determinata ad illam, & in potentia neutra reſpectu cuiuſcunque formæ ſpecificæ diximus late in primo diſputatione prima, & quomodo ſit in homine naturalis inclinatio ad Deū clare viſum in natura eleuata quia reſpectu talis naturæ Deus clare viſus eſt propria eius beatitudo, & vltima perfectio, nō autem reſpectu naturæ in puris naturalibus cōditæ quia reſpectu illius Deus clare viſus nō eſſet perfectio realis, nec vltima eius beatitudo, cùm beatitudo hominis in illo ſtatu non conſiſteret in Deo clare viſo vide in primo diſputat. 1. q. 8.

2. Notab. ¶ Secundò notādum eſt cū Doctore vbi ſupra, litera. F. quod nullus actus neceſſario aufertur ab aliqua potentia, niſi propter determinationem, eius ad oppoſitū, ſicut verbi gratia ab igne neceſſario aufertur frigiditas, quia neceſſario determinatur ad calorē.

Primum Corol. ¶ Ex quo infertur, quod ab illa potētia quæ non eſt determinata ad aliquem actum, non aufertur actus illi oppoſitus, & per conſequens quod ſi aliquomodo eſt determinata, quod tantum aufertur oppoſitus actus ſecundum modum illius determinationis. Vnde cum voluntas neceſſario appetat beatitudinem, appetitu naturali, nullatenus poteſt habere inclinationē reſpectu actus oppoſiti tali beatitudini.

Secundum Corol. ¶ Ex quo infertur ſecundo, quod cum voluntas in actu ſuo elicito ſequatur inclinationem ſuam, quod ſic determinatur ad volendum beatitudinem, & ad nolendum miſeriam, quod ſi eliciat aliquem actum circa iſta obiecta, neceſſario elicit actum determinatum volendi reſpectu beatitudinis, & nolendi reſpectu miſeriæ, non tamen abſolutè determinatur ad vnum actum eliciendum, vel alium.

Tertia concluſio. ¶ Ex quo infertur tertio, quod quamuis voluntas nō poſsit nolle beatitudinem, nec poſsit velle miſeriam, non tamen neceſsitatur à beatitudine, & miſeria, taliter, quod reſpectu illorum ſit potentia naturalis, & non libera, quia voluntas reſpectu cuiuſcūque actus libera eſt, & à nullo obiecto determinatur, quia poteſt ſe ſuſpēdere ab omni actu oſtenſa beatitudine, & dato quod neceſſario actum eliciat reſpectu illius, ipſa tamen ſeipſam determinat, & non ab obiecto determinatur niſi extrinſecè.

3. Notab. ¶ Tertiò eſt notādū, ꝙ libertas volūtatis eſt duplex, prima eſt libertas eſſentialis, & intrinſecas, ſecunda autē eſt libertas accidētalis, & extrinſeca. Libertas prima (cum eſſentialis ſit) eſt à voluntate inſeparabilis, iuxta illud D. Auguſt. voluntas aut libera eſt aut voluntas non eſt. Conſiſtit autem iſta libertas in hóc quod voluntas ſeipſam determinat ad producendum ſuum actum quod potentiæ naturali non contingit, cum ab authore naturæ ſit determinata & ab ipſo obiecto etiā determinatur, voluntas verò quia voluntas eſt, & talis naturæ, & conditionis à Deo inſtituta vt ſeipſum reſpectu cuiuſcū que actus determinet, quantumcunque ille actus neceſſarius ſit. Ideo ſemper libera in ſua operatione manet. Libertas autē extrinſeca alia contradictionis eſt, vel exercitij, alia contrarietatis, vel ſpecificationis, contradictionis, vel exercitij explicatur per actum contradictorium volūtatis, ſcilicet, per velle, & non velle, vnde voluntas illa quæ reſpectu alicuius obiecti poteſt habere iſtos actus (volo hoc., nolo hoc) dicitur libera libertate cōtradictionis, ſi autem eadem voluntas ſuo actu in obiecta contraria feratur, vti illa quæ dicit volo dulce, volo amarum, dicitur libera voluntate contrarietatis.

4. Notab. ¶ Quartò eſt notandum, quod iſta libertas extrinſeca oritur prope ſemper ex indifferentia intellectus, non ſpeculatiui, ſed practici, vnde quamuis intellectus ſpeculatiuus eſſet determinatus in ſuis iudicijs, ſi tamen intellectus practicus eſt indeterminatus ſufficit ad hoc quod voluntas potiatur ſua libertate extrinſeca, & iuxta modum determinationis, vel indeterminationis intellectus.

ctus practici oritur in voluntate libertas exercitij, vel ſpecificationis.

Primum Corol. ¶ Ex quo prouenit quod cū intellectus poſſit habere duo iudicia circa aliquam rem. Primum an ſit res vera, vel falſa, ſecundum an ſit conueniens vel repugnans fini intētō ab agente. Primum iudicium pertinet ad intellectum ſpeculatiuum, ſecundum autem ad intellectum practicum, vnde quamuis implicet, duo oppoſita ſimul eſſe vera non tamen implicat duo oppoſita ſimul eſſe conuenientia ad aliquē finem intentum ab agēte, & ſic poteſt contingere intellectum ſpeculatiuum eſſe determinatum, & intellectū practicum eſſe indifferentem, & cum voluntas in ſuis actionibus dirigatur ab intellectu practico hinc prouenit quod cum determinatione intellectus ſpeculatiui vtraque libertas extrinſeca poſsit ineſſe voluntati.

Secundum Corol. ¶ Ex quo prouenit ſecundo, quod cum intellectus practicus habeat determinatum iudicium circa beatitudinem appetendam, & miſeriam fugiendam, quod voluntas reſpectu talium obiectorum habebit actum determinatū quo ad ſpecificationem, quia tamen intellectus practicus poteſt iudicare eſſe voluntati conueniens, vti ſua libertate quantum ad ſuſpenſionem actus, propoſita tamen beatitudine in communi, quia poſſet habere iſtos duos actus, Bonum eſt appetere beatitudinem, & bonum eſt voluntatem vti ſua libertate, & ſuſpendere actum. Ideò voluntas (ſequens iudicium practicum intellectus) poteſt alterum iſtorum actuum elicere, & hoc eſt liberam eſſe voluntatē cōtradictionis, at verò reſpectu Dei clare viſi oſtenſi ab intellectu, cum non poſsit habere intellectus iſtud iudicium, bonum eſt ſuſpēdere actum propter rectitudinem illius ſtatus beatifici, neque etiam voluntas poteſt habere iſtum actum, volo ſuſpēdere amorē: quia tamen talis actus conuenit illi propter rectitudinem talis ſtatus, & non poteſt voluntas non eſſe recta, ideo talis neceſsitas nō tollit libertatem contradictionis, quia voluntas ſemper manet eadem quātum ad ſua intrinſeca, & potens ex ſua natura deficere, ſi rectitudo ſtatus non ineſſet. Vel dato quod ex vi illius obiecti neceſſario eliciat actum, erit adhuc libera, quatenus per modum actus primi conſiderata, indifferens ex natura ſua manet ad eliciendum, vel non eliciendum, & ſolum ab extrinſeco obiecto neceſsitatur.

Prima concluſio. ¶ Prima concluſio. In Angelis reperitur amor, ſeu dilectio naturalis. Hæc concluſio communis eſt apud omnes & probatur primo, nam illud quod in rebus imperfectioribus dicit perfectionem, non includens imperfectionem, tribuendum eſt Angelo, ſed inclinatio naturalis, & dilectio naturalis reperitur in qualibet re imperfectiori, ſine aliqua imperfectione, ergo. Minor probatur, nam quælibet res naturaliter diligit ſe, & ſuam propriam perfectionem, naturaliterque inclinatur ad illam, cum omne imperfectum naturaliter appetat propriam eius perfectionem, ergo Angeli naturaliter appetūt ſuum eſſe, ſuamque eſſentialem perfectionē ſine qua eſſe non poſſunt, naturaliterque appetunt ſuam beatitudinem, ad quam tamquā ad vltimam perfectionem ordinantur. *Prima ratio.*

Secunda ratio. ¶ Secundò dæmones habent naturalem dilectionem ſui, ergo & Angeli: Antecedēs patet, nam dæmones naturaliter fugiunt ſuam miſeriam, ergo naturaliter diligunt ſe, patet ſequela, nam odium alicuius ſupponit dilectionem, cum ex eo odio habeam aliquem, quia diligo me, vel alium, ergo ſi dæmones naturaliter fugiunt miſeriam, quam habent, naturaliter diligunt ſe.

Confir. ¶ Confirmatur. Dæmones naturaliter appetunt ſuam fœlicitatem, & beatitudinem ſuā in communi, ergo naturaliter appetunt, & diligunt ſe, antecedens, patet, nam beatitudo in communi non poteſt odio haberi.

Secunda conclu. ¶ Secunda concluſio. In Angelis eſt dilectio naturalis quantum ad actum elicitum. Hæc concluſio probatur. In Angelis eſt amor ſequens rationē, & formam apprehenſam, ergo in Angelis eſt actus elicitus amoris. Probatur antecedens Angelus habet naturalem cognitionem ſui, ergo & naturalem dilectionem ſui.

Tertia concluſio. ¶ Tertia concluſio. Angelus actu elicito naturali dilectione magis diligit intenſiuè, & appreciatiue, Angelum ſibi ſimiliorem, & coniūctiorem, quam alium Angelum. Hęc concluſio probatur, nam amor fundatur in ſimilitudine, ergo naturalis inclinatio, qua Angelus ad diligendum alium Angelum inclinatur, quanto fundatur in maiori ſimilitudine, tanto magis inclinat Angelū ad diligē dum: ſed ſimilitudo fundata in eadem natura ſpecifica, verbi gratia, inter Angelos eiuſdē ſpeciei, & ſic inter propinquiores eſt maior ſimilitudo, ergo Angelus dilectione naturali (quæ nō ſequitur formam apprehenſam) magis

magis diligit intenſiuè Angelum alium eiuſ dē ſpeciei quam aliū Angelum. ¶ Confirma-*Confir.* tur, nam facilius quis diligit intenſe rem ſibi propinquiorem in natura tanquam ſibi magis proportionatam, quam aliam, quanuis perfectiorem habeat naturam.

Quarta conclusio. ¶ Quarta concluſio. Angeli dilectione appreciatiua magis diligunt Angelū perfectiorem, quam imperfectiorem etiam ſibi magis coniunctum. Hæc concluſio, probatur, nam dilectio iſta ſequitur formā apprehenſam, ergo cum ſit dilectio ordinata, ordinate debet diligere ipſa diligibilia, ſed Angelus ſuperior eſt magis diligibilis quam inferior, ergo perfectiorem Angelum magis diligit appreciatiuè alium Angelum, quam imperfectiorē, probatur conſequētia, nam ſi maiori pretio diligeretur Angelus inferior, iam dilectio illa non eſſet ordinata, quia non ſequeretur rationem cognitionis. Quod ſi reſpondeas, quod ea quæ ſunt minoris pretij, & æſtimationis ſecūdum ſe ſolent quandoq; reſpectu alicuius maiori pretio haberi electione ordinata, quia iſti ſunt verbi gratia viliora, & magis neceſſaria, & ſic homo plebeius maiori pretio habet hominem ſibi ſimilem, quam hominem alium, etiam nobiliſsimum, quia ſibi non adeo neceſſarius eſt, neque illi illam vtilitatem adfert, quā alius homo plebeius, & ſicut ordinata æſtimatione iudicat iſtum hominem eſſe ſibi magis neceſſarium, ita naturali dilectione appretiatiua poterit magis diligere, non tantū intenſiuè, ſed & appreciatiuè magis ſibi ſimilem, quam alium, etiam ſi ſit perfectioris gradus, & perfectioris ordinis, & ſic videtur dicendum ſimiliter in Angelis. Iſta tamen ſolutio non ſoluit difficultatem, quia quanuis in hominibus, quia indigentes ſunt, & ſeipſos mutuis ſuis actionibus adiuuant, hoc veritatem habeat, non tamen in Angelis. Quare ſi daremus etiā in hominibus hominem aliquē qui nullius hominis indigeret, vel dato ꝙ tā indigeret homo communis quam nobilis talem indigentiam ſuppleret, talis homo dilectione naturali teneretur plus diligere dilectione appreciatiua hominem nobilem, quam communem, ergo cum in Angelis non reperiatur talis indigentia ad ſuas operationes, naturales, tenetur diligere appretiatiuè magis Angelum ſuperiorem, quem inferiorem.

Primum argum.

Ad primū. ¶ Reſpondetur argumentis. Ad primum reſpondetur, cum Alexandro Alenſi vbi ſupra quæſtio. 30. membro. 1. articu. 2. quod dilectio naturalis Angeli eſt ordinata ſecundum ſuum modum, ſed nō peruenit ad ſummum ordinem ex ſe, nec dicitur inordinata, id eſt directe contraria ordini gratiæ, vel virtutis, vt inordinatum ſonet in contrarietatem reſpectu dilectionis gratuitæ, ſimul enim ſtare poſſunt, quod non eſt contrariorum; ſed inordinatū poſſet dici, id eſt non ad ſummum ordinem pertingens ex ſe, & ſic diceret abnegationem perfectionis in ordine. Naturalis igitur dilecto Angeli eſt ordinata perfectè in ſuo genere, non tamen eſt totaliter ordinata, quia poteſt per charitatē amplius ordinari.

¶ Ad ſecundum reſpondetur, quod inclinatio naturalis, & dilectio naturalis, non eſt aliqua actio, neque aliquod conueniens naturæ per modum actus ſecundi, ſed tantum eſt ipſamet natura, quatenus dicit ordinem, & propenſionem ad aliquid tāquam ad propriam eius perfectionem, vnde communiter dicitur quod talis inclinatio ineſt naturæ per modum habitus, & non per modū actus & ſic reſpectu talis inclinationis natura nec agit, nec agitur. Poteſt autē dici ipſam agere, quatenus reſpectu talis tendentiæ eſt in illa principium intrinſecum. Poteſt etiam dici ipſam agi, quatenus Deus (qui condidit talem naturam) tribuit illi talem inclinationem. *Ad ſecundum.*

¶ Ad tertium reſpondetur negando antecedens, & ad probationem dicitur, quod tam reſpectu ſui, quā reſpectu aliorum dilectionem habet electiuam, & naturalem, quantum ad actum elicitum, vtrùm autem talis amor reſpectu ſui ſit liber, vel neceſſarius, quæſtione ſequente diſputabitur, vbi ad cōfirmationem reſpondebitur. *Ad tertiū.*

QVÆSTIO II.

¶ *Vtrùm dilectio naturalis (qua Angelus ſeipſum diligit) ſit neceſſaria quantum ad ſpecificationem, & quantum ad exercitium.*

Prima ſententia. De hac re eſt prima ſententia quorūdam aſſerentiū, quod dilectio naturalis Angeli qua diligit, ſe viuere, intelligere, & beatificare, non ſolum eſt neceſſaria, & naturalis quo ad

ad ſpecificationem, ſed etiam quo ad exercitiũ. *1. Notan.* ¶ Pro explicatione tamen ſuæ ſententię aduertũt primo ꝙ in Angelo eſt duplex amor, ſcilicet, amicitiæ, & concupiſcentiæ.

2. Notan. ¶ Secundo aduertunt, quod tria ſunt obiecta voluntatis Angelicæ, ad quæ terminatur amor amicitiæ ipſius Angeli, nēpe Deus Angelus ipſe, & homo, quatenus ſecundum animam rationalem attingit gradum naturæ intellectualis. Cætera autem bona particularia (quæcunque illa ſunt) poſſunt pertinere ad amorem concupiſcentiæ voluntatis Angelicæ, non autem ad amorem amicitiæ. Vnde ſi ſit ſermo de his bonis, an naturali dilectione diligantur ab Angelo, dicendũ eſt, quod bona connaturalia ipſi Angelo, & quę maximè ad perfectionē eius ſpectant naturali amore concupiſcentiæ diliguntur, vt viuere, intelligere, & beatificari. Cætera autē bona particularia electiua dilectione amantur, quocirca, proportionabiliter loquendũ eſt in Angelis in amore bonorum particularium, ſicut loquimur in hominibus.

3. Notan. ¶ Tertiò aduertunt, quod licet Deus per ſe, primo pertineat ad amorem amicitiæ Angelicæ, ſecundario tamen pertinet ad amorem concupiſcentiæ, quatenus ex illo Angelus poteſt participare fœlicitatem ſuam, & cætera bona particularia: Sicut etiã Deus amatur ab hominibus, non ſolum amore amicitiæ per charitatem, ſed etiam amore concupiſcentiæ per ſpem.

Primum argum. ¶ His poſitis probant ſuam ſententiam, primo, nam cognitio qua Angelus ſeipſum cognoſcit eſt neceſſaria, quo ad exercitium, cum Angelus ſit ſemper ſeipſum cognoſcēs & non poſsit ceſſare à tali cognitione, ergo, & dilectio qua ſeipſum diligit non ſolũ eſt neceſſaria quo ad ſpecificarionem, ſed etiam quo ad exercitium, cùm non poſſit ab illis ceſſare, Patet ſequela, qm̃ actũ voluntatis debet eſſe proportionatus cognitioni per quam regulatur. Quod ſiquis reſpõdeat cũ Ferrara, quod cognitio ſpeculatiua (qua Angelus ſeipſum cognoſcit) neceſſaria eſt, quo ad exercitiũ, non autē cognitio practica ſui, qua iudicat ſeipſum eſſe diligendum, *Impugnatio.* & amaudum. Contra, non minorem proportionem habet, & connaturalitatem cum intellectu Angeli cognitio practica ſui, quam cognitio ſpeculatiua, ergo tam neceſſaria eſt cognitio practica ſui, atque ſpeculatiua cognitio. Patet ſequela quia tota neceſsitas fundatur in connaturalitate.

¶ Confirmatur, quia operatio illa (qua Angelus ſeipſum amat) eſt omnino proportionata ipſi voluntati angelicæ, & non eſt impeditiua cuiuſpiam alterius operationis, nullum enim generat faſtidium, imò ſatis delectat. Igitur nulla poteſt excogitari ratio, cur Angelus ceſſet à tali operatione. *Confirmatur.*

¶ Confirmatur ſecundo. Nam Angelus non poteſt deſiſtere ab operatione ſemel habita, niſi talis ſuſpenſio, & ceſſatio repræſentetur illi formaliter, aut virtualiter in ratione conuenientis, ergo cum nulla ratio conuenientiæ poſsit voluntati repræſentari ad ſuſpendendum propriũ amorem, ſequitur non poſſe Angelum à proprio amore ceſſare. *Confirmatur. 2.*

¶ Confirmatur tertio. Nam eo ipſo quo Angelus cognoſcit, & penetrat totam ſui perfectionem, videtur naturaliter reſultare iudicium quo iudicat amandam eſſe à ſe illam tãtam perfectionem, cui illa perfectio eſt connaturalis, & prorſus proportionata, ergo practica ſui cognitio, neceſſaria eſt in Angelo quo ad exercitium. *Confirmatur. 3.*

¶ Secunda ſententia eſt Ferrarienſis tertio, contra gentes ca. 109. Ibi, ſed circa hanc reſponſionem, occurrit dubium, vbi reſpondēs ad hoc argumentum, volitio ſequitur cognitionem, ſed Angelus ſemper ſeipſum actu intelligit, (vt patet de veritate, quæſt. 8. artic. 6. ad. 7.) ergo & ſemper ſeipſum diligit, ergo actus quo diligit ſe nunquã eſt liber, ſed ſemper concomitatur naturam, & eſt ſecundum naturæ inclinationem, ſicut nec cognitio qua ſeipſum cognoſcit, Reſpõdet dicēs, reſpondetur quod intelligitur dictum ſancti Thomæ de cognitione ſpeculatiua, non autem de cognitione practica, qua iudicat ſe eſſe amandum, & diligendum pro tunc; hãc autem cognitionem ſequitur voluntas, non autem ſpeculatiuam, vnde quod dicitur in quæſtionibus de malo quæſt. 16. art. 2. ad. 6. quòd volũtas Angeli ſemper vult, ſicut eius intellectus ſemper intelligit, non eſt intelligēdum circa vnum determinatum obiectũ, ſed abſolute, quia ſcilicet, ſicut Angelus ſemper aliquid conſiderat, ſcilicet, modo vnum modo aliud, ita ſemper aliquid vult modo vnum, modo aliud. Poteſt autē iſta ſentētia Ferraræ probari, primo, nã libertas ad exercitiũ manet in noſtra voluntate, circa omne obiectum, in omni ſtatu naturæ ſed in Angelis eſt perfectior libertas, quam in nobis, ergo nullus actus amoris eſt neceſſarius quo ad exercitium. Maior eſt D. Th. de veritate quæſtio- *Secunda ſententia.* *Primum argumentum.*

Secundum argum.

quæſtione. 22. artic. 6 Secundò quia alias, nullum poſſet inueniri peccatũ in Angelis in amore ſui, patet ſequela: ea quæ ſunt penitus neceſſaria, & alicui naturalia, ſunt extra genus moris, ſed Angelus potuit peccare in amore ſui, ergo amor ſui eſt illi liber, & per conſequens voluntas Angeli non eſt neceſſaria quo ad exercitium in amore ſui.

Prima conclusio. *Prima ratio.*

¶ Prima concluſio. Angeli neceſſario diligunt ſe dilectione naturali neceſsitate quo ad ſpecificationem. Hæc concluſio communis eſt, & probatur, quia Angeli non poſſunt ſe odio habere, ergo naturaliter ſe diligunt quo ad ſpecificationẽ, antecedẽs patet quia vnuſquiſque naturaliter appetit ſuum eſſe, & ſuam cõſeruationẽ, ergo reſpectu ſui eſſe, & conſeruationis nõ poſſunt habere actum elicitum oppoſitũ inclinationi naturali.

Secunda ratio.

Secundò. Si aliqua ratione poſſent ſe odio habere, maximè, quia poſſunt mutare iudiciũ, quo practicè iudicant ſe eſſe à ſeipſis diligẽdos, & habere iſtud iudiciũ bonum eſt odio nos metipſos habere, vel propriam miſeriã appetere, ſed tale iudicium non poſſunt Angeli habere cũ nullo modo miſeria, & odiũ ſui ipſorũ poſsit habere rationẽ boni, ergo.

Confir.

¶ Confirmatur, nam ſi aliqui Angeli optãt non eſſe, maximè dæmones, ſed iſti actu elicito diligũt ſe, ergo, & reliqui. Probatur minor, nam dæmones ex naturali amore ſui, & appetitu beatitudinis in communi appetũt non eſſe in tali ſtatu, in quo modo ſunt: quare aliud eſt dicere, quod Angeli mali appetunt non eſſe, & aliud ꝙ appetũt non eſſe in tali ſtatu, primũ eſt falſum, ſecũdũ eſt verũ.

Secunda conclusio. *Prima ratio.* *Confir.* *Secunda ratio.*

¶ Secunda cõcluſio. Quãuis vtraq; ſentẽtia de dilectione Angelorũ quo ad exercitium ſit probabilis, probabilior tamẽ mihi apparet ſententia ducẽs, ꝙ nulla dilectio Angeli eſt neceſſaria quantũ ad exercitium. Hęc cõcluſio probatur, nam libertas in Angelis perfectior eſt quã in nobis, ſed libertas quo ad exercitiũ manet in noſtra volũtate circa omne obiectũ in omni ſtatu naturæ vt docet D Th. de veritate. q. 22. art. 6. ergo & in angelis. ¶ Cõfir. Ideò in Angelis nõ eſt libertas quo ad ſpecificationem in dilectione ſui, quia nulla ratio poteſt inueniri boni in obiecto cõtrario ſed in obiecto cõtradictorio (nẽpe in hoc ꝙ eſt ceſſare ab actuali dilectione) poteſt Angelꝰ reperire aliquã rationẽ boni, ergo poteſt Angelus ceſſare ab actuali dilectione ſui. Probatur minor, quia poteſt Angelꝰ iudicare melius eſſe vti ſua libertate nõ diligendo ſe, quã ſemper diligere ſe, quia in hoc nulla ratio mali apparet, ergo quãuis angelus cognoſcat cognitione ſpeculatiua bonum eſſe diligere ſe, poterit etiam iudicare iudicio practico, bonum eſſe, pro nunc non habere actum dilectionis circa ſeipſum.

Secundo ratio.

¶ Secũdo. Si Angeli nõ fuerũt liberi aliqua libertate reſpectu dilectionis ſui, ergo non potuerũt peccare in dilectione ſui. Patet ſequela, quia peccatũ in tantũ eſt peccatũ in quantũ eſt voluntariũ. Cõſequens tamẽ falſum eſt. Probatur minor nã Angelꝰ in prima operatione ſui nõ poterit peccare, & nõ poteſt aliã habere operationẽ iuxta ſententiã, D. Th. aſſerẽtis voluntatẽ Angeli eſſe immutabilẽ poſtquã aliquam operationẽ elicuit, ergo nunquã potuit peccare. Patet ſequela, quia nũquã potuit ceſſare ab operatione illa, quam ſemel habuit, & illa operatio in ſuo principio fuit naturalis, & nõ neceſſaria, ergo ſemper fuit naturalis, & nõ libera: patet ſequela, quia nunquã dixit ordinẽ ad voluntatẽ, & potentiam liberã: nam ſi aliquem ordinẽ aliquomodo dixit, maximè, quia poſtquã voluntas naturaliter elicuit illã, potuit illã non conſeruare, ſed hoc nõ, quia nunquã potuit ceſſare ab illa operatione, ergo. Ad hoc argumentũ reſpõdet Ferrara, vbi ſupra (quanuis noſtrã tueatur ſententiã) ꝙ ſiquis vellet tenere quod actꝰ dilectionis (quo Angelus diligit ſe) ſit actus naturalis, tã quo ad exercitium actus, quã quo ad eius ſpecificationẽ, haberet, primo dicere, quod in nullo iſtanti Angelus qui peccauit habuit actum peccati explicitè, & pure electiuũ, ſed ſemper in ſuo actu naturali perſeuerãuit, cũ ſemper eodem modo ſibi ſuum bonum naturale fuerit præſentatum. ¶ Haberet ſecũdo dicere, quod in ſecundo inſtanti (in quo boni cõuerſi ſunt ad Deum) ſuus actus fuit interpretatiue electiuus, in quantum poterat ſe diligere cũ ordine ad Deũ, eius & boni, & hoc tenebatur facere, quod cum non fecerit per electionẽ interpretatiuam peccauit. ¶ Haberet, tertio dicere, quod ſecundum iſtans in quo peccauit, non fuit aliquod inſtans ſuo actui intrinſeco, menſurans ipſum actũ peccati, ſed fuit inſtans extrinſecum, menſurãs ſcilicet, bonorũ Angelorum electionem, in quo, & ipſe debebat in Deum conuerti, niſi forte diceretur, quod licet, non habuerit nouum actum dilectionis ſuorũ naturalium in aliquo nouo inſtãti nulli actui intrinſeco, habuit tam nouum actũ Imperij, eo modo quo volun-

voluntati conuenit imperare, quo actu voluntas imperauit intellectui, vt intenſe, & exactè bona naturalia conſideraret: ex qua intenſa conſideratione ſequuta eſt intenſa dilectio naturalium, ex quo deinde ſequuta eſt inconſideratio ordinis ad Deũ, quæ fuit cauſa peccati, vt videtur velle S. Thom. in cap. ſequenti, & ſic dicitur peccaſſe in ſecundo inſtanti, menſurantis (ſcilicet) illud Imperium volũtatis, quia in illo tenebatur cum ſuorum naturaliũ dilectione etiam diligere Deum, vt obiectum beatitudinis ſupernaturalis. ¶ Ex hac tamen ſolutione videtur primo inferendum (ſi vera eſt ſecunda ſolutio) quod peccatum Angelorum fuit peccatum omiſsionis, nam ſi ex eo peccauerunt, quia tenebantur diligere ſe in ordine ad Deum, & non appoſuerunt illum ordinem, tale igitur peccatum fuit peccatum omiſsionis, patet ſequela, quia Angeli nõ peccauerunt, quia ſe dilexerũt, cum non poſsint non diligere ſe, nec liberè ſe dilexerunt, ſed naturaliter, ergo tantum peccauerunt quia non appoſuerunt ordinem quem tenebantur apponere, & per conſequens videtur peccatum omiſsionis, quia dilectio illa non potuit eſſe peccatum cum fuerit mere naturalis.

¶ Illud autem de Imperio voluntatis, non videtur vndequaque verum, nam intellectus Angeli reſpectu cognitionis ſui, eſt potentia naturalis non impedita, ergo agit quantum poteſt, & per conſequens æquè cognoſcit ſe, & ſua, & non magis minus ve intenſe, cum maior, vel minor intenſio procedat, vel ex eo, quod potentia non poteſt habere ſtatim omnem intenſionem actus, vel ratione alicuius impedimenti ex parte obiecti, ſed nihil eſt ex parte Angeli quod impediat intellectum eius vt in actu naturali non habeat ſtatim totam intenſionem, præcipuè ſtante voluntate, cauſa etiam naturali, ergo tale Imperium non eſt ponendum in voluntate, ſi voluntas potentia naturalis eſt, tam quo ad exercitium quam quo ad ſpecificationem.

Reſpond. argu. pro prima ſententia. ¶ Ad argumenta autẽ pro. 1. ſenten. reſpondetur concedendo antecedens, & negando ſequelam propter rationem aſsignatam, ibidẽ: ad improbationem verò illius rationis, *Ad primũ.* Reſpondetur quod connaturalitas poteſt intelligi dupliciter, vno modo quantũ ad eſſe, & hoc modo cognitio practica, & cognitio ſpeculatiua habent eandem connaturalitatem. Secundo modo quantum ad modum, nam cognitio ſpeculatiua tantum conſiderat de re, an ſit vera, vel falſa: cognitio autem practica conſiderat de re an ſit conueniens, vel non conueniens fini intento ab agente, vnde quamuis Angelus ſemper ſeipſum cognoſcat cognitione ſpeculatiua, & cognitione practica, non tamẽ ſemper ſe cognoſcit eodem modo cognitione practica, ſicut cognitione ſpeculatiua, nam bene poteſt Angelus iudicare practicè bonum eſſe pro nunc non diligere ſe, & ceſſare ab actuali dilectione ſui, diligendo aliud obiectum, vel quouis alio modo iudicans bonum eſſe vti ſua libertate quare (licet) Angelus ſemper actualiter ſe diligeret, adhuc tamen poſſet pro ſua libertate ſe actualiter non diligere, & per hoc reſpondetur etiam ad primam confirmationem. *Ad primã confir.* ¶ Ad ſecundam confirmationem reſpondetur concedendo maiorẽ, & negando minorem, *Ad ſecundã confir.* nam poteſt repræſentari voluntati Angeli ad ſuſpendendum proprium amorem in ratione conuenientiæ vti propria libertate, & quod non eſt malum non diligere ſe. *Ad tertiã confir.* ¶ Ad tertiam confirmationẽ reſpondetur, quod quamuis Angelus iudicet illam tantam perfectionẽ eſſe à ſe amandam, poteſt etiã iudicare eſſe ſibi etiã conueniẽs totũ actum elicitũ à ſua volũtate habere circa aliquod obiectũ, & nullum actũ elicitum habere circa ſeipſum. ¶ Ex quibus patet, quod aliud eſt dicere voluntatẽ Angeli ſemper habere actum elicitũ dilectionis circa ſeipſum, & aliud eſt dicere ſemper neceſſario habere actum dilectionis circa ſeipſum, taliter, quod non poſsit non habere illum. Primũ reputo verum, ſecundum vero probabiliter iudico eſſe falſum, nec cõtrarium eius poteſt probari, ex eo quod voluntas Angeli eſt potentia vitalis, & per conſequens quod non poteſt totaliter ceſſare ab omni operatione, vnde cum omnis operatio voluntatis angelicæ fundetur in proprio amore ipſius Angeli operãtis, quia amicabilia quæ ſunt ad alterum, oriuntur ex amicabilibus quæ ſunt ad nos, quia iſta ratio tantum procedit de amore habituali, & de dilectione neceſſaria, quo ad ſpecificationem, nam ſi quo ad exercitium aliquid probaret, etiam in nobis oſtenderet eſſe neceſſariam actualem dilectionem noſtri, quoties alios diligeremus, quod nullus concedit.

QVÆSTIO III.

¶ *Vtrùm Angelus naturaliter plus diligat Deum quam ſe.*

PRima ſententia colligitur ex dicto D. Bonaue. in tertio diſtinctione. 29. quæſti. 4. aſſerentis, quod ſecundum ordinem charitatis, Deus præponendus eſt nobis in tantum, vt amor reſpectu noſtri nec æquari poſsit, nec præponi amoti Dei ſalua ſubſtantia habetus charitatis, vnde numeto. 16. reſpondens quod naturæ eſt plus ſeipſam quam Deum diligere dicit, quod hæc non eſt conditio reperta in natura, ſpectans ad ipſius perfectionem, ſed potius ad ipſius corruptionem. Ideò non ſequitur quod per gratiam habeat ſaluari, imò potius ſequitur, quod per gratiam habeat amoueri. Ex quo loco Gabriel, ibidem, quæſtione prima notabili tertio, docet quod dilectio gratuita, non ſemper concordat dilectioni naturali, nam gratia quandoque currit cum natura via conſona, quandoque via oppoſita, quandoque via diuerſa. In hoc enim quod homo plus diligit ſe quam proximũ concordat naturæ gratia. In hoc quod plus diligit ſe quam Deum, naturæ repugnat gratia: In hoc quod plus diligir filiũ, quam patrẽ, currit natura diuerſa via à gratia (hoc eſt) quod gratia adueniẽs in primo affectu, ſeu dilectione quo homo plus ſe quam proximum diligit ordinem ſaluat. In ſecũdo ſimpliciter mutat, & facit hominem Deum præponere ſibi. In tertio verò nouum ordinem dat, quia facit ſe plus diligere parentem, quam filium, & tamen illum affectum ad filium non exterminat, credo enim ait, S. Bonauen. quæſtione. 3. quod aliquis qui habet parentes, & filios dum mouetur affectu gratuitæ dilectionis magis deſiderat parentum ſalutem, & tamen affectu naturæ magis deſiderat filijs ſanitatem, ex illo ſequitur, quod inclinatio naturalis non eſt ſemper recta, nec voluntas conformans ſe inclinationi naturali eſt ſemper recta. Inclinatio enim naturalis eſt ad conſeruationẽ ſuppoſiti, etiam in tẽpore perſequutionis, dum pro Chriſti nomine moriendum eſt, & voluntas tunc ſe conformans naturali inclinationi diſtorta eſt, & non recta. Item appetitus ſenſitiuus naturalis eſt, quia non liber, & tamen manifeſtum eſt, quod voluntas ſe illi cõformãs frequenter eſt vitioſa, & non recta; ſed voluntas conformans ſe legi naturæ hoc eſt principijs practicis per ſe notis quæ ſecundum Apoſto. ad Roma. 2. ſcripta eſt in cordibus noſtris illa eſt recta, & ad hunc ſenſum oportet trahi dictũ B. Tho. præſenti diſtinctione ſcripto tertio qui eum voluerit ſaluare. Ex quibus omnibus colligitur ſententia iſtorum, nempe quod Angelus naturali dilectione plus diligit ſe quam Deum, poteſt autem primò probari hæc ſententia, nonnullus rationibus. ¶ Primò. Si Angeli naturaliter plus diligunt Deum, quam ſeipſos, ergo & nos plus diligimus Deum quam nos metipſos, ſed conſequens eſt falſum, nam alias non tantam difficultatem pateremur ſubeundo mortem propter Deum, quod tamen videmus aperte nobis contingere, ergo.

Primum argum.

¶ Secundò, quia ſi naturaliter Deum diligeremus ſuper omnia, ſequeretur, quod eſſemus proni, & procliues naturaliter ad bonum, conſequens eſt contra illud, quod habetur Genes. 8. ſenſus hominis, & cogitatio humani cordis prona ſunt ad malum ab adoleſcentia ſua, ergo. Quod ſi reſpondeas quod ſcriptura illo loco loquitur ſuppoſita corruptione hominum per peccatum, & praua, illorum conſuetudine, prauiſque habitibus, per quos quaſi extinxerant bonam hominis inclinationem, & naturam, nam idcirco Deus diluuio voluit homines delere de terra, quia naturam peruerterãt.

Secundum Arg. *Solutio.*

Contra. Si Deus crearet hominem in puris naturalibus non haberet naturalem inclinationem rectam, cum ideo data ſit illi iuſtitia originalis, vt rectificaretur eius natura, vt docet D. Thom. & Caieta. 1. 2. quæſtio. 109. tunc autem non haberet talis natura peccatum, ergo non habet modo natura iſtam renitentiam in bonum ex peccato, ſed ex natura ſua. Probatur ſequela: natura creata in puris eandem fere haberet difficultatem circa bonum, ſicut modo, ſed talis difficultas tunc non prouenit ex peccato, ergo & modo non prouenit principaliter, & primario ex peccato, ſed ex ratione intrinſeca ſui.

Impugnatio.

¶ Confirmatur. Nam Chriſtus Dominus habuit præceptum moriendi à patre, & tamẽ ex naturali inclinatione appetebat pro

Confir.

priam

priam vitam, nam Matth. 26. (inſtante paſſione ſua) dicebat. Pater ſi poſsibile eſt tranſeat à me calix iſte, ſed talis inclinatio naturalis non poterat fundari in peccato nec in natura depravata, ergo fundabatur in ratione propria naturæ.

Tertium argum. ¶ Tertio: Si aliqua ratione naturalis inclinatio Angeli, vel cuiuſcunque rei creatę tēdit naturaliter in Deum, maximè, propter rationem D. Tho. nempe, quod pars exponit ſe periculo pro conſeruatione totius, ſed iſta ratio ſupponit falſum, primo, quia pars non ſe exponit periculo propter bonum totius. Sed totum exponit illam propter bonum ſui, & præterea, quia Angeli non ſunt partes Dei, ergo.

Quartum argum. ¶ Quartò, homo naturaliter inclinatur in bonū propriū, ergo nō in bonū Dei, præcipuè quatenus bonū Dei eſt oppoſitū bono proprio. Patet ſequela, quia implicat, inclinationē naturalem ferri in duo oppoſita, & per conſequens ſi inclinatur quis ad ſuum eſſe, naturaliter deteſtabitur ſuū nō eſſe, qa & hinne illud, ad ꝙ ſuū nō eſſe cōſequitur.

Secunda ſententia Doctoris, & D. Th. ¶ Secunda ſententia eſt doctoris in tertio diſtinctione. 27. quæſtione vnica articulo. 3. & D. Thom. 1. p. quæſt. 60. artic. 5. Pro cuius explicatione expoſitores D. Tho.

Primum nota. pro D. Tho. aduertunt primò ꝙ in præſenti eſt ſermo de Deo quatenus naturaliter cognoſcitur; vt rerū principium, à quo pendēt vniuerſa; non ſolū vt fiant, ſed vt conſeruentur, & in finē perueniāt, non autē eſt ſermo de Deo; quatenus eſt reparator, aut beatitudo creaturæ rationalis, nā ſic eſt obiectum Theologicarum virtutū.

2. Nota. ¶ Secundò aduertunt, quod D. Tho. loquitur de primęua naturæ inclinatione, non autē de corruptione quā per vitia, vel peccata contraxit inclinatio: Siquidem, prima refertur ad naturæ authorem, ac proinde ſemper eſt in bonum, & ſic ſunt omnia quæ procedunt ab illo bonorū fonte: at vitiorum corruptio, quibus naturæ lumē offunditur à nobis fertur accepta.

3. Nota. ¶ Tertiò aduertunt quod ſententia D. Th. in articulo, & de appretiatiua dilectione, & de intenſiua eſt accipienda, & vtrùmque eorum inſinuare voluit ſanctiſsimus præceptor adiungens in articulo duas illas particulas magis, & principaliter, cum ait, quod tam Angelus, quam homo naturaliter inclinantur ad diligendum Deum plus, & principaliter, quam ſe. Quarum prima particula de intenſiua, altera vero de appreciatiua dilectione eſt intelligenda. Qui ſenſus adhuc colligitur ex argumēto, ſed cōtra. Probat namq; ſanctiſsimus præceptor, quia naturale præceptū dilectionis Dei eſt conſonū inclinationi naturali, in illo autē præcepto claudit̄ dilectio Dei ſuper omnia vtroque modo vt cōſtat ex. 2. 2. q. 24. Et vt ſententia D. Th. nobis conſtet in memoriā reuocare oportet, ꝙ charitas perficit quidē naturalem Dei amorem, illi tamen non cōtrariatur, quia vt verū vero non repugnat, ita nec bonū alteri bono contrariatur. Omnis nāque inclinatio à natura impreſſa bona eſt, ergo bonum gratuitum puta charitas non eſt illi contrarium.

¶ Quartò aduertunt; quod bonum diuinū dicitur vniuerſale dupliciter, vno modo ſecundum plenitudinē; quia in eo omnia bona creata; & infinitæ perfectiones continētur. Altero modo ratione cauſalitatis, quia ab illo tāquam à ſupremo fonte proueniūt vniuerſa, non ſolum vt ſemel fiant, verū vt iugiter conſeruentur, & ad ſuos fines perducantur. Iuxta illud Act. 18. in ipſo viuimus mouemur, & ſumus, vnde bonum ipſum ꝙ in nobis eſt, magis pēdet à Deo, quam à quibuſcumque principijs, & internis. Ex quibus omnibus aduertere poſſumus plura capita, vnde ad Deū diligendum inclinetur natura. Primo ex capite quo amor tendit in bonum, veluti in proprium obiectum, eſt enim in Deo ſummum, quod in nobis, & qualibet re inuenitur deficiens. Secundo ex eo quod inclinamur in proprium bonum, quia bonum noſtrum magis continetur in Deo, & conſeruatur ab ipſo, quam à nobis, & quamquam propriè loquendo, bonum diuinum non comparetur ad noſtrum ſicut totum ad partes, tamen quantum ad rationem diligendi perfectius inuenitur, quia vt bonū partis continetur, & pendet à toto, ſic bonum cuiuſque creaturæ à diuino, & ideo ſanctiſsimus præceptor interprobandum hac ratione vſus eſt. His additur tertia, quod dilectio Dei ſupra nos ipſos eſt ſumma perfectio, quæ contingere poteſt homini ſecundum ſtatum viæ, ad vnū quódque magis inclinatur ad ſuam vltimam perfectionem inde igitur prouenit, quod quæritur. Maior coſtat, ſiuè procedamus lumine naturæ, ſiue gratiæ: quia per amorem in ſtatu viæ magis adhæremus Deo, iuxta illud Pſalm. mihi adhærere Deo bonum eſt.

4. Nota.

Quinto notandũ pro doctore.

¶ Quintò eſt notandũ, quod quanuis præcedens doctrina veritatem in ſe habeat, non tamen reſpondet quæſtioni, nempe cur magis Angelus, vel homo naturaliter inclinentur ad eſſe Dei, & ad diligendum Deum, quam ad eſſe proprium, & ad dilectionem propriam. Certiſsimum enim eſt Angelũ vel hominem naturaliter inclinari in quodcunque bonum, & in quodcunque quod habet rationem boni, & cum Deus ſit ſummũ bonum nullus poteſt dubitare Angelũ naturaliter inclinari ad diligendum Deũ, ſed tota, quæſt, in preſentiarũ eſt vtrùm Angelus naturali dilectione diligat Deum pluſquam ſeipſum. Vnde aſſerere quod quia amor tendit in bonum, veluti in proprium obiectũ, & quod in Deo eſt ſummum bonum, & ſecundo quia bonum noſtrum magis continetur in Deo, & conſeruatur ab ipſo quã nobis, ex his duobus capitibus tantum infertur nos naturaliter diligere bonum diuinũ, ſicut & naturaliter diligimus quamcunque cauſam cõſeruatiuã noſtri eſſe, & ſic naturaliter diligimus alimentũ, imò & potionem amarã, non tamẽ ex hoc ſequitur, quod magis & diligimus alimentum, potionem amaram, quam vitam noſtram, ergo nec ex hoc quod amor tendat in bonum, veluti in proprium obiectum quãuis in Deo ſit ſummũ, non ſequitur ex hoc quod appetitus naturalis hominis feratur in illud: præcipue, quia appetitus naturalis fertur in propriã perfectionem, & in bonum, quatenus eſt propria perfectio ipſi⁹ cuius eſt appetitus: ſed bonum diuinum non eſt perfectio propria Angeli, vel hominis, ergo non magis fertur in illud quam in proprium bonum. Neque ex illo ſecũdo, nempe quia bonum noſtrum magis continetur in Deo, & conſeruatur ab ipſo quam à nobis. Nam bonum noſtrum tantum continetur in Deo eminenter eum ex intrinſeca ratione noſtri boni implicet eſſe bonum diuinum, licet habeat participationẽ, & eſſe cauſatũ à bono diuino, vnde ſicut eſſe noſtrũ, & eſſe diuinũ ita diſtinguuntur, vt implicet eſſe noſtrum attingere eſſe diuinum, ita & bonitas, & quæcunque alia perfectio in nobis adeo diſtinguitur à bonitate, & perfectione diuina, vt implicet, attingere eſſe bonitatis, & perfectionis diuinæ. Pro quo vnde quæ diximus in primo diſputione p. 14. quæſtione prima nota. 5. & ſic, quanuis eſſe diuinum ſit perfectiſsimum, & bonum diuinum ſit bonum ſummum, noſtrum autem eſſe ſit eſſe imperfectum, & bonum noſtrũ ſit bonum limitatum, non tamen ſequitur ex hoc, quod appetitus naturalis noſter magis feratur in bonum diuinum, quam in bonum noſtrum. Imò eodem argumento probaretur, quod appetitus naturalis hominis magis ferretur in eſſe Angeli, & eius bonitate, quã in eſſe, & in bonitatem propriã, nam eſſe, & bonitas Angeli, cum magis accedant ad eſſe, & bonitatem Dei, quam eſſe, & bonitas noſtra, & per conſequens perfectius eſſe habeant, quod appetitus naturalis noſter, qui fertur in bonum, magis feratur in eſſe, & bonitatem Angeli, quam in proprium eſſe, & bonitatem. Illud autem quod tertio addunt (quod dilectio Dei ſupra nos ipſos eſt ſumma perfectio quæ contingere poteſt homini ſecundum ſtatum viæ, & quod vnumquodque magis inclinatur ad ſuam vltimam perfectionem) eſt argumentum quo cõmuniter probatur, contra Thomiſtas, hominem appetitu naturali inclinati, & ferri in Deum clare viſum, quia Deus clare viſus eſt vltimum bonum, & vltima perfectio hominis.

Sexto notandum. Nota hoc.

¶ Sextò eſt notandum (vt iam apperiamus iſtum maiorem inclinationem, vel minorem) quod homo, & quæcunque alia creatura in ordin ade Deum poteſt dupliciter conſiderari, vno modo ſecundum rationem communem, alio verò modo ſecundum rationem particularem, ſicut verbi gratia in partibus vniuerſi, in ordine ad totum vniuerſum poſſumus illas dupliciter conſiderare, vno modo, ſecundum rationem communem, alio vero modo, ſecundum rationem particularem, ſi conſiderentur ſecundum rationem communem, conſiderantur quatenus partes vniuerſi ſunt, & hoc modo vna communis ratio omnibus conuenit, verbi gratia homo, leo, equus, lapis, planta, & denique reliqua quæ in vniuerſo continentur, dicuntur partes vniuerſi, nec homo in quantum pars vniuerſi diſtinguitur ſpecie ab equo, nec æque à leone nec leo à planta, nec planta à lapide, ſed tantum numero, quia ſunt iſta, & iſta, & illa pars vniuerſi, quæ enim diſtinguntur tantum ſecundum materiam, tantum numero diſtinguntur, & eum iſtæ partes, quatenus partes ſunt, tantum materia diſtinguantur, quia in ratione partis vna communis ratio omnibus conuenit. Ideo

tantum

tantum numero diſtinguuntur.

¶ Si autem conſiderentur ſecundum rationes particulares alia numero, alia ſpecie, alia genere proximo, alia genere remoto diſtinguuntur, vt de ſe patet.

¶ Ex quibus prouenit, quod ſicut duplex ratio in quacunq; reperiretur, ita, & duplex naturalis appetitus in qualibet re inuenitur, alter conueniens illi ſecundum naturã propriam, homini verbi gratia quatenus homo eſt, equo quatenus equus eſt, & altera conueniens illis ſecundum rationem cõmunem, & quatenus ſunt partes vniuerſi, & quod iſte duplex appetitus in illis reperiatur, patet ex eo, quia videmus quod ne detur vacuum, non ſolum leuia, verum & grauia, & non ſolũ viuentia, verũ & non viuentia, motu naturali aſcendunt ſurſum, quamuis motus ſurſum grauibus ſit violentus, & viuentibus non ſit naturalis. (Si grauia, vt grauia conſiderentur, & viuentia, vt viuentia) ergo cum talis motus ſit naturalis grauibus ſecundum vnam rationem, & violentus eiſdem ſecundum aliam, manifeſte apparet, quomodo in grauibus ſit duplex appetitus, & inclinatio, altera, qua inclinantur in locum deorſum, quatenus grauia ſunt & altera, qua inclinantur in quamcunque loci differentiam, quatenus partes vniuerſi ſunt. Ita in propoſito philoſophandum eſt de Deo, & de alijs rebus creatis. Poſſunt enim dupliciter conſiderari Deus, & creatura: vno modo quatenus creatura dicit intrinſecum, & eſſentialem ordinem ad Deũ, non ſolum vt cauſam productiuam, ſed etiã conſeruatiuam: quia implicat, creaturam eſſe, ſi Deus non eſſet, non tamen econtra, quia Deus ſemper eſt, creaturis non exiſtentibus. Secũdo modo poſſunt cõſiderari, quãtum ad eſſe abſolutũ vtriuſq;, & ſecluſo iſto prædicto ordine. Et quod iſtę duę rationes ſint duæ rationes reales in homine (verbi gratia) patet ex eo, quia homo quantum ad illum intrinſecum ordinem, æqualiter ſe habet in ordine ad Deum cum reliquis creaturis, nam omnes creaturæ æqualiter pendẽt à Deo in conſeruari, nec illa relatio quæ eſt conſeruatio ſuſcipit magis aut minus cum tamen aliqua creatura conſeruetur à Deo, quantum ad ſuum eſſe eſt neceſſarium; & ſic ille intrinſecus ordo ad Deũ conſeruantem equaliter in omnibus creaturis reperitur, nec illæ conſeruationes ſpecie diſtinguuntur, quamuis ipſæ creaturæ ſpecie diſtinguantur, quia homo, & Angelus (quamuis in ratione hominis, & ratione Angeli pluſquam genere diſtinguantur, quia corruptibile, & incorruptibile pluſquam genere diſtinguuntur) tamen in ratione creaturæ, vt creatura tantum enim numerica differentia inter illos reperitur, nam homo eſt hæc creatura, & Angelus eſt illa creatura. Vnde infertur, quod aliter ſe habet homo, vt homo eſt, & Angelus, vt Angelus eſt in ordine ad Deum, & aliter ſe habent homo, & Angelus, quatenus creaturæ ſunt: nam homo (vt homo) dicit tantum in ſua ratione formali animal rationale, & hoc ſiue ſit Deus in rerum natura, ſiue non ſit Deus in rerum natura, ideſt, nulla habita conſideratione in ordine ad Deum. Et ſic conſideratus homo (vt homo eſt) habet naturalem inclinationem conuenientem ſibi, vt homo eſt, quæ naturalis inclinatio tendit naturaliter in propriam perfectionem hominis, quatenus homo eſt, & in Angelo naturalis inclinatio (conueniens illi quatenus Angelus eſt) tendit in propriam perfectionem Angeli quatenus Angelus eſt, ideſt, in perfectionem conuenientem Angelo, ex ratione formali ipſius Angeli, & iſta naturalis inclinatio cum nihil aliud ſit quam ipſamet natura cum tendentia ad propriam perfectionem, ſi natura inter ſe ſpecie diſtinguũtur, & inclinationes naturales illarum ſpecie diſtinguentur. Quia tamen Angelus, & homo, & quælibet alia creatura (in ratione creaturæ) numero diſtinguuntur. Ideo inclinatio naturalis cuiuſcunque creaturæ in ratione creaturę eiuſdem rationis eſt in omnibus creaturis.

¶ Prima Concluſio. Quælibet creatura ſecundum rationem ſuam abſolutam appetitu naturali potius diligit ſeipſam, quam Deum. *Prima concluſio.* Hæc concluſio probatur nam appetitu naturali vnaquæque res fertur in propriam perfectionem ſuam, ſed eſſe Dei, vel Deus ſecundum ſe conſideratus, & quantũ ad ſuum eſſe abſolutum nõ eſt propria perfectio alicuius creaturæ; cum perfectiones *Prima ratio.* propriæ creaturarum ſint limitatæ, finitæ, & determinatæ, & pluſquam genere diſtinctæ ab eſſe Dei, ergo appetitus naturalis creaturæ, ſecundum eſſe abſolutum ipſius non tendit in eſſe Dei.

¶ Secundò, naturaliter Deus diligitur ab Angelo propter bonũ Angeli, ergo magis *Secunda ratio.* diligitur bonum Angeli. Patet ſequela, quia

propter vnumquodque tale, & illud magis.

Confir. ¶ Cõfirmatur. Dilectio naturalis eſt ad conſeruandum ſe, ergo quidquid diligitur ab Angelo naturali dilectione propter conſeruationem ipſius Angeli diligitur, & per conſequens propter ipſum Angelum diligitur, & ſic Angelus magis diligit ſe quã quodlibet aliud à ſe.

Secunda conclu. ¶ Secunda cõcluſio. Quælibet creatura (quatenus creatura eſt) appetitu naturali creaturæ potius diligit Deum quã ſeipſam. Hæc concluſio probatur: nam charitas, & gratia perficiunt naturam, ſecundum rationem naturæ. *Prima ratio.* Sed charitas, & gratia inclinant ad diligendum Deum pluſquam ſe, ergo in natura hominis, vel Angeli eſt inclinatio naturalis ad diligendum Deum pluſquam ſe.

Secunda ratio. ¶ Secundo. Quælibet creatura includit in ſe ipſa, vt ſic, intrinſecum ordinem, & dependentiam ad Deum, vt cauſam efficientẽ, & conſeruantẽ, non ſolum ſui ipſius in particulari, ſed etiam vniuerſi, ergo naturali appetitu potius fertur in Deum, vt conſeruantem vniuerſum, quã in ſeipſam. Probatur ſequela, nam creatura quælibet habet ſe in ordine ad Deũ (vt conſeruantẽ vniuerſum,) tanquã pars ipſius vniuerſi. Sed pars appetitu naturali potius, appetit eſſe totius quã eſſe proprium, ergo & creatura quælibet potius appetit eſſe Dei, quam eſſe proprium. Probatur minor, nam motus ille quo manus exponit ſe periculo propter cõſeruationẽ totius (ſecundum D. Tho.) vel exponitur ab ipſo toto (ſecundum ſententiã doctoris) eſt motus naturalis, & non violentus, ergo conueniens illi ſecundum naturalem inclinationẽ eius, ſed eſt ad non eſſe ſui, vt totum ſit, ergo potius appetit eſſe totius, quã eſſe propriũ, ſed ita ſe haberent creaturæ reſpectu Dei, quia ſi per impoſsibile poſſet Deus exponi periculo non eſſendi, creaturæ ſe exponerẽt tali periculo nõ eſſendi, vt Deus eſſet, ergo appetitu naturali potius diligũt Deum eſſe, quam ſeipſas eſſe.

Tertia ratio. ¶ Tertiò. Præcepta iuris naturalis fundãtur in inclinatione naturali, quia ex ipſa natura, & eius dictamine inclinamur ad obſeruanda talia præcepta, vt eſt præceptum de tuenda vita, quod fundatur in appetitu propriæ cõſeruationis, ſed præceptum de diligendo Deum ſuper omnia eſt iuris naturalis, ergo fundabitur in propenſione, & inclinatione naturali.

Confir. ¶ Confirmatur. Quia cum diſpoſitio Dei ſit ſuauis, iuxta illud Sapien. 8. attingit à fine vſque ad finem fortiter, diſponens omnia ſuauiter, ideſt, iuxta inclinationem cuiuſcumque naturæ, ſed Deus diſponit præceptum de diligendo Deum ſuper omnia, ergo erit iuxta inclinationem illorum quibus præcipitur.

Quarta ratio. ¶ Quartò. Vnumquodque quod eſt alterius magis diligit alterum, cuius eſt, quam ſeipſum, vt patet in parte reſpectu totius, & in forti politico, qui oppetit mortẽ pro tuenda republica, ſed quælibet creatura, (quatenus creatura eſt) non eſt ſui, ſed Dei, ergo quælibet creatura potius appetit eſſe Dei, quam proprium. Probatur minor: nam creatura quælibet (vt ſic) dicit intrinſecum ordinem ad Deum, vt actualiter conſeruantem illam in eſſe, taliter, quod ſi per impoſſibile Deus non eſſet omnia in nihilum redigerentur, ergo.

Confir. ¶ Confirmatur. Eſſe ipſius Dei conſeruantis Angelum eſt maius bonum ipſi Angelo quatenus Angelus eſt pars vniuerſi, quam eſſe proprium ipſius Angeli, quatenus eſt proprium ipſius Angeli, ſed appetitus naturalis maiori conatu tendit in maiorem perfectionem, ergo appetitus naturalis Angeli magis tendit in Deum, vt conſeruantem ipſum, & totum vniuerſum, quam in ſeipſum. Maior probatur, nam maius bonum eſt, bonum totius vniuerſi, quam bonum cuiuſcunque partis ſecundũ ſe conſideratę, ſed pars quælibet non ſolum habet eſſe in ordine ad ſe, ſed etiam in ordine ad totum, ergo maius bonum eſt, illi eſſe in ordine ad totum, quàm eſſe in ordine ad ſe, ſed magis inclinatur in maius bonum proprium, ergo magis inclinatur ad eſſe in ordine ad totũ, quam ad eſſe in ordine ad ſe, & per cõſequẽs magis inclinabitur Angel⁹ ad eſſe in ordine ad vniuerſum, quã ad eſſe in ordine ad ſe, ſed non poteſt inclinari ad eſſe in ordine ad vniuerſum, ſi non inclinatur ad eſſe ipſius Dei, ergo magis inclinatur ad eſſe ipſius Dei, quam ad eſſe proprium in ordine ad ſe, ſed non poteſt inclinari ad eſſe Dei niſi diligendo Deum, ergo magis diligit Deũ Angelus quam ſe.

Nota pro conciliandis his duabus ſententijs. ¶ Poſſunt igitur conciliari prædictæ duæ ſentẽtiæ, quod prima intelligatur iuxta primam concluſionem, ſecunda verò iuxta ſecundam. Reſpondetur tamen ad argumenta pro prima ſententia: ad primum concedẽdo primam ſequelam, & negando minorem

& ad

& ad probationem dicitur, quod cum in homine, ſit duplex inclinatio (vt diximus ſupra) non eſt inconueniens, quod ſecundum inclinationem commune oppetat mortem pro Deo abſque aliqua difficultate, ſed naturali quadam inclinatione, & ſecundum propriam, & particularem ſentiat difficultatem illam, vnde talis difficultas non prouenit ex defectu maioris amoris, ſed ex eo quod naturaliter diligit propriā vitam, & quia nō poteſt propriam vitam tueri, ideo ex eius amiſsione patitur difficultatem: ſicut verbi gratia, qui pro vita redimēda proijcit merces in mari ineunte tempeſtate, ſentit difficultatem, proijciendo eas in mari, nihilominus tamē magis extimat vitam, quā merces, idem dicendum eſt de illo qui abſcindit aliquod membrum corporis propter bonū totius corporis, & propter conſeruandam propriam vitam, qui quamuis maximam ſentiat difficultatem in abſciſsione talis membri, talis tamen difficultas non prouenit ex maiori amore, ſed ex amore quem habet ad tale membrum, ita in propoſito prædicta difficultas quam quis patitur ſubeūdo mortem propter Deum, non prouenit ex maiori dilectione, quam habeat ſui, ſed ex illa dilectione minori, quam ad ſe habet, colligeretur tamen maior, vel minor dilectio, ſi poſita iſta, vel Deus futurus non eſt, vel tu paſſurus es mortem ſi iſte talis magis eligeret Deum non eſſe futurum, vt ipſe non pateretur mortem, tunc magis diligeret ſe ipſum, quam Deum, ſed nullus ſanæ mentis poſſet hoc ſibi perſuadere, ergo dicendum eſt naturali appetitu maiorem dilectionem quamlibet creaturam habere ad Deum, quam ad ſe.

Ad ſecundum. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, quod locus ille ſacræ ſcripturæ intelligitur, & de appetitu ſenſitiuo, & de appetitu naturali, ſecundum quod, de facto modo contingit, nam ex defectu iuſtitiæ originalis habent modò iſtam pronitatem ad malum, ad malum in quam, non abſolute, ſed quia prohibitū, tendit enim appetitus ſenſitiuus in delectabilia, quæ quatenus delectabilia ſunt, non ſunt mala, ſed quia prohibita ſunt, & cum talis carētia, ſeu defectus iuſtitiæ originalis proueniat in homine propter peccatum, ideò iſta pronitas ad malum (quæ modo de facto eſt) prouenit in homine ex peccato, ſi autem non eſſet peccatum, ſed maneret iuſtitia originalis in homine, non eſſet illa pronitas ad malum. De qua Geneſ. 8. Ad probationem autem de natura ſi eſſet creata in puris naturalibus, Reſpondetur, quod natura in tali caſu eandem fere inclinationem haberet, quam modo, ſed talis pronitas ad ſenſibilia non proueniret illi ex maiori dilectione, ſed ex dilectione quam haberet ad illa.

Ad cõfir. ¶ Ad confirmationem reſpondetur primo (vt reſpondent nonnulli) quod nullo modo eſt credendum, quod fuerit in Chriſto aliqua voluntas, & inclinatio ipſius aduerſaria diuinæ legi; & diuino præcepto, quia hoc eſſet impium, nam ex fide habemus omnes Chriſti operationes, fuiſſe rectiſsimas, & maximè rationi cōſentaneas, & diuinis præceptis, ſed aduertendum eſt, quod voluntas in Chriſto & eſt natura, ſeu potentia naturalis, & eſt etiam libera potentia; & voluntas quatenus erat natura mouebatur ab hoc iudicio, Optimum eſt conſeruare vitam propriam, & inde refugiebat mortem, nam in quantum eius voluntas natura erat vitam protegere, ſeu conſeruare cupiebat. Talis autem inclinatio bona, & ſancta erat. Cæterum voluntas Chriſti quatenus erat libera mouebatur ab hoc iudicio, Optimum eſt, atque bonum obedire Deo præcipienti, vt moriar pro ſalute generis humani, & vtramque voluntatem expreſsit Chriſtus in loco commemorato, nempe voluntatem naturalem, in eo quod ait, tranſeat à me calix iſte ſi poſsibile eſt, & rurſus expreſsit voluntatem liberam, in eo quod dixit, ſed ſi non poteſt, fiat voluntas tua, & non mea. Imò ex iſto teſtimonio ſic explicato ſumitur certum argumentum, quod homo naturali dilectione magis Deum, quam ſe diligit, quia dilectio naturalis eadem eſt in Chriſto, & in nobis, ſed in Chriſto talis dilectio naturalis erat rectiſsima, & conformis charitati qua magis Deum quam ſe amabat, ergo.

¶ Iſta tamen ſolutio non reſpondet argumento, imo auget difficultatem, nam ex illa ſequitur quod appetitus naturalis Chriſti Domini non ferebatur magis in Deum, quā in ſe ſeipſum, ſi quidem voluntate, vt natura diligebat non mori, & voluntare vt libera diligebat mori. Vnde dicendum eſt quod illa voluntas non moriendi non proueniebat Chriſto ex maiori voluntare, quam haberet ad vitam, ſed ex voluntate quam habebat ad vitam propriam, vnde non eſt inconueniens, quod ſit in

homine duplex appetitus ad duplex bonũ, & maior appetitus ad maius bonum, & ſic in Chriſto Domino erar duplex inclinatio naturalis, altera ad conſeruationem proprię vitæ, altera ad obediendum, Deo patri, & iſta maior illa, vt dictum eſt in præcedentibus.

Ad tertiũ. ¶ Ad tertium reſpondetur, quod quanuis pars non ſe exponat, ſed exponatur periculo, talis expoſitio à quocunque fiat eſt ſecũdũ inclinationẽ naturalẽ partis vt pars eſt.

Ad vltim. ¶ Ad vltimum reſpondetur, quod bonum Dei eſt eriam bonum hominis, quatenus implicat hominem eſſe Deo non exiſtente, vide quæ diximus in notabili vltimo.

DISPVTATIO XV. DE PRODVCTIONE ANGELORVM in eſſe naturæ. Continet vnicam Quæſtionem.

QVÆSTIO I.

¶ *Vtrùm ſit de fide Angelos fuiſſe creatos ante mundum iſtum viſibilem.*

Prima ſententia. DE hac re fuit ſententia antiquorum patrum aſſerenrium Angelos fuiſſe crearos ante mundum iſtum viſibilem, ita D. Gregor. Nazian. in ſermo. de natali Domini Damaſcen. lib. 2. ſuæ Theologiæ. c. 3. D. Ambroſ. lib. 1. Exameron. c. 5. D. Hieronym. ſuper epiſtolam ad Titum. ca. 5. D. Chryſoſt. Homil. 22. in Geneſ. Origenes li. 1. Periarch. & Homi. 4. in Iſai. D. Iſidor. lib. 1. de ſummo bono. c. 12. & Caſsian. li. 8. collationum. c. 3. & D. Thom. 1. par. quæſt. 61. art. 3. in ſolutione ad primũ ſic ait, ad primũ ergo dicendum quod Hieronymus loquitur ſecundum ſententiam doctorum Græcorũ, qui omnes hoc concorditer ſentiunt, quod Angeli ſunt ante mundum corporeum creati, ſed non eſt credendum, tot ſanctos Patres aliquod falſum contra fidem tenere, ergo nõ videretur hæreſis, nec error, credere Angelos fuiſſe productos ante iſtum mundum corporeum.

Prima quæſtio. ¶ Pro explicatione huius quæſt. eſt, primo aduertendum, quod circa iſtam diſputationem ſolẽt quatuor quæri. Primum eſt vtrũ Angeli ſint producti à Deo, in cuius concluſione communis ſenrenria eſt omnium catholicor, paũrs affimatiua ex illo Eſter. 13. tu feciſti cælum, & terram, & quidquid cæli ambitu continetur, & Ioann. 1. omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, & ad Coloſ. 1. in ipſo cõdita ſunt omnia, ſiue quę in cælis, ſiue quę in terra ſunt, viſibilia, & inuiſibilia & habet, in ſymbolo Niceno & diffinitũ eſt in. c. firmiter de ſuma Trinit. vbi dicitur Deũ de nihilo vtrãq; condidiſſe naturã, ſpiritualẽ, & corporalẽ, angelicã, & humanam, quare nõ eſt audiendus Iulianus apoſtata, qui ex eo quod Moyſ. Geneſ. c. 1. non meminit creationis Angelorum, infert vel Moyſem lapſum eſſe, vel Deũ nõ creaſſe, Angelos (qui communiter dicitur tacuiſſe Angelos) quia ſub nomine cæli & lucis intelliguntur, vnde D. Auguſt. l. 11. ſuper Geneſ. ad literam cap. 3. air nomine cæli ſpirituales ſubſtantias intelligendas eſſe ob earũ dignitatem, & pręſtantiã, & de ciuitate Dei, lib. 11. ca. 7. exiſtimat nomine lucis ſupernã illam ciuitatem ſpirituum accipiẽdam eſſe. Eandem ſententiam docet Gregor. libr. 32. Moral. cap. 10. ſuper illa verba Iob. 40. Ecce Behemot, &c. Et videtur explicatio Cõcilij Lateranẽſis, quæ habetur in c. Firmiter, vbi ſupra, nam cum dixit Deũ in principio temporis, vtramque condidiſſe naturam ſpiritualem, & corporalem, Angelicam, & humanam, videtur explanaſſe illud Gene. 1. in principio creauit Deus cælum, & terram. Alij autẽ dicũt quod quia loquebatur Moyſes cum populo rudi, & ad idolorum cultum prono, ne arriperet occaſionem colendi Angelos, vt Deos, illorum creationẽ prætermiſit. Alij autem vt D. Baſilius homil. 1. Exameton circa medium aſſerunt, ideo de Angelis inter cetera opera non eſſe mentionem factam, quia illi multo ante mundum viſibilem creati fuerunt.

¶ Alij

¶ Alij autem docent, quod creatio Angelorum non fuit penitus omiſſa in illa narratione quod ex principio ca. ſecundi colligi videtur vbi quaſi epilogans, quæ fuſius deſcripſerat, ait, igitur perfecti ſunt cæli & terra, & omnis ornatus eorũ & in Hebræo, loco ornatus habetur vox, quæ ſignificat exercitus, & cũ in ſcriptura ſepiſsimè pro eodem ſumantur Deus exercituũ, & Deus Angelorum, vt patet ex illo Iſa. 6. Dominus Deus ſabaoth, ideo vbi Moiſes meminit ornatus cælorũ, meminit creationis Angelorum. ¶ Secundo ſolet dubitari dato quod Angeli ſint pducti à Deo fuerint ab æterno producti, nam D. Baſil. ſuper primum caput Geneſ. & D Hieronym. ſuper epiſtolam ad Titum cap, 1. videntur hanc ſententiam habere, & poteſt perſuaderi, nã D. Paul. ibi dicit, quod promiſit, qui non mentitur Deus ante tempora ſecularia, ex quo ſic illi quibus Deus promiſit ante tempora ſecularia, debebant eſſe ante tempora ſecularia, ſed nihil aliud poterat eſſe præter Angelos, fuerũt igitur Angeli ante tempora ſecularia, & per conſequens ab æterno, ſed communis ſententia eſt communiter recepta, iuſta ea quæ diximus in primo dubio. Vnde ad authoritatem Hierony. & Baſil. reſpondet Magiſter in ſecundo, diſt. 2. non fuiſſe loquutos ex propria ſententia, ſed ex ſententia aliorum, ad rationem vero dicitur, quod promittere idem eſt, ꝙ certo ſtatuere, ſicut & iurare Deum eſt certo ſtatuere, & in hoc ſenſu vſurpatur à Paulo, vt loco ſupra citato, vt placet D. Aug. libr. 83. quæſtionum, quęſt. 72. vel ſecũdo dicitur cum Caiet. quod illa verba ſunt intelligenda conditionaliter, hoc eſt, quod ſi fuiſſent tempora æterna promiſiſſet eis.

Secunda quæſtio.

Tertia quæſtio.

¶ Tertiò autem ſolet dubitari, vt in principio quæſtionis, vtrum ante mundum corporeum, ad quod communiter reſpondetur, quod quamuis non ſit manifeſtus error dicere Angelos eſſe creatos ante mundum corporeum, modo tamen temerarium eſt affirmare Angelos fuiſſe creatos ante mundum iſtum corporeum. Et prima pars huius dicti patet ex eo, quia concilium Lateranenſe, vt colligitur ex D. Tho. opuſcul. 23. vbi explicat primam illam Decretalem. & docet Concilium illud non intendebat diffinire iſtam veritatem, quia tantum intendebat confutare errorem Origenis, qui docuerat iſtum mundum viſibilem non ex intentione, & per ſe primo, ſed quaſi per accidens fuiſſe à Deo productũ, vt eſſet carcer in quo recluderentur, & punirentur Angeli qui contra Deum peccauerãt. Diffinit ergo Concil. vtrumque mundum viſibilem, & inuiſibilẽ, per ſe, & ex intentione fuiſſe à Deo productum. Hanc tamen ſententiam & explicationem Concilij reprobat Magiſter Cano, ex eo quod error ille iam erat olim ab eccleſia damnatus Et ſecundo, quia illud Concilium non fuerat congregatũ cõtra Origenẽ, ſed contra Abbatem Ioachim & Almaricum, qui male ſenſerant de myſterio Trinitatis. ¶ Alij autem prædictã ſolutionem Caiet. admittunt dicentes, fundamentum habere in authoritate D. Tho. & quod concilium non habet in conſuetudinem, errores iam olim damnatos, denuo cõdemnare, vt eſt videre in prima Synodo Conſtantin. & in concilio Calcedonenſ. & ad ſecundam rationem Magiſtri Cano reſpondent, quod cum concil. ibi verba faceret, de creatione mundi, in qua fuit manifeſtata Dei omnipotentia, non extra cauſam meminit erroris Origenis, cum ipſe tam ſiniſtrè ſenſerit de mundi creatione. ¶ Alij autem propter authoritatem & grauitatem D. Thom. qui perſpectam habuit Concilij diffinitionem, & adhuc docet non eſſe hæreticum oppoſitũ, non tamen audent diffinire ex eo, quia Concilium poſt fidei confeſsionem & poſt damnatos errores Abbatis Ioachim, & aliorum ſubdit, & excommunicamus, & anathematizamus omnem hæreſim contrariam fidei cõfeſsioni quam ſupra expoſuimus, ſed illa ſentẽtia eſt apertè contraria illi confeſsioni, ergo erit hæretica. Nihilominus tamen prædicti ſentientes talem ſententiam eſſe temerariam reſpondent, quod in Concilijs aliquid habetur dupliciter, ſcilicet, ex profeſſo, vel obiter, ſiue incidenter: inter quæ eſt differentia, quod illud quod ex profeſſo habetur in Concilio taliter eſt de fide, quod eius oppoſitum eſt error. Illud autem quod obiter & incidenter & relatiuè, tantum habet veritatis vt eius oppoſitum ſit temerarium; præcipuè quod ſecluſa Concilij diffinitione, & Patrum traditione loca quæ in confirmationem huius veritatis ſolent adduci, quamuis vehementer ſuadeant, non tamen apertè cõuincunt, nam ille locus Eccleſ. 18. qui viuit in æternum creauit omnia ſimul, quam plures habere poteſt explicationes.

Patet tamen noſtra cõcluſio ex illo Concilij,& ex loco Eccleſiaſt. & ex quãplurimorum Doctorũ ſententia D. Aug. lib. 11. de ciuit. Dei. & lib. 12. cap. 15. & D. Greg. 32. moral. cap. 10. & 24. Epiphanius lib. 1. contra hereſes 63. Videndus eſt Lipomanus in ſua Catena, in Gen. circa illa verba, In principio creauit Deus cælum & terrã, vbi quã plurimos refert authores.

¶Quartò autẽ ſolet diſputari, vtrum Angeli fuerint creati in cælo empyreo ad qđ cõmuniter reſpondetur, ꝙ vt colligitur ex Diuo Tho. vbi ſupra artic. 4. bona cõiectura eſt Angelos mouẽtes orbes fuiſſe creatos in orbibus quos ſtatim debebãt mouere. Alios vero, quibus commiſit curã elementorum, & harum rerum inferiorũ fuiſſe creatos in ſuprema parte huius mũdi ſenſibilis. Illi verò qui aſsiſtũt diuinæ maieſtati, quorũ eſt innumerabilis multitudo, nõnulla eſſet temeritas negare illos creatos fuiſſe in cælo empyreo, ex eo, quia cõis parrũ ſentẽtia dicit ibi eos fuiſſe creatos, ꝙ poteſt colligi ex eo, quod Angeli mali ſtatim atq; peccauerũt eiecti ſunt de cælo empyreo. Iuxta illud Iſai. 14. quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, & Luc. 10. videbã Satanã ſicut fulgur de cælo cadentẽ, & hæc de iſta diſputatione.

DISPVTATIO XVI. DE PERFECTIONE ANGELORVM in eſſe gratiæ & gloriæ. Continet ſex Quæſtiones.

Prima. Vtrum Angeli fuerint creati in beatitudine ſupernaturali?

Secunda. Vtrum Angeli fuerint creati in gratia ſupernaturali?

Tertia. Vtrum Angeli gratiam, quam receperunt in primo inſtanti ſuæ creationis acceperint mediante propria diſpoſitione?

Quarta. Vtrum Meritum & præmium fuerint ſimul in Angelis?

Quinta. Vtrum Angeli ſint conſequuti gratiam & gloriam ſecundum quantitatem ſuorum naturalium?

Sexta. Vtrum Angelis beatis cum cognitione ſupernaturali & beatifica remaneat cognitio naturalis?

TEXTVS.

In Deo tenetur, quod Angeli meruerunt beatitudinem ſuam, & priuſquam receperunt eam, diſtin. 5. par. 1. Litera A.

EXPLICATIO LITERÆ.

Doctor in hac litera reſpõdet illi quæſtioni, vtrum Angelus prius meruerit beatitudinem, quam illam acceperit, & omiſſa opinione Magiſtri qui in fine huius 5. diſtinctionis tenet Angelos fuiſſe beatos, antequam ſuam beatitudinem meruerint: merentur tamen modo illam propter obſequia, quæ impendunt electis, ſicut etiam contingit in milite, qui mererur equum, ex eo quod bene præliaturus eſt cum eo, omiſſa in quam iſta ſententia, ex eo quod ex illa ſequeretur, quod ſi homo non fuiſſet creatus Angelus non haberet beatitudinem, quia non haberent prædictos actus extrinſecos, per quos iuxta ſententiam Magiſtri meriti ſunt ſuam beatitudinem. Et præterea, quia ex illa ſententia ſequeretur, quod poſſet homo mereri primã gratiam, nam poſset Deus præuidere homini nem eſſe bene vſurum illa, ergo ſi effectus præuiſus ſufficiens eſt ad meritum talis effectus præuiſus ſufficiens eſſet ad meritũ primæ gratiæ: & tunc gratia non eſſet gratia, quia eſſet ex meritis, & per conſequẽs, ſi Angelus habuit beatitudinem ſuam propter bonum præuiſum ipſius angeli in obſequendo circa electos, Angelus non meruit beatitudinem ſuam. Patet ſequela, quia bonum præuiſum non habet rationem meriti. Doctor igitur in litera duplicem aſsignat concluſionem, quarum prima eſt. Angeli meruerunt beatitudinem ſuam. Hanc concluſionem probat, nam omnis natura conſequitur ſuam perfectionem per propriam operationem, ſed perfectio, & finis cuiuſlibet creaturæ rationalis eſt beatitudo, quæ ſoli Deo naturalis eſt, ergo talis perfectio ſiue finis acquiſibilis eſt per propriam

priam operationem, & per conſequens illa perfectio quæ excedit omnem naturã creatam, neceſſario requirit operationẽ illius, nam quando finis excedit virtutem operantis propter finem, tũc expectatur finis ex dono alterius, ſed beatitudo eſt finis excedens naturam Angelorum, ergo expectatur ex Dono Dei, tale autem donum Deus nulli Angelo tribuit, niſi per meritũ ipſius Angeli, ergo Angeli beati meruerunt ſuam beatitudinem.

¶ Secunda concluſio Doctoris eſt, quod prius beatitudinem meruerunt quam illam receperunt. Probat illam, quia diſpoſitio debet præcedere illud ad quod eſt, vt via terminum, ſed meritum eſt diſpoſitio, & via reſpectu beatitudinis, ergo.

QVÆSTIO PRIMA.

¶ Vtrùm Angeli fuerint creati in beatitudine ſupernaturali?

Prima ſententia. Primum argum. DE hac re eſt prima ſentẽtia quorundam aſſerentiũ, Angelos in principio ſuæ creatiõis vidiſſe diuinam eſſentiam non viſione permanente, ſed tranſeunte, & per conſequens, non fuiſſe creatos in beatitudine ſupernaturali, nec beatos quanuis habuerint claram Dei cognitionem. Hanc ſentẽtiam probant primo ex D. Aug. lib. 4. ſuper Geneſ. cap. 24. vbi docuit, Angelos fuiſſe creatos cum cognitione matutina, ſed cognitio matutina eſt cognitio rerum in verbo, ergo ſtatim à ſua creatione habuerunt cognitionem verbi, ſed talis cognitio verbi eſt beatifica, ergo. *Confirm.* ¶ Confirmatur, ex eodem Aug. 11. de ciuit. Dei. cap. 9. & 11. vbi dicit Angelos ſtatim à principio ſui eſſe fuiſſe participes lucis & claritatis ęternæ & nunquam fuiſſe peregrinos, ex quo ſic intellect⁹ creatus iuxta D. Paul. 2. ad Corinth. 5. quandiu non videt diuinam eſſentiam peregrinatur à domino, ſed Angeli nũquam fuerunt peregrini, ergo ſemper viderunt diuinam eſſentiam. *Secundum argum.* ¶ Secundò D. Bernard. ſermo. 13. & 17. ſuper cantica, dicit diabolum ante caſum vidiſſe verbum, & res in verbo, aſſerit enim ſerm. 17. Potuit autẽ contingere ſi tamen incredibile non putetur plenum ſapiẽtia, & perfectum decorẽ homines præſcire potuiſſe futuros etiam & profecturos in parem gloriam, ſed ſi præſciuit in Dei verbo abſque dubio vidit, & ſuo liuore inuidit, ex quo ſic talis cognitio in verbo eſt cognitio beatifica; ergo.

¶ Tertiò, quam Ezech. 28. loquens Propheta ad primũ Angelum deſertorẽ, ſub ait nomine Regis Tyri, in delicijs paradiſi fuiſti, ſed deliciæ paradiſi eſt viſio beatifica, ergo Angeli omnes à principio ſuæ creationis habuerunt viſionem beatificam. *Tertium argum.* ¶ Secunda ſententia eſt omnium ferè ſcholaſticorum, pro cuius explicatione eſt primo notandũ q in Angelis à principio ſuæ creationis, vſque ad terminum viæ tria poſſunt conſiderari inſtantia. *Secunda ſententia cõmunis. 1. Notab.* Primum eſt, in quo omnes angeli fuerunt creati, secũdum eſt in quo omnes habuerunt proprias operationes. Alij iſtas, alij vero illas, alij bonas, alij verò malas. Tertium inſtans, in quo boni fuerunt pręmio affecti & mali ſupplicio. De primo inſtanti poſſumus loqui, vel ſecundum potentiam Dei abſolutam, vel de facto. Si loquamur de potentia Dei abſoluta, nulli dubium eſſe poteſt, potuiſſe Deum producere Angelos cum cognitione beatifica per modum tranſeuntis ſe habentem. At verò de facto, non ſolum non eſt rationabile credere præcipuè dæmones vidiſſe à principio diuinam eſſentiam, verum temerarium eſſet hoc aſſeuerare, nã ſi Geneſ. 32. potuit dicere Iacob, propter viſionem quandam imaginariã, quod ſalua facta eſt anima eius ex eo quod dicit ſe vidiſſe Dominum facie ad faciem: ſi mali Angeli vidiſſent Dominum facie ad faciem quomodò potuiſſent tam citò deficere, ſe ipſos nimium amando. Quare cũ viſio Dei poſſit intelligi, & per modum permanentis, & per modum tranſeuntis, per modum permanentis, vti contingit beatis, qui eandem ſemper habent ſupernaturalem beatitudinem; Secundo modo tranſeũter quaſi in tranſitu, & quaſi per raptum, ſicut Moyſi, & Paulo contigiſſe credit D. Auguſt. dum erant viatores, quia talis viſio nõ erat per modum ſtatus, & permanenter, ſed amiſsibilis, erat quæſtio in præſentiarum, de vtraque beatitudine poteſt intelligi quantum ad potentiam abſolutam, & quantum ad factum intelligitur de ſecunda cognitione beatifica.

¶ Secundò notandum, quòd non quæritur in præſentiarum de beatitudine, & felicitate Angelorum, quæ felicitas, & beatitudo non eſt aliud quam vltima, & conſummata perfectio ad quam natura intellectualis (vt intel- *2. Notab.*

intellectualis eſt) poteſt peruenire, dixi nõ tanter, vt intellectualis, quia perfectio quã tumcunque conſummata cuiuſcunque naturæ præter intellectualem, & rationalem non appellatur felicitas ſeu beatitudo, vnde bruta animalia quantumcunque ſint in ſuo genere perfecta non dicuntur beata tali beatitudine naturali, quia beatitudo naturalis ſiue felicitas cõſiſtit in perfectione intellectus, & in rectitudine voluntatis ſumitur enim ratio beatitudinis naturalis à ratione beatitudinis ſupernaturalis, nam cum beatitudo ſupernaturalis conſiſtat in clara viſione, & amore Dei, & clara viſio ſimiliter & amor cum pertineant ad intellectum & voluntatem, & tunc intellectus, & voluntas ſunt in vltimata perfectione poſsibili, quando intellectus clarè cognoſcit Deum & voluntas perfectè diligit illum. Ideo felicitas creaturæ rationalis conſiſtit in perfectione intellectus, & rectitudine voluntatis, & quamuis nonnulli velint rectitudinẽ voluntatis non pertinere ad eſſentiam beatitudinis, ſed ad perfectionem eius, tanquã ornamentum neceſſariũ, ſeu propria paſsio conſequens eſſentiam, loquũtur tamen ſupponentes in beatitudine ſupernaturali voluntatem non habere principem locum, cũ beatitudo ſupernaturalis formaliter in illa viſione ſecundum illos conſiſtat: tenentes tamen ad beatitudinem ſupernaturalem vtramque potentiam concurrere principalius tamen voluntatem; tenemur ſimiliter fateri ad beatitudinem, & felicitatem naturalem principalius concurrere rectitudinẽ voluntatis, quàm quemcunque intellectus perfectionem vtraque enim requiritur perfectio ad talem felicitatem naturalem, ſcilicet, perfectio ex parte intellectus & rectitudo ex parte voluntatis, quia tamen rectitudo iſta principalius conſtituit hominem in eſſe boni, quã perfectio intellectus: ideo principalius felicitas naturalis conſiſtit in rectitudine voluntatis, quam in perfectione intellectus.

Prima cõclusio. ¶ Prima concluſio. Omnes Angeli ſiue boni, ſiue mali fuerunt creati in beatitudine naturali. Hæc concluſio probatur primò, ex illo quod habetur in ca. firmiter. de ſumma Trinitate. &c vbi dicitur, quod diabolus, & alij dæmones ab initio fuerunt boni, & in epiſtola Iudæ dicitur de malis Angelis quod non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed non fuiſſent boni, ſi non fuiſſent creati in rectitudine naturali, tam in potentia cognoſcitiua, quam in volitiua, ergo omnes fuerunt creati in felicitate, & beatitudine naturali. ¶ Confirmatur, quia tam boni quam mali Angeli in principio ſuæ creationis acceperunt quicquid pertinet ad integritatem propriæ naturæ: & ad eorum naturalem perfectionem, ergo fuerũt creati in felicitate naturali. Antecedens patet, quia cum Dei perfecta ſint opera & reliqua condidit in ſua naturali conditione perfecta, non eſt negãdum perfectiſsimæ creaturæ, qualis eſt natura angelica.

Secunda concluſio. ¶ Secunda concluſio. Talis felicitas, & beatitudo naturalis non eſt aliquid ſupernaturale in ipſis Angelis repoſitum, & naturæ angelicæ ſuperadditum. Hæc cõcluſio etiã communis eſt, & probatur, quia talis rectitudo ſolum eſt perfectio intellectus & rectitudo voluntatis, ſed iſtæ non ſunt aliquid ſupernaturale, ergo,

Tertia cõclusio. ¶ Tertia concluſio. Nullus angelorum fuit creatus in beatitudine ſupernaturali ſimpliciter. Hæc concluſio communis eſt, & probatur ex D. Aug. in lib. 11. ſup Geneſ. c. 23. vbi dicit quod dæmon beatæ atque angelicæ vitæ dulcedinem non guſtauit, quam (non vtique acceptam) faſtidiuit, ſed nolendo accipere deſeruit, & amiſit, & 11. de ciuit. Dei. cap. 13. docet quod Angeli boni non habuerunt plenitudinẽ ſcientiæ à principio. Quæ ſententia non poteſt intelligi de plenitudine ſcientiæ & cognitionis naturalis præcipuè, quantum ad habitũ, cum omnia naturalia potuerint cognoſcere à principio, ſed de cognitione ſupernaturali, quam ſi illis non condonaretur, nullatenus ex ſe potuerunt habere. *Prima ratio.* Probatur rõne omnes Angeli creati cum eiſdem donis gratiæ ſeruata proportione eodem modo ſe habuerunt, ſed qui peccauerunt non receperunt viſionem beatificam in primo inſtanti, quã do conditi ſunt, ergo nec qui permanſerũt. Maior patet, nã tam boni quam mali iuxta D. Aug. de ciuit. Dei cap. 13. fuerunt æqualiter beati quatenus æqualitate quadã proportionis omnes fuerunt immunes ab omni miſeria culpæ & pœnæ. Et ſecũdo quod quantum ad naturalem perfectionem ſinguli acceperunt quicquid conueniens erat propriæ naturæ iuxta menſuram cuiuſque propriæ naturæ. Et tertio quantum ad dona gratiæ, quia omnes acceperunt ſupernaturalem perfectionem ſuæ naturæ proportiona-

tionatam, & omnibus denique datum eſt quidquid neceſſarium illis erat ad vitæ cõſequutionem. Minor autem probatur nam viſio illa beatifica reddit mentem perfectè beatam quando permanens eſt, & per conſequens immutabiliter ſe habentem, quod dæmonibus non contingit, ergo.

Secunda ratio. ¶ Secundò probatur concluſio. Nam hoc fuit ſpecialiſsimũ priuilegium animæ Chriſti conceſſum, quod ab inſtanti ſui eſſe diuinam intueretur eſſentiam propter vnionẽ hypoſtaticam, ergo nõ eſt credendum tali priuilegium alicui Angelorum fuiſſe conceſſum.

Quarta cõcluſio. ¶ Quarta concluſio. Nullus angelorum habuit viſionem beatificam in primo inſtanti ſuæ creationis per modum raptus, aut tranſitus. Hæc concluſio adeò certa eſt de dæmonibus, vt oppoſita ſententia communiter vt temeraria iudicetur. Probatur tamen quo ad omnes, quia non eſt ponendum miraculum abſque neceſsitate, ſed nulla neceſsitas cogit nos ponere Angelos vidiſſe (etiam per modum tranſeuntis) diuinam eſſentiam, ergo. *Confirm.* ¶ Confirmatur, quia viſa eſſentia non apparebat in illa aliqua ratio mali, ſed omnis ratio boni, ergo videtur nõ poſſe Angelos aliquid amplius deſiderare, & per conſequens, quod nõ potuiſſent peccare. Patet prima ſequela, quia appetitus angelorum eſſet ſatiatus tali viſione.

Reſp. argumentis ad primum. ¶ Reſpondetur argumentis. Ad primũ deſumptum ex authoritate D. Aug. reſpondent nonnulli, quod reuera D. Aug. obſcurus eſt in hac parte, vt conſtat ex diuerſis locis commemoratis. Et ad illud 11. de ciuita. Dei dicendum quod nomine Lucis, & claritatis æternæ non intelligebat Aug. lumen gloriæ, neque viſionem facialem Dei, ſed ſplendidiſsimum lumen, & quandã conditionem ſupernaturalem, & eminentem, quo bona illa æterna Angelo oſtendebantur obſcuram tamen, & ænigmaticam, quia ſecum ſimul fidei obſcuritatẽ admittebat.

¶ Ad illud vero de cognitione matutina reſpondent nonnulli, quod D. Aug. per matutinam cognitionem quandoque intelligit beatam viſionem, quandoque cognitionẽ ſupernaturalem, & fidei, quæ fidei cognitio cognitioni naturali comparata poteſt dici lux matutina, licet ſit obſcura. Hanc tamen explicationem reijcit Bañes prima par. quæſt. 62. art. 1. dicens, quod hæc ſolutio patitur calumniam, quoniam Aug. eodem lib. cap. 24. dicit quod Angeli prius cognouerunt res creatas cognitione matutina, quam veſpertina, ſed talis cognitio ſupernaturalis fidei non præceſsit in aliquo genere cognitionem naturalem, ergo nullo modo de tali cognitione fidei poteſt intelligi. Vnde dicit prædictũ argumentũ ſolui nõ poſſe iudicio ſuo, niſi vno duorũ modorum. Primo cum D. Tho. ibi & tertio ſolutione ad tertium, quod nomine cognitiõnis matutinæ non intelligit cognitionem aliquam ſupernaturalem, ſed tantum cognitionem naturalem, qua Angelus in ſua propria eſſentia cognouit diuinam eſſentiam, & omnes res creatas in eſſentia diuina ſic cognitas. Addit tamen, quod hæc ſolutio non quietat animum quoniam Aug. vbicũque loquitur de cognitione matutina maximè 11. de ciuit. Dei cap. 29. per matutinam intelligit cognitionem ſupernaturalem. Et poſſent contra hanc expoſitionem adduci multa argumenta, vnum tamen ſufficiat. Quoniã ſi loquamur de cognitionibus naturalibus Angeli, quibus ſe, & Deum cognouit inter illas prior eſt veſpertina, quã matutina, quoniam Angelus prius cognouit propriam eſſentiam, quam cognoſceret diuinam eſſentiam in illo relucentem. Vnde optimè notauit Auguſtinus quod in productione rerum prius eſt dictum veſpere, quam mane, quoniam inter cognitiones naturales Angeli prior eſt veſpertina, quam matutina. Vnde reſpondet ſecundo, quod illo loco nomine cognitionis matutinæ intelligit Aug. viſionem diuinæ eſſentiæ, & illam dicit eſſe priorem in Angelo cognitione veſpertina, non in quolibet ſtatu, ſed in ſtatu beatifico, in quo ſtatu cognitio rerum quæ eſt in proprio genere naſcitur ex clara Dei viſione. Aliter reſpondet Durãd. in ſecundo diſt. 4. quæſt. 1. in ſolutione ad primũ. ¶ Quartò tamen reſpondetur iuxta ea quæ docet Doctor in hoc ſecundo diſt. 9. litera. D. nempe, habuiſſe Angelum ſpeciem intelligibilem diſtinctè repræſentantem eſſentiam diuinam ad cognitionẽ abſtractiuam ipſius Dei, & cognitio cauſata per illam ſpeciem erat matutina, quod probat Doct. ibi, quia ſecundum D. Aug. 4. ſuper Geneſ. cap. 23 dies illi. 6. nõ erant in ſucceſsione temporis, ſed in cognitione angelica creaturarum ordinem naturalem habentium, ita quod prius naturaliter nouit Angelus creaturam in verbo, ſecundo *Solutio doctoris.*

in ge-

in genere proprio, & nō ſi ſtando ibi rediit in verbum, laudans ipſum ex opere ſuo, & in illo. Iterum vidit rationem ſequētis creaturæ, naturaliter ita quod quando Deus dixit, fiat lux, vidit Angelus ſe in verbo æterno cum facta eſt lux, & cum factum eſt veſpere vidit ſe in genere proprio, & cum factum eſt veſpere, & mane dies vnus, ex ſe exurrexit in laudem Dei, in quo vidit ſecūdam creaturam, ita quod iſta viſio erat terminus præcedentis diei, inquantum ex cognitione creaturæ primæ in verbo ſurrexit in cognitionem verbi. Imo requies omniū creaturarum, in primo artifice, & opifice. Ita diſtinguit Aug. ſingulos dies vſque ad diem ſeptimū, cuius erat mane vltimæ creaturæ in verbo & non ſequebatur veſpere, & erat principium ſequentis Dei, inquantum vidit illam creaturam in genere proprio, & licet ipſe illam cognitionem in verbo poſuerit cognitionem beatificam, ſicut apparet ibi in principio cap. 22. cum Sancti Angeli ſemper videant faciem Dei verboq; eius vnigenito, ſicut patri æqualis eſt perfruantur in ipſo verbo Dei, prius nouerunt creaturā vniuerſam, in qua ipſi principaliter ſunt cōditi, perfruitio igitur pertinet ad matutinā. Similiter in eodē capite, tūc nox ad diē pertinet, non dies ad noctē, cum ſublimes, & Sancti angeli illud quod (creaturam in ipſo creatore nouerunt) referunt in ipſius honorem, & amorem, in quo æternas rationes quibus creata eſt contemplantur ea quæ concordiſsima contemplatione ſunt vnus dies, quem fecit Dominus, cui coniungitur eccleſia ex hac peregrinatione liberata, vt nos exultemus & lætemur in eo. Addit tamen ſtatim doctor. Poteſt tamen probari ex dictis eius, quod hæc cognitio (quæ vocatur communiſsime cognitio matutina) ſit naturalis, & non præciſe beatifica, quia ſecundum eum, iſte ordo erat in cognitiōe angelica creaturę poſt creaturam, quod prius naturaliter præceſſit cognitio angelica creaturarum in verbo cognitionem earum in genere proprio. Factis autem creaturis in genere proprio, ſtatim potuit Angelus cognitionem earū habere in genere proprio. Igitur omnes iſtæ cognitiones in verbo præceſſerunt naturaliter cognitionem creaturarum in genere proprio. Omnes igitur ſecundum eum erāt ſimul productæ. Igitur cognitio iſta in verbo naturaliter præceſsit productionem earum in genere proprio. Sed tunc erant Angeli in ſtatu innocentiæ, & non beati, quia aliqua morula fuit inter creationem, & lapſum eius: erat igitur aliqua cognitio Angelorum matutina (ſcilicet creaturarum in verbo exiſtentium) in naturalibus, aut ſaltim non beatorum, & ita videtur quod oportet dare diſtinctam cognitionem Angeli ſtantis in cognitiōe naturali, vel in gratia, quia alias in ipſa cauſa præciſe cognita non poſſet prius cognoſcere creaturas, & effectus ordinatos, quam in genere proprio, nam ratio cognoſcendi rem confuſe, non eſt ratio cognoſcendi eam diſtinctè, & effectus ordinatos. Hactenus doctor. Ex qua litera manifeſtè colligitur iuxta ſententiam Doctoris cognitionem matutinam fuiſſe in Angelis naturalem, & non ſupernaturalem, nec beatificam. Secundo colligitur fuiſſe cognitionem Dei & creaturarū prout in ipſo Deo relucebant, & non prout in genere proprio. Tertiò colligitur, talem cognitionem haberi per ſpeciem intelligibilem immediatè productam à Deo, quæ quidem ſpecies quantum ad cognitionem abſtractiuam diſtinctè repræſentabat eſſentiam diuinam, & adæquatè in ordine ad actum, quem intellectus angelicus poterat de illa habere: quæ quidem ſpecies, licet eſſet ratio diſtinctè cognoſcendi in intellectu Angeli eſſentiam diuinam, non tamen eſſet ratio diſtinctè cognoſcendi modum iſtius eſſentiæ in ſuppoſitis: ſicut etiam in nobis diſtinctè cognoſci poteſt aliqua quidditas creata, licet non cognoſcatur in quibus ſuppoſitis ſit, vel qualiter ſit in eis. Neque obſtat quod quando ſuppoſita ſunt in natura ex naturali neceſsitate intrinſeca, quod eſt ratio diſtincta cognoſcendi naturam, erit ratio diſtinctè cognoſcendi ſuppoſita iſta in natura, & tunc videretur quod Angelus poſſet cognoſcere naturaliter eſſentiam diuinam in tribus ſuppoſitis. Nam poſſet naturaliter cognoſcere in primo ſuppoſito eſſe memoriam infinitam productiuā alterius ſuppoſiti, & in duobus eſſe voluntatem infinitam productiuam alterius ſuppoſiti. Reſpōdet doctor vbi ſupra, ante litera O. quod illa cognitio non eſſet mere naturalis, quia ad eam non poſſet Angelus naturaliter attingere ex naturalibus ſuis, neque ex cauſis neceſſarijs alicuius naturaliter agētis, ita quod licet Angelus, habēs ſpeciem eſſentię diuinæ, poſſet naturaliter vti ea, tū ipſa ſpecies

cies

cies eſt à cauſa ſupernaturali & ſupnaturali ter agenti. Neq; obſtat, quia quodlibet etiā aliud à Deo naturaliter cognoſcit, licet illas alias ſpecies recipiat à Deo ſupernaturaliter imprimente. Rñdet em Doct. vbi ſupra, quod illas alias ſpecies poſſet habere ab illis obiectis in ſe nullis aliis ab ipſis agētibus requiſitis, ſed nullo modo poſſet habere illam ſpeciem diſtinctam reſpectu eſſentiæ diuinæ, niſi ab ipſo imprimente, & hoc non naturaliter ſed ſupernaturaliter.

Primum corol. ¶ Ex qua doctrina Doctoris colligitur primo ſpeciem illam intelligibilem eſſentiæ diuinæ repræſentatiuā eſſe per ſe infuſam, & non per accidens infuſam, & iuxta hanc rationē dicit illā ſupernaturalē, quia in ſua intrinſeca ratione dicit intrinſecum ordinem ad cauſam ſupernaturalē. Aliæ eñ ſpecies intelligibiles fuerunt per accidens infuſæ Angelis, quia poterāt produci ab ipſis obiectis. Nam vt aduertit Michael de Palacios in ſecundo diſt. 3. Diſput. 5. fol. 76. col. 1. Angelus etiam abſtrahit ſpecies intelligibiles non ſanè à phantaſmate, ſed ab appendicijs materiæ hoc eſt ab hic, & nunc & id genus alijs. Nam vniuerſale non ſtat in rebus, ſed in conceptibus reſidet quapropter conſiderat Angelus hominem ſine cōditionibus indiuiduantibus, & hæc conſideratio eſt ipſa abſtractio. Vnde cum ſpecies reliquarum rerum poſsint abſtrahi ab ipſis obiectis virtute intellectus angelici, reliquæ ſpecies Angelis infuſæ fuerunt per accidens infuſæ. At vero ſpecies iſta intelligibilis repræſentatiua diuinæ eſſentiæ Angelis conceſſa nullo modo potuit abſtrahi virtute intellectus angelici, ſed neceſſario requirebat virtutem ſupernaturalem, & diuinā, vt intellectu angelico produceretur.

Secundum corol. ¶ Ex quo infero ſecundo probabilius mihi videri, poſſe Deum de potentia abſoluta producere ſpeciem intelligibilem repræſentatiuam etiam omnium creaturarū productarum, & tot creaturarū, quot ipſi Deo beneplacitum fuerit, quæ ſpecies intelligibilis eſſet ſimiliter per ſe infuſa. Vnde quando Doctor docet in hoc ſecundo diſtin. 3.

Nota hoc. quæſt. 10. non poſſe dari ſpeciem intelligibilem repræſentatiuam plurium naturarū intelligendus eſt de ſpeciebus per accidens infuſis, nam de ſpecie per ſe infuſa non poteſt dubitari in ſententia Doctoris (ni fallor) quoniam, vt viſum eſt, per illam ſpeciem cōceſſam Angelis repræſentatiuam eſſentiæ diuinæ angeli cognouerūt cognitione matutina, non ſolum eſſentiam diuinam, ſed etiam res vel creaturas in eſſentia diuina, & non per ſpecies creaturarū, ergo per illā ſolā ſpeciē, & per conſequens illa ſola ſpecies omnes creaturas repræſentabat, dabilis eſt igitur per Dei potentiam aliqua ſpecies intelligibilis plurium naturarum repræſentatiua, quamuis talis ſpecies nullo modo poſſit eſſe per accidens infuſa.

Ad confir. ¶ Ad confirmationem reſpondetur, quod quando dicitur Angelos non fuiſſe peregrinantes, intelligendum eſt, vel quia breuiſsimo tempore poſt ſuam creationem cōpararunt ſuam beatitudinem, vel quia nullam habuerunt miſeriam ſicut homines.

Ad ſecundum arg. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, quod D. Bernard. ibi loquutus eſt dubitatiuè, vt patet ex verbis illius, quando dicit ſi tam incredibile non putetur.

Ad tertiū argum. ¶ Ad tertium reſpondetur, quod ex illo loco Ezech. ſolum ſignificatur habuiſſe luciferum perfectiſsima dona, & optimum viatoris ſtatum, non comprehenſoris, & quando dicitur de cælo cecidiſſe non intelligitur de beatitudine, ſiue viſione beatifica, ſed de illo loco & ſtatu optimo in quo conditus fuit.

TEXTVS.

ET iſta vltima via de quatuor moris ſaluat plures ſtatus in eis, & plures affirmatiuas authoritates, quæ pluralitas ſi non placeat quia non habet neceſsitatē euidentem ſaltem ad minus tres iſtas moras prius aſsignatas probabiles ponere. diſtin. 5. quæſtione prima, infra litera. G.

EXPLICATIO LITERÆ.

IN hac litera Doctor aſsignat modū, quo Angeli potuerunt creari à Deo, ſcilicet, in puris naturalibus, ideſt, vel ſine gratia & ſine peccato, vel quod fuerint conditi in gratia, & dicit quod moræ quæ fuerunt inter creationem Angeli; & eius præmiationē, vel punitionē non ponuntur ab omnibus eædem. Sunt enim qui dicant tantum fuiſſe duas moras viæ. Prima in quā omnes fuerunt in gratia, & meruerunt. Secunda in qua boni fuerunt beati & mali potuerunt obicem, & ita non fuerunt præmiati. Alij autem

autem ponunt tres moras, & hoc tripliciter: nam Magiſter videtur ponere in tertia mora bonos in gratia, & in gloria ſimul. D. autem Bonauen. non tribuit malis gratiam. Alij autem ponunt quatuor moras. In prima fuerunt creati Angeli ſine gratia, & ſine peccato. In ſecunda boois data fuit gratia, quia io naturalibus conditi per ſua naturalia, quantum ſibi poſsibile fuit ſe in Deum cōuerterunt. In tertia boni meruerunt. In quarta præmio affecti ſunt. Doctor vero in vltima parte literæ probabiliotem exiſtimat ſententiam illam, quæ docet tantum fuiſſe tres moras, in quarum prima omnes fuerunt creati in gratia, in ſecunda boni meruerunt, & mali non ſteterunt, ſed peccauerunt, in tertia tam boni quam mali fuerunt in termino, & boni præmio affecti, mali vero puniti. Circa iſtam literam, & Doctoris ſententiam explicandam ſit quæſt, 2.

QVÆSTIO II.

¶ *Vtrùm Angeli fuerint creati in gratia ſupernaturali?*

Prima ſententia. DE hac re eſt prima ſentētia Alexan. Alenſ. vt communiter fertur in ſecunda parte, quæſt. 19. memb. 2. (quanuis ſi bene inſpiciatur ibi artic. 1. nihil determinatè docet, nam verba eius hæc ſunt. Ad quod dicendū quod duplex eſt lumen ſcilicet naturæ, & gratiæ, quod etiam dicitur lumen naturæ, hoc eſt donum Dei, vnde vtraq; lumina ad donum Dei pertinent, ſed differenter. Vnde in lib. de diuinis nominibus data ipſis angelicis dona, nequaquam ipſa mutata eſſe dicimus, ſed hoc intelligitur de dono naturæ, quod non ex toto mutatum eſt, ſed donum gratiæ ſuppoſito quod habuit gratiā gratum facientem omnino eſt ablatum. Et in ſolutione ad quartum. ſic ait, verbū Ioannis Damaſc. poteſt intelligi, vel de lumine naturę vel de lumine gratię gratū facientis, ꝙ datū fuit à principio, ſuppoſito quod Angeli habēt gratiam gratum facientem, quā cito fuerunt creati. Hactenus Alexander.

¶ Ex quibus verbis neſcio quomodo colligatur Angelos non fuiſſe creatos in gratia) eandem ſententiam tribuunt Gabrieli in ſecundo diſt. 4. quæſt. vnica, quanuis ipſe in articul. 2. in concluſ. tantum aſſerat, quod vtraque dictarum opinionum probabiliter teneri poteſt, ſine pertioacia, & temeritate, quia ad neutrum ſunt rationes cogētes, nec ſufficientes authoritates, nec conſtat de reuelatiooe, aut eccleſiæ determinatione. Eandem tribuūt Gregorio ibidem, quæſtione prima. & Marſilio quæſt. 4. arti. 1. & D. Bonauent. in ſecundo diſtin. 4. quæſt. 3. quanuis ſi rectè inſpiciātur verba eius ſunt hæc. Reſpondeo dicendum quod hæc quæſtio facti eſt, & quia non inuenimus aliam rationem, quam congruitatis probabiliter poſſumus vtrumque opinari, ſicut & alij ante nos: fuerunt enim aliqui dicentes, quod Angeli omnes creati ſunt in gratuitis gratum facientibus, & ratio, quæ mouit eos fuit hæc, ex parte Dei perfecta liberalitas, & ex parte creaturæ idoneitas, quia enim ab inſtanti creationis erant vaſa, & receptacula munda, & Deus eſt promptus ſuā gratiam impartiri, niſi habeat obſtaculum ex parte ſuſcipientis non dimiſit Deus illa ad momentum vacua, ſed ſtatim vt condidit gratia illuſtrabit, & talia debuerunt de manu Dei exire receptacula, vt ſtatim eſſent prompta in bonum vſum. Vnde ſicut probabiliter conijciunt aliqui, quod Deus fecerit arbores penas fructibus, & alia in ſtatu nobiliſsimo, & perfectiſsimo, ſic etiam naturam Angeli ornauit gratia in ſui conditione, quæ io primo vſu bono ſine victoria erat perpetuanda, & in prima deordinatione perpetualiter amittenda. Hæc eſt vna poſitio, & ſatis videtur conſona Sanctorū authoritatibus, vt patet inſpicienti.

¶ Fuerunt etiam alij qui dixerunt Angelos non habuiſſe gratiam gratum facientem ab inſtanti creationis, ſed poſt. Et ratio quæ eos mouit, eſt diſpoſitio angelicæ naturæ, quæ fertur in id quod appetit ſine retardatione. Vnde ſicut ex conuerſione ad malū, ita profunde conuerſi ſunt, vt non poſsint redire, ſic imo multo magis ex conuerſione ad bonū, ita bono totaliter adhæſiſſent, ſi gratiam habuiſſent, quod nunquam lapſi eſſent. Vnde non videtur aliquomodo probabile quod Lucifer habuerit gratiam, & ſi ipſe non habuit cum inter cæteros eſſet excelſior, à maiori arguitur, nec alios habuiſſe à ſui origine. Hanc poſitionem videtur acceptare Magiſter. Hanc poſitionem communiter tenent Doctores, & ita huic tanquam probabiliori, & communiori concordant. Hactenus Bonauentura. *Secunda ſententia.*

¶ Ex

Prima ſententia probatur. Primum argum.

¶ Ex quibus verbis facile conſtat qualis fuerit eius ſententia, & non rectè citari à nonnullis pro illa parte, quæ docet iuxta primam ſententiam Angelos non fuiſſe creatos in gratia. Poteſt autem probari iſta ſententia, primo ex D. Greg. 32. moralium tractans illud Ezech. 28. aurum opus decoris tui, & foramina in die qua conditus eſt. Et loquens de Lucifero dicit huius lapidis in die conditionis ſuæ foramina præparata ſunt, quia videlicet capax veritatis fuit conditus, quaſi repleri voluiſſet ſtantibus Angelis tanquam in ornamentis Regijs lapidibus poſitis inhærere potuiſſet, habuit ergo ille lapis foramina, ſed propter ſuperbiæ vitium charitatis auro non ſunt repleta.

Secundũ argum.

¶ Secundò probatur, nam Iob 4. vbi nos legimus, & in Angelis reperit prauitatem in Hebræo habetur, & in Angelis ſuis nõ poſuit laudem, vel lucem, ſed gratia & iuſtitia in ſacris literis appellatur lumen, & lux, iuxta illud 1. Petri 2. Vocauit nos in admirabile lumen ſuum. Et beatus Paulus, iuſtos appellat filios lucis dicens, Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ergo.

Tertiũ argum.

¶ Tertio, quia non eſt conſonum diuinæ ſapientiæ, quod in prima conditione aliquid fruſtra condiderit, ſed gratia fruſtra eſſet conceſſa malis Angelis, quam ſubito erant amiſſuri, ergo.

Quartum argum.

¶ Quarto. Si angelus fuit creatus in gratia, ergo angelus cognouit ſe fuiſſe creatum in gratia, ergo cognouit ſe eſſe filium Dei, & hæredem, & per conſequens non tam cito amiſiſſet illam.

Vltimum argum.

¶ Vltimò, vel Angeli receperunt gratiam mediante aliqua diſpoſitione, vel ſine illa, ſi mediante aliqua diſpoſitione, vel illa fuit naturalis, vti bonus vſus liberi arbitrij ex naturalibus ipſius Angeli, vel bonus vſus liberi arbitrij ex auxilio ſupernaturali, quodcunque horum præſupponit Angelos in eſſe naturæ creator, ergo præſupponit Angelos non eſſe creatos in gratia. Patet ſequela, nam illa diſpoſitio antecedenter ſe habet ad gratiam, & eſſe creatum antecedenter ſe habet ad diſpoſitionem, ergo eſſe creatum antecedenter ſe habet ad gratiam, & per conſequens non fuerunt creati in gratia.

Secunda ſententia.

¶ Secunda ſententia eſt Diui Thomæ prima parte, quæſtione. 62. artic. tertio. quam probabiliorem dicit Doctor, vt patet in litera, quæ docet Angelos fuiſſe creatos in gratia, & recepiſſe in primo inſtanti ſuæ creationis iuſtitiam, & hoc adeo verum reputant nonnulli, vt oppoſitum dicant falſum, & improbabile.

Primum argum.

¶ Probant autem ſuam ſententiam ex Diuo Auguſtino libr. 12. de ciuitate Dei cap. 13. & de correctione & gratia ca. 11. & 12. & de eccleſiaſticis dogmatibus. cap. 61. & 63. vbi aſſerit, creauit Deus Angelos, ſimul eis condens naturam, & largiens gratiam. Diuus Baſilius ſuper pſalm. 32. explicans illud, verbo Dñi, cæli firmati ſunt inquit, verbo Dei Angelicam ſubſtãtiam eſſe conditã, & à Spiritu ſancto in ipſa creatione ſanctitatem fuiſſe collatam. D. Cyril. ſuper Ioan. capit. 6. docet Angelum deſertorem in ipſa creatione accepiſſe iuſtitiam, & ſanctitatẽ quam perdidit per peccatum. D. Damaſce. lib. 2. fidei. c. 3. & 4. & D. Greg. lib. 32. moral. c. penult. D. Hierony. ſuper illa verba, Oſeæ. 3. dilexerunt vinatia vuarũ dicit, per vinatia intelliguntur dæmones, qui creati ſunt in magna pinguedine Spiritus ſancti, ſed per ſuperbiã arefacti de cælo ceciderũt conſtat autem quod pinguedo Spiritus ſancti ergo.

Secundũ argum.

¶ Probatur etiam ratiõe, nã Deus in primo inſtanti ordinauit Angelũ ad beatitudinẽ ſupernaturalẽ, ergo dedit illi ſufficientia media, & fecit illum proportionatũ tali beatitudini, talis autem proportio fit per gratiam, ergo.

Tertium argum.

¶ Tertio, homo fuit creatus à Deo in iuſtitia & gratia, & Angelus. Antecedens probatur, ex Anacleto Papa in epiſt. 1. vbi dicit, quod homo dicitur conditus ad imaginem Dei, quia in ſua conditione gratiam, & reliquas virtutes habuit, idem dicit Aug. & habetur in cap. quomodo. & in cap. princeps, de pœnit. diſt. 2. Cõſequẽtia autẽ patet ex maiori dignitate Angeli, nã dignior eſt natura angelica, quam humana.

Vltimum argum.

¶ Vltimò, Angelus poſt vnum actum liberum plene eſt in termino viæ, ergo ſi nõ acceperunt gratiam in ſui creatione, acceperũt illam poſt modũ mediante aliquo actu plene libero, qui eſſet diſpoſitio ad gratiã, quam recipiebant, ergo ille actus non tantum erat diſpoſitio ad gratiam, verum erat terminus viæ, ergo nullo modo poterant accipere gratiam poſt creationem, niſi ſimul acciperẽt gloriam, conſequens eſt falſum, ergo angeli fuerunt creati in gratia.

Tertia ſententia. ¶ Tertia ſentẽtia eſt Michaelis de Palacio in ſecundo diſt. 4. Diſput. 2. aſſerentis, Magiſtri, vel primam ſententiam magis præterre libramen diuinæ iuſtitiæ, Thomæ vero placitum magis dulcedinem diuinæ ſpirat miſericordiæ, etenim ad libramen diuinæ iuſtitiæ iſtud pertinet, vt facientibus quod ſui iuris eſt, ipſe donet gratiam ſuam. Ideo videtur ſatis conſentire cum ordine diuinæ iuſtitiæ, Angelos in naturalibus cõditos fuiſſe, vt ipſi naturalia ſua rectè Deo impendentes, Deus illis ſuam gratiam impartiret. At vero dulcedinem ſpirat diuinæ miſericordiæ, Angelos in exordijs ſuis gratia gratum facientis participes facere, vt ſtatim poſſent mereri de condigno æternæ vitæ præmia. Nanque ſine huius præſidio non erat meritum angelicum niſi de cõgruo, voluit igitur ad ampliora, & meliora merita ſuos Angelos promouere, vt haberent, vnde ſtatim promererentur, ſi voluiſſent æternam vitam de condigno, & quia Deus & natura de poſsibilibus faciũt, quod melius eſt, hoc melius erat Angelis, ſimul atque erant conditi, vitam promereri de condigno.

1. Notab. ¶ Pro explicatione huius quæſtionis eſt, primo notandum in hac quæſtione nihil definitum eſſe de fide certum, tamen omnes Angelos præditos fuiſſe gratia antequam perueniſſent ad terminum beatitudinis, vel ſupplicij, & de Angelis bonis certiſsimum eſt ſecundum fidem, quia ſi gratiã non habuiſſent nullo modo beatitudinem conſequuti fuiſſent: de malis autem adeo certum eſt, vt non careat temeritate illam veritatem negaret. Nam Ioannis octauo, dicitur de diabolo in veritate non ſtetit, id eſt non permanſit, & Iudas in ſua Canonica dixit, Angeli, qui non ſeruauerunt ſuum principatum, & Diuus Hieronymus ſuper illa verba Oſeæ tertio. ſupra citata dicit, dæmones perdidiſſe priſtinam dignitatem nihilque gratiæ diuinæ eis remanete.

2. Notab. Secũdo eſt notandũ, quod quæſtio hæc non quærit de poſsibili, ſed de facto, vt omnes ſupponant. Vnde in hac quæſtione nihil eſt de fide diffinitum, & ideo nec veritas huius quæſtionis pertinet ad fidem.

Prima cõcluſio. ¶ Prima concluſio. Angeli in primo inſtanti ſuæ creationis tam boni quam mali fuerunt conditi in gratia. Hanc concluſionem vt probabiliorem docet Doctor in litera, quæ probatur authoritatibus, & rationibus adductis pro prima ſententia.

Secunda concluſio. ¶ Secunda concluſio. Non eſt temerarium aſſerere Angelos in primo inſtãti nõ fuiſſe creatos in gratia gratum faciente. Hæc concluſio probatur, nam illa propoſitio eſt temeraria in Theologia, quæ docet contra communem ſententiam doctorum ſcholaſticorum. Vnde debet eſſe peculiaris ſentẽtia, ſed iſta propoſitio Angeli in primo inſtanti non fuerunt creati in gratia gratum faciente, non eſt peculiaris alicuius Doctoris, ſed eam dicit probabilẽ Doctor in præſentiarum, & D. Bonauent. & Gabriel. dicunt illam probabiliorem, taliter quod Gabriel vbi ſupra, talem concluſionem aſsignat, vtraque dictarum opinionum probabiliter teneri poteſt ſine pertinacia, & temeritate. Et Diuus Tho. in illo artic. 3. dicit, probabilius videtur tenendum, & magis dictis Sanctorum conſonum eſt, quod fuerunt creati in gratia gratum faciente. Et Diuus Bonauent. dicit, illam poſitionem cõmuniter teneri à Doctoribus, & illi tanquam probabiliori, & communiori adhærere, & Michael de Palacio vbi ſupra docet Magiſtri ſententiam magis præferre libramen diuinæ iuſtitiæ: & deniq; ferè omnes Theologi oppoſitam ſententiam tuentes, quãuis illam dicant falſam, non tamen dicunt illam temerariam. Et probatur, quia ad neutrum ſunt, vt dicit Gabriel rationes cogentes, nec ſufficientes authoritates, neque conſtat ex reuelatione, aut eccleſiæ determinatione. *Prima ratio.* Ad authoritates enim facile reſpondet D. Bonauent. vbi ſupra nu. 12. dicendo, quod gratia dicitur communiter prout comprehendit quicquid naturalibus eſt ſuperadditum, naturalibus inquam, quæ ſunt de eſſentiali rei conſtitutione, ſicut dicitur ex gratia habere bonum ingenium, bene legere, bene cantare, & huiuſmodi. Alio modo dicitur grã, quod ſuperadditum eſt libero arbitrio ad rectitudinem faciens, & diſponens, ſicut dicimus virtutes naturales, ſicut innocentia, pietas &c. Tertio modo quod eſt ſuperadditũ tanquã retificãs & cõplens, & eleuans, & hoc dicitur gratia, & gratũ faciens, quia facit hominem acceptabilem Deo, & ideo acceptabilẽ, quia cõformem, qñ ergo dicitur ꝙ Angelo data ſunt gratuita, aut nõ intelligitur de gratuitis tertio modo dictis, ſed primo, vel ſecũdo, quia multa dona gratuita habuerũt. Aut ſi intelligitur de gratuitis ꝓpriè dictis, nõ intelligitur

gitur ab inſtāti creationis, ſed ſicut intelligitur peccatū diaboli fuiſſe ab initio, quia ſtatim poſt initium, & poſt primum motum deliberatum, cecidit, ita intelligendum eſt de gratia Angelorum. Aut ſi intelligitur de gratuitis propriè dictis, & ab inſtanti creationis hoc non intelligitur formaliter ſiue eſſentialiter, ſed diſpoſitiuè, vnde dicitur aliquis creatus in aliquo, quia in proxima diſpoſitione ad illud, & ita per hanc triplicem viam ad authoritates inductas, & multas alias, quæ poſſunt induci poteſt breuiter reſponderi. Hactenus Diuus Bonauēt. ¶ Ex quibus patet quod quanuis ſententia Magiſtri ſit falſa, non tamen eſt temeratia. ¶ Quia tamen oppoſita ſententia conformior eſt dictis Sanctorū ideo ad argumēta ꝓ prima ſententia reſpondetur.

Ad arg. reſpondetur. Ad primū argum. ¶ Ad primum reſpondetur communiter, ꝙ in eo loco Diuus Gregor. loquitur de charitate conſummata, & beatifica, quam mali Angeli haberent, ſi in ſtatu meriti permanſiſſent, & ſic habuerunt foramina præparata in die conditionis ſuæ ad recipiendum viſionem beatificam, ſi perſeueraſſent in bono. Et quod iſte ſit germanus ſenſus illius loci patet ex eo, quia foramina præparata ex eo præparata debent appellari, quia habuerunt gratiam, alias enim non dicerentur præparata in rigore, ſed tantum habere capacitatem.

Ad ſecundum arg. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, ꝙ ille locus Iob intelligendus eſt de laude, vel luce conſummata & perfecta, & hoc voluit ſignificare Iob, ac ſi diceret nullus Angelorū fuit creatus in beatitudine ſupernaturali.

Ad tertiū argum. ¶ Ad tertium reſpondetur, illud dici fruſtra fieri, quod non conſequitur ſuum finem, cum igitur tribuere gratiam malis poſtea Angelis ſortitus fuerit finem ſuum, nempe oſtendere voluntatem diuinam, ꝙ vult omnes ſaluos fieri, ideo quanuis Angeli mali male vſi fuerint gratia accepta, illa tamen gratia non fuit illis fruſtra collata.

Ad quartum arg. ¶ Ad quartum reſpondetur, quod quanuis Angelus cognoſceret ſe fuiſſe creatum in gratia, potuit tamen per propriam voluntatem operari contra inclinationem ipſius gratiæ, quia gratia non neceſsitat voluntatem, ſed iuxta conditionem ipſius voluntatis liberam illam adiuuat, & eleuat ad actus ſupernaturales producendos.

Ad vltimum arg. ¶ Ad vltimum reſpōdebitur quæſtione ſequenti.

QVÆSTIO III.

¶ Vtrùm Angeli gratiam, quam receperunt in primo inſtanti ſuæ creationis, acceperint mediante propria diſpoſitione?

Prima ſententia. De hac re multiplex eſt doctorum ſententia. Prima eſt Ferrarienſis 3. contra Gentes. c. 110. quam etiam docet Caieta. 2. 2. quæſt. 24. arti. 3. circa ſolut. ad 3. quam docent recentiores expoſitores D. Tho. 1. p. quæſt. 62. art. 3. qui omnes aſſerunt Angelos ſanctos recepiſſe gratiam mediante propria diſpoſitione. ¶ Ex quo inferunt ꝙ Angeli in primo inſtanti habuerunt conuerſionem ſupernaturalem ad Deum, quæ potuit eſſe diſpoſitio ad gratiā, & quæ ſe haberet in Angelis, ſicut ſe habet in nobis cōtritio, quæ antecedit gratiā in genere cauſæ materialis, ſubſequitur autē illā in genere cauſæ efficientis, & ita eadēmet operatio, & eſt diſpoſitio ad gratiā, & meritoria primi gradus gloriæ. Probat autem ſuā ſententiā primo ex D. Tho. 1. p. q. 62. art. 2. in ſolutione ad tertium, vbi ſic ait, quilibet motus voluntatis in Deum poteſt dici conuerſio in ipſum. Et ideo triplex eſt conuerſio in Deum vna quidem per dilectionem perfectā quæ eſt creaturæ iam Deo fruentis, & ad hanc conuerſionē requiritur gratia conſummata, alia eſt conuerſio quæ eſt meritū beatitudinis, & ad hanc requiritur habitualis gratia, quæ eſt merendi principiū. Tertia conuerſio eſt per quā aliquis præparat ſe ad gratiam habendam, & ad hanc non eſt igitur aliqua habitualis gratia ſed operatio Dei ad ſe animam conuertentis. Hactenus D. Tho. ¶ Ex qua litera, & ex illo quod docet quæſt. 63. art. 5. nempe Angelos in primo inſtāti habuiſſe operationē meritoriā, nam in ſolut. ad vltimum docet omnes Angelos in gratia creatos in primo inſtāti meruiſſe. Ex quibus locis ſic colligitur ſententia prædicta, operatio Angeli habita in primo inſtanti fuit meritoria, ergo libera, & ſupernaturalis, & per conſequens ſicut dicūt Theologi de contritione quod eſt meritoria gloriæ prout conſequitur gratiam in genere cauſæ efficientis, & formalis, & ad eandem gratiam dicitur etiam diſpoſitio quatenus eā antecedit in genere cauſę materialis, *Primum argum.*

ita ſanè ſecundum proportionem dici poteſt de ſupernaturali illa operatione Angeli quæ fuit dilectio Dei ſuper omnia, quod non ſolum fuit meritoria gloriæ, ſed etiam diſpoſitio ad gratiam.

Secundum argum. ¶ Secundò inter Angelorum conuerſiones D. Thom. illam enumerat, vt viſum eſt in illo artic. 2, in ſolutione ad tertium, quæ eſt præparatio ad gratiam, ſed talis præparatio nunquam potuit habere locum niſi in primo inſtanti, ergo in illo ſe præparauerunt. *Tertium argum.* ¶ Tertiò, quia in collatione gratiæ & charitatis contrahitur ſupernaturalis quædam amicitia, ſed amicitia eſt animorũ mutuus conſenſus, ergo fuit in Angelis ille cõſenſus voluntatis.

Quartum argum. ¶ Quartò, Angeli in primo inſtanti tam erãt liberi, vt ſunt homines adulti, ſed adultis hominibus nunquam infunditur gratia, niſi mediante motu liberi arbitrij, vt diffinitur in concilio Trident. ergo. ¶ Confirmatur, nam primus homo accepit gratiam per propriam diſpoſitionem, vt docet Diuus Thom. prima parte. quæſt. 95. artic. 1. in ſolutione ad quintum, ergo & Angelus accepit gratiam in primo inſtanti ſui eſſe per propriam diſpoſitionem.

Quintum argum. ¶ Quintò, nam Diuus Thom. ſecunda ſecũdæ. quæſt. 24. artic 3. in ſolutione ad tertium docet, quod gratia fuit collata Angelis iuxta proportionem conatus, quem cõuertendo ſe ad Deum habuerunt, & intelligendus eſt Diuus Tho. de conuerſione ſupernaturali, ergo conatus, quem Angelus habuit in conuerſione illa primo inſtanti habita, habuit rationem diſpoſitionis ad gratiam. ¶ Confirmatur; nam habere gratiam per propriam diſpoſitionem multo excellentius eſt, quam illam habere abſque media diſpoſitione, ergo talis modus habendi gratiam concedendus eſt angelis.

Secunda ſententia. ¶ Secunda ſententia eſt Capreoli in ſecundo, diſtinctione. 4. quæſtione. 1. ad primũ. contra quintam cõcluſionem, quam etiam docet Ioannes Arboreus, libro primo. ſuæ Theoſophiæ circa finem. qui aſſerunt gratiam fuiſſe Angelis collatam abſque omni media diſpoſitione. *Primum argum.* ¶ Et probat primo, nã operatio, quam habuit Angelus in primo inſtanti, fuit mere naturalis, ergo non fuit diſpoſitio ad gratiam. Patet ſequela, quia diſpoſitio debet eſſe eiuſdẽ ordinis cũ forma ad quam diſponit. Antecedẽs autẽ probatur, nam natura præſupponitur ad gratiam, ergo operatio naturalis præſupponitur ad operationem ſupernaturalem, & per conſequens, prima operatio Angeli nõ potuit eſſe ſupernaturalis. ¶ Confirmatur, nam ſi Angelus in primo inſtanti potuit habere operationem ſupernaturalem, quæ eſſet diſpoſitio ad gratiam, ergo Angelus in primo inſtanti habuit duo inſtantia. Patet ſequela, nam vnum inſtans Angeli eſt vna operatio Angeli, & per conſequens, vbi ſunt duæ operationes ibi ſunt duæ inſtantiæ.

Secundum argum. ¶ Secundò, operatio quam habuit Angelus in primo inſtanti, non fuit libera, ergo non potuit eſſe diſpoſitio ad gratiam. Patet ſequela, quoniam homo non ſe diſponit niſi per actus, & operatiões liberas. Antecedens autem probatur, nam alias Angelus poſſet in primo inſtanti peccare. Imo ex eo probat Diuus Thom. quæſt. 63. artic. quinto. Angelum non poſſe peccare in primo inſtanti, quia cum prima operatio Angeli tribuatur authori naturæ, peccatum tribueretur authori naturæ, ergo cum prima operatio Angeli ſit authoris naturæ nullo modo eſt libera.

Vltimum argum. ¶ Vltimò, vel ille actus, quo Angeli in primò inſtanti ſe diſpoſuerunt ad gratiam fuit effectiuè à gratia, & charitate, vel non ſi proceſsit à gratia, ergo prius fuit gratia in Angelis, quam ille actus, & per conſequens talis actus non fuit diſpoſitio ad ipſam gratiam. Patet ſequela, nam diſpoſitio præcedit ordine naturæ formam ad quam diſponit. Si non fuit effectiuè à gratia, ergo in primo inſtãti nõ receperũt illã. Patet ſequela, quia in primo inſtanti tantum habuerunt illum actum, qui fuit diſpoſitio ad gratiam.

1. Notab. Diuerſi modi dicendi. Primus modus. ¶ Pro explicatione huius quæſtiõis eſt primo notandũ, quod in hac quæſtione in aliquo conueniunt Doctores inter ſe & in aliquo differunt. Conueniunt quidem, nã opinantes primam ſententiam in duas vias ſunt diuiſi, nam ſunt qui dicant illam vltimam diſpoſitionem ad gratiam, & actum illũ dilectionis eſſe elicitum effectiuè ab ipſa gratia: neque eſſe aliquod inconueniens, quod talis actus ſit diſpoſitio ad gratiam, & quod ſit effectiuè ab habitu gratiæ, nam cum ex phyſica conſtet, quod cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſæ, non inconuenit, quod diſpoſitio in Angelis ſit effectiuè gratiæ in genere cauſæ efficientis, ac proinde poſterior illa in iſto genere, & quod in genere cauſæ materialis,

terialis, è contra diſpoſitio ſit cauſa gratiæ, illamque antecedat. Vnde prima illa operatio, & dilectio ſupernaturalis in primo inſtanti habita fuit in gratia iuſtificante, & eadem prima operatio fuit præparatoria ad gratiam iuſtificantem in alio genere cauſæ, nempe in genere cauſæ materialis. Quomodo autem iſta doctrina intelligatur, explicant prædicti in ſolutione cuiuſdam confirmatiõis dicẽtes, ꝙ gratia reſpectu primæ diſpoſitiõi, quatenus eleuat potẽtias prior eſt ſe ipſa quatenus dat eſſe quoddã diuinũ & participiũ diuinæ naturæ. Et ſic non eſt incõueniens, ꝙ operatio, quæ habet eſſe à gratia prout eleuat potentiã, ſit diſpoſitio ad eãdẽ gratiã, quatenꝰ dat tale participiũ.

Secundus dicendi modus.

¶ Alij autem cum Magiſtro Cano, de pœnitentia parte prima, docent actum verbi gratia, contritionis effectiuè procedere ab habitu virtutis, vel charitatis, vel pœnitentię, qui eſt in ipſa voluntate, non vero ab habitu gratiæ, qui eſt in eſſentia animæ, & ideo prius natura eſſe quã informetur ab hoc habitu gratiæ non vero quam fiat ab habitu, ſcilicet, charitatis qui eſt in potentia. Vnde in ſolutione ad quartum docet differentiã eſſe inter ordinem, quem ſeruant potentiæ. animæ, & anima, & actus, qui ſunt diſpoſitiones ad gratiam & ipſa gratia, nam potentiæ animæ, nempe intellectus & voluntas nulla ratione præcedunt animam: habitus vero charitatis, & pœnitẽtiæ quoniã in genere cauſæ efficientis producunt actus, qui ſunt diſpoſitiones ad gratiam, ex conſequẽti ipſam gratiam antecedunt. Charitas igitur & pœnitentia habent ſe ad gratiã, vt calor ad formam ignis. Idem enim calor ſi cõſideretur, vt diſponens materiã ad recipiẽdã formam, prior eſt forma, ſi autẽ vt potẽtia calefactiua, eadem forma poſterior eſt.

Impugnatio prædicti modi.

¶ Sed iſta explicatio includit repugnantiam. Nam habitus virtutis, qui eſt in potentia, vel præſupponit gratiam in eſſentia animæ, & tunc non poteſt eſſe diſpoſitio ad illam, vel ſaltim actus charitatis præſupponit habitum charitatis. Cum igitur non ſit certum habitũ charitatis eſſe prius in voluntate, quam ſit ipſa gratia in anima, nec dicendum eſt, quod actus elicitus ab habitu ſit diſpoſitio ad ipſam gratiam. Et præterea, nam Concilium Tridentinum loquens de iſta diſpoſitione ad gratiam, dicit, hanc diſpoſitionem iuſtificatio ipſa conſequitur per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum. Et infra dicit virtutes infundi iuxta vniuſcuiuſque diſpoſitionẽ conſtat etiam virtutes infundi proportionatas ipſi gratiæ, & conſequuntur etiam diſpoſitionem ad illam. Vnde ſicut habenti meliorem contritionem infunditur maior gratia, ita etiam maior charitas, & ſic non poteſt dici, quod actus charitatis, prout eſt elicitus ab habitu charitatis eſſe diſpoſitionem ad primam gratiam ex eo quod prius eſt habitus in potentia, quam gratia in eſſentia, cum pateat ex dictis cõcilij, quod ad diſpoſitionem recipitur gratia, & infunduntur virtutes, ergo actus prout elicitus ab habitu non poteſt eſſe diſpoſitio ad gratiam, ſicuti nec poteſt eſſe diſpoſitio ad ipſum habitũ ſecundũ quod effectiuè habet eſſe ab illo.

Tertius dicendi modus.

¶ Alij vero aliter reſpondent dicentes, aliud eſſe gratiã à Deo nobis infundi. Aliud vero in nobis recipi, nã prius eſt à Deo nobis infundi quã quod in nobis recipiatur: & inter hæc duo poteſt mediare diſpoſitio ex parte noſtra, vel angelorum quæ procedat effectiuè à gratia ꝓut infuſa à Deo, non vero vt in nobis recepta, quãuis vt in nobis recepta ab ipſa gratia talis diſpoſitio formetur, quia vt ſic ſanctificat nos, & hoc modo intelligitur facilè, quomodo diſpoſitio poſsit diſpoſitiuè ꝓducere gratiã, & prius natura eſſe informis quam formata, nempe vt habet eſſe à gratia prout intelligitur gratia infundi à Deo, & poſtea talis diſpoſitio intelligitur formata, quatenus intelligitur habere eſſe ab eadem gratia prout in nobis recepta. Hæc doctrina eſt Ferrarienſis tertio contra Gentes capit. 153. in fine, & habet fundamentum in Diuo Thoma, prima ſecundæ, quæſtione 113. artic. octauo, ad ſecundum, ſi per infuſionem gratiæ intelligat infuſionem habitus, vt & Caietanus intelligit, qui ferè nihil diſcordat ab hac ſententia, ſed fortaſſe vt dicunt nonnulli verius eſt intelligere ſolam motionẽ Dei animam ad ſe conuertentis, vt in corpore articuli dixit, & in ſolutione ad primum, ferè euidenter deſumitur.

Impugnatio ſuperioris modi dicendi.

¶ Hæc tamen ſententia nullam continet veritatem. Primo, quia intelligi nõ poteſt formam aliquam accidentalem prius natura efficere, & operari, quam ſit in ſubiecto recepta, & ratio huius eſt, quia forma accidentalis prius debet habere ſuum naturalem modum eſſendi completum, quam habeat operationem, propter quod

etiam ſubſtantia prius natura ſubſiſtit, quã
operatur, quod maximè verum eſt in actio
ne vitali, vt eſt dilectio Dei ſuper omnia,
vel contritio in nobis, quæ nõ poteſt prius
natura eſſe à gratia, quam ab ipſa potentia
per gratiam operantem. Nam quomodo in
telligi poteſt, aut fieri, vt potentia. v. g. ope
retur per gratiam, niſi intelligatur illam po
tentiam gratiam in ſe habere. Et præterea,
quia iuxta determinationem Concilij Tri-
dent. ſeſs. 6. cap. 5. 6. & 7. diſpoſitio, veluti
contritio in nobis, non ſolum eſt diſpoſi-
tio ad receptionem gratiæ, ſed etiam ad in-
fuſionem. quia non ſolum hic recipit maio
rem gratiam habitualẽ, quam ille, quia me-
lius conteritur, ſed etiã Deus infundit huic
maiorem gratiam quam illi, quia melius cõ
teritur iſte quam ille: imo impoſsibile eſt
iſta duo ſeparari, quia tanta gratia recipi-
tur in me quantã Deus infundit, & tantam
Deus infundit quanta recipitur in me, &
per conſequens quantitas illius gratiæ con
menſuranda eſt iuxta menſurã meæ diſpoſi
tionis, ſiue gratia cõſideretur vt à Deo pro
cedens, ſiue vt in me recepta, & ſimiliter ſi-
ue gratia habeat eſſe per creationem, ſiue
educatur de potentia obedientiali animæ,
in qua ſententia magis apparet falſitas opi
nionis præcedentis.

Tertia ſententia. ¶ Tertia ſententia in hac re eſt Magiſtri So
to in 4. diſt. 15. quæſt. 3. art. 6. qui aſſerit di
ſpoſitionem. v. g. contritionem in eodem
inſtanti procedere, & ab habituali gratia,
& à libero arbitrio, & quod vt procedat à li
bero arbitrio eſt diſpoſitio ad gratiam, &
vt ſic eſt informis, poſterius vero natura
fieri, & formari à gratia. *Impugnatio iſtius ſententiæ.* ¶ Iſta tamen ſentẽ
tia non poteſt aliquam habere veritatem,
nam quando Soto aſſerit, quod motus ille
liberi arbitrij tam in Deum per fidem, quã
in peccatum per pœnitentiam, producitur
ſimul, & à libero arbitrio, & à gratia, quæ
eodem inſtanti infunditur, & paulò infra,
quatenus eſt à libero arbitrio non eſt meri-
torium, ſed diſpoſitio materialis ad gratiã,
vel talis diſpoſitio eſt à ſolo libero arbi-
trio, vel ab illo gratia adiuto, ſi à ſolo libe-
ro arbitrio, illa ſententia non ſolum eſt fal-
ſa, ſed erronea, quia voluntas nulla ratio-
ne poteſt operari contritionem ſine gratia
operante: cum implicet creaturam prius
operari, quam Deus cum illa concurrat, er
go implicat voluntatem noſtram elicere
actum dilectionis Dei vel deteſtationis pec
catorũ, quatenus eſt diſpoſitio ad gratiã ſi-
ne eo quod grã prius adiuuet noſtrã voluntatẽ,
& per conſequens illius gratię adiuuãtis nõ
poteſt eſſe diſpoſitio actus productus à vo
luntate adiuta per talem gratiam, patet ex
eo, nam talis gratia præintelligitur ipſi vo-
luntati operanti, ergo & præintelligitur
operationi, & per conſequens in nullo ge-
nere poteſt operatio illa diſponere ad il-
lam gratiam, ſed ad aliam infundendam, vel
educendam de potentia obedientiali ani-
mæ. Et præterea vt conſtat ex omnibus cõ
cilijs loquentibus contra Pelagium. Et ex
D. Tho. prima ſecundæ. quæſt. 112. arti. 2.
& 3. contritio non habet quod ſit vltima di
ſpoſitio ad gratiam in nobis ex vi ſolius li-
beri arbitrij, ſed maximè ex motione gra-
tiæ. ¶ Secundò autem improbatur prædi- *Secundo impugnatur.*
cta ſententia, ſi talis diſpoſitio eſt elicita à
voluntate prius voluntas eſt adiuta gratia,
quæro quæ ſit illa gratia adiuuans liberum
arbitrium, nam vel eſt ipſa gratia habitua-
lis, & hoc dici non poteſt in eius ſententia,
ſic enim nulla eſſet deteſtatio. Et præterea,
quia in illo ſigno naturæ nondum intelligi
tur gratia habitualis infuſa, & per cõſequẽs
actus qui eſt diſpoſitio non poteſt effecti-
uè procedere ab habituali gratia.

¶ Vltima ſententia, quæ in hac parte tenen *Vltima ſententia.*
da eſt ſumitur ex doctrina Doctoris in 4. di
ſtin. 14. quæſt. 2. nempe quod vltima diſpo
ſitio ad gratiam, ſiue ſit dilectio Dei ſuper
omnia, ſiue ſit contritio, vel deteſtatio pec
catorum habere eſſe effectiuè à voluntate
eleuata per auxilium Dei, non vero à gra-
tia habituali, propter quod Doctor ibi do
cet dabilem eſſe contritionem informem,
quia dabilis eſt actus deteſtationis elicitus
à voluntate cum auxilio Dei ſupernatura-
li. Vnde Magiſter Vega lib. 6. in cõcilium
cap. 35. obiectione. 7. reſpondet aliud eſſe
dilectionem Dei ſuper omnia non eſſe ſine
charitate infuſa, & aliud ipſa eſſe poſterio-
rem, & eius prioritatem requirere. Fate-
mur dilectionem huiuſmodi non eſſe ſine
charitate: mox nãque vt illa habetur Deus,
qui piger non eſt ſed prõptiſsimus ad amã
dum habentem illam redamat, & charitate
infuſa, & alijs præcellentibus donis exor-
nat, vt facilius libentius, & feruentius poſ-
ſit amare, ſed charitatẽ infuſam præcedere
hãc dilectionẽ, neq; poſſe abſq; illa haberi
cũ Dei adiutorio ſpeciali hoc negamus. Et
paulò infra, abſurdũ videt̃ dicere adimplen
dum

dū hoc pręceptū, ſcilicet dilectiōis Dei ſuper omnia, neceſſe eſſe, vt q in peccato ſit prius faciat pœnitentiam, nec poſſe ab eo immediatè impleri abſque præuia pœnitētia, cū potius Dei amor præcedere debeat, vt fiat vera pœnitentia. ¶ Dicet aliquis poſſe quidem, & ante habitam pœnitentiā impleri hoc præceptum, ſed vt impleatur dari à Deo charitatem & ipſam dilectionē cauſati à charitate, & poſteriorē ipſa eſſe, ſcio hoc vltimum nobiles authores defendiſſe de contritione. Mihi tamen vt cum venia eorum dixerim inintelligibile apparet dari à Deo charitatem propter dilectionem, vel contritionem, & tamen charitatē eſſe dilectionis, & contritionis cauſam, & ex cōſequenti ipſis priorem. Hactenus Magiſter Vega vbi ſupra. & lib. 5. cap. 4. prope finem explicat quomodo iſtę diſpoſitiones ſe habeant in ordine ad gratiam dicens, antecedunt enim noſtræ diſpoſitiones gratiam gratum facientem, & ſequuntur gratis datam nos præuenientem. Eandem ſententiam docet Pater Cordoua libr. 1. quæſtionarij. q. 2. concl. 4. Ad tertium argumentū contra illam circa finem. & ſumitur ex Diuo Bonauen. in. 4. diſt. 17. par. 1. art. 2. in ſolutione ad ſecundum. & videtur expreſſa D. Thom. 1. par. quæſt. 62. arti. 2. ad tertiū. in fine. vbi dicit, Tertia conuerſio eſt per quam aliquis pręparat ſe ad gratiā habendā & ad hāc nō exigitur aliqua habitualis gratia, ſed operatio Dei ad ſe animam conuertentis, ſecundū illud, conuerte nos Domine & conuertemur, & 3. p. q. 89. art. 1. ad a. ſic ait, actus primus pœnitētis ſe habet vt vltima diſpoſitio ad gratiā conſequendā, ſcilicet contritio. Alij vero ſequentes actus pœnitentiæ procedunt iam ex gratia & virtutibus, & 1. 2. q. 112. art. 2. in ſolut. ad 1. dicit quod præparatio hominis ad gratiā habendam quædā eſt ſimul cum infuſione gratiæ, & talis operatio eſt quidem meritoria, ſed nō gratiæ, quæ iam habetur, ſed gloriæ, quę nondum habetur. Eſt autē alia præparatio gratiæ imperfecta, quæ aliquādo præcedit donum gratiæ gratum facientis, quæ tamē eſt à Deo mouente, & in corpore docet, quod gratia ſumitur dupliciter, quandoq; enim pro habitu, quandoq; vero pro auxilio, & accipiēdo gratiam pro habitu, requirit præparationem aliquam in recipiente, quia nulla forma poteſt recipi niſi in ſubiecto diſpoſito, ſed ſi loquamur de gratia, ſecundum quod ſignificat auxilium Dei mouentis ad bonum, ſic nulla præparatio requiritur ex parte hominis quaſi præueniēs diuinum auxilium, ſed potius quæcunque præparatio in homine eſſe poteſt ex auxilio Dei mouentis animam ad bonum, & ſecundum hoc ipſo bonus motus liberi arbitrij, quo quis præparatur ad donum gratiæ ſuſcipiendum, eſt actus liberi arbitrij moti à Deo, & quantum ad hoc dicitur homo ſe præparare. Idem docet quæſt. 109. artic. 6. vbi dicit, hominem indigere auxilio gratię vt ſe præparet ad gratiam habitualem, non verò ad hoc indigere gratia habituali. Et 3. p. q 89. art. 1. ad 2. ponit differentiā inter primam & ſecundam contritionem, quod prima eſt diſpoſitio ad gratiam habitualē. Secunda vero procedit iam ab ipſa gratia habituali, & quæſt. 86. art. 6. dicit, cōtritionem vt partem ſacramenti efficere gratiam habitualem. ¶ Probatur tamen ratione, nā Deus in illo inſtanti, in quo homo conteritur infundit gratiam habitualem, reſpiciēs aliquomodo ad contritionem hominis, vt conſtat ex concilijs, & ex Sacra ſcriptura, ergo cum Deus gratiam infundit, vel reſpicit contritionē vt factam, vel vt in eodem inſtanti fiendam. Si primum, ergo euidēter colligitur contritionem illam non eſſe factā per ipſammet gratiam habitualem, quia impoſsibile eſt Deū videre in aliquo actionē vt iam factam ab illo, nō videndo in eo principium talis actionis. ¶ Præterea, quia totum hoc præcedit ſimpliciter infuſionē habitualis gratiæ. Si autē dicatur. Secundū nempe ꝙ Deus reſpicit contritionē in eodē inſtāti ſtatim faciendā, ſequitur gratiam nō infundi propter cōtritionē. tanquā propter diſpoſitionē, ſed potius infundi, vt qs contritionē habeat: atque adeo ꝑpter illam tanquā ꝑpter finē. ¶ Præterea, quia nullus actus procedit meritorius effectiuè, à forma, quam meretur, ſed cōtritio meretur ſaltim de cōgruo gratiā habitualē, ergo nō poteſt effectiuè eſſe à gratia habituali. ¶ Præterea cōtritio habet eſſe effectiuè à volūtate, & gratia, ergo præſupponit volūtatem & gratiā vt principiū ſui, ergo ſicut nō poteſt eſſe antequā ſit gratia voluntati cōiuncta, & antequam voluntas cum gratia operetur, nec poterit eſſe diſpoſitio ad illam, ſed ad aliam.

Noſtra ſententia probatur.

¶ Dicendum igitur eſt, quod omnis diſpoſitio ſiue in nobis, ſiue in angelis, qua vltimatè di-

tè diſponimur ad gratiam habitualem per motũ liberi arbitrij debere eſſe à volũtate effectiuè adiuta auxilio ſupernaturali, ad quod auxilium non requiritur alia diſpoſitio eſſet enim proceſſus in infinitum, & quia tale auxilium non reſpicit potentiam paſsiuam noſtræ voluntatis, ſed actiuam, quia non datur per modum formæ inhærentis, ſed per modum auxilij adiuuantis, vt in naturalibus etiam videre licet, poſſet enim Deus vires alicuius confortare, vel auxiliando vires, quas ille habet, vel conferẽdo illi maiores vires, ita & noſtram volũtatem poteſt confortare, vel conferendo illi formam, vel auxilium, & quamuis forma, vt operatiua reſpiciat potentiam actiuam potentiæ, vt forma autem reſpicit potentiam paſsiuam illius, auxilium autem quia non eſt forma tantũ reſpicit potentiã actiuam voluntatis ſiue cuiuſcunq; potentiæ.

Prima cõcluſio. ¶ Prima concluſio. Angeli in primo inſtanti receperũt auxilium ſupernaturale abſq; præuia aliquã diſpoſitione. Hæc concluſio cõmunis eſt, & patet ex eo, quia quæcunq; præparatio, quæ poteſt eſſe in Angelo ad aliquam formam ſupernaturalem, ſiue ad aliquid ſupernaturale, debet eſſe ex auxilio ſupernaturali Dei mouentis Angelum ad illum, ergo cum non ſit dandus proceſſus in infinitum, dicendum eſt non requiri aliquam diſpoſitionem in Angelis ad gratiam ſumptam pro auxilio ſupernaturali.

Secunda concluſio. ¶ Secunda concluſio. Angeli in primo inſtanti ſuæ creationis diſpoſuerunt ſe ad recipiendum gratiam habitualem per actum bonum liberi arbitrij adiuti auxilio ſupernaturali. Hæc concluſio duas habet partes, & quantum ad primam probatur argumentis vltimæ ſententiæ: quantum ad ſecundam patet ex eo quia Angeli diſpoſuerunt ſe ad gratiam ſuſcipiendam, ſed non ſe diſpoſuerunt per habitum gratiæ, ergo per auxilium. Minor probatur, nam inintelligibile eſt quod habitus gratiæ effectiuè cõcurrat ad productionem diſpoſitionis, & quod ipſa diſpoſitio antecedat ipſum habitum gratiæ. *Solutio.* Probatur antecedens, nã quando habitus gratiæ producit effectiuè diſpoſitionem, *Impugnatio.* vel intelligitur habitus gratiæ productus, vel non, ſi intelligitur productus antequam intelligamus productam diſpoſitionem, ergo non indiget diſpoſitione ad hoc quod producatur.

¶ Dices non indigere diſpoſitione ad hoc quod producatur, bene tamen ad hoc quod recipiatur in ſubiecto.

¶ Contra, habitus gratiæ non producitur extra ſubiectum, ſed in ſubiecto, ergo ipſum produci habitus gratiæ eſt informando ſubiectum. Patet ſequela, nam nũquam accidens eſt in ſubiecto, niſi informando illud, & per conſequens, ſi habitus gratiæ ad hoc quod ſit non indiget diſpoſitione, neque ad hoc quod ſit in ſubiecto diſpoſitione indigebit.

¶ Quod ſi reſpondeas, quod habitus gratiæ cum accidens ſit duplicem dicit relationem ad ſubiectum. Alteram informantis ad informatũ, alteram ſuſtentantis ad ſuſtentatum: & ratio eſt, nam ſubiectum ſuſtentat accidens, & hoc dicit perfectionem in ſubiecto, & imperfectionem in accidenti. Accidens vero informat ſubiectum tribuendo ſubiecto eſſe ipſius accidentis, & hoc dicit perfectionem in accidenti, & imperfectionem in ſubiecto, nam reſpectu huius informationis ſubiectum eſt in potentia paſsiua: accidens vero eſt actus. Iſtæ autem duæ rationes in accidentibus ſunt adinuicem ſeparabiles, vt patet in Sacramento altaris: vbi accidentia ſunt abſque ſubiecto informando, nam accidentia illa nullum informant ſubiectum, quia tamen ſubiectum ſuſtentat accidens in genere cauſæ efficientis, hinc communiter dicitur, quod corpus Chriſti Domini, quod ſub ſpeciebus realiter eſt, quanuis non informetur ab accidentibus tribuit tamen illis ſuſtentationem, quam tribuebat ſubſtantia panis, antequã deſineret eſſe per conuerſionem in corpore Chriſti tanquam inſtrumentum diuinũ, & ſic patet quomodo in accidentibus ſit illa duplex ratio adinuicem ſeparabilis. Et ſic patet ſecundo quomodo iſtæ duæ rationes habent ordinem inter ſe, & altera eſt altera prior, nam prius eſt quod accidens ſuſtentetur à ſubiecto, quam quod informet ſubiectum, nam prius eſt quod accidens prius habeat eſſe in ſe, quam quod tribuat eſſe alteri: non autem habet eſſe in ſe niſi ſuſtentatum à ſubiecto, & per conſequens, prius debet ſuſtentari à ſubiecto, quam tribuat eſſe ipſi ſubiecto per informationem illius, & informando illud, & cũ vnaquæq; forma ſecum ferat ſuam diſpoſitionem quã naturaliter producit, hinc prouenit, quod in illo priori, in quo intelligimus accidens ſuſtentari à ſubiecto, non intelligendo informa-

formationem illius, intelligimus etiam ip-
ſum accidens, quatenus aptum natum eſt
informare ſubiectum, non intelligendo in-
formationem illius, & in illo priori in quo
intelligimus accidēs illud aptum natum in
formare ſubiectum, & non intelligimus in
formās illud, eo ipſo intelligimus per mo-
dum naturalis reſultantiæ, & effectus, pro-
ducere diſpoſitionem, quam ſecum affert.
Quæ diſpoſitio ex natura ipſius diſpoſi-
tionis præcedit informationem ipſius acci
dentis in ſubiecto, vel expellendo formam
oppoſitam, vel præparādo ad introductio
nem illius, à qua talis diſpoſitio genita eſt.

¶ Quòd vt percipias aduerte regulam il-
Nota iſta. lam doctoris nempe, quod qualem ordinē
ſeruans aliqua vbi diſtinguuntur realiter,
talem ordinem ſeruant vbi diſtinguntur ra
tione; ſi igitur claritatis gratia, fingamus
quod Deus producit aliquod accidens ſiue
illud ſiue educēdo de potentia ſubiecti, & ꝙ
tale accidens ſuſtentetur à ſubiecto tātum,
taliter quod accidens illud non informet
illud ſubiectum, hoc enim non repugnat
potentiæ Dei, vt in accidentibus ſacra-
menti altaris ſecundum fidē manifeſte col-
ligitur, eo ipſo quod illud accidens eſt pro
ductum aptum natum eſt informare ſub-
iectum, quanuis non informet, quia eſt for
ma in actu primo. Et eo ipſo quo eſt forma
producit diſpoſitiones diſpoſitiuas illius
ſubiecti, cuius apta nata eſt eſſe formam in
actu ſecundo, & quod apta nata eſt informa
re, ſi poſtea talis forma informaret illud
ſubiectum, hoc eſſet medijs illis diſpoſitio
nibus ab ipſa forma in ſubiecto productis,
& tunc accidens illud, vel forma illa eſſet
prior, & poſterior illis diſpoſitionibus,
prior in genere cauſæ efficientis & quate-
nus eſt cauſa illarum diſpoſitionum, poſte
rior autem in genere cauſæ materialis, nē-
pe quatenus ad informationem, nam prius
eſt quod materia ſit diſpoſita per diſpoſi-
tiones productas ab illo accidenti, quam
quod illud accidens ſit forma in actu illius
ſubiecti. Nam inter formam, & materiam
debet eſſe proportio, & prior eſt propor-
tio inter materiam, & formam, quam quod
forma ſit actu forma illius materiæ, & per-
conſequens cū talis proportio fiat per diſ-
poſitiones illas productas ab accidenti in
ſubiecto, prius eſt illas diſpoſitiones eſſe in
tali ſubiecto, quā quod accidens, quod pro
duxit illas diſpoſitiones, ſit actu forma ta-
lis ſubiecti, nam formam eſſe actu formam
præſupponit proportionem inter materiā
& illam, & proportio præſupponit diſpoſi
tiones in materia, vel ſubiecto, & percon-
ſequens accidens ad hoc ꝙ ſit forma ſubie-
cti neceſſario præſupponit illas diſpoſitio
nes à ſe productas in tali ſubiecto. Si igitur
per temporis ſpatiū talis ordo ſeruaretur
& tunc facile appareret quomodo diſpoſi-
tio eſſet à forma, nempe ab accidenti effe-
ctiuè, & poſterior illa, quia effectus poſte-
rior eſt ſua cauſa, & quomodo eadem diſpo
ſitio eſſet prior accidenti illo, cuius eſt effe
ctus, quatenus accidēs illud forma eſt infor
mans, cum eundem ordinem ſeruent quan
do diſtinguuntur ratione, non erit difficile
intelligere, quomodo habitus charitatis
poteſt eſſe cauſa productiua diſpoſitionū,
& illæ diſpoſitiones diſponant ad ipſum
habitum charitatis, nā talis habitus eſt cau
ſa effectiua diſpoſitionum, quatenus habi-
tus chatitatis habet eſſe effectiuè à Deo, ſi
ue per creationem, ſiue per eductionem de
potentia obedientiali voluntatis, & quate
nus ipſemet habitus habet eſſe ſuſtenta-
tum à ſubiecto, eo enim ipſo quo intelligi-
mus habitum charitatis productum à Deo,
& ſuſtentatum à ſubiecto, eo enim ipſo in-
telligimus illum actum eſſe aptum natum
informare ſubiectum, & eo ipſo intelligi-
mus producere diſpoſitionem in ſubiecto,
& ſtatim intelligimus habitum illum infor
mare ſubiectum, & eſſe formam ſubiecti.

¶ Contra. Nam quanuis illa diſpoſitio, quę *Impugna-*
habet eſſe ab habitu præcedat ipſum habi- *tio.*
tum, quatenus eſt forma voluntatis, non ta
men diſpoſitio illa de qua in præſentiarum
quærimus, nempe actus liberi arbitrij adiu
ti habito illo charitatis. Probatur, nam ille
actus verbi gratia dilectionis Dei non po-
teſt elici à voluntate, niſi quatenus volun-
tas iam habet habitum productum, & in ſe
receptum, nam prius eſt quod voluntas ſit
informata habitu charitatis, quam quod vo
luntas eliciat actum dilectionis Dei ſuper
omnia, ergo talis actus dilectionis non po-
teſt eſſe diſpoſitio ad hoc, quod ipſemet ha
bitus ſit forma ipſius voluntatis. Antece-
dens patet nam habitus charitatis, non ope
ratur actum dilectionis Dei ſuper omnia,
niſi quatenus eſt coniunctus potentiæ, &
ex illo, & voluntate efficitur vna totalis,
vel completa cauſa, ſed non coniungitur
voluntati niſi per informationē illius, ergo

 ſicut

ſicut actus dilectionis præſupponit cōiunctionē habitus cum potentia, & talis cōiunctio preſupponit informationē, ergo & talis actus dilectionis Dei preſupponit informationem, & per conſequens talis actus dilectionis Dei non poteſt diſponere adhoc quod habitus charitatis informet ſubiectū nempe voluntatem.

Confir. 1. ¶ Confirmatur. Nam ſicut actus ſecundus, præſupponit actum primum potentia, ita præſupponit omnia illa, quæ requiruntur adhoc vt potentia ſit in actu primo. Sed nō eſt potētia in actu primo in ordine ad actū dilectionis Dei ſuper omnia, niſi habitus charitatis, informet illam, ergo actus dilectionis Dei ſuper omnia præſupponit iam informationem habitus charitate, & per conſequens nō poteſt diſponere ille actus talem informationem.

Confir. 2. ¶ Confirmatur ſecundo. Nam quanuis effectus immediate productus à forma poſsit eſſe diſpoſitio ad ipſam, vt recipiatur in ſubiecto, & informet illum, non tamē effectus productus à forma, & ſubiecto poteſt eſſe diſpoſitio ad hoc, quod forma informet ſubiectum. Probatur antecedens quo ad iſtam partem, nam forma ſimul cum ſubiecto, in quo eſt, non eſt cauſa alicuius operationis, ſecūdæ, niſi quatenus eſt iā in ſubiecto, ſed nō eſt in ſubiecto niſi per informationem, ergo præſupponitur informatio ad actum illum eliciendum, & per conſequens ille actus elicitus à forma, & ſubiecto, nempe potentia non poteſt diſponere adhoc quod ipſe habitus informet potentiam.

Solutio. ¶ Quod ſi reſpondeas, quod ille actus dilectionis Dei producitur à voluntate, & ab habitu, quatenus habitus reſpicit, potentiā actiuam voluntatis, nam charitas verbi gratia habet duo, & eſt habitus operatiuus, & eſt accidens, ſi cōſideretur quatenus eſt habitus operatiuus reſpicit potentiam actiuā voluntatis: quatenus, verò eſt accidens reſpicit potentiam paſsiuam, & quanuis ſit accidens operatiuum, ſi poſſet per ſe voiri potentiæ abſq; informatione poſſet ſimul cū potentia producere proprium actum, & quia etiam vt accidens eſt poteſt intelligi vnitus potentiæ, quatenus præſens illi eſt ſuſtentatus à potentia, quia vt dixi ſubiectum ſuſtentat accidens, ideo habitus vt ſuſtentatus à potentia abſque aliqua informatione poteſt producere actum cum ipſa potētia, qui actus eſt diſpoſitio ad hoc quod habitus informet potentiam.

Impugnatio. ¶ Contra hanc ſolutionem, ſic argumentor, nam habitus charitatis prius habet eſſe reale in potētia, quam poſsit ſimul cūm potentia operationem elicere, ſed nō potuit habere eſſe reale niſi intelligatur informās voluntatē, ergo, Probatur minor, nā eo ipſo quo intelligimus accidēs, intelligimus illud in ſubiecto, ergo intelligimus illud inhærens ſubiecto, & per conſequens operatio, quæ ſequitur ipſam vnionem cum ſubiecto non poteſt eſſe diſpoſitio ad talem vnionem. Probatur conſequentia nam diſpoſitio in aliquo genere præcedit illud ad quod diſponit, cum igitur illa dilectio ſupernaturalis Dei, quam Angeli in primo inſtanti ſuæ creationis habuerunt, non potuerit antecedere in aliquo genere ipſam vnionem habitus charitatis cum voluntate Angelorum, non potuit igitur eſſe diſpoſitio ad illam vnionem, & informationem habitus charitatis reſpectu ſui ſubiecti.

Secunda ratio. ¶ Secundò habitus charitatis ſimul cum voluntate Angelorum eleuata per auxilium, ſupernaturale fuit cauſa efficiens illius dilectionis ſupernaturalis: ergo illa dilectio ſupeenaturalis, non potuit diſponere ad habitum charitatis. Probatur ſequela nam effectus, cum ſit poſterior ſua cauſa, non poteſt diſponere ad hoc quod ſua cauſa ſit, nam effectus præſupponit cauſam ſecundum totum eſſe reale ipſius cauſæ, nullo igitur modo poteſt diſponere ad hoc quod ſua cauſa ſit.

Solutio. ¶ Quod ſi reſpondeas illam dilectionem non diſponere ad hoc quod habitus charitatis ſit, quia vel habet eſſe per creationem vel quia etiam ſi educatur de potentia ſubiecti, & animæ, ſubiectum verò, & anima non ſunt in potentia naturali, ſed tantum in potentia obedientiali, reſpectu Dei, vt educat formam ſupernaturalem, ſed tātum ad hoc quod ille habitus charitatis informet ſubiectum, vt in præcedentibus ſolutionibus ſæpe ſæpius dictum eſt.

Impugnatio. ¶ Cōtra, voltūas in primo inſtāti ſuæ creationis Angelorum erat potentia libera quo ad exercitium, & illa dilectio ſupernaturalis Dei, quam omnes Angeli in primo inſtāti ſuæ creationis habuerunt, tantum fuit neceſſaria quo ad ſpecificatiooem: fuit tamen libera libertate contradictionis, & quo ad exercitium, ergo potuerunt Aogeli illam,

non

non habere, ſed illa potentia fundatur in in differentia voluntatis Angelorum, quatenus eorum voluntas erat potentia actiua in ordine ad actum ſupernaturalem, non autē poterat eſſe potentia actiua niſi quatenus habitus charitatis informabat illam, ergo cum operatio ſequatur potentiam, & potentia ſequatur habitum informantem illā non igitur potuit illa dilectio diſponere ad informationem actus. ¶ Confirmatur. Nā prædicti D. Th. opinantes iuxta ſentētiam docent alibi, potentiam naturalem à Deo, eſſe in potentia paſsiua reſpectu actuum ſupernaturalium, vt ſi nō informetur per formam ſupernaturalem nullam habere potētiam actiuam reſpectu actuum ſupernaturalium, quia nulla potentia poteſt reduci ad actum, niſi per formam conſtituentem illā in actu, cum omne agens agat ſecundum quod eſt in actu, ergo ſecundum prædictos implicat dilectionem illam ſupernaturalē, eſſe diſpoſitionem ad illā informationem potentiæ per habitum. Probatur ſequela, implicat illam dilectionem eſſe diſpoſitionem ad hoc, ꝙ voluntas ſit potentia ſupernaturalis, quia illa dilectio præſupponit intrinſece & neceſſario volūtatem eſſe potentiam ſupernaturalem, quia effectus ſupernaturalis neceſſario præſupponit cauſam ſupernaturalem, ſed implicat ſecundū prædictos voluntatem eſſe cauſam ſupernaturalem, niſi ſit informata forma ſupernaturali, ergo implicat dilectionem illam ſupernaturalem eſſe diſpoſitionem ad illā informationem, patet ſequela, nam informatio illa intrinſece prēſupponitur ad eſſe ſupernaturale potentiæ, & eſſe ſupernaturale intrinſice præſupponitur ad operari, & perconſequens operari, vel dilectio illa ſupernaturalis non poteſt eſſe diſpoſitio in voluntate ad recipiendum habitum charitatis, & gratiæ.

Confir.

Solutio. ¶ Quod ſi reſpondeas, quod quanuis non poſsit eſſe diſpoſitio ad recipiendum habitum charitatis bene tamen poteſt diſponere ad recipiendum habitum gratiæ, quę eſt habitus realiter diſtinctus ab habitu charitatis, & in eſſentia animæ immediate ſubiectatus, & ſic non eſſe inconueniens quod actus ſupernaturalis elicitus à potentia ſupernaturali cata ſit diſpoſitio diſponēs animam ad recipiendum habitum gratiæ.

Impugnatio. ¶ Contra. Nam in primis in via doctoris hoc non poteſt ſuſtineri, cum ſecundū doctorem, gratia & charitas non diſtinguntur realiter, ſed ſunt prorſus idem habitus ſecundum quod reſpicit duplicem rationē, dicitur enim ille habitus gratia quatenus eſt terminus dilectionis diuinæ qua diligit nos in ordine ad finem ſupernaturalem, dicitur autem charitas quatenus illo diligimus Deum & proximum propter Deum, vnde ſi illa dilectio non poteſt eſſe diſpoſitio ad illum habitum quatenus eſt charitas, nec poterit eſſe ad eūdem quatenus eſt gratia, & ſecundo nec in via D. Thom. poteſt talis ſolutio ſuſtineri, nam gratia præſupponitur in illa doctrina ad charitatem ſicut eſſentia in naturalibus præſupponitur ad potentias, ergo ſicut implicat eſſe voluntatem priorem anima, ita implicat eſſe charitatem priorem gratia, & perconſequens implicat actum charitatis eſſe diſpoſitionem ad primam gratiam.

Tertia ratio. ¶ Vltimò. Si aliqua ratione dilectio illa ſupernaturalis potuit eſſe diſpoſitio ad gratiam, maximè vt prædicti authores dicunt ſecundum veram philoſophiam vltima diſpoſitio ad formam ſola prioritate naturæ ipſam formam antecedit, & quia effectus alicuius formæ poteſt in aliquo genere cauſæ dici prior ipſa forma, cum cauſæ ſint ſibi inuicem cauſæ, vt patet de cōtritione, quæ eſt ſimul tempore cum gratia, & eſt vltima diſpoſitio ad illam, ſed iſtæ rationes quanuis ſint in ſe veræ nihil tamen ad propoſitum probant, ergo. Probatur minor, nam illa vltima diſpoſitio ad formam quæ ſola prioritate naturæ ipſam formam antecedit eſt diſpoſitio, quę procedit à forma ex qua dam naturali reſultantia, & eſt effectus ipſius formæ neceſſario cōſequens ipſam, ita quod implicat intelligere formā qua in ſimul intelligamus ab illa talem diſpoſitionem procedere, & ſic iuxta ea quæ dixi reſpondendo ad primam probationē noſtræ concluſionis conando defendere oppoſitam ſententiam, nempe accidens duplicem habere reſpectum ad ſubiectum, &c. certiſsimum mihi eſt, quod eo ipſo quod accidens eſt productum, vel per creationem, vel per eductionem illius de potentia obedientiali, vel de potentia naturali ſubiecti, eo ipſo dicit intrinſecum ordinem ad ſubiectum tanquam ad ſuſtentans ipſum, & eo ipſo per modū naturalis emanationis producere ipſum accidens diſpoſitionem in ſubiecto, qua diſpoſitum, ſubiectum informatur

matur ab accidenti, ſed ille effectus qui antecedenter ſe habet ad informationem eſt immediate ab ipſo accidēti, & de hoc effectu vere dicitur quod in aliquo genere cauſæ eſt prior ipſa forma quod eſt intelligendum non quatenus forma habet eſſe abſolute, ſed quatenus habet eſſe formæ informantis, nam vt ſæpe ſæpius dixi, accidens, & habet eſſe à ſubiecto, & vt ſic non eſt forma ſubiecti, & ſecundo tribuit eſſe tali ſubiecto, & vt ſic eſt forma ſubiecti, & cū prius intelligatur accidens ſuſtentari à ſubiecto, quam quod tribuat eſſe tali ſubiecto, hinc prouenit facile intelligi quomodo effectus aliquis ipſius accidentis qui poſterior eſt ipſo accidenti, quatenus accidēs habet eſſe ſuſtentatum à ſubiecto habeat eſſe prius & ſit prior ipſomet accidenti quatenus eſt forma ipſius ſubiecti. De hoc igitur effectu intelligendum eſt quod effectus alicuius formæ poteſt in aliquo genere cauſæ dici prior ipſa forma cum cauſæ ſint ſibi inuicē cauſæ: ſecus autem de illo effectu, qui non eſt immediate productus ab accidente, ſed à potētia informata tali accidenti. Et illud exemplum de contritione probat noſtram ſententiam, nam contritio elicita ab auxilio ſupernaturali per voluntatem eſt diſpoſitio ad gratiā, & ad habitum gratiæ, & charitatis, vt in materia de pœnitentia late dicimus, at verò contritio elicita ab habitu charitatis nullo modo poteſt eſſe diſpoſitio ad ipſum habitum, vel ad primam gratiam, ex eo ꝙ talis contritio eſt non eſt effectus neceſſario cōſequens per modū naturalis reſultātiæ ipſum habitū contritionis, cum ſimul cum habitu reſpiciat potentiam tanquam cauſam illius, & non quomodocunque potentiam, ſed potentiam ſupernaturalizatam. Ita in propoſito dicendum eſt de dilectione, illa ſupernaturali qua Angeli diſpoſuerunt ſe ad gratiam quā in primo inſtanti receperunt, quod fuit actus elicitus à voluntate Angelorum per auxiliū ſupernaturale eleuata non autem fuit elicita ab ipſo habitu charitatis.

Ad argumenta pro prima ſententia. ¶ Reſpondetur argumentis pro prima ſententia, quod omnia illa probant noſtrā concluſionem cum noſtra concluſio, & ſententia ab illa tantum diſtinguatur in hoc, quod ille actus dilectionis ſupernaturalis Dei, ſecundū illos fuit elicitus à voluntate per habitū charitatis. Nos autē dicim⁹ eſſe elicitū à voluntate per auxilium ſupernaturale.

Ad argumenta pro ſecūda ſententia. ¶ Ad argumenta pro ſecunda ſententia, ad primum negando antecedens, & ad probationem, Reſpondetur naturam præſupponi ad gratiam prioritate, naturæ. *Ad primū* ¶ Ad confirmationem, reſpondetur negando ſequelam, nam cum ille actus naturalis, & ſupernaturalis ſint ſubordinati eadem menſura poteſt illos menſurare, vnde quāuis in illis ſint duæ menſurationes paſsiuæ vnica tantum eſt menſura actiua illos menſurans, dico vnicam ſecundum eſſe abſolutum ipſius menſuræ.

Ad ſecundum. ¶ Ad ſecundum reſpondetur negando antecedens, & ad probationem reſpondebitur infra quæſtione propria.

Ad tertiū. ¶ Ad vltimum reſpondetur iuxta ſecundā conclusionem. Hactenus de hac quæſt.

T E X T V S.

IDeò aliter declaro ſecundum, quia voluntas non ſimul vult mutabiliter, & immutabiliter, ſiue fixe, ita quod tunc in quantum elicit actum nō poſſet velle oppoſitum, & non fixe, ita quod tūc in quātum elicit actum poſſet velle oppoſitum, quando autem præmiatur vult immutabiliter hoc eſt in quantum conſideratur, vt iam eliciens actum, & per conſequens vt prius naturaliter ipſo actu comparatur ad illam, ſed quando meretur non ſic immutabiliter vult, ſed vt eliciens actum cōtingenter videtur elicere, diſtinctione. 5. Quæſt. 1. litera. A.

EXPLICATIO LITERÆ.

DOctor in hac litera reddit rationē quare Angeli prius meruerint ſuam beatitudinem, quā illam receperint, dicēs quod voluntas Angeli aliter ſe habet reſpectu ſuæ operationis in modo operandi illam ſecundum quod eſt in via, & aliter ſecundum quod eſt in termino, nam quādiu eſt in via vult ſuum obiectū mutabiliter, taliter quod de volente efficitur quandoque nolens, & de nolente volens, at vero eadem voluntas vt præmiatur, ita immutabiliter elicit actum circa obiectum beatitudinis immutabiliter vult illud, implicat autem voluntatem ſimul immutabiliter, & mutabiliter operationem elicere, ergo implicat voluntatem

tatem ſimul habere meritum, & præmium, ergo cum ſit ordo inter meritum, & præmium, prius Angeli meruerunt ſuam beatitudinem quam illam receperunt: vt autem plenior de hac litera habeatur notitia ſit quæſtio.

QVÆSTIO. IIII.

¶ *Vtrùm meritum, & præmium fuerint ſimul in Angelis*

Prima ſententia. PRima ſententia eſt Marſilij in ſecundo quæſtio. 4. art. 2. aſſerentis ꝙ idem actus fuit in meritum beatitudinis in Angelo, & beatitudo. Quam ſententiam docuit D. Thom. in ſecundo diſtinctio. 5. quæſt. 2. arti. 2. dicens & ideo videtur cum alijs dicendum quod meritum in eis non præceſsit præmiũ tempore, ſed natura, quod facile intelligi poteſt ex his quæ ſupra dicta ſunt. Sicut enim actus liberi arbitrij eſt diſpoſitio ad gratiã, ita actus informatus gratia eſt meritum gloriæ. Vnde vnus, & idem cõuerſionis motus eſt præparatio ad gratiam ſecundum quod eſt ex libero arbitrio, & meritorius gloriæ, ſecundum quod eſt gratia informatus, & iterum fruitionis actus ſecũdum quod completur per habitum gloriæ. Poteſt autem prædicta ſententia probari.

Primum argum. ¶ Primò. Nam non eſt repugnantia ſimul incipere gratiam & gloriam, ergo non repugnat Angelis ſimul habere actum meritorium, & beatum, Antecedens patet, quia non eſt repugnantia ſimul eſſe diſpoſitionem, & formam, vt dictum eſt in præcedenti quæſtione, nam in eodem inſtanti, quo primo eſt diſpoſitio neceſſaria in materia, forma ſubſtantialis inducitur, ſed meritum eſt diſpoſitio ad beatitudinẽ vt ad præmium, & gratia eſt diſpoſitio ad gloriam, ergo non repugnat ſimul habere gratiam, & gloriam, ſimulque habere meritum, & præmium.

Secundum argum. ¶ Secundò, Chriſtus Dominus ab inſtanti ſuæ cõceptionis meruit beatitudinem quã habuit in illo inſtanti, ergo non repugnat in eodem inſtanti eſſe meritum, & premiũ, Antecedens patet ex communi ſententia doctorum, qui omnes ponunt Chriſtũ beatum ab inſtanti ſuæ conceptionis, quod autem illam meruerit per proptium actũ patet ex eo, quia Chriſto Domino concedẽdus eſt perfectiſsimus modus habendi beatitudinem, talis autem modus eſt per meritum, ergo.

¶ Confirmatur primò, nam Chriſtus Dominus ſimul fuit viator, & comprehenſor, ergo ſimul habuit actum viatoris, & comprehenſoris, ſed hoc non poterat eſſe, niſi idem actus qui erat meritum eſſet, & præmium, ergo non repugnat eundem actum eſſe meritum, & præmium. *Confir. 1.*

¶ Confirmatur ſecundo, ex illo Iſaiæ. 40. Ecce merces eius cum eo, & opus eius cum illo, & Apocalyp. 5. dignus eſt agnus, qui occiſſus eſt accipere gloriam, & virtutem, ſed talis dignitas accipiendi gloriã fuit per meritum mortis, nam dicit ibi qui occiſſus eſt, ergo cum Chriſtus Dominus habuerit gloriam ab inſtanti ſuæ conceptionis, & illam meruerit, idẽ ergo fuit in Chriſto Domino meritum, & præmium, & per conſequens in Angelis non repugnat ſimul habere meritum, & præmium. *Confir. 2.*

Tertium argum. ¶ Tertiò. In eodem inſtanti, in quo Angeli fuerunt confirmati in gratia, fuerunt in termino, ſed in illo inſtanti in quo meruerũt fuerunt confirmati in gratia, ergo in eodem inſtanti in quo meruerunt fuerunt in termino: ſed in illo inſtanti in quo fuerunt in termino fuerunt beati, ergo ſimul fuerũt in merito, & in præmio.

Secunda ſenten. ¶ Secũda ſententia, fuit Magiſtri in ſecũdo diſtinctione. 5. aſſerentis Angelos prius hã buiſſe beatitudinem, quam illam meruiſſe, quia Deus contulit Angelis beatitudinem per ordinem ad illa bona opera, quæ ipſi facturi erant in miniſterio hominum, ſicut verbi gratia, ſi rex cõferret alicui arma pro prer illa opera, quæ ille facturus eſſet poſtea, & ſicut quandoque ſolent mercenarij conduci anticipata ſolutione.

Tertia ſententia. ¶ Tertia ſententia, eſt Ferrarienſis tertiò, contra gentes cap. 110. prope finem vbi, diſputans an Angeli in ſecundo inſtanti meruerint dicit, hæc dicta ſint ſequendo aliorum opinionem, dicentium Angelos bonos in ſecundo inſtanti meruiſſe, & accepiſſe beatitudinem, diligentius tamen conſiderando non videtur mihi demente S. Tho. eſſe quod aliqui Angeli in ſecundo inſtanti meruerint. Primo quia in. 1. par. quæſtio. 62. artic. 4. & 5. tenet non poſſe Angelum ſimul habere meritum, & ſuam fruitionem

nem mereri, cum vnum ſit gratiæ imperfectæ alterũ vere gratiæ perfectæ, & conſummatæ. Et etiã quia vt dicitur de veritate. q. vlti. artic. 6. ad ſtatũ merentis requiritur vt deſijt ſibi id, quod quis mereri dicitur.

¶ Secundò, quia ipſe ibidem artic. 5. renet quod Angeli per vnicum actum meritoriũ ad beatitudinem peruenerũt, quæſt. vero 63. artic. 5. &. 6. tenet quod omnes in primo inſtanti meruerũt, ex his enim duobus expreſſe ſequitur quod in ſecundo inſtanti non meruerunr, nam ſi in ſecundo meruerunt cum etiam meruerint in primo ſequitur quod non per vnum actum meritoriũ, ſed per duos ad beatitudinem peruenerũt.

¶ Si dicatur quod loquitur S. Thom. in illis locis de merito vt in via tantum, non antẽ de merito, vt in termino viæ. Hoc non videtur ſecundum mentẽ ipſius eſſe, nam quæſtione. 63. artic. 5. &. 6. vult quod cum dæmones meruerint in primo inſtanri fuiſſent in ſecundo inſtanti beati, niſi poſuiſſent obſtaculum peccando, ergo ſola abſentia impedimenti ſufficiebat ſecundum ipſum ad hoc, vt beatitudinem acciperent, non autem aliud meritum requirebatur.

¶ Præterea cum diligentiſsime in 1. par. de beatificatione, & damnatione Angelorum determinauerit, ſi eius intẽtionis fuiſſet duplex extitiſſe meritum in Angelis, vnum vt in via ſimpliciter, alterum vt in termino viæ, eſſet profecto reprehẽdẽdus quod de iſta meritorum diuerſitate nullam prorſus fecerit mentionem. Cum enim determinauerit Angelum per vnum actum meritorium ad beatitudinem peruenire; debuiſſet ſanè declarare de quo merito illud eſſet intelligendum. Nam & in 1. 2. quæſtio. 112. artic. 2. loquens de præparatione ad gratiã, cum viderit quod duplex erat ad gratiam præparatio, vna ſcilicet, quæ ſimul eſt cum gratia, alia quæ gratiam præcedit, de vtraque enim reſponſione ad primum fecit mentionem. Cum ergo de vno tantum merito Angelorum mentionem fecerit dicendũ eſt, quod in ipſis vnum dumtaxat fuiſſe meritum voluit, & illud quidem in primo ipſorum inſtanti propter quod ſequendo determinationem eius in 2. p. ſaluo ſemper meliori iudicio dicendum eſt primo, quod in proceſu Angelorum, ſiue ad beatitudinem, ſiue ad miſeriam, duo fuerunt inſtantia, in quorum primo abſolute loquendo nullo modo demereri, & peccare potuerunt, ſed bene potuerunt non mereri negatiue, & mereri, & de facto omnes meruerunt. In ſecundo vero pbruerunt abſolute, & mereri, & demereri, & de facto aliquid demeruerunt, & facti ſunt miſeri, alij verò facti ſunt quidem beati, ſed non meruerũt. Quod enim potuerint mereri, & nõ mereri negatiue, ideſt nullum habere meritum parer, quia in primo inſtanti meruerunt per actum liberi arbitrij, vt dicitur ibidem articu. 6. ergo potuerunt non elicere illum actum merirorium, alioquin ille actus non fuiſſet liber, liberras enim ad oppoſita ſe habet, ergo potuerunt carere merito. Quod vero in eodem primo inſtanti non potuerint peccare, & demereri probat S. Thom. quæſt. præallegata arti. 5. & de malo quæſtio. 16. artic. 4. ponens quod in primo inſtanti erant determinati ad bonum. Quod autem in ſecundo inſtanti abſolute loquendo potuerunt mereri manifeſte ex hoc conſtat quod cum aliquando mereri potuerint eo quod eſſent ad beatitudem ordinati, & eſſent creati in gratia, ſi non meruiſſent in primo inſtanti, ſicut poſsibile fuit eos non mereri in ſecundo inſtanti meruiſſent. Dicendũ eſt ſecũdo, ꝙ hac ſuppoſitione facta ꝙ in primo inſtãti omnes meruerũt, omnes quidẽ peccare, & demereri potuerunt in ſecundo inſtãti, ſed in ipſo nullus mereri potuit. Ratio primi eſt, quia non repugnat ꝙ Angelus in termino viæ per peccatum gratia priuetur, & ſimiliter ſit confirmarus in malo. Ratio vero ſecundi eſt quia repugnat meritum, & præmium in eodem inſtanti eſſe, cum vt dictum eſt meritum à gratia imperfecta proueniat, præmium vero à gratia conſummata.

¶ Quarta ſententia eſt Caiet. 1. p. q. 63. art. 6 aſſerentis, quod vt apparet ex quolibetis S. Thom. quolibeto. 9. artic. 8. via Angelorum ex duobus inſtantibus integratur, ſed alterum ita eſt via quod non terminus, alterum vero eſt ſimul via, & terminus. *Quarta ſententia.* Via in quantum eſt ex libero arbitrio. Terminus in quanrum conſummate à Deo perfunditur gratia. Quemadmodum in cõuerſione peccatoris ad Deum, idem inſtans eſt conuerſionis, & infuſionis gratiæ, & vniuerſaliter quemadmodum in inſtanraneis ſimul eſt fieri, & factum eſſe. Eſſe igitur ſecundum inſtans libertatis, & meriti, dupliciter intelligi poteſt, primo modo vt viæ diſtinctæ contra terminum, & ſic negatur. Alio

Aliomodo vt in termino viæ, & ſic concedi tur. Eſſe autem in termino ſtatum libertate merito, & beatitudine quo nã actus ille, vt inchoat ex libero arbitrio, & gratia meritorius eſt, in quantũ verò completur per glotiam beatitudo eſt, & ſic verificantur omnia dicta, & quod ſtatim poſt primum actum beatitudinem acceperint, & quod per vnum tãtum actum meritorium perue niãt ad beatitudinẽ, vnum ſcilicet, vt viam cum quo ſtat quod exigatur alter vt termi nus, & ſic ſtat quod poſt vnum vt viam poſ ſit impedimentum præſtari per alterum vt terminum. Via enim pura in vno conſiſtit, ſed aggregatum ex via & termino ex duobus actibus meritorijs, & inſtantibus conſtat; & paulo infra reſpondens ad duo argumenta doctoris, ſic ait. Ad primum reſpondetur, quod meritum duplieiter contingit viæ puræ, & vt termini, & quod terminum puræ viæ præcedit duratione præmium, ſed meritũ vt in termino poteſt eſſe ſimul cum præmio. Nec ſequitur quod ſimul ſit gratia perfecta, & imperfecta, ſed quod ſimul ſit terminus gratiæ imperfectæ, & gratia perfecta. Meritum enim quemad modũ dupliciter cõtingit ſcilicet, vt invia, & vt in termino, ita infert imperfectionẽ gratiæ, velut in via, velut in termino, & propterea ex ratione meriti rationabiter infertur quod merens prius duratione meruit quam præmiatus eſt, vt hic intulit S. Tho. non tamen infertur quod nullum inſtans meriti ſit inſtans præmij. Ex eo enim quod meritum oportet eſſe in termino viæ, & in via neceſſe eſt duratione præcedere præmium, & gratiã eſſe imperfectam ſecundũ ſtatum, ex eo vero quod poſt meritum viæ ſequitur meritũ termini neceſſe eſt ſimul eſſe meritum illius inſtanris cum præmio eſſe terminum gratiæ imperfectæ.

Vltima ſenten. ¶ Vltima ſententia eſt doctoris. Pro cuius explicatione, & totius quæſtionis eſt ſecũ

1. Nota. do notan. quod in hac quæſtione in aliquo conueniunt doctores ſcholaſtici, & in aliquo differunt, conueniunt quidẽ quia omnes fatentut inter inſtans creationis, & glorificationis Angelorum neceſſario opportet conſtituere aliquam durationẽ, ſiue mo rã in qua ſancti Angeli conſummarunt meritum ſuum, & in qua illorũ via fuit intrinſece terminata.

2. Nota. ¶ Secundò eſt notandum, quod prima mora, ſeu primũ inſtans Angelorum viatorum creationis fuit æqualis omnibus tam bonis quam malis, vt probat doctor ex D. Augu. ſuper Geneſ. dicente, quod Deus non diſcreuit inter Angelos bonos, & malos antequam ipſi diſcreuerint ſeipſos inter ſeipſos per ſuos actus. Ex quo infertur quod omnes tam boni quam mali fuerũt vniformes creati, quia in primo inſtanti non potuerunt diſcernere ſeipſos per ſuos actus. Etiã eſt certum quod totum tempus viæ, & mora illa, quæ fuit ab initio creationis vſque ad vltimum præmiationis, fuit æqualis in omnibus Angelis, tota igitur concertatio eſt, an fuerint duæ tantum moræ, tres vel quatuor inter creationem, & terminum.

¶ Tertiò eſt notandum, maximam eſſe dif- *3. Nota.*
ferentiam inter doctorem, & D. Tho. circa tempus Angelorum, nam D. Thom. & omnes Thomiſtæ docent quod iſtans Angelicum non eſt indiuiſibile ſecundum durationem, & menſuram per reſpectum ad noſtrum tempus, ita vt vni inſtanti Angelico ſolum correſpõdeat in noſtro tẽpore vnicum inſtãs, & nunc indiuiſibile, ſed inſtãtia angelica ſumuntur ab operationibus Angelorũ quæ ſe habent ſucceſsiuè, & cõſequenter. Itaq; vnum inſtãs Angeli eſt vna operatio eius cui in tẽpore poteſt correſpõdere diuiſsibilis menſura, verbi gratia quando aliquis Angelus dilligit rem aliquam hæc operatio toto tempore quo durat, vnico inſtanti menſuratur, quia eſt vniformis, & indiuiſibilis ſecũdum ſe, quo circa licet per diem, aut menſem perſiſtat in illa operatione, talis operatio vnico inſtãti menſuratur. Et quando diuertit Angelus ad aliam diſtinctam operationem, illa ſecunda menſuratur ſecundò inſtanti, & inſtantia, quæ reſpondent his operationibus ſunt tẽpus diſcretum. Ex quo patet quod diſtantia in Angelo ſunt mediata, & rurſus quod vnum inſtans Angeli ſecundum ſe eſt impartibile, ſicut ipſa operatio menſurata: nam vna operatio Angeli appellatur vnũ inſtans, qa eſt tota ſimul, & quandiu durat & perſeuerat, eſt omnino vniformis, & ſibi ſimilis, & penitus inuariabilis, ita vt ſi varietur, aut non ſit per omnia ſibi ſimilis, talis operatio nõ erit vnum, & idem inſtans. Ita Magiſter Zumel. ¶ Quam ſententiam docent etiam

Quorundã placitum. alij ibidem ſupponentes ex D. Tho. quæſtio. 62. artic. 5. ad. 2. quod inſtantia diuerſa in his, quæ ad Angelum pertinent, non accipiuntur niſi ſecundum ſucceſsionem in ipſo-

ipſorum actibus. Hinc ergo ſequitur, quod ſi Angelus perſeuerauerit vniformiter in actione, in qua creatus eſt, dum alius Angelus mutabat actionem, adhuc erat in vno inſtanti, dum alius erat in ſecundo inſtanti operans.

¶ Vnde ſupponunt ſecundo, quod non eſt vnum inſtans, nec vnum tempus Angelorũ quanuis ſit vnum æuum, ſed vnus quiſque Angelus ſecũdum ſuas actiones liberas ſuũ tempus, & ſua inſtantia, ſuis actionibus intrinſeca dabet. Quo ſuppoſito facile eſt intelligere, quod ſi Angelus in hodiernum diem in illa actione in qua creatus eſt vniformiter perſeueraſſet, adhuc eius actio vno inſtanti menſuraretur coexiſteti multo tempori noſtro.

¶ Neque cõtra hoc valet, quia vbi eſt prius & poſterius ibi eſt tempus, ſed in tali longiſsimo inſtanti qui durauerit per tot mille annorum eſſet prius & poſterius, ergo in alio inſtanti eſſet tempus, & per conſequẽs tale inſtans non poſſet eſſe indiuiſibile, præcipuè quod talis cognitio Angeli non poſsit ſimul cognoſcere omnia, quæ exiſtunt in tot millibus annorum. Reſpondetur enim ꝙ iſta differẽtia cognitionis dum plura, vel pauciora cognoſcit Angelus ſumitur per ordinem ad aliquod extrinſecũ abſque aliqua varietate ex parte principij, & ex parte obiecti formalis, vnde prius, & poſterius ſecundum coexiſtentiam ad aliquid extrinſecum non deſtruit indiuiſibilitatem inſtantis Angelici. Ita Magiſter Bañes quæſtio. 63. art. 6.

Doctoris ſenten. ¶ At vero ſecundum doctorem per has moras Angelorum non ſunt intelligendæ prædictæ operationes ſibi ſuccedentes, ſed intelligendum eſt tempus noſtrum diuerſimode tamen, quia vltima mora reſpondet toti tempori beatitudinis, ſcilicet, æternitati. Prima autem eſt quædam pars temporis breuiſsima in qua omnes Angeli habuerũt bonum motum liberi arbitrij in Deum, & adeo illa mora fuit breuiſsima vt fuerit inſtantanea. Secunda autem mora neceſſatio fuit in maiori tempore, nam fuerunt varia peccata & ſucceſsiua, malorũ Angelorum prius enim peccauerunt in Deum, ſecundo tentauerũt Angelos bonos iuxta illud Apocalyp. 12. factum eſt prælium magnum in cælo, ex quo ſequitur in Angelis malis fuiſſe duo peccata in ſecunda mora, ſcilicet, ſuperbiæ, & tentationis, qua tentauerunt bonos, quæ autem peccata fuere ſucceſsiua neceſſario, nam prius peccauerunt in Deum, deinde tentauerunt bonos, & cum non poſſit eſſe eadem operatio, neceſſario videtur dicendum plura eſſe inſtantia in malis quã tres moræ. Sumendum igitur eſt tempus Angelorum non ſecundum diuerſitatẽ operationum, ſed ſecũdum diuerſum ordinem ad tempus noſtrum.

Vlti. not. ¶ Vltimò eſt notandum, quod cum de via Angelorum nihil ſit definitum per ſcripturam, neque per reuelationem, ſit notũ, nec per Eccleſiam aliquid ſit determinatum, quanuis ſit certum Angelos aliquando fuiſſe viatores ſicut homines, qui alias non potuiſſent demereri: nihilominus tamen certiſsimum eſt Angelos prius fuiſſe creatos, & meruiſſe, vel demeruiſſe beatitudinem, & conſequutos eſſe beatitudinem, vel miſeriam.

Prima concluſio. ¶ Prima concluſio. Meritum, & præmium in Angelis non fuerunt ſimul in eodem inſtanti temporis, hæc concluſio eſt doctoris vt patet in litera, quam docet D. Tho. q. 62. art. 4. & Durand. in ſecundo diſtin. 5. quæſtione. 3. & probatur ex illo D. Pauli 1. ad Timoth. 2. non coronabitur niſi qui legitime certauerit, quæ authoritas etiam ad Angelos referri poteſt. *Prima ratio.*

Secunda ratio. ¶ Secundò probatur ratione, quia meritum neceſſario antecedit præmium, ergo Antecedens patet, nam meritum neceſſario includit actum fidei, ſed pręmium neceſſario includit actum viſionis beatificæ, implicat autem ſimul eſſe fidem, & viſionem de eodem obiecto, ergo & meritum eſſe ſimul cum præmio. ¶ Confirmatur, non poteſt aliquis eſſe in via, & in termino, ergo nec Angeli potuerunt ſimul habere meritum, & præmium. *Confir. 2.*

Secunda conclu. ¶ Secunda Concluſio. Angeli non receperunt immediate poſt primum inſtans creationis Beatitudinem ſupernaturalem. Hæc concluſio eſt doctoris contra D. Thom. & omnes Thomiſtas, & probatur. Nam inter creationem Angeli, & beatitudinem ſupernaturalem neceſſario conſtituendum eſt ſecundum inſtans, in quo mali peccauerunt, & boni potuerunt peccare, ergo poſt primum inſtans boni nõ receperunt ſuam beatitudinem. Probatur ſequela, nã ſi boni in ſecundo inſtanti fuiſſent beati, in illo inſtãti non poſſent peccare. Secundo probatur rationibus quas adducit Magiſter Çumel, *Prima ratio.* *Secundo probatur.*

1. p. quæſtio. 62. articul. 5. quia vel Angeli recepiſſent gloriam in ſecundo inſtanti ſine nouo merito, vel cum illo, ſed neutrũ horum eſt probabile, ergo. Prima pars maioris perſuadetur contra Ferrariẽſ. & alios quia mali Angeli habuerunt in primo inſtanti meritum ſicut boni, & tamen illud non fuit ſufficiens, vt propter illud beatifi carentur in primo inſtanti, ergo.

Solutio. ¶ Reſpondet Ferrara, quod mali Angeli in ſecundo inſtanti impedimentum poſue runt ipſi beatitudini, non tamen boni.

Impugnatio. ¶ Contra: nam ex hoc habetur intentum. Quia ſi poſuerunt impedimentum beatitudini mali Angeli in ſecundo inſtanti, ergo boni in eodem ſecundo inſtanti potuerunt ponere etiam ſimile impedimentum, & libere quidem non poſuerunt.

Primum coſectariũ. ¶ Quocirca duo colligo. Primum eſt, quod boni Angeli in primo inſtanti non fuerunt beati, quia potuerunt in illo peccare, ob id quod potuerunt impedimentum ponere beatitudini, quod ſane impedimentum nõ eſt aliud niſi peccatum. Secundo colligo

Secundum conſecta. quod habuerunt nouum meritum in illo, ſecundo inſtanti, quoniam libere non per ſtiterunt impedimento beatitudini, & id non fuit factum per puram negationem, ſed per quandam liberam conuerſionem in Deum, ad quam tunc ſpecialiter tenebantur Angeli, & quam habuerunt cum plena, & perfecta deliberatione, ergo illa non ſequebatur ex beatifica viſione, ſed illam antecedebat, alias libera non eſſet, ſed neceſſaria conuerſio.

Tertia ratio. ¶ Tertiò mali Angeli in ſecundo inſtanti fuerunt in ſtatu demerendi, & relicti ſunt cum ſufficienti libertate, vt ſi vellent poſſent beatitudini impedimentum obijcere, ergo pari ratione fuerunt etiam in ſtatu merendi boni Angeli. Patet ſequela, quia nulla eſt ratio cur fuerint in ſecundo inſtanti conſtituti extra viam magis, quam alij: quandoquidẽ ex parte meriti habiti in primo inſtanti fuit in ipſis quædam æqualitas proportionalis, iuuet Auguſt. 11. ſuper Genes. ad literam cap. 14.

Quarta ratio. ¶ Quartò. Mali Angeli in ſecundo inſtanti habuerunt cognitionem aliquam, quæ non fuit viſio beatifica, nam cum tali cognitione potuit eſſe peccatum, & poſſet eſſe meritum ſi ipſi voluiſſent. Igitur ſimilem cognitionem habuerunt tunc boni Angeli, ergo tunc potuerunt mereri.

Confir. ¶ Confirmatur, quoniam actus Angeli in primo inſtanti non fuit plene, & ex omni parte liber, ergo meritum eius non fuit cũ plena deliberatione: eſt autem irrationabile, & inconueniens, vt ante beatitudinis cõſummationem illã quis mereatur per actũ non plene liberum, ergo.

Solutio quorundã ad prædictas rationes. ¶ His argumentis reſpondent aliqui ex familia D. Tho. pro Ferrarienſi, quod cum inſtans Angeli ſit quædam ipſius operatio, & ſancti Angeli ante glorificationem ſolũ habuerunt vnam operationem, quæ dicitur vnum inſtans, idcirco dicuntur glorificati in ſecundo inſtanti. Illa verò operatio per ſpatium aliquod noſtri temporis durauit, & tantum quidem durauit, quantum meritum, & demeritum malorum Angelorum.

Impugnatio ſolutionis. ¶ Verum hæc reſponſio magis pertinet ad modum loquendi, quam ad rem ipſam, quo niam planè ſcimus, quod quando mali Angeli peccauerunt, boni merebantur, & non erant beati, quod principaliter intenditur. Rurſus dicit non poreſt propriè id ꝙ præceſsit Angelicam beatitudinem vnicum fuiſſe inſtans angelicum, ob id, quod vnum inſtans dicit vnam operationem non quomodocunque, ſed omnino inuariatam, & indiuiſibilem. Ibi autem neceſſario fuit aliqua mutatio, quia fuit aliqua deliberatio, quæ in primo inſtanti non fuit, atque adeo noua aliqua aduertentia: nõ ergo ſatisfacit iſtorum reſponſio.

Probat amplius Magiſter Çumel noſtrã concluſionem. ¶ Quia tamen Magiſter Çumel, addit ad prædictam concluſionem, quod intelligitur tam de ipſis inſtantibus Angelicis, quæ indiuiſibilia ſunt ſuo modo, quam ſecundum coexiſtentiam ad noſtrum tempus probata prima parte contra Ferraram, probat ſecundã contra Caietanum, eiſdem fere argumentis. Primo, nam Angeli in ſecundo inſtanti potuerunt præſtare impedimentum beatitudini, ergo peccare. Præ

Prima ratio. terea omnes Angeli in via cum eſſent viatores potuerunt beatitudini impedimentum obijcere, & hoc fieri non poterat niſi peccando, vt dictum eſt, ergo nulli dubium eſſe debet niſi quod potuerunt peccare.

Confir. ¶ Confirmatur, nam omnes Angeli in via potuerunt peccare, & non in primo inſtanti iuxta Diuum Thomam, ergo etiam in ſecundo, ergo in illo nullus fuit beatus.

Secunda ratio. ¶Profecto repugnantia eſt, quod in ſecundo inſtanti Angelus ſimul habuerit cognitionem fidei, & beatificam. Diſtinctio autē Caiet. de merito in via, vel in termino viæ, nec declarat rem, nec difficultatē diſſoluit, & principium petit, nam ille terminus viæ vt in illo poſsit eſſe meritum includit verū actū meritorium. Vnde nō eſt extrinſecus terminus, ſed intrinſecus ipſi viæ, & in illo deſinit via, non per primum non eſſe, ſed per vltimum ſui eſſe, & illud idem inſtans eſt intrinſecum initiatiuum præmij per primum eſſe illius, igitur in illo eodem inſtanti Angelus habuit omnia intrinſeca viatori, & omnia intrinſeca beato, ergo fidem, & viſionem ſimul quod repugnat. Quocirca dicere meritum eſſe in termino viæ nihil aliud eſt dicere quam meritum durare ſimul cum vltimo termino, qui eſt viſio beata, & idcirco in illa Caiet. diſtinctione petitur principium.

Confir. ¶Confirmatur. Nam eadē ratione quamuis nullum præceſsiſſet meritum in primo inſtanti Angelus in ſecundo poſſet mereri beatitudinem, & illam recipere, quod eſt incidere in opinionem Marſilij aſſerentis non eſſe de ratione viæ, & termini, quod ſit inter ſucceſsionem aliquam, ſed poſſe eſſe in eodem inſtanti, nam licet hoc aliquando non repugnet, repugnat tamen quando viator cōſtituitur per fidem.

Solutio. ¶Sed reſpondent aliqui, quod inſtans Angelicum (cum ſit duratio vnius actus eius) illud ſecundum inſtans fuit ex parte voluntatis vnus actus, ex parte tamen intellectus fuerunt plures, vnde ſecundum coexiſtentiam ad tempus Angelus non vidit Deum immediate poſt primum inſtans creationis, ſed tunc habuit ſecundum actum fidei, & dilectionis Dei, & poſtea durātē eodem actu dilectionis, intellectus Angelicus fuit eleuatus ad viſionem Dei, & quoniam continuauit eundē actum reputatur quaſi vnū inſtans, & ideò dicitur fuiſſe beatus in ſecundo inſtanti meriti, tamen in res non ſimul, nec eodem inſtanti indiuiſibili noſtri temporis fuit.

Impugnatio. ¶Iſta tamen reſponſio magis ſpectat ad modum loquendi quam ad veritatem, & ad rē, ideo videtur improprijſsimus loquēdi modus. Nam Angelica inſtantia potiſſime, & ſecundum communem, & extrinſecam menſuram magis ſunt conſideranda in actibus intellectus, qui eſt perfectior potentia, quam in actibus voluntatis, & forte non eſt verum quod idem numero actus dilectionis poſsit continuari in via, & in patria, & hoc admiſſo non poteſt eſſe dubium, niſi quod in tali actu fiat aliqua magna mutatio, & hoc ſufficit, vt non cenſeatur omnino idem inſtans quandoquidem non durat totaliter eadem omnino indiuiſibilis ratio.

Vltima ratio. ¶Vltimo, quia alias dici poſſet eadem ratione, quod Angelus ſanctus in eodem inſtanti, in quo fuit creatus meruit, & fuit glorificatus, quoniam ſimili ratione permanere poſſet in eodem actu dilectionis à principio creationis, vſque ad inſtans glorificationis. Valeant ergo iſtorum Theologorum ſententiæ.

Quid ſit ſentiēdum in ſententia D. Thom. explicat prædictus doctor. ¶Quod ſi quis quærat à prædicto Magiſtro quid ſentiendum ſit in ſententia Diui Tho. nam omnia ſupra dicta noſtram probant concluſionem, & ſententiam Scoti, Reſpondet quarta quadam concluſione, quod Angeli habuerunt plures actus meritorios concomitanter ſe habentes abſque ſucceſsione aliqua in illa mora, quæ fuit inter creationem, & glorificationem angelorum, & idcirco tota illa mora fuit vnicum inſtans Angelicum, & iſto pacto via Angelorū terminata, & cōſummata fuit in duobus inſtantibus in tertio autem inſtanti ſancti Angeli fuerunt glorificati. Hanc doctrinam dicit eſſe D. Th. & diſcipulorum eius hac noſtra ætate. Quam probat quoad priorem partem, nam ſancti Angeli in illo ſecundo inſtanti habuerunt actum fidei, & charitatis, qui ſunt diuerſi actus meritorij quibus correſpondent diſtincti gradus gloriæ, habuerunt etiam actum ſpei, quia etiā ſpes eſt medium neceſſarium ad ſalutē: habuerunt etiam actus humilitatis quibus ſe Deo ſubijcientes malorum Angelorum ſuperbiæ reſtiterunt, eoſque vicerunt, & rurſus habuerunt actum mutuæ dilectionis, & charitatis, qui etiam ſuo modo neceſſarius ad ſalutem videtur, & ſicut mali Angeli ſuperiores prædicarunt ſuperbiam ſuam inferioribus, ita boni induxerunt alios Angelos, vt in obedientia Dei perſeuerarēt cum humilitate: iſti autem omnes actus ſunt meritorij. Quod vero iſti actus ſe habuerint concomitanter in Angelo, abſque neceſſaria ſucceſsione breuiter perſuadet, & in primis cōſtat ſatis actum fidei, & charitatis ſimul eſſe in quantū act' volūtatis, cōmitanter requirit actum intellectus, ſibi proportiona-

tionatum, & idem conſtat de actu ſpei, quai quamuis per actum dilectionis, & ſpei voluntas Angeli, tendat in Deum, & in beatitudinem ſupernaturalem ſub diuerſis rationibus ſupernaturalibus, tamen quodammodo tendunt per modum vnius quatenus reſpiciunt eandem beatitudinem & quodammodo idem obiectum, & quatenus mutuo ſe iuuant. Nam ſpes excitat dilectionem, & quatenus etiam intellectus conſiderate poteſt beatitudinem, & Deum ſimul cum vtraque ratione boni, &c. De alijs autem actibus perſuadetur doctrina, quia ſicut Angelus non indiget diſcurſu ſucceſsiuo ad cognoſcenda principia, & concluſiones. Ita neque ad conſiderandum finem, & media maximè neceſſaria, ſed ſimul vtrumque proponit voluntati. Et eodem modo voluntas ipſa ſimul tendit in vtrumque, & reſpicit ſimiliter vtrumque per modum vnius. Omnes autem illi actus ſupra numerati fuerunt in Angelo tanquam media neceſſaria ad finem ſuum, & ob id ſimul, & ſine ſucceſsione potuit illos concomitanter exercere, & inde colligitur totam illam moram mediam inter creationem, & glorificationem fuiſſe vnicum inſtans Angelicum, & non tempus, quia tempus Angelicum non reſultat ex multis operationibus concomitanter ſe habentibus: ſed ex ſibi in vicem ſuccedentibus.

¶ Quod verò in Angelo non fuerit neceſſaria ſucceſsio plurimorum actuum eiuſdem ordinis, vel rationis, vt humilitatis, & ſpei patet ex ratione Diui Thomæ ſupra artic. ſecundo. Quia gratia proportionatur naturæ, natura autem Angeli id quidem poſtulat, vt ſine ſucceſsione cõſequatur ſuam perfectionem. Præterea cùm Angeli ſint immortales non poteſt deſignari terminus viæ eorum ex parte durationis ſubſtantialis, ac proinde deſignandus eſt ex parte operationis, idque valde congruit Angelicæ naturæ. Si verò poſt primum actum plene deliberatum Angelus non foret in termino viæ, nulla prorſus eſſet ratio cur conſtitueretur in termino poſt quemcunque actum deſignatum, quia profectò nulla potior ratio inuenitur in hoc.

¶ Quod ſi dicas Angelo meritum fuiſſe præſcriptum iuxta modum magis conformem Angelicæ naturæ, & conſequenter illam operationem fuiſſe ſolum ſpacium viæ, in qua conſummatum fuit meritum neceſſarium ad conſequedam gloriam ad quã Angeli erant ordinati, Reſpondet prædictus magiſter, quicquid ſit de tali præordinatione, tamen totum illud meritum potuiſſe conſummari in primo inſtanti plene deliberato.

¶ Et confirmatur iſta ratio: nam malis Angelis poſt primum actum plene deliberatum data fuit pœna, ergo pari ratione loquendum eſt de ſanctis Angelis.

¶ Confirmatur ſecundo, quia per vnum actum plene deliberatum circa finem, & media Angelus manet inflexibilis: igitur eo ipſo iam eſt ſufficienter diſpoſitus vt perueniat ad terminum.

¶ Magiſter Bañes dubitatione tertia cõcluſione ſecunda docet quod inter inſtans creationis quorundam Angelorum, & inſtans in quo glorificati ſunt, non fuit aliud inſtans, ſed ſuit duratio diuturnior primi inſtantis bonorum Angelorum. *Bañes.*

¶ Reſpondetur argumentis, Ad primum reſpondetur, quod quamuis non ſit repugnantia, ſimul incipere gratiam, & gloriam abſolute loquendo, eſt tamen inconueniens maximum ſimul incipere gratiam, & gloriam per modum meriti, id eſt quod ſimul ſint perfectum meritum, & perfectum præmium. Vnde quamuis non ſit inconueniens, vt idem inſtans ſit terminatus meriti, & initium beatitudinis, eſt tamen maximum inconueniens, quod in eodem inſtanti ſit perfectum meritum, quantum ad omnes ſuas partes, & ſit perfectum præmium, cum non poſsint eſſe ſimul actus fidei, & actus claræ viſionis. Ad probationem autem reſpondetur, non eſſe inconueniens ſimul eſſe diſpoſitionem, & formam, quando diſpoſitio, & forma ſunt eiuſdem rationis, & diſpoſitio non excludit formam, at verò meritum, vt beatitudo ſunt diſpoſitio, & forma quarum alterum, alterum excludit, nam meritum cum ſit via excludit terminum, & tendit in illum, & beatitudo cum ſit terminus excludit viam, & meritum, non enim poſſunt ſimul eſſe quod habeat quis viam terminatam, & quod quærat terminum. *Ad argu. reſpond. Ad primũ.*

¶ Ad ſecundum reſpondetur concedendo antecedens, & negando ſequelam, nam Chriſtus Dominus ab inſtanti ſuæ conceptionis habuit viſionem beatificam, & beatitudinem, ex vi vnionis Hypoſtaticæ, qui *Ad ſecundũ argum.*

qui modus habendi beatitudinem eſt perfectior quam per meritum.

Ad primã confir. ¶ Ad primam confirmationem reſpondetur Chriſtum Dominum quo ad portionẽ inferiorem, & quo ad gloriam corporis, fuiſſe viatorem, & quo ad portionem ſuperiorem, & quo ad gloriam animæ eſſe beatum, hoc autem fuiſſe peculiariſsimum in Chriſto, qui venit in redemptionem generis humani, quę peculiaritas non eſt ponenda in Angelis.

Ad ſecundã confir. ¶ Ad ſecũdã confirmationem, Reſ. ꝙ illa dignitas accipiendi gloriam non eſt meriti ad præmium, ſed dignitas perſonæ.

Secundo ſolutio. ¶ Vel ſecundo reſpondetur, quod in ſacra ſcriptura illud ſæpe dicitur fieri quando declaratur, & inoteſcit iuxta illud Matth. vltimo, data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra, non quia tunc illam habuerit de nouo, ſed quia tunc maſeſtabatur Chriſto datam fuiſſe ab initio.

Tertia ſolutio. ¶ Tertiò poteſt reſponderi ꝙ mors Chriſti Domini quantum erat ex parte ſua fuiſſet meritoria beatitudinis Chriſti Domini, ſi illam non haberet ab inſtanti ſuæ conceptionis ex vi vnionis hypoſtaticæ, & hoc eſt quod ſancti dicunt apud Ioan. dignus es Domine, qui occiſus es, ac ſi dicãt, tanti valoris eſt mors tua Domine, vt ſi beatitudo non eſſet tibi ab inſtanti tuæ conceptionis conceſſa propter dignitatem tuę perſonæ quæ eſt dignitas Dei hominis poteras mereri per illam, mortum beatitudinem quam habes.

Quarta ſolutio. ¶ Vel quarto reſpondetur, quod illa authoritas intelligẽda eſt de Reſurrectione quod meruit Chriſtꝰ Dominus per ſuam mortẽ, ſuam Reſurrectionem, & vnionem animæ cum corpore.

Ad tertiũ argum. ¶ Ad tertiũ reſpondetur concedendo maiorem, & negando minorẽ. Nam in primo inſtanti omnes Angeli meruerunt, & in ſecundo inſtanti alij merebantur. Alij verò peccabant, & quando illi peccabant, qui merebantur plenam habebant rationem meriti, & libertatis, quam non habuerunt in primo inſtanti, & ſic neceſſario aſsignanda ſunt tria inſtantia iuxta ea quæ diximus in ſecunda concluſione, in tertio autem inſtanti. Alij præmiati ſuot, alij vero in infernum detruſi.

QVÆSTIO V.

¶ *Vtrùm Angeli ſint conſequuti gratiam, & gloriam ſecundum quantitatem ſuorum naturalium.*

Primum argum. PRo parte negatiua eſt primũ argumentum: Gatia datur hominibus, & Angelis ex voluntate Dei, ergo non datur iuxta diſpoſitionem naturalium, patet ſequela nam voluntas Dei non reſpicit naturalem diſpoſitionẽ, imò vt D. Paul. ait 1. ad Corint. 1. infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia.

Secundum argu. ¶ Secundo. Si quantitas bonorum naturalium eſt maior diſpoſitio in Angelis, ſequeretur, quod cum æquali gratia plus merebitur vnus Angelus, quam alius, probatur ſequela, ſi vnus Angelus propter vehementiam conatus maiorem gratiam eſt aſſequutus, quam alius, ergo cum æquali gratia ſi habet vnus maiorem conatum, quam alius, maius meritum habebit quam alius, & per conſequens illud meritum reducendum eſſet ad naturales vires Angeli.

Tertium argum. ¶ Tertio Angeli præcipuè in ſententia Diui Thomæ diſtinguuntur ſpecie, ergo habent perfectionem naturalem ſpecie diſtinctam, & per conſequens nullus Angelorum habuit æqualitatem in gratia cum alio, & per conſequens cum homines aſſumantur ad beatitudinem, ad reparandum angelicam ruinam, videtur dicendum, quod nullus hominum habebit maiorem gloriam, quam Angeli haberent, & ſecundo quod nullus hominum haberet æqualem gloriam cum alio homine. Conſequens tamen falſum eſt, nam omnes pueri baptizati, qui decedunt ante vſum rationis, habent æqualem gloriam in cælo, ergo.

1. Not. ¶ Pro explicatione huius quæſtio. eſt notandum primo, quod cum gratia ſit forma ſupernaturalis, gratia à Deo conceſſa tam hominibus quam Angelis, quanuis in creatura rationali ſit capacitas, & potentia ſubiectiua reſpectu illius, non tamen poteſt natura rationalis habere aliquid per modum efficientiæ, quod ſit ex natura rei neceſſa-

neceſſaria diſpoſitio ad gratiã. Ex quo prouenit quod creatura rationalis indigeat auxilio ſupernaturali ad eliciendam operationem ſupernaturalem, quæ ſit diſpoſitio ad gratiam, & hoc adeò verũ eſt, vt nulla operatio naturalis quantumcunque moraliter bona poſsit diſponere ad gratiam loquendo de diſpoſitione quæ propriam rationem diſpoſitionis habeat, quanuis talis operatio naturalis bona poſſet appellari diſpoſitio de congruo, non quod vera diſpoſitio ſit, ſed quia cognita miſericordia Dei, & voluntate erga homines congruum videtur vt conferat Deus auxilium ſupernaturale, illi qui bene vſus eſt auxilijs naturalibus. Diſpoſitio tamen ad gratiam quæ veram debet habere rationem diſpoſitionis debet eſſe actus ſupernaturalis, quia vltra eius ſupernaturalitatem requiritur ex parte Dei ordinatio & peculiaris lex conferẽdi gratiam taliter diſpoſitis. Vnde operationes Angeli, & hominis, quantumcunque ſint elicitæ ab auxilio ſupernaturali, nõ diſponũt ad gratiã ex natura ſua, ſed po ſitra lege, & ordinatione diuina: quare duo requiruntur ad hoc quod aliquis actus ſit diſpoſitio ad gratiam. Primum eſt quod ſit operatio ſupernaturalis, ſecundũ eſt quod ſit ordinata à Deo ad infuſionem gratiæ, & in hoc diſtinguũtur diſpoſitiones ad gratiam à diſpoſitionibus naturalibus in ordine ad formas naturales, nam diſpoſitiones naturales ex ſuo iure, & ex propria vi ſunt diſpoſitiones ad naturalem formam, quam attingunt educendo de potentia materiæ, ſicut verbi gratia calor eſt diſpoſitio naturalis ad formam ignis educendam de potentia materiæ, & propter hoc non indiget aliqua ordinatione, at verò cõtritio verbi gratia, vel dilectio Dei ſuper omnia elicita ab auxilio ſupernaturali conſiderata ex vi ipſius non educit gratiam de potẽtia animæ, cum grãtia gratis conferatur, & ſic indiget ordinatione diuina ſtatuente, contrito, & diligenti Deo ſuper omnia Deum collaturum eſſe gratiam.

2. *Notab.* ¶ Secundò eſt notandum, quod cum operatio ſupernaturalis ſit aliquomodo naturalis, ideſt actus elicitus à potentia naturali eleuata per auxium ſupernaturale, quæ eleuatio non extrahit potentiam naturalem à ſua ratione, & genere, quanuis conſtituat illam in genere cauſæ ſupernaturalis, nam intellectus quantumcunque eleuatus lumine gloriæ ſemper manet intellectus hominis & Angeli, ſicut homo, & Angelus quantumcunque beati ſemper remanet eſſe naturale hominis in illo, & ſimiliter eſſe naturale Angeli in Angelo, ita potentia naturalis quantumcũque eleuetur ſemper manet potentia naturalis, licet ſupernaturalizata, & cauſa ſupernaturalis: Cum igitur operatio ſupernaturalis ſit aliquomodo naturalis, hinc prouenit regulariter loquendo, quod Angeli, qui meliorem naturam habuerunt, fortius, & efficacius conuerſi ſint in Deum, & per conſequens quod copioſiorem acceperint gratiam iuxta proportionem conatus, non taliter quod naturalis conuerſio Angeli in Deum fuerit diſpoſitio ad ſuſcipiendam gratiam, ſed quod quemadmodũ perfectiori naturæ Angelicæ voluit Deus ſua gratuita voluntate perfectiorem etiam gradum gratiæ conferre, ita illi Angelo, qui maiori conatu naturali ſe conuertebat in Deum authorem naturæ, voluit liberaliter copioſius, & efficacius auxilium præſtare, vt efficatius, & feruentius ſe conuerteret ad ſupernaturalem conuerſionem in Deum authorem gratiæ. Itaque in omnibus voluit Deus ſeruare quendam modum proportionis in Angelis inter naturalia, & ſupernaturalia, taliter quod quia Deus ex ſuo beneplicito infundebat Angelis gratiã voluit habere rationem naturæ illorum, ita vt perfectioribus Angelis, & altioris naturæ vberiorem infunderet gratiam, quare quanuis Deus prius noſtro modo intelligendi decreuerit Angelum aliquem ad altiorem gradũ gratiæ eleuare, quam ipſum producere in maiori perfectione naturali, poſtea tamen in executione conferendi gratiam, contulit illam iuxta proportionem illius gradus perfectionis naturalis, & totum hoc reducendum eſt ad voluntatem diuinam, quæ prius noſtro modo concipiẽdi voluit conferre Angelo talem gradum gratiæ, & ſtatim talem gradum naturæ, & poſtea tribuit in executione talem gradum naturæ, & vltimo in executione gradum gratiæ correſpondentem perfectiori gradui naturæ, vnde perfectioribus Angelis ſecundum naturam conceſſa fuit perfectior gratia, non quia per modum cauſæ finalis habuerunt perfectiorem gradum naturæ, ſed quia Deus voluit talem gradum gratiæ conferre perfectiorem gradum naturæ contulit.

Prima cõclusio. ¶Prima concluſio. Omnia dona ſupernaturalia omnibus creaturis intellectualibus cõceſſa à diuina pendent voluntate, tanquam à propria cauſa, & menſura. Hæc concluſio communis eſt apud omnes catholicos, & probatur, ex illo D. Pauli, 1. ad Corin. 12. vbi poſtquam dona Spiritus ſancti connumerauit ſtatim ſubdit, hęc omnia operatur vnus, & idem ſpiritus diuidens ſingulis prout vult. Quæ authoritas non ſolũ in gratijs gratis datis verum habet, ſed etiã in gratia gratũ faciẽte verificatur, nã gratia gratũ faciens non ex debito niſi Chriſti, qui factus eſt nobis iuſtificatio ſanctificatio, & redẽptio, creaturis rationalibus ſed gratis confertur. Cum igitur gratia gratum faciens ſit donum ſupernaturale, multo dignior gratijs gratis datis, eius collatio referenda eſt in voluntatem diuinam, tanquam in propriam cauſam & menſuram.

Secunda conclu. ¶ Secunda concluſio. In Angelis aliqua ratio diuerſitatis inuenitur quantum ad dona ſupernaturalia ex parte ſubiecti, licèt non in ordine ad voluntatem diuinam. Hæc cõcluſio patet ex eo, nã quanto Angelus fuit ſuperior tãto maior gratia fuit illi collata, ſed illud quanto non dicit cauſam efficientem, nec finalem, ergo dicet cauſam materialem. ¶ Secunda autẽ pars probatur, quia non fuit illis gratia data ex eo ꝙ gratia fuit cõmenſurata perfectioni naturę, imò perfectio naturæ fuit cõmenſurata gratiæ dãdæ, ergo menſura gratiæ datæ erit ex parte ſubiecti perfectior natura Angelorum, quatenus ordinata eſt à Deo perfectior ad recipiendum perfectionem gratiæ.

Tertia conclusio. ¶Tertia cõcluſio. Angelus ſupremus ſi naturam eius libertatis attẽdamus potuit cũ maiori gratia minus conari. Hæc concluſio patet ex eo, nam ſicut liberum fuit Angelo conſentire vocanti, ſic intra latitudinẽ ſuæ virtutis liberum eſt ei quantũ voluerit conari, poteſtque modo intẽſius, modo remiſſius agere cum gratia illi collata, quanuis inclinabat voluntatem ad conatũ ſibi æqualẽ, non tamẽ illam neceſsitabat, & ſic poterat voluntas Angeli elicere actum illi æqualẽ, vel multo meliorem. Quid autem egerit Angelus Deus ſcit.

Ad primũ argum. ¶ Reſpõdetur argumẽtis. Ad primũ reſpõdetur cõcedendo antecedens, & diſtinguẽdo ſequelã, vel per modũ diſpoſitionis, vel per modũ finis, vel per modũ ſubiecti. Per modum finis, verum eſt, verũ per modum ſubiecti diximus iam quomodo Deus contulit Angelis perfectioribus, perfectiorem gratiam, nõ quia perfectior natura eſſet ratio motiua Dei ad conferendum perfectiorem gratiam, ſed quia ex eo quod Deus voluit cõferre aliquibus perfectiorem gratiã contulit perfectiorem naturam.

Ad ſecundũ argum. ¶ Ad ſecundũ reſpondetur negando ſequelam, nam ratio meriti tota ſumenda eſt ex ratione gratiæ, & per conſequens, cũ æquali gratia etiam ſi duæ potentiæ agerent ſecundum vltimũ ipſarum, vna non produceret maius meritum quã alia. Sicut verbi gratia ſi homo, & Angelus haberent equalem lumen gloriæ, æqualem haberent viſionem Dei quãuis intellectus Angeli ſit multo perfectior intellectu hominis, quia actiuitas intellectus, & cuiuſcunq; potentiæ naturalis attenditur penes auxilium ſupernaturale, ſiue ſit per habitum, ſiue per ſolũ auxilium quo talis potentia eleuatur. Vnde cum intellectus Angeli quantũcunque perſpicaciſsimus, ſit in ordine ad obiectum ſupernaturale nullam habeat proportionem, nec actiuitatem, tota eius actiuitas reducenda eſt in actiuitatem auxilij, ergo ſi auxilia fuerint æqualia in homine, & Angelo erit, & actiuitas æqualis in homine, & Angelo.

Ad tertiũ argum. ¶ Ad tertium reſpõdetur, quod illud dictũ commune, quod homines aſſumuntur in cælum ad reparandum ruinam Angelorum ſumendum eſt in bono ſenſu. Vnde non eſt dubitandum beatiſsimam Virginem in merito excedere quemcũque Angelorum etiam ſupremũ, imò excedere omnes Angelos ſimul, & omnes ſanctos, & nulla eſt ſanctitas creata quæ attingat ſanctitatem Virginis in aliqua pura creatura, cæteris enim virginibus præſtatur gratia per partes, Maria verò tota ſe infudit plenitudo gratiæ, eſt enim exaltata vt canit Eccleſia ſuper choros Angelorum ad cęleſtia regna. Imò & de alijs hominibus pie credendum eſt maiorem attigiſſe gradum glorię, quam aliqua Angeli, vt de beato Petro, vt de beato Ioannes Baptiſta.

QVÆSTIO VI.

¶ *Vtrùm in Angelis beatis cum cognitione ſupernaturali, & beatifica remaneat cognitio naturalis.*

PRO

Primum argum. Pro parte negatiua eſt primum argumentum, vna operatio naturalis cum maximo conatu elicita non compatitur ſecum aliam operationē naturalem, ergo nec cognitio ſupernaturalis cognitionem naturalem. Patet ſequela, nam cognitio beatifica cū ſit operatio perfectiſsima omnē conatū intellectus poſtulat. Antecedens autem probatur, nam intellectus non poteſt ſimul intelligere plura, quia non poteſt habere conarum circa plura, iuxta illud commune dictum, contingit ſcire multa, intelligere vero vnum, ergo.

Secundū argum. ¶ Secundo, cognitio perfectiſsima omnem cognitionem imperfectam excludit, ſed cognitio beatifica eſt perfectiſsima, ergo cū cognitio naturalis ſit imperfecta omnem cognitionem naturalem excludet.

Tertiū argumen. ¶ Tertiò. Nam alias ſequeretur poſſe dari cum viſione beatifica cognitionem fidei.

1. Nota. ¶ Pro explicatione huius quæſti. eſt not. quod in beatis poſſumus conſiderare tria genera actuum & habituū. Primum eſt eorum quæ ſunt tanquam media, & præuiæ diſpoſitiones, ad conſequendam beatitudinem, ſicut fides, & ſpes, quæ ſunt non ſolum media, verum & præuię diſpoſitiones, & talis habitus & eorum actus omnino ceſſant poſt beatam viſionem.

¶ Alij ſunt ſtatui beatitudinis ſubordinati, & veluti fundamenta requiſiti, cuiuſmodi ſunt quæ pertinent ad naturæ integritatē, & perfectionem, & iſti manent cum beatitudine ſupernaturali. ¶ Alij ſunt media quidem ad beatitudinem conſequendam, qui tantum repugnant ſtatui beatifico, quantū ad modum operandi, quem habent in via, non tamen ſecundum ſuam ſubſtātiam, vti dona Spiritus ſancti quæ manent in patria ſeclaſa illa imperfectione.

2. Nota. ¶ Secundò eſt notandum aliquas cognitionis eſſe incompaſsibiles cum viſione beatifica, ex eo, quod earum imperfectio reddit intellectum incapacem ad viſionem beatificam, vel ex eo quod viſio beatifica reddit intellectum in capacem ad illas propter naturalem repugnantiam, quæ eſt inter illas cognitiones, ſicut verbi gratia cognitio fidei, & cognitio beatifica non ſunt ſimul cōpoſsibiles, ex eo quod cognitio clara & cognitio obſcura non ſunt ſimul compoſsibiles de eodem obiecto, at vero cognitio naturalis, & ſupernaturalis non ita ſe habent, nam cognitio naturalis non opponitur cognitioni ſupernaturali, ſed illi ſubordinatur, & per conſequens naturalis cognitio non impedit ſupernaturalem, nec ſupernaturalis naturalem excludit cognitionem.

Conclu. ¶ Concluſio. Beati ſimul cum cognitione beatifica poſſunt habere actum cognitionis naturalis. Hæc cōcluſio probatur, quia in Chriſto Domino ſimul ſunt, & fuerunt ſcientia beata infuſa, & naturalis: actus beatificus, & naturalis, ergo & in reliquis beatis.

Probat. 2. ¶ Secundò, quoniam cognitio naturalis nō opponitur ſupernaturali: ergo ſimul poteſt eſſe cum ſupernaturali: probatur antecedēs, quia cognitio naturalis ſupernaturali ſub ordinatur, habet aliud principium nempe ſpecies intelligibiles infuſas, vel acquiſitas quæ non repugnant ſtatui beatifico, & aliud medium, nempe lumen naturale quod nō opponitur lumini ſupernaturali, ergo.

Ad primū argum. ¶ Reſpondetur argumētis, ad primum reſpondetur, quod intellectus beati ex eo quod videt Deum non eſt impeditus ad cognoſcendum naturalia per cognitionem naturalem, quia conatus intellectus angelici pò tius perficitur per cognitionem beatificā, quam minuatur, imò quantò maiorem viſionem beatificam habent, meliorem poterūt cognitionem etiam naturalem elicere. Hoc enim poſtulat ſtatus beatitudinis, vt potentię non ſolum non minuantur in ſuis operationbus, quinimo perficiantur.

Ad ſecundum argu. ¶ Ad Secundū reſpondetur, quod cognitio perfectiſsima excludit quoque cognitionem imperfectam, quando illæ cognitiones ſunt eiuſdem rationis, & per idem medium, at verò cognitio beata, & naturalis non habent idem medium, quia altera habet pro medio lumen gloriæ, altera habet lumen naturale, quæ duo lumina non ſunt intellectui in compoſsibilia.

Ad tertiū argum. ¶ Ad tertium reſpondetur, negando ſequelam propter repugnantiā quæ eſt inter actum beatificum, & actum fidei.

DISPVTATIO XVII. DE MALITIA ANGELORVM

Continet decem Quæſtiones.

PRima, Vtrùm naturæ alicui rationali, vel intellectuali poſsit conferri à Deo impeccabilitas per naturam.

Secunda, Vtrùm Angeli in primo inſtanti potuerint peccare.

Tertia, Vtrùm primum peccatum Angelorum fuerit ſuperbia.

Quarta, Vtrùm Angelus malus potuerit appetere æqualitatem Dei per æquiparantiam.

Quinta, Vtrùm Lucifer peccauerit appetēdo vnionem Hipoſtaticam.

Sexta, Vtrùm ſecunda illa mora in qua mali Angeli peccauerunt fuerit indiuiſibilis, & inſtantanea.

Septima, Vtrùm Angeli mali, antequam peruenirent ad terminus viæ, potuerint pœnitere, vel reſipiſcere.

Octaua, Vtrùm ſi Angelus pœniteret, veniam, & miſericordiam inueniſſet in Deo.

Nona, Vtrùm Angelus, qui primo peccauit, fuerit ex ſuperiori ordine Angelorum.

Decima, Vtrùm peccatum primi Angeli fuerit alijs cauſa peccandi.

TEXTVS.

DIcō igitur ad quæſtionē, quod nō poteſt fieri talis natura, ſiue voluntas quæ ſit impeccabilis per naturā. Diſtinctione. 23. Quæſt. Vnica. litera. C.

EXPLICATIO LITERÆ.

DOctor in hac litera hanc aſsignat concluſionem. Implicat poſſe produci aliquam naturam rationalem impeccabilem per naturam. Hanc concluſionē docet doctor eſſe magis conformē dictis ſanctorum circa quam ſit quæſt. 1.

QVÆSTIO. I.

¶ *Vtrùm naturæ alicui rationali, vel intellectuali poſsit conferri à Deo impeccabilitas per naturam.*

DE hac re eſt prima ſententia Gabrielis in ſecundo diſtin. 33. q. Vnica concluſio. 2. Pro qua aduertit, primo quod volūtas eſt vis appetitiua, & quod appetit⁹ eſt duplex, ſcilicet, naturalis, & cognitiuus. Appetitus naturalis non præſupponit cognitionē in appetēte. Appetitus autem cognitiuus adhuc eſt duplex (ſecundum duplicem cognitionem, ſcilicet, ſenſitiuam, & intellectiuam) nempe ſenſitiuus, & intellectiuus, & cum voluntas ſumatur quandoque pro quolibet appetitu (largiſsimè ſumpta) ideò diuiditur in voluntatem naturalem, ſenſitiuam, & rationalem, vel intellectiuam. Alio modo accipitur large pro quolibet appetitu cognitiuo, & ſic dicit Magiſter in tertio diſtinctione. 17. cap. 1. humana voluntas eſt affectus rationis; vel affectus ſenſualitatis. Et alius eſt affectus animæ ſecundum rationem, & alius ſecundum ſenſualitatem, vterque tamen dicitur humana voluntas. Tertio modo accipitur proprie pro ſolo appetitu rationali, ſeu intellectiuo, hoc eſt pro appetitu præſuponente cognitionem intellectiuam. *Prima ſententia.*

¶ Secundo aduertit, quod voluntas rationalis (de qua ad propoſitum) dupliciter poteſt accipi, vno modo vt includit eſſentialiter libertatem, idest, vt ſupponit pro intellectiuo appetitu connotando eum eſſe liberum ad oppoſita contradictoriè, ad bonum; (ſcilicet) & malum: alio modo vt non includit libertatem, ſed dumtaxat ſupponit rationem cognoſcentem, ſiue ſit determinata ad ſequendum rationis iudicium ſiue non, videlicet voluntas non poſſit in actu, niſi prius obiectum ſibi oſtendatur per rationem; non enim poteſt in incognitum, non tamen cogitur, ſe conformare iudicio rationis, imò poteſt actum elicere ad oſtenſionem obiecti per rationem contra dictamen rationis. His præſuppoſitis hanc aſsignat concluſionem: quamuis accipiendo voluntatem propriè, & vt includit libertatem, Deus non poteſt facere voluntatem impeccabilem per naturam, accipien-

piendo tamen voluntatem, vt non includat eſſentialiter libertatem, quæ dicta eſt, ſed pro appetitu rationali (id eſt) pro appetitu præſupponente cognitionem intellectiuā ſimpliciter, Deus poteſt facere voluntatē per naturam impeccabilem. Hanc ſuam ſententiam probat primò, Deus poteſt creare voluntatem neceſſario ſe cōformantem regulæ ſuæ, & talis non poſſet peccare, ergo. Minor patet, quia voluntas faciendo id ad quod eſt neceſſario determinata, non peccat, ſi quidem nemo peccat in eo quod vitare non poteſt. Maior probatur, quia Deus produxit appetitum ſenſitiuum neceſſario determinatum ad cognitionem ſenſitiuam, ita quod non poteſt non appetere conuenienus oſtenſum per ſenſum, nec declinare iudicium ſenſus, ergo poteſt creare appetitum rationalem qui non poſſet declinare à iudicio rationis. Patet conſequentia, quia nulla poteſt aſsignari ratio diuerſitatis.

Primum argum.

¶ Secundò, Deus poteſt creare appetitum rationalem qui tantum haberet affectionē commodi, & nō iuſtitiæ, & ille ſemper ſtaret in illa affectione commodi, ergo ſicut appetitus viſiuus apperit commodum viſibile ſibi conueniens naturaliter, & non libere, ſic voluntas illa neceſſario appeteret commodum & non poſſet libere velle iuſtitiam, ſeu iuſtè, ſed omnino ex impetu, ſicut appetitus ſenſitiuus, & nihil libere, licèt obiectum ſuum eſſet apprehenſum, & ſibi oſtenſum per intellectum, & ita eſſet voluntas rationalis, & ideo non poſſet peccare, ſicut nec brutum, & ſic loquitur Ambroſ. in lib. de caſu diaboli, quod ſi voluntas Angeli fuiſſet creata in ſola affectione commodi non peccaſſet, quia nō poteſt eſſe debitor iuſtitiæ, qui iuſtitiam non accepit. Hæc iuſtitia non intelligitur niſi innata libertas, qua poteſt appetere id quod eſt debitum ſecundum legem ſuperioris.

Secundum argum.

¶ Tertiò, nullam includit contradictionem eſſe voluntatem neceſſario determinatam ad dictamen rationis, & talis per naturam peccare non poſſet, ſed omne quod non includit cōtradictionem Deus poteſt facere, ergo. Probatur maior, quia poteſt eſſe appetitus rationalis non liber, ſed determinatus ad dictamen rationis, ſiue rectum, ſiue erroneū, ſicut appetitus ſenſitiuus determinatus eſt ad addictamen ſenſus formale, vel virtuale, ergo poteſt eſſe appetitus determinatus ad dictamen rationis, ita quod nō poſſet contra dictamen rationis, & poſſet nihilominus in diuerſa obiecta libere ſecūdum dictamen rationis, quando (ſcilicet) ratio dictaret plura bona, nec vnū alteri præferret, tunc voluntas libere poſſet ex his vnum eligere, aliud dimittere, nec in hoc peccaret, quia non ageret contra dictamen rationis.

Tertium argum.

¶ Quartò, poteſt prædicta ſententia perſuaderi, nam poteſt Deus facere voluntatem aliquam quæ neceſſario tendat in aliquod bonum tanquam in finem, ergo & poterit facere, quod iſta voluntas neceſſario tendat in omne ordinatum ad illum finem. Antecedens patet ex Diuo Aug. 13. de Trinitate cap. 3. 5. & 8. vbi dicit quod omnes volunt neceſſario beatitudinem. Conſequentia probatur, nā eadem neceſsitate qua aliquid tendit in finem, tendit, & in ea, quæ ſunt ad finem.

Quartum argum.

¶ Quintò, poſſe peccare nō eſt libertas, nec pars libertatis, ſed quod non eſt de eſſentia alicuius poteſt per potentiam Dei ſaltem ſi eſt abſolutum fieri ſine illo, ergo liberum arbitrium eſſe ſine potentia peccandi non implicat contradictionem. Maior eſt Diui Anſelmi de libero arb. cap. 2. & 3.

Quintum argum.

¶ Sextò, Deus poteſt facere creaturam impeccabilem per gratiam, ergo & per naturam. Antecedens patet de Angelis confirmatis. Conſequentia probatur, quia Deus poteſt facere in creatura quidquid non repugnat limitationi creaturæ, ſed non repugnat naturæ limitatæ: quod Deus creet aliquam creaturam in qua vnitiuè contineatur perfectio charitatis, vel gratię quia charitas eſt quid finitum, ſicut & gratia, & ideo non poſſunt iſta facere creaturam infinitam licet vnitiuè contineantur in ea, & ita videtur cum Deus poſsit omni creatura data nobiliorem creare, quod poſsit creare creaturam in tali gradu entitatis, quod vnitiuè contineat perfectionem charitatis, & gratiæ. ¶ Confirmatur, quod non opponitur alicui creaturæ poteſt illi concreari, & per conſequens poteſt eſſe ſibi connaturale, ſed gratia, & charitas non opponuntur creaturæ rationali, ergo poſſunt eſſe illis connaturales.

Sextum argum.

Confirm.

¶ Secunda ſententia, eſt Durand. in ſecundo diſtinctione. 23. quæſtione. 1. aſſerentis poſſe Deum facere aliquam creaturam rationalem impeccabilē per naturam in naturalib⁹. Pro quo aduertit eſſe impoſsibile

Secunda ſententia.

eſſe peccatum in voluntate, niſi præcedente aliquo defectu in ratione, ſiue ille defectus ſit error, vel neſcientia, vel inconſideratio, ac per hoc patet quod ſi poteſt communicari creaturæ, quod ex naturalibus ſemper actu, & ſine errore conſideret omnes circunſtãtias, ex quibus aliquid poteſt iudicari eligibile, vel fugibile, vel etiam ſi hoc actu conſideret, quando aliquid occurrit eligendum, vel fugiendum, quod talis creatura eſſet impeccabile per naturam, ſi vero non, non. ¶ Secundo aduertit, ꝙ eligibilia, & circunſtantiæ eligibilium, aut deducuntur ſolum ex principijs legis naturæ, aut deducuntur ex principijs, & dictamine legis ſupernaturalis, puta ſidei.

Primum dictũ Durand. ¶ His præſuppoſitis dicit primo circa eligibilia, & circunſtantias eligibilium quæ deducuntur ſolum ex principijs legis naturæ, Deus potuit facere & forte fecit creaturam impeccabilem per naturam. *Probatur primo.* Hanc concluſionẽ probat primo, quia maioris ambitus ſunt ea quæ deducuntur ex primis principijs ſpeculabilibus, quam illa quæ deducuntur ex primis principijs practicis, quia plura ſunt cognoſcibilia à creatura, quã agibilia per ipſam; ſed Deus poteſt facere (& forte iam fecit) creaturam quæ actu cognoſcit omnia ſpeculabilia naturalia, & omnes habitudines eorum naturales, vel ſaltẽ dum cognoſcit actu aliquod ens naturale actu videt in eo omnes habitudines, & circunſtantias, vt patet in Angelis, qui non per diſcurſum, ſed intuitiuè vident (vt supponitur) in natura rei quæcunque ei attribuuntur naturaliter, vel ab ea remouentur, ergo ſimiliter poteſt alicui creaturæ communicari, vel iam communicatum eſt, quod actu & ſine errore conſideret, omnia agibilia ab ipſa, vel ſaltem dum occurrit aliquid diligendum actu, & ſine defectu videt omnes circunſtantias, ſecundum quas illud eſt eligibile, vel non eligibile, hoc autem in exiſtente, creatura peccare non poſſet, ergo.

Probatur ſecundo. ¶ Secundò, ſicut eſt gradus in corporalibus ſic & in ſpiritualibus, ſed eſt aliquod corpus quod ex gradu ſuæ naturæ habet non ſolum quod ſit in ſe perfectum, ſed etiam in operatione actuali: quo ad omnia illa quæ ſunt, & quæ eſſe poſſunt, ſic, vt ſtatim vt eſſent, actioni ipſius ſubijcerentur, vt patet de ſole, vel ſaltem de corpore cæleſti, ergo ſimiliter in creaturis ſpiritualibus eſt dare aliqua, quæ non ſolum ſit perfecta in ſe, ſed etiam in propria operatione reſpectu omnium aliorum, quæ ſunt vel eſſe poſſunt, ſic quod ſtatim vt eſſet, actioni eius ſubijceretur: operatio autem propria ſubſtantiæ ſpiritualis, eſt intelligere, ergo poterit dari aliqua ſubſtantia ſpiritualis, quæ non ſolum ſit perfecta in ſe, ſed etiam in ſua operatione. His autem ſtantibus non poſſet peccare, ergo dabilis eſt creatura, quæ quo ad legem naturalem ſit impeccabilis per naturam.

Secundum dictũ Durand. ¶ Secundò autem aſſerit Durand. quod ſi aliquid iudicetur eligibile per deductionem factam ex altioribus principijs, puta ſidei, quod reſpectu talium nõ poteſt creatura eſſe impeccabilis per naturam, ſuppoſito, quod hanc legem acceperit, alioquin contra eam peccare non poſſet, quia lex nullum ligat, antequam data ſit. Hanc concluſionem probat ex ipſa ratione terminorum, nam cognitio talium principiorum, aut deductio ex ipſis non poteſt haberi per naturam.

¶ Secundò, quia vbicunque poteſt eſſe error, vel inconſideratio debitarum circunſtantiarum rei eligibilis, ibi poteſt eſſe defectus, & peccatum debitæ electionis, ſed in omni creatura poteſt eſſe error, vel inconſideratio debitarum circunſtantiarum rei eligibilis (circunſtantiarum dico, quæ ſumuntur ex lege ſupernaturali fidei, vel diſciplinæ. Has enim nulla creatura poteſt cognoſcere ſecundum ſe cum dependeant ex mera Dei voluntate, ſed noſcuntur ex diuina reuelatione, & ſemel reuelatæ, non ſemper conſiderantur quoties illud eligendum occurrit, ſaltem hoc non habet conditio creaturæ, imo contrarium. Nam ſicut intellectus noſter propter ſui imperfectionem diſcurſiuus eſt reſpectu intelligibilium naturalium, nec ſimul omnes conditiones eorum apprehendit, ſic intellectus angelicus imperfectus reſpectu ſupernaturalium intelligibilium, nec ſimul omnes conditiones eorum apprehendit (ergo) quãuis dabilis ſit creatura impeccabilis quoad ſolum dictamen rationis naturalis, nulla tamen creatura intellectualis poteſt eſſe impeccabilis per naturam quo ad eligibilia quæ deducuntur ex principijs legis ſupernaturalis fidei, vel diſciplinæ.

¶ Aſſerunt tamen nõnulli, aliud fundamentum poſſe poni ad fundandam prædictam veritatem, nempe quod Angelus habet ne-

ceſſario naturalem dilectionem ſui finis na turalis,quæ ſanè dilectio vltimi finis eſt re gula omnium electionum, & per cõſequẽs, cum in omni actu ſemper habeat neceſſario regulam coniunctã bonæ electionis,nõ poſſet à tali regula deficere. Ratio autem huius fundamenti, ea eſt, nam Angelus ſemper diligit neceſſario Deum, vt obiectum naturale,& per conſequens non poteſt voluntas ab eo ſeparari, quia voluntas non poteſt neceſſario adhærere alicui vltimo fini, quin remaneat quantum ſibi eſt poſsibile omne id quod poteſt auertere à tali fine, & ideo non poteſt voluntas deficere ab illo fine, neque in ordine ad talem finem pecca re. Ex quo infertur eſſe aliã rationem in Angelo in ordine ad finem ſupernaturalẽ, & aliam in ordine ad finem naturalem, nam in ordine ad finem naturalem habet Angelus neceſſariam dilectionem quam non habet in ordine ad finem ſupernaturalem.

¶ Tertia ſententia eſt quorundam aſſerentium voluntatem Angeli non poſſe creari impeccabilem, vt non poſſet ſi velit defectuoſam habere electionem, & contrariam rectæ rationi, non ſolum ſupernaturali, ſed etiam naturali. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quoniam voluntas creata cum ſit libera poteſt libere tendere in quodcunque obiectum, & quamuis neceſſario tenderet in bonum infinitum, non tamen neceſſario tendit in quodlibet illud, quod ad talem finem eſt ordinatum, quia in illis non eſt perfecta ratio boni, & ſi etiam tenderet in finẽ neceſſario, non ſequitur quod tenderet in omne ꝙ eſt ad illũ finẽ neceſſario debitũ. Quam ſententiam docet Doctor in hac diſtinct. 23. in ſolutione ad ſecundum. quam etiam docent multi ex diſcipulis Diui Thomæ dicentes quod quamuis ſecunda ſupradicta ſententia (nempe Durandi) aperte doceatur à Capreolo, & Caieta. & dicat eſſe ſententiam D. Tho. præcipuè in quæſtionibus de malo. quæſt. 16. artic. 3. Nihilominus tamen dicunt prædicti, ſe non videre, qua ratione id conſiſtere poſsit. Et primo de malis Angelis non eſt dubium, niſi quod modo peccant circa naturalia, nam odio habent Deum, cum ſit præceptum naturale de non habendo tale odium. Nec valet recurſus, quod mali Angeli ſunt in malo ſtatu, quia cum ab illis non auferantur naturalia, ſi naturaliter eſt inclinatus ad diligendũ Deum finem naturalem, & ad media reſpectu illius finis vtrumque neceſſario diliger. Conſequens autem hoc falſum eſt in illis, ergo. ¶ Secundò, quia D. Thom. dicit quod peccatũ Angeli forſan in eo fuit quod plus nimio delectatus eſt naturalibus ſuis, non eſt ergo certum in doctrina D. Tho. quod Angelus non poſſet peccare circa Deum ſi nem naturalem. ¶ Tertio probatur hæc ſententia authoritate Dionyſij cap. 4. de diuinis nominibus. vbi habet, quod Angeli fuerunt mali, quia infirmati ſunt circa operationem naturalem. ¶ Quartò probatur ratione ſufficienti, quia ad peccatum nõ oportet quod ſit in intellectu error poſitiuus, ſed ſatis eſt quod ſit inconſideratio. Verbi gratia, aliquis homo poterit peccare per hoc quod deſinit aduertere ad aliquas circunſtantias, quæ requiruntur ad rectè operandum, cum ergo Angelus circa naturalia poſsit habere inconſiderationem, quia non omnia quæ habitualiter ſcit, actualiter cõſiderat, ſed diuertitur ad alia, quare deficienti actuali conſideratione circunſtantiarum deerit aliqua circunſtantia, & ſic erit actus malus. ¶ Secundò dicunt prædicti in hac quæſtione quod ſi oppoſitum tenentes volunt ſentire quod non poſſunt peccare Angeli eligendo malum, quod verè malum ſit, & ex ſe, bene quidem dicunt, ſed illud non debere negari à perito Theologo, ꝙ poſsit peccare Angelus eligendo bonum, ſed nõ recto ordine, quia deficit circunſtãtia, quæ deberet eſſe in tali electione, & hoc modo poteſt Angelus peccare, vt habet expreſsè D. Tho. in hoc arti. ad quartum. vbi ſic ait, ad quartum dicendum, quod peccatum in actu liberi arbitrij cõtingit eſſe dupliciter. Vno modo ex hoc, quod aliquod malum eligitur, ſicut homo peccat diligendo adulterium, quod ſecundum ſe eſt malum, & tale peccatũ ſemper procedit ex aliqua ignorantia, vel errore. Alioquin, id quod eſt malum nõ eligeretur vt bonum. Errat quidẽ adulter in particulari eligens hanc delectationem in ordinati actus, quaſi aliquod bonum ad nunc agendum, propter inclinationem paſsionum, aut habitus, etiam ſi in vniuerſali non erret, ſed veram de hoc ſententiam teneat. Hoc autem modo in Angelo peccatum eſſe non potuit, quia nec in Angelis ſunt paſsiones, quibus ratio aut intellectus ligetur, vt ex ſupradictis patet, nec iterum primum peccatum habitus præcedere potuit ad peccatum inebrians.

¶ Alio

Tertia ſententia fundamenta huius ſententiæ.

Primum dictum.

Probatur primo.

Probatur ſecundo.

Tertio probatur.

Quarto probatur.

Secundum dictum.

¶ Alio modo contingit peccare per liberum arbirrium eligendo aliquid, quod ſecundum ſe eſt bonum, ſed non cum ordine debitæ menſuræ, aut regulæ. Itaquod defectus inducens peccatum ſit ſolum ex parte electionis, quæ non habet debitum ordinē, niſi ex parte rei electæ, ſicut ſi aliquis eligerer orare, non attendens ad ordinem ab eccleſia inſtiturum. Er huiuſmodi peccatum non præexigit ignorantiam, ſed abſentiam ſolum conſiderationis eorum quę conſiderari debent, & hoc modo Angelus peccanit conuertendo ſe per liberum arbitrium ad proprium bonum abſque ordine ad regulā diuinæ voluntaris. Hactenus Diuus Thom.

Probatio Thomiſtarum. ¶ Accedit etiam huic doctrinæ fundamentum quorundam ex familia D. Tho. qui fatentur quod ſtante plena conſideratione in ratione ſpeculatiua poteſt eſſe defectus ſolum in iudicio practico, & conſequenter in voluntate. *Obiectio aliorum.* Quanuis alij expoſitores Diui Tho. recentiores dicant fundamētum hoc ſupponere eſſe peccatum in voluntate nullo exiſtente defectu in intellectu, quod eſt contra Ariſt. & philoſophos morales dicētes, quod omnis peccans eſt ignorās, imo contra Sacram ſcripturam Prouerb. 14. vbi legimus errant omnes qui operantur malum, quare S. Tho. 1. 2. quæſt. 58. artic. 2. & quæſt. 77. artic. 2. aperte probat, voluntatem non poſſe deficere, niſi ſit defectus in intellectu. Ita & Durandus in ſecundo diſt. 7. & 23. quæſt. 1. Et ratio eſt, quia manifeſtum per ſe videtur non poſſe intelligi aliquem eſſe in vniuerſis ſuis actibus prudentiſsimum conſideratum & circunſpectum, & nihilominus eſſe vitioſum. Nam prudentia poſtulat concomitantiam virtutū. Vnde ſi intellectus conſideraret hic, & nunc, hoc eſſe prauum, & deforme rationi, non videtur intelligibile, quod ſtante actuali iudicio voluntas illud eligat, niſi ex vehemēti aliqua paſsione, & prauo habitu feratur. Et hinc prouenit, vt in inſtanti electionis intellectus auertat conſideratione̜ ab hoc obiecto in particulari, & à malitia eius, & quod abſolutè iudicet, eſſe ſibi conueniens hic, & nunc, quod ita eſſe ſufficienter docet experientia. Quocirca, quando non eſt paſsio, neque prauus habitus, nec aliquid aliud trahens voluntatem & excæcans rationem impoſsibile apparet voluntatē deficere ſi intellectus perfectè actualiter conſideret omnia neceſſaria.

Solutio. ¶ Sed prædicta obiectio non impugnat præcedentem ſententiam aſſerentem voluntatem Angeli in naturalibus eſſe peccabilem ex inconſideratione, vt dictum eſt ibi: & talis inconſiderans vel non aduertēs propriè dicitur ignorans, & in tali actu nō eſſet prudentiſsimus conſideratus, & circunſpectus, & ſic poſſet fieri vitioſus. Et præterea, quia dato quod Angelus reſpectu obiecti naturalis nō poſſit habere inconſiderationem, adhuc tamen haberet voluntatem vertibilem in vtrāque partem, cum (ſi per poſsibile, vel impoſsibile) Deus infunderet illi habitum vitioſum poſſet voluntas per illum habitum inclinara velle malum ſub ratione boni apparentis ab intellectu oſtenſum malum ſimpliciter, vti de voluntate adulteri docet Diuus Thom. & ipſi farentur de prauo habitu trahente voluntatem.

¶ Quarta ſententia eſt expoſitorum recentiorum D. Tho. 1. par. quæſt. 63. arti. 1. aſſerentium voluntatem Angeli eſſe impeccabilem circa legem naturalem, non tamē circa legem ſupernaturalem. *Quarta ſententia.* *1. Notab.* Pro cuius explicatione aduertunt nonnulla. Primum eſt, ꝙ recta operatio dicit duo, nempe ſubſtantiā operis, & rectitudinem. Quo ad ſubſtantiā operis pendet à principio efficienre eam, quo ad rectitudinem vero pendet à regula per quam metimur rectitudinem operationis. Vnde illa eſt operatio mala quæ nō conuenit cum regula: quare quando principium actiuum operationis eſt ipſa regula, quia eſt coniuncta principio operandi neceſſaria cōiunctione illa talis operatio praua eſſe non poteſt, ſed potius neceſſario debet eſſe recta. Nam ſi virrus quæ eſt in manu ad ſcindendum lignum eſſet regula inciſionis, illa inciſio quæ ſequitur neceſſario eſſet recta. Vnde ſequitur quod omnis operatio diuinæ voluntatis eſt rectiſsima ſine obliquitate aliqua, qa prima regula rectitudinis eſt ipſa diuina volūtas. Hinc etiā prouenit quod irrationalia errare non poſsint in appetitionibus ſuis, quia ſenſitiuus appetitus mouetur in brutis à iudicio potentiæ apprehenſiuę, quod ſanè iudicium eſt determinatum ab authore naturæ, ita vt nō poſſit nō iudicare illud quod iudicat. Denique reſpectu cuiuſcunque voluntas eſt determinata ab authore naturæ, non poteſt talis voluntas à regula deficere.

2. Notab. ¶ Secundò aduertunt, quod omnis voluntas creata inde habet quod poſsit deficere

à regula peccando, quia cum obiectum voluntatis, ſit bonum in communi quod comprehendit ſub ſe omne bonum, honeſtum vtile, & delectabile, & ſiue diuinum, ſiue humanum & cum intellectus humanus nõ poſsit ſatis cognoſcere hoc bonum commune, & vniuerſale perfectè, & ad plenũ cum omnibus ſuis circunſtantijs, inde eſt quod in iudicijs circa huiuſmodi bonum poteſt labi & decipi ex incõſideratiõe, & ſic volũtas poterit appetere ꝙ nõ eſt vere bonũ, ſed apparens bonum. Ex quo ſupponendum dicunt contra Scotum, vt verius, quod potentia peccandi requirit quod intellectus poſſit defectuoſe proponere obiectum voluntati: vt voluntas ſequens illud obiectũ poſſit deficere & peccare. Vnde neceſſario addere oportet aliquid fundamento Scoti ſuperius commemorato, ſi conſequenter eſſet loquendum ad illius ſententiam, ſcilicet ꝙ angeli non ſemper nec neceſſario perfectè & actualiter cõſiderant omnia quæ pertinẽt ad rectam electionem faciendã etiam in obiecto purè naturali, ſed poſsũt aliquid omittere voluntariè. Nam licet poſsint id conſiderare tamen exercitium huius potẽtiæ procedit à voluntate illorum, quæ poteſt applicare intellectum ad conſiderandũ obiectum & non omnes circũſtantias eius ſicut in ſpeculatiuis poteſt applicare intellectum ad conſiderandum de aliqua re vel principio, & non de omnibus proprietatibus, & concluſionibus illius, & hinc concluditur; quare beatitudo reddit beatum impeccabilẽ ab intrinſeco ratione ſtatus, quia conſtituit illum in actuali viſione Dei, & plena conſideratione omnium quæ neceſſaria ſunt ad rectè operandum, quod prouenit ex dono Dei.

3. *Notab.* ¶Tertiò aduertunt, quod ad peccatum morale (de quo eſt ſermo) duo exigunt. Alterũ ex parte ſubiecti nempe, quod ſit capax liberæ operationis. Alterum quod exigitur eſt quod illi ſit regula impoſita, nam vt dicit D. Paul. ad Rom. 4. vbi non eſt lex non eſt prævaricatio, & hinc ꝓuenit quod peccata poſſunt eſſe duplicis ordinis, ſeu deordinationis eo quod præcepta ſunt in dupli ci differentia, quædam ſunt ordinis naturalis, quibus homo ad finem naturalem ordinatur, quædam vero ſunt ordinis ſupernaturalis quibus homo dirigitur in finem ſupernaturalem. Præcepta ordinis ſupernaturalis omnia dicuntur poſitiua præcepta, ſiue ſint diuina, ſiue humana. Præcepta vero ordinis naturalis quædam ſunt naturaliter indita, & naturali lumine dictata, & ꝓmulgata, alia vero poſſunt eſſe poſitiua, hoc eſt ſuperaddita à gubernatoribus reipublicæ.

¶His igitur ſic conſtitutis dicunt primo, ꝙ Angelus non poteſt peccare immediatè, & per ſe contra legem naturalẽ inditam cum natura, bene tamen poteſt peccare contra legem pure naturalem, ſeu contra finem naturæ indirectè & concomitãter. Probanta men vtramque partem, & primo primam, quia nulla via poteſt Angelus naturaliter conuerti ad propriam excellentiam & operari contra legem naturaliter ſibi inditam quæ eius maxima perfectio eſt, nam ſi aliqua ratione poſſet maximè quia habet liberum arbitrium circa quaſdam actiones quæ nõ habent neceſſariam connexionem cum fine, & ſic poterit in iliis deficere, ſed tales actiones non cadunt ſub præcepto naturaliter indito quãtum ad exercitium ipſarum, ergo ſiue operetur illas, ſiue non operetur non peccabit. *Primum dictum.* *Prima pars probatur primo.*

¶Secundò, voluntas illa quæ coniuncta eſt ſuæ regulæ in operando non poteſt peccare, ſed voluntas Angeli reſpectu legis naturalis, naturaliter inditæ eſt cõiuncta ſuæ regulæ in operando, ergo non poteſt peccare in ordine ad illam legem. Probatur primo, nam regula proxima voluntatis Angeli eſt ratio naturalis eius quam habet perfectam, nec in ea poteſt habere defectum in ordine ad pure naturalia, & idcirco per illam habet ſibi coniunctam indefectibiliter regulam ſuæ voluntatis, ſicut beatus per viſionem beatificam habet coniunctam ſibi regulam bene operandi etiam in ſupernaturalibus. *Secundo probatur.*

¶Tertiò, Deus poteſt condere perfectiſsimum Angelum ſine ordine ad ſupernaturalem beatitudinem & ille talis poſſet virtute propria cauere omnia peccata quæ ſunt contra finem naturalem, ergo illius voluntas eſſet impeccabilis. Probatur antecedẽs, quia nulla lex eſſet illi de ſupernaturalibus impoſita, & poſſet naturalia præcepta facillimè implere cum ex parte intellectus cognoſceret omnia agibilia, & ex parte appetitus inclinaretur in bonum rationis nullo prorſus repugnante, aut impediente, ergo cauere poſſet omnia peccata, & per conſequens illius voluntas eſſet impeccabilis ſaltem moraliter, *Tertio probatur.*

¶Secun-

Secunda pars probatur primo. ¶ Secundam autem partem probant quoniam natura angelica facta eſt ex nihilo eo quod eſt creatura, ergo deficere poteſt ſecundum omnem ſuum gradum, non ſolum *Secundo probatur.* entitatiuè, ſed moraliter. ¶ Secundò, quia Angelus eo ipſo quod fuit auerſus à fine ſupernaturali per concomitantiam neceſſariam, fuit etiam auerſus à naturali fine, ergo concomitanter peccauit contra finem naturæ. Et conſequenter ſimiliter peccare poteſt contra legem purè naturalem. Nam profectò qui deficit à fine deficere etiam poteſt à medijs neceſſarijs ad ipſum finem. Lex autem purè naturalis eſt quæ de ijs mediјs ad finem naturalem agit, ergo. ¶ Quod *Obiectio.* ſi quis arguat Angelus eſt naturaliter beatus, naturali felicitate, ſed felicitas naturalis eſt inamiſsibilis per ſe & ab intrinſeco. Igitur Angelus non poteſt peccare contra finem naturæ, nec per ſe, nec concomitanter, quia cum tali peccato ſtare non poteſt *Solutio.* naturalis felicitas. ¶ Reſpondent prædicti dicentes, quod talis felicitas eſt directè in*Secunda* amiſsibilis, & indirectè amiſsibilis. ¶ Vel ſe*ſolutio.* cundo, quod naturalis felicitas ſi ſumatur ſolitariè, & ſine conſortio cum ſuperiori fine ſupernaturali eo quod talis felicitas præciſe ſumpta & non coniuncta cum alio fine ſuperiori, non habet ex ſe vnde deficere poſsit, & ſic per ſe, & ab intrinſeco eſt inamiſsibilis, quia conſiderata intra ſuum genus præciſe habet vnde non deficiat, quia tamen naturalis felicitas coniungi poteſt cum ſupernaturali fine, & ei ſubordinari ſicut perficitur ab illo ſuperiori fine, ita ſanè per defectum, & auerſionem ab illo fine po*Obiectio.* teſt concomitãter deficere. ¶ Quod ſi quæras quid ſit Angelum poſſe auerti à fine naturali, ſiue delinquere contra legem naturæ *Solutio.* concomitanter, & non directè. ¶ Reſpondent ſupponendo, quod dupliciter intelligi poteſt Angelum auerti à fine naturali, vno modo directè, & immediatè, vt ſi Angelus creatus in puris naturalibus peccaret tunc enim talis Angelus peccans immediatè, & directè auerteretur à naturali fine. Indirectè autem & concomitãter poteſt peccare, quia voluntas non poteſt auerti à Deo vt à fine ſupernaturali, niſi vel formaliter, vel virtualiter ſe conuertat ad bonum commutabile tanquam ad vltimum finem, & cũ ſit manifeſta repugnantia, quod voluntas proſequatur ſimul duos vltimos fines, ſcilicet bonum commutabile, & creatorem, ſimiliter & Deũ authorem & finem naturæ: hinc prouenit, quod eo ipſo quod peccator auertitur à fine ſupernaturali: neceſſe eſt quod ſaltem indirectè & concomitanter ab ipſo Deo, vt eſt finis naturæ auertatur. Imo ſi per impoſsibile Deus author gratiæ eſſet alius à Deo authore naturæ eo ipſo quod aliquis conuerteretur ad creaturam tanquam ad vltimum finem auerteretur à Deo fine ſupernaturali, & etiã à Deo fine naturali. Ex quo prouenit ſecundo, ꝙ Angeli peccantes per ſe conuertũtur in bonum commutabilem, & auertũtur à Deo fine ſupernaturali. Secundario autem, & cõ comitanter auertuntur à fine naturali.

¶ Secũdum dictum prædictorum eſt quod *Secundum dictum.* Angelus poteſt peccare contra legem poſitiuam ſuperadditam ſiue illa lex ordinet ad finem ſupernaturalem ſiue non directè, & immediatè. Probant autem iſtud dictum, *Probatur primo.* quia ſi Angelo creato in puris naturalibus Deus præceptum imponeret, vt cuſtodiret homines, aut moueret orbes, poſſet quidẽ Angelus propriam excellentiam inordinatè appetendo, ſe nõ ſubijcere eiuſmodi præceptis. Sicut Adamus propriam excellentiam appetendo non ſubiecit ſe ſe præcepto poſitiuo de non comedendo fructum ligni prohibiti, & ipſum potuiſſet facere Adam ſi in puris naturalibus fuiſſet creatus vel cũ ſola iuſtitia originali abſque gratia.

¶ Secundò, quoniam natura angelica non *Probatur ſecundo.* eſt determinata ab intrinſeco, Ad obſeruantiã huiuſmodi legis poſitiuæ. Eſt enim lex poſitiua de qua loquimur talis quod nõ excedit naturam, neque finem naturæ, & ob id naturalis appellatur, vt conſtat in legibus poſitiuis reipublicæ humanæ, ergo ſi natura angelica non eſt ab intrinſeco determinata ad obſeruantiam huius legis poſitiuæ ſequitur quod poteſt illam tranſgredi. Quod ſi reſpondeas quod voluntas Angeli eſt naturaliter inclinata, & determinata ad amorem Dei finis naturalis qui eſt Author huius legis poſitiuæ, ex qua determinatione oritur aliqualis determinatio circa quãcunque legem poſitam ab ipſo Deo, vt eſt finis naturalis, & naturalis gubernator naturæ angelicæ: contra voluntas Angeli, vt docuit D. Tho. ſupra quæſt. 60. art. 5. ad vltimum eſt naturaliter determinata ad amãdum Deum, prout eſt commune bonum naturæ, non autem ſecundum particulares rationes, & ſecundũ quod cauſat effectus particu-

ticulares, qui poſſunt diſplicere Angelo, & ex conſequenti Deus vt illorum cauſa poterit ſimiliter Angelo diſplicere, ergo ex ſententia D. Tho. voluntas Angeli non eſt totaliter determinata ad amandum Deum, imo potius ex doctrina eius colligitur, ꝙ ſi Deus conſideretur vt particularis guberna tor Angeli ei imponens leges poſitiuas ad quas naturaliter nõ inclinatur poteſt odio haberi ab angelo, ergo.

Vltima ſententia. *1. Notab.* ¶ Vltima ſententia eſt Doctoris. Pro cuius explicatione, & totius quæſtionis eſt primo notandum circa titulum quæſtionis, ꝙ quando in præſentiarũ quærimus, vtrũ naturæ alicui rationali vel intellectuali poſsit cõferri à Deo per naturam impeccabilitas, non quærimus, vtrum voluntas habeat impeccabilitatem circa illas operationes, ad quas eſt naturaliter determinata, quia de hoc nulla eſt, nec poteſt eſſe quæſtio, quia ſi non poteſt ab illis operationibus ceſſare, neque poterit circa illas operationes pecca re, nam ad peccatum duo exiguntur, vt cõmuniter docent omnes, alterum eſt ex par te ſubiecti, nempe, quod ſit capax liberæ operationis, quia ſi ſolum mouetur ab alio abſque operis dominio non eſt ſubiectum peccati. Alterum quod exigitur eſt, quod illi ſit regula impoſita, nam vbi non eſt lex ſuperioris non poteſt eſſe præuaricatio.

Nota titu li quæſtio nis ſenſum Quæſtio igitur præſens intelligenda eſt de agente libero, & cui lex ſit impoſita, in hoc igitur caſu quæritur, vtrũ poſsit Deus crea re aliquam naturam rationalem, vel intelle ctualem (id eſt) aliquod agens liberum, cui eſſet præceptum naturale, vel ſupernatura le impoſitum quod non poſsit tranſgredi tale præceptum, libere tamen operando, & quod iſte ſit ſenſus intentus patet ex ipſo titulo quæſtionis, nam hoc ſonat facere na turam rationalem, id eſt liberam ad vtrãq; partem impeccabilem per naturam.

2. Notab. ¶ Secundò eſt notandum, quod lex naturalis non ſolum dicitur illa, quæ inſita eſt cũ ipſa natura, ſed dicitur etiam lex naturalis illa, quæ ordinat hominem, & illum gubernat in ordine ad finẽ naturalem, non tranſcendentem naturalem capacitatem, & acti uam potentiam ipſius naturæ. Pro quo aduerte, quod ſicut Deus inſtituit cõferre angelis, & hominibus beatitudinem ſupernaturalem in præmium bonorum operum ex inclinatione gratiæ proficiſcẽtium, ad quã beatitudinem non poteſt intellectus, nec voluntas, ſi lumine ſupernaturali, & auxilio ſupernaturali non fuerint ſupernaturali zatæ potentiæ poterat tamen Deus aliquẽ finem naturalem inſtituere, qualem Deus nouit, & poterat velle, qui non tranſcende ret vires naturales ipſarum potentiarum, nempe intellectus, & voluntatis, & in ordi ne ad illum finem aſſequendum in præmiũ poterat exigere opera bona elicita ex gratia ſupernaturali, vel ſaltim opera bona naturalia quæ conſiſterẽt in alicuius legis obſeruantia & præcepti. Sicut verbi gratia, ꝙ Angelus qui bene cuſtodiret hominem, vel faceret aliquod aliud bonum opus iuxta ali quod præceptum ſibi impoſitum.

¶ Tertio eſt notandum, quod quanuis volũ tas Angeli ſit determinata ad amorem ſui, & quo ad exercitium, & quo ad ſpecificationem, & per conſequens ad amorem Dei prout eſt cauſa, & author talis naturæ illã conſeruans in eſſe ſine quo natura angelica ſtatim in nihilum tenderet, & per conſequens eo ipſo quod quis diligit aliquid determinatè eo etiam ipſo determinatè diligit omnia illa quæ ſunt ſimpliciter neceſſaria ad hoc vt illud tale ſit, & ſine quibus illud eſſe non poteſt. Vnde modo de facto dæmones qui ſuam ſubſtantiam, & ſuum eſſe naturaliter diligunt etiam naturaliter & eſſe Dei diligũt, nihilominus tamẽ odio habent ipſum Deum quatenus punit illos, & non ſolum hoc, verum & leges poſitiuas quæcunque illæ ſint Angelus ex natura ſua poteſt non amare, quia libere ſe habet circa illas, & non naturaliter, & per conſequens poteſt illas & non amare, & odio habere. Imo quanuis leges naturales ſint, & cum lu mine naturali intellectus angelici proportionatæ poſſunt voluntati Angeli diſplice re ſi conſiderentur ſubordinatæ fini à Deo præfixo, & connectantur cum legibus poſitiuis in ordine ad illum finem ordinatis, imo & ipſemet Deus author iſtarum legũ, vt author illarum eſt poteſt ab angelo odio haberi. *3. Notab.*

¶ Vltimo eſt notandum quod Ange lus, vel exiſtens in puris naturalibus, vel in gratia productus, vt & docent prædicti ex poſitores in ſolutione ad primum (quod di cunt Doctoris) non ſemper eſt in actuali cõ ſideratione amore, & affectione omnium præceptorum pure naturalium, & omniũ circunſta ntiarum eorum, ſed ſucceſsiuè mo do eſt in conſideratione actuali vnius, & deinceps in actuali conſideratione alterius & ſimi- *4. Notab.*

& ſimiliter dicunt de veritatibus ſpeculatiuis, quod Angelus non ſemper eſt in conſideratione actuali omniũ veritatum naturalium, imo fortaſſe nõ poteſt. Addunt tamẽ prædicti propter perfectionẽ magnã luminis naturalis ipſius Angeli, & propter exactam rectitudinẽ voluntatis angelicæ, quoties ſe ſe offert Angelo neceſsitas adimplendi præceptum aliquod purè naturale nõ poteſt non iudicare practico, & actuali iudicio de conuenientia illius præcepti neceſſarijs omnibus circunſtantijs petitis, nec poteſt voluntas non prodire in actualem amorem, & affectionem adimplendi illud præceptum, ac proinde nullam habet libertatem voluntas naturalis etiam quo ad exercitium quantum ad naturalia pręcepta, quãdo neceſsitas inſtat. Iſtud autem vltimum dictum quod ipſi addunt, quando verum ſit excludit reſponſionem ad quæſtionẽ, nam ſi voluntas reſpectu illorum non eſt potentia libera, ſed naturalis nõ eſt ſubiectum capax peccati, & per conſequens in rigore nõ eſt dicenda impeccabilis per naturam ſicut nec ignis dicitur impeccabilis. Cum igitur Angeli non ſint ſemper in actuali conſideratione poſſunt igitur aliquando omittere aliqua pertinẽtia ad rectam electionem faciendam etiam in obiecto purè naturali, reſpectu cuius libere poſſunt moueri, nam ſi reſpectu illius naturaliter mouentur nihil ad propoſitum. Cum igitur nullus ſit Angelus qui non poſsit deficere in actuali conſideratione vel obiecti vel circunſtantiarum ex inconſideratione, ideo quæſtio præſens ea eſt. Vtrum angelus ex Dei potẽtia poſſit reddi impeccabilis per naturam, id eſt, quod ex parte intellectus non poſsit habere inconſiderationem, ſed ſemper ſit in recto iudicio practico reſpectu rei fiendæ. Et ex parte voluntatis non poſsit non velle libere tantum volendo, quod intellectus indicat ſpeculatiuè, & practicè eſſe eligendũ.

Prima cõcluſio.

¶ Prima concluſio. Non poteſt de potentia Dei abſoluta dari natura aliqua rationalis, vel intellectualis, quæ ſit impeccabilis per naturam, tam circa præcepta naturalia ſuperaddita quam ſupernaturalia.

Probatur primo.

Hæc concluſio eſt Doctoris, quam dicit eſſe magis conformem dictis Sanctorum & probat ex D. Anſelmo lib. 2. cur Deus homo cap. 10. in fine reſpondens diſcipulo quærenti ab eo cur non potuit Deus facere creaturam rationalem impeccabilem per naturam, dicit Anſelmus, quia non potuit ipſam facere Deum. Idem probat ex D. Aug. contra Maximum lib. 3. cap. 13. Vnde dicit ibi quod Angeli peccauerũt, & dæmones facti ſunt, & cuicunque rationali creaturæ præſtatur, vt peccare non poſsit hoc non eſt naturæ propriæ, ſed Dei gratiæ. Tertiò probat Doctor ex D. Hieronymo in tract. de filio prodigo vbi dicit quod ſolus Deus eſt in quem non poteſt cadere peccatum. Probatur etiã ex D. Greg. lib. 5. moral. cap. 27. explicans illa verba Iob. 4. Ecce qui ſeruiunt ei non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit prauitatẽ, inquit, quod omnis creatura eo ipſo quod eſt creatura, & ex nihilo facta viciſsitudinem patitur in ſe ipſa mutabilitatis & defectibilitatis: ac proinde poteſt deficere, & ſubijci culpæ: ſola enim natura incõprehenſibilis ab ſtatu ſuo moueri neſcit.

Primo probatur ratione.

Et probatur rationibus. Primo angelus potuit peccare contra præceptum impoſitum non ſuperans ordinem naturæ. Ergo probatur antecedens, nam natura angelica nõ eſt determinata ab intrinſeco ad obſeruantiam illius præcepti, ergo poterit tranſgredi tale præceptum. Patet antecedens, quia angelus in adimpletione talis præcepti merè libere ſe habet.

Solutio.

¶ Quod ſi reſpondeas, quod volũtas angeli erat naturaliter inclinata, & determinata ad amorẽ Dei finis naturalis, & per cõſequens eſſe determinatam ad obſeruantiã cuiuſcunq; præcepti ſuperadditi, & ab ipſo Deo impoſiti.

Impugnatio.

¶ Contra: quãuis volũtas angeli ſit naturaliter determinata ad diligendum Deum prout eſt cõmune bonum naturæ, non tamen eſt naturaliter determinata ſecundum quod cauſat particulares effectus, qui poſſunt Angelo diſplicere, ergo poterit Angelus circa præceptũ à Deo impoſitũ, etiã vt eſt author naturæ diſplicere.

Confirm.

¶ Confirmatur, ſi Deus cõſideretur, vt particularis gubernator Angeli poteſt odio haberi ab Angelo, ergo voluntas Angeli non eſt determinata ad diligendum Deum ſecũdũ rationes particulares.

Tertio probatur.

¶ Tertiò. Si Deus creaſſet Angelum in puris naturalibus poſſet illi imponere præceptũ circa aliquam actionẽ liberã, nõ tranſcendentẽ limites naturæ ipſius Angeli, ſed reſpectu illius puterat peccare, ergo. Probatur minor, quia ex hypoteſi Angelus libere exercebat talem operationẽ, ergo. Secunda autẽ pars cõcluſionis patet ex eo quia angeli de facto peccauerũt cõtra legẽ ſupernaturalẽ, ergo potuerunt

fuerunt peccare, & per cōſequens eorū voluntas reſpectu talium præceptorū nō potuit creari impeccabilis. Patet ſequela, quia voluntas Angelorum reſpectu taliū præceptorū nō potuit creari determinata ad operandum, quia ſi determinata crearetur, iam nō volūtas ſed potentia alterius rationis à volūtate eſſet. ¶ Quartò ꝓbatur concluſio quo ad vtrāq; partē voluntas potentia libera quæ nō eſt regula ſui actus nec eſt cōiuncta regulæ poteſt in ſuis operationibus deficere, ſed nō poteſt creari voluntas quæ ſit regula ſuorum actuū, cum hoc voluntati diuinæ cōueniat, nec quod ſit cōiuncta regulæ, ergo nō poteſt creari voluntas impeccabilis. ¶ Ad hoc argumentū reſpondent nonnulli dicentes, ꝙ voluntas vt natura quædā eſt habet determinationem à ſuperiori regula naturali erga aliquas operationes in quibus deficere nō poteſt. Secus autem in alijs operationibus in quibus Angelus poteſt deficere reſpectu quarū non eſt voluntas eorum determinata. ¶ Contra ergo ſaltim voluntas Angeli nō poteſt creari abſolute impeccabilis, quod eſt intentū in quæſtione. Patet ſequela, nam in quæſtione tātum intenditur. Vtrum volūtas, quæ ex natura ſua defectibilis eſt, poſsit per naturam indefectibilis produci, voluntas autem vt natura, ſi aliquas poteſt habere operationes, non eſt defectibilis reſpectu illarum, ergo quanuis voluntas vt ſic nō ſit defectibilis, non tamen voluntas, vt voluntas.

Quarto probatur.

Solutio.

Impugnatio.

¶ Secunda concluſio. Deus non poteſt facere aliquam voluntatem liberam natura ſua impeccabilem in ordine ad finem naturalem, & ad bonum naturale, & morale agendum, ita ſane vt in operibus politicis, & moralibus ſemper recte operetur, vt non poſſet in eis à rectitudine deficere. Hæc concluſio probatur contra authores ſupradictos. Primo quoniam ſi aliqua ratione poſſet Deus talem voluntatē impeccabilē facere maxime quā poteſt à Deo fieri Angelus (vt ipſi dicunt) adeò perfectus, vt habeat prudentiā circa omnes res agendas, & qui ſemper actu cōſiderari poſsit legem naturalē & bonū morale, debitūq; finem naturæ, & omnes actus, & circūſtantias neceſſarias ad rectā operationē, & per cōſequens cum Angelus tunc eſſet impeccabilis reſpectu illorū, poſſet Deus circa bonū morale volūtatē Angeli impeccabilē facere, ſed iſta ratio nihil valet, ergo. Probat minor, qa ex illa ſequeretur ꝙ quā homo actualiter operatur quācunq; bonā operationē habet reſpectu illius voluntatē impeccabilē. Patet ſequela, nā vt ipſi dicunt voluntas, & omne eius peccatū ſupponit in intellectu practico aliquē defectū, vel inconſiderationē & per cōſequens ſi Deus poteſt producere aliquam creaturā, quæ haberet intellectū perfectè prudentiſsimū, & plenariū nō poſſet habere aliquod peccatū, & per cōſequens eſſet impeccabilis: ſed ex iſta ratione etiā colligitur noſtra ſequela, nam quā quis operatur bonū rationis nō habet aliquē defectū in intellectu, nec in cōſideratione, ergo pro illo tunc, & pro illa operatione habet voluntatē impeccabilē. Conſequens tū à nullo concedetur, ergo quāuis Deus poſsit creare angelū adeò perfectū, vt habeat prudentiā circa omnes res agēdas, & qui ſemper actu conſiderare poſsit legem naturalem, & bonum morale debitumque finem naturæ, & omnes actus, & circunſtantias neceſſarias ad rectā operationē, adhuc tū illius volūtas nō eſt dicēda impeccabilis, ſed tantū ꝙ non peccabit. Quare aliud eſt dicere, verū poſſit Deus ꝓducere Angelū qui nunquā peccaturus eſſet, & aliud eſt dicere verū poſsit ꝓducere angelū impeccabilē per naturā: & argumēta quibus authores cōtrariæ ſententiæ ſuā tuētur opinionē tantū probāt poſſe Deū ꝓducere angelū nunquā peccaturū reſpectu aliquarū operationū, nō tū impeccabilē per naturā.

Secunda concluſio.

Primo probatur.

Nota hoc.

¶ Tertia cōcluſio. Voluntas Angeli reſpectu Dei finis naturalis non eſt dicēda impeccabilis ꝑ naturā. Hæc concluſio ꝓbatur, nā volūtas angeli quāuis ſit determinata quoad ſpecificationē ad amandū Deū finē naturalē, nō tū eſt determinata quantū ad exercitiū, ſed libere diligit illū, & per cōſequēs pōt illū nō diligere, ſed potuit imponi præceptū, de diligendo Deum ſemp, ergo illa volūtas nō eſt impeccabilis ꝑ naturā. Cōfirmat, nā volūtas beatorū nō eſt impeccabilis per naturā quāuis nō poſſint deficere à beatitudine ſupernaturali præſente obiecto beatifico, ergo nec volūtas Angelorū dicet impeccabilis ꝑ naturā, quāuis nō poſsit deficere a Deo fine naturali præſentato ipſi voluntati per intellectū. Probat antecedēs, oā ꝙ beati ſemp habeant obiectum beatificū præſens, nō tollit à voluntate illorum propriā voluntatis naturā, ſed tantum impedit ne volūtas aliud poſsit velle quod ſit contrarium ipſi obiecto bea-

Tertia cōcluſio.

Probatur concluſio.

Confirm.

 tifico,

tifico, ſed natura voluntatis eſt defectibilis, vel ſaltim ad rationem naturæ voluntatis creatæ ſequitur defectibilitas, ergo quamuis voluntas beati in ordine ad obiectum beatificum ſit impeccabilis, ita quod reſpectu illius non poſsit peccare, ipſa tamen abſolute conſiderata, & ſecundū ſe nō eſt dicenda impeccabilis per naturam, & per conſequens à ſimili quanuis voluntas Angeli in ordine ad Deum finem naturalē ſit impeccabilis ita quod non poſsit peccare non tamen abſolute impeccabilis dicen da eſt per naturam.

Ad arg. reſpondet. ¶Reſpondetur argumentis. Ad argumenta autem quibus prædicti opinantes probabant poſſe Deum producere naturam rationalem, quæ in ordine ad Deum finem naturalem eſſet impeccabilis per naturam facillime reſpondetur, quod ea tantum probāt talem voluntatem nunquam peccaturam, non tamen eſſe impeccabilem, quia quanuis talis voluntas in præſentia talis obiectī non poſsit elicere actū difformem ipſi obiecto, adhuc tamen in abſentia illius obiecti poteſt talem actum producere, vt patet in Angelis damnatis, qui nō ſolum odio hābent Deum finem ſupernaturalem, ſed etiā odio habent Deum finem naturalem, imo & quæcunque bona quæ Dei ſunt, & cum voluntas angeli ſecluſa beātitudine ſupernaturali, & ſecundum ſe conſiderata habeat ſimilem rationem, imo eandem in omnibus Angelis, ſi in angelis malis non eſt determinata ad diligendum Deum finem naturalem, nec in Angelis abſolutè conſiderātis erit determinata ex natura ſua ad talem dilectionem, & per conſequens cum illorū voluntas non ſit determinata ex natura rei ad talem dilectionem non eſt dicenda talis voluntas impeccabilis per naturam.

Ad argu. in princip. quæſt. poſita ad primum. ¶Ad argumenta autem in principio quæſtionis reſpondetur ad primum non eſſe eādem rationem de volūtate, & appetitu ſenſitiuo nam appetitus ſenſitiuus eſt determinatus, appetitus autem rationalis nequaquam. *Ad 2. arg.* ¶Ad ſecundum reſpondetur cū Doctore quod ſi imaginetur vnus angelus qui primo eſſet quædam natura, & deinde daretur ſibi affectio cōmodi, ſine ratione tūc iſta voluntas non eſſet capax peccati quæſtio tñ non eſt in hoc ſenſu, ſed de habente voluntatē, & ſimiliter vſum rationis.

Ad tertiū argum. ¶Ad tertium reſpondetur negando antecedēs, & ad probationē dicitur, ꝙ tunc dictamen rationis, & volūtas nō haberent perfectā rationē dictaminis, & voluntatis. Sicut v. g. ſi Deus tantum concurreret cū intellectu alicuius ad intelligendū bona, & nō ad intelligendū mala, tunc volūtas neceſſario vellet bona, & non mala, talis autē determinatio volūtatis nō eſt determinatio ab intrinſeco ſed ab extrinſeco, & quæſtio intelligenda eſt de determinatione volūtatis ab intrinſecō. *Ad quartum arg.* ¶Ad quartū reſpōdetur negādo ſequelā, quia nō eadē neceſsitate tendit voluntas in finē, & in ea quæ ſunt ad finē, præcipuè quādo ea quæ ſunt ad finē nō habent neceſſariā cōnexionē cū fine. *Ad quintum arg.* ¶Ad quintū rñdetur cōcedēdo antecedēs, & negādo cōſequentiā, quia potentia peccādi, vt opponitur impeccabilitati dicit volūtatē potentem deficere ex natura ſua à regula ratiōis ſibi impoſita. *Ad ſextū arg.* ¶Ad ſextū reſpōdetur concedendo antecedēs, & negando ſequelā, nam gratia perficit naturā determinando ipſam naturā, at vero natura non eſt de ſe determinata, & per conſequens quāuis poſsit volūtas per gratiā determinari, non tñ ex natura ipſius erit voluntas determinata.

Ad confir. ¶Ad confirmationē reſpondetur, ꝙ illa petit quæſtionē diſputandā in materia de gratia an ſcilicet gratia, & charitas poſsint eſſe alicui creaturæ cōnaturales, & hæc de iſta quæſtione.

TEXTVS.

Teneo igitur quod potuit in primo inſtanti habere potentiam volitiuā perfectam & non limitabatur ad rectam operationem, non enim habuit in ſecundo inſtanti magis determinans quam in primo, ergo. &c. diſt. 5. quæſt. 2. litera. L.

EXPLICATIO LITERÆ.

Doctor in hac litera aſsignat concluſionem reſponſiuam illius quæſtionis vtrum Angeli potuerint peccare in primo inſtāti ſuæ creationis & dicit Angelos poſſe peccare in primo inſtanti ſuæ creationis. Probat autē ſuā cōcluſionē breuiter quia potētia potens habere operationem perfectā, & non limitatur ad aliquam operatiōnē rectā, poteſt habere operationē non rectā, ſed Angelus in primo inſtāti potuit habere operationē perfectam, quia potuit habere potentiā volitiuā perfectā, imo de facto habuit, & non limitabatur ad

aliquam

aliquam limitationē perfectā cū libere illā exerceret, ergo ſicut potuit in primo inſtāti rectè operari potuit etiā, & nō rectè operari, & per cōſequens peccare. Quia tamen in hac concluſione cōtrarij nobis ſunt ferè omnes expoſitores D. Tho. operæ pretiū erit in præſentiarū huius ſententiæ veritatem explanare pro quo ſit quæſt. ſecunda.

QVÆSTIO. II.

¶ *Vtrum Angeli in primo inſtanti potuerint peccare.*

DE hac re eſt prima ſententia D. Tho. 1. p. q 63. art. 5. aſſerentis ꝙ Angeli in primo inſtanti ſuę creationis non potuerūt peccare in quā ſententiā citant Alexand. 2. p. q. 109. memb. 1. ſed ſi rectè inſpiciatur Alex. nihil loquitur de potentia peccandi in primo inſtāti, ſed de facto reſpondet illos non peccaſſe, in eandē ſententiā adducunt Durand. diſt. 5. q. 2. Herueum diſtin. 5. q. 2. Ricard. & Bonauēt. Capreol. Caiet. Ferrariē. &c. Probant autē ſuā ſententiā. *Primum argum.* Primo, quia ſi in primo inſtanti Angeli peccare poſſent mortaliter cōtingeret vt aliqui peccarent, ſed nullus peccauit in primo inſtanti in tanta Angelorum multitudine; ergo ſignum eſt nullum potuiſſe peccare. *Secundum argum.* ¶Secūdo. Sancti Patres inde probāt Angelū nō peccaſſe de facto in primo inſtanti, quia creatus eſt bonus à Deo ex quo indicant impoſsibile fuiſſe Angelū peccare in primo inſtanti, ſicut impoſsibile fuit quod non eſſet creatus bonus. Origenes in Hom. 1 in Ezech. dicit ꝙ ſerpens aliquādo fuit non ſerpens, id eſt diabolus aliqñ non fuit diabolus, & reddit cauſam, quia Deus malitiā nō fecit, inſinuās ꝙ ſi Angelus in primo inſtāti peccaret malitia eius refunderetur in Deū D. Aug. 11. de ciuit. ca. 15. ait, ꝙ non peccauit Angelus in primo inſtanti, quia ab optimo authore cōditus eſt, vbi videtur docere ꝙ ſi illa operatio eſſet mala inclinatio à quā talis operatio ꝓficiſceretur eſſet mala, & ſic in Deum referēda. *Tertium argum.* ¶Tertio, Angelus in primo inſtāti totus erat intentus circa naturalia, ſed circa naturalia nō potuit peccare, quia circa illa non potuit habere iudiciū falſum, ergo. Ita argumentatur Capreol. in 2. diſt. 5. q. 2. *Quartum argum.* ¶Quarto ꝓbatur ratione Caieta. voluntas prius operatur vt natura quam vt potentia libera, ergo prima operatio voluntatis debuit eſſe à voluntate vt eſt natura, & per cōſequens illā operatio debuit eſſe naturalis, ſed in operatiōe naturali nō potuit eſſe peccatū, ergo prima operatio Angeli non potuit eſſe peccatum. *Quintum argum.* ¶ Quinto probatur ratione quā dicunt expoſitores eſſe præcipuā in D. Tho. ſi prima operatio angeli potuit eſſe peccatū tale peccatū eſſet refundēdū in Deū authorē naturæ, eò ꝙ prima operatio Angeli quantū ad ſubſtātiā, & modū deferēda erat in authorē naturæ. Probat ſequela: operatio quę ſimul incipit cū eſſe rei neceſſario debet eſſe ſecūdū inclinationem naturæ, & ſecūdū eſſe ꝙ creatura recipit à ſuo authore, ſiue tale eſſe ſit naturale, ſiue ſit ſupernaturale gratiæ, ſed in primo inſtāti ſui eſſe creatura nō aliā pōt habere inclinationem, aut diſpoſitionē ad operādū niſi eā quā à ſuo authore recepit, ergo quicqd operat̄ creatura in illo Inſtāti debet eſſe cōforme inclinationi, & principijs, quæ ab authore ſuo ſibi donata ſunt: ergo opatio quæ incipit ſimul cū eſſe rei tribuit̄ autori ipſi rei, nā ineſt illi ab agēte à quo habet eſſe ſicut motus deorſum eſt à generāte. Igit̄ prima angeli operatio debebat ꝓcedere ab intellectu, & volūtate eius iuxta diſpoſitionē naturalē quā iſtæ potentiæ acceperant ab authore naturæ, & ita refundēda erat in authorē naturæ, quatenus impreſsit talem diſpoſitionē naturalem in illis potentijs. Ex quibus colligunt prædicti hanc conſequentiam, ergo operatio Angeli in primo inſtāti ineſt illi à Deo, ergo ſi tūc peccaret tale peccatum eſſet conforme naturalibus principijs ſibi à Deo datis, atque adeo refunderetur peccatum in Deum, ergo prima operatio Angeli non potuit eſſe peccatum.

Confirm. ¶Confirmatur, ſi in primo inſtanti in quo Deus plaſmauit Adam cæpiſſet claudicare, claudicatio illa licet tribueret̄ inſtrumento defectuoſo nihilominus etiā ipſe creator diceret̄ cauſa illius claudicatiōis, ob id ꝙ claudicatio emanaret ſecūdū illud principiū, ꝙ ab authore naturæ datū eſt. Sic ergo prima opatio Angeli nō poterat nō eſſe cōformis iuxta diſpoſitionē, & inclinationē quā Angelus operās à Deo receperat, ac ꝓinde talis opatio potuit eſſe bona, quia ab authore naturæ bonā diſpoſitionē, & inclinationē receperat & nō potuit eſſe mala opatio ab vltimo fine deficiens quā vt ſic nō poterat eſſe cōformis diſpoſitiōi, principijs & incli-

Sextum argum. nationi à Deo datis. ¶Sexto, ad Deũ tan-
quã ad primum agens ſpectat reducere in
actum id quod eſt ſimpliciter in potentia,
nam omne quod eſt in potentia reducitur
in actum per id quod eſt in actu, ſed Deus
eſt actus purus, ergo ad illum ſpectat redu-
cere in actum quod eſt ſimpliciter in potẽ
tia, ſed Angelus in primo inſtanti ſui eſſe
eſt ſimpliciter in potentia quãtum ad ope-
rationem, ergo à Deo peculiari modo redu
citur in actũ, tam ex parte intellectus, quã
ex parte voluntatis, ergo ſicut ex parte in-
tellectus, non potuit in primo inſtanti aſ-
ſentiri falſo, ita neque ex parte voluntatis
potuit in prima operatiõe proſequi malũ.
Septimũ argum. ¶Septimò, Ad diuinam prouidentiam ſpe-
ctat diligere naturã intellectualẽ modo ſpe
ciali qñ incipit operari, ſed illa particularis
directio tam neceſſaria eſt ex parte volun
tatis quã ex parte intellectus, ergo peculia
ri rõne tribuitur Deo. Probatur minor, qa
ex prima operatione volũtatis pendet to-
Octauum argum. tius vitæ diſcurſus. ¶Octauo. Naturalis in-
clinatio naturæ rationalis eſt in bonũ ratio
nis: ſed ad autoritatẽ naturæ pertinet ꝙ illa
inclinatio aliquãdo procedat ad opus, ergo
maximè in principio eo ꝙ prima illa ope-
ratio eſt veluti fundamentum reliquarum.
Vnde ſequitur quod, peculiari ratione pen
det à Deo prima illa operatio, quæ ſi defice
ret, quodam modo derogaret ſapientiæ, &
Nonum argum. bonitati creatoris. ¶Nonò. Si angelus in
primo inſtanti potuit peccare ponatur, ꝙ
peccauerit, tũc ſic: In primo inſtanti pecca
uit, ergo neceſſario peccauit, ſi neceſſario
peccauit igitur nõ peccauit, quia peccatũ
adeò eſt voluntarium, quod ſi non ſit vo-
luntarium non eſt peccatum. Si vero neges
primam conſequentiam, probatur, quia ſi
non neceſſario peccauit igitur potuit non
peccare in primo inſtanti, tunc ſic: Qua po
tentia potuit non peccare non potentia an
te actum, quia ante illud inſtans primũ non
fuit aliqua menſura, in qua fuerit potentia
qua poſſet non peccare, nec potentia cum
actu, quia in primo inſtanti in quo pecca-
uit non potuit non peccare, cũ omne quod
eſt quando eſt neceſſe eſt eſſe, ergo tunc
non habuit potentiam ad non peccandum,
quia ſi habuiſſet poſſet non peccare, & per
conſequens ſimul poſſet peccare, & nõ pec
Vltimum argum. care. ¶Vltimò. Nullus poteſt peccare niſi
ſit debitor iuſtitiæ, ſed angelus in primo in
ſtanti nõ fuit debitor iuſtitiæ igitur nõ po-
tuit in primo inſtãti peccare: patet maior,
qa iuſtitia & peccatũ habẽt ſe ſicut habitus
& priuatio, igitur nulli põt eſſe priuatio ha
bitus, niſi prius in eo fuerit habitꝰ, & ita nõ
prius potuit eſſe in Angelo peccatum quã
iuſtitia, & per conſequens in primo inſtan-
ti non potuit eſſe peccatum. ¶Confirma- *Confirm.*
tur: illud peccatum quod fuerit in primo in
ſtanti deberet eſſe carentia rectitudinis de-
bitæ in eſſe, ſed nulla eſſet rectitudo qua
Angeli priuarentur per peccatũ, ergo. Pro
batur minor, vel illa rectitudo eſſet ante
peccatũ, vel ſimul cum peccato, ſi ante pec
catum, ergo peccatum non fuit in primo in
ſtanti. Patet ſequela, nam rectitudo illa nõ
anteceſsit primum inſtans: fuit ergo in pri
mo inſtanti, & peccatum ſequutum eſt ad
illam rectitudinem, ergo peccatum non po
tuit eſſe in primo inſtanti. Si autem dicas,
quod in eodem inſtanti, in quo fuit rectitu
do, fuit & peccatum, ergo ſimul fuerũt pec
catũ, & rectitudo, quod implicat, nam pri-
uatio, & habitus non poſſunt eſſe ſimul.
¶Confirmatur ſecundo, nam omnes Ange *Confir. 2.*
li fuerunt creati à Deo in gratia, nam vt ſu-
pra dictum eſt Deus ſimul erat condens na
turam, & diffundens gratiam, ſed gratia nõ
poteſt eſſe ſimul cum peccato, ergo Ange-
li in primo inſtanti non potuerunt ſaltim
mortaliter peccare. Probatur ſequela, quia
ſi prima operatio Angeli potuit eſſe pecca
tum, implicat Angelos fuiſſe creatos in gra
tia, nam prima operatio incipit cũ eſſe rei,
ergo prima operatio Angeli debebat inci-
pere cum eſſe ipſius Angeli, ergo ſi prima
operatio fuiſſet peccatum implicaret An-
gelos fuiſſe creatos in gratia, ſicut implicat
gratiam, & peccatum poſſe eſſe ſimul in eo
dem inſtanti, & per cõſequens, implicat an
gelos creatos in gratia potuiſſe peccare.
¶Secunda ſententia eſt Doctoris, vt patet *Secunda*
in litera quam docent omnes Scotiſtæ & *ſententia.*
Ocham quolibeto ſecundo. quæſt. 6. Ga-
briel in 2. diſt. 4. quæſt. 1. artic. 3. dubio. 1.
Gregor. diſt. 5. quæſt. 1. artic. 2. Maior diſt.
5. quæſt. 3. Marſ. quæſt. 3. artic. 2. concl. 3.
Et ex recẽtioribus Michael de Palac. diſt.
5. diſput. 1. prope finẽ in cõcl. 3. & Molina
1. p. q. 63. arti. 5. Pro cuius explicatione, &
quæſtionis more ſolito ſunt notanda non- *1. Notab.*
nulla, quorũ primũ eſt, ꝙ in hac quæſtione
variant Thomiſtæ inter ſe circa quæſtionẽ
illam an voluntas Angelorum in prima ſua
operatione fuerit potentia naturalis, vel li
beta

beta, & ſi erat libera an fuerit libera quo ad exercitium tantum, & naturalis quoad ſpecificationē an verò fuerit naturalis quo ad exercitium ſicut quo ad ſpecificationem, nam Caiet. ſæpe ſæpius docet voluntatem prius operari neceſſario quatenus habet rationē naturæ quam operetur ex libertate quia voluntas prius conſideratur vt natura quam cōſideretur vt volūtas, & prima operatio conuenit voluntati quatenus natura eſt, & non quatenus voluntas eſt, & ſecundum hoc dicendum eſſet quod voluntas angeli in prima eius operatione non eſt libera quo ad ſpecificationem, nec quo ad exercitium, ſiquidem eſt operatio naturalis, & per cōſequens determinata quo ad vtrūq;. Alij autem fatentur voluntatem Angelorū in ordine ad primam operationem fuiſſe liberam quo ad exercitium, determinatam tamen quo ad ſpecificationem.

2. *Notab.* ¶ Secundò eſt notandum inter Thomiſtas etiam eſſe differentiam circa iſtam quæſtionem quātum ad peccatū cōmiſsionis, nam ſunt qui dicant quod quanuis angeli nō potuerint peccare peccato cōmiſsionis, bene tamen peccato omiſsionis. Alij vero de vtroque peccato intelligunt ſententiā Diui Thomæ.

3. *Notab.* ¶ Tertiò eſt notandum: ſuppoſita opinione communi Thomiſtarum quā etiam docet Caiet. quæſtione illa 63. art. 5. nēpe voluntatem Angeli eſſe liberā quoad exercitiū in primo inſtanti, quæſtio in præſentiarum, ea eſt. Vtrū prima Angeli operatio potuerit eſſe peccaminoſa, & peccatum, & in hoc ſenſu quæſtione explicata, docent nonnulli ꝙ iſta ſentētia non pōt habere partem affirmatiuam veram, modo de facto, quia Angeli fuerunt creati in gratia, quæ repugnātiam habet cum peccato pro eodem inſtanti: ita Palacios vbi ſupra, & Epiſcopus Angles, in ſuis Floribus ſuper ſecundum diſt. 5. & etiam videtur illā docere Molina qui vbi ſupra in ſolut. ad 2. docet ꝙ præuidens Deus nullū Angelorū in primo inſtanti appoſiturū obicem per peccatum condidit omnes in gratia, ꝙ ſi præuidiſſet aliquē appoſiturū obicem vt de facto poterat eū nō crearet in gratia. Vnde ꝙ omnes fuerint creati in gratia habuit dependentiā tanquā à conditione ſine qua nō fuiſſent in ea creati ex eo ꝙ pro ſua libertate peccaturi nō eſſent in primo inſtāti. Denuq; id præuideret. Ex qua ſolutione apparet ꝙ iam creati in gratia nō potuerūt in primo inſtāti peccatū cōmittere, ſed ſi verus eſt ſenſus quæſtionis nēpe vtrū prima operatio Angeli potuerit eſſe peccaminoſa, non video quæ repugnātia ſit ꝙ Angelus poſsit peccare in primo inſtāti cōditus in puris naturalibus, & ꝙ nō poterit peccare in primo inſtanti cōditus in gratia præcipuè in ſententia Illius qui quæſt. 62. artic. 3. docet longè probabilius eſſe Angelos ſine vlla præuia ſua diſpoſitione gratiā accepiſſe. Cum igitur prima operatio Angeli poſsit eſſe poſt infuſionē gratiæ, nam vt cōmuniter docent Thomiſtæ primū inſtans angelorū, de quo præſens, quæſtio intelligitͬ in prima operatione incipit, Potuit Deus per vnum diem vel menſem vel annū produxiſſe angelum in gratia & ꝙ Angelus per totū illum annū nō habuiſſet operationē aliquā intellectus vel volūtatis, ex eo ꝙ potuit Deus nō concurrere tanquā cauſa vniuerſalis cū illis potentijs ad operandū, & poſt annū lapſum Deus talibus potētijs cōcurrere, & tūc inciperet primū inſtās, & de hoc quæritur, vel de operatione in illo inſtanti, nēpe vtrum prima illa operatio quā Angelus produceret poſſet eſſe peccatū, necne, nā ꝙ illa operatio incipiat cū eſſe rei, vel nō incipiat, nihil attinet ad præſentem difficultatē, præcipuè ſi volūtas effectiuè, & libere cōcurrit (vt cōcurrit) producēdo illam volitionem, nā nō minus eſt in poteſtate voluntatis elicere illā primā operationē qn̄ volitio incipit cū eſſe ipſius rei, quā quādo volitio incipit poſt annū expletum eſſe ipſius rei. Vnde ſi poſt annū expletū poterat prima operatio eſſe peccatū, etiam qn̄ incipit cū eſſe rei poterat etiā eſſe peccatū, & ſi poſt annum expletū poterat eſſe peccatū talis prima operatio etiā ſi Angelus eſſet conditus in gratia, etiā prima operatio Angeli poterat eſſe peccatū quāuis ſimul inciperet eſſe cū eſſe ipſius Angeli etiā in gratia ꝓducti, dum tn̄ illā nō reciperet per propriā diſpoſitionē, tunc enim eſſet implicatio ꝙ Angelus reciperet gratiā per propriā diſpoſitionem, & ꝙ ſimul poſſet peccare loquēdo de potētia quæ dicit ordinē ad actū, nā peccatum, & illa actio diſpoſitiua ad gratiā repugnāt inter ſe, & ſic nō poſſunt ſimul reperiri actuale peccatū, & illa vltima diſpoſitio ad gratiā ex auxilio ſupernaturali elicita. Poſito tamen quod Angelus ſit productus in gratia reſpectu cuius tantum receptiuè ſe habuit ſine aliqua præuia diſpoſitione

Nota ſenſum huius quæſtionis

ſi in puris naturalibus conditus potuit primam operationem peccaminoſam elicere, etiā talis in gratia productus, poterat primam operationem defectuoſam elicere.

4. Notab. ¶Quartò eſt notandū, ꝙ Thomiſtæ præcipuū fundamentū quod habēt, quare prima operatio Angeli non potuit eſſe peccatum id eſt, quia operatio prima voluntatis angelicæ ſequitur naturalē diſpoſitionē inſitam ab authore naturæ, & ex parte intellectus, & ex parte voluntatis. Vnde ſi aliquis defectus ineſſet illi primæ operationi neceſſario reducendus eſſet ad diſpoſitionē naturalem intellectus, & voluntatis, & nō ad libertatem eius, quia voluntas quanuis ſit libera in primo inſtanti ad operandū, vel non operandum, tamē ſi operatur ex neceſsitate naturali debet operari iuxta diſpoſitionē ab authore naturę inſitam, & propter hoc colligitur Angelum in primo inſtanti peccare non potuiſſe peccato cōmiſsionis, & quia omiſsio vt ſit culpabilis debet eſſe voluntaria, & vt ſit volūtaria ſemper poſtulat actū poſitiuum quo quis velit illā, qui actus neceſſario eſt inordinatus: ideo cum Angelus non potuerit habere in primo inſtāti actū poſitiuū inordinatum, alioquin poſſet peccare peccatum commiſsionis, ideo nec potuit habere omiſsionem culpabilem, & in hoc fundant expoſitores Diui Thomæ ſententiam ſui Magiſtri.

Vltimo notab. ¶Vltimò eſt notandum, quòd quanuis potentia naturalis quæ determinata eſt ad ſuā operationem debeat elicere actum primū, & omnes reliquos iuxta inclinationem ipſius potentiæ determinatæ: potentia tamen libera, & indeterminata non tenetur elicere actum conformem ſuæ inclinatione, ſed poteſt elicere, & non elicere, alias non eſſet indeterminata, ſed ad operationē determinata. Si igitur primus actus volūtatis angelicæ fuit liber, & à potentia libera elicitus potuit igitur voluntas & elicere illum conformem ſuæ inclinationi, & non elicere illum conformem ſuæ inclinationi, quanuis non poſsit elicere illum difformē ſuæ inclinationi, & in hoc fundatur oppoſita ſententia.

Prima cõclusio. ¶Prima concluſio. Nullus angelorū in primo inſtanti ſuæ creationis peccauit. Hæc cōcluſio cōmunis eſt omnibus catholicis. Et probatur, nam ſecundū cōmunē ſententiā omniū Doctorū, omnes Angeli fuerunt creati in gratia, vt diximus ſupra diſputatione præcedenti, & omnes receperunt ſecundū probabiliorē ſententiam gratiā præuia ꝓpria diſpoſitione ſua, ergo nullus Angelorū peccauit in primo inſtanti ſuæ creationis. Præterea D. Bonauent. in. 2. diſt. 3. ait oppoſitū eſſe damnatum à Doctoribus Pariſienſibus vt erroneū. Et Leo I. epiſtola 91. ad epiſcopū Aſtoricenſem Turibium c. 6. vbi damnat Priſcillianū, & Manichæū in duobus quorum alterū erat quod diabolus nunquā fuit bonus, & probatur ex illo Iſaiæ 14. Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer qui mane oriebaris. Et Geneſ. 1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Et Luc. [illegible]. Videbam Satanam ſicut fulgur de cælo cadentem, fuit igitur diabolus aliquando in cælo, & per cōſequens aliquādo bonus. Et Ioan. 8. In veritate nō ſtetit. Et Ezech. 28. Tu ſignaculum ſimilitudinis Dei plenus ſapientia, & perfectus decore in delicijs paradiſi fuiſti. Et ſequitur, tu cherubim extenſus, & protegens & poſui te in monte Sancto Dei in medio lapidum ignitorum ambulaſti perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ donec inuenta eſt iniquitas in te, vbi lapides ignitos appellat Angelos charitate ardentes. Et in Concilio Lateranenſ. vt habetur in cap. firmiter. de ſumma Trinitate & fide Catholica. diffinitur quod diaboli, & alij dæmones à Deo quidem natura creati ſunt boni, ſed ipſi per ſe facti ſunt mali. Et in Concilio Carthaginē. 4. capit. 1. inter alia fidei dogmata, in quibus examinari præcipitur in epiſcopum ordinandus vnum eſt, num credat diabolum non per conditionem, ſed per arbitrium factum eſſe malum. Et in Concilio Bracharenſ. 1. capit. 7. ſi quis dicit, diabolum non fuiſſe prius Angelum bonum à Deo factū, Anathema ſit. Probatur etiam ex Diuo Auguſtino 11. de ciuitate capit. 15. & 12. capit. 9. vbi docet omnes Angelos à principio creationis fuiſſe in amore caſto conditos, & 11. ſuper Geneſim ad literam. capit. 21. 22. & 23. Origenes Homilia 1. ſuper Ezechielem, dicit quod ſerpens antiquus non fuit ſtatim à principio contrarius veritati, nec ſtatim ſupra pectus ſuum & ventrem ambulauit. Diuus Anſelmus libro de caſu diaboli. capit. ſexto, & 27. dicit quod diabolus habuit rectitudinem, & iuſtitiam originalem, ſicuti cæteri ſtatim à principio, & quanuis Diuus Auguſt. à capit. 19. ſuper Geneſim ad literam diſputans hanc

quæ-

quæſtionem deſendat Angelos peccaſſe in primo inſtanti, poſtea tamen 11. de ciuit. & 12. ſuam dubitationē quā in illo libro habuit rerractauit, & veram ſententiā confirmauit· Eandem ſententiā docet Baſilius ſuper illud Pſal. 32. Verbo domini cæli firmati ſunt, inquit Angelos initio vt eſſent verbum opifex omnium cōdidit, ſanctificationem vero ſimul impēdit ipſis Spiritus ſanctus. Et paulò inſra. in prima inquit· cōſtitutione, & quaſi quadā conſperſione ſuæ ſubſtantiæ ſimul infuſam habuerunt ſanctitatē D. Cyrilus in Ioau. cap. 6. ſic ait in veritate non ſtetit, quia prolapſus eſt à veritate, nec voluit manere in ſuæ originis ſanctitate, à iuſto, & bono Angelo diabolus ſactus eſt.

Secunda concluſio. ¶ Secunda concluſio. Angelus in primo inſtanti ſuæ creationis potuit peccare peccatum omiſsionis. Hæc concluſio communis eſt Doctori, & nonnullis ex Thomiſtarum *Probatur primo.* familia, & probatur, potuit angelis imponi præceptum de aliquo faciendo in primo inſtanti. v. g. fingamus quod fuit illis impoſitum præceptum conuertendi ſe in Deū in primo inſtanti, ſicut eſt impoſitum præceptum iuxta ſentenriam D. Tho. 1. 2. quæſt. 89. homini, ſtarim cum peruenerit ad vſum rationis impoſito tali præcepto potuit angelus conuertere ſe in Deum & non cōuertere, ergo potuit omittere cōuerſionis præceptum, & per conſequens peccare in primo inſtanti peccatum omiſsionis. Ad hoc *Solutio.* argumētū reſpōdent expoſitores D. Tho. dicentes inintelligibilem eſſe omiſsionem voluntatis culpabilem in primo inſtanti, niſi etiam refunderetur in authorem iudicij. Et præterea, quia nunquā D. Tho. aſſeruit culpabilē omiſsionē cōtingere poſſe abſq; aliquo actu præcedēti: ſaltim in intellectu, nam qui nūquā cogitauit, aut intellexit nō poteſt omittere. Hinc ergo cum in primo inſtanti Angeli nō potuit eſſe actus intellectus niſi omnino verus ſpeculariuè & practicè, nec aliquo pacto potuit eſſe iudiciū cum inconſideratione, quia talis inconſideratio attribueretur crearori, & uon eſſet proprie inconſideratio, ſed nō cōſideratio. Hanc ſolutionē dicunt Caier. in illo arti. ꝙ ſi quis replicet, angelus poterat nō operari, & ſimul habere præceptum, ergo potuit omittere. reſpōdent nihil valere cōſequentiam quoniā ſtante præcepto aliud erat iudiciū ſibi datū ab authore naturæ ꝙ quidē non poterat eſſe niſi verum practicū abſq; inconſideratione ac proinde voluntas non poterat oppoſitum operari. Addunt tamē impoſsibile eſſe in illo inſtanti, ꝙ Angelus non operetur, & habeat præceptum operandi, nec hoc tollit libertatē, nam Chriſtus dominus libere volebat mori, & ſimpliciter loquendo poteſtatem habebat volendi mori, & non volendi mori, & nihilominus ſtante præcepto veriſicari non poterat, non vult mori, non enim præceptum ſuperueniens libertatem deſtruit. ¶ Contra iſtam enim ſolutionē ſic argumentor. Primo quia mul- *Impugnatio.* ta inuoluit quæ vel non cōtinēnt omnimodam veritatem, vel non ſunt ad propoſitū. *Solutio.* In primis quod aſſerit de Chriſto Domino quid ad rem, nam Chriſtus dominus nec in primo nec in aliquo inſtanti potuit peccare, & quia primus cōfirmatorū in gratia, & quia beatus, & quia habebat vnitam hypoſtaticè humanitatem verbo. Angelus autē in primo inſtanti nullo horū gaudebat priuilegio, ergo ex priuilegijs Chriſti, & ex eius impeccabilitate, nō oſtenditur impeccabilitas Angeli in primo inſtanti. Secūdo quia accipit pro fundamēto nō eſſe dabilē purā omiſsionē culpabilē, quæ quidē ſententia nō habet Deo certā veritatē, vt eius oppoſitū nō poſsit probabiliſsime opinari, & probatur ꝙ dabilis ſit pura omiſsio culpabilis. Primo ad peccatū omiſsionis ſatis eſt volūtaria omiſsio eius quod quis tenetur ſacere. Sed hæc omiſsio poteſt eſſe ſine omni actu interno, vel externo qui ſit eius cauſa, vel occaſio, ergo peccatū omiſsiōis poteſt repetiri ſine omni prorſus actu interiori, ſiue exteriori, qui cōcurrat ad ipſum tanquā cauſa, vel occaſio, Maior patet, quia omne voluntariū quod eſt contra aliquod præceptum eſt peccatum: & præterea quia ideo reperiuntur omnes cauſæ peccati omiſsionis, ſcilicet aliquē teneri ad faciēdū aliquid poſſe facere, & non ſacere. Minor vero probatur, quia occurrente tempore quo præceptum obligat. v. g. ad diligēdum Deum, poteſt quis ratione alicuius negligentiæ culpabilis habere ſe merè negatiuè ex parte voluntatis circa actum illum ita vt nullū omnino habeat actū in volūtate quo velit aut elicere, aut non elicere eum, vel facere aliquid aliud quo impediatur ab eo, quod ſi quis reſpondeat vt nonnulli reſpondent dicendo negligentiam illam non eſſe voluntariā, quod tamen requiritur vt promiſsio ex ea prouenies ſit peccatū, niſi ratione ali

cuius actus voluntatis, quo vel tunc, vel antea fuerit volita. Contra, quia vt omiſsio ſit peccatum ſatis eſt quod negligentia ſit voluntaria indirectè, vt autem negligentia ſit hoc modo voluntaria ſatis eſt, quod voluntas poſsit, & teneatur eam vitare excitando intellectum ad actum ſolicitudinis ei oppoſitum, & non vitet, & ad hoc non eſt neceſſarius actus voluntatis, quo ipſa neglīgētia ſit volita, vt patet ex D. Tho. ſecūda ſecundæ, quæſt. 6. artic. 3. Confirmatur, nā D. Tho. ſecunda ſecundæ, quæſt. 54. arti. 3. ita inquit negligentia prouenit ex quadā remiſsione voluntatis, per quam contingit quod ratio non ſolicitetur vt percipiat ea quæ debet, vel eo modo quo debet, ergo ad negligentiam non requiritur actus voluntatis quo ſit volita. Quod ſi reſpondeas, dato hoc verum eſſe adhuc tamen non probari

Solutio. Angelum in primo inſtanti poſſe omittere culpabiliter, nam intellectus Angeli in ſua prima operatione cognouit ſe, cognouit & Deum abſque aliquo defectu, & per conſequens voluntas non tenebatur excitare intellectum ad actum circa ſe, vel circa

Impugnatio. Deum, Contra Angelo potuit imponi præceptum in primo inſtanti de modo diligendi Deum, quem modum poterat Angelus non conſiderare quamuis cognoſceret ſe, & Deum, tenebātur igitur voluntas Angeli excitare illum ad conſiderandum modum illum, quod non faciens peccaret peccato omiſsionis.

Secundo probatur concl. ¶Secundò probatur, concluſio. Poteſt quis aduertere ſe teneri ad eliciendum actum dilectionis: & ſuſpendere ſimul eum, & omnem alium actum voluntarium, ergo tunc reperietur peccatum omiſsionis abſq; omni actu qui ſit eius cauſa, vel occaſio. Patet conſequentia, quia in primis ille peccauit peccatum omiſsionis, vt conſtat ex probatione maioris præcedentis argumenti, & colligitur ex illo Iacobi 4. Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi, quod intelligitur de eo qui nō facit cū præceptum obligat ad faciendum, & nullus actus voluntarius eſt cauſa, aut occaſio talis omiſsionis cum ex ſuppoſitione, nullus ſit ibi actus voluntarius præter aduertentiam qua videt ſe ad id teneri, quæ tamen nō eſt cauſa, aut occaſio omittendi, cum potius inſtiget & moueat ad oppoſita. Antecedens vero probatur: nā voluntas in illo caſu non ſolū eſt libera ad eliciendū, & nō eliciendū actum dilectionis quod omnes cōcedūt, ſed etiā ad eliciendū, & non eliciendū quēcūq; alium actum, ergo ſicut libere poteſt elicere, aut non elicere actum dilectionis, ita & quēcūque alium actum, & ex cōſequenti ſicut poteſt ſuſpēdere actum dilectionis, ita, & omnem actum voluntariū. Quod ſi quis

Solutio. reſpondeat, ꝙ quāuis hoc argumentū locū haberet in ſecundis operationibus Angelorum, non tamen in prima operatione Angelorū, nam voluntas oſtenſo ſibi D. T. O. ex cognitione ſuæ ſubſtantiæ, ſicut nō poteſt nō

Impugnatio. diligere ſe, ita nō potuit non diligere Deū, & per cōſequens nō potuit ſuſpēdere eā dilectionē. Cōtra volūtas reſpectu illius act⁹ fuit libera libertate cōtradictionis, ergo potuit ſuſpendere actum illum præcipue ſi dilectio Dei terminabatur ad aliquem modū, ideſt ſi angelus tenebatur diligere Deū ſub aliquo modo. Confirmatur, nam ſi voluntas Angeli non poterat ſuſpendere talem actum ſed neceſsitaretur ad illū, ergo volūtas in illo actu nō eſſet potētia libera, neq; ille actus eſſet voluntarius, & per cōſequēs ſicut non potuit eſſe peccatū, neque poſſet eſſe meritū, ergo. Quod ſi quis reſpondeat

Solutio. primo cū Enricū de Gādauo, ꝙ talis omiſſio actus in illo caſu, qn̄ quis. v. g. aduertit ſe teneri ad actū dilectionis, & ſuſpendit ſimul eū, & omnē alium actū eſt negatiua, & nō priuatiua, & ideo nō eſſe peccatū. Con-

Impugnatio. tra, omi[illegible]io actus debiti qualis eſt ille. De quo loquimur cū ad eū obliget præceptū nō eſt negatiua, ſed priuatiua, cū ſit carētia formæ, ac perfectionis debitę, ergo. Cōfirmat[illegible]r, quia alias poſſet homo ſubtrahere ſeipſum ab obligatione præcepti, eo tempore quo præceptum obligat.

Solutio. ¶Alij autem reſpondent ad prædictū argumentū, illam omiſsionē nō eſſe voluntariā, & per conſequens nō eſſe peccatū.

Impugnatio. Cōtra, vt aliquid ſit voluntariū nō eſt neceſſariū eſſe volitū aliquo actu, neque formaliter, & immediatè, nec virtualiter, & cōſequutiuè, ſed ſatis eſt eſſe in poteſtate volūtatis, quantū ad fieri, & nō fieri ſicut patet in actu vol[illegible]tatis, qui quāuis nō ſit volitus alio actu, dicitur volūtarius, quia eſt hoc modo in poteſtate volūtatis, ſed omiſsio in noſtro caſu eſt etiam in poteſtate volūtatis, q[illegible] volūtas poteſt eā impedire, & non impedire exercendo, aut nō exercendo actu ei oppoſitū, ergo eſt volūtaria q[illegible]uis nullo modo ſ[illegible] volita aliquo actu formali. Cōfirmatur, libertas qua volūtas

tas poteſt exire,& nõ exire in actũ ſufficit vt voluntas habeat dominiũ actus,& vt ipſe actus dicatur voluntarius, ergo etiam libertas qua voluntas poteſt impedire,& nõ impedire omiſsionem ſui actus, ſufficit ad vtrumque reſpectu omiſsionis. Quod ſi reſpondeas cum Capreolo in ſecundo diſtinctione. 35. in ſolutione ad primum Duran. contra ſecundam concluſionem hoc argumentum ſolum probare ſatis eſſe vt omiſſio ſit voluntaria, quod ſit illo modo in poteſtate volũtatis,& ad hoc nõ requiri actũ, quo ipſa ſit volita per ſe,& directè, non tamen non requiri actũ qui ſit eius cauſa, vel occaſio, quia nõ eſt liberum volũtati omittere actum in noſtro caſu niſi exercendo alium actum qui ſit cauſa omiſsionis, vel per accidens.

Solutio.

Impugnatio. ¶ Iſta tamẽ ſolutio facile poteſt impugnari eodẽ exẽplo actus eliciti à voluntate, nã vt ille talis ſit in poteſtate volũtatis, ita quod voluntas libere poſsit eum exercere nõ tequiritur alius actus qui ſit eius cauſa, vel per ſe, vel per accidens. Quod ſi reſpõdeas cum Capreolo ibidem in fine ſolutionis hoc eſſe diſcrimen inter actum, & omiſsionem, quod actus eſt volũtarius formaliter, & per ſe, omiſsio vero ſolum eſt voluntaria virtualiter, & conſequutiue, aũt per accidens, quia omiſsio cum ſit negatio nõ poteſt eſſe volita ratione ſui, ſed ratione alicuius poſitiui, quod ſit primo, & per ſe volitum, & ideò ad omiſsionem peculiariter requiri aliquem actum, qui ſit volũtarius formaliter, & per ſe, & ſit aliquomodo eius cauſa, quia omne quod eſt tale per accidẽs reducitur ad id quod eſt tale per ſe tanquã in cauſam.

Solutio.

Impugnatio. ¶ Sed contra hanc ſolutionem facit nam illa procedit ex æquiuocatione, cum in ea ſumantur pro eodem eſſe volitum tanquam obiectum, & eſſe voluntarium, quia eſt in poteſtate voluntatis, vt ſit, vel nõ ſit, ex eo quod omiſsio eſt volita per accidens aut conſequutiue, ad aliquid prius volitum colligitur quod etiam ſit eodem modo voluntas. Et contra ipſam ſolutionem ſic argumentor, vel libertas volũtatis, æque immediate reſpicit actũ,& eius negationẽ quando ſcilicet eſt volũtas libera ad actũ libertate cõtradictionis niſi quia eſt libera ad eius negationem, ergo ſicut actus eſt immediate, & ſecluſo omni alio actu in libera poteſtate voluntatis, ita etiam eius omiſsio, & ex conſequenti ſicut actus eſt immediate voluntarius, ita etiam omiſsio, quia vt dictum eſt eſſe voluntarium non ſumitur hic pro volito per modum obiecti, ſed pro eo quod eſt in poteſtate voluntatis, vt ſit, vel nõ ſit, & per hoc patet ſolutio ad quoddam argumentũ quorundã qui cũ Capreolo obijciunt dicẽtes omiſsionẽ non eſſe volũtariã formaliter, & immediatè, aut per ſe, ſed virtualiter & cõſequutiue, aut per accidens, & ideò debere reduci ad aliquod poſitiuum ꝙ ſit volũtariũ formaliter, & per ſe tanquã in ſuã cauſam, & ex cõſequenti nõ poſſe omiſſionem eſſe voluntariam ſecluſo actu volũtatis; reſpondetur enim in primis diuiſionem hanc voluntarij in voluntarium per ſe, & per accidens, aut formaliter, & virtualiter ſi propriè loquamur ſolum eſſe intelligendam de voluntario quatenus habet rationem obiecti voliti, non autẽ de eo quod ſolum dicitur voluntarium, quia eſt in libera poteſtate voluntatis.

¶ Secundò etiã poteſt dici ꝙ ſi diuiſio illa extendatur etiã ad iſtud voluntariũ omiſſio de qua loquimur dicetur voluntaria formaliter, & immediatè, & per ſe nõ quidem directe, ſed indirecte, nam illa quæ requiruntur ad voluntarium indirecte (nempe voluntatem teneri, & poſſe vitare ipſum, & non vitare) conueniunt illi omiſsioni formaliter immediate, & per ſe & non ratione alterius.

¶ Tertiò autem reſpondetur omiſsionem illam reduci in volitionem interpretatiuã quæ non eſt actus formalis, ſed ipſa voluntas cum libertate ad omittendũ, & nõ omittendum, & cum obligatione ad non omittẽdum, quando enim voluntas ita ſe habet, & omittit poſſumus interpretari ipſam dicẽdo quod vult omittere, & ſic patet ꝙ reſponſio illa Capreoli non reſpondet ad argumentum.

¶ Alij autem prædicto argumento reſpondent negando antecedens quo ad ſecũdam partem, ſcilicet, quod voluntas in illo caſu, nempe quando occurrente tempore quo præceptum obligat ad diligendum Deum poſsit ſuſpendere omnem actum voluntarium, & vt reſpondeant probationibus ſupponunt, poſſe voluntatem eſſe determinatam neceſſario ad eliciendum aliquem actũ vagè, & indeterminate, & nihilominus cõcurrere ad quemcunque actum determinatè, & indiuiſiue: ſicut verbi gratia homo tẽ- *Solutio.*

pote ſuæ vitæ liberè poteſt vitare quodcũ què peccatum veniale ſumptum determinate, & diuiſiuè, non tamen omnia ſine ſpeciali priuilegio, & gratia, & ſicut homines poſſunt impedire quamcunque generationem humanam determinate ſumptam & tamen non poterunt impedire omnes generationes, aut aliquas indeterminatè, ſcilicet eas, quæ neceſſariæ fuerunt ad ſpeciei conſeruationem, & huius generis ſunt plura exempla, in quibus reperitur libertas circa ſingularia ſumpta determinate, & diuiſiuè, & non circa totam collectionem eorum, hoc ſuppoſito dicunt, argumentum ſolum procedere ſi intelligatur de quocũque alio actu determinate, & diuiſiuè, non tamen ſi intelligatur de quocunque alio indeterminate, & ita ex eo ſolum poſſe colligi, quod voluntas poſſit ſuſpendere quemcunque alium actum determinate, & diuiſiue, non tamen quod poſſit ſuſpendere omnem aliũ actum voluntarium: neque ex hoc ſequi eã neceſsitari ad aliquem actum diuiſiuè, & determinate, ſed ſolum neceſsitari ad aliquẽ vage, & indeterminate, cum quo ſtat, quod quicũque actus ab ea tunc elicitus ſit liber, & voluntarius, quia non elicitur actus vage ſumptus, ſed determinate, & in particulari.

Impugnatio. ¶ Sed cõtra, quia in tali caſu nihil eſt, quod neceſsitet voluntatem ad exercitiũ actus, quod ſit cauſa, vel occaſio omittẽdi, etiam ſi actus ſumatur vage, & indeterminate. Probatur hoc, in primis non neceſsitatur à Deo, alias Deus moueret, determinate voluntatem, ad cauſam, vel occaſionem peccati, & conſequenter ad peccatum. Neque etiam neceſsitatur à propria natura, quoniam (alias) neceſsitaretur ab authore ipſius naturæ, & per conſequens eſſet refundendum peccatum tale in authorem naturę. Et ſecundo reſpectu illius actus natura nõ ageret libere. Neque etiam neceſsitatur à bonitate ipſius exercitij, quoniam bonitas exercicij non neceſsitat voluntatem, niſi talis bonitas apprehendatur ſub ratione bonitatis ſimpliciter, & nullam habentis rationem mali, neque defectus, vt in beatis, quod id non ita ſit, neque poteſt fieri, ergo nihil eſt quod in caſu prædicto voluntatẽ neceſsitet, patet ſequela, nam voluntas tantum mouetur ad exercitium, vel à Deo, vel à propria natura, vel à bonitate ipſius exercitij vt apprehenſa, ergo ab his tribus tantum poteſt habere modũ ipſius exercitij, ſcilicet, neceſsitatem.

Solutio. ¶ Quod ſi quis reſpondeat hanc neceſsitatẽ (de qua loquimur) non eſſe neceſsitatẽ ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione, & ideo nõ eſſe neceſſarium quod proueniat ab aliquo ex illis tribus, ſed poſſe prouenire ex ſuppoſitione aliqua, (ſcilicet,) ex ſuppoſitione quod homo aduertit ad præceptum, aut quod peccat peccato omiſsionis, ſicut in exemplis ſupra adductis prior neceſsitas prouenit ex infirmitate naturæ humanæ, ſecunda autem ex ſuppoſitione quod ſpecies ſit conſeruanda.

Impugnatio. ¶ Contra, inprimis iſta neceſsitas non prouenit ex aduertentia ad præceptum, nam vt paulo antea dicebamus) aduertentia ad præceptum potius inſpirat, & mouet ad ipſius præcepti adimpletionem, ergo nõ neceſsitat voluntatem ad eliciendum actum, qui ſit cauſa, vel occaſio tranſgrediendi ipſum præceptum, neque etiam prouenit ex ſuppoſitione peccati, quia ſequeretur ꝙ peccatum omiſsionis præcederet determinationem illam voluntatis, & actum ex ea procedentẽ, & ex conſequenti, quod actus ille non eſſet cauſa, vel occaſio omiſsionis: probatur ſequela, nam ſuppoſitio ex qua ſequitur volũtatem neceſsitari in ſenſu cõpoſito ad aliquem effectum, vel eſt cauſa talis neceſsitatis, & determinationis, vel ſaltim tenet ſe ex parte cauſæ, & ex conſequẽti, præcedet eam, ex quibus ſupradictis rationibus, & confirmationibus ſatis apparet quomodo in nobis ſit dabile aliquod peccatum purę omiſsionis, & per conſequens, ſatis etiam apparet, nullum eſſe inconueniẽs dabile eſſe in primo inſtanti Angelorũ peccatum omiſsionis, ſiquidem voluntas Angelorum cum eſſet libera libertate exercitij, & nullo modo neceſsitata, nec ab ipſa natura, neq; à Deo quia in talibus duobus caſibus non maneret voluntas libera, neque etiam à bonitate proprij exercitij, cum in illo non reperiatur ratio omnis boni, reſtat igitur poſſe Angelum omittere operationem pro illo inſtanti, pro quo tenebatur illam elicere.

Solutio aliorum. ¶ Alij igitur aliter reſpondent dicentes, quod in illo primo inſtanti non potuit eſſe peccatum omiſsionis, ex eo, quia propter peculiarem diuinæ prouidentiæ cõcurſum libertatem dirigentẽ, & quia reſpectu primi inſtantis Angelus erat quaſi confirma-

tus

tus in rectitudine primæ operationis, vt peccare non poſſet, & quia illa omiſsio nullo modo potuit eſſe voluntaria, neque in ſe per proprium actum, neque in aliqua cauſa, aut principio, quia omnia quæ Angelus habuit in primo inſtanti cum omni modo, & diſpoſitione, neceſſe eſt attribuantur authori naturæ. Et rurſus culpabilis omiſsio contingere non poteſt abſque aliquo actu præcedente, ſaltem in intellectu, qui enim nunquam cogitauit, aut intellexit non poteſt, omittere atque ita cum in primo inſtāti creationis non potuerit in Angelo eſſe actus intellectus qui non eſſet verus ſpeculatiuè, & practicè abſque omni inconſideratione, alioqui defectus tribueretur authori naturæ idcirco, non eſt intelligibilis culpabilis omiſsio, niſi etiam illa refunderetur. In authorem naturæ, & in authorē iudicij defectuoſi præcedentis ipſius intellectus.

Impugnatio prima. ¶ Contra hanc ſolutionem ſic argumentor in primis vt ſupra dictum eſt ad hoc quod illa omiſsio ſit voluntaria non eſt neceſſarium quod ſit volita in ſe, neque in aliquo alio, ſed ſatis eſt quod procedat à voluntate quatenus poteſt elicere, & non elicit.

Secunda. ¶ Secundò, quod illa omiſsio non eſſet tribuenda authori naturæ patet ex eo, nam actus elicitus à volūtate, & prima eius operatio non eſt tribuenda authori naturæ, ſiquidem meritum quo Angeli in primo inſtanti meruerunt, non authori naturæ, ſed Angelis tributum eſt, ergo nec omiſsio tribuenda eſſet authori naturæ.

Tertia. ¶ Et tertio, quia ſtāte iudicio practico (bonum eſt operari hic, & nunc) poteſt voluntas non operari, ergo quāuis Angeli habuerint iudiciū practicum, verū reſpectu hic, & nunc, poterat eorum voluntas pro illo nunc non operari, & hoc maximè, nam Angelus in primo inſtanti non ſolum habuit cognitionem vltimi finis, ſed etiam eorum quæ ſunt ad finem, ergo potuit habere in conſideratione reſpectu alicuius, quæ ſunt ad finem, vel dato quod non habuerit, potuit voluntas non elicere actum reſpectu alicuius, quod eſt ad finē, & impoſito præcepto de illo, omittere circa præceptum, & per conſequens, peccare peccatum omiſsionis. Illud autem quod dicunt peccatum repugnare in illo primo inſtanti propter peculiarem diuinæ prouidentiæ concurſum, falſum eſt, nam talis concurſus peculiaris non tollit à voluntate rationem libertatis, ergo ſi ex defectu libertatis non eſt repugnantia, neque propter talem concurſum erit repugnantia, alias enim ille concurſus tolleret, quod voluntas non poſſet omittére quod falſum eſt, ſi libera māſit, vt ipſi fatentur. Neque exemplum quod adducunt de Angelis beatis, qui peccare non poſſunt non quia libertate priuantur, ſed ratione ſtatus eſt ad propoſitum, quia volūtas beatorum aliter ſe habet reſpectu ſui obiecti beatifici, quam voluntas Angelorum reſpectu primæ operationis, præcipuè, quia in via D. Thom. voluntas beatorum non ſolū eſt determinata quo ad ſpecificationē, ſed etiam quo ad exercitium, at verò voluntas Angeli reſpectu primæ operationis quamuis fuerit determinata quo ad ſpecificationem, non tamen fuit determinata quo ad exercitium, ſed proceſsit à voluntate indeterminata, & libera.

Tertia concluſio. ¶ Tertia concluſio. Angeli in primo inſtanti ſuæ creationis potuerunt peccare peccā to cōmiſsionis. Hæc concluſio eſt Doctoris,

Prima ratio. & probatur ratione, primus actus quem Angeli elicuerunt, non fuit naturalis, ergo potuit eſſe peccatum, patet antecedens, nā talis actus de facto fuit meritorius, ſed naturalibus nec meremur, nec demeremur, ergo non fuit naturalis. Maior eſt D. Thom. 1. par. quæſtione. 63. articulo. 5. in ſolutione ad quartum.

Confir. ¶ Confirmatur, quia talis actus non fuit ſolum amor ſui, imò fuit amor ſui propter Deum ſuper omnia ſummè dilectum, ergò fuit actus relatus in Deum vt obiectū beatitudinis ſupernaturalis, ergo non potuit eſſe actus naturalis, neque à potentia determinata elicitus, patet ſequela quia actus elicitus à potentia naturaliter determinata, vel ex natura ſua eſt relatus in Deum, vel non, ſi non eſt relatus in Deum ex natura, indiget igitur relatione, ergo cum primus actus Angeli non oriretur à voluntate relatus in Deum, nō fuit igitur actus naturalis quatenus à volūtate procedebat, ſed actus liber, & per conſequens poterat non referri in Deum, finem ſuper naturalem, potuit igitur in primo inſtanti eſſe peccatum, patet ſequela, nam potuit ille actus non eſſe meritorius, ergo quia potuit imponi præceptum Angelis de referendo talem actum in finem ſupernaturalem, potuit ille actus eſſe peccatum.

Solutio. ¶ Quod ſi reſpondeas, quod ſtante præcepto

pto derelatione illa non potuit Angelus iudicare non eſſe bonum non referre illum actum, & per conſequens, non potuit voluntas Angeli non referre illum actum.

Impugnatio. ¶ Contra, ſtante illo iudicio practico bonum eſt referre iſtum actum, potuit voluntas non conformare ſe illi iudicio ex intrinſeca ratione voluntatis, ergo potuit peccare, probatur antecedens in ſecundo inſtanti potuit voluntas non cõformare ſe illi iudicio, ergo & in primo inſtanti.

Solutio. ¶ Quod ſi reſpondeas negando paritatem rationis (vt reſpondent nonnulli in ſolutione ad primam confirmationem) quoniam in ſecũdo inſtanti poterat mutari Angelus ab ea diſpoſitione iudicij practici, in qua creatus eſt, & peccatum quidem mutabilitatem dicit creaturæ intellectualis à recta diſpoſitione, quæ mutatio fieri potuit in ſecundo inſtanti, vbi Angelus iam plene de ſe deliberauerat, habuitque plenariam libertatem.

Impugnatio. ¶ Contra, ergo ſaltim ſtante iudicio practico de hoc faciendo hic, & nunc, poteſt voluntas in ſecundo inſtanti aliter operari, & ſic voluntas non neceſsitatur à iudicio illo practico, & per conſequens nec in primo inſtanti, (id eſt) in prima operatione voluntas Angeli non potuit neceſſari ab illo iudicio practico.

Solutio. ¶ Si autem reſpondeas vt ipſi reſpondent, quod in primo inſtãti & in primo actu reducitur ſimpliciter de potentia in actum à ſolo Deo, & ideo indiget Angelus peculiari concurſu in ſecundo verò, iam ſua libertate cõſummata potiebatur, & ideo potuit ex ſeipſa operari, ſicut etiam in operibus iuſtificationis dicendum eſt, nam licet omnia ſint à gratia prima, tamen conuerſio dicitur à gratia operante, reliqua verò à gratia cooperante.

Impugnatio. ¶ Iſta tamen ſolutio non reſpondet argumento. In primis, volũtas Angeli in ſua prima operatione, ita habet pro cauſa totali ſe ipſam, ſicut reſpectu ſecundæ operationis, ergo eodem modo reducitur de potẽtia ad actum in prima operatione, ſicut in ſecunda, ergo ſi in prima reducitur à Deo, & in ſecunda reducitur, antecedens patet, nam in vtraque operatione voluntas eſt domina ſui actus, vnde quanuis reſpectu operationum ſupernaturalium indigeat auxilio ſuper naturali, hoc tamen totum tenet ſe ex parte potentiæ actiuæ. Vnde voluntas nũquam reducitur à ſolo Deo de potentia ad actum ſecundum, quanuis reducatur de potentia ad actum primum reſpectu operationum ſupernaturalium, ergo ſi conſtituta in actu primo æquè ſeipſam reducit ad actum ſecundum in prima operatione ſicut in ſecunda operatione poteſt deficere, poterit etiam & in prima, & ſimiliter ſi in ſecunda non reducitur à ſolo Deo, neque etiam in prima à ſolo Deo reducetur ad actum ſecũdum. Illud autem quod adducunt de gratia non eſt ad propoſitum, ergo non eſt repugnatia, quod prima operatio Angeli potuerit eſſe peccatum.

Secunda ratio. ¶ Secũdò. Prima volitio Angeli potuit eſſe peccatum, ergo Angelus in primo inſtanti potuit peccare peccato commiſsionis, probatur antecedens. Homo cum peruenit ad vſum rationis poteſt peccare in prima operatione, ergo & Angelus. Maior eſt D. Th. ſequela autem probatur, nam maiorem libertatem habet Angelus in prima operatione, & perfectiorem cognitionem, (id eſt) ad magis ſe extendit prima cognitio Angeli, quam cognitio hominis peruenietis ad perfectum vſum rationis, ſed homo perueniens ad perfectum vſum rationis, ſtatim vt peruenit poteſt peccare, ergo & Angelus.

Solutio. ¶ Ad hoc argumentũ reſpondent nonnulli, negando conſeqnentiam, & ratio differentiæ eſt, quoniam inſtans primum vſus rationis in homine non incipit eſſe in homine in inſtanti creationis ipſius indiuiſibiliter, ſicut cæpit in Adam, de quo etiam negatur, quod in primo inſtanti ſuæ creationis, quãtum libet polleret iudicio perfecto, iuſtificatus cũ diſpoſitione liberi arbitrij peccare potuiſſet, ſed conſideratur vſus rationis hominis, quatenus eſt terminus rationalis diſcurſus, qui fit in tempore, & mora, in qua iam homo mutari poterit à recto iudicio, & dictamine ſynderefis dictantis bonum rationis proſequendum eſſe. Quod ſi inſtans rationis humanæ primum appellaretur illud, quod eſt initiatiuũ diſcurſus, æqua ratio eſſet atque de Angelis, nunc autem primum inſtans vſus rationis appellamus illud, in quo terminatur diſcurſus inceptus à principio iudicij recti naturalis, & propterea illud inſtans poterit terminare actionem bonam, aut malam.

Impugnatio. ¶ Contra. Prima illa operatio moralis hominis peruenientis ad vſum rationis requirit perfectum diſcurſum, vt ſit perfecta operatio

ratio in genere moris, ſed poſito illo perfecto iudicio poteſt eſſe peccatum, in voluntate, ergo & in Angelis, patet conſequentia, nam ſtante in homine illo perfecto iudicio abſque alio iuditio ſuperueniente poteſt voluntas non adimplere, quod iudiciū dictat adimplendum, nullaque eſſet repugnantia in hoc. Et ſtante tale iudicio poteſt voluntas diligere ſeminis, ergo prima operatio Angeli ex parte volūtatis potuit eſſe peccatum ſtante iudicio recto ex parte intellectus, vel omittendo vt dixi in prima concluſione, vel diligendo ſe plus nimio.

Tertia ratio. ¶ Tertiò. Si aliqua ratione Angeli non potuerunt peccare in primo inſtanti, maximè quia illud peccatum refunderetur in authorem naturę. Sed iſta ratio falſa eſt, ergo. Probatur minor in primis, nā illa operatio ſola tribuitur authori naturę, reſpectu cui⁹ natura habet rationem principij paſsiui, vt patet in grauibus, & leuibus, data ſententia D. Thom. quod non mouentur à ſe, ſed mouentur à generante, & ſic motus grauium, & leuium tribuitur generanti, & non grauibus, & leuibus, ſed voluntas reſpectu ſui primi actus non ſe habet paſsiuè, ſed actiuè, cū ſit operatio vitalis, & per conſequens neceſſario requirens propriam potentiam vitalem, ergo illa prima operatio non eſt tribuenda authori naturæ.

Solutio. ¶ Ad hoc argumentū reſpondent nōnulli in ſolutione ad octauum dicētes, quod omnis actio, aut motus, qui incipit cum creatura tribuitur authori naturæ, ſecundum omnem modum quem habet, ſiue illa operatio tribuatur creaturæ, ſiue non. Addūt etiam, quod cum dicunt omnem illam actionem eſſe tribuendam Deo ſecundum omnem illius modum, non intendūt, affirmare, quod Deo tribuatur tanquam principio proximo vitali, hoc enim eſſet maxima imperfectio in Deo, ſed tribuūtur Deo omnes actiones creaturæ in illo primo inſtanti, tanquā cauſæ efficienti, quæ pro tunc, ita omnem modum illarum actionū operatur, vt actiones illæ fiant ſecundum inclinationē à Deo datam, & ſecundum principia Angelis conceſſa infallibiliter. Vnde ſi Angelus peccaret in primo inſtanti, peccatum tribueretur Deo, non ſolum in quantum eſt quædā actio, ſed etiam in quantum eſt peccatum.

Impugnatio. ¶ Cōtra. In primis inclinatio conceſſa Angelis non eſt in aliquod bonum particulare determinatum, ſed in bonum in commuin, ſed operatio voluntatis ſequens iſtam inclinationem poteſt eſſe peccatum, nam ſub bono in communi clauditur bonum apparens, ergo ex eo quod voluntas Angeli in prima operatione ſequatur inclinationem inditam à Deo, non tollitut quin poſsit ipſa peccare.

¶ Præterea, nam prædicti in ſolutione ad primam confirmationem pro ſecundo argumento, ponentes differentiam inter primam operationem Angeli, & pueri peruenientis ad vſum rationis, docent, differentiam eſſe inter Angelum, & talem puerum, nam puer, cū paulatim perueniat ad vſum rationis, in quo variæ diſpoſitiones, aut bonæ, vel malę præceſſerunt, virtute quarum ad alteram partem inclinari poteſt, ideo ſi erumpat in malum opus, non tam etit ex inclinatione naturæ, quam ex vitioſa conſuetudine, vel diſpoſitione & quia homo priuſquam peruenit ad illū primū inſtans vſum rationis habuit multos actus per quos potuit puer comparare prauas qualitates, quibus in primo inſtanti vſus rationis poteſt delinquere, quia eſt male inclinatus, offenſio tribuitur malis actibus præcedentibus inclinatiuè. At in Angelo ille primus actus qui incipit cum natura ex inclinatione, & donis datis à Deo tribuitur authori naturę. *Confir.*

Ex quibus omnibus ſic deduco argumentū. Poterat Deus condere Angelum in puris naturalibus abſque aliquo dono ſupernaturali, imò & abſque aliquo habitu virtutis naturali, ergo ſaltim tunc poterat peccare in inſtāti primo, patet ſequela, quia operatio voluntatis tunc tenderet in bonum ſub ratione boni, & impoſito illi præcepto de diligendo aliquod bonum in particulari poterat non diligere illud bonum in particulari, cum nihil eſſet tunc, quod illam determinaret ad illud bonum particulare, niſi ipſamet voluntas, ergo poterat tunc peccare, ſed talis operatio non refunderetur in authorem naturæ quamuis eſſet prima, ergo nec modo refundenda eſſet in Deum authorem naturæ.

Quarta ratio. ¶ Præterea, habitus conceſsi Angelis ante primam operationem non determinabant voluntatem illorum ad neceſſario eliciendum actum, quia tantū determinabant potentiam ſalua libertate ipſius potentiæ, nulla ergo repugnantia eſt, nec cōtradictionē implicat poſſe nos intelligere primā operationem Angeli eſſe peccaminoſam.

¶ Vltimò

Quarta ratio. ¶ Vltimò non implicat citra errorem, aut ignorantiam, aut inconſiderationem poſſe peccatũ admitti à libera arbitrij facultate, ergo non implicat poſito quocunque iudicio in intellectu Angeli viatoris voluntatem illorum poſſe peccatum committere: Probatur antecedens, nam incontinens apprehenſa muliere iudicans per intellectum illam eſſe bonum delectabile ſibi, ſine alia cõſideratione poſſet illã amare libere, ſed iudicare mulierem pulchram eſſe ſibi bonum delectabile non eſt error, imo eſt verum iudicium, quod ſi ſine altero iudicio hoc ſat eſt ad amandum mulierem, conſequens eſt nullo opprimente errore, aut nulla ſeducente ignorantia, aut nulla extante inconſideratione peccatum admitti poſſe. Quòd ſi hoc probabile videtur in hominibus, multo magis in Angelis.

Reſpondetur argum. ¶ Reſpondetur argumentis, pro prima ſententia adductis. *Ad primũ.* Ad primum quod ex illo argumento tantum colligitur Angelos à Deo conditos maxima cum facilitate elicere actum bonum, cum nullam difficultatem haberent ad illud proſequendum, & maxima cum difficultate poſſe peccare, cum non tantum fuerint creati in rectitudine naturali, ſed etiã in rectitudine ſupernaturali, non tamen ex illo argumento probatur, implicare contradictionem poſſe Angelos in prima operatione peccare.

Ad ſecundum. ¶ Ad ſecundũ reſpondetur; quod ſicuti homines ſtante iudicio recto; & voluntate bene affecta maxima cum facilitate elicerent bonum, & maxima cum difficultate poſſent elicere malum quamuis non eſſet implicatio in hoc quod eſt elicere malum, ita, & multo melius in Angelis qui cum creati ſint boni à Deo, videtur ſere impoſſibile, illos elicere malum operationem, licet non eſſet impoſsibile illam elicere, & hoc tantum voluerunt docere ſancti.

Ad tertiũ. ¶ Ad tertium reſpondetur, primo negando antecedens (quidquid aſſerat Capreolus) & dato antecedente adhuc poterant peccare, quia circa naturalia libere ſe exercebant.

Ad quartum. ¶ Ad quartum, reſpondetur negando antecedens. Imò quæſtio in præſentiarum etiam in ſententia Caietani proponitur, dato quod voluntas Angelorum ſit potentia libera.

Ad quintum. ¶ Ad quintum reſpondetur, negando antecedens, & ad probationem reſpondetur, quod illa operatio ſequeretur inclinationem naturæ, quatenus natura tendit in bonum abſolutè.

Ad confir. ¶ Ad confirmationem reſpondetur, negando paritatem rationis, nam reſpectu claudicationis haberet ſe homo tunc paſsiuè, recipiendo illam, non tamen reſpectu primæ volitionis, quare homo claudus non poterat non claudicare, poterat tamen Angelus non velle.

Ad ſextũ. ¶ Ad Sextum reſpondetur diſtinguendo antecedens de actu primo, vel ſecundo, ad Deum enim ſpectat, tanquam ad totalem cauſam reducere aliquem de potentia in actu primo ad actum primum, & ſic ad Deũ ſpectat producere Angelum potentem intelligere, & velle, non tamen ad Deum ſpectat, reducere aliquem de potentia in actu primo ad actum ſecundum, niſi tanquam cauſa vniuerſalis, & prima, & ſic non ſpectat ad Deum reducere potẽtem velle, in volentem, ſed ipſe qui poteſt velle reducit ſe in volentem, & quando dicitur quod intellectus non poteſt aſſentiri falſo, ergo nec voluntas proſequi malum, neganda eſt paritas rationis, niſi intelligamus de malo ſub ratione mali.

Ad ſeptimum. ¶ Ad ſeptimum reſpondetur, quod cum Deus diſponat omnia ſuauiter, eius directio non tollit naturam voluntatis nec poſſe deficere.

Ad octauum. ¶ Ad octauum reſpondetur, quod illud tantum probat quod Angeli maxima cum difficultate poterant peccare, nõ tamen quod peccatum repugnabat in prima operatione.

Ad nonũ. ¶ Ad nonũ reſpondetur, quod illa neceſsitas, eſt neceſsitas conſequens illum actum, non tamen antecedens, & neceſsitas conſequens non tollit libertatem de hac neceſſitate vide quæ diximus in primo diſputatione vltima.

Ad vlti. ¶ Ad vltimum reſpondetur, quod Angelus in primo inſtanti fuit debitor iuſtitiæ, quæ deberet ineſſe in actu ſecundo.

Ad primã confir. ¶ Ad primam confirmationem reſpondetur, quod illa rectitudo fuit in potentia, ſiuè in voluntate per modum actus primi, & carentia rectitudinis quæ deberet ineſſe in illo actu, nempe ſi eliceretur iuxta inclinationem potentiæ rectificatæ, & rectè eſt quæ conſtituit actum ſecundum, vel operationem peccaminoſam.

Ad ſecundam confi. ¶ Ad ſecundam confirmationem reſpondetur

tur(omiſſa ſolutione quorundam dicentiũ, quud præuidens namque Deus nullum Angeluuı ın primo inſtanti appòſiturum obicem per peccatum,condidıt omnes in gratia, quoá ſi præuidiſſet aliquem appoſiturum obıcem, vt de facto poterat, cum non crearet in gratia, vnde quod omnes fuerint creati ın gratia habuit dependentiam tam quam à conditione ſine qua non fuiſſent in ea creati,ex eo quod pro ſua libertate peccatori non eſſent in primo inſtanti) omiſſa igitur prædicta ſolutione, quæ longiorem requirit diſputationem de tali præuiſione, & præcipue,quia prædicti longe probabilius exiſtimāt Angelos ſine vlla præuia ſua diſpoſitione gratia accepiſſe, vt docēt quæſtio.62.artic.3.cum reſpectu talis receptionis nihil contulerit operatio Angelorum, nullum igitur eſt inconueniens Angelos creatos in gratia poſſe primam operationē voluntatis peccaminoſam elicere, vnde ſicut rectitudo naturalis in volũtate præſupponitur ante operationem peccaminoſam per modum habitus,ita & rectitudo ſupernaturalis poteſt præſupponi ante operationem peccaminoſam. Ad argumentum igitur informa reſpondetur: quod quanuis Angelus eſſet creatus in gratia adhuc tamē poterat in primo inſtanti peccare, (ideſt) poterat primam operationē defectuoſam elicere,neque ex hoc ſequitur quod in eodem inſtanti eſſent ſimul gratia,& peccatũ, ſed quod in vno inſtanti eſſet gratia per modum habitus,& in alio inſtanti eſſet peccatum per modum actus, quod etiam modo contingit in homine,qui exiſtens in gratia cōmittit mortale peccatum,ita Angeli creati in gratia (ſi primam operationem elicerent peccaminoſam)non ſimul haberēt gratiam,& peccatum, ſed per actum peccaminoſum demeritorie deſtrueretur gratia, quam ſimul cũ natura receperunt, ſine propria diſpoſitione. At verò ſi teneatur quod Angeli receperunt gratiam per propriam diſpoſitionem, (vt ſupra defendimus) in tali caſu, implicaret peccarum in prima operatione (poſita diſpoſitione ad gratiam) quã in illo inſtanti habuerunt. Cum igitur quæſtio in præſentiarum tantum intelligatur de Angelo producto in puris naturalibus, vel etiam in gratia ſecluſa quacunq; operatione ipſorũ Angelorũ: an verbi gratia, Angelus in gratia creatus reſpectu cuius mere ſe habuit paſsiue, an poſsit primam operationem elicere peccaminoſam, vel eliciendo actum diſſormem regulæ, & præcepto impoſitio vel non eliciendo actum, quem tenebantur elicere, ex illa poſitione, quod potuerunt elicere,vel omittere, nullo modo ſequitur eſſe ſimul peccatum, & gratiam. Et in hoc ſenſu intelligenda iſta tota eſt quæſtio.

Nota ſenſum quæſt.

T E X T V S.

DIco quod Auguſtinus loquitur de ſimpliciter primo peccato, quod fuit inordinatum velle amicitiæ, & illud fuit præſumptio, & cóncedo, quod illa præſumptio fuit ſimpliciter primum peccatum,ſed non vt eſt prima ſpecies ſuperbiæ, ſecundum quod propriè ſumitur. Diſtinctione. 6. Quæſtio.2. in ſolutione ad primum principale litera.R.

EXPLICATIO LITERÆ.

DOctor in hac litera reſpondet quæſtioni principali,qua quærebat, quodnam fuerat primum peccatum Angelorum, & reſpondet, non fuiſſe propriè ſuperbiam, fuiſſe tamen pręſumptionem circa propriã excellentiam.Quia tamen non modica nobis eſt difficultas circa præſentem literam, ex eo quod communiter citatur doctor circa iſtam quæſtionem dicens primum peccatum Angelorum fuiſſe luxuriam ſpiritualem, vt illius doctrinam intelligamus, & eius ſententia magis appareat ſit quæſt. 3.

Q V Æ S T I O III.

¶ *Vtrùm primum peccatum Angelorum fuerit proprie ſuperbia.*

PRo parte negatiua eſt primum argumentum, Angelus primo peccauit, ex eo ꝙ vel appetiuit beatitudinem naturalem,vel aliquid ſupernaturale non ſeruata regula ſuperioris, ſed hoc non eſt peccatum ſuperbiæ, ergo nec primum peccatum Angelorum potuit eſſe ſuperbia.Maior patet, & minor probatur, quia ſequeretur quod appetere diuitias, & *Primum argum.*

quæ-

quæcunque bona temporalia, non ſeruatā regula ſuperioris eſſet peccatum ſuperbiæ; quod nullus concedet, cum hoc commune ſit omnibus peccatis, ergo.

Secundum argum. ¶ Secundò, peccatum ſuperbiæ, vt communiter docent doctores conſiſtit in electione, qua quis eligit non ſubdi Deo, & legi eius, ſed talem electionem non potuerunt Angeli habere, ergo nec potuerunt peccare primum peccatum peccato ſuperbiæ. Probatur minor: Intellectus Angeli ante primum peccatum, non potuit habere errorem poſitiuum, aut paſsionem, neque habuit habitum malum, qui eſſet erroris practici cauſa, ergo non potuit habere electionem alicuius obiecti mali, & per conſequēs non potuit eligere ſe non ſubdi Deo.

¶ Tertiò, Angelus peccauit, ex eo quod cōtentus ſua beatitudine naturali non intendit beatitudinem ſupernaturalem, ſed tale peccatum potius pertinet ad deiectionem animi, quam ad ſuperbiam, ergo primum peccatum Angeli non potuit eſſe ſuperbia.

Nota hoc vt liberes doctorem à calūnia. ¶ Pro explicatione huius quæſtionis notandum eſt primo doctorem circa iſtam ſententiam communiter citari, primum peccatum Angelorum non reduci ad peccatum ſuperbiæ, ſed ad peccatum luxuriæ, ſed ſi attente legatur doctor in hac quæſtione. 2. ſolum docet, non pertinere ad propriam ſpeciem ſuperbiæ, quatenus ſuperbia dicit appetitum propriæ excellentiæ, quo vult ſe aliis non ſubdi, & aliis imperare. Certiſſimum tamen eſt ſecundum omnes, primū peccatum Angelorum non fuiſſe appetitū propriæ excellentiæ, quatenus excellentia dicit relationem in ordine ad alios, quo quis vult aliis antecellere, & imperare, & hoc eſt proprium obiectum ſuperbiæ, ſumitur etiam quandoq; excellentia prout eſt quid abſolutum, quæ non eſt aliud, niſi magnitudo in ſe, & tunc diligens propriam excellētiam, proprius eſt præſumptuoſus, quam ſuperbus, vnde amor ille inordinatatus Angelorum quo primo propriam excellentiā appetiere, non fuit propriè peccatum ſuperbiæ, quia pro illo primo non intenderunt aliis antecellere, ſed fuit peccatū præſumptionis; quod quidem peccatum ad ſuperbiam reducitur, cum ſit proprium fundamentum ſuperbiæ.

2. Nota. ¶ Secundò eſt notandum, quod peccatum ſuperbiæ, (quantum ad præſens ſpectat,) duplex eſt, ſcilicet, præſumptionis, & ambitionis, ſuperbia præſumptionis eſt immoderatus amor amicitiæ ſui ipſius, quo aliquis pluſ diligit ſeipſum, pluſquam ratio recta dictat, ſuperbia autem ambitionis eſt inordinatus appetitus, & immoderatus amor propriæ excellentiæ etiā ſuper alios, vnde D. Augu. deſcribens illam dicit quod eſt prauæ celſitudinis amor inordinatus, ſiue inordinatus appetitus.

¶ Tertiò eſt notandum, quod peccatū Angelorum, vt aduertit D. Bonauent. poteſt tripliciter conſiderari, vel quantum ad inchoationem, vel quantum ad progreſſum, vel quantum ad eius cōſummationem, ſiue obſtinationem. *3. Not.*

¶ Quarto eſt notandū, quod ſicut in quolibet peccato reperitur odium, & contemptus Dei, ita & in quolibet peccato reperitur amor inordinatus ſui ipſius, vnde D. Auguſt. 9. de Ciuitate Dei, dicit quod duo amores fecerunt duas ciuitatis (ſcilicet) amor Dei vſque ad cōtemptum ſui, fecit ciuitatem Dei. Amor autem ſui vſque ad contemptum Dei ædificauit ciuitatem Babylonis. ex quo infertur, quod eodem modo philoſophandum eſt de inordinato amore, ſicut de Dei odio, & contemptu. Contingit igitur dupliciter in aliquo peccato contemptum Dei interuenire, primo modo, materialiter concomitanter, & præter intentionem operantis, nempe quia per ſe non intenditur talis contemptus, nec odium, & hoc modo non conſtituit ſpeciale peccatū; ſed in omni peccato reperitur, ſicuti, & inobedientia, & non ſubiectio. Secundo modo poteſt iſte contemptus Dei in peccato interuenire formaliter, & per ſe, & ex intentione agentis, nempe quia formaliter volo non obedire Deo, non ſubiici eius legi, ſed illam formaliter contemnere, & tūc cōſtituitur proprium peccatum ſuperbiæ & hæc doctrina cōmunis eſt apud omnes, omneſque illam obſeruāt ſuper iſtam quæſtionem. *4. Not.*

¶ Quinto eſt notandum, quod talis formalis contemptus poteſt adhuc dupliciter cōtingere, vno modo ex parte obiecti, ita vt voluntas peccantis ex intentione eligat cōtemptum Dei, & diuinæ legis, tanquā proprium obiectum illius electionis. Secundo modo poteſt contingere ex parte operationis, ſeu modi operandi, ita vt voluntas non eligat contemnere Deum, & eius legem tanquam obiectum per ſe intentum, ſed ita ſe gerat *5. Not.*

ſe gerat in ſua operatione, atque ſi formaliter eligeret huiuſmodi contemptum, eo quod, operatur modo quodam ſuperbo, & arrogantiſsimo, non ſecus ac ſi nullum recognoſceret ſuperiorem, iuxta illud quod D. Paul. reprehendit, ſuperbo cuidam dicens, quid autem habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Ita igitur in propoſito philoſophandum eſt de amore ſui. Amor enim ſui poteſt interuenire materialiter, in quocunque peccato, quia, ex eo quod quis auertit ſe à Deo, conuertens ſe ad creaturam, diligit ſe plus nimio, quatenus ex amore ſui inordinato amicitiæ diligit amore concupiſcentiæ creaturam pluſquam Deum, ſed talis amor ſui non cõſtituit ſpeciale peccatum, ſed in omni peccato reperitur. Secundo modo poteſt amor ſui reperiri formaliter quatenus voluntas per ſe intendit diligere ſe, vel quatenus diligens eligit potius ſeipſum diligere, quam Deũ, vel quodcunque aliud obiectum. Sed eſt aduertẽdũ, quod in tali amore, vel talis formalis dilectio ſui, poteſt contingere, vel ex parte obiecti. ita vt volũtas diligẽtis ex intentione eligat diligere ſeipſum, vt obiectum talis dilectionis, dicẽdo verbi gratia, volo me ipſum diligere, & non diligere Deum. Secundo modo ex parte modi operandi, ita vt voluntas non eligat ſe pluſquã alijs obiectis diligere, ſed ita ſe gerat reſpectu dilectionis ſui, ac ſi nullum aliud eſſet diligendum, & talis amor conſtituit proprium peccatum, nempe peccatum præſumptionis, quod conſiſtit in immoderato amore reſpectu ſuæ magnitudinis, & excellentiæ, quatenus aliquis reſpiciens ad propriam excellentiam, & magnitudinẽ, ita gaudet ſuper illa, & diligit eam, ac ſi nullum aliud eſſet magis diligibile.

Vtrùm in peccato Angelorũ ſit diſtinguendus amor amicitiæ & amor cõcupiſcẽtiæ.

¶ Sextò eſt notandum Doctorem in hac quæſtione diſtinguere actum amoris amicitiæ ab actu amoris concupiſcẽtiæ reſpectu primi peccati Angelorũ ſeparans vnũ actum ab alio, quod inficiãtur omnes Thomiſtæ, præcipuè D. Tho. expoſitores. 1. p. q. 63. art. 2. cum Caiet. ibi, dicentes, amorẽ amicitiæ nunquã eſſe ſolũ, ſed ſemper eſſe mixtum cum amore concupiſcentiæ, ex eo quod amare aliquẽ eſt velle illi bonum, ſed bonũ quod alicui volumus, amamus amore concupiſcentiæ, ergo ſemper ſunt miſti, & cõiuncti iſti duo amores, & percõſequẽs quando aliquis per inordinatũ amorem appetit ſibi diuitias, tantũ eſt ibi vna deformitas in amore amicitiæ, & in amore cõcupiſcentiæ, & ſic in primo Angeli peccato nõ eſt dicendũ fuiſſe illam duplicem deformitatẽ amoris, ſcilicet, amicitiæ, & amoris concupiſcientiæ. Præcipuè, quia quando amor amicitiæ (qui bonus eſt) ex eo ſolum redditur malus, quia eſt cauſa praui amoris cõcupiſcentiæ, nõ habet aliam deformitatẽ ab illa quæ eſt in amore cõcupiſcentiæ. Nam ſi quis ex amore filiorũ rapit aliena, amor filiorum non habet aliã deformitatẽ à deformitate furti cuius eſt cauſa, ſed amor amicitiæ qua Angelus ſe diligebat ex ſuo genere, & obiecto bonus erat, ergo intẽtũ. ¶ Sanè ſi prędicta doctrina vera eſſet ſequeretur in omni peccato eſſet duplex deformitas, patet ſequela, quia in omni peccato poſſumus diſtinguere illũ duplicẽ amorẽ, amicitię, & cõcupiſcentię. ¶ Tandẽ probatur, nã quãdo aliquis facit eleemoſyn. pauperi ex miſericordia, & pietate naturali, in hoc opere tantũ eſt vnũ opus miſericordię licet ſit gemin⁹ amor, ſcilicet, amor amicitiæ, quo diligit proximũ, & amor cõcupiſcẽtiæ quo diligit illi eleemoſynã, ergo ita in hoc peccato Angeli ſolũ eſt vnicũ elationis peccatũ, ſed eſt geminus amor. Alter amicitię, quo ſe dilexit inordinate, alter cõcupiſcẽtiæ quo dilexit ſibi excellẽtiam inordinate.

Explicatur Doct.

¶ Sed iſta nõ ſunt cõtra Doctorẽ, nam amor amicitiæ, & amor cõcupiſcentię quãuis quandoq; in vnico actu reperiãtur, poteſt etiã quandoq; vnuſquiſq; ſuum ſibi actũ vendicare, & præcipue dicendum eſt in peccato Angelorũ, primo enim ſeipſos, & ꝓpriã excellentiã (quatenus excellẽtia dicit quid abſolutũ) & propriã magnitudinẽ dilexerunt. Secũdo autẽ ꝓpriam excellentiã relatiuã, nẽpe, nõ ſubijci Deo, & alijs præeſſe. Et prima excellentia pertinet ad amorẽ amicitiæ, ſecunda autẽ pertinet ad amorẽ concupiſcẽtię, & excellẽtiã primo modo, primo dilexerũt inordinate, quaten⁹ fuerũt nimis cõplacẽtes, vt & ipſi fatẽtur in. 5. quadã concluſione, quia ita delectatus eſt Angel⁹ in propria perfectione, vt ipſam nõ retulerit in authorẽ eius. talis autẽ delectatio in propria perfectione quãdo perfectio nõ eſt bonũ ſeparabile ab eſſe ipſius cuius eſt perfectio, ſed eſt mod⁹ intrinſec⁹ illius eſſe, nõ amatur alio amore ab amore quo amatur eſſe, & cum Angelus

amore amicitiæ amauerit ſuũ eſſe, eodem etiã amicitiæ amore amauit magnitudinẽ illius eſſe,& excellentiã propriam. Ex eo autẽ ꝙ taliter inordinato amore amicitiæ ſuam excellentiam amauit, in quo peccauit, ſtatim creuit ſuum peccatum, & dilexit excellentiam ſuper alios, & tandem non ſubijci Deo, & poſtea eſſe æqualem Deo per æquiparantiam, quia (vt dicemus infra in propria quæſtione) voluntas peccans poteſt ex malitia, talem appetitum habere ad oſtendendum illam velle quod intellectus iudicat eſſe ſimpliciter impoſsibile, ſicut modo de facto dæmones volunt non eſſe Deum, quamuis eorũ intellectus iudicet hoc eſſe impoſſibile.

Nota hoc. ¶ Quare dicendum eſt, quod quamuis amor amicitiæ, & concupiſcentiæ poſsint in eodem actu reperiri, præcipuè, quando ille actus amicitiæ ex ſe non eſt malus, ſed vitiatur ex amore concupiſcentiæ, nihilominus tamen in primo peccato Angelorum non poſſunt ſimul coniungi, quia non potuerunt Angeli primo diligere excellẽtiã ſuper alios, niſi habito prius amore propriæ excellentiæ, & non quomodocunque ſed præſuppoſito amore inordinato propriæ excellentiæ, quatenus illam dilexerunt, vt ipſam non retulerint in authorem eius, & ita ſe haberẽt reſpectu illius, ac ſi illa eſſet maior quæcunque alia excellentia,& ſtatim intellectus illorum iudicauit bonũ eſſe alijs præeſſe, & tunc amore cõcupiſcẽtiæ inordinato dilexerunt excellentiã ſuper alios. Neque ex hoc ſequitur in quolibet peccato eſſe duplicẽ deformitatẽ, quia nõ quodlibet peccatum eſt duplex actus, ſicut etiam in illo qui facit eleemoſynã pauperi ex miſericordia, ſi enim per tempus prius haberet compaſsionem, & poſtea vellet facere eleemoſynam, ſicut tunc eſſet duplex actus, ita eſſet duplex bonitas, ita in propoſito dicendũ eſt quod poterat cõtingere, quod eodem vnico actu, & ſuam naturalem, ſiue ſupernaturalẽ, beatitudinẽ Angeli ſibi concupiſcerẽt,& ſeipſos diligerẽt, ſed hoc non potuit contingere in propria illa operatione, qua Angeli peccauerũt primũ peccatum, quãuis poſtea ſucceſſu operationũ vtramque dilectionem in eodem actu materiali poſsit cõcurrere, ſicut etiam potuit contingere in dilectione propriæ excellẽtiæ,& in dilectione qua vnus alios volebat antecellere, certiſsimum enim eſt, quod eodem actu potuit Angelus appetere excellentiam ſui, & ſimul excellentiam ſuper alios, ſed quia prima operatio peccaminoſa debuit habere aliquod initium, ideò communiter dicitur, quod Angelus primo peccauit ex eo, quod ita dilexit propriam excellentiam,& proprium bonum, quaſi eſſet ſummum bonum. Deinde verò, poſt hunc amorem amicitiæ, quo ſe Luciſer plus iuſto dilexit, conſequutus eſt amor concupiſcentiæ, quo appetiuit ſuum bonũ præeminere alijs, & dominari bonis aliorum ſecundum aliquam ſuperioritatem, & ſtatim ambiuit diuinos honores ſibi impendi, & ex hac ſuperbia, & ambitione orta fuit illa diaboli fames intendẽdi idololatriam, & illud deſiderium adorationis diuinæ per totum mundum tempore gentilitatis ſparſum, imò adeo fuit eius impudentiſsima Rabies, vt Chriſto Domino ipſe dixerit Matthæ. 4. hæc omnia tibi dabo ſi cadens adoraueris me. Alium igitur habuit peccatum Luciferi ſtatum in principio, alium in medio,& alium in fine.

¶ Vltimò eſt notandum, non ſatis conſtare inter Theologos, quomodo ſe habuit intellectus Angeli ante primum peccatum, an habuerit inconſiderationem reſpectu alicuius circunſtantiæ, an verò ſine aliqua prorſus ignorantia, errore,& inconſideratione ex parte intellectus, potuerit voluntas male agere: nam Michaël de Palacios in ſecundo diſtinctione. 5. diſputatione. 2. (reſpondens ad Durandum) partem tuetur affirmatiuam, (ſcilicet,) poſſe voluntatem primo peccare, ſecluſa quacunque ignorantia, & errore ex parte intellectus, imò quod in delicto Angelorum, quod in cælo commiſerunt, quando erant viatores tale flagitiũ Angelicum non proceſsiſſe ex errore, aut ignorantia, aut inconſideratione, ſed ex mera arbitrij Angelici facultate. Neq; Ariſtot. de Angelis parabat, quando illa extulit verba, malũ eſſe ignorantẽ quid faciat, & paulo infra ſic ait (in quæſtione illa, an Angelus peccare potuit in primo inſtanti) Quare videtur magis cõſentaneum eſſe rationi, ſi citra errorem, aut ignorantiam, aut inconſideratione pec catum, poſſe admitti à libera arbitrij facultate dicamus. Neque poſſum aſſequi aliud quam incontinentem apprehenſa, vel viſa muliere iudicans, per intellectum illam eſſe

Vlti. not. Vtrùm intellectus Angeli ante primum peccatũ habuerit errorem, vel inconſiderationem. Prima ſententia.

eſſe bonum voluptificum ſibi, ſine alia conſideratione illam poſſe amare. At verò iudicare mulierem pulchram eſſe ſibi bonum delectabile non eſt error, imò eſt iudicium verum, quod ſi ſine altero iudicio hoc ſat eſt ad amandum mulierem, conſequens eſt, nullo opprimente errore, aut nulla ſeducente ignorantia, aut nulla ſtante inconſideratione peccatum admitti poſſe. Eandem ſententiam docet Molina, prima parte quæſtione. 63. articulo. 2. & 3. diſputatione vnica membro. 5. dicens, ad hoc vt res (quæ eſt mala) moraliter appetatur, neque eſt neceſſarium vt iudicetur bona moraliter, neque vt iudicetur bona ſimpliciter, ſed ſatis eſt, ſi in ea conſpiciatur, aut exiſtimetur ratio aliqua boni, vtilis, honeſti, aut delectabilis, ratione cuius appetatur. Verbi gratia vt fornicatio appetatur non eſt neceſſe vt iudicetur bona moraliter, aut bona ſimpliciter, ſed ſatis eſt quod ſe offerat intellectui: vt delectabilis. Ratio quippe boni delectabilis quæ in ea elucet ſufficit vt appetatur, quare, abſq; vllo errore in intellectu poteſt quis appetere fornicationē, eo ipſo quod eius menti repręſentetur vt bonum quoddā delectabile, ſicut ex ſeipſa eſt, eſto ſimul iudicetur mala moraliter, & à Deo prohibita, eaque appetitione fieri hominem dignum qui mulctetur ęterno regni cæleſtis exilio, & cruciatibus æternis puniatur. Eodem, ergo modo, Angelus potuit abſque vllo errore in intellectu appetere primo, id quod erat malum moraliter, & quod videbat à Deo eſſe prohibitum, eo ipſo quod in eo eluceret bonum honoris, aut quoduis aliud, nam pro libertate, & arbitratu ſuo potuit præponere minus bonum maiori, appetendo minus, & relinquendo maius.

Secunda ſenten. ¶ Contrariam tamen ſententiam docent cum D. Thom. omnes eius expoſitores, docentes, nullatenus poſſe volūtatem proſequi malam aliquam operationem, niſi ex parte intellectus fuerit aliquis error poſitiuus, vel negatiuus, nempe inconſideratio ex eo, quia iuxta ſententiam Ariſtotel. omnis peccans eſt ignorans, & præterea, quia voluntas non poteſt exire in operationem, niſi ex Imperio iudicij practici, & per conſequens ſi iudicium practicum verum eſt, & volitio bona erit.

Sententia authoris. ¶ In hac tamen re media via mihi videtur incedendum, ſupponens ex Doctore in tertio diſtinctione. 36. quæſtione vnica, poſſe voluntatem ſtante iudicio vero ex parte intellectus elicere actum malum moraliter, & appetere obiectum diſſonum rationi ſecundum rem, bonum tamen in apparentia. Nihilominus tamen hoc non contingere reſpectu primi peccati, ſed præſuppoſito alio peccato, nam ſtante voluntate recta ſine aliquo habitu vitioſo, imò cum habitu continentiæ (verbi gratia) vel etiam ſine illo, oſtenſa per intellectum fornicatione tanquam bono delectabili, ſi ſimul oſtendatur eſſe prohibitam, maxima cum difficultate voluntas proſequetur talem fornicationem, ſi non eſt aliqua inconſideratio ex parte intellectus. Vnde ſi ex parte intellectus eſt perfecta conſideratio, qua intellectus aduertit fornicationem eſſe prohibitam, & quamuis ſit bonum delectabile, eſſe tamen malum ſimpliciter, ſi hæc omnia proponantur voluntati bene affectæ, & rectæ, præcipuè rectitudine ſupernaturali, quamuis Metaphyſicè loquendo non ſit impotentia ex parte voluntatis ad volendum fornicationem, tanquam bonum vtile, moraliter tamen loquendo, & regulariter, non video, quomodo voluntas eligat fornicationem, nam ſtante illo iudicio fornicatio eſt bonum delectabile, vel ſtat ſimul cum tali iudicio, quod eſt bonum delectabile prohibitum, vel non. Si non, iam igitur ex parte intellectus eſt inconſideratio ad minus, vel error poſitiuus, ſi intelligit non eſſe prohibitum: ſi autem intellectus habet illud iudicium, fornicatio eſt bonum delectabile prohibitum, non video, quomodo voluntas recta ſtante tali iudicio, & alio ſimul non eſt bonum velle malum, & prohibitum à Deo, exeat in hanc volitionem, volo fornicationem prohibitam, & hoc bonum delectabile prohibitum. Cum igitur voluntas Angelorum ante primum peccatum fuerit recta rectitudine naturali, & ſupernaturali, fateor me non poſſe aſſequi, quomodo talis voluntas exierit in operationem malam moraliter circa obiectum malum moraliter abſque aliqua inconſideratione ex parte intellectus. Si enim haberet habitum inclinantem in operationem malam moraliter, vel mali-

tiam aliquam, aut peccatum aliquod præcedens, non mirum, quod talis voluntas ex certa malitia, vel paſsione ſequens talem inclinationem, vel paſsionem eliceret actum peccaminoſum ſtante iudicio verò ex parte intellectus, imò ex eo dicitur pe catum ex certa malitia quia contra dictamen verum intellectus. Cum igitur Angeli ante primum peccatum nullam habuerint malitiam, nec paſsionem, neque habitum inclinantem in operationem peccaminoſam, imò habuerint operationem bonam, & habitus inclinantes in operationes ſtudioſas, & rectas neceſſario mihi videtur dicendum, ante primum peccatum habuiſſe in intellectu inconſiderationem, quatenus, habendo iudicium verum de aliquo obiecto nõ habuerũt plenum iudicii de illo, ſicut verbi gratia habendo iudicium quod eorũ excellentia, & pulchritudo erat valde nimis, non iudicauerunt, illã eſſe minorem excellentia, & pulchritudine Dei, ex qua inconſideratione orta fuit in Angelis voluntas complacens in ſemet ipſis de tali excellentia, ita ac ſi eſſet ſummum, & vltimum bonum.

Prima cõcluſio. ¶ Prima concluſio. Peccatum Angelorum quantum ad ſuum principium fuit velle amicitiæ inordinatum quatenus ita cõplacentes in propria perfectione, & excellentia, quam in ſe habebant elati ſunt. Hæc concluſio eſt Doctoris vt patet in litera, & fere omnium, & probatur primo ex illo Ezechiel. cap. 28. vbi dicit eleuatum eſt cor tuum in decore tuo, & dixiſti Deus ego ſum, & in cathedra Dei ſedi, & in corde maris, & paulo infra, tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, perfectus decore, in delicijs paradiſi Dei fuiſti: Omnis lapis precioſus operimentum tuum, Sardius, Thopazius, & Iaſpis, Chryſolitus, & Onyx, & Berillus, Saphyrus, & Carbunculus, & Smaragdus, Aurum opus decoris tui, & foramina tua, in die qua conditus es, præparata ſunt, tu Cherub extentus, & protegens, & poſui te in monte Sancto Dei; in medio lapidum ignitorum ambulaſti perfectus in vijs tuis, à die conditionis tuæ, donec inuenta eſt iniquitas in te. In multitudine negotiationis tuæ, repleta ſunt inferiora tua iniquitate, & peccaſti, & eijeci te de monte ſancto Dei, & perdidi ò Cherub protegens de medio lapidum ignitorum, & eleuatũ eſt cor tuum in decore tuo, perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo. Quæ authoritas (quamuis ad literam dicatur de Rege Tyrio, vt cõmuniter docent Doctores) & illa Eſai. 14. vbi Propheta introduxit Luciferum dicẽtem, in cęlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltobi ſolium meum, ſimilis ero altiſsimo, etiam ad literam intelliguntur de Lucifero, & malis Angelis, iuxta regulã Tyconij, vt tradit D. Auguſt. 3. de doctrina Chriſtiana, nam quia dæmon eſt caput malorum contingit aliquando maximè apud Prophetas, (vt cum de homine peſsimo loquuntur, occaſione illius, eleuetur Propheta ad tractandum de dæmone, vel etiam ſimul in eodem contextu loquatur de homine malo, vnde homo malus in illo contextu, agit perſonam dæmonis, taliter, vt quod de homine malo dicitur intelligẽdum ſit ad literam de dæmone, vnde Origenes Homilia. 12. in numerum, & 1. Periarchon. cap. 5. libro. 8. in epiſto. ad Roman. cap. 6. & D Athanaſius de Paſsibilitate, & Cruce Domini, & D. Hieronym. Ezechiel. 28. & D. Anſelmus Pſalm. 128. & D. Cypria. lib. 1. epiſt. 3. D. Gregor. 34. Moral. cap. 14. & lib. 4. epiſtolarum, & alij quam plurimi docent prædictas authoritates intelligi ad literam de Lucifero. Quod etiam poteſt probari ex illo Luc. 10. vbi dicit Chriſtus Dñs, volẽs à tali elatione diſcipulos abſtinere videbam Sathanã ſicut fulgur de cælo cadentem, & 1. ad Timoth. 3. dicit D. Paul. oportet epiſcopum irreprehenſibilẽ eſſe, & ſubdit ſtatim, ne in ſuperbiam elatus in iudicium incidat diaboli, (id eſt) ne propter elationem patiatur iudicium, quod diabolus paſſus eſt, eandẽ concluſionem docet Diuus Auguſti. 15. ſuper Geneſ. ad literam. cap. 23. dicens quod dæmon propriæ poteſtatis delectatione corruptus eſt, &. 11. de Ciuitate. cap. 13. &. 14. ait quod priuata poteſtate eleuatus eſt, & libr. de vera Religione, idem ſentit, & libr. 3. de libero Arbitrio. cap. 25. & D. Gregor. libr. 23. Moralium. cap. 7, dicit dæmonem incidiſſe in quartam ſpeciem ſuperbiæ, quia de eo quod habuit ſingulariter gloriatus eſt. Idem docet Leo Papa, epiſtola. 92. ca. 6. vbi dicit, quod naturali excellentia male vſus eſt, D. Ambroſ. epiſtol. 48. ad Demetri, aſſeuerat dæmonem qui ſibi placuit in ſua quã acceperat à Deo potentia dignitate ſibi placuiſſe, & à celeſti

leſti dignitate deiectum fuiſſe. Idem ſentit Abulenſis ſuper Geneſ. dicens, Angelos ad ſeipſos conuerſos fuiſſe; & ſua propria poteſtate delectatos; & probatur ratione Doctoris in præſenti quæſt. initiũ peccati Angelorũ non potuit eſſe nolitio alicuius obiecti, fuit igitur volitio, antecedẽs patet quia nolitio alicuius obiecti præſupponit volitionem alterius, ſed non potuit velle inordinate aliquid extra ſe, ergo primum velle inordinatum Angeli fuit circa ſe. Talis autem volitio inordinata, vel fuit circa bona quæ habebat, vel circa bona quæ ſperabat, ſi circa bona quæ habebat, quia obiectũ præſens magis mouet, quã obiectũ abſens, ergo ex nimia complacentia quã circa propriam excellẽtiam habuit nimis delectando ſe in illa elatus eſt. Si autem circa bona quæ ſperabat, ergo ex nimia complacentia quam habebat de beatitudine ſuper naturali, cuius ſe dignum iudicauit ex naturalibus ſuis.

¶ Confirmatur. Nam Angeli mali, ex eo peccauerunt, quia nimis ſibi ipſis complacentes ſeipſos in Deum, tanquam in vltimum finem non retulerunt, ſed hoc non potuit eſſe, niſi quia ſeipſos vltimum finem conſtituerunt (ideſt) ita dilexerunt, ac ſi in ipſis eſſet vltimi finis ratio, ſed hoc eſt elatio in decore, ergo mali Angeli ex eo quod nimis complacentes in ſeipſis, ſeipſos nimis dilexerunt elati inceperunt peccare.

Secunda conclu.

¶ Secunda concluſio. Mali Angeli poſtquam propriam excellentiam nimis complacenter dilexerũt, ſtatim ſuper alios excellentiam appetierunt, & non ſubdi Deo. Hæc concluſio probatur ex prima, nam ſi Angeli mali ita ſe dilexerunt, vt ſe vltimũ finem conſtituerent, ideo alijs præeſſe voluerũt, ex inordinato enim amore propriæ perfectionis intumeſcentes, (præcipue Lucifer principatum ſupra alias creaturas appetiuit,) Imò & poſtea appetiuit ſimilem eſſe altiſsimo, iuxta illud Eſai. 14. ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meũ, qui locus cum non poſsit intelligi de cælo materiali, neceſſario intelligendus eſt de cæteris Angelis, nam Lucifer conditus fuit in cælo Empyreo, & per conſequens: idem eſt ac ſi diceret ſuper alios Angelos, & ſanctos exaltabo ſolium meum. Sed talis exaltatio non fuit aliud quam appetere excellentiam, & principatum ſuper alios, ergo Angeli qui primo peccauerunt nimis in ſeipſis complacentes, etiam excellentiã ſuper alios appetere.

Tertia conclu ſio.

¶ Tertia concluſio. Peccatum Angelorum quantum ad primum ſui principium reducendum eſt ad peccatum ſuperbiæ, propriè tamen fuit præſumptio. Hæc concluſio probatur, nam peccatum Angelorum quantum ad ſui principium tantum conſiſtebat in complacentia propriæ excellentiæ, ſine conſideratione excellentiæ ſuper alios. Sed talis dilectio potius pertinet ad præſumptionem, & elationem quam ad ſuperbiam. Imò ex illa tanquam ex prima radice oritur conſummata ſuperbia, quare talis elatio propriè dicenda eſt ſuperbia initiatiuè, non tamen completè, ergo. Quod autẽ talis præſumptio dicenda ſit ſuperbia patet ex communi dicto ſanctorum, cum D. Auguſt. 22. de Ciuitate Dei, ca. 6. & lib. 14. c. 13. vbi citat illud Eccleſ. 10. Initium omnis peccati ſuperbia, & D. Ambr. Pſal. 36. probat peccatum Angeli fuiſſe ſuperbiam, & D. Baſil. Homil. quod Deus non eſt author malorum, & D. Athanaſ. libr. de quæſtionibus ſacræ ſcripturæ, quæſtione. 6. & 19. D. Gregor. 34. Moral. ca. 17. & 23. ex illo Iob. 41. qui loquens de Lucifero ait, ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ, & prima parte paſtoralis, cap. 6. & D. Bernard. ſermone. 87. in cantica, Diuus Anſelmus libr. de caſu Diaboli, cap. 4. & D. Hieronym. ſuper illud Iſai. 14. ſupra citatum.

Quarta con cluſio.

¶ Quarta Concluſio. Peccatum Angelorum fuit conſummata ſuperbia quatenus non ſolum ſibi nimis complacuerunt, ſed & alijs præeſſe, & forſan Deo non ſubdi, & beatitudinem ſupernaturalem ex proprijs naturalibus acquirere voluerunt, vel proprijs naturalibus debitam eſſe intenderunt. Hæc concluſio quo ad omnes ſuas partes probatur primo, quia mali Angeli fuerunt ſimpliciter ſuperbi, & conſummati ſuperbi, ergo eorum peccatum fuit conſummata ſuperbia. Antecedens patet, quia non ſolum ſe nimis dilexerunt, ſed ſuper aſtra cæli exaltare ſolium ſuum voluerunt, ergo.

¶ Secunda pars patet, quia cum Angeli mali ſe conſtituerint ac ſi eſſent vltimus finis poteſt intelligi ſuppoſita malitia illorum velle ſe nõ ſubdi Deo, quod ex eo apparet, nã Angelus illis reſiſtens appellatus fuit Mi-

 chael,

chael, qui intetptetatur, quis ſicut Deus, ergo cum oppoſita ſententia huius quod eſt, quis ſicut Deus, ſit dicere, ſumus ſicut Deus, idem eſt ac ſi dicerent, nulli alij ſubditi ſumus, & reſpectu omnium ſicut Deus ſumus, cum igitur Deus nulli alij ſubditus ſit, penſata malitia illorum poſſumus de illis credere nolle ſe Deo ſubijci.

¶ Vltima autẽ pars ex eo patet, quia oſtẽſa ſibi beatitudine ſupernaturali per fidem, & viſa propria perfectione naturali, quam nimis dilexerunt, & in qua nimis complacuerunt forſan volerũt beatitudinẽ illam ſupernaturalem debitam eſſe ſuæ naturæ. Ita quod ſecluſo quocunque alio merito per modum cuiuſdam iuris, & hæreditatis illam accepturi eſſent, quare ſi Deus impoſuit illis præceptum vt aliqua opera elicerent, vt per illa beatitudinem ſupernaturalem mererentur, potuerũt intra ſe dicere, imò, & inter ſe conferre viſionem illam beatificam, quam Deus bene operantibus promittebat, debitam ſuæ naturæ eſſe, & quanuis hoc non potuerit eſſe initium peccandi, ex eo quod Lucifer, & alij erant præditi ſapientia, potuerunt tamen peruenire in hanc dementiam, imò vt dicemus infra, appetere æqualitatem Dei per æquiparantiam, quia vt dicitur Ezech. 28. Lucifero perdidiſti Sapientiam tuam indecore tuo, ideſt nimis cõplacẽdo in decore tuo perdidiſti ſapientiã tuã, ita vt qui ſapiẽtiſsimus eras ſtultiſsimus factus ſis, ideſt ita ſe habuiſti circa beatitudinẽ tuã naturalẽ acquirendã, quaſi qui perdita ſapientia inſipientiſsimus factus eſt, ſed Angelus factus inſipientiſsimus, vel agens vt inſipientiſsimus, potuit velle, & non velle, velle quæ ſibi nociua erant, imò & quæ impoſsibilia, & nõ velle quæ ſibi profutura erant, ergo Angelus malus poſtquam primo peccauit nimis complacendo in propria excellentia, & ſecundo appetendo excellentiam ſuper alios potuit tertio, & quarto iudicare, debitam eſſe beatitudinem ſupernaturalẽ ſibi, iure naturæ, & nõ ex dono, nec ex gratia, & ita contra ordinarinem, & legem Dei velle illam, & quia illi non conferebatur, odire Deum, & velle aſcendere, & ſuper aſtra Dei exaltare ſolium ſuum, & æqualitatem Dei per æquiparantiam appetere: adeo enim tanta fuit malitia Luciferi, vt omne malum de illo poſsit cogitari.

¶ Vltima concluſio. An velle inordinatum concupiſcentiæ quo malus Angelus concupiuit, vel beatitudinem, naturalem, vel ſupernaturalem ſit reducendum ad luxuriam ſpiritualem potius eſt quæſtio de nomine, quam de re. Probatur concluſio, quia ſententia quæ docet pertinere reductiuè ad luxuriam, nihil aliud vult intelligere, quam pertinere ad nimium amorem propriæ pulchritudinis, & cum amor nimius pulchritudinis in corporalibus pertineat ad concupiſcentiam oculorum, quæ quidem concupiſcentia, vel luxuria eſt, vel ad luxuriam reducitur. Ideò Doctor, & Gabriel, & reliqui docentes primum peccatum Angelorum reduci ad ſpiritualem luxuriam, nihil aliud intenderunt quam primum peccatum Angelorum fuiſſe amorem inordinatum propriæ pulchritudinis, & ſi beatitudinem ſupernaturalem inordinata affectione concupierunt, illã concupiſſe nõ tanquã bonum ex Deo, vel à Deo, ſed præciſe taquam bonum ſibi delectabile vt delectabile ſibi, delectabilia autem, vt delectabilia videntur reduci ad luxuriam, tanquam ad primum delectabile inordinatum. Neque vnquam Doctor imaginatus eſt, nec ſomniauit, Angelos peccaſſe ex inordinato affectu fœminarum, nam vt conſtat, primo peccauerunt Angeli, quam eſſent fœminæ. Et præterea, nam locus ille Geneſ.6.cum viderent filij Dei, filias hominum quod eſſent pulchræ, &c. communiter exponitur à ſanctis de filijs deſcendentibus à Seth. qui quidem erat homo pius, colens Deum, & filij eius Deum colebant. De qua re videndus eſt Sixtus Senenſis libr. 6. annotatione. 63. & D. Chryſoſt. Homilia.22.in Geneſ. & Auguſtinus in quæſtionibus ſuper Geneſ. quæſtio.3. Dicendũ igitur eſt in hac quæſtione iuxta ea quę diximus ſupra primum peccatum Angelorum propriè fuiſſe præſumptionem, & elationem in propria pulchritudine. *Explicatur Doct.*

¶ Reſpondetur argumentis, ad primum concedendo maiorem, & negando minorem, & ad probationem dicitur, quod quanuis appetere aliquid inordinatè non ſit ſuperbia ex parte obiecti, poteſt tamen eſſe ſuperbia ex parte modi appetendi. *Reſpondetur argum. Ad primũ.*

¶ Ad ſecundum reſpondetur, quod quanuis primum peccatum Angelorum non fuerit

rit ſe nolle ſubijci Deo, fuit tamen ſecundũ peccatum illius, nam vt dictũ eſt ſupra, primo inordinate dilexerunt propriam excellentiam, deinde alijs præeſſe, & tandem non ſubijci Deo, & ad iſtum actum præceſsit malitia ex parte voluntatis, ad quam non eſt neceſſarius error ex parte intellectus, diximus autem iam quomodo illa prima nimia ſui dilectio fuerit propriè elatio, & præſumptio, & fundamentum ſuperbiæ formalis, qua alijs concupierunt preeſſe, vel beatitudinem ſupernaturalem non ex meritis habere, & quomodo illa prima dilectio fuerit ſuperbia ex parte modi appetendi.

¶ Ad tertiũ reſpondetur, quod quanuis talis dilectio eſſet deiectio animi ex parte obiecti, ex parte tamen modi appetendi fuit ſuperbia animi.

T E X T V S.

POteſt aliter ad quæſtionem reſponderi, ſcilicet, quod Angelus potuit appetere æqualitatem Dei, Diſtinctione. 6. Quæſtio. 1. litera. A.

EXPLICATIO LITERÆ.

LItera hæc doctoris concluſio quædam eſt ad quæſtionem illam, an Angelus potuerit appetere æqualitatẽ Dei, in qua docet partem affirmatiuam. Et probat triplici ratione, & authoritate D. Auguſt. quia tamen multi ex ſcholaſticis doctoribus illam pro viribus impugnãt, operepretium erit in præſentiarum quam veritatem habeat oſtendere.

Q V Æ S T I O I I I I.

¶ *Vtrùm Angelus malus potuerit appetere æqualitatem Dei per æquiparentiam.*

Prima ſententia. DE hac re eſt prima ſententia D. Thom. 1. par. quæſtio. 63. arti. 3. & Thomiſtarum, ibidẽ aſſerentium, peccatum Angeli nõ fuiſſe neque forte eſſe potuit appetitum diuinæ æqualitatis per æquiparantiam, quam ſententiã, quoad vtramque partem, probant primo quo ad primã, ex communi Theologorum ſententia, in ſecundo diſtinctione. 5. & 6. vbi Albertus, & Bonau. idem ſentiunt. Alexand. Alenſ. & D. Thom. in ſecundo diſtinctione. 5. q. 1. artic. 2. Capreolus diſtinctione. 4. quæſtione. 2. quam ſentẽtiam proſequitur Anſelmus lib. de Caſu diaboli. ca. 4. & libr. de Similitudinibus, ca. 6. qui ponderat verbũ Iſai. nam non dixit, aſcẽdam in cælũ, & ero equalis altiſsimo, ſed ero ſimilis, probatur *Primum argum.* autem prædicta ſententia ratione primo, peccatum Angeli non proceſsit ex errore, ergo vt peccaret, non iudicauit equalitatẽ Dei eſſe ſibi poſsibilem, ergo non peccauit appetendo illam: patet ſequela, quia ante peccatum Angeli (cum nullus fuerit error, neque paſsio) volitio debuit ſequi iudicium practicũ intellectus, ſed intellectus non potuit iudicare illud quod erat impoſſibile eſſe bonum Angelo, ergo neque voluntas Angeli potuit appetere equalitatẽ Dei per æquiparantiam. ¶ Quod ſi reſpondeas argumentũ procedere de volũtate abſoluta, quę non eſt impoſsibiliũ, ſecus autẽ de cõditionata, qualis potuit eſſe in Angelo. Contra Angelus nõ potuit peccare primo appetitu equalitatis Dei etiã per velleitatẽ, maximè cum abſoluta determinatione volũtatis, quia talis appetitus ſupponit voluntatẽ iam deordinatam eſſe circa aliud obiectũ poſsibile, quia voluntas non poteſt primo deordinari per appetitũ, & determinatum deſiderium circa obiectum ſimpliciter impoſsibile, nam talis appetitus non poteſt eſſe niſi ratione alicuius bonitatis abſolute poſsibilis, igitur prius debet deordinari voluntas circa aliã bonitatẽ poſsibilem, quam circa obiectũ impoſsibile, niſi præcedat error in intellectu, vnde ſi damnatus appetit Deum non eſſe, eſt propter appetitum deordinatum circa ſuam voluntatem, & ſic de alijs.

¶ Secũdò, electio nõ poteſt eſſe rei impoſſibilis niſi pręcedente errore in intellectu, *Secundum argum.* ſed in Angelo nullus præceſsit error poſitiuus; ergo eius peccatum cum fuerit ex electione non potuit eſſe alicuius rei impoſsibilis. Maior eſt Ariſtot. 3. Ethicor. c. 3. dicentis voluntatẽ eſſe impoſsibilium, intentionem verò, & electionem non.

¶ Tertiò, Angelus non potuit appetere ſe *Tertium argum.* non eſſe, ergo nec appetere æqualitatem

Dei per æquiparantiam. Antecedens eſt manifeſtum, nam appetitus naturalis eſt ad propriam perfectionem, ſequela autem probatur, quia appetere ęqualitatem Dei, eſſet appetere non eſſe, nam implicat Angelum eſſe, & eſſe ęqualem Deo, ergo.

Sententia Doctoris. ¶ Secunda ſententia eſt doctoris, vt patet in litera, quā docet Molina. 1. p. q. 63. arti. 2. & 3. mēbro. 3. pro cuius explicatione & *1. Not.* quęſtionis eſt primo notandū, quod præſens quæſtio non intelligitur de primo peccato Angelorum, ſed de aliquo peccato Angelorū, peccauerunt enim multa peccata, vt infra dicemus: & inter illa quærimus in præſentiarum, an aliquod illorum fuerit appetitus ęqualitatis Dei per ęquiparātiā.

2. Not. ¶ Secundò eſt notandum maximam differentiam eſſe inter Thomiſtas, & Doctorem, nam Thomiſtæ docent, non poſſe aliquod peccatum eſſe in voluntate, quin pręceſſerit aliquis error in intellectu, ſiue poſitiuus, ſiue negatiuus. At verò ſecundum Doctorem, vt diximus quæſtione præcedenti ex his quę docet in tertio diſtinctio. 36. ſine aliquo errore ex parte intellectus poteſt voluntas ex certa malitia eligere illud quod intellectus iudicat malum, ſub ratione cuiuſdam boni apparentis, nempe quia iudicat bonum etiam eſſe vti ſua libertate, & quando dicitur quod omnis peccans eſt ignorans, & quod errauerunt omnes qui operantur iniquitatem, intelligendum eſt, de errore, & ignorantia facti: quare Doctor in hac quæſtione in ſolutione ad tertium docet, quod ad hoc quod appetitus appetat aliquod obiectum, ſufficit ſola apprehēſio obiecti abſque iudicio, nam quando intellectus apprehendit aliquid vt bonum, poteſt abſque alio iudicio amari à voluntate, & per conſequens ſecluſo quocunque errore ex parte intellectus poteſt voluntas eligere obiectum malum morale vt diximus quæſtione præcedente.

Prima cōcluſio. ¶ Prima concluſio. Primum peccatum Angelorum non potuit eſſe appetitus ęqualitatis Dei per ęquiparantiam. Hæc concluſio communis, & D. Thom. & Doctori, & probatur rationibꝰ quibus quęſt. pręcedēte probatū eſt, ante primū peccatū Angelorum neceſſariam fuiſſe inconſiderationem aliquam ex parte intellectus, & ſecundo, nam prima operatio voluntatis nō poteſt eſſe circa impoſsibile, ergo neq; circa ęqualitatem Dei per ęquiparantiam. Probatur antecedens, nam prima operatio voluntatis deordinata debet eſſe abſoluta, ſed circa impoſsibile ſimpliciter non poteſt dari volitio efficax, & abſoluta, ergo. Probatur antecedens, volitio conditionata ſemper præſupponit volitionem abſolutam, nam ex eo quis ineſſicaciter vult aliquod obiectum, & conditionaliter, quia efficaciter, & abſolutè vult aliud obiectum, ergo voluntas inordinatè volens ex eo conditionaliter vult aliquod obiectum, quia vult abſoluta, & efficaci volitione aliud obiectū, inordinatè; ergo primum Angeli peccatū non potuit eſſe actus voluntatis conditionatus, ſed ęqualitas Dei per ęquiparantiam non potuit appeti niſi voluntate quadam inefficaci, & conditionata, ergo primum peccatum Angeli non potuit eſſe appetitus equalitatis Dei per æquiparantiam.

Secunda conclu. ¶ Secunda concluſio. Vnum ex peccatis quæ commiſerunt Angeli in via potuit eſſe appetitus ęqualitatis Dei per equiparantiam. Hæc concluſio probatur à Doctore. 1. quia voluntas habet pro obiecto quodcunque bonum, ergo poteſt concupiſcere quodcunque bonum, ſed ęqualitas Dei per ęquiparantiam eſt aliquod, imò maximum bonum, ergo potuit Angelus illam concupiſcere ſibi.

¶ Secundò. Si ęqualitas Dei eſſet poſsibilis Angelo poſſet illam ſibi concupiſcere, ſed impoſsibilitas huius nō prohibet quin poſſit Angelus illam appetere, vt docet Philoſophus. 3. Ethic. voluntas eſt impoſsibiliū & non tantum voluntas errans. Sed voluntas cum plena apprehenſione, nēpe quando ex certa malitia quis eligit illud, quod intellectus iudicat eſſe malū, imò & impoſsibile, nā damnati, & dæmones actu elicito volunt Deum non eſſe, quamuis eorum intellectus iudicet illud eſſe impoſsibile, quia cum peccēt ex certa malitia non ſolū actu conditionato, (ſcilicet ſi poſſet eſſe) volūt Deum non eſſe, imò quamuis iudicant illud eſſe impoſsibile actu efficaci ex parte volūtatis, quāuis inefficaci ex parte obiecti volunt Deum non eſſe, ergo ſimili, poſito primo peccato in Angelis, nēpe nimia cōplacentia ſui ipſorū, & poſito appetitu excelſitię ſuper alios, & poſito peccato quo voluerūt nō ſubdi Deo, quāuis intellectus Angelicus iudicaret impoſsibile eſſe illos ęquari Deo, nihilominus tamen voluntas illorum potuit ex malitia) voluntate non

ſolum

ſolum conditionata ex parre voluntatis, ſed etiam abſoluta, licet condirionali, & inefficaci ex parre obiecti) velle æqualitatē Dei per æquiparantiam adeò enim creuit malitia eorum, vt quæcunque mala de illis poſsint credi.

Vltima concluſio. ¶ Vltima concluſio. Vnū ex peccatis quæ Angeli commiſerunt in via fuit appetitus æqualitatis Dei per æquiparantiam. Hæc concluſio probatur, iuxta illud Pſalm. 73. Superbia eorū qui te oderūt aſcendit ſemper. Sed vnum ex peccatis quod modo dæmones habēt in inferno eſt appetitus æqualitatis Dei per æquiparantiam, ergo. Probatur minor; nam nonnulli ex dæmonibus appetūt diuinos honores, ex quas celeſtiſsima ambitione Idolorum adoratio originē ſumpſit. Imo Matth. 4. dixit Lucifer Chriſto Domino. Hæc omnia tibi dabo ſi cadens adoraueris me. Signum igitur magnū eſt dæmones (præcipue illos qui principatum habuerunt inter alios) non ſolum appetiuiſſe æqualitatem Dei per ſimilitudinem, ſed etiam per æquiparantiam. ¶ Confirmatur, quia cum nulla repugnantia appareat, & de illis quodcunque malum poſsit affirmari poteſt etiā dici Angelos nō ſolū potuiſſe appetere æqualitatē Dei per æquiparantiā, ſed etiam tale peccatū cōmiſiſſe.

Reſp. arg. ad primū. ¶ Reſpondetur argumentis. Ad primum diſtinguendo maiorē, vel de primo peccato, vel de alio quocunque ſequuto ad primum peccatum, & quanuis in primo peccato argumentū procedat, ſecus autem in ſecūdo, & tertiò, vel quarto peccato, vt dictū eſt.

Ad ſecundum. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, quod electio non eſt impoſsibilium, quando eſt electio, ſiue voluntas efficax mediorum ad finem, nam tunc electio, vt docet Ariſt. 3. Ethic. cap. 1. & 2. eſſe non poteſt niſi eorum quæ ſunt, & per conſequens Angelus nullo pacto potuit peccare ex tali electione appetendo æqualitatem Dei per æquiparantiā: quandoque tamen ſumitur electio pro ex certa ſcientia, & ex plena cognitione, & ſic præſuppoſita iam malitia in voluntate Angeli potuit ex plena cognitiōe & ex certa ſcientia, & ex determinata malitia (quanuis intellectus iudicaret eſſe impoſsibile eſſe æqualem Deo per æquiparantiā) velle talem æqualitatem.

Ad tertiū. ¶ Ad tertium reſpondetur diſtinguēdo maiorem vel abſolutè, vel ſub alia volitione, abſolutè non poteſt Angelus velle ſe non eſſe appetitu naturali, quanuis actu elicito poteſt velle ſe non eſſe, ſicut modo damnati actu elicito poſſunt velle, ſe non eſſe, quāuis appetitu naturali renuant ſuum nō eſſe. Ita Angeli mali volebant ſe eſſe æquales Deo, quanuis per neceſſariam conſequentiam ſequeretur ſe non eſſe, nihilominus tamen poteſt quis velle antecedens nolendo conſequens quod ex illo antecedenti infertur, ſicut & quilibet peccans vult delectationem, non tamen vult punitionem.

QVÆSTIO V.

¶ *Vtrum Lucifer peccauerit appetendo vnionem hypoſtaticam.*

DE hac re eſt prima ſententia quorundam aſſerentium peccatum Luciferi fuiſſe appetitū vnionis hypoſtaticæ, quā ſententiam dicunt fuiſſe Diui Bernardi, ſermo. 1. de aduentu Domini in principio, & in ſermo. 2. in octaua Paſchæ, & ſerm. 16. in cantica. quam docent Catharinus in illud Geneſ. 3. Sed & ſerpens erat callidior cæteris animantibus, Vigerius capit. 3. inſtitutionum Theologicarum. §. ſecundo. verſic. vltimo. Dionyſius Carthuſianus in ſecundo, diſt. 5. quæſt. 1. Guillelmus de Rubione ibidem, ibi quantum ad tertiū: vbi aduertit quòd appetere Deo æquari poteſt dupliciter intelligi. Secundū quod dupliciter aliquis poteſt dici Deo æqualis. Vno modo formaliter, & quidditatiuè ſeu intrinſecè, quia videlicet eſt tantæ perfectionis, quantæ Deus, & vt ſic impoſsibile eſt non Deum eſſe æqualem Deo, ſed vt ſic vna perſona diuina, eſt æqualis cuilibet alteri. *1. Notab.* Alio modo poſſet dici aliquis Deo æqualis tantum perſonaliter, & tantum denominatiuè modo, quo homo aſſumptus poſſet dici Patri, & Spiritui ſancto æqualis, quia eſt perſonaliter verbum, quod eſt vnus cū Patre, & Spiritu ſancto Deus. Primo modo appetere Deo æquari, eſſet appetere quod eſt impoſsibile, & contradictionem implicans manifeſtam. Secūdo autem modo Deo æquari hoc eſt à diuino ſuppoſito aſſumi non eſt impoſsibile, & ita ſi primo modo diabolus appetijt diuinā æqualitatē eius appetitus fuit rei impoſsibilis, nō tamen ſi ſecūdo modo. ¶ Præmittit ſecūdo quod eſto, quod appetitus poſsit eſſe im- *2. Notab.*

 poſsi-

poſsibilium, tamen cæteris paribus efficacius appetitur, quod vt poſsibile, quã quod vt impoſsibile apprehẽditur. ¶ Tertiò, præmittit quod diaboli culpa non fuit ex ignorantia. Vnde concludit, quod quia vt dictũ eſt quod impoſsibile quis ſibi eſſe apprehẽdit, non intenſè ſed remiſsè appetit, vel nullo modo appetit, ideò mirum eſt, quod diabolus diuinam æqualitatem, ſic intenſe cõcupiuerit, quam ſibi impoſsibilem eſſe sciuit, propter quod videretur probabiliter eſſe credendum, quod diabolus non appetijt Deo hoc modo æquari, ſed vniri, ſeu perſonaliter copulari.

¶ Quod ſi quis quærat quomodo diabolus agnouit hoc eſſe poſsibile (videlicet) quod Deo hypoſtaticè vniretur, cum hoc non poſsit naturaliter eſſe notum à priori, ſed tantum à poſteriori, quia videlicet ſic eſt factum, conſtat autẽ quod homo tunc non erat aſſumptus, quando diabolus peccauit: Reſpondet quod eſto quod diabolus ſeipſum formaliter aſſumptibilem nõ cognouerit certitudinaliter eſſe poſsibile, non tamen apprehendit hoc eſſe impoſsibile, cũ ſit falſum, & ipſe per ignorantiam non peccauerit, & ideo potuit hoc credere, ſeu opinari eſſe poſsibile, licet certitudinaliter nõ cognoſceret.

¶ Alij autem aliter explicant quomodo diabolus cognouerit vnionem hypoſtaticam, dicentes, gratiam donatam Angelis fuiſſe donatam à principio ex meritis Chriſti, cuius incarnationis myſterium fuit illis reuelatum, & futurum eſſe principem, caputque omnis creaturæ, inſtitiæ authorẽ, & mediatorem vnicum inter Deũ Angelos, ac homines fuiſſe, Angelis impoſitum præceptum, vt qui vellent ſalui eſſe, in ipſo ſuam ſpem collocarent, atque Dei naturalem filium adorando recognoſcerent, & illi ſe ſubijcerẽt. Poſtquam autem Lucifer talem per reuelationem cognitionem habuit, nimis complacens in propria ſuæ naturæ excellentia, multo melius iudicauit talem hypoſtaticam vnionem ſuæ naturæ conuenire, quam naturæ humanæ, in quo maxima eius ſuperbia oſtenditur, quia iudicauit maiorem conuenientiam eſſe inter ſuam naturam, & verbum diuinum, quam inter naturam humanam, quam Deus volebat in vnitatem ſuppoſiti aſſumere, & poſita tali ſuperbia ſtatim orta eſt inuidia illius excellẽtiæ, quam Deus naturæ humanæ volebat conſerre, & tunc incitauit reliquos Angelos, vt Chriſtum Dominum non adorarẽt, & in hoc facta eſt contentio magna in cælo. Ex his igitur omnibus ſatis patet, quomodo peccatum Angelorum primo fuerit ſuperbia quatenus indignũ iudicarũt Chriſtum adorare, & ſeipſos illi ſubijcere. Probant autem prædictam ſententiam primò ex illo ad Titum 1. vbi D. Paul. ſic ait, Paulus ſeruus Dei Apoſtolus autem Ieſu Chriſti ſecundum fidem electorum Dei, & agni- *Primum argum.* tionem veritatis, quæ ſecundum pietatem eſt in ſpem vitæ æternæ, quam promiſit (qui non mentitur Deus) ante tempora ſecularia. Ex quibus verbis facilè cõſtat promiſſam fuiſſe ſpem vitæ æternæ ſecundum fidem electorũ ante tempora ſecularia, ſed talis promiſsio nõ fuit alijs facta quam Angelis, ergo Angelis fuit facta promiſsio vitæ æternæ ex meritis Ieſu Chriſti.

¶ Secundò probatur, ex illo ad Hebræos 1. *Secundum argum.* vbi ſic dicitur, loquens de Chriſto Domino, & cum iterum introducit primogenitũ in orbem terræ dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei, ſi igitur quando Chriſtus Dñs aſſumpſit humanitatẽ iterum dictum eſt angelis adorent eum, &c. Ergo antequã realiter aſſumeret naturam humanã in vnitatem ſuppoſiti, præceptum impoſitũ fuit Angelis de adoratione Chriſti, ſed non poteſt intelligi quandò fuerit tale præceptũ impoſitum Angelis, niſi ſtatim cum fuerũt conditi, ergo ſtatim ac fuerunt conditi fuit illis præceptum impoſitum de adorando Chriſto Domino. Probatur ſequela, quia nullum aliud præceptum cõuenientius apparet, aut in quo melius probari poſsit humilitas & obedientia Angelorũ, aut in quo ipſi recognoſcere poſſent, & venerari excellentiam Dei, quam illud de veneranda Chiſti humanitate, & de adorando Deo homine.

¶ Tertiò probatur, ex illo 1. ad Corinth. 2. *Tertium argum.* vbi Diuus Paul. ſic ait, Sapiẽtiam autem loquimur inter perfectos ſapientiã vero non huius ſeculi, qui deſtruuntur, ſed loquimur de ſapientia in myſterio quæ abſcõdita eſt quã prædeſtinauit Deus ante ſecula in gloriam noſtram, ſed ſic eſt quod prædeſtinatio iſta ante ſecula fuit, vt quotquot recepturi eſſent beatitudinem reciperent illam ex meritis Chriſti, ergo & Angelis reuelatum fuit recepturos eſſe beatitudinem ex meritis Chriſti, & per conſequens vnio hypoſta-

Quartum argum. poſtatica fuit illis reuelata. ¶Quartò, ex il lo Ioan. 8. Vos ex patre diabolo eſtis, & de ſideria patris veſtri vultis perficere, ille ho micida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, ſed Phariſæi cũ quibus Chriſtus loquebatur volebant Chriſtũ interficere, & per hoc dicũtur à Chriſto filij diaboli, ergo dia bolus qui ab initio fuit homicida, ab initio voluit interficere Chriſtũ, ſed non potuit velle illũ interficere, niſi illius habuerit ali quam cognitionẽ nullã autẽ cognitionem potuit de Chriſto Dño habere, niſi per reuelationẽ, ergo Lucifer ab initio habuit reuelationẽ incarnationis Chriſti Dñi, ergo.

Quintum argum. ¶ Quintò, Lucifer vt conſtat, ex illo Iſaiæ 14. ex eo peccauit, quia dixit, in cælum cõ ſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſed hoc nihil aliud fuit, quam ſedere ad dexteram Dei, habẽdo locum ſuper om nem creaturam, ergo ex eo peccauit, quia appetiuit locum debitum illi, qui haberet eſſe diuinum cum eſſe creato, ſed talia eſſe tam diſtincta nõ poſſunt coniungi, niſi per vnionem hypoſtaticam, ergo appetendo ſedem Deo homini debitã, appetiuit vnio nem hypoſtaticam, & quia illi nõ dabatur, ex eo ſecundo peccauit, quia appetiuit locum debitum habenti naturam humanã vni tam ſibi hypoſtaticè.

Confirm. ¶Confirmatur funda mento Guillelmi de Rubione, nam Lucifer peccauit ex eo quod appetiuit diuinita tem aliquo modo, ſed non eſt alius modus congruentior, quo Angelus poterat appetere talem diuinitatem, quam appetendo vnionem hypoſtaticam, ergo.

Sextum argum. ¶Sextò probatur, ex illo Ioan. 17. vbi Chri ſtus Dominus orans Patrem, dicit, Clarifica me Pater claritate, quam habui prius quam mundus fieret. Et Ioan. 12. dicitur, Clarificaui & iterum clarificabo: ſed claritas illa quam Chriſtus Dominus habuit an tequam mundus fieret, non fuit alia, quam illa quã habuit ex mentibus angelicis, nem pe quam per reuelationem cognouerũt ha bituram in tempore, ergo Angeli habuerũt cognitionem ſupernaturalem, de vnione hypoſtatica in tempore fienda.

Secunda ſententia. ¶Secunda ſententia communis eſt. Pro cuius explicatione & quæſtionis, Notandum eſt primo, quod in hac quæſtione aliud eſt quærere de facto, aliud de poſsibili (id eſt) aliud eſt quærere vtrum fuerit poſsibile fa

1. Notab. ctam fuiſſe reuelationem Lucifero & omni bus Angelis de incarnatione Chriſti, impo ſitumque fuiſſe illis præceptum de illo ado rando, & aliud eſt quærere vtrum ita fuerit factum: nam de priuio nulli dubium eſt, ſi cuti etiam nulli dubium eſt, poſsibile eſſe velle Deum aſſumere naturam humanam in vnitatem ſuppoſiti, nullo exiſtente pec cato, an vero ita factum fuerit de facto, hoc controuertitur inter Doctores. Ita in præſentiarum, quãuis nulli dubium eſſe poſsit, poſſe Deum velle aſſumere naturam huma nam in vnitatem ſuppoſiti nullo exiſtente peccato, & poſſe Deum talem vnionem Angelis reuelare, imponereque illis præce ptum, vt omnẽ ſuam ſpem in Chriſto Domino collocarent, nihilominus tamen, an ita de facto factum fuerit, hoc inter Docto res controuertitur.

¶Secundò eſt notandum, quod quãuis præ dicta ſententia locum aliquem habere poſ ſit in ſententia Doctoris aſſerentis, ꝙ etſi adhuc nullum eſſet peccatum, verbum diui num aſſumeret naturam humanam, in ſen tentia tamen Diui Thom. nullo modo poteſt ſuſtineri, & ratio huius eſt, nam peccatum Angelorum fuit ante peccatũ Adami. *2. Notab.* Si igitur verbum diuinum non erat aſſumpturum carnem humanam in vnitatem ſup poſiti, niſi occaſione peccati Adami, non igitur facta fuit reuelatio talis vnionis Angelis anteqnam peccarent, quia antequam peccarent, non erat peccatum Adami, ergo nec intelligendum eſt decretum voluntatis diuinæ de aſſumptione humanitatis in vnitatem ſuppoſiti, ante peccatum Angelorum, & per conſequens, nec intelligenda eſt reuelatio facta Angelis de incarnatione Chriſti, & ita neque poteſt intelligi præce ptũ aliquod ſupernaturale impoſitũ fuiſſe Angelis de adorando Chriſto Domino.

¶Tertiò eſt notandum, quod vt docet Di- *3. Notab.* uus Paul. vbi non eſt lex, nec prçuaricatio, ſi nulla eſſet lex præceptiua, & nullũ eſſet à Deo impoſitum præceptũ, nullum eſſet peccatum, quare cum in Angelis neceſſario ponamus peccatum, neceſſario etiã po nendum eſt aliquod præceptum.

¶Vltimò eſt notandum, quod in hac quæ- *4. Notab.* ſtione nihil habetur definitum ex Sacra ſcriptura, neque ex concilijs, ſed quæ in illa dicuntur, tantum habent probabilitatẽ deductam ex aliquibus coniecturis, & pro babilibus rationibus.

¶Prima concluſio. Poſsibile fuit Angelis *Prima cõcluſio.* viatoribus fuiſſe impoſitum præceptũ ſup

poſita

poſita reuelatione de adorãdo Chriſto Domino. Hæc cõcluſio probatur, nam probabiliſsima eſt ſententia Doctoris, qua docet Verbum diuinum aſſumpturum naturã humanam nullo extante peccato, & φ adhuc ſi Adamus nõ peccaret verbum diuinũ aſſumeret naturam humanam, ergo cum ante quam intelligamus Deum decernentẽ creare Angelos, & homines intelligamus Deũ decreuiſſe aſſumere naturam humanam in vnitatem ſuppoſiti, & intelligamus Chriſtum Dominum caput Angelorũ, & hominum. Poſsibile igitur fuit præceptũ impoſitum angelis, præſuppoſita reuelatione talis myſterij fuiſſe, de adorando Chriſto Domino. Imo videtur congruentiſsimũ, quod præceptum impoſitum Angelis ſtante ſententia Doctoris fuiſſet de diligẽdo, & adorando Deo & de adorãdo, & diligẽdo Chriſto Domino. Patet ex eo, quia ſicut Deus eſt finis omnium creaturarũ, ita poſt Deũ, Chriſtus eſt finis omnium creaturarũ, nam in illo condita ſunt vniuerſa in cælis & in terra viſibilia & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtãt, & ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, vt Diuus Paulus docet.

Secunda concluſio. ¶Secunda concluſio. In ſententia D. Tho. nõ poteſt ſuſtineri peccatum Angelorum fuiſſe ex appetitu inordinato vnionis hypoſtaticę. Hæc concluſio patet, nam ſecundum D. Tho. ſi Adam non peccaret verbũ diuinum non aſſumeret naturam humanã, ergo ad peccatum Angelorum anteceſsit peccatum Adami, ergo non poteſt intelligi peccatum Angelorum fuiſſe ex inordinato appetitu vnionis hypoſtaticæ.

Tertia cõcluſio, ¶ Tertia cõcluſio. In nulla ſententia primũ peccatum Angelorum potuit eſſe inordinatus appetitus vnionis hypoſtaticæ. Hæc cõcluſio cõformis eſt doctrinæ Doctoris, nã *Prima ratio.* primus actus inordinatus non potuit eſſe amor cõcupiſcentiæ, ſed debuit eſſe inordinatus amor amicitiæ. Vnde vt ſupra diximus quæſt. præcedenti amor inordinatus amicitiæ, & cõcupiſcentiæ, vt docent etiã nõnulli ex expoſitoribus D. Th. 1. p. q. 63. art. 2. q. 2. in ſolut. ad 7. ex Caiet. dupliciter euenire poteſt, vno modo ſeparatè (vt verbis illorũ vtar) quãdo videlicet ex ordinato amore ſui erumpit in prauã concupiſcẽtiã alterius rei, & tunc eſſent duo peccata. Alio modo ſimul, tanquã ratio alterius concupiti, ita quod nõ eſt ibi alia deordinatio, quã effectus ſequuti, & tunc vnũ eſt numero peccatũ amoris amicitiæ, & cõcupiſcentiæ, vt cum quis tollit alienum, vt ſuæ vitæ conſulat, proprius amor, & alieni concupiſcentia vnũ numero peccatũ ſunt. Ex quibus ſic, Primum peccatũ Angelorũ fuit cõplacentia in propria perfectione naturali, vt prædicti expoſitores fatẽtur, vbi ſupra artic. 3. quæſt. 2. concl. 3. ex illo Ezech. 28. Eleuatũ eſt cor tuum in decore tuo, & concluſ. 4. docent cũ hac ſui nimia cõplacentia habuit Angelus appetitum inordinatũ propriæ excellentiæ. Cũ igitur talis inordinatio ſit diſtincta à priori deordinatione, amor amicitiæ, & amor cõcupiſcentiæ in angelis duo erunt peccata, patet ex dictis illorũ, nã Angelus ex ordinato amore ſui erupit in prauam concupiſcẽtiam alterius rei, & tunc ſunt duo peccata, & per conſequẽs primum peccatũ Angelorũ nõ fuit, nec potuit eſſe inordinatus appetitus cõcupiſcẽs vnionẽ hypoſtaticã. Patet ſequela, quia illum inordinatũ appetitũ anteceſsit nimia cõplacentia quam habuit Angelus in propria excellentia, & propria ſuæ naturæ perfectione. ¶Secundo probatur cõcluſio eiſdem rationibus quibus probatum fuit quæſtione præcedenti, primum peccatum Angelorum requirere aliquam inconſideratio- *Secunda ratio.* nem, & quod peccatũ ex certa malitia præſupponit in voluntate aliud peccatum, vel habitum peccaminoſum. Cum igitur Angeli, ante primũ peccatum non habuerint peccatum, vel habitum peccaminoſum, nõ videtur quomodo Angeli poſſent peccare ſine aliqua inconſideratione ex parte intellectus, præcipuè circa obiectum ſupernaturale, à Deo propoſitũ vt bonum. Nam verbi gratia, ſit impoſitum præceptum Angelis de adorando Chriſto Domino. Proponitur ab intellectu tale præceptum bonũ eſt adorare Chriſtum Dominum, voluntati, vel intellectus tunc iudicat conuenientius eſſe non adorare Chriſtum Dominum, vel iudicat malum eſſe non adorare Chriſtum Dominum, ſi iudicat conuenientius eſſe non adorare, habet igitur errorem poſitiuum, ſi autem dicas intellectus iudicat malum eſſe non adorare, nihilominus tamen, voluntas pro ſua libertate vult non adorare. Contra voluntas præcipuè recta, & habitu charitatis ornata (vt fuit Angelorum)

lorum) potius tendet in bonum oſtenſum ab intellectu, quam in malum. Et prætérea. Nam talis voluntas, vel proſequitur nō adorare Chriſtum Dominum in ratiōe vtilis, honeſti vel delectabilis, ſed neutram rationem harum poteſt voluntas Angelorum habere reſpectu non adorationis Chriſti Domini, vt de ſe patet, ergo primū peccatum Angelorum non potuit eſſe nolle adorare Chriſtum Dominum.

Vltima concluſio. ¶ Vltima cōcluſio. Secundum vel tertium peccatum Angelorum, vel aliquod ex his quę commiſerunt in via potuit eſſe nolitio adorandi Chriſtum Dominum, & inuidia illius excellentiæ, quam natura humana habitura erat, & ſuperbia ex parte rei appetitæ, quā Angelus voluit locum Chriſti tenere, & æqualem cum illo excellentiam in cælo habere. Hæc concluſio quo ad omnes ſuas partes probatur, nam in primis nihil determinat de facto, ſed tantū quid fuerit poſsibile oſtendit, & ſecundo quia authoritates pro prima ſententia adductæ quanuis illam non manifeſtè oſtendant, ſatis tamen probabiliter illam indicant, & tertio quia (vt dixi concluſione prima) cōgruentiſsimū videtur (ſtante opinione Doctoris) quod præceptum ſupernaturale Angelis impoſitum fuerit de diligendo Deo ſuper omnia, & de Chriſto Domino adorādo, ergo aliquod ex peccatis dęmonum potuit eſſe contra præceptum impoſitū adorandi, & venerandi Chriſtum Dominum. ¶ Præterea, quia certiſsimum eſt, in Angelis malis fuiſſe inuidiam, ſed obiectum inuidiæ potuit eſſe illa excellentia, quam natura humana aſſumpta in vnitatem ſuppoſiti à verbo cognoſcebant, & quod erat Chriſtus Dominus caput Angelorum, & hominum, ergo. ¶ Confirmatur etiam ex eo, quia (vt diximus in præcedentibus) peccatum malorum Angelorum habuit initiū in nimia complacentia ſui ipſorum. Et ſecundo appetierūt excellētiam ſuper alios, ergo ſi per reuelatiōnē cognouerūt Chriſtum Dominum alios antecellere, eſſeque caput viſibilium & inuiſibilium, & quod in illo erant poſiti omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ Dei, & quod ad nomen illius omnes creaturæ debebant genu flecti, & tanquam primo omnes creaturæ ſubdebantur, quare non poteſt credi de ſuperbia Luciferi, cuius cor eleuatū fuit in decore ſuo, quod appeteret excellentiam vnionis hypoſtaticæ, nam inuideret in Chriſto Domino illam quam ſibi habendā optabat: quia tamen in hac quæſtione nihil de facto determinandum cenſeo quantum ad primam ſententiam, ideo ex ſentētia aliorum ad argumenta deſumpta ex pluribus authoritatibus Sacræ ſcripturæ reſpondeo, vt & ipſi reſpondent.

¶ Ad primum deſumptum, ex illo D. Pauli ad Titum. 1. Reſpōdeo D. Paulum per tempora ſecularia intellexiſſe tempora pluriū ſeculorum, ſeculum vero eſſe periodū durationis cuiuſque rei. Vnde ſenſus illorum verborum eſt, quam promiſerat (Patribus videlicet Teſtamenti veteris, ac legis naturæ) ante multa ſecula, ſeu ante periodos durationis, ac vitæ multorum hominum, vel quam promiſerat (id eſt) in ſemetipſo dare ſtatuerat, ac prædeſtinauerat, ante tempora ſecularia (id eſt) ex æternitate. *Reſp. arg. ad primū.* Eodem modo exponi etiam poteſt, gratiam manifeſtatam per illuminationem ſaluatoris datam eſſe nobis ante tempora ſecularia, per nudam promiſsionem factam tunc Patribus iuxta illud Zachariæ, Lucæ. 1. ius iurādum quod iurauit ad Abraham patrem noſtrū daturumſe nobis. At vero datā ita eſſe nobis, tamen abſque traditione vſque ad Chriſti aduentum, promiſsio nanque, præſertim ea quæ firma eſt & certa datio, atque donatio dicitur etiam ante traditionem ſumpto tamen latius vocabulo. ¶ Exponi etiam poteſt datam fuiſſe nobis (id eſt) conſtitutam dari ante tempora ſecularia (ideſt) ex æternitate. ¶ Ad ſecundum reſpondent, quod ſenſus legitimus illius loci eſt vnus è tribus. *Ad ſecundum.* Primus eſt, cum vnigenitus Dei filius quatenus Deus ſemper fuerit in mundo iuxta illud Ioan. 1. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, cæpit iterum quatenus homo eſſe nouo quodam modo in mūdo per myſteriū incarnationis: iuxta id quod ſubiungit Ioan. in propria venit, & ſui ū non receperunt. Atque hoc eſt quod dicit Paulus, cum Pater æternus iterum introducit primogenitum in orbem terræ (id eſt) per myſteriū incarnationis introducit primogenitum vt ſit iterum nouo quodam modo quatenus eſt homo in orbem terræ dicit ad Angelos, vt eum (quatenus homo eſt) adorent, eo quòd ſimul ſit verus Deus, ita Diuus Chryſoſto. Ambroſius, & multi alij exponunt Diuūm Paulum. ¶ Secundus ſenſus illorum verborum eſt, cum iterum introdu-

troducit primogenitū in orbem terræ per virginis partum, præcepit Angelis, vt adorent eū: facta quippe eſt in natiuitate Chriſti multitudo cæleſtis exercitus laudantiū Deum vt habetur Lucæ 2. ¶ Tertius ſenſus ſit, cum iterum introducit primogenitū non iam paſsibilem, vt in die incarnationis ſed glorioſum per reſurrectionem, qua natura humana Chriſti iterū incepit eſſe, dicit & adorent eum omnes Angeli eius, quē ſenſum aſsignat D. Chryſoſt. & etiam Diuus Ambroſius.

Ad tertiū. ¶ Ad tertium, ex illa 1. ad Corinth. 2. reſponſum eſt in ſolutione ad primum, quòd prædeſtinatio, qua Deus prædeſtinauit ante ſecula ſapientiam quæ in myſterio abſcōdita eſt non aliud probat quam myſteriū incarnationis eſſe ab æterno prædeſtinatū in remediū peccati. Vnde cum Angeli boni non habuerint peccata myſterium incarnationis non fuit prædeſtinatum in remedium peccatorum Angelorum. Et quanuis Chriſtus Dominus nō eſſet futurus homo ſi Adam nō peccaret, & per conſequens Angeli non habuerint Chriſtum Dominum in principio ſuæ creationis caput ipſorū: nihilominus tamen meritum Chriſti Domini adeo excellens fuit, vt per illud non tantum meruerit eſſe caput hominum, ſed etiam ſufficiens fuit ad merendum eſſe caput Angelorum. Vnde quanuis Angeli nō receperint beatitudinem ex meritis Chriſti, meritum tamen Chriſti adeo excellens fuit, vt beatitudinem quam Angeli habebant alio titulo poterat Chriſtus Dominus ſibi mereri. Sicut verbi gratia, ſi Chriſtus Dominus applicaret ſua merita pro beatitudine Angelorum comparāda, vel vt angeli haberent beatitudinē, quam habebant excellentiori modo, nempe facti membra Chriſti.

Ad quartum. ¶ Ad quartum reſpōdetur ſenſum illorum verborum, hunc eſſe, ille homicida erat ab initio mundi generis humani, quando inuidia, ſuaſioneque illius, mors introiuit in orbem terrarum, genuſque humanū morti obnoxium reliquit. At quoniā tunc peccatum Adami id tantum obtinere potuit vt iuxta curſum naturæ, varioſque rerum euentus ſinguli homines morerentur: cum tamen longè plus optaſſet, citiuſq; ſingulos homines (ſi id obtinere poſsit) perdere voluiſſet de Phariſæis mortē Chriſti machinantibus dicebat idem Chriſtus, illos deſideria diaboli, quę ab initio habuit velle perficere, idemque, de quocunque alio, qui ſimili modo mortem alicui alteri machinaretur poſſet merito dici.

Ad quintum. ¶ Ad quintum reſpōdetur, quòd locus ille Iſaiæ tantum indicat, peccatum Luciferi fuiſſe deliberatam ſuperbiam, qua de ſua pulchritudine, vt ac perfectione intumeſcens propria authoritate dominatum, & tyrannicum, principatū ſuper omnes alias creaturas appetiuit contra ordinationem Dei, quæ forte præcepto aliquo poſitiuo innotuerat. Vnde ea tenus appetiuit ſimilis eſſe altiſsimo, quod quēadmodū Deus eſt omnium Dominus, ita ipſe voluit omnibus dominari, & præ eſſe, & ab omnibus creaturis mente præditis coli, ac venerari.

Impugnatio præcedentis ſolutionis. ¶ Sed iſta ſolutio quanuis locum poſsit habere in peccato Luciferi, non tamen poteſt habere locum in peccatis reliquorum Angelorum: nam non eſt veriſimile, quod omnes Angeli apoſtatæ voluerunt habere hūc principatum, imo neque poſſum credere, omnes Angelos apoſtatae ex eo peccare, quia appetierunt Luciferum eſſe ſupremū, cōtra ordinationem diuinam, & quod ipſe exaltaret ſolium ſuum &c. Quare cum omnibus Angelis apoſtatis commune ſit peccaſſe peccato ſuperbiæ & propriæ elationis, nihil improbabile dicit, qui (vt dictum eſt ſupra) aſſerit, illos peccaſſe, quia nimiū ſibi complacentes appetierunt non obedire Chriſto Domino, nec illum adorare. Vel quod peccauerunt contra aliquod præceptū ſupernaturale illis impoſitū, & poſtea voluntate (iam per illud peccatum deprauata) in alia peccata potuerunt exire, iuxta ea quæ ſupra diximus.

TEXTVS.

Dico ergo quod boni, & mali fuerunt adinuicem diſtreti in via, aliter non fuiſſent diſcreti finali diſcretione in termino, In via, ergo fuerunt neceſſario moræ duæ. ¶ Prima, in quā fuerunt vniformes in gratia ſi volumus dicere, quod mali habuerunt gratiam, vel vniformes ſaltem in natura. ¶ Secunda mora, in quā adhuc in via exiſtentes fuerunt difformes, ita ſcilicet, quod iſti vltimatè meruerunt, & iſti vltimatè demeruerūt. ¶ Tertia mora, fuit diſtinctio finalis vnius ab alio neceſſario. ¶ Probabile eſt etiam, quod

quod in ſecunda mora (in qua fuerunt diffor.nes in via) fuerunt multæ morulæ, quia mali peccauerunt multis ſpeciebus peccati, ſcilicet, ſuperbia, odio, & inuidia, & iſti actus ordinati, & non in eodem inſtanti fuerunt eliciti, diſtin. 5. quæſtione ſecunda litera. N.

EXPLICATIO LITERÆ.

IN hac litera Doctor duas aſsignat cōcluſiones quarum prima eſt, quod Angeli tam boni quā mali habuerunt in via tres moras, quarū prima fuit in qua omnes fuerunt æquales præcipuè ſi in gratia creati fuerunt, nam in prima omnes fuerunt creati in gratia, & quia illam receperunt mediante propria diſpoſitione liberi arbitrij ex auxilio ſupernaturali elicita (iuxta ea quæ diximus ſupra in propria diſputatione) omnes in primo inſtanti meruerunt, non gratiam primam, ſed gloriam. In ſecundo inſtanti, boni ſuum meritum continuauerunt pluribus actibus meritorijs ſpecie diſtinctis, & numero. nam non ſolum dilexerunt Deum finem ſupernaturalem, ſed cum prælīū factū fuiſſet in cælo Michael, & angeli eius præliabantur cum dracone, &c. vt dicitur Apoc. 12. ſimul cum dilectione illa Dei fuerunt quam plurimi actus ex parte bonorum Angelorum, quibus malis Angelis reſtiterunt, & etiam in malis angelis fuerunt & quam plurimi actus, quibus bonis Angelis impugnabant, & mutuo inter ſe conueniebant. In tertia autem mora boni præmiati ſunt, mali autem ſunt ſupplicio affecti. ¶ Secunda autem concluſio Doctoris eſt quod talis ſecunda mora non fuit indiuiſibilis, vel inſtantanea, nam mali peccauerunt multis ſpeciebus peccati, ſcilicet ſuperbia odio, & inuidia. Quia tamē in hac ſecunda concluſione non omnibus eſt vna ſententia, ſit quæſt. 6.

QVÆSTIO VI.

¶ *Vtrum ſecunda illa mora, in qua mali Angeli peccauerunt fuerit indiuiſibilis, & inſtantanea.*

Prima ſententia. DE hac re eſt prima ſententia Diui Tho. quā etiam docent eius expoſitores. 1. par. quæſt. 63. artic. 6. quæſt. 2. cōcluſione. 1. qui aſſerūt, illam ſecundam moram (in qua Angeli peccauerūt) fuiſſe in ſe indiuiſibilē, in qua quidem & fuerunt perfectè viatores, & habuerunt perfectam deliberationē, & ſimul habuerunt plures actus, non tamē ſucceſsiuè ſe habentes, ſed coexiſtentes ſimul, & ob id nō ſunt plura inſtātia ſed vnū.

¶ Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia eadem eſt ratio de bonis, & de malis Angelis, ſed mora illa ſecunda reſpectu bonorū Angelorum fuit indiuiſibilis, & inſtantanea, ergo reſpectu malorum. *Primum argum.* Vnde Diuus Damaſcenus lib. 2. fidei orthodoxæ cap. 3. quod homini eſt mors, Angelo eſt caſus, qa ſicut via hominis finitur morte, nec poſt illam eſt amplius meritū, vel demeritū. Iuxta illud Ioan. 9. Veniet nox (ſcilicet mors) quando nemo poteſt operari (ſcilicet meritoriè) vt ibi interpretatur D. Aug. Chryſoſtomus, & Theophilactus, ita enim Angelus poſt caſum fit extra viam.

¶ Secunda ſententia eſt Doctoris, vt patet in litera & præcipuè hac diſtinct. quæſt. 1. *Secunda ſententia.* ante literam. I. ibi, ſed qualis erat ſecunda mora in ſe, &c. & pro explicatione huius quæſtionis eſt primo notandum, communem eſſe omniū ſententiā, viam bonrū & *1. Notab.* malorū angelorū à puncto in quo eſſe receperunt vſque ad inſtans in quo primo boni præmium conſequuti ſunt, & mali puniri cæperunt fuiſſe omnibus æqualem, atque adeo correſpondenter tempori noſtro in vno, & eodem inſtanti per primum ſui eſſe cæpiſſe beatitudinem bonorum, & ſupplicium malorum quo fit, vt tertia mora (tam bonorum quam malorum) ab illo inſtanti cæperit, & in æternum duret, ac proinde duratio (tam beatitudinis bonorum, quam ſupplicij malorum) eſt illis omnino æqualis, tota enim difficultas in hoc conſiſtit, verum ſecunda mora (in qua boni ſuum meritum perfecerunt, & mali ſuum demeritū conſummarunt) fuerit indiuiſibilis, & inſtantanea. Id eſt vnica ſolum operatio, an vero plures operationes.

¶ Secundo eſt notandum (vt aduertit Mo- *2. Notab.* lina quæſt. 63. artic. 6. concl. 3.) quod mora in qua omnes Angeli fuerunt in gratia non correſpondet ſoli momento temporis noſtri, ſed ipſi tempori, nec vero neceſſe eſt, vt vnuſquiſque Angelus vnam tantum operationem meritoriam in ea elicuerit. Neque etiā opus eſt, vt oēs Angeli qui peccauerint in eodem inſtanti per correſponden-

dentiam ad tempus noſtrum peccauerint, ac proinde neceſſe nō eſt, vt duratio in qua Angeli mali fuerunt in gratia antequā peccarent fuerit æqualis omnibus angelis. Probatur autem primum, quoniam actus (quo vnuſquiſque Angelus primo peccauit) incæpit per primum ſui eſſe. Illud non fuit inſtans in quo Angeli fuerunt in gratia, cū gratia, & peccatum repugnent, ergo fuit aliud, cum ergo inter quæuis duo inſtantia noſtri temporis mediet tempus, fit, vt mora (in qua Angeli fuerunt in gratia) non fuerit inſtantanea. Quod autem Angeli in prima mora multas potuerunt elicere operationes meritorias, patet ex illo Ezech. 28. vbi dicitur, In medio lapidum ignitorum ambulaſti (ideſt Angelorum charitate ardentium) perfectus in vijs tuis, à die conditionis tuæ donec inuenta eſt iniquitas in te. Ambulare autem plus quam vnum inſtans, & plus quam vnum greſſum operationis innuit. Item eſſe perfectum in vijs in plurali à die conſtitutionis ipſius vſque ad inſtans in quo inuēta eſt iniquitas in eo apertè indicat, plures operationes bonas, & meritorias, quam vnam. Ex qua doctrina facile colligitur quod ſi prima mora Angelorum non fuit indiuiſibilis, & inſtantanea multo magis ſecunda mora in qua neceſſario ponēda ſunt plurima Angelorum peccata ſpecie, & numero diſtincta.

3. Notab. ¶ Tertiò eſt notandum, quod quamuis plures deordinationes ſpecie diſtinctæ poſſint in vnico actu reperiri, ſicuti in eo, qui furatur propter mæchiam, & tales deordinationes non conſtituant diuerſa peccata numero, nihilominus tamen (vt ſupra diximus) in peccato Angelorum inordinatus amor ſui ipſius non fuit ſimul coniunctus cum amore inordinato propriæ excellentiæ ſuper alios, quantum ad primam operationem, quamuis ſecunda mala operatio Angelorum potuerit ſimul coniunctum habere vtrunque amorem, tanquam ratio alterius concupiti: & tunc vnum eſt numero peccatum amor amicitiæ, & amor concupiſcentiæ. Cum tamen vltra amorem cōcupiſcentiæ propriæ excellentiæ fuerint in malis angelis (præcipuè in Lucifero, qui nō tantum exemplo, ſed etiam ſuggeſtione alios peccare fecit) neceſſario ponenda quā plurima alia peccata.

4. Notab. ¶ Quartò eſt notandum, quod ſicut Lucifer, fuit ſupremus inter peccantes, ita fuit primus inter Angelos peccatores (quamuis prædicti expoſitores Diui Thomæ credibilius dicant eſſe, omnes Angelos malos ſimul deliquiſſe ex Diuo Damaſceno dicente, ſimul omnes Angelos cum Lucifero deliquiſſe, eos videlicet qui illū ſequuti ſunt, præſertim, quia omnes puniti ſunt ſimul, & quia ſupremus Angelus non indiguit tēpore, neque ſucceſsione ad proponendum alijs Angelis quod ipſe conceperat, ſed ſimul id facere potuit, vt Sol qui ſimul illuminauit atque fuit lucidus: reliqui etiam Angeli non indiguerunt ſucceſsione ad cōſentiendum ſupremo Angelo, quia omnes habent ſupremam promptitudinem in cognitione, & electiōe ſupremo Angelo perſuadente, neque habent aliquod impedimētum, & ob id, ſimul in eodem inſtanti potuerunt omnes delinquere, & boni reſiſtere, licet fuerit ſpirituale prælium inter illos) ſed quam veritatem habeat iſta doctrina ex eo patere poteſt, nam Angelus primus peccans, quamuis ſimul poſsit operationem elicere peccaminoſam, & alijs Angelis illa perſuadere, vt ſibi conſenſum præbeant, ſicut primum peccatum Angeli (vt dictum eſt ſupra etiam ex ſententia illorū) neceſſario requirat inconſiderationem ex parte intellectus, & talis incōſideratio præſupponat nimiam complacentiam in volūtate reſpectu propriæ excellentiæ, & perfectionis, non videtur dicendum, quod ſimulrate indiuiſibili Lucifer, ſiue ſupremus Angelus haberet nimiam complacentiā in propria perfectione, & ob id appeteret excellentię ſuper alios, tranſgrederetur que pręceptum aliquod ſupernaturale Angelis impoſitum, ſimulque perſuaderet alijs Angelis ad ſimilem tranſgreſsionem, & quod alij Angeli in eodem indiuiſibili inſtanti apprehenderent perſuaſionem illam, & nimium ſibi complacentes, de præcepto impoſito non curantes, ſtatim Lucifero obedirent. Si enim inconſideratio præceſsit primo peccato, & poſtea ſequutus fuit error poſitiuus, quomodo potuerunt tot operationes in inſtanti indiuiſibili conſummari.

¶ Prima concluſio. Tam bonis quam malis Angelis ad minus conſtituendæ ſunt tres moræ. Hæc concluſio ſupra probata manet contra Caietanum quando egimus de creatiōe Angeli in eſſe ſupernaturali, & gratię. *Prima cō cluſio,*

¶ Secunda concluſio. Secunda mora in qua Angeli peccauerunt non potuit eſſe indiuiſibi- *Secunda concluſio.*

uiſibilis,& inſtātanea,ſed fuit diuiſibilis,&
per tēpus durans. Hæc cõcluſio eſt Docto
ris quā probat primo,nā mali Angeli pecca
uerunt pluribus peccatis diuerſę ſpeciei,&
nõ habuerunt ſimul omnes actus illos, igi-
tur habuerũt vnũ poſt aliũ. Probatur ante-
cedens,nā mali angeli peccauerunt,& pec-
cato præſumptionis, & peccato ſuperbiæ,
& peccato odij,& peccato inuidię, quę om
nia peccara nõ ſimul ſed ſucceſsione quadā
cõmiſſa ſunt, nā primo nõ peccauerũt pec
cato odij,& inuidiæ, neq; primo appetie-
runt excellentiā ſuper alios. Sed primo fue
runt nimiũ cõplacētes in ſe ipſis, & exinde
ſuperiores, & perfectiores in naturalibus
apperierunt excellentiā ſuper alios inferio
res,ergo. ¶ Secũdo, Apoc. 12. præliũ fiebat
magnũ in cælo,& dicitur ibi, ꝙ Michael fe
cit victoriā, quæ victoria cedebat in laudē
bonorũ: hoc autē nõ potuit eſſe niſi qa pec
catũ malorũ angelorũ fuit incentiuũ tenta
tiõis in bonis,qa tentationē iſtā vicerũt, er
go cũ Angelus bonus in ſecũda mora fuerit
tentatus à malis,& talis tētatio prius fuerit
elicita à malo angelo antequā p ipſum eſſet
tētatio boni neceſſario igitur dicēdũ eſt, ꝙ
illa ſecunda mora fuit diuiſibilis in plures
morulas, & nõ indiuiſibilis,& inſtantanea.
Solutio. ¶ Quod ſi rñdeas, ꝙ cũ angelus, nõ indigeat
multis morulis ad eliciēdũ aliquē actũ,& il
lũ alteri Angelo præſentandũ, ſed in vnico
Impugnatio. inſtāti poſſe omnia iſta cõtingere. ¶ Cõtra
certũ eſt, ꝙ qñ primus Angelus peccauit,&
alios tētauit ad peccandũ, ꝙ alij non pecca-
bāt, alias nõ eſſet tenratio neceſſaria, ſi oēs
Angeli ſimul peccauerunt, ergo alia mora
aſsignāda eſt in qua Angeli tentati, alij pec
cauerũt, alij vero meritũ in primo inſtanti
inceptũ,& pro illo tũc pro quo primus An
gelus peccabat continuatum in illa morula
pro qua mali Angeli ſubſcripſerũt ipſi reſi-
Confirm. ſtētes perfecerũt. ¶ Cõfirmatur, angeli in-
feriores fuerũt oēs ſimul tentati,& non oēs
tentationi ſuccubuerũt, qa boni reſtiterũt,
& mali cõſenſerũt, ergo cum pro illo tunc
(pro quo tentati ſunt) oēs fuerint æquales,
& ꝓ illo tũc (pro quo alij cõſenſerũt, alij ve
ro diſſenſere) non eodē modo oēs ſe habue-
rũt, ergo in illa ſecũda morula, plures mo-
Confirmatur ſecũdo rulæ ſunt aſsignādæ. ¶ Cõfirmatur ſecũdo,
poſterius vicerũt boni tētationē, quā mali
peccauerunt,& mali prius peccauerũt, quā
bonos tentauerũt, & totũ hoc fuit in ſecun
da mora, ergo ſecunda mora plures moru-
Reſp. arg. las habuit. ¶ Reſpondetur argumentis. Ad
primũ argumentũ reſpõdetur cõcedendo
maiorē & negādo minorē, nā etiā mora ſe-
cũda fuit diuiſibilis & nõ inſtātanea reſpe-
ctu bonorũ. Ad illud autē D. Damaſceni re
ſpõdetur, intelligendũ eſſe de peccato cõ-
pleto per terminũ viæ. Cũ enim Deus ſtā-
tuerit certam periodũ vitæ, in qua poſſent
mereri,& demereri, peccarũ pertingens ad
illũ terminũ, habuit in angelis illā rationē,
quā habet in hominibus attingens ad termi
nũ vitę & hoc probāt illa verba adducta ex
D. Ioan. ¶ Quod ſi quis quærat, vtrũ in An
gelis malis fuerit peccatũ inuidiæ. Ad hoc *Dubium*
facile rñdetur cũ Doctore hic, & ex Alex. *quādo pec*
2. p. q. 109. mēb. 9. & ex D. Tho. q. 63. arti. *cauerunt*
2. in diabolo fuiſſe inuidiā, nā vt dicitur Sa *Angeli.*
pient. 2. Inuidia diaboli mors introiuit in
orbē terrarũ. Cuius autē fuerit inuidia illa
rñdet Alex. vbi ſupra. qđ cũ inuidia nõ ſit
tm̃ reſpectu ſuperioris, q excellit, ſed etiā
reſpectu paris ne excellat & inferioris ne
æquetur inuidia diaboli fuit reſpectu homi
nis, qa participaturus erat eādē gloriā, quā
ipſe angelus, ſi ſtetiſſet participaret. Quare
D. Aug. in quæſtiõib. veteris teſtaēmti, ſic
ait, præuidit (ſcilicet dæmon) qa ad accuſa-
tionē eius factus eſt homo, vnde ſua ſubtili
tate id egit, vt in eandē p̃uaricationē inquā
ipſe ruit induceret, vt accuſatorē participē
ſuę dānatiõis efficeret, ex quo infert Alex.
ꝙ peccatũ inuidiæ non fuit ſimul cũ pecca
to ſuperbiæ exortũ, ſed ſtatim poſt pecca-
tũ ſuperbiæ,& ꝓpriæ elationis, orta fuit in
malis angelis inuidia, quæ nõ ſolum potuit
eſſe reſpectu hominis, quatenus homo con
ſequuturus erat beatitudinē ſupernaturalē
quā ipſi aīniſerant, ſed etiā reſpectu homi-
nis Dei (ſcilicet Chr̃i) quatenus (vt diximꝰ
ſupra) inuidebant illi vnionē hypoſtaticā.
Ex qbus infert prius angelũ peccaſſe, quā
homo tranſgreſſus fuit præceptũ Dei. Imo
D. Iſidorꝰ li. 1. de ſummo bono. c. 12. ſnīa 7.
docet prius diabolũ cecidiſſe de cælo, quā
hominē cõditũ fuiſſe, nā mox vt factus eſt
in ſuperbiam erupit,& ſtatim vt factus eſt
cecidit. ¶ Alij autem affirmant Angelos nõ
ſolum peccaſſe ante ſextum diem, in quo
homo conditus fuit, imo in primo die, ex
illo Iſidori, mox vt factus eſt cecidit.

¶ Alij vero docent, omnes Angelos in gra
tia perſtitiſſe, vſque ad ſextum diem, ſe-
ptimoque, aut octauo die corruiſſe ante
peccatum Adami, quod probant ex eo,
quia ſexto die vidit cuncta quæ fecerat,
& erant valde bona, non igitur erat tunc

aliquod peccatū. Alij vero certius cēſent, nihil nobis in hac re eſſe certū, niſi quod omnia creata ſint ſimul, iuxta illud, qui viuit in æternum creauit omnia ſimul, & quod peccatum angelorum præceſsit peccatum Adami & hæc de iſta quæſtiome.

TEXTVS.

DIco, quod quando peccauit ſecūdo peccato adhuc fuit in via, & per cōſequens, quando peccauit ſecundo peccato potuit pœnitere de primo peccato, & ita primum peccatum ex ſe non fuit irremediabile, quia ſi pœnituiſſet inueniſſet viam, & miſericordiam, tamen ex quo in illo peccato deuenit ad terminum, omnia peccata eius facta ſunt irremediabilia, diſtinct. 6. quæſt. 2. Litera. S.

EXPLICATIO LITERÆ.

DOctor in hac litera duas inuoluit quæſtiones & vtrique reſpōdit, quarum prima eſt, vtrum malus angelus poſtquam incepit peccare potuerit reſipiſcere, & pœnitere. Et reſpondet affirmatiuè, Secunda eſt vtrū, ſi Angelus pœniteret veniam, & miſericordiā inueniſſet, cui quæſtioni etiam affirmatiuè reſpōdet, vt patet in litera, quia tamen in prima concluſione non omnes cōueniunt. Et ſecunda indiget declaratione, ex explicatione, vtramq; impræſentiarum libuit diſputare,

QVÆSTIO VII.

¶ *Vtrum Angeli mali antequam peruenirent ad terminum viæ potuerunt pœnitere vel reſipiſcere.*

Prima ſententia.

DE hac re eſt prima & principalis ſentētia D. Tho. (quā defendūt Thomiſtę. 1. p. q. 64. ar. 2.) qui aſſerit, ꝙ Angelus poſt factā primā electionē malā, etiā dum erat in via nō poterat auertere ab illa volūtatē ſuā atq; adeo per illā malā volūtatē manere obſtinatū in malo: quā ſententiā docent ſimul cū D. Tho. Capreol. Albert. in. 2. d. 7. Dionyſius Riquel, Enricus quolib. 8. q. 11. & eādē ſignificat D. Tho. de verit. q. 4. art. 10. & de malo. q. 16. art. 1. Probāt autē ſuā ſententiā prædicti authores. Primo ex dictis Sanctorū, nā D. Damaſc. lib. 2. c. 3, dicit, Angelos ex natura ſua eſſe inadeptiuos pœnitētiæ D. Greg. 9. mot. c. 39. dicit, Angelos idcirco irremiſsibiliter peccaſſe, qa tāto robuſtius ſtare poterāt quantū eos carnis cōmiſtio nō tenebat D. Aug. libr. de vera & falſa pœnit. c. 5. aſſerit ꝙ ſi diabolus poſſet ſperare. Et culpā in ſe ſentiret poſſet veniā cōſequi. D. Anſelm. in dialogo de libero arbitrio. c. 14. videt ſentire Angelū poſt primā electionē inſeparabilē eſſe ab eo ꝙ diligit: D. Iſidorus libr. 1. de ſummo bono. cap. 12.

Primum argum.

¶ Probatur etiā nōnullis rōnibus primò ſi Angeli eſſent flexibiles, & mutabiles eſsēt capaces pœnitētiæ, ergo credibile eſt, ꝙ aliqui egiſſent pœnitentiam, & conſequutos fuiſſe veniam. Conſequens autem a nullo catholicorum conceditur, ergo dicendum eſt, poſt factam primam electionē malā nō poſſe angelū ab illa voluntatem auertere.

Secundum argum.

¶ Secūdò, Angelus eſt ſubtiliſsimus & perfectiſsimus in natura, & vehemētiſsimus in operādo & hinc ꝓuenit, ꝙ eius volūtas totaliter ſe immergat obiecto, ꝙ elegit, ita vt ab illo dimoueri nō poſsit, ergo.

Tertium argum.

¶ Tertiò, Angelus habet ꝑfectius lumē, & idcirco ab eo ꝙ ſemel iudicat dimoueri nō pōt, huius indiciū reperit in nobis, nam vel pueri, vel qui habēt imperfectū intellectum facile dimouētur à ꝓpria ſentētia. Et ab eo ꝙ ſemel decreuerūt, & ingenioſi difficilius dimouētur, ſed angeli habēt perfectiſsimū intellectū ingenioſiſsimiq; ſunt, ergo nullo modò poſſunt dimoueri ab eo qđ ſemel elegerūt.

Quartum argum.

¶ Quartò, Angelus habet immobile iudiciū, non tantū circa naturalia, ſed etiā circa ſupernaturalia, ergo facta electio nō pōt diuertere volūtatē. Antecedēs patet, quantū ad naturalia ex ſe. Et quantū ad ſupernaturalia. Probat, nā ideo circa naturalia habet immobile iudiciū, qa circa illa nullū habet diſcurſum, ſed etiā circa ſupernaturalia nullū habet diſcurſum, ergo cū nō poſsit habere de nouo rationes, quibus immutet iudiciū, nō poterit de nouo aliud eligere, quā illud qđ iam per illud iudiciū electū habuit.

Quintum argum.

¶ Quintò (& eſt ratio D. Tho. de malo. q. 16. arti. 5.) nā mutare electionē pōt prouenire, vel ex eo ꝙ eligēs aliter eſt diſpoſitus, vel qa plura cognoſcit: primū non habet locū in Angelo, quia nō habet paſsiones, nec recipit ab extrinſeco ſuā internā diſpoſitionē. Secūdū etiā nō habet locū, qa quidquid cognoſcibile eſt cognoſcit angelus ante electionē, qđ maximè verificari videt in intentione, & in electiōe vltimi finis, nā cum res ſit grauiſsima, qā plena libertate Angelus

circa

circa vltimũ finẽ agit, & operatur, credẽdũ eſt, ꝙ applicat intellectũ, vt toto conatu ad uertat, quantũ põt. ¶ Sextò, Angelus ſecun dũ modũ operandi ſuæ naturæ debitũ poſtulat, vt immediatè poſt primũ actũ plene liberũ maneat, vel cõfirmatus in bono, vel obſtinat⁹ in malo, ergo facta prima electio ne nõ põt mutari à bono in malũ, nec à malo qđ elegit in bonũ. Probatᷓ antecedens, nã Angelus ex natura ſua poſtulat, vt per vnũ actũ plenè liberum cõſtituatᷓ in termino, & ita factũ eſt in angelis modo de facto ſed vo luntas cõſtituti in termino manet omnino inflexibilis, ergo. ¶ Et aduerte, ꝙ præcedẽs ratio eſt præcipuũ fundamẽtũ præcedẽtis ſentẽtiæ. ¶ Secũda ſentẽtia eſt Doctoris, vt patet in litera, quã etiã docet Alexãder. 2. p. q. 110. mẽb. 7. & 3. p. q. 1. mẽb. 2. eandem docet D. Bonauẽt. in. 2. d. 7. Ricard. & Grego. ibid. Marſil. q. 5. Durãd. q. 2. & Molina 1. p. q. 64. art. 2. Diſput. 2. Michael de Pala. in. 2. d. 7. Diſput. 1. in explicatiõe ſentẽtiæ D. Tho. & cõcl. 6. Pro cuius explicatione eſt p̃imo notãdũ, ꝙ in hac quæſt. in ſenten tia D. Tho. aliter loquendũ eſt qñ Angelus habet plenum iudiciũ, & plenã deliberatio nem & actum perfectũ, tam ex parte intellectus, quã ex parte voluntatis, & aliter qñ Angelus nõ habet plenã deliberationẽ, ple nũ & perfectũ actum ex parte intellectus, & ex parte volũtatis, nã dupliciter põt intelligi poſſe Angelum eligere, ſeu velle ali quid. Vno modo totali determinatione in tellectus iudicãtis illud obiectum eſſe con ueniẽs. Secũdo, nõ cum ea determinatione, ſed cũ heſitatione, & formidine. Primo mo do eligit, qñ habet euidentiã. Secundo mo do qñ ducitur cõiecturali cõditiõe. ¶ Adde etiã ꝙ voluntatis propoſitũ, vel electio du pliciter mutari põt. Vno modo ratione mu tationis obiecti, vt qñ ſucceſſu tẽporis obiectũ habet varias diſpoſitiones, vel condi tiones, ꝑpter quas eſt diuerſo modo eligibile, vt nunc diligo Petrũ, quia eſt benefactor, poſtea vero ſi ſit malefactor odio habeo illũ, & ſimiliter, nũc diligo hãc rem, vt mediũ cõueniẽs, cras vero mutatᷓ eius diſpo ſitio, & non diligo illã. Altero modo mutatᷓ electio ex mutatiõe eligẽtis ſine mutatiõe obiecti, quę mutatio põt ꝑuenire (quãtũ at tinet ad ꝑpoſitũ) ex duplici cap. primò ex parte cognitiõis, q̃a (ſcilicet) nũc plura cognoſcit, vel cõſiderat quã antea. Secũdo ex præciſa libertate voluntatis quæ eligit hoc mediũ, nõ tãquã neceſſariũ, ſed tãquã vtile, & poſtea ꝑ ſua libertate vult hoc omittere & aliud ꝓſequi. ¶ Tãdẽ aduerte, ꝙ hæc mu tatio electiõis qñq; cõtingit iudicãdo prio rẽ electionẽ nõ fuiſſe rectã, & cõuenientẽ, & habẽdo diſplicẽtiã illius, alio modo mutãdo electionẽ prçcedẽtẽ. Ex q̃bus omnib⁹ ſatis patet, ꝙ qñ electio angeli nõ fũdatᷓ in pleno, & euidẽti iudicio, ſed in cõiecturali, nõ eſt dubiũ in ſnia D. Th. quin poſſit muta re electionẽ. V ũ dæmõ nũc eligebat mortẽ Chr̃i, poſtea nolebat. At vero qñ angel⁹ ha bet pfectã cognitionẽ, iã tunc nõ põt muta re volũtatẽ pcipuè manẽte obiecto in eadẽ diſpoſitione. ¶ Secũdo eſt notãdũ aliter lo quẽdũ eſſe (etiã data præcedẽte doctrina ve ra) qñ angelus eligit aliqđ obiectũ bonũ ſecũdũ rẽ, & aliter, qñ eligit obiectũ malũ, & præcipuè ſi illud eligeret ex determinata malitia. Et ratio differẽtiæ eſt, nã qñ angel⁹ eligit bonũ, & habet plenã & pfectã cogni tionẽ illi⁹, ſtãte tali cognitiõe nõ põt velle malũ oppoſitũ, niſi ex certa, & determinata malitia, certa aũt, & determinata malitia (moraliter loquẽdo) nõ põt eſſe primũ pec catũ, vnde quãuis nõ ſit neceſſariũ, vt volũ tas aliqd velit, ꝙ intellect⁹ iudicet illud eſſe bonũ moraliter, aut bonum abſolutè, vel il lud eſſe abſolutè appetendũ, ſed ſatis eſt, ſi intellect⁹ in eo cõſpiciat rõnẽ aliquã boni, & ſimiliter, vt volũtas aliqd reſpuat, ac nolit ſatis ſit ſi intellectus in eo rõnem aliquã mali intueatᷓ, vt cõtingit in intellectu, & vo lũtate nr̃a, qñ ſimul cõſpicim⁹ fornicatiõnẽ eſſe bonũ quoddã delectabile, & ineſſe illi malitiã motalẽ contra rectã rationẽ, & legẽ Dei. Volũtas tñ nr̃a mouetᷓ ab illo bono de lectabili cũ plena cõſideratiõe malitiæ mo ralis, hoc tñ nõ habet locũ in Angelis reſpe ctu primi peccati, vt dixim⁹ ſupra, nec ſimi liter põt habere locũ in ipſis, qñ habẽt actũ pfectũ, & plenã cõſideratiõnẽ reſpectu alicuius obiecti boni, nã ſtãte illa plena cõſide ratiõe, nẽpe ꝙ excellẽtia dei eſt oĩb⁹ & etiã ꝓpria excellentia anteferẽda, q̃uis ſimul in tellectus angeli iudicaret, ꝙ ꝓpria excellẽ tia erat aliqđ bonũ moraliter loquẽdo nõ vi deo, quomodo poſſet angel⁹ velle ꝓpriã ex cellẽtiã, relicta excellẽtia Dei. Propter qđ diximus ſupra primũ peccatũ angelorũ or tũ fuiſſe ex incõſideratiõe quadã. At vero qñ intellect⁹ angeli iudicat aliqđ malũ ꝓ bo no, q̃a tũc nõ põt habere d illo obiecto plenã, & pfectã cognitionẽ, cũ neceſſario de-

Sextum argum. (margin)

Secunda ſententia. (margin)

2. Notab. (margin)

beat habere ad minus incõſiderationẽ, nul-
lum incõuenieñs apparet, ꝙ poſsit Angelus
mutare iudiciũ, ſicut qñ nõ habet plenũ iu
diciũ de aliqua re, & per cõſequẽs velle op
poſitũ illius, ꝙ antea volebat. Sicut v. g. qñ
Angelus cõſiderauit ſuã ꝓpriã excellentiã
eſſe bonũ aliquod appetibile, ſi haberet per
fectã, & plenã cognitionẽ illius obiecti, co
gnoſceret nõ eſſe ſummũ, nec vltimũ appe
tibile, & ꝑ cõſequẽs, vel ſimul cũ iſta cogni
tione qua cognoſcit eſſe aliqđ appetibile,
cognoſcit ſimul & cõſiderat non eſſe ſum-
mũ appetibile, vel nõ cõſiderat: ſi nõ conſi-
derat, ergo illa cõſideratio, & cognitio, qua
Angelus cognoſcebat ꝓpriã excellentiam
eſſe aliquod appetibile non erat plena, &
perfecta cõſideratio ꝓpriæ excellẽtiæ, &
per cõſequẽs ex natura rei ita poterat ſe ha
bere Angelus reſpectu illius, ſicut ſe habet
reſpectu illorũ, quorum nõ habet plenã, &
perfectã cognitionẽ. Si autẽ ſimul cum illa
cognitiõe, & aliã habebat, qua cognoſcebat
talẽ excellentiã ꝓpriã nõ eſſe ſummũ ap-
petibile, nõ video quomodo poſſet Ange-
lus (niſi ex certa malitia) velle, ꝓpriã excel
lentiam eſſe ſummũ appetibile, vel habere
modũ ſummi appetibilis. ¶ Terto eſt notã
3. Notab. Fundamẽta D. Thomæ & doctoris. dũ doctrinã D. Tho. de inflexibilitate An-
gelorũ in hoc fundari (vt aduertũt eius ex-
poſitores) quia Angeli immediatè poſt pri
mũ actum plenè deliberatũ cõſtituũtur in
termino, taliter, ꝙ in eo cõſtituti vel manẽt
confirmati in bono, vel obſtinati in malo.
¶ At vero ſentẽtia Doctoris in hoc funda-
tur, ꝙ cũ intellectus & voluntas Angeli nõ
ſint determinati ex natura rei, ad vnicũ tan
tũ iudiciũ, & ad vnicã tantũ volitionẽ, ſtan
te actu plenè deliberato (præcipuè malo)
quãdiu Angeli fuere viatores potuerũt mu
tare iudiciu ex parte intellectus, imo ſtan-
te iudicio potuerũt mutare volitionem, &
electionẽ ex parte voluntatis. Vnde ſi ſen-
tentia D. Tho. vera eſſet, vel quã expoſito
res dicunt verã eſſe, nempe, ꝙ poſito in An
gelis actu pleno deliberato ſtatim Angeli
cõſtituerentur in termino, nulli dubiũ eſſe
põt manere voluntatẽ illorũ inflexibilem,
ſicut manet voluntas cuiuſcũque damnati,
vel in termino conſtituti. Tota ergo quæ-
ſtio eſt ſi inflexibilitas in Angelis ꝓuenit
illis ex natura, & cõditiõe ipſorũ angelorũ
taliter, ꝙ cõſtituti in via per multos. v. g.
annos, ſi in primo anno habuerũt actũ ple-
nè deliberatũ per totũ annũ, potuerint in
annis ſequẽtibus iudicium habere ex parte
intellectus cõtrariũ iudicio anni præceden
tis, vel ſaltim manẽte iudicio poterat volũ-
tas moueri ab alia ratione oſtenſa in obie-
cto, ita ꝙ vellet oppoſitũ illius, ꝙ antea vo
lebat. Quare quæſtio in hoc ſenſu ꝓcedit, *Nota ſenſum quæſtionis.*
fingamus Angelos immediatè poſt primũ
actũ plene deliberatũ ex voluntate Dei, &
cõſilio diuino nõ fuiſſe cõſtitutos in termi
no viæ, ſed adhuc manere viatores, vtrũ in
tali caſu voluntas illorũ maneret, ita perpe
tuò immobilis in tali actu, vt ſemper vellet
poſtea illud, cuius iam habet plenã delibe-
rationẽ & volitionẽ, an vero poſsit de actu
illo diſplicere, & nouam volitionẽ elicere.
¶ Vltimo eſt notandũ, ꝙ quæſtio præſens
adhuc põt locũ habere in exiſtentibus ex-
tra viã. Nẽpe vtrũ beati, vel etiã dæmones,
qui iam ſunt extra viã poſsint habere aliã,
& aliã volitionẽ reſpectu alicuius obiecti,
& præcipuè quia nõ reſpectu omniũ obie
ctorũ ſunt neceſsitati. De angelis enim bo-
nis legitur Dan. 10. Princeps autem Regni
Perſarũ reſtitit mihi viginti, & vno diebus
& ecce Michael vnus de principibus pri-
mis venit in adiutoriũ meũ: talis autẽ reſi-
ſtẽtia iuxta cõem Sanctorũ ſentẽtiã fiebat
per aliã & aliã orationẽ ab alio, & alio An-
gelo Deo oblatam. Vnde aduertit Lyra ſu-
per illũ locũ, ꝙ Angeli qui præſunt diuerſis
prouintijs dicũtur principes illarũ. Et hoc
rationabiliter quia ſunt ſuliciti de bono ea
rũ. Idẽ nominatur ordo ipſorũ: ſic ſcilicet
ordo principatus. Reſtitit autẽ viginti &
vno diebus, q̃ tantũ tẽporis durauit oratio
Danielis & afflictio, ꝙ autẽ talis reſiſtentia
non fuerit Angeli mali, ſed alterius Angeli
boni, docet B. Greg. lib. 18. moral. dicẽs, ꝙ
fuit bonus Angelus qui præerat regno Per
ſarũ, qui videbat ex mãſione filiorũ Iſrael
in Perſide multos de Perſijs & Medijs con
uerti ad cultũ & fidẽ vnius Dei. Et ideo in-
terpellabat eũ, vt remanerent in Perſide,
oſtẽdens in cõſpectu Dei bona quæ ex hoc
euenirẽt. Et ſic Angelus Sanctus dicitur re
ſiſtere Angelo Sancto, qui repræſentabat
Danielis orationẽ de cõtrario corã deo. Nõ
tamen inter Angelos Sanctos eſt contrarie
tas voluntatum ſimpliciter, quia volunta-
tes eorum ſunt conformes diuinæ volun-
tati, quia tamen de futuris ignorant, quid
Deus velit: ideo aliquãdo conſulendo Deũ
de aliquo futuro circa populos quibus præ
ſunt allegant merita contraria. Et ſic dicun
tur

tur reſiſtere adinuicem, ſed quando reuelatur eis ſuper hoc diuina voluntas ſimpliciter cōcordant in ea. ¶ Ex qua doctrina manifeſte apparet, ꝙ quāuis Angeli beati non poſsint habere voluntatē oppoſitā, nec volitionē contrariā volūtati Dei: reſpectu alicuius rei volendæ (alias enim nō eſſent beati). Poſſunt tñ habere aliam, & aliā volitionē, dūmodo vtraq; volitio volūtati Dei ſit cōformis, & per conſequens, licet reſpectu aliquorū habeant voluntatē ita inflexibilē vt non poſsint oppoſitū velle, reſpectu tñ aliorū poſſunt velle hoc, & eius oppoſitū. Ita etiam de dæmonibus dicendū eſt, quod poſſunt habere aliam, & aliam oppoſitā volitionem, vt patet de illo qui primo voluit Chriſtum Dñm occidi à Iudæis, & poſtea nolebat quod Iudæi occiderent Chriſtum.

Prima cō cluſio. ¶ Concluſio. Angeli antequā peruenirēt ad terminū vitæ potuerūt reſipiſcere. Hæc cōcluſio probatur. Nā angeli potuerūt voluntatē mutare, ergo. Antecedens patet, nā de facto illā mutauerūt: cū omnes inciperent meritorie operari, non tñ omnes permanſerunt in merito, cū plurimi ex illis peccauerint.

Reſponſio. ¶ Rñſio, ꝙ ſi reſpōdeas ꝙ illi qui peccauerūt nō habuerūt plenū iudiciū, & deliberatā voluntatē, ꝓ illo primo inſtanti. At vero in ſecūda operatione habuerūt plenū iudiciū, & deliberatā voluntatē, & ſic non potuerūt reſipiſcere.

Impugnatio. ¶ Cōtra, Angeli mali nō potuerunt habere plenū iudiciū qñ inceperunt peccare præcipue, qa in ſententia D. Tho. nō habuerūt iudiciū falſum, ſed tantum peccauerūt ex inaduertētia ad modū, quē in appetendo vel propriā excellentiā, vel beatitudinē ſeruare debuerūt, ergo potuerunt poſt peccatū aduertere ad id ad qđ tunc nō aduerterūt, & per cōſequens iudicare illud nō fuiſſe eo modo appetendum, quo fuerat ab ipſis appetitū, & per conſequens potuerunt velle id non eo modo appetijſſe, quo antea appetierūt. Sed hoc eſt reſipiſcere, & pœnitere, ergo. ¶ Quod ſi rñdeas ſententiam D. Tho. intelligendā eſſe ꝙ Angeli nō potuerunt reſipiſcere de peccato præterito, quia ſtatim vt habuerunt actū perfectè deliberatū fuerunt cōſtituti extra viā, & in termino. Cōtra, ergo ſi nō fuiſſent conſtituti extra viā, & in termino quātūcunq; vellent actū perfectè deliberatū poſsēt reſipiſcere. Patet ſequela, qa tota inflexibilitas voluntatis angelicæ prouenit (ex dictis) quia ſunt conſtituti in termino, & extra viā.

Secunda ratio. ¶ Secundò, Angeli mali qñ inceperunt peccare nō habuerūt actū plenè deliberatū, nec peccatū in termino peccati, ſed in peccatis profecerunt, nam (vt ſupra diximus) primo enim nimiū ſibi cōplacuerunt, deinde excellentiā ſuper alios appetierunt, deinde alia peccata cōmiſerunt; & quāuis dicatur omnia illa peccata tantū eſſe vnicū peccatū cōpletū, adhuc tñ certū eſt, ꝙ primo inceperunt in vnico peccato; & deinde reliqua cōtinuauerunt, qñ igitur erant cōplacentes ſibi in propria excellentia & ſtatim appetierunt excellentiā ſuper alios, vel potuerunt illam excellentiā non appetere, vel nequaquā potuerūt, ſi nō potuerūt, ergo nō libere appetierūt: ſi potuerūt nō appetere, ergo, & diſplicere de illa nimia cōplacētia, & ꝑ cōſequēs pœnitere.

Tertia ratio. ¶ Tertiò, Angelus ante electionē eſt liber, ergo poſt electionē. Patet ſequela, qa talis eſt ꝓprius natura volūtatis, eligētis, & nō eligētis, ergo ſi ante electionē erat flexibiles ad bonū, & malū, ſimiliter poſt electionē.

Reſponſio impugnatio. ¶ Quod ſi rñdeas cū Caieta. ꝙ Angeli ante electionē erāt mobiles, qa tūc non erat illis plenū iudiciū de re agēda, vt de colēdo Deo ſuper omnia, vt bonū illorū ſupernaturale. ¶ Cōtra, ergo angeli ſancti, antequā fuerint beati (poſito illo pleno iudicio) ita erāt confirmati in grã, vt nō poterāt peccare. Id eſt ergo angeli boni qñ inceperūt continuare actū bonū nō poterāt nō incipere, & continuare actū bonū, & per cōſequēs, qñ angeli mali inceperūt peccare, angeli boni nō poterāt incipere peccare. Probatꝰ ſequela. Antequā angeli boni incepirēt cōtinuare meritū inceptū in primo inſtāti habuerūt plenū iudiciū. Huius, nēpe ꝙ Deus erat diligēdus ſuper omnia poſito illo pleno iudicio ex parte intellectus, vel volūtas angeli neceſſario elicie bat actū cōformē tali iudicio ex neceſsitate naturę vel nō. Si nō, ergo poterat nō elicere ſtante illo pleno iudicio, & ꝑ cōſequēs reſipiſcere de actu meritorio incepto. Si autē ex neceſsitate naturæ eliciebat actū, ergo nō libere, & per conſequens actus ſequēs tale iudiciū nō erat meritoriꝰ. ¶ Confirmatur, nā apprehenſio intellectus quāuis ſit pars cauſæ quæ mouet volūtatē, non tamen tanquā cauſa totalis mouet voluntatem, ſed voluntas eſt cauſa totalis mouens ſe ipſam ad appetendum. Apprehenſio autem intellectus tantum eſt conditio quædam ſine qua non voluntas ſeipſam mo

ueret, ergo poſita quacũque apprehenſione ex parte intellectus adhuc voluntas libere poteſt elicere actum conformẽ tali apprehenſioni, & per cõſequens poteſt eũ elicere, ergo ex immobilitate ex parte apprehenſionis intellectus non ſequitur immobilitas ex parte voluntatis. ¶ Confirmatur ſecundo. Illud iudicium immutabile intellectus quod cernitur in prima electione antecedit non ſolum electionem, ſed etiam libertatem, quæ eſt in tali electione ad contrarium vel non: ſi antecedit, ergo ſtãte tali iudicio adhuc voluntas manet libera ad cõtrariũ, & per conſequẽs ex immutabilitate iudicij non colligitur immutabilitas voluntatis. Si autem nõ antecedit ſed formato ſemel tali iudicio non manet voluntas libera ad contrarium, ergo tota libertas voluntatis in eo eſt poſita, quod illud iudicium libere eliciatur, ac proinde libertas electionis in actu intellectus, & non in actu voluntatis conſummatur. Conſequens tamen falſum eſt, nam libertas formaliter eſt in voluntate, ergo. Preterea vel ad formandum iudicium illud concurrit libere voluntas, ita vt poteſtate ipſius ſit illud iudicium, aut contrarium formare, vel non, concurrit libere: ſi non cõcurrit libere, ergo cum ſtante illo iudicio voluntas non poſsit velle contrariũ iuxta prædictã ſententiã neceſſario ſequitur in tali electione nullã eſſe libertatẽ in voluntate. Si autẽ ad formandũ illud iudiciũ cõcurrit volũtas libere, erit ergo præuio alio iudicio, quo velit vt illud eliciatur nã ſi non cõcurrit volũtas præuio alio iudicio, nõ apparet, qua ratione poſſet indifferenter imperare talis iudicij informationẽ, aut cõtrarij, quia nõ apparet vnde determinetur ad imperandũ nullo alio præuio iudicio, nec apparet, quare volũtas potius velit hoc quã illud, ſi nullius habet cognitionẽ. Requiritur igitur aliud iudiciũ, quo voluntas mediãte velit iſtud iudiciũ producere. Et ſic datur proceſſus in infinitũ, nã vel reſpectu illius iudicij ſecundi cõcurrit voluntas libere, vel nõ. Deueniendũ igitur eſt ad aliquod iudiciũ, reſpectu cuius volũtas nõ cõcurrat libere, & per cõſequẽs, ꝙ reſpectu operatiõis quã habet poſito illo iudicio nõ ſe habeat libere volũtas vel deueniendũ eſt ad actum volũtatis libere ſe determinãtis, etiã poſito iudicio, & per cõſequẽs, non eſt neceſſarium tale iudiciũ in intellectu Angeli ad appetendũ, ſed ſufficit ſimplex intuitus, quo aliqua ratio boni cernat in obiecto appetẽdo, ſed poſito primo peccato (v. g. qñ Lucifer nimiũ ſibi cõplacuit antequã intelligamus ipſum alios Angelos tentaũte) ſufficiens ratio boni potuit apparere reſpectu ſubiectiõis Dei, & dilectionis ſuper omnia antequã perueniret ad terminum viæ, ergo antequã perueniret ad terminũ viæ potuit reſipiſcere. ¶ Quod autẽ prædicta ſententia Doctoris nulla habeat contradictionẽ cum ſententia D. Tho. (ſi expoſitores eius vera narrãt) patet ex eo, qa ipſi fatentur inflexibilitatẽ, & immobilitatẽ Augelorũ prouenire ex eo, ꝙ poſt vnũ actũ plenè deliberatũ ſunt in termino, ergo ex eo ſunt immobiles, & inflexibiles, quia ſunt in termino, & per cõſequẽs ſi poſt vnũ actũ plenè deliberatũ nõ fuiſſent in termino (ni fallor) fateretur D. Tho. vel ſaltim eius expoſitores, ꝙ poſſent reſipiſcere Angeli, ſicut v. g. ſi ponamus, ꝙ via Angelorũ fuit vſq; ad decimũ actũ plenè deliberatũ, tũc enim quãuis primũ actũ plenè deliberatũ haberent bonũ, vel malũ poſſent ſecundũ actum oppoſitũ præcedẽti elicere, & per cõſequẽs de priori pœnitere. Cũ igitur ſecũda mora iuxta ea quæ diximus quæſt. præcedenti fuerit diuiſibilis in plures morulas, cum in illa fuerint quã plurima peccata, dicẽdũ eſt, ꝙ patrato primo peccato potuit angel⁹ de illo pœnitere, & reſipiſcere. ¶ Rũdetur argu. Ad primũ rñdebitur quæſt. ſequẽti. ¶ Ad ſecundũ rñdetur cõcedẽdo antecedẽs, & negãdo ſequelã, quantũcũq; enim volũtas angeli exiſtentis in via appeteret aliquod obiectũ, & quantocunq; conatu, adhuc tñ poterat reſipiſcere, & oppoſitã volitionẽ elicere pro ſua libertatis volũtate. ¶ Ad tertiũ rũdetur ꝙ quãuis Angelus habeat perfectũ lumẽ, nihilominus tñ aliqua parfectè nõ penetrat, & quædã actu nõ cõſiderat, vt patuit, qa ex nimia cõplacẽtia ſui ipſius alia quæ tenebat intẽdere nõ cõſiderauit. ¶ Ad illud autẽ, ꝙ adducit de pueris, & de habẽtibus imperfectũ intellectũ rñdetur, ꝙ illud tantũ ꝓbat, ꝙ angeli nõ tãta facilitate quãta nos mutãt ꝓpoſitũ, & electionẽ, quã ſemel elegerũt, non tamen ex illo ſequitur, nõ poſſe mutare electionem, quam ſemel elegerunt. ¶ Ad quartum rñdetur dupliciter, primo, ꝙ ſupponit falſum, nẽpe angelos nõ diſcurrere, & ſecũdo reſpõdetur, dato ꝙ Angeli nõ diſcurrant, & conceſſo antecedenti, negatur ſequela: primo, qa ſine diſcurſu poteſt Ange-

Reſp. arg. *Ad primũ* *Ad ſecundum.* *Ad tertiũ* *Ad quartum.*

Angelus conſiderare plura nunc quam antea. Et ſecundo, quia ſtãte illo iudicio, quo iudicabat hoc eſſe appetendũ, poterat voluntas ſequi aliam rationem oſtenſam ab intellectu, nempe bonum eſt ſubijci Deo.

Ad quintum. ¶ Ad quintũ reſpondetur, quod Angelus poteſt mutare electionem pro ſua libertate abſq; aliqua mutatione iudicij, pręcipuè quando mutat electionem de malo in bonum, nam electio mali ſemper præſupponit errorem, vel in conſideratione ex parte intellectus, quando peccatũ non prouenit ex certa malitia, & ſic non poteſt eſſe plena apprehenſio ex parte intellectus, vbi eſt error, vel inconſideratio. Habebãt igitur Angeli mali iſta duo iudicia ſimul, bonum eſt ſubijci Deo, & propria excellẽtia eſt bonum appetibile, & ſicut ſtante illo iudicio, bonũ eſt ſubijci Deo, moti ſunt peccando ad eligendum propriam excellentiam, ita ſtante illo iudicio, propria excellentia eſt bonum appetibile, poterant moueri ad velle ſe ſubijci Deo, quantum illis erat poſsibile.

¶ Ad ſextum reſpondetur, tale antecedẽs nulli poſſe conſtare, ſicut nulli poteſt conſtare quanta fuerit via Angelorum pro pleniori intelligentia huius quæſtionis, vide quæſtionem ſequentem.

QVÆSTIO. VIII.

¶ Vtrùm ſi Angelus pœniteret veniam, & miſericordiam inueniſſet in Deo.

QVæſtio hæc potiùs pertinet ad materiam de pœnitentia, ex qua deſumenda eſt eius explicatio. Pro cuius declaratione eſt aduertẽdũ, quòd pœnitere vel diſplicere de peccatis poteſt cõtin-
1. Not. gere dupliciter, vno modo, ex auxilio Dei ſupernaturali, alio verò modo, ex puris naturalibus, & ratio huius diſcriminis eſt, nã vt docet Doctor in. 4. diſtinctio. 14. quæſtione. 2. &. 4. peccatum poteſt conſiderari dupliciter, vnò modo vt opponitur bono rationis, ſecundo modo, vt opponitur bono ſupernaturali: Si conſideretur vt opponitur bono rationis poteſt deteſtari pę nitentia naturali, quia vt docet Doctor, quæſtione illa. 4. litera. A. duplex eſt regula quę dictat peccatum eſſe deteſtandũ, quædam naturaliter cognoſcibilis, vt (ſcilicet) quod de peccato eſt diſplicendum, & quia eſt contra rectam rationem, & quia eſt malum deordinatiuum voluntatis, & iſta eſſet nota intellectui Angelico (ſi fuiſſet Angelus viator) poſt primum peccatũ commiſſum, & perconſequens potuiſſet habere aliquid in voluntate correſpondẽs, inclinans illi regulæ ad actum vindicandi, vel diſplicendi, & iſta pœnitentia ſicut & regula eius poſſet eſſe in omni ſtatu vniformis, quia ſi non deficeret cognitio naturalis conueniens naturæ humanæ, & poſſet pro cũque ſtatu deuenire in cognitionem iſtius regulæ. Et perconſequens, æquè habere in voluntate aliquid inclinãs proportionabiliter iſti regulæ. Alia regula reſpiciens peccatũ deteſtandum tantummodo eſt nota ex reuelatione (ſcilicet) quòd peccatum eſt deteſtandum in quãtum eſt Dei offenſiuum, vel in quantum auerſiuum à Deo, vel impeditiuum acquiſitionis beatitudinis, vel in quantum inductiuum finalis miſeriæ, & ſub iſtis rationibus correſpõdet huic regulæ aliqua iuſtitia in voluntate alia quidem, ſicut alia eſt eius regula. Ex quibus verbis Doctoris ſatis apparet duplex deteſtatio & pœnitentia, quæ potuit reperiri in voluntate Angelorum, altera naturalis conformis regulæ naturali altera ſupernaturalis conformis regulæ ſupernaturali, pœnitẽtia naturalis, quæ eſſet actus bonus moralis elicitus cum communi influentia, & ex auxilio naturali Dei. Pœnitentia autẽ ſupernaturalis, quæ eſſet actus bonus moralis, ſupernaturalis ex auxilio ſupernaturali elicitus.

¶ Secundò eſt aduertendum, quod pœnitentia illa naturalis quãtacunq; illa eſſet in *2. Not.* Angelis ex natura ſua non eſſet diſpoſitio ad gratiam. Sed ſi Deus ordinaret conferre taliter pœnitentibus auxilia ſupernatulia, quibus Angeli poſſent actus pœnitentiæ ſupernaturalis elicere, in tali caſu illa naturalis pœnitentia tantum eſſet conditio ſine qua non, vel diſpoſitio de congruo reſpectu gratiæ conferendę verè pœnitentibus pœnitentia ſupernaturali. Pœnitentia autem ſupernaturalis nempe actus contritionis ex auxilio ſupernaturali elicitus, (poſita lege diuina qua Deus ſtatuit omnibus taliter pœnitẽtibus gratiam conferre, & remiſsionem peccatorũ) veram haberet rationem diſpoſitionis ad gratiam.

Tertia conclu ſio. ¶ Tertiò eſt aduertendum, quod in his quę nobis ſunt ignota tantum poſſumus loqui coniecturali quadam ratione, & cum certiſsimum ſit Angelos malos nũquam penituiſſe, tantum poſſumus loqui de poſsibili pœnitentia illorum, quæ potuit eſſe ex naturalibus, & potuit etiam eſſe (ſi Deus vellet) ex auxilio ſupernaturali.

Prima con cluſio. ¶ Prima concluſio. Si Angeli malì pœniterent ex naturalibus non eſſent diſpoſiti ad gratiam recipiendam. Hæc concluſio probatur, nam pœnitentia noſtra ex naturalibus non eſt ſufficiẽs diſpoſitio ad gratiam, vt ſatis patet in materia de pœnitentia, ergo nec pœnitentia Angelorum ex naturalibus. ¶ Confirmatur, quia ille actus deteſtationis ex naturalibus nõ attingit peccatum deteſtabile ſecũdum propriam, & perfectam rationem ipſius peccati, nẽpe quatenus eſt auerſiuum à Deo, ſine ſupernaturali, ergo non conuertit hominem in Deũ finem ſupernaturalem, ſed qui non eſt conuerſus in Deum finem ſupernaturalem, nõ eſt diſpoſitus ad gratiam, ergo quantumcũ que Angeli haberent pœnitentiam de peccatis ex naturalibus non eſſent ſufficiẽter diſpoſiti ad gratiam.

Secunda conclu. ¶ Secunda cõcluſio. Si Angeli pœniterent ex auxilio ſupernaturali, quid Deus faceret ſolus Deus ſcit, tamen ſuſpicari piè poteſt, Deum illis conferre gratiam, & remiſsionem peccatorum. Hæc cõcluſio fundatur indiuitijs diuinæ miſericordiæ. ¶ Et præterea, quia ſi Deus nollet conferre illis gratiam, & remittere peccata, non deberet conferre illis auxilia ſupernaturalia quibus actũ contritionis elicerent, vnde quãuis contritio ſit vltima diſpoſitio ad gratiã ex diuina acceptatione, vt colligitur ex illo Paul. ad Rom. 4. ei qui non operatur credenti autem in eum qui iuſtificat impium, fides reputatur ad iuſtitiam, vbi D. Paul. loquitur de fide formata, & dicit quod hęc fides ex Dei miſericordia reputatur ad iuſtitiam corã Deo. Ex quibus verbis colligitur, ꝙ actus charitatis elicit⁹ ab auxilio ſupernaturali, vt antecedenter ſe habet ad habitum charitatis, & gratiæ, tantum habet rationem diſpoſitionis ad gratiam, & ſimiliter de actu contritionis ab auxilio ſupernaturali elicito, vt antecedenter ſe habet ad habitum gratiæ, dicendũ eſt, quod quãuis in genere naturæ, & entis non ſit diſpoſitio ad gratiam, ſi propria eius natura conſideretur, conſiderata tamen Dei miſericordia, quæ reputat, & acceptat talem actum ad iuſtitiam, & ex tali reputatione, & acceptatione conſtituitur ille actus in genere moris vltima, & perfecta ad gratiam diſpoſitio: ſi igitur Deus nollet acceptare, & reputare talem actum ſupernaturalem in Angelis ad iuſtitiam, non tribueret illis auxilia ſupernaturalia, quibus tales actus elicerent, ergo ſi Deus tribueret illis illa auxilia, piè ſuſpicari poteſt, velle Deum tales actus ſupernaturales acceptare ad iuſtitiã & per conſequens conferre illis gratiam.

¶ Tertia concluſio. Peccatum Angelorum (quandiu non fuit in termino) nõ fuit irremediabile, & irremiſsibile in ordine ad potentiam diuinam, fuit tamen de facto irremediabile, & irremiſsibile. Hæc concluſio patet quoad primam partem, quia Deus potuit remittere peccatum illud, conferendo Angelis diſplicentiam de illo, & ordinando illam ad gratiam, & iuſtificationem. Secunda pars patet, nam peccatum Angelorum ſemper fuit in actu, & Angeli mali ab illo inſtanti quo inceperunt peccare vſque ad terminum viæ ſemper fuerunt actu complacentes in peccato, ſed actualis complacentia in peccato quandiu durat nõ eſt remediabilis, nec remiſsibilis, cũ Deus de potentia abſoluta nõ poſsit remittere peccatum actuale ſine actu propriæ voluntatis, ergo peccatum Angelorũ cum ſemper fuerit actualis complacentia de facto non fuit remediabile nec remiſsibile ſine ordine ad ipſorum Angelorum voluntatem. *Tertia con cluſio.*

QVÆSTIO IX.

¶ *Vtrùm Angelus, qui primo peccauit fuerit ex ſuperiori ordine Angelorum.*

De hac re fuit prima ſententia, D. Damaſceni libro. 2. fidei ortodoxe, cap. 4. aſſerentis, Luciſerum non fuiſſe ſupremum inter omnes Angelos, ſed tantum fuiſſe ſupremum in ſuo ordine, nẽpe principem ſuiſſe infimæ Hierarchiæ, ex quo conſequenter infertur, reliquos Angelos qui ceciderunt fuiſſe inferiores illo. In hãc ſententiam citatur Gregor. Nazianzenus, à Dionyſio Richel in ſecundo, diſtinctione 6. quæ- *Prima ſententia.*

6.quæſtione.2.& fauet D.Auguſt.lib. 12.
ſuper geneſ.ad literam lib.19.vbi oſtendit
Angelos deſertores ſolum fuiſſe illos, qui-
bus rerum inferiorum cura commiſſa erat,
& lib.30.ſuper Geneſ. c.10, refert Princi-
pem Dæmoniorum fuiſſe Archangelum.
Eandem ſententiam videtur innuere Mi-
chael de Palacios in ſecundo, diſtinctione
6.diſputatione.1.vbi ſic ait. Porro autem
vnum eſt quod exiſtimo dubio procul cre
dendum, Luciferum principatum habuiſſe
in ſuo ordine, & quamuis nō ſit Angelus ex
ſuprema Hierarchia ſed ex infima (vt Da-
maſcenus colligebat) propriæ tamen Hie-
rarchiæ primatum habebat. Probat autem
hanc ſententiā, quia Matth.25. dicitur lo-
quens Dominus damnatis ite in ignē ęter-
nū: qui paratus eſt diabolo & Angelis eius.
Igitur diabolus habet Angelos ſibi ſubdi-
tos, quorum habet præſidentiam.

¶ Secundo, quia Dominus apud Lucam di
cit, videbam Satanam tanquam fulgur de
cælo cadentem, vbi ſolius meminit Sata-
nę, cum certum ſit penè innumerabiles de
cælo corruiſſe, ſanè vt ſignificaret ex no-
mine Satanæ malorum Angelorum princi
pem, quo collapſo cæteros qui illi hæſerūt
collapſos fuiſſe nobis inſinuat. Neq; quia
confertur Cherub, ideò ex Cherubinorū
ordine eſt cenſendus, quia vt dictum eſt ſæ
pe, tranſlatitius eſt ſermo, & ad literam Re
gem Tyriū vocat Cherub, ob plenitudinē
ſcientiæ, vel ſtatus ſui magnificentiā. Poſ-
ſet autem probari ratione prædicta ſenten
Primum argum. tia: primo, nam cum Deus optimus maxi-
mus omnes ſpecies Angelorū in ſuam bea
titudinem condiderit, non videtur rationi
eſſe conſentaneum, vt diuina intentio in
ſuprema omnium creaturarum ſpecie ſue-
Secundum argum. rit fruſtrata. ¶ Et ſecundo, nam ſi aliqua ra
tione Lucifer fuit primus inter omnes An-
gelos, maximè quia Ezech.28.& Eſai. 14.
videtur probari talis ſuperioritas, & celſi-
ſitudo ſuper omnes alios, ſed ille locus trāſ
latitius eſt, & non ad literam intelligendus
de Angelo primo deſertore, ſed de Rege
Tyrio, ergo.

Tertium argum. ¶ Tertio dato, quod ille locus de Luciſero
intelligatur ad literam, tantum ex illo pro
batur, quod Lucifer erat Cherub. Sed or-
do Cherubin, non eſt ſupremus inter om-
nes, cum Seraphin ſint ordinis ſuperioris,
ergo.

Secunda ſenten. ¶ Secunda ſententia communis eſt apud
omnes, nempe, quod quamuis non ſit error
aut temeritas aliqua, negare ſupremū om-
nium Angelorum cecidiſſe, nihilominus
tamen pars affirmans (perfectiſsimum om
nium Angelorum fuiſſe ſupremum inter
omnes peccantes, Luciferumque eſſe om-
nibus Angelis ſuperiorem) eſt magis con-
ſona ſacris literis, & ex ſanctorum patrum
ſententijs.

¶ Prima pars, huius ſententiæ probatur *Prima pars prob.*
nam D. Auguſt. ſuper Geneſ. libr.3.cap.
10.diſputans hanc difficultatem dicit, illā
partem eſſe probabilem, & fuiſſe aliquorū
Doctorum ſententiam.

¶ Secūda autem pars probatur ex illo Iſa. *Secunda probatur.*
14.Ezech.28.vbi dicitur, tu ſignaculum ſi
militudinis Dei, plenus ſapientia, & perfe-
ctus decore, & Ezech. 31. Cedri non fue-
runt altiores illo in paradiſo Dei. Abietes
non adæquauerunt ſummitatē eius, & Pla
tani non fuerūt æquè frondibus illius, om-
ne lignum paradiſi Dei non eſt aſsimila-
tū illi, & pulchritudini eius. Similiter Iſai.
14. quomodo cecidiſti Lucifer, qui mane
oriebaris, & Iob.40, ipſe eſt principiū via-
rum Domini, qui locus non poteſt intelli-
gi de primitate durationis, ſed dignitatis,
& excellentiæ ſupra res alias creatas, & ca.
41. ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuper-
biæ.

¶ Tertia autem probatur authoritate ſan- *Tertiā probatur.*
ctorum, nam fere omnes ſancti explicant
prędictas authoritates de Luciſero, qui ſub
figura Regis Babyloniæ in illis locis venit
intelligendus, ita Tertullianus lib.2.aduer
ſus Martionem ante medium exponens il
lud Ezech.28.tu ſignaculum ſimilitudinis
eius, vbi docet Luciferum fuiſſe omnium
Angelorum ſapientiſsimum, & eminentiſ-
ſimum. Origenes lib.1.Periarchon.cap.5.
& libr.3 ca.2.& Homil.9.in cap.19.nume
rorum: & Homil.10.in cap.21.& lib.8.ſu
per cap.10.ad Roma.& tract.9. in Matth.
D.Auguſt.lib.3.de doctrina Chriſtiana.c.
37. vbi ait quod ſub figura Regis Babylo-
niæ, in hoc loco diabolus intelligitur D.
Hierony.ſuper illud Iob.40.ipſe eſt initiū
viarum Domini, D.Athanaſi.lib.de Paſsio
ne.& cruce Domini. D.Ambroſius ſermo.
3.ſuper Pſalm.118.in illa verba increpaſti
ſuperbos, & ſermo.16.in illa verba, ſuſci-
pe ſeruum tuum in bonum, D. Chryſoſto.
Homi.5.&.7.ad populum, Diuus Bernar.
lib.de Gradibus humilitatis, & ex ſermo-

ne. 1. Aduentus, D. Cyprianus libr. 1. epiſtolarum, epiſtola. 3. D. Anſelmus lib. cur Deus homo ca. 10. D. Gregor. lib. 4. Moral. c. 13. & lib. 32. ca. 18. & refertur de pœnitentia, diſtinctione. 2. cap. principium. Et Homi. 34. in Euangelia Author operis de mirabilibus ſacræ ſcripturę lib. 1. cap. 2. D. Iſidorus lib. 1. de ſummo bono, cap. 12. ſententia. 4. 5. & 6. Vnde hanc ſententiam (quatenus docet prædicta loca intelligenda eſſe ad literã de Lucifero ſub figura Regis Babyloniæ) adeo cenſent nonnulli, ita veritatem habere, vt eius oppoſitum eſſet temerarium. Ita Magiſter Bañez. 1. par. q. 63. art. 7. dub. ſecundo, vbi prope finem ſic ait, & licet quidam contendant, hæc ad literam explicare, nempe quomodo cecidiſti de cælo Lucifer ac verificare per quandam metaphorã de Rege Babylonis dum tamen redemptionem ſpiritualem populi Dei à poteſtate diaboli nõ negent ſub his verbis ſignificari eos in ſuo ſenſu abundare permitto, licet rigoroſe ad modum, Leo Caſtrenſis ſuper Iſaiam huiuſmodi interpretationes quaſi iudaizantium auerſetur, eandem fere cenſuram tradit ibi Magiſter Çumel, dicens quod locus Iſai. intelligitur de caſu dæmonis etiam in ſenſu literali, & oppoſitum aſſeuerare iam forte eſt temerarium.

Reſpõdetur argu. ¶ Reſpondetur argumentis, ad primum, nõ fruſtrari Dei intentionem, ex eo quod *Ad primũ.* Lucifer non obtinuerit beatitudinem ſupernaturalem, quia Deus optimus maximus voluit conferre ſupernaturalem beatitudinem omnibus Angelis, cum ordine tamen ad bona opera exequenda in via. Et ſicut voluit hoc modo conferre beatitudinem, ita & voluit nulli conferre beatitudinem, ſi in malis operibus occupari in termino viæ reperti fuerint.

Ad ſecundum. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, loca illa Iſai. & Ezech. quanuis in ſenſu literali intelligenda veniant de Rege Tyri etiam in eodem ſenſu literali intelligenda veniunt de Lucifero, iuxta doctrinam, D. Auguſt. explicantis ſeptimam regulam Ticonij, vbi ait, quod ipſum quod ſæpe ſcriptura dicit de membris diaboli intelligenda ſunt de ſuo capite, qua propter, interdum ſcriptura tranſit à capite ad membra, & à membris ad caput, vt in præſenti loco Iſai. & Ezec. contingit, quare dicendum eſt, quod illa verba Iſai. & Ezech. in ſenſu legitimo ſiue literali, & immediato, ſiue ſpirituali, qui fundetur in metaphorica loquutione, neceſſario intelligenda eſſe de caſu diaboli.

¶ Ad tertium reſpondetur, quod Lucifer dicitur Cherub, quanuis fuerit ordinis Seraphini, ex eo, quod Seraphini pleni ſunt charitate Cherubini pleni ſunt ſcientia, & quia per peccatum amiſit Lucifer charitatem non vero amiſit ſcientiam, ideo quanuis Lucifer fuerit primus inter Seraphim, ideo nõ Seraphim, ſed Cherub appellatur ab Iſai. & Ezech. *Ad tertiũ reſpondet.*

¶ Alij autem reſpondent, dicentes Hierarchias, & choros Angelorũ forte non fuiſſe cõſtitutos pro ratione naturalium, ſed pro ratione meritorum, & ob id, quod hi fuerint Cherubini, hi Seraphini, illi throni; &c. prout ad diuerſos choros Angelorum ea vocabula ſpectant fuiſſe ſoluta poſt peractam viam Angelorum, tantunque in Angelis bonis. *Secunda ſolutio.*

¶ Obiter tamen eſt aduertendum quod in opinione Doctoris, qui ponit plures Angelos in vnaquaq; ſpecie, & perconſequẽs in ſpecie Luciferi fuiſſe plures Angelos eiuſdem ſpeciei, tunc Lucifer dicetur ſupremus omnium Angelorum quo ad ſubſtantiam negatiue ſolum, quia nullus fuit ſuperior illo in eſſe ſubſtantiali, quo ad accidentia vero fuiſſe poſitiue ſupremum omnium Angelorum ſuæ ſupremæ ſpeciei, quia perfectus ſcientia, & plenus de core. *Nota hoc pro ſententia Doctoris, & D. Thom.*

¶ In ſententia vero D. Thom. qui in vnaquaque ſpecie vnicum tantum Angelum conſtituit, dicendum eſt, Luciferum fuiſſe ſupremum inter omnes Angelos poſitiue, quantum ad dona, & accidentia, & quãtum ad ſuam ſubſtantiam, nec eſt aliquod inconueniens, quod ſuprema ſpecies in naturalibus omnium Angelorum ſit in inferno, quia in hoc ſplendet diuina iuſtitia.

QVÆSTIO. X.

¶ Vtrùm peccatum primi Angeli fuerit alijs cauſa peccandi.

De hac re eſt prima ſententia quorundam aſſerentium primum peccatũ Angeli nõ fuiſſe alijs cauſam peccãdi, ſed ex eo peccaſſe, quia petierunt beatitudinem nõ ſeruan- *Prima ſententia.*

ſeruando iuſtitiã, & ideo ceciderunt à bea titudine, & à iuſtitia, & perconſequens idẽ fuiſſe motiuum ſui ipſius Luciferi, & minorum Angelorum, qui peccauerunt, hanc ſententiam defendit Albertus in ſecundo diſtinctione. 5. Guillermus Pariſienſis lib. 2. de Vniuerſo, & probatur prædicta ſententia.

Primum argum. ¶ Primo peccatum, omnium Angelorum fuit ſimul, ergo nullum peccatum fuit cau ſa peccandi alijs, antecedens patet, nã omnes Angeli damnati ſunt ſimul, ergo ſimul peccauerunt, conſequentia autem eſt manifeſta, nam ſi aliquod peccatũ fuiſſet alijs cauſa peccandi, illud debebat præcedere, & perconſequens, primus Angelus prius debuit peccare, quam alios Angelos induceret ad peccandum.

Confir. ¶ Cõfirmatur ex D. Auguſt. in lib. ad Oroſium aſſerente, omnes Angeli æquales creati ſunt, ſed cadentibus per ſuperbiam quibuſdam, cęteri Domino pia obedientia cohæſerunt, ergo ſicut fuit ſimultas in pœna ita & ſimultas debuit eſſe in culpa.

Secundum argum. ¶ Secundo, Si prius peccaſſet Lucifer, quã reliqui Angeli, ex peccato fuiſſet ſequuta deformitas in illo, & tunc alij vidiſſent eũ deformatum, & ita nõ ei conſenſiſſent. Cũ ergo ei cõſenſerint, habuit claritatem propterquam eis præeminebat, ergo non ſecũdum prius, & poſterius peccauerunt: Imò ſimul cum ipſo Lucifero, vt ſicut prius erãt ſimul, claritates ſpirituales, ita conſequenter eſſent ſimul deformitates, & perconſequens nullus Angelorum nec Lucifer, fuit alijs cauſa peccandi.

Tertium argum. ¶ Tertiò, Angelus ſupremus non propoſuit alijs malum aliquod ex parte obiecti, ſed potius bonum, ergo non induxit eos ad peccandum, antecedens patet, nam ſolum propoſuit illis ſuam beatitudinem ſupernaturalem, & diligere ſuaſit, ſed ad ſuã ſupernaturalem beatitudinem diligẽdam, naturaliter inclinabantur, ergo non ſuaſit aliquod peccatum, aut malum.

Secunda ſenten. ¶ Secunda ſententia, communis eſt omnibus alijs, quam docet, D. Tho. 1. pa. quæſt. 63. artic. 3. & quanuis Alexander videatur dubius. 2. par. quæſtio. 110. membro ſecundo, potius inclinat ad hanc ſententiam, clarius tamen illam docet ibidem membro. 5. vbi docet ꝙ quã cito Lucifer peccauit, alij cognouerunt peccatum eius, ſicut quam ci to fit coruſcatio in Oriente, tamcito apparet in Occidenti, nihilominus tamen erat ibi aliqua diſtantia, ſed imperceptibilis, & quam cito perceperunt eius voluntatem ſubito ei cõſenſerunt. Quanuis ſtatim, ſecundam ſententiam aſſignet, dicens, alijs autem videtur quod ſimul peccauerunt, ꝙ præſumunt ex hoc, quod ſimul ceciderũt, quod notatur ex ſcriptura quando ſecũda Petri ſecundo dicitur, Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni derractos in tartarũ tradidit cruciãdos, in iudicium reſeruari.

¶ Hanc ſententiam ſimiliter docent Doctores ſancti, D. Cyprin. li. 1. epiſtolarum epiſt. 3. D. Damaſcenus li. 2. c. 4. aſſerens, quod penè infinita multitudo Angelorum quæ adunata erat ſub prim oAngelo peccãte comitanti ipſum corruit, D. Iſidorus vocat Luciferum inuentorem peccati, D. Hierony. congregationes damnatorũ Angelorum, quæ populus Luciferi dicuntur ex dæmonis ſuggeſtione corruiſſe, colligit ex illo Ezec. 31. Æmulata ſunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant in paradiſo Dei, vbi per æmulationem intelligit vehemens deſiderium, quod habuerunt Angeli inferiores imitandi ſuperiorem. Euſebius Cęſarienſis, lib. 4. Demonſtrat. Euangelicarum, ca. 9. & eſt communis ſententia in D. Aug. & probatur. Primo ex illo Matt. 25. Ite maledicti in ignem ęternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius, ſed diabolus dicitur qui fuit alijs cauſa, vel incentiuum peccandi, ergo aliquis Angelorum illorum fuit inter Angelos peccantes diabolus: & perconſequens ille, qui dixit. Super aſtra Dei exaltabo ſolum meũ fuit inter Angelos diabolus.

¶ Secundò probatur ex illo Apocaly. 12. vbi dicitur. Factum eſt prælium magnum in cælo, Michael, & Angeli eius prælliaban tur cum Dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius, & non valuerunt, nec locus inuentus eſt eorum amplius in cælo, & proiectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus, & Satanas, qui ſeducit vniuerſum orbem, & proiectus eſt in terrã, & Angeli eius cum illo miſſi ſunt. Ex quibus verbis ſic deduco rationem, inter Angelos peccantes fuit aliquis draco, ſerpens antiquus, diabolus, Satanas, & ſeducens vniuerſum orbem, ergo fuit aliquis primus peccans inter omnes peccantes, & inducens alios ad peccandũ ſeducens illos.

Pro-

Probatur antecedēs: Fuit aliquis antiquus draco inter peccantes, ergo fuit aliquis primus peccās, patet ſequela, quia ſi omnes ſimul peccarēt nullus eſſet altero antiquior.

¶ Confirmatur, fuit aliquis inter illos alios ſeducens, ergo non ſimul omnes peccauerunt, patet ſequela: nam ſeducēs prius eſt ſeducens, quam alij ſint ſeducti, ergo ſeducens prius peccauit, quam alij peccarent.

¶ Tertiò, Angeli inferiores ex eo peccauerunt, quia ſupremo Angelo cōſenſerūt: Cōſenſus autē eſt reſpectu rei prius exiſtē tis, & maximè in illis, vbi non præcedit diſpoſitio, aut conſilium, ergo peccatum ſupremi Angeli præceſſit peccatum minorum Angelorum.

¶ Confirmatur, nam ſi ſimul peccaſſent, & eodem genere peccati, non magis tribueretur vni, quam alteri, ſed peccatum Angelorū attribuitur magis Lucifero, quam alijs nam dicitur de illo quomodo cecidiſti de cælo Lucifer qui mane oriebaris, ergo.

Reſpōdetur argu. ¶ Reſpondetur argumentis, ad primum negando antecedens, ſi ſimultas ſumatur pro *Ad primū.* ſimultate naturæ, nam peccatum primi Angeli quāuis fuerit ſimul tempore cum peccatis reliquorum Angelorum, fuit tamen prius natura illis, quod patet ex eo; quod omnis cauſa efficiens prior eſt ſaltim natura ſuo effectu, quamuis ſimul tempore cum illo.

Ad ſecundum. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, quod fuit imperceptibilis diſtantia illa, quæ fuit inter peccatum primi Angeli, & reliquorum Angelorum. Nam quam cito voluntatem primi Angeli perceperunt, ſtatim illi conſenſerunt, & peccauerunt.

Ad tertiū argum. ¶ Ad tertium reſpondetur, quod primum peccatum Angelorū habuit annexam aliquam inconſiderationem, nam nimium cō placentes circa propriam beatitudinē naturalem non retulerunt gratias in Deum finem ſupernaturalem, quas in primo inſtanti ſuæ creationis inceperunt, forſan enim tenebantur aliquo præcepto ad continuandum actum illum ſupernaturalem, & meritorium, quem in primo inſtanti inceperunt. Et Lucifer nimis complacens in ſua beatitudine naturali non ſolum nō continuauit actum inceptum, ſed oſtendens illam Angelis inferioribus, & quaſi animaduertēs illos de propria beatitudine naturali, non ſolum ille, ſed & alij à tali actu ceſſauerunt, & ſic peccauerunt peccato elationis, & ſuperbiæ. Quare, quando diabolus ſupremus, alios ſolicitauit ad malum ſuperbiæ, non propoſuit illis aliquod malum ex parte obiecti, ſed tantum ex modo operandi. Nam propoſuit illis excellentiam propriæ naturæ, extollendo fœlicitatem, & beatitudinem naturalem, nulla facta mentione de beatitudine, & fœlicitate ſupernaturali, & tunc nimis complacentes in tali beatitudine naturali, nec ſe, nec ſua in ſupernaturalem beatitudinem retulerunt, in quo fuit modus quidam elationis, & ſuperbiæ. Nam in facto plus extimauerunt naturalem beatitudinem, quam ſupernaturalem, & quia ſupremus Angelus incitauit alios ad nimiam aduertentiam, & complacentiam in beatitudine naturali, oſtendendo illis, & propriam naturalem beatitudinem, & complacentiam quam circa illam habebat, qui non attendentes ad beatitudinem ſupernaturalem iudicauerūt bonum eſſe taliter complacere de ſua naturali beatitudine, ideò inceperunt peccare. Poſtea tamen quod aduerterunt ſe in tali complacentia peccaſſe, non ſolum non pœnituerunt, tamen in peccatis creſcentes, ex determinata, & certa malitia (ſaltim Lucifer) ſimilitudinem Dei per æquiparantiam appetierunt, vſque adeo enim creuit ſuperba malitia eorum.

¶ Quod ſiquis quærat vtrūm de omni ordine Angelorum fuerint aliqui peccantes: *Quæſtio vtrùm de omni ordine Angelorū fuerunt aliqui peccantes.* Ad hoc reſpondet Alexander. 2. par. quæſtiō. 10. membro. 3. dicens, videtur reſpondendum, quod ſi de quolibet ordine ceciderunt aliqui, & aliqui homines reſtituantur ad quemuis ordinem, tamen de Seraphim, & thronis non fit mentio in ſcriptura, licet fiat de Cherubim, & alijs. Hoc etiā eſſe videtur ratione nominationis à qua denominantur ordines, Seraphim enim ab incenſione charitatis dicuntur, hoc autem non poteſt eſſe commune bonis & malis; ſed ratio ſcientiæ communis eſt bonis, & malis. Throni verò, ad hoc quod Deus in dis ſedeat, & ſua iuſticia decernat, nec hæc ratio ſimiliter communis eſt bonis, & malis; ſed ratio ſcientiæ communis eſt, & ideò dictus eſt Cherub primus Angelus qui cecidit non propter hoc, quod fuit de ordine illorum, ſed ſupremus inter Angelos ſicut videntur ſancti, & ſcriptura dicere. Similiter principatus, & poteſtates ſunt nomina-

minationes, quę poſſunt conuenire bonis, & malis, eodem modo virtutes, Archãgeli, & Angeli, & hac enim ratione ſcriptura cum loquitur de malis Angelis, vt eſt illud ad Epheſ. 6. non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principatus, & poteſtates, deſignat ſub illis denominationibus quæ ſunt communes non ſub nominationibus proprijs, quę appropiantur ipſis bonis Angelis. Quare non eſt intelligendum quod principatus, & poteſtates in illo loco ad Epheſ. 6. ſumũtur tantum pro illis qui fuerunt de illis nominibus, ſed indifferenter illæ nominationes ſunt communes. Quare dicendum eſt, cum Hugo de ſancto Victore quod de quolibet ordine ceciderunt, & vnum ordinem contrarium fecerunt, vbi nullus ordo, ſed ſempiternus error, inhabitat.

Dub. ſecũdum vtrũ plures peccauerunt quam ſteterunt.

¶ Quod ſiquis quærat, vtrùm plures peccauerunt, quam ſteterunt? Reſpondetur cũ Alexandro vbi ſupra membro. 4. quod plures ſteterunt, quam ceciderunt, neque hoc eſt contrarium, quod vnuſquiſque homo habet Angelum proprium, malũ, ad exercitium, quia poteſt idem malus Angelus dari ſucceſſiue pluribꝰ hominibus ad exercitium, quoniam ex parte hominum eſt mortalitas, Angeli verò ſunt immortales. Neq; eſt ſimile de Angelis, & hominibus, homines enim propter corruptionem originalis concupiſcientiæ (quã habent) proniores ſunt ad peccandum, quam ex natura adiuta cum gratia ad faciẽdum bonum, & ideò plus ſunt mali homines, quam boni, Angeli vero in ſuo primo ſtatu plus ordinati erant ad ſtandum in bòno, quam ad peccandum. Vnde congruentèr videtur dici, quod plures fuerunt, qui ſteterũt, quam qui peccauerunt.

¶ Eandem doctrinã docet Dionyſius Carthuſianus in. 2. diſtinctione. 6. quæſt. 2. vbi citat plures Doctores in hanc ſententiam, quæ probatur ab Hugone de ſancto Victore ex illo. 4. Regum. 6. vbi Eliſęus reſpondit dicens puero ſuo, noli timere, plures enim nobiſcum ſunt, quam cum illis, vbi exponit Hugo de bonis Angelis, & malis, quaſi dicat, plures Angeli boni ſunt parati nobis ad adiuuandum, quam mali Angeli ex parte aduerſariorũ ad nocẽdum nobis, conſtat autem quod ſicut mali Angeli parati ſunt ad impugnandum, ita boni ad reſiſtendum, ergo plures fuerunt Angeli boni qui ſteterunt, quam mali qui ceciderũt.

¶ Vnde autem prouenict quod homo qui rationalis eſt non opera rationalia exerceat, ſed pronior ſit ad peccandum, quam ad operandum bonum, Reſpõdetur quod homo quamuis ſecundum partem rationalem habeat pro obiecto bonum rationis, quia tamen etiam conſtat parte ſenſitiua, quæ concupiſcit aduerſus ſpiritum, cum homo incipiat à bono ſenſibili ad cognoſcendum, & amãdum bonum rationis, nam nihil volitum quin præcognitum, & nihil præcognitum quin prius fuerit in ſenſu, quia nihil eſt in intellectu quin prius fuerit in ſenſu, cum plures ſint incipientes quã conſummantes. Hinc prouenit quod plures ſint qui ſiſtunt, & quieſcunt in bonis ſenſibilibus, quam qui perueniunt ad bonum rationis: ſunt enim nobis ſenſibilia magis nota, & quia illa ſenſibus expetimur, & quia vtimur illis à principio noſtræ natiuitatis, & quia ſecum afferunt, vel delectationem, vel dolorem. & perconſequens, vel facilius ab illis trahimur, vel ab illis deterremur. Cum verò Angeli nõ ſint compoſiti ex natura ſenſibili, & ſine præditi ratione, facilius, vel facilitate maxima bonũ rationis operarentur, ſi vellent: quia cum eſſent creati in gratia, & Deus eſſet paratus ad cõcurrendum cum illis per ſua ſupernaturalia auxilia, & nõ eſſet aliquod impedimentum retrahens à tali operatione. Ideò plures fuerunt qui operati ſunt bonum, quam qui operati ſunt malum.

Dub. tertium vtrũ prælium factũ in cælo fuerit reale.

¶ Quod ſiquis quærat, an prælium factum in cælo inter Angelos fuerit reale, an verò intentionale, Reſpondetur præſupponendo, quod triplex eſt prælium, ſiue pugna. Prima boni Angeli cum malo: de qua legitur Apocalyp. 20. quod Angelus bonus apprehẽdit ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus, & Satanas, & ligauit illum per annos mille.

¶ Secunda eſt mali Angeli cum bono: iuxta illud Apocalypſi. 12. Draco pugnabat, & Angeli eius (ſcilicet) contra bonos.

¶ Tertia eſt boni Angeli cum bono, iuxta illud Danielis. 10. Princeps Regni Perſarum reſtitit mihi viginti, & vno diebus, vbi Nicolaus de Lyra iuxta expoſitionẽ, Diui Gregorij exponit illam pugnam de de duobus bonis Angelis.

¶ Secundò eſt præmittendum, quod quantum ad operationes immanentes potuit

eſſe

eſſe in Angelis contrarietas, tam ex parte intellectus, quam ex parte voluntatis, nam intellectus Luciferi iudicauit propriã excellentiam eſſe tali modo diligendam, quali eius voluntas illam dilexit. Intellectus autem Michaelis iudicauit, Deum eſſe ſuper omnia, & ideo Lucifero dicenti ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, & ero ſimilis altiſsimo, quam etiam ſententiam ſequuti ſunt mali Angeli, non quando primo inceperunt peccare, (nam vt ſupra ſæpe ſæpius dixi Angeli inceperũt peccare, ex in conſideratione ex parte intellectus, & ex nimia complacentia circa propriam excellentiam ex parte voluntatis, & ſic initium peccati, vel primum peccatum non poteſt intelligi, fuiſſe ex certa malitia, qualis intelligenda eſt in peccato illo quando Lucifer dixit in cælum conſcendam, & ero ſimilis altiſsimo, nam tunc taliter habuit illum actum ac ſi ſimul haberet illum, & ſi Deũ pœniteat in cælum aſcendã) Reſpõdit Michael, quis ſicut Deus, &c. Ex quibus omnibus conſtat pugnam Angelorum fuiſſe mentalem, & intentionalẽ nempe iudicia diuerſa ex parte intellectus, nam quis ſicut Deus noſter dicebat Michael, & per conſequens quis diligendus ſicut Deus noſter, Lucifer autem ex malitia determinata nimis complacens in plenitudine ſuæ ſapientiæ, & decoris iuxta illud Ezechiel. 28. &. 31. ſe ſimilem eſſe voluit per æquiparantiam Deo, & dicebat, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum (ac ſi diceret) ego ſum per æquiparantiam ſimilis Deo, & ab alijs obediendus, & diligendus ſicut ipſe Deus; Angeli inferiores qui iam inceperant peccare propter nimiam complacentiam circa propriam excellentiam, & pulchritudinem non reſipiſcentes de peccato præterito, ex malitia continuauerunt illud, & ex certa malitia in tantam dementiam deuenerunt nimis ſuperbientes, vt magis vellent Lucifero obedire quam Deo.

¶ Quod ſi quæras, vtrùm peccatum Luciferi fuerit maius, quam peccatum reliquorum Angelorum, & ratio dubitandi quam ponit Alexan. vbi ſupra, membro. 6. ea eſt nam peccatum aliorũ fuit in eo, quod conſenſerũt in hoc ꝙ ipſe eſſet princeps eorũ, & non alius; Lucifer verò peccauit in hoc quod voluit præeſſe, & non ſubeſſe, vnde 32. Iob, vbi loquitur de præſumptione qua aliquis vult ſingulariter videri, dicit Diuus Gregorius, hæc ſpecies quarta vicinius proximat diabolo, quod præeſſe voluit Angelis, & ab hoc Dominus arguit, ne de ſingularitate miraculorũ gauderent dicens. Videbam Satanam tanquam fulgur de cælo cadentem, ex hoc videtur quod Lucifer voluit ſingulariter præeſſe, ſed Angeli inferiores appetebant talem præſidentiã Lucifero, qui non tantum mouebantur ab illo obiecto, ſicut & ipſe Lucifer, ergo plus peccabant ipſi illud appetendo quam Lucifer. *Dub. 4. vtrum peccatum Luciferi fuerit maius.*

¶ Reſpondet Alexander, quod maius fuit peccatum Luciferi, quam aliorum ex duplici capite: primo, quia libido in appetitu erat maior, & ſecundo, quia ante ſe non habuit aliquod exemplar, cum ad nullius peccantis imitationem peccauerit, ſed fuit inuentor peccati, ſicut dicit Diuus Iſidorus, non autem fuit ſic de alijs, qui ex conſideratione ipſius ad eius imitationem peccauerunt.

DISPV-

DISPVTATIO XVIII. DE OBSTINATIONE DÆMONVM

Continet quatuor Quæſtiones.

PRima, *Vtrùm voluntas dæmonum ſit obſtinata in malo.*

Secũda, Vtrùm Dæmones poſsint facere aliquod bonum opus.

Tertia, Vtrùm voluntas dæmonum ſit determinata ad aliquod malum.

Quarta, Vtrùm dæmones poſſint ſuſpendere per liberum arbitrium contemplationem malorũ, & tormentorum, in quibus ſunt.

TEXTVS.

POteſt, ergo dici quod hoc argumentum probat verum, ſcilicet, quod habent aliquem bonum actum diminute bonitate morali, quia non malum malitia contraria, puta, non habentem aliquã circunſtantiam contrariam circunſtantiæ debitæ, licet careat aliqua circunſtantia debitã, non enim credunt propter illum finem, propter quem credendum eſt, & circunſtantia finis eſt neceſſaria ad bonitatem moralem. Diſtinctione. 7. quæſtione vnica, litera. S. in ſolutione ad primum.

EXPLICATIO LITERÆ.

DOctor in hac litera reſpnodet primo, cuidam argumento quo intendit probare dęmones non habere voluntatẽ obſtinatam in malo. Argumentum ſic habet Iacobi. 2. dicitur dæmones tremunt, & contremiſcunt, ſed huiuſmodi actus ſunt boni, ergo voluntas dæmonum non eſt in malum obſtinata. Ad hoc argumentum reſpondent Doctor, quod quauis dæmones poſsiſint elicere aliquem actum bonum moraliter imperfectum, non tamen perfectum, ideſt perfecte bonum moraliter. Quia tamen concluſio, hæc maiorem requirit explicationem ſit quæſtio prima.

QVÆSTIO I.

¶ Vtrùm voluntas dæmonum ſit obſtina ta in malo.

PRima ſententia eſt Origenis (quem refert D. Thom. 1. p. q. 64. arti. 2.) aſſerentis omnem voluntatem creatã, tam beatorum, quam damnatorum eſſe flexibilem in bonũ, ſiue in malum, dempta tamen voluntate animę Chriſti. Quæ ſententia poteſt probari, primo quia dæmones vt dicitur Iacobi 2. credunt & contremiſcunt, ſed credere, & contremiſcere ſunt actus boni, ergo voluntas dæmonum non eſt obſtinata in malum. *Prima ſententia.* *Primum argum.*

¶ Secũdo, nullum violentũ perpetuũ eſt, ſed facere malum, eſt contra naturalem inclinationem voluntatis dæmonum, ergo non poteſt eſſe perpetuum, & per conſequens aliquando poſſunt facere bonum. *Secundum argum.*

¶ Tertio dæmones poſſunt intelligere verum, ergo poſſunt velle bonum, patet ſequela, quia quod intellectus poteſt intelligere, poteſt & voluntas velle. *Tertium argum.*

¶ Quarto. Si dæmones neceſſario, & ſemper operantur malum, ergo ſemper demererentur peccando, & per conſequens, eorũ pœna non eſt determinata, conſequens eſt falſum, ergo non ſemper malũ operantur. *Quartum argum.*

¶ Vltimo creatura intellectualis, vel ratio nalis mediãte auxilio generali poteſt operari bonum moraliter, licet non meritoriè auxilium autẽ hoc generale omnibus eſt conceſſum, ergo ſaltim quantum ad bonũ morale, illorum voluntas non eſt obſtinata in malum. *Quintum argum.*

¶ Secunda ſententia eſt Henrici de Gandauo, aſſerentis cum communi ſententia Catholicorum, volũtatem dæmonum eſſe in malum obſtinatam, cauſam tamen illius obſtinationis dicit eſſe ſummam, & perfectam libertatem voluntatis, quia voluntas quãto eſt liberior, tanto efficacius retinet electionem ſemel elicitam, ſed volũtas Angelo-

gelorum eſt huiuſmodi, ergo efficaciſſimè retinebit electionem ſemel elicitam, & ſic inquit Henricus, quod quando iſta talis venit ad obſtaculum ſynderesis, (id eſt) quando quis reprehenſus à ſyndereſi, nõ ſiſtit, ſed retũditur contẽnendo ipſum, malens illud volitum, quam parere ſyndereſi, tunc non poteſt retrahi, nec reſipiſci, ſicut cum clauus in lignum infigitur, non poteſt retrahi, & ſi potuiſſet quando in principio infigebatur.

Tertia ſententia. ¶ Tertia ſentẽtia eſt Aureoli (quam refert Marſilius in. 2. quæſt. 5. artic. 3. & Maior diſtinctione. 7. quæſtione. 1.) aſſerentis, ex eo voluntatem dæmonum eſſe in malo obſtinatam, quia habet habitum quendam vitioſum, à Deo cauſatum in pœnam ſuorum delictorum, inclinantem ita ad malum, vt nullomodo poſsint aliquod bonũ operari. ¶ Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia voluntas cuiuſcunque creaturæ indifferẽs eſt ex natura ſua, vnde ſi neceſſario debet operari, debet ab aliquo extrinſeco determinari: tale autem extrinſecum debet eſſe permanens, vt ipſa voluntas in actu permaneat. Debet igitur eſſe habitus qui voluntatem dæmonum determinet in mala operatione.

Quarta ſenten. ¶ Quarta ſentẽtia eſt Marſilij in. 2. quæſt. 5. artic. 3. aſſerentis cauſam obſtinationis in malo ex eo eſſe, quia Deus non concurritrum illis ad bene operandum. Hanc ſententiam docet etiam Molina. 1. pa. quæſt. 64. artic. 2. Vbi docet dicendum eſſe damnatos eſſe in malo obſtinatos, ita, vt non poſsint reſurgere à peccatis per pœnitentiam, quia Deus (in pœnam delictorũ quæ commiſerunt) conſtituit nunquam cum illis concurrere per auxilium gratiæ, ſine quo, nulla creatura reſurgere valet à peccatis neq; ipſam diſponere ad gratiã. Imò dicendum putat, in pœnam eorum delictorum ſtatuiſſe, nunquam concurrere cum illis concurſu generali, ad actum pœnitentiæ, & doloris naturalis, qui ſit actus bonus moralis.

Quinta ſenten. ¶ Quinta ſententia eſt Ochami in. 2. diſtinctione. 29. & quolibeto. 2. quæſtione. 19. quam defendit Gabriel, in. 2. diſtinctione. 7. quæſtio. vnica concluſione. 2. & . 3. ante literam. E. vbi docet, quod aliquis actus eſt in Angelo damnato, qui non eſt in eius poteſtate. Ex qua concluſione infert tertiam, in qua docet, quod Deus totaliter, & immediate cauſat aliquem actum in voluntate Angeli mali.

¶ Probat iſtam concluſionem, quia aliquis actus eſt in voluntate Angeli mali, à quo non poteſt ſe ſuſpendere, ſed poteſt ſe ſuſpendere ab omni actu ſuo, ergo aliquis actus eſt in voluntate Angeli, qui non eſt ab ipſo Angelo effectiuè, & per conſequẽs debet eſſe à ſolo Deo. ¶ Confirmatur, nam talis actus qui neceſſario eſt in voluntate, vel eſt à voluntate, vel ab habitu vel à ſolo Deo, non à voluntate, quia tunc volũtas poſſet ſuſpẽdere ſe ab omni actu, qui eſt in eius poteſtate, ſed voluntas dæmonum non poteſt ſuſpendere actũ odij Dei, nam vt dicitur Pſalm. 73. ſuperbia eorum qui te oderunt, aſcendit ſemper, ergo nec etiam ab habitu, nam habitus non aliter operatur cum potentia, quam iuxta rationem ipſius potentiæ, ergo ſi potentia damnatorum ex ſe non eſt determinata ad malum, neque etiam per habitum erit ad malum determinata. Et per conſequens, talis actus (per quem formaliter voluntas manet determinata) debet eſſe effectiuè immediate à Deo. Addit tamẽ Gabriel ibidẽ infra literam. H. quomodo actus odij Dei, immediate productus à Deo in voluntate damnatorum non habeat rationem culpæ, ſed pœnæ, dicens, quod talis actus producitur à Deo, non in malum, ſed in bonum finem, quia in pœnam (maximè iuſtam) diaboli.

Sexta ſententia. ¶ Sexta ſententia eſt D. Tho. 1. p. quæſt. 64. arti. 2. aſſerentis cauſam obſtinationis in malo in dæmonibus eſſe immobilitatẽ, & inflexibilitatem voluntatis in ſemel elicitum actum voluntate determinata. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia docet Angelos poſtquam ſemel determinate aliquid elegerunt, immobiliter adhærere tali electioni. Hæc enim eſt natura Angelorum, vt poſtquam Angeli vni parti adhæſerunt determinatè, non poſſunt in alteram flecti.

Septima ſenten. Doctoris. ¶ Vltima tamen ſententia eſt Doctoris, vt patet in litera. Pro cuius explicatione, & quæſtionis eſt notandum, *1. Nota.* primo quod obſtinatio eſt adhæſio mali, à quo ſecundum legem, vel ex potentia ordinaria nemo poteſt auelli. *2. Nota.* ¶ Secũdo eſt notandum, quod obſtinatio communis eſt omnibus damnatis, ſiue Angelis, ſiue hominibus, & per conſequens quærẽda eſt cauſa communis obſti-

obſtinationis Angelorum; & hominum, ex quo ſequitur quod neque immobilitas Angelorũ eſt cauſa obſtinationis, quia cũ obſtinatio ſit communis hominibus, & Angelis damnatis & immobilitas non ſit communis hominibus, & Angelis ſecundum D. Tho. cauſa igitur obſtinationis non eſt ſumenda ex immobilitate.

3. Nota. ¶ Tertiò eſt notandum, quod ſtatus eſt triplex; ſcilicet, viatorum comprehenſorum; & damnatorum. Status viatorum eſt vniuerſalis lex Dei, de concurrendo in via cum voluntate ad pœnitentiam, & diſpoſitionem ad gratiam, & ad augmentũ eius, quotieſcunque homo voluerit pœnitere, vel aliquod bonum opus proſequi, iuxta illud Ezech. 18. nolo mortem peccatoris, & iuxta illud D. Pauli: Deus vult omnes ſaluos fieri.

¶ Status comprehenſorum eſt, Lex diuina de non deſerendo ipſos comprehenſores, ſed de manu tenendo ne cadant; & de concurrendo cum ipſis ad omne opus bonum.

¶ Status autem damnatorum eſt lex vniuerſalis Dei de non concurrendo cum damnatis ad actum meritorium, vel diſpoſitionem ad gratiam, iuſtificationem, vel pœnitẽtiam, ob eorum de merita finalia. Quæ lex habetur Eccleſiaſtici 11. vbi ceciderit lignum ibi erit, hoc eſt vt explicat doctor, in cuiuſcunque creaturę rationalis amore permanſerit, in illo permanebit, punctus igitur huius controuerſiæ, inter Doctores eſt quid ſit illud per quod omnes damnati ſunt in malo obſtinati.

Prima cõcluſio. ¶ Prima concluſio. Dæmones, & omnes dãnati ſunt irreparabiliter obſtinati. Hæc concluſio eſt de fide, & probatur ex quam pluribus locis ſacræ ſcripturę, & ex quam pluribus Concilijs, & dictis ſanctorũ Doctorum. Primo ex illo Eccleſiaſtici. 11. vbi ceciderit lignum, ſiue ad auſtrum, ſeu ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit ibi erit, & Iſai. 33. quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis, & Iſai. vltimo vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & Matth. 25. diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius, & infra. ibunt hi in ſupliciũ æternum, & Marci. 9. bonum eſt tibi claudum introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem mitti in gęmnã ignis inextinguibilis, vbi vermis eorum non moritur, & ignis nõ extinguitur Apocalypſi. 20. diabolus ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulfuris, vbi beſtiæ, & Pſeudoprophetæ cruciabuntur die, ac nocte, in ſecula ſeculorum.

¶ Idem diffinitur in Concilio Lateranenſi ſecundo, & habetur in capit. firmiter, de ſumma Trinitate, & fide Catholica, & in Symbolo Athanaſij ibi, quam, niſi quiſque integram inuiolatamque ſeruauerit, abſque dubio in æternum peribit, & infra, qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui verò mala in ignem ęternum, & in ſexta Synodo, in epiſtola Sofroni, quæ habetur actione vndecima. & ſuſcipitur actione decimo tertio. damnatur error Originis. Vtrum autem Origenes in hac parte ſit cenſendus, hæreticus nec ne diſputat latiſsime Molina vbi ſupra. Quidquid autem ſit de Origene, certiſsimum tamen eſt eſſe errorem in fide aſſerere pœnam qua damnati apud inferos torquentur, aliquando ceſſaturam.

Secunda conclu. ¶ Secunda concluſio. Cauſa obſtinationis dæmonum, vel damnatorum non eſt inflexibilitas, vel immobilitas voluntatis poſt primum actum, neque ſumma, & perfecta voluntatis libertas. Neque habitus vitioſus, cauſatus à Deo neceſsitans, voluntatem ad male agendum. Neque actus à Deo immediate productus in voluntate damnatorum.

Prima pars probatur primo. ¶ Hæc concluſio, quo ad omnes ſuas partes probatur, & primo, quo ad primam. Nam vt diximus ſupra, Angeli poſt primum peccatum potuerunt pœnitere, vel pœnitentia naturali, vel ſaltim ex auxilio ſupernaturali, ſi Deus illis illud concederet ſeruata prorſus natura ſuæ voluntatis ipſorum, & potuerunt reſipiſcere ceſſando à peccato incepto; ergo obſtinatio non prouenit ex inflexibilitate, propriæ voluntatis.

Confir. 1. ¶ Confirmatur. Iuxta ſententiam, Diui Thomæ, vt eius expoſitores explicant, obſtinatio prouenit ex inflexibilitate liberi eorum arbitrij, quatenus poſita perfecta determinatione voluntatis, & electione ſtatim conſequuti ſunt terminũ viæ, ergo inflexibilitas nõ eſt ratio obſtinationis ſed q̃a ſunt in ſtatu extra viã patet ſequela, quia ſi Deus ſtatueret, vt terminus viæ Angelorũ eſſet poſt decẽ volitiones pfectas,

poſita prima volitione, quamuis maneret inflexibilis, non tamen eorum voluntas maneret obſtinata, ergo etiam data ſententia Diui Thomæ de inflexibilitate voluntatis Angelicæ, talis inflexibilitas non eſt cauſa obſtinationis, ſed aliunde prouenit, quod in malis Angelis, ſit modo voluntas eorum in malo obſtinata.

Confir. ¶ Confirmatur ſecundo. Nam obſtinatio communis eſt omnibus damnatis, ergo cauſa obſtinationis debet eſſe communis omnibus damnatis. Sed inflexibilitas voluntatis poſt primum actum cõmunis non eſt omnibus damnatis, ergo.

Secunda pars proba tur primo. ¶ Secunda pars, ex eo patet, nam ſumma libertas opponitur obſtinationi, ergo, ex ſumma libertate non oritur obſtinatio.

Confir. ¶ Confirmatur. Quia in poteſtate voluntatis eſt agere, & modus agendi, quando voluntas libera eſt, ſed obſtinati non habent in ſua poteſtate agere, & modum agẽdi, quia poſſent tunc, vel non habere odio Deum, vel ſaltim non habere tantum odiũ Dei, ergo.

Tertia pars proba tur primo. ¶ Tertia pars probatur, nam talis habitus vitioſus, vel concurrit partialiter cum voluntate, vel totaliter, ſi partialiter, ergo cum non extrahat voluntatem à ſua ratione, ſi voluntas ex ſe non eſt determinata, ad odium Dei, neque ad malum, neq; informata habitu tali, erit determinata ad odiũ Dei, vel malum, ſed tantum inclinata iuxta conditionem ſuæ voluntatis. Si autem eſt cauſa totalis, taliter quod operatio illa per quam voluntas dicitur obſtinata ſit totaliter ab habitu, taliter quod reſpectu illius voluntas ſolum ſe habeat paſsiuè recipiendo illam, & non actiuè eliciendo, ſequeretur quod odium Dei, & blaſphemia in Deum, & omnia quæ dæmones, & damnati in inferno contra Deum loquuntur non ſint peccata. Patet ſequela, omnes illę blaſphemiæ, & odiũ Dei non ſunt peccata quatenus habent eſſe à Deo, quia Deus nõ poteſt eſſe cauſa peccati. Neq; etiam quatenus ſunt à volũtate, quia à voluntate, non habent eſſe, neque ab aliqua cauſa morali, & libera, nam voluntas non eſt libera in recipiendo, vt optimè probat Doctor in hoc ſecundo diſtinctione. 25. quæſtione vnica, ergo cum peccata reſpiciant pro cauſa cauſam moralem, quatenus in operando deficit, cum blaſphemiæ illæ, & odium contra Deum, nullam cauſam moralem habeat pro cauſa, non erunt igitur illæ blaſphemiæ peccata. Conſequens tamen falſiſsimum eſt, ergo voluntas damnatorum reſpectu eorum, quæ contra Deũ loquuntur in inferno, & reſpectu odij Dei, non ſe habet paſsiuè recipiendo, ſed actiuè eliciendo.

Confir. ¶ Confirmatur. Si eſſet hic aliquis inſanus, qui contra Deum blaſphemans loqueretur, ille talis non committeret aliquod peccatum propter defectum libertatis in voluntate, ſed quidquid loquuntur dæmones ſunt peccata, ergo voluntas dæmonum libertatem aliquam habet, & perconſequens non paſsiuè, ſed actiuè cõcurrit, & per conſequẽs ille habitus à Deo productus quem Aureolus fingit, non poteſt eſſe cauſa totalis talium volitionum, & per conſequens, nec obſtinationis in malum.

Quarta pars proba tur. ¶ Quarta pars probatur eadem ratione, nam ſi reſpectu iſtius actus voluntas paſsiuè ſe haberet talis actus nullo modo, eſſet peccatum, vt ex dictis patet.

Tertia conclusio. ¶ Tertia concluſio. Obſtinatio damnatorum oritur ſolum ex natura ſtatus in termino præſuppoſito peccato vſque ad terminum præfixum pœnitentiæ. Hæc concluſio eſt Doctoris, & probatur, nam obſtinatio damnatorum communis eſt omnibus damnatis, ſed nihil eſt commune omnibus damnatis, niſi eſſe extra terminum viæ, & habere talem ſtatum, ergo.

Confir. ¶ Confirmatur. Nam ſi aliqua ratione ſola natura ſtatus in termino non eſſet cauſa obſtinationis malorum Angelorum, maximè propter illam quam nonnulli, prima parte quæſtione. 64. articulo ſecundo, quæſtione ſecunda concluſione tertia, aſſignant, nempe quod ſequeretur, quod ſi Angelus poſt peccatum in via perſeueraret, & non ſtatim promulgaretur ei, ſuæ damnationis ſententia, voluntas ipſius quandiu in via perſeuerarer non eſſet in malo obſtinata, ſed flexibilis eſſet ad bonum ſicut voluntas peccatorum exiſtentium in via, quod conſequens videtur falſum, quia ſi voluntas dæmonis manſit flexibilis ad bonum poſt peccatum, ſicut manſit voluntas primi hominis poſt peccatum, nulla poſſet aſsignari ratio ſufficiens, cur Deus non dederit Angelis tempus aliquod ad veniam quærendam per pœnitentiam, ſicut donauit primo homini

mini Adamo; nam & primus homo peccauit ex voluntatis malitia, ſicut Angelus, & non ex ignorantia (& paſsione) ſed illa ratio nihil valet, nam vt probatum eſt ſupra, ſi via Angelorum duraret per decem volitiones, poſita prima volitione in Angelo, non maneret voluntas illius obſtinata, imò ex eo prædicti fatentur viam Angelorum in vnico inſtanti perfecto terminari, quia conſtituta fuit via Angelorum iuxta modum, & conditionem ipſorum Angelorum, quorum natura eſt, vt poſita prima volitione perfecta ſtatim ſequatur terminus viæ. Si ergo non ſtatim ſequeretur terminus viæ, voluntas illorum non maneret obſtinata, ergo obſtinatio ſolum prouenit ex natura ſtatus in termino.

Quarta concl. ¶ Quarta concluſio. Obſtinatio damnatorum (vltra denegationem diuini auxilij ad operandum bonum) includit quandam duritiam, prauamque affectionem voluntatis, qua vnuſquiſque damnatorum immobiliter adhæret malo fini, in quem in vltimo inſtanti viæ deciderunt. Hæc concluſio probatur primò, ex illo Pſam. 113. ſuperbia eorũ qui te oderunt aſcendit ſemper, & ex illo Diui Gregorij. 9. Moralium capit. 48. vbi dicit in corde damnatorum nullus eſt ordo propter mentis cecitatem, & quia habent deordinatam omnino, & prauè affectam voluntatem, & probatur ex illo Eccleſi. 11. vbicunque ceciderit lignum ibi erit, quod exponens Doctor, dicit hoc eſt in cuiuſcunque creatura rationalis amore permanſerit, in illo permanebit.

¶ Probatur ratione: damnati non ſolum permanent in dilectione creaturæ, quam habuerunt in via, ſed etiam volunt ſe velle, & ſe voluiſſe creaturam illam pluſquam Deum, quia ſemper ſunt in actuali odio Dei, ergo vltra denegationem auxilij diuini obſtinatio includit quãdam duritiam, & prauam affectionem voluntatis.

¶ Secundo, maior obſtinatio eſt in Angelis quam in hominibus, ergo ratione alicuius particularis quod conuenit Angelis, & non hominibus. Sed non eſt ſtatus extra terminum viæ, nec etiam denegatio diuini auxilij, quia hoc commune eſt omnibus damnatis, ergo erit durities maior, vel minor, & praua affectio ex parte voluntatis.

¶ Confirmatur. Inter homines damnatos, eſt maior, vel minor obſtinatio, ſicut inter illos ſunt maiora, vel minora peccata, nam maximus peccator (vt Lutherus) maiorem obſtinationẽ habet in inferno, quã peccator propter fornicationem ſimplicem damnatus, ergo in Luthero ponendum eſt aliquid ratione cuius ſit magis obſtinatus, quam ſimplex peccator, illud autem non videtur aliud quam praua affectio, ex parte voluntatis, & durities illius, ergo. *Prima ſcien…*

¶ Reſpondetur argumẽtis. Ad primũ pro prima ſententia reſpondebitur, quæſtione ſequenti.

¶ Ad ſecundum reſpondetur, quod facere malum quamuis ſit contra naturalem inclinationem voluntatis conueniet damnatis in æternum ratione ſtatus.

¶ Ad tertium reſpondetur, negando ſequelam.

¶ Ad quartam reſpondetur, quod quamuis dæmones ſemper peccent eorum tamẽ pœna eſt determinata, quia pœna tantum reſpondet peccato commiſſo in viatore.

¶ Ad vltimum reſpondebitur, quæſtione ſequenti.

TEXTVS.

Probabile tamen eſt, quod ſecundũ hanc potentiam non exeant in actũ propter vehementem malitiam, ſecundum quam magis probabile eſt, quod agunt, quam ſecundum poteſtatem naturalem, ſecundũ quam poſſent in actus aliquomodo oppoſitos. Diſtinctione. 7. quæſt. vnica. litera. R.

EXPLICATIO LITERÆ.

IN hac litera Doctor reſpondet ad quæſtionem illam, an Angelus malus poſsit aliquod bonum opus morale facere, dicens quod quamuis aliquam probabilitatem haberet damnatum, ſiue Angelum, ſiue hominem aliquod bonum opus morale facere, probabilius tamen eſt non ſolum damnatũ ita eſſe obſtinatum in omnibus actibus ſuis in indiuiduo, vt licet poſsit aliquos actus bonos ex obiecto, nihilominus tamen propter vehementem malitiam nunquam elicere actum ſimpliciter bonum. Vt autem plenior de hac re habeatur notitia ſit q. 3.

QVÆSTIO II.

Vtrùm dæmones poſsint facere aliquod bonum opus.

Prima ſententia. Debat re eſt prima ſententia Durandi in ſecundo diſtinctione 7. quæſtio. 2. numero. 12. aſſerentis, quod quamuis Angeli mali non poſsint mereri de condigno, vel de congruo remiſsionem culpæ, pro eo quod ſecundum ordinationem diuinam tẽpus merendi, tam Angelis, quam hominibus præfixum eſt, hominibus quidẽ mors; Angelis quidem caſus, hominibus quidem prolixius, quia magis diſtãt à Deo, & in cognitionem diuinorum etiam imperfectam multo tempore deueniunt, Angelis autem breuius, tanquam habentibus deiformem intellectum. Quamuis etiam Angeli mali non poſsint nolle, quod ſemel voluerunt, quod tamen non eſt aſſerendum, ni hilominus quod non poſsint aliquod bonum velle, quod ſit bonum ex genere, & circonſtantijs, neque ratio aliqua perfecta conuincit, neque authoritas. Attribuere autem hoc Deo omnino inconueniens eſt, qui nec poteſt eſſe cauſa, vt aliquis male velit, aut in malo volito perſeueret. Hæc ſententia Durandi communiter tribuitur Doctori in hac quæſtione, litera R. vbi ſic ait, vel ſi habeat illum actum circunſtantionatum quibuſdam bonis, & deordinatum quibuſdam malis, mirum enim videtur, potentiam naturalem in natura illa excellenti, vbi non apparet aliquid propter quod ſit neganda. Ex qua litera Lichetus ibi quartam aſsignat quandam concluſionem, nempe quod nulla apparet impoſsibilitas, quin Angelus malus poſsit habere completè bonum Morale. ¶ Hanc ſententiam probant communiter, nam damnati
Primum argum. in inferno pœnitent de anteactis peccatis iuxta illud Sapient. 5. vbi damnati pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritu gementes, dicebant, & diuitiarum iactantia quid contulit nobis, ſed pœnitere de anteactis peccatis eſt actus bonus moraliter; ergo.
Confir. ¶ Cõfirmatur, nam ille diues epulo, qui ſepultus fuit in inferno deſiderabat, ne fratres ſui in talem locum venirẽt, ſine hoc faceret propter bonum illorum, ſiue propter bonum ſui, tale autem deſideriũ erat
Secundum argum. bonum moraliter, ergo. ¶ Secundò, nã voluntas dæmonũ ita inclinatur ad bonum, ſicut eorũ intellectus ad verum; ſed Angeli dãnati intelligũt verũ, ergo & poſſunt velle bonũ. ¶ Tertiò, operatio, quæ tantũ eſt bona moraliter pertinet ad ordinem naturæ, ſed volũtas damnati Angeli poteſt omnem operationẽ naturalem exercere, quia
Tertium argum. vt docet D. Diony. naturalia in dæmonibus manſerunt integra, ergo, & poteſt facere opus moraliter bonum.
Secunda ſenten. ¶ Secũda ſentẽ. cõmunis eſt, pro cuius explicatione & queſt. eſt primo notãdũ certiſsimũ, eſſe ſecundũ oẽs, Angelos dãnatos nõ poſſe elicere actũ bonũ meritoriũ, neq; actum qui ſit diſpoſitio ad gratiã, imò neq; habere poterĩa, qua tenus potẽtia dicit cauſam totalẽ in ordine ad actũ meritoriũ; quia ad actũ meritoriũ, non ſufficit ſola voluntas, ſed neceſſario requiritur habit⁹. charitatis, qui ſit ſimol cauſa, cum voluntate ad actũ illum meritoriũ, vnde ſicut intellectus ſecluſa ſpecie intelligibili, vel obiecto, non poteſt eſſe cauſa actus intelligendi, vel intellectionis, ita neque voluntas ſine habitu charitatis poteſt eſſe cauſa actus meritorij, & ſicut habẽs intellectum, & nõ habens ſpeciẽ, vel obiectũ ſibi præſens non poteſt dici poſſe intelligere, imo ſimpliciter fatẽdũ eſt illũ nõ poſſe intelligere, ita habẽs volũtatẽ, & nõ habẽs habitũ charitatis nõ poteſt dici quod habet potentiã ad merendũ, imò ſimpliciter fatendũ eſt nõ habere potentiã ad merẽdum, de qua re vide Doctorẽ hac quæſt. litera H. per totam.
2. Nota. ¶ Secundo eſt notandũ, quod aliter ſe habet volũtas reſpectu actus meritorij, quam reſpectu boni actus moraliter, & ratio differentiæ eſt, nã vt dixi in præcedẽti notabili, ad opus meritoriũ vltra voluntatẽ requiritur habitus charitatis, vt ex volũtate, & habitu efficiatur vna quaſi cauſa totalis. At vero reſpectu actus boni moraliter non eſt neceſſarium ponere aliquẽ habitum in voluntate, neq; aliquid illi ſuper additũ, vt volũtas ſit cauſa totalis illius, ſed voluntas ſeipſa ſola eſt principiũ ſufficiẽs ad eliciendũ talem actũ, ſolum enim requiritur, vt conditio ſine qua nõ cognitio obiecti, poſito tamen obiecto cognito, & voluntati preſentato ſtatim volũtas ſeipſa, & in ſeipſa habet principiũ, & potentiam ad eliciendũ actum reſpectu talis obiecti naturalis, quod non illi cõtingit reſpectu obiecti ſupernaturalis, vt late diximus in. 1. diſputa. 1ã.q.1. vſque ad quartã ex eo, quia voluntas

luntas in actu obiecti naturalis eſt totalis cauſa ſuę operationis, & actus, & ſic reſpectu illius dicitur potentia, & cauſa ſimpliciter.

3. Nota. ¶ Tertiò eſt notan. quod in hac quęſt. aliud eſt quærere, vtrùm dæmones poſsint habere actum complete bonum moralē cōſurgentē ex omnibus circūſtātijs, & aliud eſt quærere, vtrùm data tali potentia in dæmonibus an aliquando exeant in bonū moraliter cōpletum ex omnibus circūſtātijs.

Prima cōcluſio. ¶ Prima cōcl. Tā angeli mali, quā homines dānati non habēt potentiam ad eliciendū opus bonū meritorium. Hęc concluſio eſt Doctoris hac quæſt. litera G. & probatur, nam ad actū meritorium eſt ſimpliciter neceſſarius habitus charitatis, ſed nullus dānatorū habet habitus charitatis, ergo nullus dānatorū habet potentiā ad merendū.

Secunda concluſ. ¶ Secunda concluſio. Tā Angeli mali, quā homines damnati habent potentiam ad eliciendum actum naturalem, qui ſit cōplete bonus moraliter. Hęc concluſio eſt Doctoris hac quęſtione (& niſi fallor) adeo vera eſt, vt in omnium ſententia debeat fateri, & probatur. Ad actum naturalē qui ſit bonus moraliter complete nō eſt neceſſariū aliquod auxiliū ſupernaturale, ſed ſufficit ſola volūtas, quia ſola volūtas eſt cauſa talis act⁹ cū auxilio generali Dei, ſed in dæmonibus māſit volūtas integra, quia naturalia māſerūt integra, ergo in volūtate dæmonis māſit potentia ad eliciendū actum bonū moraliter completè. *Vide tertiam cōcluſionem.* ¶ Confirmatur, omnes damnati antequam eſſent in termino, & dum erant in via poterant elicere, & habebant potentiam ad eliciendum talem actum, ergo, & cōſtituti extra viam, & in inferno poſſunt & habent potentiam ad eliciendum talem actū: patet ſequela, ex ſupradictis, nam naturalia in illis manſerunt integra. ¶ Confirmatur ſecundo, nam talis actus non tranſcēdit actiuitatem potentiæ, & voluntatis, ergo in voluntate eſt potentia ad illum actū, & per conſequens habens illam voluntatem habet potentiam reſpectu illius actus tertiam concluſionem.

¶ Tertia concluſio. Nullus damnatorum, ſiue ſit Angelus, ſiue ſit homo facit aliquē actum ſimpliciter bonum in genere moris, *Tertia concluſio.* propter vehementem malitiam, ſecundū quam magis probabile eſt ꝙ agunt, quam ſecundum poteſtatem naturalem. *Nota hoc.* Hæc cōcluſio eſt Doctoris vt patet in litera. Ex qua facile intelligitur quam perperam nōnulli ſententiā Doctoris (illam non intelligentes) impugnent. *Nota hoc.* Doctor enim in tota illa quæſtione tantum intendit probare, quod in Angelis damnatis non eſt potentia ad actus meritorios, quia cum non habeāt habitū charitatis, & ſi habeāt voluntatē, non tamen habēt cauſalitatē, neq; potentiā reſpectu illorū, quia cauſalitas in ordine ad actus meritorios ſumitur à volūtate, & habitu charitatis ſimul. At verò cauſalitas, & potētia in ordine ad actus bonos moraliter naturales ſumitur ex ſola volūtate, quę reſpectu illorū, (vt dixi in pręcedētibus) eſt totalis cauſa, & ob id habēs volūtatē, habet potentiā ad eliciendū actū naturalem bonū moraliter, quāuis ꝓpter vehementē malitiam nunquā illū eliciat, & hoc maximè notabis, vt liberes Doctorē à calūnia, modo tamē probatur cōcluſio. Primò ex D. Bernar. li. 5. de Cōſideratione circa finē, vbi loquēs de omnibus dānatis dicit, ꝙ eorū volūtas nō poteſt, niſi peruerſe moueri, & ꝙ nūq; ad aliquid bonū efficitur, & D. Greg. 18. Moral. c. 2. dicit ꝙ omnis volūtas diaboli eſt iniuſta, & D. Aug. ſuper illud Pſal. 61. in inferno quis cōfitebitur tibi, docet, ꝙ ſicut Chriſtus omnia benefacit, ita dæmō omnia malefacit. Ex qua ratione deducitur argumentū pro ſententia doctoris, nā quāuis Chriſtus Dominus propter vnionem humanitatis ad verbū nō poterat exire in malam operationem, non tamen habebat voluntatem taliter determinatam ad illam eliciendam, vt non ſimul neceſſario, & libere illā eliceret, alias ſi nulla eſſet libertas in Chriſto, ſed eius voluntas eſſet potentia naturalis, nullum eſſet meritum in Chriſto, nā opus meritoriū præſupponit libertatem in opere, vnde opera Chriſti Domini erant neceſſario bona, & libere elicita, vt Deo dante in proprio loco dicemus. ¶ In dæmonibus autem omnia opera, ſunt mala propter vehementem malitiam, & propter continuum odium Dei, quod habent, nam Pſalmo 73. ſuperbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper, quę perſeuerātia in odio ex eo prouenit, quod dānati perpetuo, & neceſſario ſunt in actuali cognitione ſui miſerrimi ſtatus, & culpæ, & in actuali paſsione pœnarum, quas patiuntur, & paſſuri ſunt in æternum, & carent omni ſpe mitigationis, & remiſſionis pœnarum, & ab illa actuali conſideratione non poſſunt diuerti, nam nimius dolor fa-

cit ſemper illos intentos, cognoſcunt etiã Deum eſſe principalem cauſam vindicem huius pœnæ, quam propter ſua mala opera (quæ in mundo patrarunt) patiuntur, & cum ſint incertiſsima quadam deſperatione illius pœnæ acerbiſsimæ, nunquam finiendæ, ideò ex tali deſperatione, & nimio dolore in Deum ſemper inſurgunt, odio illum habentes, & in omnibus operibus ſuis tale odium ſemper inuoluẽtes. Quare quanuis voluntas dæmonũ, ex natura ſua nõ ſit determinata, neq; per habitũ neq; per actũ à Deo productũ in illa, neq; per aliquid aliud quæ ipſam faciat operari per modum potentiæ naturalis, adhuc tamen quanuis libera ſit malitia vehemens, & odium in Deum conceptum, ſi diabolus vellet aliquod bonum opus ex genere facere per liberam voluntatem, ſtatim enim vitiabit illum, propter vehementem malitiam, & odium in Deum conceptum.

¶ Secundò, voluntas dæmonis eſt in malo obſtinata, ergo omnis operatio elicita à voluntate dæmonis erit mala. Patet ſequela, nam ſi daremus aliquam operationem dæmonis bonam, voluntas dæmonis reſpectu illius non eſſet obſtinata in malo, hoc enim eſt eſſe obſtinatum impoſſibile eſſe elicere operationem bonam, ſicut à ſimili, hoc eſt eſſe confirmatum in bono nullam poſſe elicere operationem malam.

Tertia concluſio. ¶ Vltima concluſio. Si Deus decreuit nõ conferre damnatis auxilium generale, ſed abſtulit ab illis decernens in pœnam ſuorum peccatorum non concurrere cum illis ad aliquam bonam operationem, in tali caſu damnati non ſolum non elicient aliquã bonam operationem, ſed abſolute fatendum eſt, non poſſe damnatos aliquam bonam operationem elicere, neque reſpectu bonæ operationis habere potentiam. Si autem Deus ſubtraxit tale auxilium generale, nec ne, vtrumque probabile videtur. Hæc concluſio quo ad omnes ſuas partes probatur. Primo, quia cauſa prima nõ operante ſecunda, nihil poteſt operari, ſed auxilium generale Dei eſt cauſa prima, ergo illo ſublato voluntas quæ eſt cauſa ſecunda nihil poterit operari.

¶ Quod autem vtraque pars probabilis appareat, patet ex eo, quia ſi Deus tolleret tale auxilium in pœnam peccatorum bene faceret, quę ſubtractio poſſet pertinere ad rationem talis ſtatus.

¶ Secunda pars patet, quia talis ſubtractio non eſt ſimpliciter neceſſaria, ad ſtatum obſtinationis in malo: nã talis obſtinatio ſufficiẽter ſaluatur in illo actuali odio Dei, quod habẽt damnati, & in actuali odio omnium eorum, quę Dei ſunt, & in carẽtia illa omnis ſpei mitigationis, & remiſsionis pœnarum, & in illa perpetua, & neceſſaria cognitione actuali ſui miſeri ſtatus, & pœnarum, & culpæ, propter quam patiuntur & quod omnia iſta in æternum durabunt.

Reſponde. argum. ¶ Reſpondetur argumentis, ad primũ reſpondetur, quod damnati in inferno pœnitent de anteactis peccatis, non ex bono ſine ſed ex malitia, vbi talis pœnitentia nihil aliud ſignificat, quam quidã remorſus cõſcientię, qui ſemper eſt in omnibus damnatis, vindicans peccata præterita, qui remorſus non eſt peccatum, ſed pœna peccati. *Ad primũ.* ¶ Ad confirmationem reſpondetur, quod illa compaſsio diuitis non fuit orta ex pietate naturali, neq; ex amore fratrũ, ſed ex amore proprio, & ex odio Dei, ne ſcilicet, Deus caſtigaret malitiam, & peccatorum illorum contra Deum cõmiſſum, ſicut in illo caſtigabatur, deſiderabat enim quod aliquod peccatum maneret impunitum. Ita D. Chryſ. ſuper illum locũ. *Ad confir.* ¶ Ad ſecundũ reſpõdetur negãdo ſequelam, & ratio differentiæ eſt, nã intellectus eſt potentia naturalis, & habet ſuam operationẽ determinatam, quę ex ſe, vt antecedit actũ voluntatis, neque eſt bona, nec mala moraliter: at verò voluntas, licet ſit determinata reſpectu boni abſoluti, vt abſtrahit à bono vero, vel aparenti, non tamen eſt determinata reſpectu boni veri, ſed propter vehementem malitiam in malum verum ſemper tendit, tanquam ſibi bonum apparens. *Ad ſecundum.*

Ad tertiũ. ¶ Ad tertium reſpondetur primo, ſtante opinione illa quod Deus ſubtraxit ab illis auxilium generale in pœnam ſuorum peccatorum, quod cum vltra voluntatem requiratur auxilium, quod eſt cauſa vniuerſalis, & ſine illo non poſsit operari voluntas, ideò quanuis manſit integra in genere entis, non tamen in genere potentiæ.

¶ Vel ſecundo reſpondetur, iuxta ſententiam Doctoris, quod quanuis voluntas dæmonis poſsit operari aliquod bonum opus morale, non tamen operabitur, iuxta ea quæ diximus in tertia concluſione, propter vehementem illorum malitiam.

TEXTVS.

QVantum ergo ad iſtum articulum videtur poſſe dici, quod non neceſſario habet aliquem actum malum, nec loquendo de aliquo actu determinato, vel indeterminato, ſiue vago. Diſtinctione. 7. quæſtione vnica, litera. Q.

EXPLICATIO LITERÆ.

IN hac litera Doctor explicat quomodo ſe habeat voluntas dæmonis reſpectu actus à ſe eliciti, & docet, quod voluntas dæmonum non eſt. Determinata ante actũ neque reſpectũ actus in communi, neque etiã reſpectu actus in particulari. De actu in particulari probat ex ſe, quia ſi voluntas determinaretur ad iſtum actum, ſemper eſſet ſub iſto actu, & volens iſtud obiectum, & nunquam aliud, ſed poteſt voluntas dæmonis plures actus habere ſpecie diſtinctos, ergo non eſt determinata ad aliquem actum in particulari. Quod autem non ſit determinata ad actum malum in cõmuni patet, primo, quia ex illo ſequeretur quod non poſſit ſe ſuſpendere ab omni volitione, quod non videtur verũ quia iuxta, D. Aug. li. 1. retractationũ ca. 22. nihil magis eſt in poteſtate volũtatis, quã ipſa volũtas, ideſt, quã operatio volũtatis, ſed volũtas habet in ſua poteſtate ſuſpendere aliquam potẽtiam inferiorem ab omni actu, ergo ſeipſam, & perconſequens non neceſſario vult malum. Addit tamen Doctor, quod iſta ratio aſſumit dubium (de qua quæſtione ſequenti.) Secundo tamen probat prædictam doctrinam, quia dæmones poſſunt habere volitionẽ, & actum bonũ ex genere, vt eſt actus credẽdi, iuxta illud Iacob. 2. dæmones credunt, & contremiſcunt, & pœnitere de peccatis, iuxta illud Sapientiæ. 5. pœnitentiam agentes, prout tales actus antecedenter ſe habent ad circũſtantias illos deformantes, ergo voluntas dæmonũ non eſt determinata ad actũ malum in particulari, nec in communi. Quia tamen hæc litera aliqualem requirit explicationem ſit quæſt. 3.

QVÆSTIO III.

¶ Vtrùm volũtas dæmonum ſit determinata ad aliquod malum.

DE hac re omiſſis ſententijs illis, quæ in quæſtione præcedenti citatis, nempe ſi voluntas dæmonis ſit determinata ad actum malum per habitum determinantem illã, quia iſta ſententia manet impugnata ratione doctoris in hac quæſtione litera. P. prope medium ibi primo, quia omnis habitus, &c. & ſecundo quia habitus nõ eſt ratio agendi, &c. Et ſententia etiam illa de actu à Deo immediate producto. *Prima ſententia.* ¶ Duæ igitur ſententiæ ſunt, quæ in hac parte probabilitatem habent, iuxta ea quæ diximus quæſtione præcedente, nempe ſententia Maſtrij quam dicunt D. Thom. expoſitores eius, nempe Deum in pœnam peccatorum ſubtraxiſſe auxiliũ generale à damnatis reſpectu bonarum operationum, non tamen reſpectu prauarum, quod ſi hoc verum eſt, cum etiam veriſſimum ſit dæmones non ſuſpendere omnem actum voluntatis, ſed ſemper eſſe in actuali volitione alicuius obiecti, certiſſimum etiam erit, quod eorũ voluntas ſemper eſt in actuali volitione mala, quamuis talis voluntas non ſit determinata ad aliquam illarum operationum, loquendo de determinatione quæ antecedenter ſe habe ret in ipſa voluntate, ante ſuum actũ, quia voluntas cuiuſcunque operationis ſemper eſt voluntas, & indifferens ad illam, hac in differentia. At verò loquẽdo de determinatione, quæ prouenit volũtati ab ipſo actu volũtatis, vt docet Doctor in. 3. diſt. 15. q. vnica litera. D. ſemper volũtas dæmonum eſt ab aliqua mala operatione determinata quia ſemper eſt actu male volẽs. ¶ Si tamẽ ſentẽtia doctoris quæſt. præcedẽte explicata vera eſt, nẽpe ꝙ Deus nõ ſubſtraxit auxiliũ generale à dãnatis in pœnã ſuorũ peccatorũ, & ex eo, ꝙ talis ſubtractio nõ eſt neceſſaria, q̃ propter vehemẽtẽ malitiã ſemper ſunt in mala operatione neq; ex aliquo loco ſacræ ſcripturæ aut aliqua reuelatione nobis cõſtat, Deũ tale auxiliũ ſubtraxiſſe ideo iuxta ſentẽtiã doctoris dicẽdũ eſt, volũtatẽ dæmonũ nõ carere auxilio Dei generali, quo Deus cõcurrit tãquam cauſa prima cũ omni cauſa ſecũda operationẽ ipſius cauſæ ſecũdæ iuxta cõditionẽ talis cauſæ, vnde cũ volũtas ex natura ſua (vt antecedẽter ſe habet ad actũ) ſit indifferẽs indifferẽtia potẽtiæ actiuæ ad bonũ, & ad malũ poſito auxilio generali, & influẽtia Dei cõmuni, ſtatim volũtas habet potẽtiã in actu. 1. & eſt *Secunda ſenten.*

 ſuffi-

ſufficiens principium actiuum reſpectu actus naturalis moraliter boni, & ſeclulo quocunque extrinſeco, & per conſequens vt ſic non eſt determinata etiam determinatione quæ antecedenter ſe habet ad actum, & conſiderando voluntatem ſecundum ſuam naturam cum auxilio generali Dei: & propter hoc diximus quæſtione præcedente quod in voluntate vt ſic, eſt potentia, & principium actiuum ad actum naturalem moraliter bonũ, & quod in dæmonibus eſt poteſtas naturalis ſecundum quam poſſent in actus aliquomodo oppoſitos illis, quos ſemper operantur propter vehementem malitiam, ſecundum quam magis probabile eſt quod agunt, quam ſecundum poteſtatem illam naturalem. Cũ igitur voluntas dæmonum (vt antecedenter ſe habet ad actum) ſit indifferens tali indifferentia potentiæ actiuæ, non igitur eſt determinata determinatione oppoſita tali indifferentiæ, in ordine ad aliquem actum malum determinatum, vel indetermatum. Reſoluenda ſunt quæ diximus quæſtione præcedenti.

QVÆSTIO. IIII.

¶ *Vtrum dæmones poſsint ſuſpendere per liberum arbitrium contemplatio nem malorum, & tormentorum in quibus ſunt.*

DE hac re ſunt qui dicant, Alij. 1. pa. quæſtione. 64. art. 2. q. 2. Alij in fine quæſtionis in ſolutione ad vltimum argumentũ, Doctore dixiſſe hac diſtinctione, & quæſtione in fine antequam reſpondeat ad argumenta (temerè tamen) poſitum eſſe in arbitrio damnatorum ſuſpendere vtrumque actum (ſcilicet) intellectus, & voluntatis, ſed quantum veritatis iſta contineant poteris pie lector perſpicere ſi literam doctoris attendas quæ tota ſic habet. De indeterminato, ſiue vago probatur idem, vel quod poſsit ſe ſuſpendere ab omni volitione ſicut proceſsit vna ratio, quæ tamen aſſumit dubium quia non videtur quod poſſit ſe ſuſpendere ab omni actu, ſiue volitione. Vnde dicendum eſt Doctorem in hac re communem ſenſiſſe ſententiam, nempe Angelos, & homines dãnatos (ſi loquamur de potentia non pro principio actiuo, ſed de illa quæ dicit, intrinſecum ordinem ad actum) non poſſe ſuſpendere omnem ſuam operationem. Quæ doctrina probatur cõmuniter, nam cruciatus, & pœna damnatorum ſunt perpetui abſque vlla intermiſsione, iuxta illud Iſai. vlti. ignis eorum nõ extinguetur, & Matth. 25. ibunt hi in ſupplicium æternum. Præterea, D. Auguſt. lib. de Fide ad Petrum cap. 3. dicit damnatos, neque ſine mala voluntate, neque ſine pœna poſſe eſſe. Dixi notanter ſi loquamur de potentia quæ dicit intrinſecum ordinẽ ad actum, nam ſi loquamur de potentia vt dicit actiuitatem principij; & potentiam in actu primo ſecundum ſuum eſſe abſolutũ ipſi prædicti expoſitores prædicta quæſtione. 2. fol. 440. colu. 2. prope finem, ſic aiunt, neq; propterea tollitur libertas, ſed magnitudine mali, & miſeriæ, quodammodo eſt oppreſſa.

¶ Ex quibus verbis ſatis colligitur ſecundum ipſos voluntatem dæmonum eſſe liberam, & per conſequens infertur ex eorũ dicto non eſſe determinatam vt diximus quæſtione præcedente reſpectu actus in particulari, neq; reſpectu actus in cõmuni. *Nota iſta vt liberes Doctorem à calũnia.*

¶ Ex quo infertur ſecundo, quod talis voluntas habet in ſe actiuitatem ſuſpẽſiuam, quamuis non poſsit ſuſpendere, loquendo de potentia quæ dicit intrinſecum ordinẽ ad actum, nam nimius dolor, & maxima anguſtia, & ſuprema miſeria non ſinit illos etiam ſi ipſi vellent ſuſpendere conſiderationem à malis, & tormẽtis in quibus ſunt & ſic patet, quod doctor in hac quæſtione, non eſt iniuria irrogandus, ſed honore afficiendus.

DISPVTATIO XIX. DE OPERATIONE ANGELORVM transſeunte.

TEXTVS.

IN iſta quęſtione tria ſunt videnda, primo quid ſit Angelū aſſumere corpus, hoc idē non eſt informare corpus nec etiam Hypoſtatice ſibi vnire, ſed tantum eſſe intrinſecus motor corporis. Diſtinctione. 8. quæſtio. vnica in principio.

EXPLICATIO LITERÆ.

DOctor in hac litera ſupponit Angelos eſſe omnino incorporeos, quæ ſententia communis eſt noſtris tēporibus, & probatur ex illo ꝙ habetur in Concil. Latera. vt habetur in cap. firmiter de ſumma Trinitate, & fide Catholica, vbi ſic dicitur, vnum eſt vniuerſorum principiū creator omniū inuiſibiliū, & viſibiliū, ſpiritualiū & corporalium qui ſua omnipotente virtute ſimul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, angelicā, ſcilicet, & mundanā ac deinde humanā quaſi cōmunem ex ſpiritu, & corpore cōſtitutam. Ex quibus verbis Concilij facile patet creaturam Angelicam, eſſe ſpiritualem, & non corporalem, quod magis liquet ex eo, nam ſi natura humana communis eſt conſtans ex corpore, & ſpiritu, ſcilicet, ex corpore & anima, cum Angelus ſit ſpiritualior anima, ſi anima, vt anima non eſt corporea, neque Angelus corporeus erit. Vnde abſque temeritate poſt illam diffinitionem Cōcilij non poteſt dici, Angelos eſſe corporeos. Poſito igitur quod Angelus ſpiritualis eſt, & non corporeus, quærit Doctor vtrum poſsit Angelus aliquod corpus aſſumere, ad quod reſpondet dicens, quod quamuis Angelus non poſsit informare corpus, neque illud ſibi Hypoſtaticè vnire, poteſt tamen corpus mouere. Pro cuius explicatione eſt notandum quod operationes vitales ſunt inquadruplici differentia, ſcilicet, motus progreſsiuus, & actus vegetatiui, quales ſunt nutritio, augmētatio, & generatio, & operationes ſenſitiuæ, & exteriores, & operationes cōmunes cum operationibus non habentium operationes vitales, vt locutio, quę aliquid habet affinitatis cum actione non vitali, videlicet ſomnum, quod etiam cōmune eſt inanimatis.

¶ Hoc poſito in hac re ſit primum dictum Angeli in corporibus aſſumptis non exercent opera vitæ, ratio huius eſt quia corpus illud aſſumptum non eſt corpus viuū.

¶ Ex quo infertur, primo, quod motus corporis aſſumpti ab Angelo non dicitur propriè progreſsiuus, nam motus propriè progreſsiuus fit à motore coniuncto mobili per informationem.

¶ Ex quo infertur ſecundo locutionē Angeli in corpore aſſumpto non eſſe propriè locutionem, ſed eſſe ſonum quendam formatum ab Angelo inſtar vocis humanæ.

¶ Ex quo infertur tertio, quod Angeli in corporibus aſſumptis non poſſunt generare virtute propria, poſſunt tamen virtute aliena, hoc eſt virtute cœlorū, & agentium naturalium applicando actiua paſsiuis, de qua re videndus eſt, D. Auguſt. 3. de Trinitate ca. 8. videndus eſt Victoria in ſua Relectione de Arte magica, num. 36.

¶ Poſſunt tamen dæmones, & Angeli mouere localiter corpora ſecundum proportionem ſuæ virtutis, ſeruato tamen ordine vniuerſi, quod patet ex illo Matth. 4. vbi dicitur quod Chriſtum Dominum aſſumpſit diabolus, & tulit in mōtem excelſum. Vltima pars probatur ex D. Thom. de malo, quæſtione. 16. articul. 9. ad. 8. & tertio contra gentes cap. 108. vbi docet Angelū non poſſe mouere terram loco ſuo, nec cælum motu contrario.

¶ Poſſunt etiā dęmones immutare corpora naturalia applicando actiua paſsiuis, imprimendo qualitatem corpoream, vt ſiſſus, morbum, & ſanitatem, non tamen virtute ſua, & immediate. De qua re videndus eſt. D. Thom. prima parte quęſtione. 120. articulo. 2. & probatur ex illo Iob. 2. vbi dicitur quod Satanas percuſsit Iob vlcere peſſimo.

¶ Quamuis Angeli, & dæmones poſsint à multis ęgritudinibus homines ſanare, non tamen poſſunt immortales reddere, nec à morbo ſenectutis liberare, patet hoc dictum ex eo quia omnia iſta faciunt applicando actiua paſsiuis, ſed nulla eſt cauſa naturalis, quæ poſsit hominem immortalem reddere, ergo. Vtrùm autem poſsit exercere actus vegetatiuæ virtutis reſpondet Doctor hac quæſtione litera. E. negatiuè, ſi loquamur de vera nutritione. Qui vult multa de poteſtate dæmonum legere videat Magiſtrum Victoriam in relectione de magia per totã illam relectionẽ.

DISPVTATIO XX. DE LOCVTIONE ANGELORVM,

Continet vnicam Quæſtionem.

TEXTVS.

AD quæſtionẽ iſta de locutione reſpondeo, quod Angelus loquitur Angelo cauſando in eo conceptum immediate illius obiecti, de quo loquitur. Diſtinctione.9.quæſtione.2.litera.A.

EXPLICATIO LITERÆ.

IN hac litera Doctor explicat modum, quo vnus Angelus alterum illuminat, & cum illuminatio in Angelis non ſit aliud, quam manifeſtatio, qua vnus docẽdo aliũ, veritatẽ illi occultã manifeſtat: Quæ manifeſtatio non eſt aliud quã locutio cum illo Angelo, cui illam veritatem manifeſtat, hinc prouenit, quod quamuis omnis locutio non ſit illuminatio, omnis tamen illuminatio locutio eſt. Quare explicata locutione Angelorum, manebit explicata eorum illuminatio. Vt autem ſententia Doctoris melius percipiatur, ſit quæſtio vnica.

QVÆSTIO. I.

¶ *Verùm vnus Angelus alteri Angelo loquatur per ſenſibilia ſigna, vel dirigendo conceptus, vel producendo, Verbum mentis in intellectu alterius Angeli.*

QVæſtio enim hæc primum locum obtinet inter difficiles in tota iſta materia, & propter difficultatem rei, & propter multiplicitatem opinionum. *Prima ſententia.* Eſt enim prima ſententia, D. Tho. 1. part. quæſtio. 107. artic. 1. quam eius expoſitores explicant, quæſtio. 57. artic. 4. cum Caieta. quæſtio. 107. artic. 1. dicentes, quod ordinatio conceptus ipſius loquentis ad alterum, vt videatur, & cognoſcatur, habet in ſe virtutem quãdam excitatiuam, ob id quod facit huiuſmodi conceptũ eſſe de pertinentibus ad illum, cui loquitur.

¶ Secundo docet Caiet. quod intellectualis locutio præhabet in ſe eminentiori modo, & vnite, quidquid habet locutio noſtra ac proinde ſeclufis imperfectionibus, & reducendo ea quæ in nobis multiplicantur, ad quandam vnitatem oportet tranſire ad explicandam Angelicam locutionem, ſeu ad explicandam, locutionem intellectualem. Nam cum omnes ſenſus ſint vires quædam cognoſcitiuæ, nihil aliud ſunt quàm diminutæ participationes intellectus, quo fit, vt quia ſenſus ſolum cognoſcit particulare aliquod genus entis, intellectus enim eo gnoſcit totum ens, ideirco vbi inuenitur intellectus purus, qualis eſt angelicus, ibi neceſſario oportet inuenire quidquid reperitur in omnibus alijs cognitionib° eminentiori modo, & propter eandem rationẽ intellectualis locutio neceſſe eſt vt contineat eminentiori modo, & per modum cuiuſdam vnitatis, quidquid habet noſtra locutio.

¶ Ex quibus omnibus inferunt, vnum Angelum eo ipſo loqui mentaliter cum alio, quod

quod ad imperium voluntatis conceptum ſuum internum dirigit in eum, cum quo loquitur, eo enim ipſo conceptus ille internus (qui alioquin ſuapte natura erat occultus) efficitur manifeſtus, non cuicunque, ſed illi duntaxat, in quem dirigitur: fieri vero adeò ei manifeſtum, vt intuitiuè eum cognoſcat: quare cum directio conceptus ad imperium voluntatis ſit ratio, quod ei duntaxat ſit manifeſtus, ad quem dirigitur, efficitur, vt vnus Angelus loqui poſsit cũ imo aut pluribus, ad quos pro ſua libertate dirigit ſuos conceptus, alijs id non audientibus cum vero cum quo loquitur conſpicere cõceptum internum loquentis; & per eũ vno de qua loquitur quod eſt audire mẽtaliter.

Secunda ſententia. ¶ Secunda ſententia eſt Gregorij in. 2. diſtin. quæſt. 2. quam defendit Molina. 1. p. quæſt. 106, art. 1. conclu. 2. vbi ſic ait, vnus Angelus nõ videtur poſſe loqui aliter cum alio, cum ve illuminare, quam per nutus ſpirituales, tanquam ſigna ſpiritualia, quæ ad exprimendos ſuos conceptus poterũt ſibi inuicem multo melius exhibere, quam nos ad exprimendos noſtros exhibemus. Poterunt etiam adhibere ſigna corporea facta motione, aut impreſsione aliqua in corpore. Item motus ſuæ propriæ ſubſtantiæ in ſpatio poterunt ſibi ipſis ſigna exhibere multiſque alijs modis ipſis melius quam nobis cognitis. Hanc concluſionem probat authoritate Gregorij & Durandi in. 2. diſtin. 11. quæſt. 2. in fine quæſtionis, dicitq; eſſe expreſſam ſententiam gloſſæ ſuper illud Pauli 1. ad Corinth. 13. Si linguis hominũ loquar, vbi ait, Angeli præpoſiti ſignificãt inferioribus, quod de Dei voluntate ſentiunt, quod fit quibuſdam ſignis, & nutibus. *Primum argum.* Poteſt etiam cõfirmari, ex eiſdem verbis Pauli, tribuit nanque Angelis linguam ad loquendum, ac proinde vim loquendi exterius per ſigna. In quæ verba ait Chryſoſtomus linguam Angelorum hic appellauit, non carneum ſignificans inſtrumentũ, ſed eorum mutuam inter ſe cõſuetudinem, modo inter nos cognito. Probat autem rationibus. Primo, quoniam Angeli inter ſe loquuntur (vt oſtenſum eſt omneſque fatentur) cum ergo non loquantur ſolis conceptibus, eo quod, conceptus vnius ſint naturaliter alijs occulti, vt quæſt. 57. artic. 4. oſtenſum eſt, efficitur vt loquantur ſignis externis, in quibus ſuos exprimant conceptus. *Secundũ argum.* ¶ Secũdò, Angelus expectatus in ſuis tantum naturalibus mentiri poteſt altero Angelo, non ſecus, ac vnus homo mentiri poteſt alteri homini, ſed mentiri eſt aliud manifeſtare exteriori ſigno, & aliud habere in mente, definitur nanque eſſe contra mentem ire: ergo Angeli loquuntur adinuicem ſignis externis, ac nutibus.

¶ Quod ſi quis petat vtrũ huiuſmodi ſigna ſignificent ex impoſitione reſpondendum eſt, eo ſanè modo ſignificare. Sicut enim homines qui nunquam antea eſſent loquuti, imponere poſſent ſigna, ad exprimẽdos inuicem ſuos cõceptus, & inuenire linguã, qua mutuos conferrent ſermones, ita multo citius & melius id efficere poterunt Angeli, & forte eruditi lingua, qua ſic loquerentur conditi ſunt à Deo.

Tertium argum. ¶ Tertiò autem probat impugnatione aliarum ſententiarum. In primis enim ſententia D. Tho. tum intellectu, tum etiam creditu eſt difficilis, ſatiſque impugnata manet. q. 57. arti. 4. nec ſatis intelligitur, quanam ratione ſola directio, hoc eſt efformatio conceptuum ad imperium voluntatis in ordine ad hunc, potius quam ad illum faciat conceptus (alioquin, ſuapte natura occultos) manifeſtos huic, potius quam alteri, præſertim cum ipſummet imperium voluntatis, ac directio cõceptuum, ſit actus Internus, ac proinde ſuapte natura occultus.

Impugnatio ſententiæ Scoti. ¶ Sententia autẽ Scoti, quatenus affirmat Angelum poſſe producere effectum in re diſtante nihil producendo in medium ſufficienter impugnata eſt quæſt. 8. art. 1. quatenus vero affirmat vnũ Angelum poſſe producere actum intelligendi rem, de qua vult loqui in intellectum alterius, alio concurrente ſolum paſsiuè ad talem actum, ac ſola intellectus aure auſcultare; impugnatur ab Ochamo in. 2. quæſt. 20. & quolib. 1. quæſt. 8. à Gregorio in. 2. diſt. 10. quæſt. 2. Gabr. diſt. 9. q. 2. arti. 3. à Capreolo diſt. 12. q. 1. ad argumenta cõtra tertiã concluſionẽ, & à Caiet. q. 107. arti. 1. poſſumus neq; nos primò argumẽtari in hunc modũ. *Prima ratio.* Omnis intellectio, ac perceptio obiecti eſt operatio immanens, ac vitalis, ergo nequit eſſe in aliquo intellectu, ita vt is intellectus percipiat aliquid per eam, quem ad illam efficienter concurrat. Patet cõſequentia, quia omnis operatio immanens, aut vitalis eſt efficienter à potentia in qua eſt, & quæ per eã percipit obiectum, vt quæſt. 12. & alias ſæpe in ſuperioribus abundè oſtẽdimus. Nec

minus

minus implicat contradictionem intelle-ctum intelligere per actum intelligendi nõ à ſe, ſed ab alio intellectu efficienter productum, quam vnum ignem calefacere per calefactionem non à ſe, ſed ab alio igne productam, eo quod intelligere non ſit aliud quam potentiam intelligentem efficienter ac vitaliter exprimere in ſe imaginem rei quæ intelligitur. ¶ Secundò ad intelligendum concurrit efficienter, tum intellectus, tum etiã ſpecies intelligibilis, aut id quod inſtar illius habet, vt compertum eſt, ſed licet concurſus intellectus (quatenus ad imperium voluntatis applicatur ad intelligendum) ſit liber, concurſus tamen ſpeciei non eſt liber, ſed naturalis, non potens non agere quantum eſt ex ſe, cum ergo concurſus intellectus ad intelligendum non poſſit ſe extẽdere extra intellectum, eo quod actio intellectus ſit immanens, ſolumque ſuper ſit concurſus naturalis ſpeciei, quem poſſet fingere Scotus, extendere ſe ad alienũ intellectum ad intelligẽdum, ſanè inſufficientem rationem reddidit, cur vnus Angelus poſſit loqui cum alio, alijs non audientibus ex parte concurſus liberi Angeli ad producendum conceptum, actumque intelligendi potius in intellectu huius cum quo vult loqui, quam in intellectibus aliorum.

Secunda ratio.

¶ Tertiò (vt probè argumentantur Gabriel & Ochamus) ſi ratio Scoti alicui eſſet momenti, eodem ſanè modo probaretur voluntatem vnius Angeli poſſe producere volitionem in voluntatem alterius efficereque eum velle eo concurrente ſolum paſſiuè, quod eſt ridiculum, efficeret nanque eum conſentire in peccatum, illo non currente ad talem conſenſum. Conſequutio probatur; quia ſicut intellectus vnius Angeli eſt in actu primo, & ſufficiente ad producendam in ſe ipſo intellectionẽ, & intellectus alterius ſuſceptiuus eſt intellectus eiuſdem rationis. Sic quoque voluntas vnius Angeli (qui actu aliquid vult) eſt in actu primo, & ſufficiente ad producendam in ſe volitionem, & voluntas alterius eiuſdem rationis volitionem ſuſcipere poteſt. Quare ſi illa eſt ſufficiens ratio, vt intellectus vnius Angeli poſſit producere intellectionem in intellectu alterius, erit etiam ſufficiens, vt voluntas vnius Angeli poſſit volitionem producere in voluntate alterius.

Tertia ratio.

¶ Quartò, Inde vero vlterius ſequitur, aliquid poſſe eſſe volitum ab aliquo, à quo non ſit præcognitum, ſed ſolum ab eo, qui vt in ſeipſo poteſt producere volitionem, eo quod habeat cauſam ſufficientem, vt eam in ſe ipſo producat. Sic etiam iuxta principiũ Scoti producere eam poſſit in voluntatem alterius, concurrentem ſolum paſſiuè ad eam volitionem, quod tamen eſt abſurdũ.

Quarta ratio.

¶ Quintò ex ratione Scoti ſequeretur poſſe vnũ Angelum efficere ſcientiam concluſionis in intellectu alterius exiſtente notitia principiorum ſolum in ſuo intellectu. Si nanque ratio Scoti legitima eſt, cum Angelus qui habet aſſenſum principiorum, & bonitatis conſequentiæ habeat ſufficientem cauſam ad efficiendam in ſe ipſo ſcientiam concluſionis, & alius Angelus ſuſceptiuus ſit eiuſdem ſcientiæ, vtique poterit vt in ſe ipſo, ita & in alio Angelo eã efficere, prævio in ſeipſo duntaxat aſſenſu principiorum, habetque hæc ratio vim præſertim aduerſus Scotum, qui affirmat Angelos diſcurrere poſſe.

Quinta ratio.

¶ Vltimò. Audire eſt percipere ſignum alterius, factum ad aliquid ſignificandum, quo mediante is qui audit format vlterius notitiam rei ſignificatæ, ſed vnum Angelum recipere conceptũ rei quam alius concipit, nõ eſt percipere ſignum alterius exhibitum ad aliquid ſignificandum, ergo nec vnum Angelum producere in mentem alterius conceptum rei, quam ipſe concipit eſt loqui cum eo, in cuius mentem illũ producit, nec alterum Angelum illum recipere, eſt audire, ſed ſolum percipere rem non ſecus ac ſi per ſe ipſum formaret eundẽ conceptum, quod nemo appellat audire.

Sexta ratio.

¶ Tertia ſententia eſt Doctoris, vt patet in litera. Pro cuius explicatione eſt notandũ, quod in hac quæſtione aliqua ſunt certa, & aliqua manent ſub opinione. Certa enim ſunt, quod vnus Angelus alteri loquitur, & ſimiliter, quod vnus Angelus alterum audit, & quod in angelis, eſt locutio, eſt & auditio.

Tertia ſententia doctoris.

1. Notab. quæ ſunt omnibus certa in hac quæſtione.

¶ Secundo etiam certum eſt quod audire, & intelligere in Angelis quamuis ſint actus eiuſdem intellectus non tamen ſunt idem actus; aliud enim eſt intelligere, & aliud audire, ſtat enim quod aliquis angelus intelligat, abſque eo quod audiat, & forſan quod audiat, quod non intelligit. nam Angelus inferior poterat videre Angelos ſuperiores inter ſe loquentes, & intelligere ipſos inter ſe, ſaltim de aliquo ſupernaturali tractantes abſque eo quod intelligat, quid ſit illud, de quo ſuperiores angeli agunt, in tali

tali enim caſu ille Angelus inferior audiret, non tamen intelligeret. ¶ Tertio etiam, certum eſt Angelos non cognoſcere cogitationes cordium, & volitiones, quatenus cogitatio, & volitio ſignificant ipſum cogitare & velle. Quæ autem differentia ſit inter cogitare, & cogitationem velle & volitionem, dixi ſæpe ſæpius ſupra, dicáque modo: cogitatio enim, intellectio, verbum notitia expreſſa, conceptus formalis, omnia iſta idem prorſus ſignificant, ſcilicet illam qualitatem ab intellectu productā mediante ſpecie intelligibili, quæ qualitas eſt terminus dictionis, & antecedenter ſe habet ad intelligere, nam vt dixi in primo Diputatione 10. quæſt. 1. intellectus informatus ſpecie intelligibili producit verbum, intellectionē notitiā cōceptum & ſimilitudinē expreſſam quæ intellectio, notitia, ſiue verbū, eſt qualitas de genere qualitatis qua intellectus poſsibilis informatus tēdit per intelligere in obiectū cognitū & illud tendere eſt intelligere, nō autē intellectio, ſed intellectio eſt qua intellectus intelligit, & qua intellectus tendit actualiter in obiectū eſt enim intellectio (vt ibi dicebamus) reſpectu intelligere, & intellectus, ſicuti anima reſpectu corporis, & reſpectu viuere: homo enim viuit per animam, ſed anima non eſt ipſum viuere, ſed eſt qua homo formaliter viuit & ſic intellectio non eſt ipſum intelligere, ſed eſt qua formaliter intellectus, vel intelligens intelligit, & cognoſcit obiectum illud, cuius talis intellectio eſt expreſſa & formalis ſimilitudo. ¶ Ex quo infertur, prædictum, ſcilicet, quod cognoſcens intellectionem non cognoſcit ipſum intelligere, nam intelligere dicit intrinſecū ordinem ad obiectum cognitum, cognitio autem tantum dicit intrinſecum ordinem ad intellectum & ſpeciem tanquam ad cauſas producentes illius. Vnde intelligere importat habitudinem ad rem intellectam, Quare ſi talis habitudo nō percipiatur, nec poterit cognoſci ipſum intelligere, quanuis intellectio, & verbum cognoſcātur. Eſt igitur certum quantum ad hoc apud omnes quod intelligere, & velle ſunt ex natura rei occulta, & ſoli Deo nota, niſi intelligens, & volens velit ſuum intelligere, & velle alijs manifeſtare.

2. *Notab.* ¶ Secundò eſt notandum, quod quæ in hac re maximam haber difficultatem ſunt, quatuor quomodo Angeli inter ſe loquantur, an nutibus (vt dicebat Gregorius, & Molina). Et tunc maxima etiam eſſet difficultas, quomodo vnus Angelus poſſet loqui vni, & non alteri, nam ſi diſtantia non impedit, & ſi impedit ſaltim inter indiſtantes, neceſſario ſequitur, quod vnus Angelus non poteſt alteri loqui ſine eo quod alteri videant prædicta ſigna, & per conſequens, omnes audiant quod ipſe loquitur. An vero per ordinationem conceptuum: an vero quia vnus Angelus aliquid producit in intellectu alterius angeli.

¶ Tertiò eſt notandum, quod in hac re (cū ſit de re maximè difficili & nobis ignota) illa ſententia erit probabilior, quæ maiorē conformitatem videtur habere cum natura angelica & nullam includit repugnantiā in philoſophia, & cum inter duos modos dicendi, ſcilicet Doctoris, & D. Tho. (nam iſta de nutibus & ſignis ſoli Gregorio placuit & Molinæ. Reliquæ autem quam plurimos habent pro ſua parte fautores) modus dicendi Doctoris non habeat aliquam impoſsibilitetem, & videatur magis cōformis naturæ angelicæ; ideo mihi probabilius videtur, Angelos loqui, quia vnus in intellectu alterius producit aliquid, ratione cuius intellectus audientis excitatur ad audiendum, quod non producit in intellectu alterius, nec videtur aliquod inconueniens quod intellectus Angeli habeat rationem intellectus, & rationem auditus, & ſimiliter quod habeat rationem intellectus & rationem linguæ: ſicut enim non eſt inconueniens quod voluntas angeli habeat rationē voluntatis & potentiæ exequutiuæ, quid mirum, quod intellectus angeli habeat rationem intellectus & rationem linguæ, & rationem auditus. Eſt enim intellectus, pro quanto, ſimul cum ſpecie innata, infuſa, vel acquiſita, intra ſe ipſum producit verbum, & verbi informatus percipit obiectum cognoſcendo. 3. *Notab.* *Nota hoc.* *Intellect⁹ angelicus & eſt intellectus & lingua & auditus.*

¶ Eſt enim auditus, pro quanto eſt receptiuus alicuius qualitatis ab altero Angelo ꝓductæ, qua vel ſpecies quas habet excitentur, vel ipſa tanquam verbo formaliter intelligat. ¶ Eſt enim lingua, pro quanto eſt ꝓductiuus illius qualitatis, ſiue verbi. Vnde nullum inconueniens apparet, quod intellectus angelicus habeat iſta tria munera & officia, ſicut non eſt inconueniens (vt dixi) quod voluntas angeli habeat rationem volūtatis & potentiæ executiuæ.

¶ Vtrum

¶ Vtrum autem illud quod Angeli producunt in intellectu alterius Angeli ſit verbum, vel aliquod aliud, quo ſpecies in Angeli alterius intellectu exiſtens moueatur, non contrariando doctrinæ Doctoris, pro nunc videtur dicendum, quod Angelus loquens producit aliquid in intellectu Angeli audientis, ratione cuius intellectus Angeli audientis mouetur ab ſpecie de qua fit locutio & ꝓducit intellectionẽ & cognitionẽ. Moueor ad hoc, quia locutio Angelorum eſt locutio intelligibilis & auditio angelorum eſt auditio intelligibilis, & ſic debet habere illud quod conuenit auditui, vt auditus eſt, & intelligibili, vt intelligibile eſt, & cum ad rationẽ auditus requiratur, quod aliquid recipiat à loquente, ratione cuius ipſe auditus moueatur ad producendam & habendam auditionem, ita intelligibilis ille auditus Angeli debet recipere aliquid ab Angelo loquente, ratione cuius moueatur ad producendam auditionem, ſiue cognitionem prout dicit ordinem ab alio, ſicut verbi gratia, ſi ego haberem cognitionẽ de aliquo de quo modo fit locutio, talis cognitio de nouo eſſet alterius ratiõis à priori; quia iſta dicit intrinſecum ordinem ad locutionem, ſita cognitio (quam Angelus habet ex eo quod alter illi loquitur) eſt auditio, pro quanto dicit intrinſecum ordinem ad angelum loquentem. Quod ſi angelus audiens non habet ſpeciem de illa re de qua loquitur illi: tunc dico, quod angelus loquens poterit producere ſpeciem in intellectu alterius angeli. Moueor ad hoc quia tecta ratio rerum hoc expoſtulat. Si vero intellectus angeli habet ſpeciem de illius re de qua alter illi loquitur: ſolum eſt neceſſariũ, quod intellectus moueatur ab illa ſpecie, & quatenus intellect⁹ mouetur ab illa ſpecie per ordinem ad motionem factam ab alio (per illud quod in eius intellectu produxit) dicitur intelligibilis auditio. Si tamen non habet ſpeciem, pro quanto intellectus mouetur ad cognitionẽ per ſpeciem ab alio productam, dicitur auditio ſenſibilis, ſicut enim v.g. auditio ſenſibilis ſit, pro quanto potentia auditiua mouetur ad producendã auditionem, per ſpeciem ſenſibilem productã ab alio in ipſa potẽtia auditiua, ita auditus intelligibilis eſt potentia intellectiua, pro quãto per ſpeciem impreſſam ab alio, vel excitatam ab alio, mouetur ad producẽdam cognitionem illius obiecti, cuius ſpecies imprimitur, vel excitatur, & hoc bene notabis: vt præſentem quæſtionem percipias aduertendo quod auditus angeli eſt auditus intelligibilis, & locutio angeli eſt locutio intelligibilis.

¶ Ad argumenta quæ adducit Molina contra ſententiam Doctoris facillimè reſpõdetur ad primũ, quando dicit falſum eſſe angelum nõ poſſe producere aliquid in diſtanti ſine eo quod producat aliquid in medio reſpõdetur certiſsimũ eſſe ſolem producere aurum in viſceribus terræ abſque eo ꝙ ſecundum ſubſtantiã ſit in viſceribus terræ. *Ad argume. adducta contra Doctorẽ. Ad primũ*

¶ Ad alia argumenta quæ ipſe proponit reſpondetur ad primum concedendo totum neq; aliquid ꝓbat cõtra nos. Imo fauet noſtram ſententiam, & ad probationẽ dicitur nõ eſſe impoſsibile Deo producere verbũ mentis in intellectu creato, ipſo intellectu paſsiuè concurrente eſſe tamen impoſsibile, intellectũ noſtrũ intelligere ipſo intellectu nõ cõcurrente vitaliter. ¶ Ad ſecũdum rñdetur, ꝙ Doctor tñ docet, poſſe angelũ ꝓducere verbũ mentis in intellectu alteri⁹ angeli, nõ tñ docet poſſe producere intelligere quia intelligere eſt opatio vitalis, quę dicit intrinſecũ ordinẽ ad potẽtiã vitalem: verbũ autem eſt qualitas de genere qualitatis; cuius productio non eſt operatio, ſed actio, quæ autẽ differentia ſit inter actionẽ & operationem: vide quæ latè diximus in primo Diſput. 11. queſt. 2. notab. 2. vbi defeudimus Doctorẽ & à quorũdã calũnia liberamus. Vnde ex eo, ꝙ operatio intellectus ſit operatio immanens, nõ ſequitur, ꝙ per actionem non poſsit aliquid extra ſe ipſum producere, imo volũtas angeli (quãuis eius operatio ſit immanens) vt eſt potẽtia executiua per illã ꝓducit exrra ſe, quid quid ad exrra operatur, ita & intellectus angelicus (quãuis quatenus eſt potẽtia intellectiua) nõ ꝓducat aliquid extra ſe, tñ quatenus eſt potẽtia loquutiua & lingua angelica nõ mirũ ꝙ poſsit aliquid extra ſe ꝓducere. ¶ Ad tertiũ deſumptũ ex Ochamo rñdetur nõ eſſe eandẽ rõnẽ de intellectu, & volũtate (quãuis Liquetus illud cõſequẽs non reputet incõueniẽs in hac quæſt. rñdendo ad argumẽtã Gregorij mihi tñ videt dicẽdũ ſaluo meliori iudicio, & ſnĩa Doctoris, ꝙ aliter ſe habet intellect⁹, quã volũtas, ꝓpter rõnẽ dictã ſuperius, nã cũ intellectus ex ratiõe ſua habeat facere cognoſcere, hinc prouenit, ꝙ in loquẽtibus ſpiritualibus habeat rationem *Ad ſecundum. Ad tertiũ. Nota hoc.*

rationem linguæ, quod in animabus ſeparatis etiam contingit, quæ nullis nutibus, neque ſignis internis, nec externis inter ſe loquentur. Cum igitur talis modus loquendi non ponatur reſpectu animarum ſeparatarum, neque etiam ponendus eſt reſpectu angelorum. Nihil igitur obſtat quod intellectus angelicus, vel quod Angelus per intellectum, ſiue anima ſeparata producant in alieno intellectu vel ſpeciem alicuius obiecti, ſi illam non habent, vel ſi habent aliquid, quod moueat intellectum illum, vt vtatur tali ſpecie, & illa talis productio cũ cognitione obiecti dicitur loquutio, & auditio: loquutio, prout eſt ab Angelo producente: auditio prout eſt in Angelo recipiente. Ex quibus facile reſpõdetur ad quoddã primum eius argumentum quomodo vnus Angelus poſsit alteri mentiri, nempe producendo ſpeciem oppoſitam illi cognitioni quam ipſe habet in mente. Reliqua autẽ argumenta quæ proponit Gregorius cõtra Doctorem inualida ſunt, poſſunt apud Liquetum, cum eorum ſolutionibus.

DISPVTATIO XXI. DE STATV INNOCENTIÆ, CONTINET QUINQUE QUÆSTIONES.

PRima. *Vtrum primus parens fuerit creatus in gratia, aut in iuſtitia originali tantum.*

Secunda. *Vtrum (data opinione Diui Thomæ) Adam fuerit creatus in gratia ſine aliqua propria diſpoſitione.*

Tertia. *Vtrum iuſtitia originalis & gratia gratum faciens ſint idem habitus numero, an plures habitus realiter diſtincti.*

Quarta. *Vtrum pueri in ſtatu innocentiæ in Dei gratia confirmati naſcerentur.*

Quinta. *Vtrum in ſtatu innocentiæ ſoli illi fuiſſent geniti qui nunc ſaluarentur.*

TEXTVS.

DIco quod ſi fuerit aliquod donum ſupernaturale, non tamen oportet quod ſit principium merendi diſtinctione 29. quæſt. vnica, infra literam. D. in ſolutione ad quantum.

EXPLICATIO LITERÆ.

POſtquam in præcedentibus actum eſt de ijs, quæ pertinent ad creationem in communi, & de ijs, quæ pertinent ad creationem in particulari reſpectu illarum creaturarum, quæ ex nihilo producuntur, quals eſunt angelicæ creaturæ, operæpretium eius, iam creationem explicare, vtendo largo modo nomine creationis, vel operæpretium erit aliud genus actionis diuinæ explicare, ſcilicet quatenus per illã Deus aliquid producit aliquo modo præſuppoſita materia, qualis eſt illa, qua Deus producit ſubſtantiã corporatam materia, & forma phyſica conſtantem, & qui inter creaturas corporales præcipuum obtinet locum homo, qui creatura rationalis eſt, ad imaginem, & ſimilitudinem Dei factus, ideo noſtra diſputatio naturam hominis explicare intendit, & quia operationes hominis aliæ naturales ſunt, aliæ ſupernaturales, omiſsis illis, quæ naturales ſunt, de ſupernaturalibus eſt nobis tractatus, & de illis, quæ ordinant hominem ad finem ſupernaturalem. Cùm igitur natura ſit fundamentum gratiæ ideo primo quærendum eſt de rectitudine naturali, quam habuerunt primi parentes, deinde de rectitudine ſupernaturali, vt autem rectum ſeruemus in hac diſputatione ordinem, ſit quæſtio prima.

QVÆSTIO. I.

¶ *Vtrum primus parens fuerit creatus in gratia, an vero in iuſtitia originali tantum?*

DE hac re eſt prima ſentẽtia Magiſtri ſententiarum in hoc ſecũdo diſt. 24. quæſt. 1. aſſerentis, quòd homini in creatione datum eſt per gratiam auxilium, & collata eſt potentia, per quam poterat ſtare, ideſt, non declinare *Prima ſententia.*

declinare ab eo, quod acceperat, ſed nõ poterat proficere in tantum, vt per gratiam creationis ſine alia mereri ſalutem valeret. Et infra litera B. explicat prædictam ſententiam dicens, quod tunc neque aliquid mali volebat, & ad tempus ſtare potuit. Et infra litera D. explicans, quid fuerit illud adiutoriũ homini datum in creatione, quo poterat manere, ſi vellet, dicit, quod fuit libertas arbitrij ab omni labe, & corruptela immunis, atque voluntatis rectitudo, & omnium naturalium potentiarum, animæ ſinceritas, atque viuacitas. Ex quibus omnibus ſatis colligitur primum hominẽ fuiſſe productum cum rectitudine naturali, non tamen cum rectitudine ſupernaturali.

Primum argum. ¶ Probatur autem iſta ſententia primo. Nã gratia ſupernaturalis danda erat primo homini in præmium pro victoria reportanda de tentatione dæmonis: ergo antequã tentaretur, non erat conferenda illi gratia: antecedens patet: nam victoria illius tentationis aliquod præmium erat reportatura.

Secundum argum. ¶ Secundo, ex Diuo Auguſtino lib. 2. de ciuitate Dei cap. 2. dicente, quod primus homo in paradiſo quantum ad delectationem præſentis boni beatior erat, quàm quicũq; iuſtus in hac infirmitate mortali, ſed quantum ad ſpem futuri boni beatior eſt quilibet iuſtus in quibuslibet corporis cruciatibus, ſed ſi Adamus creatus fuiſſet in gratia, non eſſet quilibet iuſtus beatior modo quã ille, ergo. Cõfirmatur ex eodem Diuo Auguſtino in quæſtionibus veteris, & noui teſtamenti, vbi docet quod Adam perfectus fuit productus, ſed non omni modo: vnde gratiam accepit, qua potuit ſtare, & nõ maculari. ¶ Idem confirmatur ex libro de correctionẽ & gratia cap. 10. dicente, ꝙ Deus ſic ordinauit Angelorum, & hominum vitam, vt prius in ejs oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitriũ, deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium, ergo prius conditus fuit in eſſe naturæ, quam in eſſe gratiæ. Hanc eandem ſententiam docent Hugo de Sancto Victore lib. 1. de Sacramentis parte 6. capit. 17. eandem docet Alexander. 2. par. quæſt. 96. membro. 3. titul. 1. in corpore: vbi ſic ait, cõcedi ergo poſſunt rationes, quibus objicitur primũ hominem non fuiſſe acceptum Deo modo iſto vltimo, ſcilicet in quantum rationalis creatura conſecratur Deo, vt ſit eius templum adoptatum in filiũ, aſſumitur in ſponſam. Nulla enim naturalia efficiunt hominẽ iſto modo acceptum. Eandem docet Diuus Bonauentura in. 2. diſt. 29. quæſt. 2. num. 25. vbi dicit, Ratio autem quare dominus voluit, poſt naturalia dare gratiam, cum poſſet dare ſimul, ſumitur ex triplici ordine, videlicet ab ordine ſapientiæ, bonitatis, & iuſtitiæ, ordo ſapientiæ hoc requirebat, vt ſicut eſſe gratuitum eſt alterius generis, quàm eſſe naturale, ſic in diuerſis temporibus homini conferretur. Ordini etiam bonitatis hoc competebat, vt ex ipſo ordine dandi cognoſceretur, donum illud eſſe gratuitũ: propterea non fuit creationi indita, ſed naturæ iam perfectæ & conſtitutæ fuit ſuperinfuſa. Ordo etiam iuſtitiæ hoc requirebat, vt in adulto requirat aliquam diſpoſitionem Deus ſecundum legem communẽ, & præparationem ex parte noſtra ad hoc, quod infundat alicui gratiam. Eandem docet Marſilius in. 2. quæſt. 16. arti. 6. vbi dicit illam probabilem. AEgidius diſt. 16. p. 1. quæſt. 2. docet, quod Adam fuit creatus in iuſtitia originali, quæ eſt quoddã donũ gratuitum, & quædam gratia, nõ tamen in gratia gratum faciente Ricardus diſt. 29. artic. 1. quæſtione prima.

Secunda ſenten. ¶ Sententia eſt Diui Thomæ, & omnium Thomiſtarum, 1. par. quæſt. 95. art. 1. aſſerentium primum parentem creatum fuiſſe in gratia ſimul cum natura. Quam probant quam plurimis rationibus, & authoritatibus.

Primum argum. ¶ Primo, homo creatus eſt à Deo, vt finem ſupernaturalem conſequeretur, ergo cum gratia & virtutibus, quibus poſsit illã mereri.

Secundum argum. ¶ Secundo, iuſtitia originalis fuit excluſa per primum peccatum Adæ: ergo erat gratia gratum faciens. Patet ſequela, nam peccatum immediatè cõtrariatur ipſi gratiæ.

Tertium argum. ¶ Tertiò, nam Eccleſiaſt. 7. dicitur; Fecit Deus hominem rectum, & Sancti patres, præcipuè Diuus Baſilius homilia 10. & 11. Examerõ explicant illam autoritatem Geneſeos 1. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinẽ noſtram, de gratia & charitate, quia nullus eſt ſimpliciter rectus, qui gratiam & charitatẽ non habet.

1. Nota. ¶ Pro explicatione huius quæſtionis, eſt primo notandum, quod illa non procedit de poſsibili, nam nulli dubium eſt poſſe Deum producere hominem in gratia gratum faciente, ſed tota controuerſia eſt de facto.

2. Nota. ¶ Secundo notandum etiam certiſsimum eſſe ſecundum fidem, Adam ante peccatum

catum habuiſſe dona ſupernaturalia iuſtitiam & ſanctitatem, quæ per peccatũ amiſit, ita definitum eſt in Concilio Tridentino, Seſsione 5. canone 1. & canone. 2. vbi dicitur, Si quis dixerit Adę præuaricatione ſi bi ſoli, & non eius propagini nocuiſſe, & acceptam à Deo ſanctitatẽ, & iuſtitiam, quã perdidit ſibi ſoli, & nõ nobis amiſiſſe, Anathema ſit, idem ſeſsione 6. cap. 7.

3. Notab. ¶ Tertiò notandum etiam certiſsimum eſſe ſecundum omnes rectè ſentientes, Adam non fuiſſe productum in puris naturalibus ſed cum donis ſupernaturalibus ſupernaturaliter infuſis: nam omnes fatentur, quòd fuit productus cum iuſtitia originali, quæ (vt docet Doctor hac quæſtione litera A.) erat donum ſupernaturale, & non quomodocunque, ſed per ſe infuſum, quia non erat vis in tota natura creata ad iuſtitiam originalem producendam, quanuis vt dicemus infra non ordinabat potentias immediatè in finem ſupernaturalem.

Vltimo notab. ¶ Vltimò notandum, quòd tota controuerſia eſt de facto vtrum Deus in primo homine ſimul fuerit condens naturam, & largiens gratiam loquendo de ſi multate inſtentanea, id eſt, vtrum in eodem inſtanti, in quo conditus fuit Adam fuerit conditus cum gratia gratum faciente. Notanter dixi ſimultate inſtantanea, nam non eſt dubium in ſententia aſſerentium, Adamum fuiſſe conditum in iuſtitia originali, & non in gratia, quod ſtatim vt, ſe diſpoſuit ad gratiam, per auxilium ſupernaturale illam receperit, quæ ſi multas non fuit inſtantanea, ſed potius temporaria. Ita aduertit Diuus Bonauentura vbi ſupra numero 26. dicens, dicendum, quod Deus dicitur feciſſe hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, non quia ſtatim cum dedit imaginem, etiam dederit ſimilitudinem, ſed quia alterum dedit, ſcilicet, imaginem, & ad alterum habilem fecit, videlicet ad ſimilitudinem, quam poſtea pro loco, & tempore ei dedit.

Prima cõcluſio. ¶ Prima concluſio. Probabiliſsimum eſt primum hominem creatum fuiſſe in gratia gratum faciente. Hæc concluſio communis eſt, & patet, nam eam docent quam plurimi Theologi ſapientiſsimi cum Diuo Thoma, vbi ſupra, & illa magnificant dignitatem hominis.

Secunda concluſio. ¶ Secunda concluſio. Non minorem probabilitatem habet, ꝙ homo fuit conditus tantum in iuſtitia originali abſq; gratia gratũ faciẽte, ad quã ſtatim vt creatus eſt per propriam operationem elicitam ab auxilio ſupernaturali ſe diſpoſuit ad recipiendã gratiam gratum facientem. Hæc concluſio probatur quantum ad primam partem, nã multi ſapientiſsimi Theologi non minoris ſanctitatis & authoritatis, quàm præcedentes illam docent & probãt, vt eſt videre in Alexandro, & Diuo Bonauentura, & alijs quã plurimis. ¶ Secunda autem pars probatur, nam omnes fatentur ſtatim recepiſſe gratiam, vt conditus fuit, ergo cùm eſſet adultus debebat illam recipere ſecundum propriam diſpoſitionem, talis autem diſpoſitio nõ potuit eſſe actus elicitus ab ipſa gratia, vt latè diximus ſupra quãdo egimus de gratia, quam receperunt Angeli in primo inſtanti ſuæ creationis, ergo elicienda erat ab auxilio ſupernaturali. *Prima pars probatur.* *Secunda pars probatur.*

Corol. 1. ¶ Ex qua concluſione infertur, quòd inter creationem, & lapſum Adami tres morulæ poſſunt aſsignari. Prima in qua fuit conditus cum iuſtitia originali. Secunda, in qua habuit gratiam facientem, ex quo per ſuam operationem elicitam ab auxilio ſupernaturali ſe diſpoſuit ad illam. Tertia vero in qua peccauit.

Corol. 2. ¶ Ex quo infertur ſecundo, quòd quanuis prima morula ab aliquibus nominatur ſtatus in puris naturalibus, hoc eſt intelligendum, vt ſtatus ille opponitur ſtatui gratiæ gratum facienti, nam iuſtitia originalis ex ſe ſola non poterat ordinare hominem immediatè ad Deũ clarè viſum. Vnde vt dicemus ſtatim, quodammodo dicebatur donum naturale ex effectu, ad quem ordinabatur, quanuis eſſet ſimpliciter donum ſupernaturale. Eſt tamen obiter aduertendum, quòd morulæ illæ non ſunt eiuſdem rationis cum morulis Angelorum, ſicut neque duratio Angelorum eſt eiuſdem rationis cum duratione hominis.

Corol. 3. ¶ Ex quo infertur tertio, non eſſe eandẽ rationem de homine, & de Angelo reſpectu receptionis, & infuſionis gratiæ, quia non eſt ita facilis ad eliciendam operationem homo, ſicuti Angelus, vnde non eſt inconueniens, quòd Angelus receperit gratiam in primo inſtanti iuxta propriam diſpoſitionem illorum elicitam ab auxilio ſupernaturali, & quod homo non receperit illam in primo inſtanti ſuæ creationis, ſed tantum in ſecundo, quia quanuis ho-

mo ſit productus, & creatus à Deo cum ſcientia, & cognitione, adhuc tamen non poteſt ita faciliter operari. Sicuti Angelus, quia intellectus humanus multò imperfectior eſt intellectu angelico.

Tertia cõcluſio. ¶ Tertia cõcluſio. Nulla argumẽta quæ cõmuniter adducuntur ad probandũ alteram concluſionũ, illam demõſtratiuè oſtẽdũt quare quælibet prædictarũ ſentẽtia poteſt abſq; temeritate, & periculo defendi. Hæc concluſio patet reſpõdendo ad argumenta pro vtraq; parte adducta. ¶ Ad primũ pro ſententia Diui Thomæ reſpondetur concedendo antecedẽs, & negãdo ſequelã, ſi intelligatur, ꝙ fuit creatus cum gratia & virtutibus iam infuſis, cum ſatis ſit, ꝙ crearetur, vt infunderentur illi gratia & virtutes, ſtatim vt ipſe ſe diſpoſuerit ad recipiendum illas. Neque ſimile quod adducũt de alijs creaturis, quibus Deus dedit ſemen, & virtutes iuxta genus ſuum, vt conſequerentur fines ſuos, aliquid probat, cum iuxta ſententiam illorum dicendũ ſit, aliter ſe habere hominem reſpectu Dei clarè viſi, quàm ſe habẽt creaturæ aliæ reſpectu propriorũ finium. Nam ſecundũ illos Deus clarè viſus non eſt finis naturalis creaturæ rationalis. Et iuxta noſtram ſententiã, quãuis Deus clarè viſus ſit finis naturalis creaturæ rationalis, hoc tamen nõ habet creatura rationalis ex eo quod eſt creatura rationalis, nam vt ſic, diximus in primo Diſput. 1. quæſt. 8. creatura rationalis tantũ eſt in potentia obediẽtiali, vel tantũ habet capacitatem naturalẽ, & non inclinationẽ naturalem, cùm inclinatio ſupra capacitatem addat ordinem ad propriam formam, & cum Deus clarè viſus ex ſuã ratione, & ſecundum ſe cõſideratus, non ſit propria forma creaturæ rationalis, ſed ex ordinatione ſua, qua voluit ſe finem creaturæ rationalis cõſtituere. Hinc prouenit, ꝙ neque in ſententia illorum, neque in ſententia noſtra ita ſe habeat Deus reſpectu noſtri, ſicut ſe habet finis naturalis reliquarum creaturarũ ad ipſas creaturas, neq; ipſi nos reſpectu Dei clarè viſi finis noſtri eundem ordinẽ ſeruemus, quẽ ſeruant reliquæ creaturæ reſpectu propriorum finium.

Ad argu. pro ſententia Diui Thomæ. Ad primũ

Ad ſecundum arg. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, quòd iuſtitia originalis fuit excluſa, non per quodcunq; peccatum, ſed per peccatum illud, quo primus parens tranſgreſſus eſt præceptũ Dei comedendo de ligno vetito, nam reſpectu illius poſita fuit comminatio illa, in qua ho-ra comederis morte morieris, quod patet ex eo, nam Eua peccauit & appetendo comedere, & comedendo, & tamen non amiſit habitum iuſtitiæ originalis quouſque Adamus ſimiliter comedendo peccauit, vt dicemus quæſtione. 3.

Ad tertiũ argum. ¶ Ad tertium reſpondetur cum Diuo Bonauentura vbi ſupra, quòd Deus ſtatim vt hominem condidit virtute veſtiuerit, & ornauerit, non ex eo, quia ſtatim vt condidit veſtierit, id eſt, quod ſimul condiderit, & ornauerit, ſed quia tunc diſpoſitum fecerit & non longo poſt tempore compleuerit, & ſic patet ad illum locum Eccleſiaſtici. 7. quod fecit Deus hominem rectum tribuendo illi iuſtitiam originalem, & auxilium ſupernaturale, quo poſſet elicere operationem ſupernaturalem, & diſpoſitionem ad gratiam iuſtificantem ſtatim, vt conditus fuit recipiendã, quod videtur inſinuare locus ille Geneſeos 1. vbi dicitur, Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: primo enim ad imaginem, & ſecundo ad ſimilitudinem.

QVÆSTIO. II.

¶ *Verum (data opinione Diui Thomæ) Adam fuerit creatus in gratia ſine aliqua propria diſpoſitione.*

Prima ſententia. De hac re eſt prima ſentẽtia Magiſtri Soto libr. 1. de natura & gratia capit. 5. quam etiam docet Molina prima parte, quæſtione. 62. artic. 3. aſſerentium hominem, & Angelum recepiſſe gratiam in primo in ſtanti ſuæ creationis nulla præuia diſpoſitione ex parte ipſorum Angelorum, neque ex parte hominis. Probat autem ſuam ſententiam, primo quoniam ſi homo in primo inſtanti recepit gratiam præuia aliqua diſpoſitione ſequeretur hominem conditum fuiſſe in puris naturalibus: patet ſequela, quia ſtatus ille ante ſuſceptionem gratiæ eſt ſtatus purorum naturalium.

Primum argum.

Secundum argum. ¶ Secundò, iuſtitia originalis data fuit Adamo ſine præuia aliqua diſpoſitione illius, ſed ſecũdum Diuum Thomam iuſtitia originalis, & gratia ſunt idem habitus, ergo gratia non fuit data Adæ ſecundum propriam diſpoſitionem ipſius.

Tertium argum. ¶ Tertiò, ſecundum Diuum Thomam prima

ma ſecundæ, quæſt. 5. arti. 7. ad ſecundum. creaturæ primæ factæ ſunt perfectæ à Deo ſine aliqua diſpoſitione, ergo homo conditus eſt perfectus à Deo abſque aliqua propria diſpoſitione ipſius.

Secunda ſententia. ¶ Secunda ſententia eſt recentiorũ prima parte, quæſt. 95. artic. primo. quam docent ex Caietano ſecunda ſecundæ, quæſt. 24. artic. 3. ad tertium. quam probant ex eodem Diuo Thoma. 3. p. quæſt. 34. art. 3. vbi dicit quod Chriſto in primo inſtanti data eſt gratia ad modum adultorum mediante diſpoſitione liberi arbitrij, & in ſecundo diſt. 29. quæſt. vnica. art. 2. dicit quod homo in primo inſtanti ſuæ creationis ad Deum cõuerſus gratiam conſequutus eſt; & prima parte, quæſt. 95. arti. 1. in ſolutione ad quintũ. dicit quod cũ motus voluntatis non ſit continuus nihil prohibet etiam in primo inſtanti ſuæ creationis primum hominẽ gratiæ conſenſiſſe, præcipuè quia intentũ Diui Thomæ eſt oſtendere quod ad hoc vt aliquis recipiat gratiam, requiritur conſenſus ex parte recipientis, cum per hoc perficiatur matrimoniũ quoddam ſpirituale inter Deum & animam: matrimonium autem neceſſariò requirit, & prærequirit cõſenſum, ergo in primo inſtanti Adam recepit gratiam diſponendo ſe ad illam.

Primum argum. ¶ Probãt præterea rationibus nam primus homo creatus eſt à Deo cum libero vſu rationis, ergo iuſtificatus eſt per propriam diſpoſitionem: patet ſequela, nam ille eſt modus proprius, quo adulti iuſtificãtur vſum rationis habentes.

Secundum argum. ¶ Secundò, quia ſi aliqua ratione iuſtificatio illa non potuit fieri media diſpoſitione ex parte ipſius hominis, maximè quia diſpoſitio debet præcedere gratiam, ſed hoc non obſtat, ergo. Probatur minor, nã accidentia, quæ ſunt in compoſito ſubſtantiali in inſtanti primo generationis ſunt ſimul tempore cum ipſa forma, & quaſi concomitantia ipſam, nihilominus ordine naturæ diſponunt ad introductionem ipſius formæ, & ſunt priora illa in genere cauſæ materialis, & diſpoſitiuæ licet in genere cauſæ formalis poſteriora ſint, & ab ipſa forma prouenient: ſic in propoſito actus dilectionis Dei ſuper omnia, quẽ habuit homo in primo inſtanti, ſimul tempore fuit cum gratia, & nihilominus diſponebat ad illam, & licet in genere cauſæ formalis gratia eſſet prior illo actu, tamen in genere cauſæ materialis & diſpoſitiuæ actus ille erat prior gratia, quoniam actus dilectionis Dei nõ poterat ad gratiam diſponere, ſi ſolum viribus naturæ productus conſideretur: nõ enim habebat proportionem cum gratia. Diſponit ergo quatenus eiuſdem ordinis eſt cũ gratia, ſed non eſt eiuſdem ordinis, niſi vt procedit ab illa, ergo actus procedens à gratia eſt qui diſponit ad illam, & quoniam diſpoſitio debet præcedere aliquo modo introductionem formæ, actus ille (vt diſponit) ordine naturę debet eſſe prior in aliquo genere cauſæ ipſa gratia. Quod in adulto, qui gratiam recipit per actum contritionis, manifeſtum eſt, & à Theologis conceſſum in materia de pœnitẽtia, & gratia, Adam ergo non recepit gratiã in primo inſtanti ad modum, quo paruuli recipiũt in baptiſmo, ſed ad modũ adultorũ ex propria diſpoſitiõe.

¶ Tertia tamen ſententia, quæ in hac quæſtione veritatem oſtendit ea eſt, quod primus parens accepit gratiam per propriam diſpoſitionem, & actum dilectionis Dei ſuper omnia elicitum ab auxilio ſupernaturali, & non admiſſa forma gratiæ. *Tertia ſententia.* Pro cuius explicatione, & totius quæſtionis eſt primo notandum, quod quamuis poſsibile fuerit primum hominem recepiſſe gratiã, nulla præuia diſpoſitione ex parte ipſius, quia non eſt impoſsibile apud Deum omne Verbum, vt dicitur Lucæ primo, nihilominus tamen ille modus affirmandus eſt, qui magis congruit dignitati ipſius hominis, & cõformior eſt eius conditioni, & naturæ; & per conſequens, cum Adam fuerit creatus adultus plenum habens vſum rationis videtur dicendum, conformius eſſe ipſum recepiſſe gratiam iuxta modũ adultorũ, quam iuxta modum paruulorum, modus autem adultorum eſt, vt per propriam diſpoſitionem diſpoſiti illam recipiant, iuxta illud Diui Auguſt. qui creauit te ſine te, nõ iuſtificabit te ſine te. Vnde quantum ad hoc ſecunda ſententia mihi probabilior apparet. *1. Notab.*

2. Notab. ¶ Secundò eſt notandum, quod in hac ſecunda ſententia non poteſt intelligi quomodo actus elicitus à gratia poſsit eſſe diſpoſitio ad ipſius gratiæ informationem, neque exemplum de accidentibus naturalibus hoc oſtendit, neque oſtendere poteſt (vt late diximus ſupra diſputatio. 16. ex eo, nam dilectio Dei ſuper omnia, quæ eſt diſpoſitio ad gratiam, cum ſit actus vitalis ſupernaturalis dicit intrinſecum ordinem

dinem ad potentiam vitalem ſupernaturalizatam. Vnde ſicut implicat intelligere effectum non intelligendo cauſam aliquo modo præceſsiſſe, ita implicat intelligere dilectionem Dei ſuper omnia, non intelligendo voluntatem ſupernaturalizatam aliquo modo præceſsiſſe; ſed non pōt intelligi voluntas ſupernaturalizata, ſi non intelligatur informata gratia, ergo neceſſario intelligenda eſt gratia in voluntate antequam intelligamus dilectionem Dei ſuper omnia, à voluntate gratiæ informata elicitam.

Prima conclusio. ¶ Prima concluſio. Probabilius mihi apparet, quòd Adam ſiue in primo, ſiue in ſecundo inſtanti recepit gratiam per propriam ſui diſpoſitionem. Hæc concluſio patet ex eo, quia vt diximus in Diſputatione 16. de Angelis, iſte modus conformior eſt conditioni creaturæ rationalis, quæ dignificanda eſt quantum poteſt dignificari, neque aliquam inuoluit difficultatem.

Secunda conclusio. ¶ Secunda concluſio. Talis diſpoſitio fuit actus dilectionis Dei ſuper omnia non elicitus à gratia, ſed ab auxilio Dei ſupernaturali. Hæc concluſio patet quo ad primam partem, nam vt dixi in notabili vltimo, implicat, quod talis actus ſit effectiuè à gratia, & quod ſit diſpoſitio & conditio ad hoc, quod gratia producatur. Et præterea, quia poteſt Deus de potentia abſoluta poſita adhuc illa diſpoſitione non producere gratiam, ergo illa diſpoſitio non poterat eſſe effectiua gratiæ.

Prima pars concl. probatur.

Secunda pars probatur. ¶ Secunda autem pars concluſionis probatur, nam non poteſt volūtas elicere actum dilectionis Dei ſuper omnia, qui ſit diſpoſitio ad gratiam, niſi ſit ſupernaturalizata, vel per formam ſupernaturalem vel per auxilium ſupernaturale, ſed in caſu prædicto non aſsignatur aliqua forma ſupernaturalis, ergo aſsignandum eſt auxilium ſupernaturale.

Ad argu. reſpon. ad primum. ¶ Reſpondetur argumentis ad primum negando ſequelam, nam tunc eſſet voluntas eleuata per auxilium ſupernaturale, quæ eleuatio extrahit voluntatem à potentia naturali, & conſtituit illam in eſſe potentiæ ſupernaturalis.

Ad ſecundum arg. ¶ Ad ſecundum reſpondebitur quæſtione ſequenti.

Ad tertiū. ¶ Ad tertium reſpondetur iuxta ea, quæ diximus in quæſtione præcedente non eſſe eandem rationem de creaturis alijs, & de homine, nam reliquæ creaturæ productæ ſunt in eſſe naturæ, & in hoc eſſe etiam Adam fuit productus perfectus, at verò productio de qua in præſentiarum loquimur eſt productio in eſſe gratiæ, quæ non completur vſque ad viſionem Dei, & vſq; ad gloriam, quæ gratia conſummata dicitur, & ſicut Deus non produxit hominem beatum, ita neque produxit hominem perfectum in eſſe gratiæ.

QVÆSTIO III.

¶ Vtrum iuſtitia originalis, & gratia gratū faciēs ſint idē habitus numero an plures habitus realiter diſtincti.

Prima ſententia. DE hac re eſt prima ſentētia Magiſtri Soto libr. 1. de natura & gratia capit. quinto. aſſerentis gratiam, & iuſtitiam originalem, eſſe eundem numero habitum ſola ratione diſtinctum, nempe quatenus ille habitus confirmabat, & rectificabat naturam in ordine ad finem naturalem, & compeſcebat concupiſcentiam ad malum procliuem corporiſque infirmitatem ſanabat, dicebatur originalis iuſtitia, Quatenus verò idem habitus efficiebat hominem conſortem diuinæ naturæ: coniungebatque illum Deo fini ſupernaturali, dicebatur gratia. Quam ſententiam dicit probabiliorem Magiſter Zumel prima parte, quæſtione. 99. art. primo. quæſt. 2. dubio. 1, concluſione. 4.

Primum argum. ¶ Et probatur primo, iuſtitia originalis eſt habitus inhærens eſſentiæ animæ, vt docet Diuus Thomas, prima ſecundæ. quæſt. 83. artic. ſecundo. Ergo eſt idem habitus cum gratia: patet ſequela quoniam ſecundū Diuum Thomam prima ſecundæ. quæſt. 110. artic. quarto. gratia eſt habitus inhærens eſſentiæ animæ, ſed non ſunt multiplicandi habitus ſine neceſsitate, ergo gratia, & iuſtitia originalis non ſunt duo habitus.

Secundum argum. ¶ Secundo, habitus infuſi à Deo in ſtatu innocentiæ ſunt infuſi iuxta cōditionem naturæ humanæ, ergo iuxta conditionem naturæ humanæ eleuatæ ad finem ſupernaturalem, & per conſequens iuſtitia originalis rectificabat hominem in ordine ad finem ſupernaturalem, ſed talis rectificatio fit per gratiam, ergo; Maior eſt manifeſta, nam natura humana condita fuit à Deo, vt fruere-

frueretur Deo, ergo habitus infuſi in natura humana rectificabant illam in ordine ad iſtum finem.

Tertium argum. ¶Tertiò, Diuus Thomas in ſecundo, diſtinctione 32. quæſtione prima. artic. primo. dicit quòd in iuſtitia originali erat aliquid quaſi formale, ſcilicet ipſa rectitudo voluntatis, & ſecundum hoc opponitur illi deformitas culpæ, erat etiam aliquid quaſi materiale, ſcilicet, ordo rectitudinis impreſſus viribus inferioribus, & quantum ad hoc opponitur illi concupiſcentia, & fomes, & quòd quantùs in baptiſmo reſtituatur illi, quod formale erat in originali iuſtitia, non tamen quod materiale eſt. Ex quo ſic, illud, quod reſtituitur per baptiſmum, eſt gratia, ergo gratia pertinebat ad iuſtitiam originalem.

Quartum argum. ¶Quartò, ſecundum Diuum Thomam prima parte quæſtione 95. artic. primo. vnus & idem habitus præſtabat homini illas tres rectitudines, ſcilicet, rationis ad Deum, & virium inferiorum ad rationem, & corporis ad animam, licet ordine quodam, ita vt prima eſſet cauſa ſecundæ & ſecunda eſſet cauſa tertiæ, ſed gratia gratum faciens eſt, quæ præſtat primam rectitudinem, qua ratio ſubditur Deo, ergo præſtans ſecundam, præſtat etiam & tertiam.

Quintum argum. ¶Quintò, Diuus Thomas tertia parte, quæſtione octaua. artic. quinto. docet, quòd in Chriſto gratia capitis, & gratia habitualis eſt idem habitus, & ſolum differunt ſecundum rationem per ordinem ad diuerſos effectus, & tertia parte, quæſt. 62. art. ſecundo. docet quòd gratia ſacramētalis & habitualis eſt idem habitus, & ſola ratiõe diſtinguuntur, ergo ſimiliter iuſtitia originalis, & gratia gratum faciens erant idem numero habitus ſola ratione diſtinctus.

Secunda ſententia. ¶Secunda ſententia eſt Caietani prima parte, quæſt. 95. artic. primo. quam dicit probabiliorem Magiſter Bañes ibidem, dubio ſecundo. concluſione ſecunda, dicens, Abſolutè & ſimpliciter loquendo multò verior & probabilior ſententia eſt quòd iuſtitia originalis diſtinguitur realiter à gratia gratum faciente: addit tamen Caietanus iuſtitiam originalem ſupponere gratiam gratum facientē tanquam radicem, à qua emanabat, & quodammodo pendebat.

Tertia ſententia. ¶Tertia ſententia eſt Molinæ prima parte in quæſtionibus de opere ſex dierum Diſputatione 27. aſſerentis iuſtitiam originalem ex Diui Thomæ ſententia & veritate gratiam gratum facientem includere, & quidquid cum gratia gratum faciente de lege ordinaria neceſſariò eſt coniunctum, includebat etiam cætera dona, quæ in inferiori parte ſtatu partem ſentientē rationi ſubiectam reddebant, & corpus animæ, illudque à corruptione, dolore & nocumento præſeruabant. Probat ſuam ſententiam ex Diuo Thoma in illo attic. primo. quæſtionis 95. vbi in fine corporis ſic ait. Ex quo datur intelligi ſi deſerente gratia ſoluta eſt obedientia carnis ad animam, quòd per gratiam in anima exiſtentem inferiora ei ſubdebantur, ſed certiſsimum eſt ſecundum omnes illum eſſe effectum iuſtitiæ originalis, ergo neceſſariò fatendum eſt iuſtitiam originalem includere gratiam gratum facientem. *Primum argum.*

¶Secundò, primus parens à iuſtitia originali fuit iuſtus & rectus, ſed rectitudo neceſſariò requirit gratiam, & charitatem, ergo & iuſtitia originalis. Antecedens patet, nam quando Doctores affirmant primum parentem conditum fuiſſe in originali iuſtitia, ſolum intendunt eſſe conditum in quadam rectitudine propagatione in poſteros deriuanda, quæ rectitudo non oriebatur ex vnico ſolo habitu, ſed ex pluribus habitibus, ſed non poteſt talis rectitudo vera rectitudo nuncupati, ſi non adeſt habitus gratiæ, & veritatis, ergo. *Secundum argum.*

¶Confirmatur, nam in primis parentibus vltra habitum gratiæ, & veritatis, & dona ſupernaturalia, quæ habitum gratiæ conſequuntur, non erat aliquis habitus in intellectu, & voluntate, quo Deo vt fini naturali ſubeſſet, ſed ſolum erat donum in iraſcibili, & concupiſcibili, quo paſsiones comprimebantur, ne contra rationem inſurgerent, & in corpore ne mortem, nocumentumque pateretur. Hæc autem cum ſint dona corporalia non poſſunt induere rationem iuſtitiæ originalis, ergo iuſtitia originalis neceſſariò includit gratiam gratum facientem, & omnia dona, quæ ad gratiam gratum facientem conſequuntur. *Confirm.*

¶Secundò, peccatum originale iuſtitię originali reſpondet, ſed peccatū originale cauſa fuit pœnæ damni, quæ in priuatione diuinæ eſſentiæ poſita eſt, ergo præ iuſtitiā originalem habebamus ius ad viſionem diuinæ eſſentiæ, ſed tale ius non habetur niſi per gratiam gratum facientem, ergo. *Secundum argum.*

Tertium argum. ¶ Tertiò, nam Concilium Tridentinum Seſsione. 5. canone primo. determinat dicens, ſi quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiſo fuiſſet trãſgreſſus, ſtatim ſanctitatem, & iuſtitiam, in qua conſtitutus fuerat amiſiſſe incurriſſeque per offenſam huiuſmodi præuaricationis iram, & indignationem Dei, atque adeo mortem, quam antea illi cõminatus fuerat Deus, & cum morte captiuitatem ſub eius poteſtate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc eſt diaboli, totumque Adam per illam præuaricationis offenſam ſecundum corpus, & animam in deterius commutatum fuiſſe anathema ſit. Idem habetur canone ſecundo, & aduertenda ſunt illa verba, ſanctitatem, & iuſtitiam, quæ ſanè gratiam gratum facientem, cum donis, quæ illam comitabantur, ſignificãt, & etiam illa verba ſecundum corpus & animam in deterius commutatum fuiſſe, ergo cum ibi ſit ſermo de iuſtitia originali, quam ſibi & nobis peccato illo Adamus amiſit, ſanè negari nequit, originalem iuſtitiam gratiam gratum faciẽtem in ſua ratione incluſiſſe.

Confirm. ¶ Confirmatur ex illo, quod habetur Seſſione ſexta, capit. ſeptimo. vbi dicitur de baptizatis, Itaque veram, & chriſtianam iuſtitiam accipientes per iuſtificationes videlicet donum, eam, ceu primam ſtolam pro illa, quam Adam ſua inobedientia ſibi & nobis perdidit per Chriſtum Ieſum illis donatam, candidam, & immaculatam iubentur ſtatim renati conſeruare, vt eam proferant ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti, & habeant vitam æternam. Ex quo ſic, ergo ſtola, & originalis iuſtitia, quam Adamus ſibi, & nobis accepit gratiam gratum facientem includebant.

Secunda pars probatur. ¶ Secundam autem partem, nempe, quod iuſtitia originalis non ſolùm includat gratiam gratum facientem, ſed etiam donum in parte ſenſitiua, quo paſsiones comprimebantur, & donum corporis, quo à morte, dolore, & nocumento præſeruabatur includeret. Probat primo, nam gratia gratum faciens eiuſdem ſpeciei eſt in natura lapſa, & in natura integra, ſiue in ſtatu innocentiæ, ſed in natura lapſa, quanuis fuerit cumulatior in Diuo Paulo & Apoſtolis, quàm fuerit in primis parentibus in ſtatu innocentiæ non ſubdit partem ſenſitiuam rationi, iuxta illud ad Romanos 7. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in legem peccati quæ eſt in membris meis, ergo in ſtatu innocentiæ gratia gratum faciens per ſe ipſam non ſubdebat vires ſenſitiuas rationi.

Tertia pars cõclusionis probatur. Primum argum. ¶ Tertiam autem partem (nempe quòd iuſtitia originalis præter gratiam & charitatem, & dona in ſtatu naturæ corruptæ de lege ordinaria gratiam gratum facientem ex parte intellectus, & voluntatis comitantur, nullum aliud donum ex parte voluntatis includebat). ¶ Probat contra Doctorem ex eo, quoniam dato habitu in iraſcibili, & concupiſcibili, quo comprimerentur, & cohiberentur paſsiones, ne contra rationem exurgerent, nulla eſſet difficultas in homine plus quã in Angelo quò minus voluntas ductum rationis ſequeretur, illique & Deo quatenus eſt finis naturalis ſubderetur omnino. Qua e ſicut in angelo nullus ſupernaturalis habitus conſtituitur ex parte voluntatis, quo rectam rationem ſequeretur, Deoque vt fini naturali ſubderetur, ita neque in homine in ſtatu innocentiæ, cohibitaque parte iraſcibili, & concupiſcibili, ne motum contra rectam rationem excitaret, conſtituendus ad id eſt ſimilis habitus ſupernatutalis.

Secundum argum. ¶ Et ſecundo quoniam dato habitu in iraſcibili, & concupiſcibili, quo cohiberentur, ne contra rectam rationem paſsionum fluctus inſurgerent ſufficiebat ex parte voluntatis ſupernaturale donum charitatis, & gratiæ gratum facientis vna cum fide, & alijs donis quæ gratiam gratum facientem de lege ordinaria conſequuntur, vt Deo, ſanctiſsimæque eius legi homines promptè, ac ſiue vlla difficultate obedirent, ſed primi parentes conditi ſunt in charitate, & gratia gratum faciente, ergo ſuperfluè conſtituitur aliquis alius ſupernaturalis habitus ex parte voluntatis, quem iuſtitia originalis includat.

Tertium argum. ¶ Secundo iuſtitia originalis quo ad iſtos prædictos habitus in parte ſenſitiua conſtitutos omnes omnino motus partis ſenſitiuæ, qui cum recta ratione pugnabant, omnemque moleſtiam à corpore, & illius ſenſibus tam internis, quam externis impediebat, ergo non erat neceſſarius habitus in voluntate diſtinctus à gratia & charitate. Probatur antecedens, quoniã quam facile erat Deo afficere ſupernaturaliter iraſcibilem, & con-

& concupiſcibilem appetitum, qualitate & dono, quo ferè omnes motus, qui cum recta ratione pugnarent, ſubprimerentur, & impedirentur, tam facile illi erat afficere eaſdem potentias qualitate, & dono, quo eiuſmodi motus omnino impedirentur, ſed iuſtitia originalis efficiebat primum (ſecundum Scotum) ergo poterat & ſecundum præſtare. Patet ſequela, quia hoc pertinebat ad illum ſtatum, nam ſtatus ille erat ſtatus tranquillitatis. Quod autē qualitas illa tantæ eſſet efficaciæ, vt oēs ſenſus afficeret, taliter vt ſine vlla moleſtia vel qualitate diſconuenienti, quæ inde in organa effunderetur quæcunque obiecta licet in ſe fœda, & improportionata perficerent, patet ex eo, nam (vt docet Diuus Auguſtinus 14. de ciuitate Dei capit. 10. quid timere vel dolere poterant illi homines in tantorum tanta affluentia bonorum, vbi neque mors metuebatur, neque vlla corporis mala valetudo, neque inerat, quòd carnem, animum ve hominis fœliciter viuentis offenderet.

Conſectarium. ¶ Ex quibus omnibus dicendum eſt ſecundum prædictum iuſtitiam originalem non eſſe vnum habitum tantum, ſed aliquid aggregatum ex pluribus habitibus, & quod illi plures habitus, ex quibus iuſtitia originalis reſultat, non erant omnes eiuſdem ordinis, quia in voluntate, & in intellectu gratia gratum faciens, & quæ ipſam ſecundum legem communem comitantur, tantum ſunt conſtituendi, in iraſcibili autem, & concupiſcibili erant ſimiliter habitus, & in toto corpore erat habitus quidam extenſus, qui corpus à corruptione, & nocumento præſeruabat, qui habitus corporei erāt, vel eiuſdē ſpeciei vel diuerſæ probabiliter exiſtimat, & totum hoc conſurgens ex his pluribus hābitibus dicit iuſtitiam originalem neceſſariò includere.

Vltima ſententia. 1. Notab. ¶ Vltima ſententia eſt Doctoris in hac quęſtione. Pro cuius explicatione eſt aduertendum, quòd triplex ſtatus poteſt conſiderari primus eſt ſtatus naturæ in puris naturalibus, qui in rei veritate nunquam fuit, ſed poteſt imaginari, & eſt ille, in quo ſi voluiſſet Deus, potuiſſet hominem producere ſine culpa, & ſine gratia. Et ratio huius eſt, quia neque culpa neque gratia pertinent ad ſentitatem naturæ humanæ, & tunc carentia gratiæ non eſſet priuatio, ſed negatio, neque eſſet culpa, ſed conditio naturæ, & voluntas haberet ſuam rectitudinem naturalem, non per aliquam qualitatem illi ſuperadditam, ſed quatenus liberè poſſet rectæ rationi aſſentiri. Secundus ſtatus eſt innocentiæ nempe ille, in quo Deus miſericorditer creauit Adam, non ſolum dando ei naturalia, verum multa addendo dona, vt iuſtitiam originalem, gratiam, ſcientiam &c. Et pariter, quòd ſi Adam non peccaret confirmaſſet illum in iuſtitia originali, & in gratia, & in alijs donis & in illo ſtatu non erat rebellio, ſed plena obedientia in viribus ſenſitiuis ad iudicium rationis: vnde voluntas informata iuſtitia originali, habuiſſet tres effectus: primus eſſet ꝙ præueniſſet delectatiōes inordinatas, ne vnquā inſuiſſent, imperaſſetꝗ; vt delectationes licitæ, expedientes tempore debito inſuiſſent, vt videlicet vir tempore debito, ſcilicet tempore fœcundationis ſuam cognouiſſet, talemque actum in Deum retuliſſent. Tertius effectus eſſet, quod voluntas auertiſſet hominem à delectationibus licitis, ne ineſſent, niſi ſolum tempore debito. Tertius ſtatus eſt ſtatus naturæ lapſæ.

¶ Secundò notandum, quòd Doctor (in hac quæſtione vtrum fuiſſet amota omnis rebellio per ſolam iuſtitiam originalem in voluntate) ponit duos modos dicendi. Primus eſt, quòd ſufficiebat ſola originalis iuſtitia in voluntate ſine quocunꝗ; dono in appetitu ſenſitiuo, & hoc quia ſi voluntas per iuſtitiam originalem delectabiliter abſtinuiſſet, à condelectando appetitu ſenſitiuo totus homo delectabiliter abſtinuiſſet, & dato quod appetitus ſenſitiuus cum triſtitia abſtinuiſſet à delectatione circa proprium delectabile: non tamen totus homo cum triſtitia abſtinuiſſet, & ratio huius eſt, quia quando aliquod prædicatum conuenit homini per potentiam ſuperiorem, dicitur ei ſimpliciter conuenire. Si tamen aliquod prædicatum conueniat homini per potentiam inferiorem nō propter hoc dicitur conuenire toti homini. *2. Notab.*

Corol. 1. ¶ Ex quo infertur, quòd ſi appetitus ſenſitiuus cum triſtitia abſtinuiſſet, non propter hoc diceretur, quod homo cum triſtitia abſtinuiſſet. Neque ſimiliter ſi homo quantū ad partes inferiores delectatur circa ſua obiecta, nō propter hoc totus homo delectatur. Si tamen ſecundū volūtatē abſtinet vel delectatur, totus homo dicitur

 ſim-

ſimpliciter abſtinere vel delectari. Secundus modus dicendi, quem ponit Doctor eſt, quòd non ſolum voluntas delectabatur in illo ſtatu circa Deum, ſed etiam appetitus ſenſitiuus delectabiliter abſtinebat à propria delectatione, & delectabiliter obediebat voluntati. Et licet hoc non conueniret ei ex natura ſua, ſcilicet delectabiliter auelli à ſuo delectabili ex ſe, neque etiam conueniret ei delectabiliter abſtinere ab illo, ex imperio volũtatis, quia modo in iſto ſtatu eſt idem ordo eſſentialis potentiarũ, qui & tunc fuiſſet, & modo non eſt talis delectatio, igitur neque tunc fuiſſet ex natura ipſius appetitus. Vnde cum tunc fuerit talis delectatio, neceſſariò ponẽdum eſt in appetitu ſenſitiuo aliquod donum ſupernaturale, ratione cuius ipſe appetitus delectatus fuiſſet obediendo voluntati. ¶ Ex quo

Corol. 2. infertur, quòd tot fuerunt dona ſupernaturalia in illis, quæ reddebant obedientiam illam magis delectabilem, quàm circa proprium obiectum delectari, quot fuerunt appetitus ſenſitiui, quod patet ex eo, nam ſi habitus acquiſitus ſufficiens eſt ad faciendum talem obedientiam delectabilem, quã tò magis habitus à Deo infuſus. Addit tamen Doctor quod quanuis iſta plura dona eſſent in appetitu ſenſitiuo, & eſſent cauſa iſtius complacentiæ & delectationis: tamẽ iuſtitiæ originali, quæ in voluntate reſidebat, potiſsimè tribuebatur talis effectus, nã iuſtitia originalis in voluntate reſidens cõiungebat hominem Deo in ratione obiecti delectabilis. Vnde dato primo modo dicendi, quod in appetitu ſenſitiuo eſſet aliqualis triſtitia recedendo à proprio obiecto delectabili: maior tamen delectatio erat in voluntate cõiungi Deo, taliter quod magis delectabile erat homini triſtari in viribus ſenſitiuis ſecundum primum modum dicendi, & nõ recedere à delectatione Dei, quam recedere ab illa, & delectari circa ob-

Corol. 3. Nota hoc maxcmè. iecta potentiarum inferiorum. ¶ Ex quo infertur, ꝙ (ſecundum præſentem doctrinã) voluntas in ſtatu innocentiæ non ſolũ faciliter, ſubdebat ſe Deo, ſed cum quadam maxima delectatione propter habitũ iuſtitiæ originalis, qui in illa reſidebat. Et hoc eſt maximè notandum ad intelligendũ quare Doctor ponat habitum iuſtitiæ originalis præcipuè in voluntate: quia in illo ſtatu nõ ſolum voluntas facilitate quadam adhærebat Deo ſuo fini naturali (non loquor de Deo clarè viſo) per habitum iuſtitiæ originalis, ſed maiori & intenſiori delectatione, quàm appetitus ſenſitiuus adhærebat ſuo obiecto delectabili, & cùm voluntas ex natura ſua non habeat talem delectationem, licet vbi non eſt paſsio irruens, habeat facilitatem, ideo indiguit habitu iuſtitiæ originalis, & nota hoc bene, quia eſt fundamentalis doctrina pro hac quæſtione. ¶ Tertiò notandum, ꝙ in ſtatu innocentiæ non eſt neceſſarium ponere, quod appetitus ſenſitiuus non triſtaretur circa aliquod obiectũ diſconueniens: ſicut verbi gratia, ſi viſus videret aliquod turpe, & auditus apprehenderet aliquẽ ſonum inſuauem, quia ex hoc non ſequitur hominem triſtari propter rationem ſupra aſsignatam. Vnde ſi appetitus viſus triſtatus fuiſſet circa turpe viſibile: tunc voluntas per habitum iuſtitiæ originalis bene vſa fuiſſet illa triſtitia, ne homo fuiſſet immoderatè triſtatus, ſicut etiã bene vſa fuiſſet delectationibus potentiarum ſenſitiuarũ, ne homo immoderatè delectatus fuiſſet, in quo vſu talis iuſtitiæ voluntas non ſolùm haberet facilitatem, ſed maximam delectationum, & ad iſtam delectationem habendam ponit Doctor habitum iuſtitiæ in voluntate. Vnde dicit ante literam B. in hac quæſtione, ſi igitur in primo homine fuit ille effectus, ſcilicet perfecta tranquillitas, & erat effectus originalis iuſtitiæ, illa iuſtitia fuit donum ſupernaturale, quia fecit Deum delectabiliorem voluntati, quam aliquod appetibile ſenſibile, quod non potuit eſſe ex aliquo dono naturali ipſius voluntatis. 3. Notab.

¶ Quartò eſt notandum, quòd prædicta quæſtio locum habet, ſiue homo fuerit creatus in gratia gratũ faciente, ſiue in originali iuſtitia tantum: ita, quod ſtatim vt creatus fuerit per propriam diſpoſitionem illam receperit. 4. Notab.

¶ Quintò eſt notandum, quòd iuſtitia originalis & ſanctitas poſſunt conſiderari dupliciter, vno modo per modum habitus, ſecundo modo per modum actus. ſi conſiderentur primo modo, dicunt in ſubiecto, & iuſtitiam originalem, & habitum gratiæ, ſi autem conſideremus ſecundo modo, dicunt in ſubiecto actum elicitum ab vtroq; habitu, & quanuis Adamus non fuerit creatus in ſanctitate, & gratia per modum actus: quia tamẽ ſtatim vt creatus fuit exijt in dilectionem Dei ſuper omnia ex auxilio 5. Notab.

lio ſupernaturali : ideo ſtatim vt creatus fuit, fuit conſtitutus in gratia : vnde quando poſtea peccauit tranſgrediens mandatum Dei in paradiſo, ſtatim amiſit ſanctitatem illam, in quo ante peccatum conſtitutus fuerat.

Prima conclufio. ¶ Prima concluſio. Habitus iuſtitiæ originalis, eſt habitus realiter diſtinctus ab habitu gratiæ gratum facientis. Hæc concluſio eſt Doctoris, vt patet in litera, quam docet Caietanus ex mente Diui Thomæ, & Magiſtri Bañes vbi ſupra, & probatur &c. *Prima ratio.* Primo iuſtitia originalis erat habitus rectificans hominem in ordine ad Deum finem naturalem, ſed gratia gratum faciens rectificabat illum in ordine ad Deum finem ſupernaturalem, ergo non erant idem habitus: antecedens patet, nam vt docet Magiſter Vega de iuſtificatione libr. ſecundo, capit. 11. iuſtitia originales data eſt ad reformandum defectus naturalis, & ob id donum naturæ cenſetur, & quæ ab ipſa in homine fuerunt, & fuiſſent, dicuntur naturalia, nam gratuita, vt diſtinguuntur contra naturalia, ea duntaxat vocantur quæ perficiebāt in ordine ad ſupernaturalia, vt gratia, dona Spiritus ſancti & virtutes infuſæ.

Secunda ratio. ¶ Secundo probatur ex Diuo Thom. 1. p. quæſtio. 100. artic. 1. ad. 2. vbi ſic ait, quod quidam dicunt, quod pueri non fuiſſent nati cū iuſtitia gratuita, quæ eſt merēdi principium, ſed cum iuſtitia originali, ſed cum radix originalis iuſtitiæ in cuius rectitudine factus eſt homo, conſiſtat in ſubiectione ſupernaturali rationis ad Deum, quæ eſt per gratiam gratum facientem, vt dictum eſt, quæſtio. 95. artic. 1. neceſſe eſt dicere, quod ſi pueri nati fuiſſent in originali iuſtitia, quod etiam nati fuiſſent cum gratia gratum faciente. Ex quo loco ſatis inſinuatur iuſtitiam originalem, & gratiam gratum facientem eſſe habitus recte diſtinctos.

Confir. ¶ Confirmatur, nam iuſtitia originalis eſt habitus, qui ex ſua ratione reſpicit naturā non autem perſonam, erat enim diſpoſitio naturæ humanæ ex ratione ſua, & non per ſonæ, ſed non poteſt idem habitus, qui primo & per ſe reſpicit naturam, reſpicere per ſonam, ergo.

Tertia ratio. ¶ Tertiò, Adam per pœnitentiam recuperauit gratiam gratum facientem, non tamē recuperauit iuſtitiam originalem, ergo.

Secunda conclu. ¶ Secunda concluſio. Habitus iuſtitiæ originalis non erat vnus ſimplex habitus, ſed plures cum quadam ſubordinatione. Hæc concluſio communis eſt, & probatur. *Prima ratio.* Nam quæcunque diſtinguntur ſubiecto, & in pluribus ſubiectis realiter diſtinctis reperium tur, ſunt plura realiter diſtincta, ſed habitus iuſtitiæ originalis reperiebatur in appe titu concupiſcibili, & iraſcibili, & ſimiliter in voluntate, quæ ſunt plura ſubiecta realiter diſtincta, ergo. Maior patet, minor probatur quantum ad illam partem de boluntate : nam de partibus ſentientibus communis eſt, voluntas indigebat habitu iuſtitiæ originalis, ergo ponenda erat iuſtitia originalis in voluntate. Probatur antecedens, nam voluntas nō ſolum imperabat partes ſentientes retrahendo illas ab omni delectatione, vel inordinata, præueniendo ne vnquam ineſſent, & ſecundo quaſdam imperaſſet, vt bene eis vſus fuiſſet homo, & tertio delectationes licitas quandoque habendas pro tunc, quando infuiſſent, non habuiſſet voluntas eas pro fine, ſed ad finē debitum retuliſſet, & etiam quandoq; euer tiſſet à delectabilibus licitis quandoque habendis, & hoc maiori delectatione fini vlti mo inhærendo, & omnibus ordinatiſ ad illum, quam haberet inhærendo proprio ob iecto delectabili ſenſus exterioris, vel interioris, ſed voluntas quantamcunque facilitatem haberet in obediendo Deo, & auertendo appetitum ſenſitiuum ab illicitis, vel à licitis pro tali tempore & locō non haberet illam delectationem in adhærendo Deo fini naturali, & in auertendo ſenſum à proprio delectabili, qualem haberet in coniungendo ſenſum in proprio delectabili, ergo ponendus erat habitus in volūtate ab illam delectationem habendam.

Secunda ratio. ¶ Secundò, quia ſi charitas ſufficeret in voluntate ad talem delectationem ſequeretur, quod Adamus in omni operatione ſupernaturaliter operantur, & quod nō poſſet elicere operationem naturalem, præcipuè quādo auerteret ſenſum à proprio delectabili; patet ſequela, nam talis auerſio debebat fieri per Imperium voluntatis ex habitu charitatis.

Tertia ratio. ¶ Tertiò demus, verbi gratia quod Adamus maximè delectabatur in aliquo obiecto delectabili, & quod voluntas Adami auertebat illum à tali delectatione, vel in tali auerſione delectabatur Adam⁹, vel nō: ſi delectabatur, cum hoc non poſſet fieri ex natura ipſius voluntatis, neceſſario ſe-

quitur, hoc illi conuenire ex aliquo dono
ſuperaddito, tale autem donum dicitur iu-
ſtitia originalis. Si autẽ non delectabatur,
ergo non ita faciliter, ſe auerteret ab illo
obiecto delectabili, ſicut cõiungentur illi
obiecto delectabili, ſed ad ſtatum iuſtitiæ
originalis pertinebat, vt voluntas maiori
cum delectatione adhæreret Deo, & omni
bus ordinatis ad illum, quam potentia ſen-
ſitiua adhæreret ſuo obiecto delectabili, er
go vltra habitus poſitos in potentia ſenſiti
ua ponendus eſt etiam habitus, qui ſit iuſti
tia originalis in voluntate.

Tertia conclusio. Prima ratio.

¶ Tertia concluſio. Vltra habitus exiſten
tes in appetitu ſenſitiuo neceſſario conſti-
tuendus eſt habitus in voluntate deſeruiẽs
iuſtitiæ originali, & ad illã pertinens. Hæc
concluſio eſt Doctoris hac quæſtione, &
probatur contra Molinam, ſtatus ille iuſti-
tiæ originalis non ſolum erat ſtatus facilita
tis, & tranquillitatis, ſed etiam delectatio-
nis, & gaudij vt docet D. Auguſtinus. 14. de
ciuitate Dei, cap. 26. vbi dicit quod in illo
ſtatu nihilomino triſte, nihil erat inaniter
lætum. ſed gaudiũ perpetuabatur ex Deo,
&c. Vnde in illo ſtatu non ſolum erat facili
tas in compeſcendo appetitum ſenſitiuum
ſed delectatio, & maior quam appetitus ha
beret exequendo operationem circa pro-
prium delectabile, & cum talis cohibi-
tio eſſet per voluntatem tanquam per im-
perantem, maior delectatio eſſet in volun-
tate compeſcere appetitum ſenſitiuum, &
retrahere illum à propria operatione circa
proprium obiectum, maximè delectabile,
quam appetitus ſenſitiuus haberet propriã
operationem exequendo circa obiectum
maximè delectabile, cum talis delectatio
non conueniat voluntati ex ratione ipſius
voluntatis: neceſſario fatendum eſt illam
delectationem ſibi prouenire ex aliquo do
no ſibi ſuperaddito, & infuſo: tale autem
donum nõ erat gratia gratũ faciẽs, ergo per
tinebat ad iuſtitiam originalem quatenus à
gratia gratum faciente erat diſtincta, mi-
nor iſta probatur, nam modo charitas eſt,
gratia gratum faciens, non faciunt talem
delectationem.

Quarta conclu. Prima ratio.

¶ Quarta concluſio. Probabiliſsimum eſt
iuſtitiam originalem non dicere intrinſe-
cum ordinem ad gratiam gratum faciẽtem
tanquam ad ſuam radicem. Hæc concluſio
probatur, nam probabiliſsimum eſt (vt di-
cebamus) Adamum fuiſſe creatum in iuſti-
tia originali, & non in gratia gratum facien
te, ergo.

Secunda

¶ Secundò, probabiliſsimum eſt Euam non
amiſiſſe habitum iuſtitię originalis per mo
dum habitus vſque dum Adamus comedit
de ligno vetito, ſed certiſsimum eſt ſecun-
dum fidem Euam ſtatim vt peccauit amiſiſ
ſe gratiam iuſtificantem, ergo probabiliſsi
mum eſt, iuſtitiam originalem non dice-
re intrinſecum ordinem ad gratiam iuſti-
ficantem.

Confir.

¶ Confirmatur, nam probabiliſsimum eſt
Adamũ peccaſſe mortaliter antequam de-
ligno vetito comederet, nam illa volitio cõ
medẽdi antequam porrigeret manum fuit
peccatum mortale, & quia tenebatur corri
gere Euam & non correxit in re graui, imò
vt docet D. Auguſt. ne contriſtaret delitias
ſuas contra pręceptum Dei de ligno vetito
comedit, & per conſequens ſtatim amiſiſ-
ſe gratiam iuſtificantem, non tamen amiſit
habitum iuſtitiæ originalis, niſi poſtquam
comedit, ergo. Maior tenetur à Nicolao de
Lyra ſuper Geneſ. cap. 3. quam docet Pi-
neda in ſua Agricultura Chriſtiana libro.
12. §. 14.

Quinta conclusio. Prima ratio.

¶ Quinta concluſio. Probabiliſsimum eſt
iuſtitiam originalem quantum ad partem
ſuperiorem (quam D. Thom. appellat fon-
tem ipſius iuſtitiæ) intrinſecum dicere or-
dinem ad gratiam gratum facientem. Hæc
concluſio probatur. Nam implicat eſſe re-
ctitudinem naturalem, vbi eſt deformitas
peccati, ſed iuſtitia originalis erat rectitu-
do naturalis, & rectificabat hominem in or
dine ad finem naturalem, ergo implicat illã
fuiſſe cum deformitate peccati, ſed de lege
implicat aliquem eſſe ſine gratia, vel ſine
peccato, ergo implicat iuſtitiam origina-
lem eſſe cum peccato, probatur ſequela.
Implicat ſimul eſſe deformitatem, & re-
ctitudinem, ergo implicat ſimul eſſe iuſti-
tiam originalem & peccatum.

Confir.

¶ Confirmatur, peccatum eſt vitium natu-
ræ, & deformitas non ſolum rectitudinis ſu
pernaturalis, ſed etiam naturalis, ergo im-
plicat eſſe peccatum cum rectitudine na-
turali. Cum ergo iuſtitia originalis ſit
naturalis rectitudo neceſſario igitur de
lege dicit intrinſecum ordinem ad gra-
tiam gratum facientem, patet ſequela ex
dictis, quia nõ eſt dabilis de lege ſtatus, qui
non ſit, vel gratiæ, vel peccati, ſed non ſtat
rectitudo naturalis cum peccato, ergo de
lege

lege dicit neceſſarium ordinem ad gratiam gratum facientem.

Ad argumenta pro prima ſententia. *Ad primũ.* ¶ Ad aigumenta autem adducta pro prima ſententiã reſpondetur. Ad primum concedendo antecedens, & negando ſequelam, nam quãuis iuſtitia originalis, & gratia ſint in eodem ſubiecto, non tamen habetent eũdem effectum formalem, nam iuſtitia originalis rectificat primo, & per ſe animam in ordine ad Deum finem naturalem, gratia verò in ordine ad finem ſupernaturalem.

Ad ſecundum argu. ¶ Ad ſecundum reſpondetur ex illo tãtum probari iuſtitiam originalem dicere aliquãlem ordinem ad gratiam gratum faciẽtem.

Ad tertiũ. argum. ¶ Ad tertium reſpondetur, quod D. Thõ. dicit rectitudinem voluntatis eſſe quaſi formalem reſpectu rectitudinis virium inferiorũ, quia ex illa tãquam ex prima radice reliquæ rectitudines ordinabantur, vnde ſicut gratia eſt forma naturæ, ita rectitudo naturalis in voluntate eſt quaſi forma rectitudinis, quæ eſt in viribus inferioribus, nõ tamen ex hoc ſequitur, quod gratia ſit formalis in iuſtitia originali, quatenus iuſtitia originalis eſt donum naturæ, ſed quatenus iuſtitia originalis eſt perfectibilis per gratiam.

Ad quartum argu. ¶ Ad quartum reſpondetur, quod illę rectitudines rationis ad Deum, virium inferiorum ad rationem, & corporis ad animam pertinent ad iuſtitiam originalem, quia tamẽ erat duplex rectitudo altera naturalis, altera ſupernaturalis, ideò rectitudo naturalis erat à iuſtitia originali, ſupernaturalis autem erat à gratia, quod autem eſſent duæ rectitudines, patet ex eo, quia erãt duæ bonitates, & duo fines, alter naturalis, & alter ſupernaturalis, & per conſequens, & duæ rectitudines altera naturalis, & altera ſupernaturalis, vnde deſtructa rectitudine ſupernaturali per peccatũ, deſtructa fuit, & rectitudo naturalis, primum quãtum ad actum, deinde quantum ad habitum.

Ad quintum argu. ¶ Ad quintum reſpondetur negando paritatem rationis, ex eo quod in Chriſto Domino gratia habitualis, & gratia capitis erat donum perſonæ, at verò in Adamo iuſtitia originalis erat donum naturæ, gratia autem gratum faciẽs erat donum perſonæ.

Ad argumenta pro ſententia Molinæ. ¶ Ad argumenta pro ſententia Molinæ ad primum reſpondetur quod per gratiam in anima exiſtentem inferiore ſubdebantur quantum ad operationem meritoriam.

Ad primũ reſpondetur primo. ¶ Vel ſecũdò, quod cum gratia eſſet perfectio iuſtitiæ originalis, cum inferiora ſubderentur per iuſtitiam, dicuntur etiã ſubdi per gratiam, præcipuè quia in ſententia D. Thomæ, iuſtitia originalis intrinſecè depẽdebat à gratia gratum faciente. *Secunda ſolutio.*

Ad ſecundum argu. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, quod in ſententia Diui Thomæ, Adam fuit creatus in gratia, & per conſequens in rectitudine ſupernaturali non tamen ex hoc ſequitur iuſtitiam originalem eſſe eundẽ numero habitum cum gratia.

Secunda ſolutio. ¶ Secundo autem reſpondetur data ſecunda ſententia, quod Adamus fuit conditus in quadam rectitudine in poſteros deriuanda, ſed aliter, & aliter contigiſſet Adamo & poſteris, nam quia Adamus conditus fuit adultus, ideò cõceſſa fuit illi gratia per modum adultorum, nempe per propriam diſpoſitionem, & quia intellectus Adami non erat adeo facilis ad intelligendũ, & exeũdum in operationem (ſicut Angelus) ideo non fuit conceſſa gratia in inſtanti creationis ſicuti Angelo, nam Angelus creatus fuit intelligens, & volens, at verò Adamus fuit productus primo, & ſtatim intellexit, ac dilexit, & per talem propriam diſpoſitionẽ ex auxilio ſupernaturali elicitam gratiam recepit, quia tamẽ poſteri Adami non erãt producendi adulti, ſed infant s non habentes vſum rationis; ideò rectitudo Adami naturalis, & ſupernaturalis erat in illos deriuãda abſque aliqua propria diſpoſitione.

Ad tertiũ argum. ¶ Ad tertium reſpondetur, quod peccatũ originale reſpondet iuſtitiæ originali, non qualicunque, ſed informatæ, vel rectificatę per gratiam gratum facientem, quia ſicut natura ſubordinatur gratiæ, ita & donum naturæ ſubordinabatur dono gratiæ, & per conſequens peccatum Adami, non tantum fuit contrarium dono naturæ, ſed & dono gratiæ, vnde fuit contrarium iuſtitiæ originali per gratiam eleuatæ, ac ſupernaturaliter rectificatæ, & hoc non eſt contra nos, quia concluſio noſtra tantum loquitur de iuſtitia originali præciſe prout erat donũ naturæ rectificans illam in ordine ad finem naturalem, non autem vt gratię coniuncta, nam tunc includebat gratiam gratum facientem.

Ad quartum argu. ¶ Ad quartum reſpondetur, quod conciliũ ſi perpendatur non dicit ſanctitatem, & iuſtitiam in qua conditus fuerat, ſed in qua cõſtitutus fuerat, ſi autẽ Adamus fuit conſtitutus in gratia ſtatim in ſua creatione, an verò ſta-

rò ſtatim, vt diſpoſitus fuit, de hoc non loquitur concilium; vnde certiſsimum eſt ſecundum fidem, quod Adam per peccatum amiſit gratiam & ſanctitatem, in qua conſtitutus fuerat: Sed non eſt certum ſecundum fidem, an fuerit conſtitutus in gratia in prima ſui inceptione, an verò ſtatim vt conditus fuit per operationem propriã diſpoſitus, cum hoc maneat ſub opinione, quare omnia, quæ in Concilio dicuntur verificantur, etiam ſi Adamus in ſecundo inſtãti ſui eſſe acceperit ſanctitatē &iuſtitiã, quæ verba ſanè gratiã gratũ facientē cũ donis, quæ illam comitabantur, ſignificant.

Ad confir. ¶ Et per hoc reſpondetur ad confirmationē, certiſsimum eſſe per baptiſmum reſtitui nobis gratiam, quam Adam ſua inobedientia ſibi, & nobis perdidit, ſed ex hoc loco non colligitur, niſi quod iuſtitia originalis in Adamo habuit ante peccatum gratiam, & charitatem ſibi coniunctam.

Ad argumenta pro. 3. p. ſentẽ. Molinæ. Ad primum. ¶ Ad argumenta autem, quæ adducit pro tertia parte ad primum reſpondetur concedendo antecedens, & negando paritatem rationis propter differentiam, quę eſt inter hominem, & Angelum, nam cum Angelus non haberet potētias ſenſitiuas, non poterat habere delectationem in partibus ſentientibus, & ſic non indigebat habitu iuſtitiæ originalis in voluntate, quo maiori delectatione retraheret potentiam ſenſitiuam à proprio obiecto delectabili, quã ipſa potentia ſenſitiua haberet in coniunctione, & operatione circa proprium obiectum delectabile, & præcipuè ſi obiectum maximam includebat delectationem vt in homine contingeret, in quo non ſolum erant potentiæ intellectiuæ (ſcilicet intellectus, & voluntas) ſed etiam ſenſitiuæ, & non ſolum habebat appetitum rationalem, ſed etiam appetitum ſenſitiuum, & appetitus ſenſitiuus, maximè delectabatur in operationibus circa proprium obiectum delectabile, & cum voluntas humana habeat ex ſua ratione, quod magis delectetur in ſubiectione, quam habet ad Deum, vel in exequendo actum rationis, quam appetitus ſenſitiuus delectatur in operationibus circa proprium obiectũ delectabile, hinc prouenit neceſſario conſtituendum eſſe habitum in voluntate in illo ſtatu, quo voluntas magis delectaretur, exequendo actum rationis, quam appetitus ſenſitiuus delectabatur exequendo actum proprium circa proprium obiectum delectabile.

Ad ſecundum. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, quod iuſtitia originalis ſecundum Doctorem ponebatur in voluntate, non tantum vt motus appetitus ſenſitiui impedirentur, ſed vt voluntas maiorem delectationem haberet in tali cohibitione, & prohibitione, quam ipſemet appetitus ſenſitiuus in executione actus circa proprium obiectum delectabile, vnde ſtatus ille non ſolum erat ſtatus tranquillitatis, ſed etiam gaudij, vt conſtat ex illo Diui Auguſtini decimo quarto de ciuitate Dei capit. 26. vbi dicit quod in illo ſtatu nihil omnino triſte, nihil erat inaniter lætum, gaudium verò perpetuabatur ex Deo, & paulo infra, in tanta facilitate rerum, & fœlicitate hominum, &c. Vnde cum in illo ſtatu non ſolum eſſet facilitas in compeſcendo appetitum ſenſitiuum, ſed gaudium, & maior delectatio, quam appetitus haberet in operatione circa proprium delectabile, cum tale gaudium non conueniat voluntati ex ratione ipſius voluntatis, neceſſario fatendum eſt vltra dona ſupernaturalia in partibus ſentientibus poſita, ponendum etiam eſſe donum, & habitum ſupernaturalem in voluntate, ratione cuius in exequendo actum rationis, & in auertendo appetitum ſenſitiuum à proprio obiecto delectabili, magis delectaretur, quã in actu ipſius appetitus ſenſitiui, & hæc de iſta quæſtione.

TEXTVS.

DIco, quod ſic mere viator poſſet eſſe confirmatus, & fuiſſent filij in ſtatu innocentiæ in iuſtitia, ſic confirmati, ſcilicet, poſtquam primam tentationē viciſſent, ſicut pater primus fuiſſet confirmatus, ſi primæ tentationi reſtitiſſet in iſta iuſtitia, quam tunc recepiſſet pro filijs ſecundum Anſelmum, pro tãto, quia illam omnes habuiſſent, & in ipſa confirmati fuiſſent, qui primæ tentationi reſtitiſſent, ſicut primus parens. Diſtinctione, 20. quæſt. 1. litera. B.

EXPLICATIO LITERÆ.

DOctor in hac litera reſpondet cuidam quæſtioni, ſcilicet, vtrum filij naſcerẽtur

tur in ſtatu innocentiæ in iuſtitia originali cõfirmati, cui reſpõdet adhibita diſtinctione nempe ꝙ confirmatio eſt duplex, altera in comprehenſoribus & beatis, altera verò in viatoribus, confirmatio in beatis fit ex dono ſuperaddito dotibus gloriæ, & ex obiecto beatifico clarè oſtenſo: quo iugiter beati fruuntur. Confirmatio autem in viatoribus fit permanutenentiam, & prouidentiam diuinam, qua confirmatus nullũ malum committet, aut aliquod bonum ad ſalutem neceſſarium omittet. Quibus conſtitutis Doctor duplicem aſsignat ſententiam, & ſuum aſsignat placitum, quod vt facilius intelligatur ſit quæſt. 4.

QVÆSTIO. IIII.

¶ Vtrum pueri in ſtatu innocẽtiæ in Dei gratia confirmati naſcerentur.

Prima ſententia.

DE hac re fuit prima ſententia, Anſelmi libro, cur Deus homo cap. 18. decentis ſi primi parẽtes vixiſſent, vt tẽtati non peccaſſent confirmarentur cum omni progenie, vt vltra peccare non poſſent. Eandem ſententiam docuit Diuus Gregorius lib. 4. Moralium cap. 36. dicens ſi parentem primum nulla putredo peccati corrumperet, nequaquam ex ſe filius gehennæ generaret, ſed iſ, qui per redemptorem ſaluandi ſunt ſoli ab illo electi naſcerentur. Tertio autem poteſt probari, nam propter peccatum primi parentis in filijs conſequuta eſt neceſsitas peccandi, ergo ſi primi parentes perſeueraſſent in ſua iuſtitia conſequeretur in filijs neceſsitas habendi eandem iuſtitiam, patet ſequela, iuxta Diuum Dionyſium libr. de Diuinis nominibus dicentem, quod bonum potentius eſt quam malum.

Secunda ſenten.

¶ Secunda ſententia eſt Diui Thomæ prima parte quæſtione. 100. artic. 2. quam docet Ricardus in hoc. 2. diſtinct. 20. artic. 2. quæſtione tertia. & Durandus. quæſtione. 1. qui aſſerunt infantes non ſolum non naſci confirmatos in gratia, quin imò, neque ipſum Adamum confirmandum fuiſſe in gratia vſque dum ad ſtatum fœlicis vitæ tranſlatus fuiſſet.

Primum argum. & fundamentum ſententiæ.

¶ Fundamentum huius ſententiæ eſt, nam ſtatus innocentiæ ex ſe totus erat viæ, & probationis, ergo non videtur conueniens, vt Deus totam illam poſteritatem in gratia confirmaret, & præcipuè quia dictum eſt Adamo Geneſeos. 2. in quocũque die comederis ex eo morte morieris, vnde videtur ſignificatum per totũ ſpacium vitæ teneri ad non comedendum de illo ligno ſub pœna mortis.

Tertia ſententia.

¶ Tertia ſentẽtia eſt Doctoris in hac quæſtione aſſerentis infantes, qui tunc naſcerẽtur non naſci cõfirmatos in iuſtitia originali, quanuis nati fuiſſent cum iuſtitia originali, & gratia, quæ iuſtitia originalis fuiſſet illis communicata ex dono Dei, nõ autem per transfuſionem naturalem parentum, fuiſſent tamen confirmati poſtquam primam tentationem viciſſent, ſicut & ipſe primus parens.

Fundamẽtum huius ſententiæ.

¶ Fundamentum huius ſententiæ non eſt aliud, quã authoritas Diui Anſelmi, & Gregorij, quos explicat iuxta hunc modum dicendi.

Prima conclu.

¶ Pro explicatione tamen huius quæſtionis, & quam plurium aliarum, quæ de illo ſtatu diſputantur ſit prima concluſio. Pueri in illo ſtatu nati fuiſſent in iuſtitia originali, & gratia gratum faciente. Hæc concluſio communis eſt apud omnes & probatur.

Prima ratio.

Nam pueri in illo ſtatu naſcerentur cum natura integre perfecta, ergo cum gratia, & iuſtitia originali, patet ſequela, nam natura eleuata non eſt perfecta, ſi nõ eſt in gratia, ergo cum pueri naſcerentur in natura eleuata, & perfecta debebant naſci in gratia & iuſtitia originali.

Confir.

¶ Confirmatur, nam pueri ex eo quod non habebant vſum rationis non indigebant propria diſpoſitione ad receptionem gratiæ, ergo ſimul cum iuſtitia originali illam recepiſſent.

Secunda conclu.

¶ Secunda concluſio. Iuſtitia originalis, & gratia in illo ſtatu conceſſa eſſet pueris ex dono Dei, non autem ex hæreditate paterna, per ſeminalem generationem trãsfuſa. Hæc concluſio eſt Doctoris, & probatur quia verumque eſt donum Dei deſuper infuſum, ergo ex dono Dei debet eſſe conceſſum, patet ſequela, quia quæ ſupernaturalia ſunt, à Deo infunduntur.

Tertia cõcluſio.

¶ Tertia concluſio. Pueri in ſtatu innocentiæ non naſcerentur confirmati in iuſtitia originali & gratia. Hæc concluſio probatur ex Diuo Auguſtino libro. 4. de ciuitate Dei, cap. 10. & probatur ratione, nam pueri in ſua Natiuitate non haberent plures perfectiones, quàm eorum parentes in ſta-

tu

tu generationis, ſed parentes, quando generarent illos non eſſent in gratia confirmati, ergo. Probatur minor: nam creatura rationalis (niſi ex aliquo priuilegio) tunc confirmatur in gratia, quando efficitur beata. Ex quo infertur quod cum non conſtet ex ſcriptura, neque ex Eccleſiæ traditione ſi Adamus eſſet confirmãdus in gratia nec ne, ſi primam, vel quartam tentationem viciſſet, nihil temere affirmandum dico, neq; hoc eſt contra Doctorem, quia Doctor in

Nota hoc. illa litera tantum intendit explicare Diuũ Anſelmum.

Solutio. ¶ Ad authoritates autem deſumptas ex Diuo Anſelmo reſpondetur, quod loquutus fuit opinatiue, ad illam autem Diui Gregorij reſpondebitur quæſtione ſequenti.

Ad tertiũ argum. ¶ Ad tertium reſpondetur negando paritatem rationis, nam peccatum, cum includat deformitatem quãdam naturalem, poteſt transfundi per ſeminalem generationem, non tamen gratia, & iuſtitia originalis cum ſint dona à Deo de ſuper infuſa.

TEXTVS.

DIco quod ſoli nunc electi fuiſſent in ſtatu innocentiæ nati, diſtinctione 20. quæſt. 2. litera A.

EXPLICATIO LITERÆ.

LItera hæc nulla indiget diſpoſitione, quia tamen eius veritas non omnibus communis eſt ſit quæſtio. 5.

QVÆSTIO. V.

¶ *Vtrum in ſtatu innocentiæ ſoli illi fuiſſent geniti, qui nunc ſaluarentur.*

Prima ſententia. DE hac re eſt prima ſententia, quorundam aſſerentiũ, quod ſi Adam non peccaſſet, plures alij naſcerentur, quam illi, qui nunc ſaluarentur, probãt autem ſuam ſententiam, quia multi modo ſaluati ſunt, quorum parentes ſunt in inferno, vt patet ex beato Martino, & ſancta Catherina, & alijs quam plurimis; quorum parentes manſerunt in infidelitate, ſed in ſtatu innocentiæ non fuiſſent infideles illi, ergo.

Secunda ſenten. ¶ Secũda ſententia eſt aliorũ aſſerentiũ ſi Adam non peccaſſet, non conſtat qui, & quot futuri eſſent prædeſtinati, neque vtrũ omnes homines, qui tunc futuri eſſent, fuiſſent prædeſtinati. ¶ Probant primum: nam prædeſtinatio pendet ex præuiſione per ſcientiam illam mediam inter liberã, & merè naturalem, quid in vno quoque ordine rerum, & auxiliorum ex infinitis, qui diuina potentia eſſe poſſunt, futurum ſit per liberum arbitrium humanũ, & angelicum, & ex electione diuina, qua Deus hunc potius rerum ordinem, & auxiliorũ, quam alium vult eligere, in quo præuidet hos, vel illos peruenturos in vitam æternam, in eaque ratio prædeſtinationis cõſummari, ſed nullus ſcire poteſt, quis rerum ordo, & auxiliorum eſſet futurus, ſi Adam non peccaſſet, ergo nullus ſcire poteſt qui, & quot ex poſteris Adami, vel fuiſſent prædeſtinati, vel etiam omnino eſſent futuri. Secundum autem partem ſuæ ſententiæ probant, quia vel poſteri Adam eſſent confirmandi in gratia vel non, ſi non eſſent confirmandi in gratia non poteſt conſtare, ſi eſſent aliqui peccaturi, & quot eſſent peccaturi, & qui de illis faceret Deus. Si autem eſſent confirmandi, hoc eſſet, poſt quam viciſſent aliquam tentationem, in qua poterant ſuccumbere & deficere, ergo.

Tertia ſententia. ¶ Tertia ſententia eſt Doctoris, pro cuius explicatione, & quæſtionis eſt primum notandum, quod in hac quæſtione non aliter

1. Notab. quæritur, neque veritas inquiritur, niſi iuxta modum illum, quo inquirunt Theologi, vtrum ſi Adam non peccaſſet, verbum aſſumeret naturam humanam, & Doctores Scholaſtici non determinant aliquid in his quæſtionibus tanquam certiſſimè tenendum, ſed ſumpto aliquo principio in Theologia certiſſimo deducunt concluſionem, quæ cum illo principio ſuo videri maiorẽ conformitatem habet, ſicut in exẽplo poſito facile eſt videre, nam in quæſtione illa, vtrum ſi Adam non peccaret, Verbum diuinum aſſumeret naturam humanam. Diuus Thomas ad reſoluendum illam aſſumit pro principio illud, quod in fide certiſſimum eſt, nempe quod propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, ex quo infert, ergo ſi non eſſet peccatum non eſſet incarnatio neceſſaria. Alij verò cum Doctore ad decidendum illam quæſtionem aſſumunt aliud principium cer-

certiſsimum in fide, nempe quòd propoſitum Dei eſt ineuitabile,&ex illo principio inferunt contrariam ſententiam, nẽpe quod etiam ſi Adam non peccaret,&c. ſed neque Diuus Thomas,neque Doctor ſuam proferunt ſententiam tanquam quid certum, & conſtans, ſed vterque docet ſolum Deum ſcire,quid in hac re futurũ eſſet. Ita in propoſito quando Doctores quærunt,quid nã futurum eſſet circa electos, & prædeſtinatos, ſi Adã non peccaſſet, aſſumũt pro principio certiſsimũ quoddã in fide nẽpe prædeſtinationẽ eſſe certiſsimã, & ex hoc inferũt nullo euẽtuũ ſucceſſu poſſe mutari,(ſalua ſemper liberi arbitrij libertate) ſed hoc non ita determinate docent,tanquam quid conſtans, & certum, ſed tanquam quid conformius illi principio certiſsimo, nam certitudinem certam in hac re ſolus Deus habet.

2. *Notab.* ¶ Secundo eſt notandum, quod quidquid ſit de alijs effectibus cauſæ ſecundæ (quia nihil ad propoſitum) hoc tamẽ certiſsimum eſt,quod omnis effectus cauſæ ſecundæ, qui conſtat partibus à Deo per creationem productis, quanuis diuerſas cauſas effectiuas poſsit reſpicere, ſemper maneret idem effectus ſecundum eſſentiam, & fundamentum huius eſt, nam effectus habens eandem numero materiam,& eandem numero formam à quocunque produceretur, ſemper eſſet idem ſecũdum eſſentiam, Vnde cum anima rationalis à Deo habeat eſſe per creationem, cuius infuſio cum nõ pendeat magis ab vno corpore diſpoſito, quam ab alio,neque à diſpoſitione facta ab vno agente,quam ab alio, neque in vno tẽpore,quam in alio, cum quotieſcunque materia ad hominis generationem fuerit vltimo diſpoſita à quibuſcunque parentibus, & quocunque tempore diſponatur, Deum pro ſuo arbitrio eam illi infundere animã, ex his omnibus,quas creare poteſt, quam liberè eligit. Hinc prouenit à ſola Dei voluntate prouenire,vt quando aliquod corpus fuerit vltimo diſpoſitum à parentibus, vt vir generetur, quod illa anima infundatur, vel illa, nempe anima mea, vel anima regis, vel quæcunque alia creabilis à Deo, hoc à Dei voluntate pendere. Fundamentum huius eſt, nam cum anima rationalis independens ſit in ſuo eſſe à materia, & à ſolo Deo efficienter producatur, hinc prouenit, quod quæcunque anima æquè poſſit viuificare quodlibet corpus humanum vltimate per agens diſpoſitum, neque eſt aliquod inconueniens, quod corpus illud eſſet corpus mulieris, vel hominis,vt poſſit in eo operationes vitales exercere. Ex quo fit vt creatio, & infuſio cuiuſcunque animæ rationalis non magis pendet ab vno corpore vltimo diſpoſito, quam ab alio, neque magis à diſpoſito ad eſſe viri, quam fœminæ, aut à diſpoſito ab his parentibus, quam ab illis, aut vno tempore quam alio. Ex quo infertur primo, quod ſi aliquis homo eadem numero materia, & eadem numero forma conſtaret, ſiue ille eſſet mas, ſiue eſſet fœmina, à quibuſcunque parentibus produceretur, & in quocunque tempore ſemper eſſet idem homo. Fundamentum huius corollarij eſt,quoniam talis homo conſtaret eiſdem numero partibus eſſentialibus,& differentia in cauſis efficientibus in tempore, & in ſexu, ſiue in quibuſcunque alijs accidentibus (cum ſit accidentalis) non tollet ſubſtantialem, & eſſentialem identitatem. Vnde quia in die iudicij, & vltimæ reſurrectionis, quia omnes reſurgẽt eiſdem partibus phyſicis ſubſtantialibus, & eſſentialibus conſtituti, ex quibus antea conſtabant, quanuis cauſa efficiens, ſit alia, illum reproducens ab illa, quam antea illum produxit, adhuc tamen idem Petrus erit poſt reſurrectionem, qui ante mortem fuerat Petrus. Ex quo infertur ſecundo quod quanuis prædicta doctrina non haberet eandem veritatem, (quod pro nunc non diſputo) in alijs effectibus, vti in igne producto in lignum, quantum tamen attinet ad præſentem quæſtionem, & eius veritatem inquirendam, ſatis tamen eſt, quod ego, qui genitus fui à patre meo, & filius eius fui, potui fuiſſe filius Adami, me integre manente, ſicuti modo ſum.

¶ Tertiò eſt notandum, quòd, vt tradunt communiter Doctores, & nos diximus latè in primo, diſputa. 17.q.14. numerus prædeſtinatorum eſt certiſsimus,& infallibilis tam materialiter, quam formaliter quanuis omnes, qui ſaluantur, contingenter ſaluentur, & ſimiliter certum eſt ſecundum probabiliorem ſententiam, quod ex parte prædeſtinati non datur aliqua cauſa, vel ratio ſuæ prædeſtinationis, vt etiam diximus ibi quæſtione. 8. 3. *Notab.*

¶ Prima concluſio. Si Adamus non peccaſſet *Prima conclu.*

caſſet, an Deus prædeſtinaſſet illos tantum qui ſtante peccato Adami prædeſtinati ſunt, cognitione certa, & infallibili nemo poteſt cognoſcere, niſi ſolus Deus. Hæc concluſio probatur, quia huius veritatis non eſt aliqua reuelatio, neque definitio Eccleſiæ, aut traditio Patrum, ergo cum ſit futurum conditionatum, ſolus ille poteſt veritatem illam cognoſcere, qui futura conditionata certiſsimè, & infallibiliter cognoſceret.

Confir. ¶ Confirmatur, nam quæ ſunt Dei, nemo nouit, niſi Spiritus Dei.

Secunda conclu. ¶ Secunda concluſio. Probabiliter tamen loquendo ſtante ſtatu innocentiæ omnes, qui modò ſunt electi fuiſſent geniti. Hæc concluſio probatur, nam prædeſtinatio eſt æterna, iuxta illud ad Epheſios primo, elegit nos in ipſo ante mundi cõſtitutionem, & præterea, quia nihil factum eſt in tempore, quod non fuerit à voluntate diuina ab æterno decretum, ſed prædeſtinatio eſt decretum infallibile infallibiliter eueniẽs, ergo cum omnes, qui ſunt electi fuerint ab æterno electi, omnes qui ſunt electi eſſent in ſtatu innocentiæ geniti.

Tertia cõcluſio. ¶ Tertia concluſio. Si ſtatus innocentiæ perſeueraſſet, multi electorum eſſent geniti, & nati ex alijs parentibus. Probatur concluſio, nam in illo ſtatu nulli eſſent infideles ergo vel illi infideles (qui genuerũt filios prædeſtinatos) non fuiſſent, vel ſaltẽ non fuiſſent infideles, & præterea nam (vt dixi) ad hoc vt Petrus ſit Petrus, nõ fuit ſimpliciter neceſſarium, quod eſſet filius Ioannis, ergo ad hoc quod electus, & prædeſtinatus eſſet genitus, & natus non eſt neceſſarium, quod eſſet genitus, vel natus ab iſto, vel illo parente.

Quarta cõcluſio. ¶ Quarta concluſio. Probabiliter poteſt dici, quod ſtante ſtatu innocentiæ illi ſoli fuiſſent prædeſtinati, qui nunc ſunt prædeſtinati. Hæc concluſio probatur, nam prædeſtinatio noſtra, vt eſt actus voluntatis diuinæ neque eſt à nobis, neque pendet ex nobis, ergo neque pendet ex his, quæ procedunt à nobis, & per conſequens cum ſtatus innocentiæ, & ſtatus naturæ lapſæ poſteriores ſint ipſa prædeſtinatione, videtur, quod ex hoc, quod omnes ſint in ſtatu innocentiæ, vel in ſtatu naturæ lapſæ, non mutatum eſſet decretum prædeſtinationis diuinæ. Vtrùm autem ſoli illi nati eſſent, qui prædeſtinati fuiſſent, fateor me neſcire, neque aliquid in hac re auderem determinatè aſſerere. Moueor autem ad hoc, quia non poteſt determinate ſciri, vtrùm adulti quam primum viciſſent primam tentationem eſſent in gratia confirmandi, nec ne.

¶ Et ſecundò dato, quod eſſent confirmandi non poteſt determinatè ſciri, ſi primam tentationem viciſſent, nec ne: nam ſi primi parentes præditi gratia, & ſcientia infuſa illam non vicerunt, quid imaginari poteſt de filijs, qui ſcientiam infuſam non habuiſſent, ſed tantum acquiſitam? Cùm igitur (ſi homines non eſſent confirmati in gratia) potuiſſent peccare, atque in peccatis decedere, & quando minus, ſi aliqui ex adultis primæ tentationi non reſtitiſſent, cum non conſtet illos facturos eſſe pœnitentiam, neque conſtare poteſt, vtrum ſoli prædeſtinati naſcituri eſſent, nec ne.

Reſpõde tur argum. Ad primũ. ¶ Reſpondetur argumentis: ad primum reſpondet Doctor quod Diuus Anſelmus nõ fuit loquutus aſſertiuè, ſed dubitatiue, ad illud autem Diui Gregorij quod forſan fuit illius ſententiæ vt eius verba videntur innuere.

¶ Ad argumenta pro prima & ſecunda ſententia patet ex dictis in ſecundo notabili, & ex concluſionibus.

DISPV-

DISPVTATIO XXII. DE PECCATO ADAMI CONTINET quatuor Quæſtiones.

PRima, Vtrùm Adamus potuerit peccare venialiter.

Secunda. Vtrùm peccatum Adami fuerit formaliter ſuperbia.

Tertia, Vtrùm Adamus grauius peccatum cõmiſerit quam Eua.

Quarta, Vtrùm peccatum Euæ fuerit multo grauius peccato Adami.

TEXTVS.

DIco ergo, quod potuit peccare venialiter in illo ſtatu. Diſtinctione. 21. quæſt. 1. litera. B.

EXPLICATIO LITERÆ.

LItera hæc Doctoris ſatis patet, quanuis eius veritas non ab omnibus ſit recepta, vt in progreſſu, quæſtionis patebit.

QVÆSTIO V.

¶ *Vtrum Adamus potueirt peccare venialiter.*

Prima ſententia. DE hac re eſt prima ſententia Diui Bonauenturæ in ſecundo diſtinctione. 21. articulo. 3. quæſtione. 1. aſſerentis communem eſſe opinionem, quam ſuo tempore defendebant doctores ſcholaſtici, quòd Adam in ſtatu innocentiæ primo peccato peccauit mortaliter, neque primum eius peccatum veniale eſſe potuit. Probat autem iſtam ſententiam. *Prima ratio.* Primò, nam peccatum veniale eſt propter impulſionem, & pronitatem, quam homo habet ad illud, ſed primus homo nullum habuit impulſum, ergo primus homo non potuit primò peccare venialiter. *Confirm.* Confirmatur in primo homine nullus erat motus brutalis, ſed quilibet erat ſecundum deliberationem rationis, ſed peccatum committere cum deliberatione rationis, vbi nulla eſt pronitas non poteſt eſſe niſi mortale, ergo.

¶ Secundò. *Secunda ratio.* Regnum animæ adeò ordinatum erat ſicut dicit Auguſtinus, quòd ſi ipſa ſeruaret ordinem ſub Deo, nihil exiret eius imperium, ergo impoſsibile fuit hominem peccare, niſi prius à Deo ſe auerteret, ſed hoc eſt peccatum mortale, ergo. Confirmatur. *Cõfirm. 1.* Nam omne peccatum aufert innocentiam, ſed quod auferebat homini innocentiam, auferebat immortalitatem, & quod auferebat immortalitatem, inferebat mortem, & quod inferebat mortem erat mortale, ergo nullũ peccatum in primo homine potuit eſſe veniale.

¶ Cõfirmatur. *Cõfirm. 2.* Si Adã primò cõmiſiſſet veniale, vel potuit pœnitere, vel non, ſi potuit pœnitere, ergo propter peccatum veniale doluiſſet, ergo paſsibilis factus eſſet, & ſi paſsibilis, ergo mortalis, cùm eadem eſſet in eo ratio paſsibilitatis, & mortis, conſequens tamen falſum eſt, ergo primum peccatum Adami debuit eſſe mortale, vel ſi veniale potuit eſſe, debuit eſſe irremediabile, nam voluntas per dona habitualia ita perficiebat appetitũ, vt nullum haberet motum inordinatum, quo præueniebat rationem, aut inſurgeret contra eam, vt omnes Theologi concedunt, ergo ex intrinſeca diſpoſitione hominis proueniebat, quòd in illo ſtatu non poſſet peccare venialiter. ¶ Præterea neque poſſet eſſe peccatum veniale ex ſurreptione voluntatis, ſcilicet quod antequã lex Dei conſulatur, vel poſsit conſuli exeat voluntas in actum, nam quod voluntas poſsit ita operari eſt imperfectio naturæ, quæ de facto impediebatur per dona habitualia pertinentia ad iuſtitiam originalem, ergò ex hoc impedimento intrinſeco proueniebat, quòd homo in illo

ſtatu non poſſet venialiter peccare ea ſurreptione voluntatis, quod autem talis, imperfectio non ſolùm poſſet impediri per dona habitualia, ſed de facto impediretur, patet, quia non minus eſſet neceſſarium ad rectitudinem, quàm natura humana in illo ſtatu in ſe ipſa, & intrinſecè habebat, ſanari hanc imperfectionem voluntatis, quàm ſanare imperfectionem appetitus ſenſitiui.

¶Confirmatur, quia licet motus ſubiti ſint circa obiecta ſupernaturalia, & ſpiritualia, tamen fere ſemper oriuntur ex defectu aliquo partis ſenſitiuæ, ſcilicet, vel ex motu appetitus, vel ex vehementi, & ſubita apprehenſione imaginatiuę, aut etiã ex tarditate in operatione, quæ ex parte ipſius requiritur ad diſcurſum & deliberationem rationis pro iſto ſtatu, & huiuſmodi motus ſubiti non reperiuntur in Angelis neque in animà ſeparata, ſed totus iſte defectus partis ſenſitiuæ ſanabatur in illo ſtatu per dona habitualia, ergo etiã efficiebatur, per eadem dona quòd non eſſent in voluntate prædicti motus ſubiti.

Tertia ratio. ¶Tertiò eaodem ſententiam docet Diuus Thomas. 1. 2. quæſtione. 89. articulo. 3. & in ſecundo diſtinctione. 21. quæſtione. 2. articulo. 3. & in quæſtionibus de malo. quæſtione. 7. articulo. 7. & Durandus diſtinctione. 21. quæſtione. 4. Capreolus quæſtione vnica. Soto libro. 1. de natura, & gratia cap. 6. ad finem. Marſilius in 2. quæſtione. 14. articulo. 2. Palacios diſtinctione. 21. diſputatione. 1. fundamentum huius ſententiæ eſt, nam iuſtitia originalis duo claudit in ſe, nempe gratiam gratum facientem. Et ſecundò, ordinationem concupiſcentiæ ad rationem ſuperiorem, & quanuis gratia gratum faciens ſecum compatiatur peccatum veniale, non tamen includit obedientiam illam, quam homo exterior in paradiſo præſtitiſſet homini interiori, & ſic quanuis charitas, & gratia peccatum veniale admittant, quia illa non ordinant prorſus totum hominem, cùm non frenet omnem appetitum concupiſcentiæ, neque faciat, ne caro concupiſcat aduerſus ſpiritum, at verò iuſtitia originalis hæc donabat, nempe ſe datos habere beſtiales motus concupiſcentiæ. Vnde quanuis Adamus liberum habebat arbitrium, quo poterat mortale, & veniale committere, quantum erat ex parte potentiæ, nihilominùs tamen, quia ſtatus ille ſemper haberet plenam deliberationem in contemplandis, & agendis, nunquam enim premerentur in aduertentia, quia tunc homines plenum ſortirentur dominium ſuorum actuum, & plus eſſent ſui iuris, quàm modo ſunt, & maiori libertate gauderet illorum arbitrium, quàm noſtrum, quod ſæpe ex ſurreptione ſenſualitatis opprimitur, aut ex inaduertentia, aut ex non plena deliberatione, ideò non mirum, quòd ſtatui iuſtitiæ originalis repugnet veniale peccatum, quod quãdoque ex ſurreptione, & quandoque ex non plena deliberatione, vt contingit his, qui ſunt in interliminio ſomni, & vigiliæ, & quandoque ex inaduertentia, vt qui aduertit, vehementer ad quædam, & non aduertit ſufficienter ad alia.

¶Secunda ſententia eſt Doctoris, vt patet in litera pro cuius explicatione eſt primo notandum, maximam differentiam eſſe inter peccatum mortale, & peccatum veniale, vt docet doctor in hac quæſtione, nam peccatum mortale eſt deordinatio contra præceptum, ſiue actus deordinatus includens in ſe contrarietatem ad legem. Peccatum autem veniale eſt deordinatio contra conſilium, vel actus deordinatus includens in ſe contrarietatem ad conſilium. Ex quibus infertur, quòd non quilibet actus includens contrarietatem ad conſilium eſt peccatum veniale, vt inferunt nonnulli contra doctorem, ſed actus ille deordinatus, cuius deordinatio includit carentiam rectitudinis debitæ ineſſe præceptæ per conſilium. Ex quo infertur ſecundo quod quanuis ducere vxorem, & alia huius generis non includant rectitudinem conſilij, nempe ducere vitam cælibem, nõ tamen ex ſuo genere eſt peccatum veniale, quia non eſt actus deordinatus, de qua re latiùs dicemus in diſputationibus de peccato veniali. *Secunda ſententia.* *1. Notab.* *Nota hoc.*

¶Secundò eſt notandum, quòd aliud eſt dicere in rigore loquendo, vtrum in ſtatu innocentiæ, & aliud in ſtatu iuſtitiæ originalis: nam ſtatus innocentiæ eſt ſtatus immunis ab omni peccato, nam innocentia eſt immunitas ab omni peccato, & per conſequens illi ſtatui repugnat non ſolùm mortalę, ſed etiam veniale. At verò ſtatus iuſtitiæ originalis includebat gratiam, *2. Notab.*

tiam, & charitatem, & virtutes, quæ ex lege conſequuntur ipſam gratiam, quibus voluntas, & reliquæ hominis potentiæ ſubdebantur Deo fini ſupernaturali, continebat etiam iuſtitiam originalem, qua voluntas per habitum illi infuſum ſubdebatur Deo maxima cum delectatione, & ſimiliter compeſcebat appetitum ſenſitiuum, ne contra rationem inſurgeret, & ſimiliter, vt à ſuo obiecto delectabili ſe iungeretur, & ſimiliter habitus in potentijs ſenſitiuis, vt ne furentes in ſua obiecta maximè delectabiliter, irruerent, vnde omne illud, quod non repugnabat gratiæ, & charitati, neque ſubiectioni illi, quam volūtas habebat in ordine ad Deum finem naturalem, neque obedientiæ, qua appetitus obtemperabat rationi, erat compoſsibile ſtatui illi iuſtitiæ originalis.

Notab. 3. ¶Tertio eſt notandum, quod peccatum veniale in quacunque materia reperitur, dummodo procedat ex defectu libertatis, vel conſiderationis, vel deliberationis. Quandoque autem reperitur ex ſua ratione obiectiua, vt mendacium iocoſum, quod quantumcunque extendatur, ſemper manet veniale peccatum, quod non contingit in furto, nam paruitas materiæ in furto reddit illud peccatum veniale, quod ſi illa quantitas extendatur, iam peccatum mortale erit, ſed inter peccata venialia, quædam contingunt ex inordinato motu appetitus ſenſitiui præuenienti rationem, quædam verò ex obiecto, vt mendacium iocoſum, quædam verò ex inconſideratione, & diminuta deliberatione.

Prima cōcluſio. ¶Prima concluſio in ſtatu innocentiæ (illo manente ſtatu) non potuit Adamus venialiter peccare. Hæc concluſio ex ſe patet, & ratione explicatur, nam ſtatus innocentiæ inclinabat hominem ad eliciendum actum puriſsimum, & innocentem, ſed peccatum veniale non eſt actus innocens, neque puriſsimus, ergo ſtatus innocentiæ non ſecum compatiebatur peccatum aliquod veniale. *Confirmatur.* Confirmatur, peccatum veniale eſt aliqualis culpa & illi correſpondet aliqua pœna, ergo exiſtens in peccato veniali non exiſtit in ſtatu innocentiæ.

Secunda concluſio. ¶Secunda concluſio ſtatus iuſtitiæ originalis includens gratiam & charitatem ſecum compatitur aliquod peccatum veniale. Hæc concluſio eſt Doctoris, & probatur. Peccatum veniale non repugnat illi ſtatui, neque ratione gratiæ nec ratione iuſtitiæ originalis, ergo peccatum veniale compoſſibile eſt cum iuſtitia originali. Probatur antecedens, quoad primam partem, nam charitas non opponitur peccato veniali, vt docet fides catholica: quoad ſecundam verò probatur, nam iuſtitia originalis data fuit primis parentibus taliter, vt niſi tranſgreſsi fuiſſent præceptum de non comedendo, & mortaliter peccaſſent, non tolletur ab illis, ergo iuſtitia originalis non repugnabat peccato veniali. *Confirm.* Confirmatur, nam priuatio iuſtitiæ originalis (tum propter ipſum donum in ſe, tum propter mala inde conſequentia) grauior pœna erat, quàm vt veniali peccato deberetur ergo.

Tertia cōcluſio. ¶Tertia concluſio primi parentes non potuerunt peccare venialiter ex inordinato motu appetitus ſenſitiui præuenientis rationem. Hæc concluſio probatur, nam iuſtitia originalis ita continebat appetitum ſenſitiuum, ne inſurgeret contra rationem, vt nullo modo appetitus contra rationem poſſet inſurgere, ergo ſi in illo ſtatu non potuit eſſe inordinatus motus appetitus ſenſitiui contra rationem, neque potuit Adamus ex illo motu venialiter peccare.

Quarta cōcluſio. ¶Quarta concluſio ſtante iuſtitia originali potuit Adamus peccare peccata venialia ex obiecto, vt mendacium iocoſum, & potuit venialiter peccare aliquod peccatum ſpirituale. Hæc concluſio probatur, nam vt docet Diuus Auguſtinus Decimoquarto de ciuitate Dei capit. 13. peccatum primorum parentum fuit ſuperbia, & appetitus peruerſæ celſitudinis, quod de peccato Euæ ſatis perſpicuum eſt, nam perſuaſa fuit à ſerpente, vt fructum vetitum comederet, dicente illo, eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum, & tali perſuaſione commota pomum guſtauit, credens ex guſtu ſe ſcientiam adepturam Diuinam vel ſaltim pluſquam humanam, ſed in tali facto antequàm mortaliter peccaret, quàm plurima, venialia potuerunt reperiri; ergo. Probatur Minor, nam non ſtatim, vt Eua loquuta eſt cum ſerpente peccauit mortaliter, ergo neceſſario commiſsit quàm plurima venialia, probatur ſequella; nam exponens ſe in aliquali periculo

 quam

quantumcunque remotiſsimo peccandi mortaliter, non poteſt non peccare venialiter, ſed Eua expoſuit ſe periculo peccandi mortaliter in tali collocutione, quanuis eſſet remotiſsimum, ergo ſaltim peccato venialiter. Confirmatur, nam Eua tenebatur aduertere, quòd ſerpēs interrogabat illā de obſeruando præcepto diuino, ergo tenebatur aduertere, quòd ſerpens non quatenus ſerpens, ſed quatenus in illo aliquid latebat, cum illa colloquebatur, & per conſequens tenebatur aduertere, quòd poterat decipi, vti decepta fuit, & quærere Adamū, vt cum ſerpente de præcepto impoſito diſputaret, vel ſaltem illi reſponderet, ad omnia hæc tenebatur, & non fecit, ergo ſi in his non peccauit mortaliter, ſaltim peccauit venialiter. Confirmatur ſecundò. Nam Adamus tenebatur reprehendere Euam, quando illi porrigebat pomum de peccato commiſſo, & non reprehendit, ergo ſi non peccauit mortaliter ſaltim peccauit venialiter.

2. Ratio. ¶Secundò. Voluntas Adami potuit peccare mortaliter, ergo & venialiter. Antecedens eſt de fide, & probatur ſequela. Adamus potuit habere iſtud iudicium, dicere mendacium iocoſum eſt malum, non tamē auertens à Deo, & habere iſtum actum voluntatis, volo dicere mendacium: ergo potuit peccare venialiter. Probatur minor, nam non poteſt intelligi, quòmodo iuſtitia originalis in voluntate potuerit efficere, vt deliberatè non poſſet velle peccatum veniale, nam ſi iuſtitia originalis in voluntate non potuit efficere, vt non deliberatè vellet peccatum mortale, quod maius malum erat, neque etiam poterat efficere, vt non poſſet voluntas deliberatè velle peccare venialiter, quod minus malū erat.

Solutio. Quòd ſi quis reſpondeat, quòd quanuis huiuſmodi peccata venialia ex obiecto, vt mendacium iocoſum expectata libertate hominis, & natura iuſtitiæ originalis potuerit à primis parentibus committi in illo ſtatu, ex particulari tamen prouidentia Dei, & protectione, qua à Deo infallibiliter impediebatur, ne ita peccarent, nam non erat conueniens illi ſtatui aliqua pœna quantumcunque leuiſsima, ergo neque aliqua culpa quantumcunque leuiſsima. Et præterea, quia ſi homo mentiretur iocoſe, ille actus ſæpè repetitus generaret habitū mentiendi, talis autem habitus non eſſet conueniens illi ſtatui, quia inclinaret ad malum, & ex conſequuti inferret aliquam difficultatem ad bonum, ergo debuit Deus aliqua ratione prouidere, ne homo mentiretur. Patet ſequela nam tale mendacium non conueniebat illi ſtatui, ſed hoc non potuit impediri per intrinſecam aliquam diſpoſitionem homini conceſſam, quia talis diſpoſitio non erat ſufficiens ad impediendum voluntatem, vt non poſsit cum plena deliberatione eligere aliquod obiectum, quod eſt malum, vti mendaciū iocoſum, quanuis non ſit mortale malum, quia ſi ſtante tali diſpoſitione potuit Adamus eligere malum ex plena voluntaris determinatione, quanto magis potuit eligere minus malum: Et præterea, quia tota diſpoſitio, quam habuit Adam in illo ſtatu non potuit impedire, ne tranſgrederetur legem obligantem ſub mortali: ergo neque poſſet quantum eſt ex natura ſua impedire, ne tranſgrederetur eandem legem, ſi ſolum obligaret ſub veniali. ¶Confirmatur. *Confirmatur.* Nam vel illa diſpoſitio eſſet habitualis, hoc eſt habitus aliquis, vel actualis, hoc eſt, actus, nam præter has nulla fingi poteſt, ſi primùm ſequitur, quod non poſsit impedire omninò, ne homo peccaret venialiter, quia cùm habitus in non videntibus Deum ſubijciantur libertati voluntatis, quoniam habitibus vtimur, cùm volumus, ſequitur, quòd quantum eſſet ex natura illius habitus, non eſſet minus liberum homini peccare venialiter cum eo, quàm ſine eo. Secundum vero dici nō poteſt, quia ille actus eſſet voluntatis, vt conſtat, & per conſequens eſſet liber. Antecedens patet, quia non eſſet intellectus, nam Adam non ſemper conſiderabat actu omnia, ergo dicendum eſt talem impeccabilitatem proueuire ex diuina prouidentia, quæ in his, quæ ſunt neceſſaria, & conuenientia ad ſtatus in quibus res condidit non deeſt, ſed ſemper adeſt.

Impugnatio. ¶Sed contra iſtam ſolutionem, & doctrinam ſic argumentor, nam in primis talis doctrina concludit noſtram concluſionem, nam quæſtio eſt, ſi cum iuſtitia originali poteſt ſtare peccatum veniale, reſpondere autem, quòd in illo ſtatu non poterat peccatum veniale reperiri propter manutenentiam Dei, & ex prouidentia diuina ſic prouidente eſt dicere *Nota hoc.*

quòd,

quod, ſecluſa ordinatione extrinſeca, ex vi ſolius iuſtitiæ originalis poterat peccatum veniale reperiri, & hoc eſt, quod intendimus, quia non poteſt verti in quæſtionem, ſi poſſet Deus facere vt Adamus non peccaret venialiter, ſed quæſtio eſt vtrum ex vi iuſtitiæ originalis etiam ſi iuſtitia originalis includat gratiam gratum facientem peccatum veniale ſit alienum ab ſtatu illo, vel vtrùm Adamus, etiam ſi iuſtitiam originalem habuerit, poſsit venialiter peccare, cum igitur iuſtitia originalis non impediat, quominus voluntas Adami deliberate poſsit velle aliquod malum, quod eſſet peccatum veniale, concluditur igitur, quod ex vi iuſtitiæ originalis ſicut potuit peccare mortaliter, potuit etiam, & venialiter peccare. Neque ex hoc ſequitur, quod ex pluribus actibus mentiendi generetur habitus inclinans ad mentiendum, nam iuſtitia originalis, vt optimè aduertit Almaynus in Moralibus, impediret, ne ille habitus generaretur. Neque obſtat quod habitus ſupernaturalis non tollit, quominus ex actibus vitioſis generentur mali habitus naturales, quia iuſtitia originalis quanuis ſit donum deſuper infuſum, quia tamen rectificabat naturam in ordine ad operationem naturalem, ideò inter habitus naturales computatur, & per hoc impediebat, ne ex pluribus actibus generetur habitus.

¶ Vel ſecundo reſpondetur, quod quanuis voluntas Adami poſſet quam plurima mendacia iocoſa imperare, & per conſequens poſſet Adamus, ſi vellet quam pluries mentiri, hoc tamen non faceret, ſicut videmus modo in homine cordato, qui quanuis poſſet quam plurima mendacia proferre, non tamen profert. Quod ſi dicas, ſi poſſet Adamus dicere, & facere, volo acquirere habitum mendacij iocoſi, quod eſt quærere, an habitus mendacij iocoſi, ſit ex natura rei incompoſſibilis cum iuſtitia originali, & ad hoc reſpondeo, quod talis habitus eſt incompoſsibilis cum originali iuſtitia, nam iuſtitia originalis præcipue habitus ille in voluntate conſtitutus inclinabat voluntatem, vt maxima cum delectatione adhæreret bono rationis. Vnde quando Adamus vellet mentiri iocoſe, poſſet pro ſua libertate, ſed non mentiretur cum aliqua delectatione, & ſic quantumcunque vellet mentiri non generaret habitum, nã delectatio, quæ erat in voluntate ex habitu iuſtitiæ originalis delectabiliter inclinans ad faciendum, quæ ſunt rationis, impediebat, ne habitus generetur ex actibus elicitis nulla cum delectatione, ſicut & modo videmus, ſi quis habeat habitum acquiſitum, vt octo inclinans potentiam ad eliciendum actus cum maxima delectatione, quanuis alium, & alium actum eliciat, ſi illos elicit contra inclinationem habitus, ex illis non generatur habitus. Ità in propoſito.

¶ Reſpondetur argumentis, ad primum, quod peccatum veniale poteſt contingere alió modo præter illos, qui in argumento ſunt acti. nempe ex deliberatione voluntatis. Nam iuſtitia originalis in Adamo ſolum faciebat vt partes ſenſitiuæ ſubderentur rationi, & ratio Deo, & hoc maxima cum delectatione, non tamen tollebat vt voluntas ex perfecta deliberatione non potuerit velle peccatum veniale. *Reſpõdetur argum. Ad primũ.*

¶ Et per hoc reſpondetur ad confirmationem, concedendo maiorem, & negando minorem, nam quanuis in Adamo non eſſet pronitas ad mentiendum, potuit tamen cum deliberatione rationis mentiri iocoſe abſque eo quod peccaret mortaliter. *Ad cõfir.*

¶ Ad ſecundum reſpondetur, quod Diuus Auguſtinus, ibi loquitur de peccatis mortalibus, vel ſecundo, quod loquitur de venialibus, quæ proueniunt ex ſurreptione, vel ex motibus appetitus ſenſitiui inordinatis præuenientibus rationi, & ſic certiſsimum eſt, quod ſi anima ſeruaret ordinem ſub Deo, nihil exiret eius imperium, potuit tamen ex eius imperio elicere mendacium iocoſum. *Ad ſecundum argu.*

¶ Ad confirmationem reſpondetur, quod innocentia ſumitur dupliciter, vno modo in rigore, & tunc repugnat peccato veniali, ſed illius omiſsio non inferebat mortem, vnde, vt optime aduertit Ricardus, ſi Adam peccaret venialiter, amitteret innocentiam, quatenus innocentia importat immunitatem ab omni peccato, non tamen quatenus innocentia ſumitur pro ſtatu iuſtitiæ originalis, quia ſtatus ille iuſtitiæ originalis non conſiſtebat formaliter in ipſa innocentia, ſed in donis, *Ad primã confir.*

domis, & habitibus atque auxilijs, quibus natura conſeruabatur in ſua rectitudine, quare licèt peccando venialiter amitteret homo innocentiam, non ſequitur, quod etiam amitteret ſtatum, quia prr peccatum veniale non amitteret habitus illos, vnde ſtatus ille, quamuis appellabatur ſtatus innocentiæ, non dicebatur talis, quia in illa innocentia formaliter ſtatus ille conſiſteret, ſed quia eam habebat adiunctam, & quaſi radicaliter continebat in quãtum animam perficiebat, vt poſsit in innocentia conſeruari.

Ad ſecundam cõfir. ¶ Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, quod ſi primus parens commiſiſſet peccatum veniale, poſſet per actum dilectionis Dei ſuper omnia, illud virtualiter deteſtari abſque formali diſplicentia, vel ſecundo reſpondetur, quod poſſet velle abſque triſtitia aliqua non peccaſſet, & tunc eſſet deteſtatio ſine ſenſibili dolore.

Ad tertiũ argum. ¶ Ad tertium reſpondetur, quod eſt fundamentum illius ſententiæ quod illud non probat, non poſſe Adamum ex perfecta deliberatione velle mendacium iocoſum. Neque obſtat ſi dicas, quod peccato veniali correſpondet reatus pœnæ temporalis, ſed in illo ſtatu nulla eſſet pœna temporalis, ergo neque poterat reperiri peccatum veniale, reſpondetur enim quod quanuis ex peccato veniali ſequeretur tunc reatus alicuius debiti, non tamen alicuius pœnæ, reſponderet enim debitum habendi actum charitatis ſaltim feruentiorem, quo peccatum veniale remitteretur.

Solutio. ¶ Quod ſi dicas, dilectio Dei ſuper omnia tunc ſufficit in remedium peccati, quando eſt virtualis pœnitentia de ipſo, ita quod ſi cogitatio peccati occurreret, exiret in actum pœnitentiæ, & diſplicentiæ formalis, vt diximus in materia de pœnitentia, ergo ſi in illo ſtatu potuit reperiri actus charitatis in remedium contra peccatum veniale, etiam poterat reperiri pœnitentia, aut diſplicentia formalis, ſed diſplicentia formalis interna etiam repugnat illi ſtatui, ſicut pœna externa, nam in illo ſtatu nihil eſſet, quod offenderet animum hominis, & per conſequens nulla eſſet diſplicentia. Reſpondetur quod diſplicentia illa eſſet cum complacentia maxima. Vnde Adamus diſplicendo de peccato veniali commiſſo maximè complaceret, & ſic ſaluatur dictum Auguſtini quod in illo ſtatu nihil eſſet quod offenderet animum hominis, cum talis diſplicentia non ſolum non offenderet, ſed hominis animum delectaret.

TEXTVS.

DIco, quod Adam non appetebat æqualitatem Dei directè, & formaliter, ſed tantum interpretatiuè, & ſic omnis peccans ſecundum quod dicit Anſelmus de caſu diaboli vult rapere æqualitatẽ Dei, imò vult eſſe maior Deõ in eo, quod voluntatem ſuam vult præferri voluntati diuinæ non obediendo voluntati eius, & hoc eſt ſolum interpretatiuè, & non formaliter appetere æqualitate Dei, & ſic tantum interpretatiuè, & non formaliter appetierunt tam homo, quam Angeli mali æqualitatem Dei. Diſtinctione. 21. quæſtione. 2. in ſolutione ad vltimum.

EXPLICATIO LITERÆ.

DOctor in hac litera ſupponit Adamum peccaſſe, & reſpondet quæſtioni illi, nempe quodnam fuerit peccatum Adami, dicens non fuiſſe formaliter appetitus æqualitatis Dei, quanuis fuerit interpretatiue. In qua tamen re ſit quæſtio. 2.

QVÆSTIO. II.

¶ *Verùm peccatum Adami fuerit formaliter ſuperbia.*

DE hac re eſt prima ſententia Diui Thomæ ſecunda ſecundæ quæſtione. 163. articulo primo. aſſerẽtis primum peccatum hominis fuiſſe formaliter ſuperbiæ: fundamentum huius ſententiæ eſt, nam primum peccatum hominis fuit in hoc quod appetijt bonum quoddam ſpirituale ſupra ſuam menſuram, ergo primum peccatum hominis fuit ſuperbia, *Prima ſententia. Primum argum.*

Prima ratio. *Secunda ratio.* bia, Antecedens dupliciter poteſt verifica ri primo, quod illud bonum ſpirituale appetitum erat ſupra hominis menſuram. Secundo, quod appeteretur ſupra menſuram hominis appetentis, quamuis bonum ſpirituale non fuerit ſupra ſuam menſuram. & hoc ſecundo modo ſpectat ad ſuperbiam, primo autem ad præſumptionem oppoſitam magnanimitati. Cum igitur primum peccatum hominis in hoc fuerit quod appetierit quoddam ſpirituale bonum ſupra menſuram ſuam, & hoc pertineat ad ſuperbiam, ergo primum peccatum primorum parentum fuit ſuperbia.

Confir. ¶ Confirmatur, nam Eccleſiaſtici. 10. dicitur, initium omnis peccati ſuperbia; ſed peccatum hominis fuit initium omnis peccati iuxta illud ad Romanos quinto: per vnum hominem peccatum in hunc mundū intrauit, ergo [illegible]

Secundum argum. ¶ Secundo homo peccauit appetendo eſſe vt Deus, iſte autem appetitus eſt ſuperbia, ergo: maior probatur ex gloſſa ſuper illud Pſalmi, ſuperbi iniquè agebant vſquequaque, vbi dicit, ſi homo ſuggeſtione ſerpentis, vt Deus eſſe noluiſſet, non lethalis culpæ tranſiſſet ad nos hæreditas.

Tertia ratio. ¶ Tertio probatur ex Diuo Gregorio, qui ſuper Iob. 41. inquit per ſe percipere diuinitatem Adamus credidit, & immortalitatis gloriam amiſit, ſed velle percipere diuinitatem pertinet ad ſuperbiam, ergo.

Confir. ¶ Confirmatur, ex gloſſa ſuper illud Pauli ad Philippenſes ſecundo ſuper illa verba, non rapinam arbitratus eſt. Vbi inquit nō vſurpauit, quod ſuum non erat, ſcilicet, æqualitatem Dei, ſicut diabolus fecit, & primus homo, ſed appetere æqualitatem Dei pertinet ad ſuperbiam, ergo.

Secunda ſenten. ¶ Secunda ſententia eſt Diui Bonauenturæ in ſecundo diſtinctione 22. quæſtione prima. numero ſeptimo. dicens quod ſicut innuit textus, & expreſſe dicit Apoſtolus, principale peccatum homini per quod lapſus eſt, fuit inobedientia, & per quod deriuatur mors in omnes poſteros. Vnde & ad hoc diabolus ipſum adducere intendebat, quod patet per principium ſuæ interrogationis, cur præcepit vobis Deus, &c. Sed quoniam nemo aſpiciens ad malum operatur, neque appetit malum niſi ſub ſpecie boni, ideo clare deprehendens [illegible], quod non poſſet mulierem in peccatum præcipitare, niſi proponeret aliquod appetibile, illa propoſuit intentando fallaciter ad quæ omnis homo ſecundum veritatem tendit naturaliter. Naturaliter enim omnis homo beatitudinem appetit, quæ eſt bonum copioſum, glorioſum, & delicioſum, ideo omnis homo naturaliter appetit excellentiam, & ſufficientiam, & lætitiam, & in appetitu ordinato cōſiſtit iuſtitia, in inordinato verò culpa, nam ſuperbia non eſt aliud, quam immoderatus appetitus propriæ excellentiæ. Auaritia immoderatus appetitus ſufficientiæ. Gula immoderatus appetitus cibi reficientis ſuauiter. Conſiderans igitur diabolus hanc eſſe viam ad præcipitandam mulierem in culpam primo præmiſit dignitatis excellentiam, Eritis ſicut Dij, &c. Secundo ſubiungitur cognitionis abundantia, ſcientes bonum, & malum, poſtremo prętendit ſuauitatis experientiam, cum oſtendit lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue. Quoniam igitur mulier diabolicæ ſuggeſtioni conſenſit, ideò primo in appetendo eſſe ſicut Deus fuit ſuperbia. Deinde in appetendo ſcire bonum & malum, quod non opoꝛtebat, & ſcire pluſquam oportebat, fuit auaritia, poſtremo in experiendo ſuauitatem ligni vetiti, fuit gula, & in hoc fuit tranſgreſsionis rea, & culpa inobedientiæ inuoluta, & ſic patet quod peccatum mulieris inchoatum fuit in ſuperbia, progreſſum habuit in auaritia, conſummationem habuit in gula. Et numero octauo reſoluens quæſtionem dicit, ex his igitur patet reſponſio ad quæſtionem, rationes enim oſtendentes, quod primum peccatum fuerit ſuperbia, vera concludunt, quia ab illa fuit inchoatio. Rationes ſimiles oſtendentes quod fuerit inobedientia, Gula, & Auaritia verum concludunt. licèt non fuerit ibi Auaritia propriè dicta, ſecundum quod eſt appetitus pecuniæ, ſed ſecundum quod eſt appetitus ſufficientiæ, & in ipſa fuit peccati progreſſus, ſed in peccato Gulæ, & inobedientiæ fuit cōſummatio in actu videlicet comedendi Gula enim erat in quantum in illo cibo inordinate delectari volebat, ſed inobedientia cum in actu ipſius comeſtionis contra diuinum præceptum faciebat.

¶ Tertia ſententia eſt Doctoris pro [illegible] explicatione, & quæſtioni eſt primo notandum, quod in hac quæſtione non eſt ca- *Tertia ſententia.* *1. Nota.*

de difficultas de viro, & de muliere, vt optimè tradit Diuus Bonauentura vbi ſupra quæſtione. 2. numer. 11. & Caietanus. 2. 2. quæſtione. 163. artic. 3. quoniam cum diuina ſcriptura multa nobis enarret circa peccatum Euæ, nempe confabulationem cum ſerpente, promiſsionem ſcientiæ boni & mali, & quod videret pomum, quod eſſet pulchrũ viſu, &c. facillimè poteſt colligi quale fuerit peccatum Euæ, quia tamẽ circa peccatum Adami ſacra ſcriptura ſolũ dicit quod poſtquam mulier comedit, dedit viro ſuo, qui comedit & aperti ſunt oculi amborum, & cognouerunt ſe eſſe nudos, & prima ad Timoth. 2. quod vir non eſt ſeductus, ſed mulier, hinc non ita facile conſtat quale fuerit peccatum Adami, in peccato tamen Euæ fuerunt quam plurima peccata vt docet D. Bonauentura ibi.

2. Nota. ¶ Secundo eſt notandum, quod cum certiſſimum ſit Adamum non fuiſſe ſeductum à ſerpente, ſicut Eua, quod illud, quod Adamus intendit, quando tranſgreſſus eſt præceptum diuinum, non fuit illud, quod Eua intendit, quando comedit de ligno vetito, vnde in illa promiſsione ſerpentis, quando dixit Euæ, Eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum, quamuis Eua fuerit ſeducta intellexit impoſsibile ſibi eſſe taliter Deo aſsimilari. Vnde quod nonnulli adducunt, ꝙ Adamus habuit appetitum aſsimilationis ad Deum non abſolutum, ſed conditionatũ id eſt, ſi talis aſsimilatio eſſet poſsibilis, nõ habet veriſimilitudinem, quia talis appetitus non poteſt oriri, niſi ex vehementi paſſione, vel ex vehementi malitia, & ante peccatum in Adamo, neque ponenda eſt malitia, neque paſsio vehemens. Quis enim ſanæ mentis ſtante paſsione ſedata, & ratione recta habuit vnquam, vel potuit habere iſtum actum, velim Deo aſsimilari, ſi talis aſsimilatio eſſet mihi poſsibilis, & taliter ꝙ in iſto actu peccaret? talis enim actus ſemper præſupponit nimiã malitiã, vel nimiã paſsionẽ, vel nimiã incõſiderationẽ, qualẽ aſsignamus in Angelis peccãtibus, qui ſe nimium ipſos conſiderantes, & Deũ non contemplantes nimis ſibi complacuerunt, vnde elatio contra Deum exorta fuit, & appetitus propriæ excellentiæ: cum verò Adamus non fuerit ſeductus intellexit igitur, quod non erat futurus ſicut Deus, ſciens bonum, & malum, & perconſequens neque appetijt propriam excellentiam inordinatè, neque aliquod donum ſupernaturale contra ordinem à Deo conſtitutum.

¶ Tertiò eſt notandum, quod ſuperbia, vt communiter tradunt Doctores, & D. Tho. 2. 2. quæſtione. 162. eſt appetitus propriç excellentiæ. Vnde quamuis quodlibet peccatum habeat quandam elationẽ animi, & appetitum propriæ excellentiæ, pro quanto peccator magis æſtimat voluntatem propriam, quàm voluntatem diuinam, & ſecum propoſitum ſuum facere, quam propoſitum diuinum adimplere, hinc prouenit quod de vnoquoque peccatore verificetur illud Pſalmi, ſuperbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper; vel quod in vnoquoque peccato cuiuſcunque ſpeciei ſit, aliquid ſuperbiæ eluceat, non tamen ex hoc ſequitur; quod ſuperbia non ſit peccatum ſpecie diſtinctum à reliquis peccatis. 3. Nota.

¶ Quartò eſt notandum, quod amor eſt duplex, ſcilicet, amor amicitiæ, & amor cõcupiſcentiæ. Amor amicitiæ eſt actus voluntatis tendens in aliquod obiectum vltimate, id eſt, ſolum intendens obiectum illud: Amor autem concupiſcentiæ eſt actus elicitus à voluntate tendens in aliquod obiectum non propter ſe, ſed propter bonum alterius obiecti, quod amore amicitiæ ſumus proſequuti. Et iſti duo amores adhuc diſtinguuntur in amorem ordinatum, & inordinatum, amor ordinatus eſt amor elicitus iuxta regulam rationis, amor verò inordinatus eſt actus elicitus contra regulam rationis. 4. Nota.

¶ Prima Concluſio. Primum peccatum Euæ fuit ſuperbia. Hæc concluſio communis eſt apud omnes, & probatur ex illo Eccleſiaſtici. 10. initium omnis peccati ſuperbia, & probatur ratione, nam Eua peccauit per ſuggeſtionem ſerpentis dicentis illi, Eritis ſicut Dij, in qua ſuggeſtione ſeducta fuit, ergo credidit, quod comedens de arbore vetita adeptura erat diuinam quandam dignitatem: appetere autem dignitatem diuinam, (quando appetitur inordinatè) pertinet ad ſuperbiam, ergo. Prima concluſio. Ratio.

¶ Confirmatur, nam ſuperbia eſt appetitus propriæ excellentiæ, qui appetitus cõtingit dupliciter, vel æſtimando plus excellentiam propriam, quam ipſa propria excellentia debet æſtimari, vel appetendo Confir.

aliquid

aliquid propriæ excellētiæ repugnans, vel illam ſuperans, vt propria excellentia maior efficiatur, ſed Eua appetijt aliquid repugnans propriæ excellētiæ, vel aliquid quo eius excellētia maior efficeretur, ergo peccatum Euæ fuit peccatum ſuperbiæ. Probatur minor, nam appetijt illud eſſe diuinum à ſerpente promiſſum iuxta modum ab illa conſideratum, ſed tale eſſe repugnabat Euæ, vel ſaltim perficiebat illam ſecundum ordinem indebitum ſuæ perfectioni, ergo primum peccatum Euæ fuit ſuperbia.

Secunda concluſio. ¶ Secunda concluſio. Primum peccatum Adami, vel principalis ratio, & principale motiuum in peccato Adami fuit inordinatus amor amicitiæ erga propriam vxorem. Hæc concluſio eſt Doctoris, vt patet in litera. *Ratio.* Et probatur ex Diuo Auguſtino 12. ſuper Geneſim capit. vlt. vbi inquit, Adam non carnali concupiſcentia ductus, ſed amicabili quadā compulſus beneuolentia (qua plerūq; fit, vt offendatur Deus, ne offendatur amicus) peccauit, ergo iuxta D. Aug. amor inordinatus erga propriam vxorem fuit in cauſa, vt Adamus comederet de ligno vetito.

Confirm. ¶ Confirmatur, nam iuxta eundem Diuum Auguſtinum, ideò Adamus comedit, ne contriſtaret delicias ſuas. Ex quo loco deducitur, quod in illo ſtatu feliciſsimo poſſet eſſe aliqualis triſtitia, ſi appetitus ſenſitiuus non ordinaretur per iuſtitiā originalem, alias enim quomodo poſſet Adamus timere triſtitiam propriæ vxoris, ſi vxòr non poterat habere aliqualem triſtitiam. Vnde vt dicebat Doctor diſt. 29. oculus in viſione rei fœdæ poſſet triſtari, ſi per iuſtitiam originalem non corrigeretur, per quam poſſet homo taliter corrigere triſtitiam illam, vt nullo modo in tali viſione triſtaretur, ergo amor inordinatus erga propriam vxorem fuit cauſa illius peccati.

Solutio. ¶ Ad hoc argumentum reſpondet Caietanus vbi ſupra artic. 4. dicens, ad authoritatē Auguſtini dicitur, quòd ex illa authoritate non habetur, quòd primum peccatum Adę fuerit inordinatus amor beneuolentiæ ad vxorem, ſed quòd amor beneuolentiæ ad vxorem fuit cauſa peccati Adæ, quod ſtat cum hoc, quod peccatum primum Adæ fuerit ſuperbia, ita quod ex amore beneuolentiæ ad vxorem, qui amor ſecundum ſe non erat peccatum, non fecit reſiſtentiam tentanti vxori, & ſic aliqualiter elatus videns illam non mortuam appetijt idem, quod illa appetierat, licet alio modo. ¶ Iſta tamē ſolutio non euacuat difficultatem, imo illam auget. *Impugnatio prima.* Primo nam Caietanus concedit quod ex amore beneuolentiæ ad vxorem non fecit reſiſtentiam tentanti vxori, ergo ille amor erat inordinatus. Patet ſequela, nam Adamus tenebatur non ſolum reſiſtere vxori tentanti, ſed corripere vxorem comedentem, ſed hoc non fecit propter amorem erga vxorē, ergo amor ille fuit amor inordinatus. *Impugnatio ſecūda.* Secūdo, nam ipſe docet, quod videns illam non mortuam appetijt idem, quod illa appetierat aliqualiter tamen elatus. Ex quo ſic Adamus fuit aliqualiter elatus ex eo, quod vidit Euam comedentem, & non mortuam, ergo fuit infidelis nō credens dictis Dei dicentis, in quacunque die comederis, morte morieris, ſed amor inducens in incredulitatem eſt peccatum, ergo amor ille, quem habebat erga vxorem fuit peccatū. *Impugnatio tertia.* Tertiò ſi Adamus appetijt idem, quod Eua, vel illud appetijt abſolutè, vel conditionaliter, ſi abſolutè, ergo fuit ſeductus ſicuti Eua, quod eſt cōtra Diuum Paulum, ſi autem conditionatè, ideſt, ſi mihi eſſet poſsibile, hoc ex natura ſua non eſt peccatum, ſi ex affectu inordinato non procedit, ſicut verbi gratia, ſi quis appeteret eſſe Angelum, vel angelicam perfectionem, dicens, vtinam perfectionem angelicam haberem, ſi mihi poſsibilis eſſet, non ex hoc peccatum induceret, niſi talis appetitus ex alio inordinato appetitu procederet. Ergo ſi Adamus appetijt perfectionem diuinam ſub hac conditione, ſi illi poſsibilis eſſet, ſi talis appetitus non proficiſcitur ex alio appetitu inordinato: certiſsimum eſt talem appetitum non eſſe peccatum primum, ſed præſupponeret aliud primum peccatum, & ſic, quamuis in peccato Adami fuerit ſuperbia, non tamen ſuperbia fuit primum in peccato Adami. *Quarta impugnatio.* Quarto, ipſe Caietanus cōcedit, quòd aliqualiter elatus videns Euam non mortuam, &c. ergo Adamus habuit iudicium falſum circa mortalitatem Euæ, & circa verba Dei. Patet ſequela, nam anteà quàm Adamus videret Euam comedentem vel credidit verbis Dei dicentis, in quacunque die comederis &c. vel non. Si ſic, ergo quando vidit Euam comedentem, & nō morientem habuit iudicium oppoſitum iudicio præterito, & per conſequens, vt dixi, primum in peccato Adami, fuit infideli-

tas, vel non credulitas, nam aliàs quomodo potuit aliqualiter elatus illam dignitatem appetere, quam Eua appetijt, niſi credens, quod neque ipſe moriturus erat, etiam ſi comederet, cum vxor eius non fuerit mortua, etiam ſi comederit & ex illo falſo iudicio exortus eſt appetitus ille propriæ excellentiæ, & dignitatis. Quem ponit Caietanus, licet conditione quadam ſi poſsibilis eſſet. Vltimo Adamus volens complacere mulieri comedit, ergo primum in peccato Adami fuit amor inordinatus: Antecedens patet, nam ipſe fatetur, quòd amor beneuolentiæ ad vxorem fuit cauſa peccati Adæ, ſed quod eſt cauſa peccati, peccatum eſt, ergo quamuis peccatum Adami fuerit vltimate completum per ſuperbiam, & elationem illam, quam Caietanus aſsignat, initium tamen illius peccati, & primum peccatum Adami fuit inordinatus amor erga propriam vxorem.

Vltima impugnatio.

¶ Tertia concluſio. Probabiliſsimum eſt, quod poſt primum peccatum Adamus appetierit eſſe ſicuti Deus vel habere perfectionem aliquam diuinam, non qualis in Deo reperitur, ſed ſuperexcellentem, & maiorem, quàm ipſi naturæ Adami conueniebat. Hæc concluſio probatur ex illo, quod habetur Geneſeos 3. vbi dicitur, Poſt quàm comedit Adam, ecce Adam factus eſt ſicut vnus ex nobis: ac ſi diceret, ſi perfectionem diuina appetebat, iam illã habet: eſt enim ironica locutio. Ironica autem locutio præſuppoſnit appetitum illius rei, de qua fit talis locutio, ergo iſta locutio præſupponit Adamum appetijſſe perfectionem aliquam diuinam, & ſuperexcellentem. Videndus eſt Diuus Auguſtinus lib. vndecimo ſuper Geneſim ad literam capit. vigeſimonono. & libr. ſecundo contra Manichæos capit. decimoquinto. & Diuus Gregorius libr. nono Moralium capite ſecundo.

Tertia concluſio.

Ratio.

¶ Reſpondetur argumentis. Ad primum reſpondetur negando eius fundamentum; nam illud tantum oſtendit, quod in peccato Adami fuerit ſuperbia, ſcilicet appetitus alicuius [illegible]itatis ſuperexcellentis non tamen oſtendit, quod primum eius peccatum fuerit talis appetitus, vt dictum eſt in vltima concluſione. Ad confirmationem reſpondetur primo cum Diuo Bonauentura, quod eſt locutio per ſynecdochen, vbi ſumitur pars pro toto, vel ſecundo reſpondetur, quod quia cum peccatum Euæ fuerit appetitus alicuius ſuperexcellentis perfectionis, & per conſequens fuerit ſuperbia, quia ſimul fuit cauſa peccati Adami incitando illum ad comedendum, ideò dicitur initium omnis peccati ſuperbia. Vel tertio reſpondetur, quòd ſuperbia ibi ſumitur largo modo ſecundum, quod in vnoquoque peccato poteſt reperiri quatenus homo peccator magis æſtimat voluntatem propriam, quam voluntatem Dei.

Reſp. arg. Ad primũ

Ad confirmationẽ. reſpon. primo.

¶ Ad ſecundum reſpondetur, & ad tertium cum omnibus authoritatibus, quòd illæ tantum probant Adamum appetijſſe illam perfectionem diuinam, non tamen oſtendunt primum peccatum Adami fuiſſe appetitum illius perfectionis: vnde bene ſtat quòd Adamus ne delicias ſuas contriſtaret, vellet primo comedere de cibo vetito, & poſtea ante comeſtionem velit illam propter perfectionem aliquam ſuperexcellentem adipiſcendam, & ſic, quamuis peccatum Adami fuerit ſuperbia, non tamen primum peccatum Adami, vel peccatum Adami quoad ſuum initium fuerit ſuperbiã, ſed ex amore illo inordinato, quem circa ſuam vxorem habuit, cœpit comedendi appetitus, qui in appetitum alicuius perfectionis excreuit, propter quem vltimatè pomum comedit.

Ad ſecundũ & tertium arg.

¶ Quid ſi quæras, qualiter Adamus potuit peccare per inordinatum amorem, erga vxorem, cum amor inordinatus pertineat ad portionem inferiorem, quæ plenè ſubdita erat rationi, neque poterat deordinari quouſque portio ſuperior deordinaretur. Reſpondetur, quod patet ex Doctore in hac quæſtione, amor inordinatus non fuit amor concupiſcentiæ, vel libidinis, quia in illo ſtatu non erat libido propter ſubiectionem appetitus ſenſitiui, quam habebat ad rationem, ſed abſque vlla ſuggeſtione potuit voluntas Adami pro ſua libertate inordinare diligere Euam, ex qua dilectione ortum habuit tanquam ex prima radice voluntas comedendi, quæ voluntas interpretatiuè, & non formaliter eſt ſuperbus appetitus poſtquam voluntatem potuit ſubſequi ſecunda voluntas appetendi æqualitatem Dei, vel perfectionem aliquam, quæ propter ſui excellentiam potuit diuina nuncupari.

TEX-

TEXTVS.

QVia igitur Adam fuit circūſpectior, & nobilior & fortior ideò per accidens fuit ſuum peccatū maius, Diſtinctione 22. quæſtione. 2. infra literam. F.

EXPLICATIO LITERÆ.

IN hac litera Doctor ſupponens, vtrūq; parentem comedendo de ligno vetito peccaſſe, reſpondet quæſtioni illi (quis eorum grauius peccauit) dicens, quòd quãuis Eua per ſe grauius peccauerit, per accidens tamen peccatum Adami grauius fuit peccato Euæ. Vt autem prædicta veritas magis eluceſcat ſit Quæſtio tertia.

QVÆSTIO. III.

¶ *Vtrum Adamus grauius commiſerit peccatum, quam Eua.*

Primum argum. PRo parte affirmatiua eſt primū argumentum, ideò peccatū eſt malum, quia adimit bonum, ſed peccatum Adami ademit iuſtitiam originalem à ſe, & ab omnibus ſuis poſteris, non autem peccatum Euæ, ergo.

Secundum argum. ¶Secundo, ſecundum iuſtitiam diuinā pœna correſpondet culpæ, nam ſecundū menſuram delicti erit & plagarum modus, ſed peccato Adami maxima fuit pœna inflicta, nēpe mors pro ſe & ſuis poſteris, ergo.

Tertium argum. ¶Tertiò, peccatum Adami fuit appetitus æqualitatis Dei, talis autem appetitus maius delictum eſt in Adamo quã in Eua, ergo.

1. Notab. ¶Pro explicatione huius quæſtiōis eſt primo notandū, ꝙ grauitas peccati pōt multipliciter cōſiderari, primo per cōparationē ad virtutē, cui opponitur, tantò enim grauius peccatum eſt, quantò virtus, cui opponitur eſt præſtãtior. Vnde furtum grauius peccatum eſt, quàm gula, quia iuſtitia, cui furtum opponitur, præſtantior virtus eſt abſtinentia. Secundo conſideratur grauitas peccati ratiōe maioris præcepti, quod per ipſum violatur, quare blaſphemia grauius peccatum eſt, quam homicidium, quia per blaſphemiam maximum, & primum mandatum violatur. Tertio modo illud eſt grauius peccatum, quod pluribus præceptis opponitur. Vnde incontinentia in viro regulari maius peccatum eſt violatione ieiunij, quia illa & opponitur voto, & præcepto diuino: iſta vero præcepto regulæ & eccleſiaſtico. Quarto modo illud eſt grauius peccatum quod penſatis his circūſtantijs maiorem grauitatem habet.

¶Secundo eſt notandum, quòd peccatum poteſt conſiderari dupliciter vno modo ſecundum ſe, ſcilicet à ſua ratione formali obiectiua, & ex genere ſuo: alio vero modo ſecundum ſuas circunſtantias. *2. Notab.*

¶Prima concluſio. Peccatum primorum parentum ex ſe & ſecundum ſuam ſpeciem non eſt grauiſsimum inter omnia peccata contra Deum cōmiſſa. Hæc concluſio probatur, nam illud peccatum non fuit ex illis quæ ideò ſunt prohibita, quia mala, nam comeſtio ex ſe mala non erat, niſi quia prohibita, ergo comeſtio illa non fuit grauiſsimum peccatum inter omnia peccata. Confirmatur, nam illud peccatum non opponebatur præcepto præſtantiſsimo. *Prima cōcluſio. Ratio. Confirm.*

¶Secunda concluſio. Peccatum primorum parentū ex circunſtantia perſonæ fuit grauiſsimum inter omnia peccata. Hæc cōcluſio patet, nã tale peccatum fuit peccatum capitis, & ab hominibus conſtitutis in ſtatu perfectiſsimo, ergo. *Secunda concluſio. Ratio.*

¶Tertia concluſio. Peccatum primorum parentum poteſt dici grauiſsimum extenſiuè. Hæc concluſio probatur, nam peccatum primorum parentum extēſum eſt per omnes deſcendentes ab illis, ergo. *Tertia cō cluſio. Ratio.*

Reſpondetur argumentis.

¶ Ad primum reſpondetur diſtinguendo. Antecedens, ſcilicet ſi illud adimit formaliter, ſecus autē ſi demeritoriè. Vnde quia peccatum eſt carentia rectitudinis debitæ in eſſe, tantò aliquod peccatum grauius eſt, quantò maiorem carentiam rectitudinis debitæ in eſſe includit, & quia peccatū Adami non ademit iuſtitiam originalē formaliter, ſed demeritoriè, quamuis tale peccatum eſſet carentia rectitudinis illius, quę deberet ineſſe à iuſtitia originali. Hinc prouenit, quod ex hoc quod per illud peccatū ablatus ſit habitus iuſtitiæ originalis, non infertur quanta ſit grauitas intrinſeca licèt bene concludatur quanta ſit grauitas extrinſeca illius. *Ad primū argum.*

¶Ad ſecundū, ꝙ pœna, quæ correſpōdebat peccato Adæ, erat duplex, prima erat tēporalis & cōis omnibꝰ hominibꝰ, ſcilicet mors ſecunda erat æterna, ſcilicet pœna inferni, neutra tamen dicitur grauiſsima, quia mors non eſt grauiſsima omnium pœnarum, ſi quid *Reſp. arg. Ad ſecundum.*

quidem iuſtè ex lege ciuili infligitur pro aliquo delicto, quod non eſt grauiſsimum. Pœna etiam æterna, ſcilicet pœna ſenſus, quæ debebatur peccato Adami in inferno non erat grauiſsima, quia quanuis cuilibet peccato mortali correſpondeat pœna infinita extenſiuè: nihilominus tamen pœnæ in inferno nõ ſunt æquales, imo ſi ipſe Adamus damnatus fuiſſet pro iſto peccato non fuiſſet ita grauiter punitus, ſicut multi alij puniuntur in inferno, & ſic ex ratione pœnæ non colligitur grauiſsimum eſſe peccatum, quia pœna illi correſpondens nõ erat grauiſsima.

Reſpondetur ſecundo.

¶ Vel ſecundo reſpondetur, ꝙ illud peccatum eſt maius, cui maior debetur pœna, ſi pœna illa ſit formaliter punitio illius culpæ. Vnde ſi conſideretur peccatum Adami quatenus erat peccatum capitis diximus iam eſſe grauiſsimum omniũ peccatorum, & pœna illi correſpondens, vt ſic eſt grauiſsima inter omnes pœnas, nã eſt carentia viſionis beatificæ, quæ omnibus decedentibus cũ peccato Adami, nempe cum peccato originali, omnibus æqualiter conuenit, cùm non ſit maior carentia in vno, quàm in alio. At vero ſi conſideretur tale peccatum ex genere ſuo, & vt perſonale peccatum erat, non fuit grauiſsimum inter omnia peccata.

Ad tertiũ argum.

¶ Ad tertium reſpondetur, quòd Adamus non appetebat æqualitatem Dei formaliter, ſed tantum interpretatiuè, quod commune eſt omnibus peccantibus.

QVÆSTIO IIII.

¶ *Vtrum peccatum Euæ fuit multò grauius, quàm peccatum Adæ.*

EX dictis in quæſtione ſecunda ſatis patet ad præſentem quæſtionem, nam ſi ſententia Diui Thomæ vera eſt, ſcilicet, quòd peccatũ Adami fuit formaliter ſuperbia, & quod idem appetijt Adamus, quod appetijt & Eua. certiſsimum eſt, quòd ſi tale peccatum conſideretur ſecundum proprium genus, quod peccatum vtriuſq; fuit æquale, quia vtrunque fuit ſuperbia. Si autem conſideretur quantum ad ſpeciem ſuperbiæ grauius peccauit mulier, quàm vir, nam mulier credidit verum, quod ſerpens promiſerat, dicens, Eritis ſicut Dij, quod vir nõ credidit, quia non fuit ſeductus, ſecundò quia mulier peccauit in Deum, & in proximũ, quia non ſolùm ipſa peccauit, ſed induxit virum ad peccandum. Tertiò quia vir in peccatum conſenſit amicabili quadam beneuolentia, qua, vt inquit Auguſtinus plerunque fit, vt offendatur Deus, ne offendatur amicus. ¶ Si autem conſideretur peccatum ſecundum ſuas circunſtantias, grauius peccauit vir quàm mulier. Doctor autem eandem ferè ſententiam docet licèt ex alio medio, nam (vt vidimus) peccatũ Euæ fuit peccatum ſuperbiæ formaliter, at vero peccatum Adami tantum interpretatiuè, formaliter autẽ peccauit ex inordinato amore, vt dictum eſt. Si autem conſideretur tale peccatum ex circunſtantia accidentali, ſcilicet propter excellentiam perſonæ, & dignitatem, quæ ex hoc magis debet præcauere peccatum, item propter fortitudinem & poſsibilitatem reſiſtẽdi, quia Adam tantò grauius plectendus erat, quanto leuiori impulſu erat proſtratus, ideò peccatum Adæ accidentaliter fuit grauius peccato Euæ, formaliter tamen per ſe, & præciſe in ſe peccatum Euæ fuit grauius.

¶ Quod ſi quæras vtrum Eua fuerit infidelis & dubitauerit de veritate diuini mandati, reſpondetur negatiuè, ſed ſolùm hæſitaſſe de verborum ſenſu, ſi comminatorius erat, nec ne, qualis erat ſenſus ille verborũ Ionæ, quadraginta dies adhuc & Niniue ſubuertetur: neque in hoc fuit aliqua ignorantia neq; deceptio, quia non certò ſtatuebat ſenſum illum, ſed ſolum fieri poſſe æſtimabat verba donanda illo ſenſu, in quo non eſt ignorantia, ſed non ſcientia, quia ante primum peccatum nulla fuit ignorãtia: vnde primum peccatũ in Eua profectum eſt ſolum ex libertate arbitrij, ſimiliter & primum peccatum Adami, & non ex ignorantia, aut debilitate mentis, vel corporis infirmitate, aut ex malitia, fuit enim complacere plus quam ſatisfuerat in vxore, quæ nimia cõplacentia præponens fuit amorem vxoris diuinæ iuſsioni.

DISPV-

DISPVTATIO XXIIII.

DE IMMORTALITATE ADAmi. Continet tres Quæſtiones.

PRima. vtrum in ſtatu innocentiæ fuiſſet homo ab intrinſeco immortalis.

¶ *Secunda. vtrum fructus ligni vitæ in ſtatu naturæ corruptæ ſatis eſſet ad conſeruandam vitam in æternum.*

¶ *Tertia. Vtrum virtus illa ligno vitæ conceſſa fuerit natu alis.*

TEXTVS.

DIco, quòd homo in ſtatu, ſeu ſtante ſtatu innocentiæ potuit mori, iſta tamen potentia non fuiſſet reducta ad actum, & ſic poterat non mori, ſcilicet, ſi diceretur de aliquo, & verè, quod poteſt eſſe epiſcopus, qui tamen nunquam erit epiſcopus, vel cuius poſsibilitas nunquã reducitur ad actum, diſtinctione 19. quæſtione vnica, litera A.

EXPLICATIO LITERÆ.

DOctor in hac litera vnicam aſsignat concluſionem, quæ talis eſt. In ſtatu innocentiæ potuit homo non mori, quãuis ab intrinſeco eſſet mortalis. Hãc concluſionem probat in corpore quæſtionis cuius veritas, patebit in quæſtione.

QVÆSTIO. I.

¶ *Vtrum in ſtatu innocentiæ eſſet homo ab intrinſeco immortalis,*

Prima ſententia. DE hac re eſt prima ſentẽtia Diui Thomæ 1. par. quæſt. 97. articul. 4. aſſ[illegible] hominem in ſtatu innocentiæ eſſe immortalẽ ratione iuſtitiæ originalis, vel per qualitatem quandam ſupernaturaliter collatã, per quam poterat corpus ab omni corruptione præſeruare. Explicans autem Magiſter Soto quæ n[illegible] eſſet qualitas illa, reſpondet eſſe [illegible]itiam originalem, ſiue gratiam gratum [illegible]entem, quæ quatenus talẽ effectum tribuebat corpori, iuſtitia originalis dicebatur. ¶ Quæ ſententia probatur primo, ex Diuo Auguſtino in libro. quæſtionum noui, & veteris Teſtamenti dicente: Deus hominem fecit, qui quandiu non peccaret, immortalitate vigeret, vt ipſe ſibi author eſſet, aut ad vitam, aut ad mortẽ. *Prima ratio.*

¶ Confirmatur ratione, nam ſicut homini datum eſt in ſtatu innocentiæ dominium ſuper alias creaturas congruum fuit vt animæ daretur virtus, qua poſſet corpus conſeruare ſuper naturam corporalis materię. *Confirm.*

¶ Secundo, Concilium Mileuitanum contra Pelagianos capit. 1. definit, dicens ſic: ſi quis dixerit Adam primum hominẽ mortalem factum, vt ſiue peccaret, ſiue nõ peccaret, neceſsitate naturæ moreretur, Anathema ſit. Confirmatur ex Diuo Auguſtino 14. de ciuit. Dei cap. 26. dicente. Cibus aderat, ne eſuriret, potus ne ſitiret, lignum vitæ ne illum ſenecta diſſolueret, nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore vllas moleſtias, vllis eius ſenſibus ingerebat, nullus intrinſecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinſecus, ſumma in carne ſanitas: ſed totum hoc non poterat eſſe, niſi corpus eſſet immortalis ratione originalis iuſtitiæ, ergo. Tertio lignum vitæ reparabat omnem humorem, & ſubſtantiam corporis deperditam, ergo per eſum illius redde betur homo immortalis. Antecedens probatur ex illo, quod habetur Geneſeos 3. Eijcite Adam de paradiſo ne fortè ſumat de ligno vitæ, & viuat [illegible] *Secunda ratio.* *Confirm.* *Tertia ratio.*

¶ Vt autem prædicta ſente[illegible] intelligatur, eſt aduertendum, tripliciter dici aliquid incorruptibile, vno modo ex parte materiæ, nempe quia caret illa, ſicut Angelus, vel habet illam ſatiatam. Secundo modo ex parte formæ, quia ſcilicet rei per naturam corruptibili inhæret aliqua diſpoſitio, per quam totaliter à corruptione prohibetur, & hoc modo corpus glorioſum dicitur incorruptibile ſecũdum formã, quia vt inquit Diuus Auguſtinus in epiſtola ad Dioſcorum, tam potenti natura Deus fecit animam, vt ex eius beatitudine redundet

in cor-

in corpus plenitudo ſanitatis & incorruptionis vigor. Tertio modo dicitur aliquid incorruptibile ex parte cauſæ efficientis, & hoc modo in ſtatu innocentiæ fuiſſet homo incorruptibilis, & immortalis iuxta illam autoritatem Diui Auguſtini ſupra citatam. Hoc igitur ſuppoſito Dicit D. Thom. quòd corpus Adami non erat indiſſolubile per aliquem immortalitatis vigorem in eo exiſtentem, ſed quòd inerat animæ eius vis quædam ſupernaturaliter, & diuinitùs data, per quam poterat corpus ab omni corruptione præſeruare, quamdiu ipſa Deo ſubiecta manſiſſet, & arti. 4. docet quod in ſtatu innocentiæ maneret homo immortalis per eſſum ligni vitæ, nam vt ibi inquit Caietanus, duplex erat in homine immortalitatis cauſa, vna ex parte animæ, nempe iuſtitia originalis, altera ex parte corporis, & hæc erat lignum vitæ habens virtutem conſeruandi vitam ad certum longum tempus: vnde iungendo has duas cauſas ſimul, ſcilicet ex ſumptione ligni vitæ nulla debilitatio ſequebatur in primo parente, quamuis in nobis debilitatio ſequeretur poſt peccatum, non enim viueremus immortales per illud, quamuis longiſsimo tempore de illo comedentes in vita perſiſteremus, propter quam diuturnitatem dictum eſt geneſeos. 3. ne forte ſumat, & viuat in æternum, ſimul tamen ſumptis eſſus ligni vitæ & donũ illud, quod erat in anima, qua potens reddebatur ad præſeruandum corpus à corruptione, manebat homo ſimpliciter immortalis, & incorruptibilis.

Secunda ſententia. ¶ Secunda ſententia eſt aliorum aſſerentium, quòd talis impaſsibilitas, & immortalitas proueniebat à qualitate quadam, quæ neque erat gratia gratum faciens, neque erat in ſubſtantia animæ tanquam in ſubiecto, ſed qualitas quædam corporea, quæ corpori in hærebat, & per totum corpus Adami extendebatur. *Prima pars prob.* Hanc ſententiam probant quoad primam partem, *Prima ratio.* quoniam immortalitas, & impaſsibilitas illa non erat miraculoſa, & quæ breue tempus eſſet duratura, vt fuit conſeruatio calceorum, & veſtimentorum filiorum Iſrael per deſertum, ſed erat conditio & donum illius ſtatus, quod niſi Adam peccaſſet, transfundendum foret in omnes poſteros, eſſeque comitaturum eſſet, quouſque ad ſtatum ſempiternæ fœlicitatis transferrentur; Deus autem quæ miraculoſa non ſunt, ſed debità quodammodò, tanquam conditiones alicuius ſtatus duraturaque ex ſe forent, non ad breue tempus, ſed quamdiu homines in hoc mundo perdurarent, non conſueuit ſe ſolo efficere, ſed interuentu cauſæ ſecundæ. ¶ Secundo quia donũ, quo *Secunda ratio.* ſenſualitas in illo ſtatu continebatur, ne eliceret motum contra rationem, erat qualitas quædam, ergo cum eadem ratio ſit de illo, & de dono immortalitatis talis immortalitas à qualitate ſuper habita efficiebatur.

¶ Tertio quoniã Deus cuius voluntas eſt *Tertia ratio.* potẽtia, ſicut hominibus beatis cõferet habituale donum quo eos omninò immortales, & impaſsibiles efficiet, & hominibus damnatis conferet qualitatem, qua mori nequeant, pati tamen poſsint, ita efficere optimè nouit qualitatem, qua prout ſtatus hominum ante peccatum poſtulabat, ſalua vita animalium, actioneque calidi in humidum, corpora eorum à morte, & paſſione afflictiua, & deſtructiua liberaret. Cum ergo ſi talis qualitas Diuina potentia eſſe poſsit, conſonum ſit tum rationi, tum etiam ſuaui diſpoſitioni Diuinæ, qua interuentu cauſarum ſecundarũ ea omnia adminiſtrare ſolet, quæ per cauſas ſecundas fieri poſſunt, affirmandum profectò eſt, eam illi contuliſſe, ac proinde immortales impaſsibileſque eos per habituale donum feciſſe. Et quarto quia mulieres in ſtatu innocentiæ ſine vllo dolore parituræ erant, ergo talis erat tunc habitudo corporis, eaque habituali qualitate erat affectum, vt quando eſſet ſe le relaxaret ad conceptum, & partũ eſt ſine vllo prorſus dolore ſed eadem ratio, vt eadem prorſus qualitate, aut ſimili immortale, & impaſsibile redderetur ergo.

¶ Secundam autẽ partem probãt, nã gratia *Secunda pars prob.* gratum faciens erat qualitas diſtincta à qualitate ſuper adita potentijs ſenſitiuis, ne cõtra rationem inſurgerent, ergo & iſta qualitas diſtincta erat à gratia gratum faciente. ¶ Præterea qualitas, quæ coercebat *Secunda ratio.* appetitum ſenſitiuum, erat in appetitu ſenſitiuo ergo & qualitas, quæ corpus reddebat immortale, & impaſsibile erat ſubiectiuè in corpore. ¶ Vltimò, nam *Tertia ratio.* qualitas illa in anima exiſtens non poterat talem effectum in corpore efficere niſi aliquid ex ea in corpus redundaret. Id autem, quod ita redundaret in corpo-

corpore corporeum eſſet, & in corpore reciperetur, tanquam in ſubiecto, ergo cum magis conſonum ſit talem effectum immediatè à qualitate prouenire, melius eſt dicere quod immortalitas & impaſsibilitas cõuenirent corpori per qualitatẽ in ipſo corpore immediatè ſubiectatam, quàm per effectum qualitatis in anima exiſtentis.

Tertia ſententia. ¶ Tertia ſententia eſt Doctoris, pro cuius explicatione aduertunt nonnulli in ſecundo diſtin. 19. quod mortale rectè vocatur quod poteſt mori, neceſſario tamen nõ debet mori, quod probant ex Diuo Paulo ad Rom. 8. qui mortalia corpora vocat, quæ mori poſſunt, etſi non debeant, viuificabit (inquit) & mortalia corpora veſtra, id eſt, auferet mortalitatem, ita vt mori non poſſint, quia non tantùm auferet necefsitatem mortis, ſed & poſsibilitatem: nam quod neceſſario moritur, appellat Apoſtolus non mortale, ſed mortuum, dicens: corpus quidem mortuum eſt propter peccatũ, id eſt, necefsitati mortis addictum, videndus eſt Diuus Auguſtinus libr. 1. de peccatorum meritis cap. 3. & 5. & lib. 6. ſuper Geneſim ad literam cap. 25.

¶ Secundo aduertunt cum Doctore, quòd immortale ſumitur dupliciter, primo vt ſignificat negationem aptitudinis, ſiue potentiæ moriendi, & tunc immortale ſignificat, quod non poteſt mori, ſecũdo vt ſignificat negationem actus moriendi tantum, atque ita immortale idem eſt, quod potens non mori. His ſic conſtitutis reſpondent quæſtioni, quod Adam in ſtatu innocentiæ non erat immortalis primo modo, erat tamen immortalis ſecundo modo. Primam partem probãt, quia tunc poterat calor naturalis agendo in humidum radicale illud conſumere, ad cuius conſumptionẽ ſequeretur etiam extinctio caloris, & mors, vt patet exemplo ignis, & olei. Confirmatur ex Diuo Auguſtino 14. de ciuit. capit. 26. dicente, Cibus aderat, ne eſuriret, potus ne ſitiret, lignum vitæ ne illum ſenecta diſſolueret. Secunda pars probatur, quia mors introducta fuit propter peccatum, ergo ſi nõ eſſet peccatum non eſſet mors. Hinc inferunt primo, quòd ſi Adam non comediſſet non fuiſſet mortuus. Inferunt & ſecundo, quod ante quam corpus hominis fuiſſet alteratũ alteratione improportionata, trãſlatum fuiſſet homo in paradiſum cæleſtem.

1. *Notab.* ¶ Pro explicatione tamen huius quæſtionis, ſit primò notandum quòd in hac quæſtione Doctores ſcholaſtici in aliquo conueniunt, & in aliquo differunt: conueniunt primo, nam omnes fatentur hominem ex natura ſua ſecluſo quocunque extrinſeco eſſe mortalem vnde quæcunque immortalitas conuenit illi ab extrinſeco nempe ab aliquo dono vel qualitate ſuperaddita. Cõueniunt ſecundo quod nullus homo moreretur, ſi nullum eſſet peccatum, quia definitum eſt in Concilio Tridentino decreto. 1. ſeſſ. 4. Adam per peccatum conciliaſſe ſibi indignationem Dei, & corporis mortem iuxta illud Geneſ. 2. in quacunque die comedetis, morte morieris, quem locum explanans Auguſt. lib. 13. de ciuitate Dei cap. 12. ait. Mors animæ, & mors corporis, & mors gehennæ, & demũ quidquid ad mortem expectat, vt ſunt dolores, vulnera, & morbi, &c. ſub verbis prædictis dominũ cõprehendi aſſeuerat. Quod etiam patet ex illo ad Roman. 6. Stipendia peccati mors, & Sapient. 1. inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Tertiò conueniũt, quia omnes fatentur hominem per donum iuſtitiæ originalis, & eſſum ligni vitæ non eam immortalitatem habuiſſe, quam iuſti poſt reſurrectionem habebunt donum immortalitatis, impaſsibilitatis & incorruptibilitatis redundans à gloria animæ, ita vt nulla ratione, neque pati, neque corrumpi, neq; mori poſſunt. At verò homines in ſtatu iuſtitiæ originali; vel poterant mori, & non mori, vel ſi non poterant mori in ſenſu cõpoſito (ſcilicet) quamdiu talis ſtatus duraret, quia tamẽ poterat homo illum ſtatum amittere, vt de facto amiſsit, ideò in ſenſu diuiſo potuit mori. Cõueniunt etiam quarto in hoc ſcilicet, quòd homines in ſtatu innocentiæ potuiſſent pati non ſolum paſsione omnino perfectiua, qualis ſit per receptionem ſpecierum in ſenſibus exterioribus, & interioribus, ſed etiam paſsionẽ neceſſariam ad animalem vitam, nempè recipiendo alimentum, conuertendo illud in ſubſtantiam aliti, in qua conuerſione eſt aliqualis paſsio, quia omne agens in agendo repatitur, ſed illa talis paſsio non remoueret in illo ſtatũ corpus à naturali diſpoſitione, imò aliquando talis deperditio eſt ad perfectionem naturæ, vt patet in pueris, in quibus conſumitur humidum, & natura perficitur. Vnde in illo ſtatu contingeret aliqua deperditio humidi per actionem caloris

In quo conueniãt doctores.

loris naturalis, non tamen talem, quæ extraheret hominem à ſua naturali diſpoſitione. Pro quo eſt aduertendum quòd duo defectus homini inſunt, ratione quorum debilitatem, & corruptionem patitur, primus eſt de perditio humidi per actionem caloris naturalis, quæ actio, vt docet Doctor hac qnæſtione litera. A prope mediũ, ponitur caloris naturalis in humidum radicale corrumpendo, & conſumendo humidum ad cuius corruptionem, & conſumptionem ſequitur corruptio, & conſumptio proprij etiã caloris, & per conſequẽs animalis, vt patet de igne & oleo, & hoc modo quia pars ſecũdũ ſpeciẽ habet certã periodum, & determinatam in qua poteſt conuertere in ſe partem nutrimenti appoſitam, & in qua non, hoc autem poteſt quã diu poteſt agere ſufficienter in nutrimentũ, & quia omne agens phiſicũ agendo repatitur, & repatiendo debilitatur, ita tamẽ en quod nõ poteſt amplius cõuertere, neq; reſiſtere corrũpenti, & tũc huiuſmôdi pars ſecundũ ſpeciem incipit eſſe ſecundum materiam, & fluere in partem ſecundum materiam deſinendo eſſe ſecundum ſpeciem. Hinc prouenit ſecundus defectus nempe debilitatio virtutis actiuæ ſpeciei, pręcipuè quando oritur ex admiſtione extranei alimenti reſpectu cuius virtus actiua non habet facilitatem illam in conuertendo, qualem reſpectu proprij alimenti habet. Cõſtra iſtos duos defectus habebat homo in ſtatu innocentiæ duo remedia, primum erat eſſus aliorum lignorum paradiſi, quo reſtaurabatur humidũ deperditum per actionem caloris naturalis. Secũdum remedium erat eſſus ligni vitæ, quod inſtitutum erat ad fortificandam virtutem ſpeciei ſcilicet ipſum naturalem calorem. Tota tamen controuerſia inter Doctores eſt, num lignum vitæ ſemper reſtauraret calorem taliter, quòd calor naturalis ſemper maneret in ſua fortitudine, & nunquã poſſet deficere non deficiente humido, circa quod ageret, & ad hoc Doctor reſpondet negatiuè, & ratio huius eſt quia quidquid fuiſſet actiuum principium in homine non potuiſſet continuare actionẽ, quin aliquando debilitaretur, quia omne agens phiſicum in agendo debilitatur. Eſto ergo quod natura eſſer debilitata, & ſumeret de fructu non potuit ſuſtentari periſtum fructum, niſi conuertendo illum, vt alimentũ in ſubſtantiam, & naturã ſuam, ſed illud conuerſum non potuit eſſe nobilius, quàm conuertens, & prætereà, natura conuertẽs prius fuit debilitata, & in conuertendo etiã nutrimentum illius fructus debilitatur magis, quia ſicut in vna actione debilitatur, ita & in alia, & ideo magis, & magis debilitatur, quãtò magis & magis agit in conuertẽdo, per conſequens ſemper debilitatur. At vero Marſilius in ſecũdo q. 12. arti. 3. exiſtimat, quòd lignum vitæ non ſolùm in ſtatu innocentiæ, ſed etiam poſt peccatum habebat virtutẽm conſeruatiuam hominis in perpetuo vigore, & ſanitate ſine aliqua debilitatione ſenſibili vnde ſecundum Marſiſilium lignum vitæ pluries ſumptum quandam immortalitatem generabat. Alij autẽ ſententiam D. Thomæ explicantes docẽt, quòd in ſtatu innocentiæ nulla eſſet debilitatiò virtutis actiuæ, quoniam lignum vitę ocurriſſet huic defectui, non quidem reſtaurando deperditum, ſed præueniendo, ne accideret debilitatio, & quod in hoc ſenſu accipiendum eſt, quod D. Auguſtinus dixit decimoquarto de ciuitate cap. 26. dicens quòd aderat lignum vitæ ne ſenectus hominem diſſolueret, & in lib. quæſtionũ, veteris, & noui teſtamenti. q. 19. quòd arbor vitæ medicinæ modo corruptionem corporis inhibebat, vnde docent prædicti, quòd virtus actiua non dibilitaretur conuertendo cibum ligni vitæ in ſubſtantiam, quoniam in anima erat virtus per quã agendo corpus in ipſum alimentum nõ debilitabatur, neque repatiebatur ab ipſo, quemadmodum virtus actiua in pręſenti ſtatu repatitur ab alimento, & debilitatur, quoniam non habemus in anima virtutem iuſtitiæ originalis: quare iuſtitia originalis erat cauſa principalis, quæ mediante ligno vitę, & alijs cauſis extrinſecis hoc efficiebat, quod pot eſt conſtare ex illo D. Auguſtini lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione capi. 3. vbi ait Adam & de lignorum fructibus refectionem contra defectionẽ, & de ligno vitę ſtabilitatem contra vetuſtatem habebat.

In quo Doctoris diſcordant.

¶Prima concluſio. Homo in ſtatu innocentiæ, & nullo exiſtẽte peccato non moreretur. Hæc concluſio cõmunis eſt apud omnes & poteſt probari ex illo D. Paul. ad Rom. 6. ſtipẽdia peccati mors Quia ſi nullũ eſſet peccatũ, non eſſet mors ſtipendiũ.

Prima cõcluſio.

¶Secunda concluſio. In tali ſtatu non eſſet homo

Secunda concluſio.

Prima ratio. homo immortalis ſimpliciter. Hæc cõcluſio cõmunis eſt etiã apud omnes & probatur primo. Nam homo in tali ſtatu indigebat cibis, & indigebat eſu ligni vitæ, ergo non erat immortalis ſimpliciter, patet ſequela, nam immortale ſimpliciter ſignificat illud, quod dicit negationẽ aptitudinis ad moriendum, ſiue illud, quod non poteſt mori, ſed homo in tali ſtatu ex natura ſua non habebat talẽ negatiõem, ergo. Probatur minor. In tali ſtatu ſi ſubtraheretur illi, & nõ miniſtraretur nutrimẽtũ ſequeretur corruptio & mors, nã vt communi ſententia docet, paruulus in ſtatu innocentiæ ſtatim vt naſceretur, nõ haberet vſum membrorum, & per conſequens non poſſet ſibi acquirere cibum per potentiam propriam, & deficiente cibo deficeret & vita.

Confir. ¶ Cõfirmatur. Nam corpus hominis eſſet diuiſibile in duas partes, poſſetque pari ab aliquo extrinſeco, vel à dæmone, vel ab alio, quamuis de facto non pateretur à primo, ergo non erat immortalis ſimpliciter.

Tertia conclusio. ¶ Tertia concluſio. Homo in ſtatu innocentiæ non erat ſimpliciter mortalis. Hæc

Prima ratio. concluſio ſi bene intelligatur cõmunis debet eſſe apud omnes. Imprimis eã docẽt authores primæ & ſecundæ ſententiæ. Probatur tamen, quia illud dicitur ſimpliciter mortale, quod dicit intrinſecum ordinem ad mortem, ſed homo in ſtatu innocentiæ non dicebat talem ordinnem, ergo patet minor. Nam ſecundum omnes ſi homo non peccaſſet nulla accidiſſet mors. Vnde tantum erat mortalis fundamentaliter, quia in homine erat vbi poſſet

Confirma. mors fundari. ¶ Confirmatur. Nam concil. Mileui. cap. 1. aduerſus Pelag. ſic ait. Placuit omnibus epiſcopis, qui fuerunt in hac ſancta ſynodo conſtituere, vt quicunque dicit Adam primum hominem mortalem factum, ita vt ſiue peccaret, ſiue non peccaret moreretur in corpore, hoc eſt de corpore exiret, non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ, anathema ſit. In quo decreto notanda ſunt verba illa mortalem factum, explicata per verba ſequentia, ita vt ſiue peccaret ſiue non peccaret moreretur in corpore. Ex quibus ſatis inſinuatur, quod illud dicitur mortale factum, vel mortale ſimpliciter, quod dicit intrinſecam ordinationem ad actualem mortem, & per conſequens illud, quod non dicit intrinſecam ordinationem ad mortem actualem non dicetur ſimpliciter mortale. Cum igitur Adamus in ſtatu innocentiæ non haberet talem ordinationem ſecundum Doctorem in hac quæſtio. litera B. non eſſet igitur dicendus mortalis ſimpliciter.

Quarta concluſio. ¶ Quarta concluſio. Homo in ſtatu innocentiæ poteſt dici aliqualiter mortalis.

Prima ratio. concluſio. Patet ex dictis. Et probatur nã ſtante ſtatu innocentiæ reſpectu alicuius non repugnaret illi mors, ergo eſſet aliqualiter mortalis. Probatur antecedens, & ponamus caſum, quod adamus & Eua non peccaſſent, peccaſſent autem nonnulli ex deſcendentibus ab Adamo, non tamen omnes tunc eſſet ſtatus innocentiæ reſpectu aliquorum. Vel illi qui erant in peccato mortali poterant occidere infantulum vel non? Si poterãt, jam igitur mors non repugnabat infantulo. Si autem non poterant ergo talis infantulus etiam ſi illi nutrimentum non adminiſtraretur, non moreretur. Et per conſequens non indigebat cibis, neque eſu ligni, hoc autem nullus concedit ergo homo in tali ſtatu erat aliqualiter mortalis, ſcilicet quatenus illi mors non repugnabat.

Confirma. ¶ Confirmatur. Demus verbi gratia hominem iuſtum exiſtentem in gratia ſub cuius cura erat paruulus nutriendus, & iſte talis non eſſet cõfirmatus in gratia, vt fatentur authores ſecundæ ſententiæ iſte poterat peccare mortaliter non adminiſtrando cibum iſti puerulo, ſed non aliunde, niſi quia non adminiſtrando occidebãt illum, ergo mors non repugnabat illi puerulo & per conſequens eſſet homo in tali ſtatu aliqualiter mortalis.

Quinta cõcluſio. ¶ Quinta concluſio. Simpliciter & abſolute fatendum eſt, quod homines in ſtatu innocentiæ eſſent immortales. Hæc cõcluſio patet ex eo quia ſtante ſtatu innocentiæ nulli accideret mors, ergo antecedens patet, quia nec accideret vt conditio naturæ, nec vt ſtipendium peccati.

Sexta concluſio. ¶ Sexta concluſio, immortalitas, & impaſsibilitas, quæ erat in primis parẽtibus

Prima ratio. ante peccatum, non proueniebat illis ab aliqua qualitate per totum corpus hominis extenſa, ſed ſolùm à iuſtitia originali, & ab eſu ligni vitæ. Hæc concluſio probatur,

tur, nam corpus, Adam in illo ſtatu paſsibilis erat, nã ſi illi applicaretur ignis corpus illud cõbureretur, erat enim corpus paſsibile à cauſa extrinſeca ab igne, & ab aqua, & ab alijs cauſis naturalibus, & poſſet ſciędi per medium, ergo non erat aliqua qualitas illi ſuperaddita, quæ defenderet illud à tali paſsibilitate. *Confirm.* ¶ Confirmatur, Adamo ſufficiebat iuſtitia originalis, qua poterat facillimè omnia nocumenta fugere ergo non erat illi neceſſaria illa qualitas ſuper addita. Patet ſequela, nam ſi maxima cum facilitate poterat Adamus fugere omnia nocumenta ſuperflua erat prædicta qualitas ſuperaddita, & non eſt ponenda plura liras abſque neceſsitate, & præcipuè quando ratio non cogit.

Septima concluſio. Prima ratio. ¶ Quarta concluſio. Paſsibilitas,& mors, quæ poſſet contingere vel ab intrinſeco vel ab extrinſeco eſſet tunc conditio naturæ,& non pœna peccati. Hæc cõcluſio eſt Doctoris & probatur, nam paſsibilitas & mors conueniunt naturæ humanæ ex intrinſeca ratione ſua, vt patet ſi homo conditus eſſet in puris naturalibus, ſed tunc mors eſſet conditio naturæ ergo & in ſtatu innocentiæ ſi mors contingeret ab intrinſeco vel ab extrinſeco eſſet conditio naturæ.

Confir. ¶ Confirmatur, non eſſet pœna peccati, ergo eſſet conditio naturæ, Antecedens patet, quia nullum eſſet peccatum. Dixi ab intrinſeco quia vt docet Doctor hac quęſt. litera C. aliquis homo particularis, quamuis eſſet innocens, potuit pati detrimentum,& mortem per defectum alimenti, ſicut verbi gratia poſtquam Adam haberet multos filios poſſet aliquis eorũ peccare alijs perſeuerantibus in ſua innocentia: ſolum enim illud peccatum Adæ læſit totam poſteritatem, peccata tamē ſingulorum hominum tantum lædunt propriam perſonam, vel ſaltim tantum lædũt deſcendentes ab illo, cùm igitur filij, qui naſcerentur, naſcerentur paruuli, non habentes perfectum vſum membrorum, vnde proueniret, quod nõ poſſent ſibi acquire cibũ. Poterat igitur cõtingere quod aliquis homo, qui teneretur nutrire aliquem paruulũ conferēdo illi nutrimentũ, quod ex malitia illi nõ conferret, & tũc ex defectu alimenti paruulus neceſſario periret. Dixi etiã à cauſa extrinſeca, nã poterat ille talis occidere illum puerum innocentem, ergo poterat ille puer à cauſa extrinſeca mori, vnde vt aduertit Doctor litera E. quamuis non poſsit eſſe corruptio per diſpoſitionem contrariam continentis, nẽpe propter corruptionẽ aëris &c. quia tũc non expoſuiſſent ſe periculis, neque eſſet corruptio propter violentiam illatam ab aliquo extrinſeco ſtante Innocentia vniuerſaliter in omnibus; at verò ſi non eſſet in omnibus vniuerſalis innocentia, neque aliqua Dei ab extrinſeco cõſeruatio, poſſet mors contingere, vt conditio naturæ puero innocenti, & ab intrinſeco per ſubſtractionem alimenti,& ab extrinſeco per ſufocationẽ, & alia huiuſmodi. Reſpondetur argumentis. Ad primum quod procedit de morte quantum ad actum, non autem quantum ad poſsibilitatem intrinſecam. *Ad argu. text. Ad primum.*

¶ Ad confirmationem reſpondetur quod per iuſtitiam originalem data fuit virtus animæ, qua poſſet corpus ſupernaturam corporalis materiæ cõſeruare, ſed hoc nõ probat, quod poſſet illud immortalē facere, ſed tantum probat, quod maiori vita fungeretur, quam functus fuit poſt peccatum. *Ad confir.*

¶ Ad ſecundum reſpondetur, quòd Concilium definit contra Pelagianos ſtatuentes mortem etiam ſi Adamus nõ peccaret, vt patet ex illis verbis: mortalem factum ſiue peccaret, ſiue non peccaret, neceſsitate naturæ moreretur, Doctor autem, vt patet litera B. ſic ait: Dico tamen, quod ſtãte innocẽtia non accidiſſet mors, quia quilibet fuiſſet tranſlatus in paradiſum, antequam fuiſſet alteratus alteratione improportionata animæ, ſiue formæ. *Ad ſecundum argu.* ¶ Ad confirmationem reſpondetur, quod ex illa autoritate probatur ſententia Doctoris, nam aſſerit D. Auguſtinus cibus aderat, ne eſuriret ergo ſi non adeſſet cibus eſuriret &c. *Ad confir.*

¶ Ad tertiũ reſpõdetur quod eſus ligni vitæ reparabat ſubſtantiam corporis deperditam, cum quadam tamen debilitatione iuxta ea, quæ diximus explicando ſententiam Doctoris. *Ad tertiũ argument.*

¶ Ad argumenta pro ſecunda ſententia ad omnia reſpondetur, quod ſupponunt falſum, nempe corpus in illo ſtatu non poſſe recipere aliquam paſsionem, quod falſum probauimus, nã quamuis ſtãte vniuerſali innocentia nullum corpus reciperet aliquam *Ad argu. pro ſecunda ſenten.*

aliquam paſsionem, ſi tamen non ſtante vniuerſalis innocentia poterat corpus aliquam paſsionem recipere intrinſecam; vel extrinſecam iuxta ea, quæ diximus in vltima concluſione. Ad illud de partu mulierum reſpondetur concedendo, quod in illis nullus eſſet dolor, quia eſſet partus cũ dilatione ſine corruptione.

TEXTVS.

DIco quod ſtante innocentia particulari potuit eſſe corruptio, & mors per ſubſtractionem, ſiue non miniſtrationem nutrimenti conuenientis D. 19. q. vnica litera. C.

EXPLICATIO LITERÆ.

DOctor in hac litera ponit vnicam cõcluſionem, quæ talis eſt, quod ſtante innocentia in particulari potuit ſequi mors, quæ non eſſet pœna peccati, ſed conditio tantum naturæ. Fundamentũ huius cõcluſionis eſt, quia poſſet ſubtrahi alimentum alicui paruulo, & tunc deficiẽte alimento deficeret vita illi paruulo, ex quo ſatis patet, hominem non eſſe immortalem ex natura ſua, ſed tantum poſſe non mori & ſtante vniuerſali innocentia non fuiſſet potentia ad mori ad actum reducta. Occaſione cuius quærendum eſt in præſentiarum, ſi longitudo illa dierum eſt à ligno vitæ, an poſtquam Adam peccauit; per eſum talis ligni poſſet in perpetuum durare propter quod ſit Quæſtio ſecũda.

QVÆSTIO II.

¶ *Vtrùm fructus ligni vitæ in ſtatu naturæ corrupta ſatis eſſet ad conſeruandum vitam in æternum?*

Prima ſententia. Primũ argumen. DE hac re eſt prima ſententia quorumdam aſſerentium fructum ligni vitæ ſatisfuiſſe ad conſeruandum hominẽ in natura lapſa in æternum, dummodo alijs cibis temperate vteretur, protegereturque ab alijs extrinſecis cauſis corrumpentibus. Probant autem ſuam ſententiam, ex illis verbis Geneſeos. 3. ne forte ſummat etiam de ligno vitæ, & viuat in æternum, Quam ſententiam innuit Durandus in ſecundo diſtinctio. 19. quæſt. 1.

Secundus argumen. ¶ Secundo: Nam ſi aliqua ratione nõ viueret in æternum, maximè quia virtus illa, quam lignum vitæ habebat, non erat ex natura ſpecifica eius ligni, ſed ex dono ſupernaturali; vt ea ratione hominum vita perpetuo conſeruaretur, quæ virtus peccantibus primis parentibus ablata eſſet ab illo ligno vitæ, ſed iſta ratio nihil valet, nam improbabile eſt vim illam ſupernaturalem fuiſſe ligno illi, ergo.

Tertium argumen. ¶ Tertio Geneſeos. 3. dicitur homini poſt quam peccauerat in rationem ſuæ eiectionis ne forte comedat, & viuat in æternum ergo lignũ vitæ conferebat vitam in æternum.

Solutio. Replica. ¶ Quod ſi reſpondeas quod ly, in æternum, ſumitur pro longo tempore; Arguit contra hoc Palatios diſtinct. 19. diſput. prima dicens quod talis expoſitio non eſt ſatis erudita quod probat ex Diuo Auguſtino. 14. de ciuitate vbi expreſſe docet arborem illam vitæ illa vi fuiſſe donatam vt fructus illius faceret, ne veſcentes ſenectute contabeſcerent. Et lib. quæſtionum noui, & veteris teſtamenti cap. 19. ait: ſi permiſſum nobis eſſet à Deo in paradiſum commigrare, & veſci ex fructu ligni vitalis, mors non diſſolueret ergo ly in æternum ſumendum eſt iuxta proprietatem ſermonis, & præcipuè, quia ſacra Scriptura quoties poteſt commodè explicari iuxta proprietatem ſermonis non debet extendi ad ſenſus hyperbolicos.

¶ Confirmatur, nam lignum vitæ reſtaurabat hominem ad perfectionem illam, in qua creatus eſt, & ideo, ſi ſtatim ac creatus eſt potuit viuere per annum; ſi in fine illius comederet de ligno vitæ reſtauraretur ad eundem gradum, in quo conditus eſt ergo poterat viuere per aliũ annum, & per conſequens pluries ſumptum poterat in æternum viuere. *Confir.* ¶ Confirmatur. d. tamdiu homo poterat durare, quamdiu perſeueraret in illa ſalute, in qua conditus fuit, ſed per eſum ligni vitæ potuit in illa ſalute durare in æternum; ergo & viuere. Probatur minor, nam per eſum ligni reſtituebatur, quando primo de ligno comedebat ad ſalutem illam, in qua fuit primo cõditus, quod ſi poſtea tractu tẽporis calor naturalis deficiebat per eſũ ligni

ad illum ſtatum reſtituebatur, in quo fuit conditus, ergo ſicut ſi Deus crearet hominem cum calore naturali, qui nunquam deſiceret, neque debilitaretur, talis homo in æternum viueret, ita comedendo de ligno vitæ cum per talem comeſtionē reſtitueretur calor in illo ſtatu, in quo cōditus fuit per talem comeſtionem, homo viueret in æternum.

Secunda ſententia.

¶Secunda ſententia eſt D. Bonauenturæ in ſecundo diſt. 19. quam ſequitur Gabriel, ibidem Durandus & Caietanus. 1. parte. quæſtione. 79. articulo. 1. qui aſſerunt arborem illam vitæ non habere virtutem illam tribuentem vitam in æternum ſed tantum habere virtutem ad conſeruadum corpus in longiſſimum tempus. Quam ſententiam defendit Zumel 1. par. quæſt. 97. articulo. 4. quæſtione vnica. concluſione. 2.

Fundamentum prædictæ ſententiæ.

¶Fundamentum huius ſententiæ eſt, nam virtus ligni vitæ erar finita, ſicut & cuiuſlibet alterius corporis, ergo non poterat extendere ſe ad hoc, vt daret corpori virtutem durandi tempore infinito, ſed vſq; ad determinatum tempus: vnde quanuis pluries ſumptum diuturnitatem cauſaret, non tamen immortalitatem ſimpliciter iuxta expoſitionem illam D. Thomæ. 2. 2. quæſtione. 164. articulo. 2. ad 6. vbi exponens verba illa Geneſeos. 3. ne forte comedat de ligno vitæ; dicit quod lignum vitæ non poterat perpetuò hominem conſeruare, & quod æternum illo loco accipitur pro longo tempore, & 1. par. quæſtione. 97. articulo. 4. docet quod virtus ligni vitæ erat finita, & quod ſemel ſumptum lignum vitæ præſeruabat corruptionem vſque ad determinatum tempus, quo finito, vel homo tranſlatus eſſet ad ſpiritualem vitam, vel iterum indiguiſſet ſumere de ligno vitæ.

Corol.

¶Ex quo Magiſter Zumel infert argumētum contra propriam ſententiam dicens, ergo pluries ſumendum in perpetuum cōſeruaretur, Reſpondet, negādo ſequelam, quia licet lignum vitæ pluries ſumptum vitam multo tempore prorogaret, non tamen in perpetuum, vnde hominem poſt peccatum etiam pluries ſumptum non valebat efficere immortalē ſimpliciter, quia præcipua cauſa immortalitatis in ſtatu innocentiæ non erat lignum vitæ, ſed qualitas illa animę ſuperaddita, qua pręſeruabatur homo ab omni corruptione & etiā à re paſsione, quæ à ligno vitæ poterat prouenire, & quia poſt peccatū in homine non manſiſſet illa qualitas lignū vitæ non poterat hominem immortalem efficere & ita. D. Bonauentura vbi ſupra art. 1. q. 2. ad vltimum, dicit quod per eſum ligni vitæ ſufficienter reſtaurantur humidum in corpore hominis in ſtatu naturæ inſtitutę nūquā tamē in ſtatu naturę lapſæ ſic reſtauraret, quin ſemper aliqua de perditio fieret.

Tertia ſententia.

¶Tertia ſententia colligitur ex ſententia Doctoris nempè quod lignum vitæ cōſtituebat hominē potentē non mori in ſtatu naturæ integræ, non tamen non potentem mori. Ex quo deducitur quod in ſtatu naturæ corruptæ non poterat lignum vitæ immortalitatem conferre, quamuis conferret aliquam diuturnitatem.

Vltima ſententia authoris.

¶Vltima ſententia quæ in hac re videtur tenēda deducitur ex his, quæ diximus quæſtione præcedenti, nempè quod in hac quæſtione aliud eſt loqui de facto, aliud eſt loqui de poſsibili, ſi loquamur de poſsibili mihi certiſsimum videtur poſſe Deum conferre ligno vitæ virturem reſtauratiuam caloris naturalis in ſuo eſſe perfecto, taliter vt ſemper calor naturalis in illo eſſe, in quo conditus fuit, perduraret, & per conſequens, quod poſſet homo per eſum ligni vitæ in æternum durare. Si autem Deus de facto id fecit nec ne, id alijs iudicandum relinquo.

Ad argumenta pro prima ſententia.

¶Vnde ad argumenta pro prima ſententia facile poteſt reſponderi, dicendo quod lignum vitæ reſtaurabat calorem naturalem in ſtatu naturæ corruptæ, non tamen in integrum, ſed cum aliquali deperditione, qua poſita, mors neceſſario ſequeretur poſt multum tempus elapſum.

¶Ad illud autem Geneſeos. 3. quod ſatis erudite reſpondetur ſi ly in æternum ſumatur pro longo tempore. ¶Ad confirmationes autem reſpondetur, quod tantum probant poſſe Deum talem effectum producere media illa virtute naturali vel concedere virtutem illam ligno vitæ & hoc vel ipſi ligno in quocunque ſtatu vel ſtante ſtatu iuſtitiæ originalis ſecundum beneplacitum ipſius Dei, ſi autem Deus illam conceſsit nec ne non ſatis conſtat inter Doctores.

QVÆ-

QVÆSTIO III.

¶ *Vtrùm virtus illa ligno vitæ conceſſa fuerit naturalis?*

Prima ſententia. DE qua re eſt prima ſententia Diui Bonauenturæ in ſecundo diſtin. 19. quæſtio. 2. articulo. 2. nume. 28. aſſerẽtis quod eadem lege qua Diuina iuſtitia non patitur innocentẽ puniri, & mori non patitur etiã malũ remanere impunitum, & ideo Diuinum decretum fuit, vt ſi homo mandatum Dei tranſgrediendo, peccaret, & ipſi autori ſuo inobediens exiſtere ſpiritus dominium carnis amitteret, & ſicut voluntas à Deo receſſerat, ſic anima, in vita corpus ipſum dêſereret, & diſſolutum in ſuam originem, vnde ſumptum erat, rediret, & quoniam Diuinum decretum erat inuiolabile, hinc eſt, quod poſtquam homo peccauit, quantumcunque deligno vitæ ederet, corpus eius non fieret indiſſolubile. Ita quod mortem poſſet euadere. Et num. 32. docet, quod lignum vitæ reſtauraret humidum in corpore hominis ſecundum ſtatum naturæ inſtitutæ, uunquam tamen in ſtatu naturæ lapſæ ſic reſtauraret, quin ſemper aliqua deperditio fieret, & ita quamuis diutius conſeruaret, nihilominus tamen aliquando illud radicale humidum deficeret, & corpus ad diſſolutionem perueniret.

Fundamentum huius ſententiæ. ¶ Fundamentum huius ſententiæ eſt illud ad Romanos. 6. ſtipendia peccati mors, ergo ſi poſtquam homo peccauit, neceſſarium fuit ipſum peccaſſe, neceſſarium fuit etiam ipſum mori, ergo neceſſarium fuit corpus eius diſſolui, & per conſequens non poterat perpetuari per eſum alicuius ligni. ¶ Confirmatur, nam Geneſeos ſecundo dictum fuit Adamo, inquacunque hora comederis, morte morieris, ſi igitur illam ſententiam nulla virtus creata poteſt infirmare, quantumcunque homo comederet ex ligno vitæ, neceſſe erat ipſum mori, & corpus eius reſolui, iuxta illud Geneſeos. 3. puluis es, & in puluerẽ reuerteris.

Secundum argument. ¶ Secundò. Homo per peccatum ſimilis factus eſt iumentis inſipientibus, ſed iumenta ſi comederent deligno vitæ nõ propter hoc corpora eorum fierent indiſſolubilia ergo ſi homo quantum ad conditionẽ mortis iumentis ſimilis effectus eſt per culpã, quantumcunque deligno vitæ comederet, corpus eius diſſolui neceſſe eſſet.

¶ Tertio. Nõ minus eſt de mortali immortalem facere, quam de mortuo viuum, ſed mortuum ſuſcitare, eſt ſolius Dei, & virtutis infinitę ergo corpus diſſolubile ad indiſſolubile reducere, ſolius virtutis Diuinæ erit, ſed lignum vitæ non habebat talẽ virtutem Diuinam, ergo quantumcunque homo poſt peccatum de illo comederet ligno, corpus eius nihilominus diſſolui neceſſe eſſet.

Secunda argument. ¶ Secunda ſententia eſt Michaelis de Palatios eadem diſtinctione diſputatione prima aſſerentis arborem illam ex natura ſua habere virtutem donatiuam vitæ æternæ. Quam etiam ſententiam docet Molina. 1. par. de opere ſex dierum diſputatione. 28. in fine. vbi docet fructum ligni vitæ ſatisfuiſſe ad conſeruandum hominem naturæ lapſæ in æternum dummodo homo alijs cibis temperatè vteretur, protegereturque ab alijs extrinſecis cauſis corrumpẽtibus. In hanc ſententiam adducunt Durandum eadem. d. q. 1. & autorem quæſtionum veteris, & noui teſtamenti. q. 19. aſſerentẽ: guſtũ arboris vitæ corruptionem corporis inhibere. Denique etiã poſt peccatũ, ſi modo permiſſum illi eſſet, edere de arbore vitæ, potuit indiſſolubilis manere.

Fundamẽtum huius ſententię. ¶ Fundamentum huius ſententię eſt illud Geneſeos. 3. ne forte ſumat de ligno vitæ, & viuat in ęternũ, & præterea, nã Cherub in paradiſi cuſtos datus eſt, ne peccatores homines ex illo veſcentes fructu, in æternum viuerent, quod ſi eſſet arbor illa ex dono tantum immortalitatem donatura, & iam orbata eſſet dono, cur cuſtodia obmunitur paradiſus? Vnde Diuus Chryſoſtomus docet cuſtodiam illam non fuiſſe indignationis Diuinæ, ſed potius miſerationis, ne homines ex illo fructu veſcentes ſempiternò viuerent, & infinitis affligerentur miſerijs. Addit præterea Palatios fructũ illũ ſemel ſumptũ nõ conciliare immortalitatem ita quod ſemel veſci ex illius arboris fructu faceret cõtinuò hominem ſempiternũ, ſed perpetuus vſus illius veſcentibus hoc præſtare. Vnde eſus ligni faceret homines potentes nõ mori, nõ tamen impaſsibiles prorſus mortis, quare Elias, & Enoch, qui in paradiſo exiſtunt,

 ſi ſem-

ſi ſemper permanſiſſent in paradiſo, nunquam morerentur, at verò poſt diem iudicij exibunt à paradiſo & patebunt morti.

Tertia ſententia. Primo not.

¶ Tertia. Sententia eſt Doctoris pro cuius explicatione, & quæſtionis, Primo notandum cum Diuo Thoma in. 2. diſt. 19. quæſtio. 1. arti. 4. quod naturale poteſt dupliciter dici, vno modo eo quod conuenit alicui ſecundum naturam quaſi conſequens principia eſſentialia talis naturæ, ſicut verbi gratia, riſibilitas eſt homini naturalis. Secundo modo illud dicitur naturale, quod à natiuitate, vel à principio conuenit rei, vnde ſi naturaliter ſumatur pro illo quod natura incipiens accepit, impaſsibilitas erat homini naturalis, ſi tamen primo modo non erat naturalis homini talis impaſsibilitas. Addit tamen Diuus Thomas quod eſt quadruplex modus, quo corpora animalium corrumpuntur. ¶ Primus eſt, qui cõmuniter inuenitur in omnibus generabilibus, & corruptibilibus, ex hoc, quod res materiales habent virtutem finitam ad eſſendum, vnde oportet quod omnes certo periodo corrumpantur, vt in ſecundo de generatione dicitur.

¶ Secundus eſt communis omnibus corporibus mixtis ex exceſſu inordinato alicuius contrariorum Et contra vtrumque illorum defectuum ſubueniebatur homini per quandam virtutem animæ collatam diuinitus, ad hoc vt ſecundum conditionem ſuam materiam perficeret, vt ſicut ipſa anima habet eſſe indeficiens, ita indeficiens eſſe corpori tribueret, & perpetuam æqualitatem complexionis.

¶ Tertiũ modũ corruptionis habẽt corpora animata, ſicut & proprium modum generationis ex hoc ſcilicet quod calor, qui eſt inſtrumentum animæ humidum conſumitur in quo eſt vita. Et contra hunc defectum ſubueniebatur ſibi duplici beneficio, quia per eſum aliorum lignorum paradiſi reſtaurabatur continua deperditio facta in corpore, ſicut etiã in nobis fit per cibos, quibus vtimur, ſed quia illud, quod ex nutrimento conuertitur non eſt adeò perfectè ſubſiſtens virtuti ſpeciei, ſicut quod prius erat, eò quod virtutes naturales ſemper debilitantur inagendo, ideo in nobis oportet, quod in fine ſequatur diminutio, quando virtus ſpeciei adeò debilitatur propter mixtionem extranei, quod non poteſt fieri tanta reſtauratio, quanta fit conſumptio & ſic in fine oportet conſumptionem eſſe, vt Philoſophus in primo de generatione dicit, & ponit exemplum de vino cui ſi ſemper admiſcetur aqua, tandem aquuſum fit. Sed ad hoc ſubueniebat ei lignum vitæ, cuius virtute diuinitus conceſſa alimentum aſſumptum imperfectam aſsimilationem adducebatur, propter quod etiam à quibuſdam dicitur, quod ad reſtaurationem humidi radicalis deperditi conferebatur.

¶ Quartus autem modus corruptionis eſt per violentiam ab aliquo extrinſeco agente, ſicut per inciſionem gladij vel adductionem ignis, & alia huiuſmodi, & ab hoc modo corruptionis conſeruabat hominem illæſum Diuina prouidentia perquam decretum erat, vt nullum nocumentum homo pateretur in corpore, niſi prius à mentis innocentia deuiaſſet.

¶ Ex qua litera Diui Thomæ duo conſtant, primum eſt, illam virtutem eſſe diuinitus conceſſam ligno vitæ, & per conſequens non eſſe illi naturalem, ſi naturale ſumatur primo modo. Secundum eſt impaſsibilitatem corporis ꝓtuenire illi non ab aliqua qualitate, qua corpus protegeretur, ſed ab aliquo extrinſeco ſcilicet à prouidentia Diuina. *Nota hoc.* Quod etiam fatetur Michael de Palatios, vbi ſupra dicens. Etenim caro hominis etiam ſi in innocentia perſtitiſſet, diuiſibilis gladio eſſet, & ſi igni applicaretur, cõbuſtibilis, & denique paſsibilis à cõtrarijs, quæ tamẽ omnia longe affuiſſent à nocendo homini, Deo prouidente, & homine cooperante, nã natura humana tũ ex Dei munere ea abſoluiſſet officia, quæ humanæ naturæ fragilitatem facile ſuperabant. Hactenus Palatios ex ſententia Alberti.

Secundo not.

¶ Secundo. Eſt notandum quod in hac quæſtione reſpondent nonnulli impoſsibile eſſe exiſtente innocentia tantum temporis, exiſtere hominem abſque ſumptione ligni vitæ, vt virtus eius naturalis agendo in alios cibos, taliter debilitaretur, vt per actionem in lignum vitæ non repararetur, & per conſequens diſſolueretur, quoniam ſi homo ad talẽ ſtatũ perueniret peccaret vtique contra præceptũ ſibi impoſitũ de comedẽdo de omni ligno paradiſi. Ex qua doctrina colligitur cõtra ipſos, *Nota hoc.*

quo d

quod ſaltim poſſet homo, ad talem ſtatum peruenire, vt cum peccato vel ſine peccato poſsit illi contingere mors. Et ſimiliter in quadam ſolutione ad quartum docent prædicti, quod homo in ſtatu innocentiæ non poterat pati aliquod nocumentum, neque ab intrinſeco, neque ab extrinſeco. Vnde etiam ſi parentes eſſent in peccato, dummodo innocentia permaneret in puero, nõ poſſent aliquod nocumentum inferre puero Diuina prouidentia id diſponente, & puerum conſeruante ab omni nocumento, id enim perfectio illius ſtatus requirebat. Sed iſta doctrina non reſpondet quæſtioni, nam quæſtio non eſt, vtrum innocens ſtante innocentia pateretur aliquid ab extrinſeco, vel ab intrinſeco, ſed vtrum poſſet pati, reſpondere autem, quod nõ pateretur id diſponente Diuinia prouidentia, eſt non reſpondere ad quæſtionem, imò ex illa ſolutione colligitur, quod poſſet pati, ſi Diuina prouidentia id non impediret.

Primo cõcluſio. ¶ Prima. Concluſio virtus illa ligni vitæ potuit eſſe ſimpliciter naturalis. *Probatio concluſionis.* Hæc concluſio probatur, nam nullum inconueniens aparet, quod Deus crearet lignum vitæ cũ tali proprietate naturali, cùm non repugnet ex parte agentis, neque ex parte rei productę. Huic concluſioni videtur fauere Diuus Auguſtinus. 19. de ciuitate, dicès arborem illam vitæ illa vi fuiſſe creatam.

Secundo concluſio. ¶ Secunda. Concluſio probabile etiam eſt virtutem illam ligno vitæ conceſſam fuiſſe ſupernaturalem, *Probatio concluſio.* hæc concluſio patet ex eo, nam Diuus Thomas, & Diuus Bonauẽtura, ita docẽt illam, fuiſſe ſimiliter, quia nõ repugnat, neq; ex parte agentis, neque ex parte rei talem virtutem eſſe ſupernaturalem. Mihi autem veriſimilior videtur prima concluſio.

¶ Vt autem vltimam manum præſentibus quæſtionibus imponamus, ſi quis quærat vtrum eſſet lignũ vnũ vitæ tantũ, an plura. *Dubium.*

Reſponſio ¶ Ad hoc reſpondet magiſter Palatios vbi ſupra, non tantum vnam à Deo fuiſſe conditam arborem vitæ, ſed plura, nam omnibus electis, qui tũc fuiſſent in paradiſo, qui eſſent innumerabiles non videtur vnam ſolam arborem ſufficere: Et præterea quia cum paradiſus eſſet locus ampliſsimus; neceſſario deberet talis arbor diſtare per multum ſpatium ab aliquibus electis. Quare dicit ſibi videri dicendum, non tanquam certum, ſed tanquam id, quod colorem habet veritatis; arborem vitæ eſſe vnam ſecundũ ſpeciem plures autem ſecundum numerũ.

¶ Quod ſi quis qærat vtrum idem ſit dicendum de arbore ſcientiæ boni, & mali. *Secunda dubitatio.*

Reſponſio ¶ Reſpondet negatiuè, quia cùm arbor ſcientiæ boni, & mali fuerit in paradiſo cõdita ad examẽ obedientię vna indiuiduo ad talẽ finem ſufficiebat. Quã ſententiã magiſtri Palatios amplectitur quantũ ad arborẽ vitæ, quamuis aliquã nouitatẽ præſeferat, non tamen temeritatem, licèt in his quæ planè non conſtant, tutiùs ſit communiori interpretationi ſcripturarum acquieſcere, & literæ ſcripturæ.

DISPVTATIO XXIIII.

DE PECCATO ORIGINALI continet decem Quæſtiones.

PRima. Vtrùm quilibet ſecundũ legem communem propagatus ab Adam peccatum contrahat originale.

¶ *Secunda. Vtrùm peccatum per generationem transfuſum in poſteros veram induat rationem culpæ, & peccati.*

¶ *Tertia. Vtrùm Deus obligauerit in Adamo omnem eius poſteritatem ad ſeruandam iuſtitiam originalem.*

¶ *Quarta. Vtrùm potuiſſet Adamus conſtitui caput morale illorum hominum quorum non eſſet caput in genere naturæ.*

¶ *Quinta. Vtrùm peccatum originale generatione traducatur.*

¶ *Sexta. Vtrùm peccatum Adami ſit cauſa demeritoria peccati originalis quod eſt in pueris?*

¶ *Septima. Vtrùm alia peccata primi parẽtis vel proximorum parentum traducãtur ad poſteros.*

¶ *Octaua. Vtrùm peccatum quod traducitur in poſteros fuerit primum peccatum quod commiſsit Adam.*

¶ *Nona. Vtrùm beatiſsima virgo mater Dei peccatum originale contraxerit.*

¶ *Decima. Vtrùm ſit de fide omnes contrahere de facto peccatum originale.*

TEXTVS.

COntra ad Romanos. 5. per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, in quo omnes peccauerunt, Et ibidem, ſicut per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ità per vnius hominis obedientiam iuſti conſtituimur multi. D. 30. q. 1.

EXPLICATIO LITERÆ.

HVc vſque egimus in præcedentibus diſputationibus de his, quæ ad Adamum pertinebant, tam, quantum ad bona, quam, quantum ad mala, diximuſque illum peccaſſe comedendo de ligno ſcientię boni & mali, reſtat modo oſtendere, & explicare, an prædictum peccatum comeſtionis ſoli ipſi nocuerit, an verò alijs ab ipſo deſcendentibus nocumentũ intulerit. Difficilis ſanè materia, & diſputatio, quam Deo dante more ſolito ſuis quæſtionibus abſoluemus, & explicabimus, litera hæc Doctoris in quæſtione explicabitur.

QVÆSTIO I.

¶ *Vtrùm quilibet ſecundum legem cõmunem propagatus ab Adam peccatum contrahat originale?*

DE hac re (inter difficiles in Theologia (difficillima maxima nobis concertatio eſt tum contra hæreticos tum contra philoſophos. Inprimis fuit prima ſententia philoſophorum, vt licet videre in Plinio primo libro ſuę naturalis hiſtoriæ in prọœmio, qui cuncta mala, quæ homini contingunt, tribuit naturæ, dicens principium iure tribuetur homini, cuius cauſa videtur cuncta alia genuiſſe natura, magna, & ſęua mercede contra tanta ſua munera, vt non ſit ſatis æſtimare parens melior homini, an triſtior nouerca fuerit. In qua ſententia ponuntur etiam Hebræi negantes peccatum originale abſolutè, & dicentes, nullum tale peccatum reperiri, vnde circũciſionem eſſe inſtitutam ad delendum peccatum originale omnino negabant, ſed tantum in ſignum populorum, de qua re videndus eſt Galãtinus de Arcanis fidei catholicę cap. 5. Marſilius Ficinus de religione Chriſtiana capit. 33. *Primus error.*

¶ Secunda ſententia, quæ ferè eadem eſt cum præcedente fuit Pelagij, vt refert D. Auguſtinus lib. de hęreſibus cap. 88. quã ſequuti fuerũt poſtea Albanẽſis, & Armenij vt refert Prateolus dę ſectis hęreticorũ lib. 1. cap. 22. & c. 67. quem errorem excitauit Zuinglius hęreticus noſtri tẽporis. *Secundus error.* ¶ Fũdamentum horum hęreticorum eſt, quia nihil poteſt traduci in poſteros quod poſsit induere rationem voluntarij ergo neque peccati. Sequela eſt manifeſta, quia peccatum *Fundamẽtum huius erroris.*

tũ in tantũ eſt peccatũ, in quantum eſt voluntarium. Antecedens autem patet, nam omne quod traducitur ab aliquo in aliquẽ non eſt in poteſtate illius in quem traducitur, nam ille talis habet rationem recipientis, & traducens rationem agentis, ergo ſicut non eſt in poteſtate patiẽtis quod agẽs agat, ita neq; erit in poteſtate illius, in quẽ peccatum traducitur, quod illud peccatũ traducatur, ſed ſi non eſt in poteſtate, non eſt in eius libertate, neque in voluntate ergo illud quod traducitur, cùm non ſit volũtarium non erit peccatum.

Secundũ argum. ¶ Secundò. Peccatum nihil aliud eſt, quàm deordinatio voluntaria à regula rationis, & à bono Diuino, ſed paruuli non ſunt deordinati voluntariè à regula rationis ergo. Probatur minor, volũtas extrinſeca vnius hominis non poteſt voluntatem alterius intrinſicè deordinare, ergo voluntas primi parentis non poteſt intrinſicè deordinare voluntatem paruulorum. Antecedens probatur, nam voluntas extrinſeca non poteſt mouere voluntatem ad eliciendum actum niſi per modum obiecti, ergo voluntas extrinſeca non poteſt aliam voluntatem intrinſicè deordinare. Neque etiam paruuli poſſunt ſeipſos deordinare cùm non habeant vſum rationis ergo paruuli non poſſunt peccatum originale habere.

Confir. ¶ Confirmatur, ſi homo naſceretur in puris naturalibus eandem deordinationem haberet, quam nunc habet in natura lapſa, ſed in puris naturalibus non cõtraheret peccatum, neque aliquid quod eſſet propriè peccatũ, ergo neque nunc. Probatur maior, quia tũc ex parte intellectus eſſet eadem ignorantia, ex parte voluntatis eadem infirmitas ad bonum, ex parte appetitus ſenſitiui eadem rebellio, & pugna contra rationem ergo vniuerſaliter eſſet eadem deordinatio, ſed tunc non eſſet peccatum, ergo neque nunc eſt aliquod originale peccatum.

Tertio argum. ¶ Tertiò. Per peccatum mortale manet voluntas conuerſa ad creaturam, & auerſa à Deo, ſed conuerſio voluntatis non fit niſi per proprium actum, quo voluntas in tale obiectum tendit, at voluntas paruulorum non poteſt tendere per proprium actum in aliquod obiectum, ergo neque poteſt conuertendo ſe ad creaturas à Deo auerti.

Solutio. ¶ Quod ſi reſpondeas quod volũtas paruulorum nõ conuertitur ad creaturas per proprium actum, ſed per conuerſionem Adami, qua cõuerſus fuit ad creaturam, & auerſus à Deo.

Replica. ¶ Cõtra nemo peccat in eo quod vitare non poteſt, (nam ad impoſſibile nemo obligatur,) ſed paruuli non potuerunt vitare conuerſionem illam Adami ergo conuerſio illa Adami non poteſt eſſe peccatum paruulorum.

Quartum argumen. ¶ Quartò. Si hoc peccatum per generationem traducitur ergo præceſsit commiſsio illius non ſolum liberum vſum rationis, ſed etiam exiſtentiam illorum hominum ad quos traducitur, & per conſequens illud peccatum reſpectu illorum hominum non potuit eſſe peccatum.

Confirm. ¶ Confirmatur reſpectu illius peccati voluntas paruulorum tantum ſe habet per modum ſubiecti, & recipientis, ſed peccatũ, vt ſit peccatum reſpicit voluntatem in ratione principij elicientis, & producentis ergo.

Quintum argumen. ¶ Quintò. Si aliqua ratione peccatum Adami ad poſteros traducitur maximè quia Diuus Paulus ad Romanos. 5. dicit (ſicut per hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & paulò infra in quo omnes peccauerunt, vnũ prædictã ſententiã oſtendit, ſed ille locus facile interpretatur ſi nomine peccati nõ intelligatur culpa, ſed pœna, & effectus peccati iuxta illum modum loquẽdi, quo effectus nomine ſuæ cauſæ ſolent ſignificari, vnde dicitur voluntas mala pro volitione mala, ergo.

Confirm. ¶ Confirmatur, nam Diuus Paulus poſt verba illa ita inquit regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſen, etiã in eos, qui non peccauerunt in ſimilitudinẽ præuaricationis Adami, ergo tantum illi peccauerunt, qui ad ſimilitudinem, & imitationem Adami legem ſunt tranſgreſsi, & non omnes illi, in quos mors pertranſit.

Sextũ argumentũ. ¶ Sextò. D. Paulus ibidem inquit quod vnius delicti multi mortui ſunt ergo non omnes ergo mortui ſunt morte peccati, aut peccatores conſtituti illi ſolum qui propria electione peccatũ Adami imitati ſunt.

Confirm. ¶ Confirmatur, nam Diuus Paulus comparat primum Adam cũ Chriſto in hoc, quod ſicut per delictum vnius damnati ſunt multi, & conſtituti peccatores: ita etiam, per gratiam Chriſti multi conſtituuntur iuſti, ſed iuſtitia Chriſti non reddit homines iuſtos niſi conformentur ipſi Chriſto imitatione ſanctiſsimæ vitæ ſuæ ergo neque delictũ Adę conſtituet homines peccatores, niſi ipſum imitentur ſuis prauis operibus.

Solutio. ¶ Quod ſi quis reſpondeat quod illa vox

multi in Diuo Paulò ſæpe ponit in ſacra ſcriptura pro omnibus vt docet Diuus Auguſtinus lib. 6. contra Iulianum cap. 12. vt licet videre Matth. 20. multi ſunt vocati, ibidem & filius hominis venit dare animã ſuam redemptionem pro multis & cap. 26. hic eſt ſanguis qui pro vobis, & pro multis effundetur, & ſic illa verba Pauli vnius delicto multi mortui ſunt, & ita per delictum vnius damnati ſunt multi, faciunt hũc ſenſum damnati ſunt omnes.

Replica. ¶ Contra iſtã ſolutionem ſic argumentor, Diuus Paulus ſimiliter inquit, quod per obedientiã Chriſti multi ſunt conſtituendi iuſti, ſed ibi multi non poteſt accipi pro omnibus, nam de fide conſtat non omnes iuſtificari ergo neque quando dicit quod per delictum vnius damnati ſunt multi, & cõſtituti ſunt peccatores, ly, multi non ſignificauit omnes, patet ſequela, quia abſurdum videtur in eadem peryodo, quod eadẽ vox æquiuocè ſumatur.

Tertia ſententia. ¶ Tertia. Sententia eſt aliorum aſſerẽtium peccatum primorum parentum non traduci in poſteros ſecundum culpam, ſed tantũ ſecundum occaſionem peccandi taliter, quod peccatum Adami in nos transfuſum nihil aliud ſit, quàm occaſio, & incitatio quædam ad peccandum, quatenus ex illo peccato mortalitatem contraximus corporalem, ex qua prouenit quod multis rebus indigeamus ad vitæ conſeruationem, quibus cum ſæpe careamus, excitatur in nobis appetitus acquirendi eas, & vtendi, qui quoniam ſæpe limites mediocritatis tranſcendit, ideo homo illi conſentiens peccat, qui tamen poterat non conſentire, & ſic ex Adami peccato ſolum habuit occaſionem peccandi, ex ſuo autem libero arbitrio peccatum commiſsit, Hanc ſententiam tribuit Sixtus ſenenſis libr. 5. Bibliothecæ ſanctæ annotatione. 179. &. 237. Theodoreto in expoſitione illius verſiculi Pſalmi. 50. Ecce enim in iniquitatibus cõceptus ſum, & in commentarijs ad caput. 5. ad Romanos ibi, In quo omnes peccauerũt.

Quarta ſententia. ¶ Quarta. Sententia fuit aliorum vt refert ipſe Sixtus annotatione. 338. aſſerentium peccatum primorum parentum non generatione ſed per exemplum, & imitationem in poſteros traduci non in omnes, ſed in eos qui ad ſimilitudinem præuaricationis Adæ ſua ſponte peccauerunt, Quam ſententiam tribuit autori commentariorum in Paulum, quæ nomine D. Hieronymi ſcribuntur, ſuper verba illa. In quo omnes peccauerunt, & apertius ſuper illa verba capit. 7. Sine lege enim peccatũ mortuũ erat, vbi ſic ait: Inſaniunt qui de Adam per traductionem aſſerunt in nos venire peccatum.

Quinta ſententia. ¶ Quinta. Sententia fuit Alberti pixij controuerſia prima de peccato originali, qui definiẽs quid ſit peccatum originale ſic ait Peccatum originale eſt peccatum originis humani generis Adæ videlicet, quo, & ſe, & nos regno cœleſtis illius Ieruſalẽ (in quo in ipſo, & cum ipſo certa lege, & conditione aſcripti erámus) extorres fecit, & mortis regno ſubiectos, æternæque damnationi obnoxios reddidit, atq; omnibus humanæ naturæ calamitatibus, & miſerijs, à quibus ſuperabundantia donorũ Diuinæ gratiæ nos vendicauerat, & immunes præſtiterat, vnà ſecum inuoluit. Cuius vnius reatu conſtricti omnes peccatores naſcimur, à quo nos liberat, & abſoluit regenerationis in Chriſto gratia.

Sup. 1. ¶ Vt autem prædictam ſuam ſentẽtiam explicet, & probet, tria præſuponit, Primum contra Pelagium dicens, neminem lege cõmuni naſci niſi vinculo illius peccati originis iræ filium, mortis reum, damnationique obnoxium, quouſque inde liberetur per mediatoris noſtri Ieſu Chriſti gratiã.

Sup. 2. ¶ Secundo. Supponit peccatum ſecundum propriam ſuam, veramque rationẽ, (qua de eo Diuinæ ſcripturæ loquũtur) eſſe iniquitatem, aut iniuſtitiam, id eſt, obliquitatem à rectitudine, quæ à nobis exigitur ſecundum Diuinæ legis præſcriptã nobis regulã.

Sup. 3. ¶ Tertio. Præſuponit peccatum iſtud in genere diuidi tanquam in ſpecies in peccatũ actuale, & peccatum originale, quæ differẽtiæ ſcilicet actuale & originale, non ſunt differentiæ diſtrahentes ipſum genus, ſed quaſi differentiæ ſpecificæ genus ipſum cõtrahentes ratione generis potentialiter incluſas: vnde peccatum actuale habet pro oppoſito nõ actuale, originale verò eſt cui peccatum perſonale opponitur, quare peccatum originale non abuſiuè, & æquiuocè peccatum dicitur, ſed vniuocè cum peccato actuali verè & propriè peccatum nuncupatur.

Primũ argumẽ. pro iſto primo dicto. ¶ His igitur ſic conſtitutis probat ſuo videri euidenter, nullum proprium peccatum in paruulo reperiri, dicens, qui ſub lege nõ

dum

dum eſt, neque vſum rationis habet, nullo modo poteſt vim legis apprehendere, neque arbitrij liberi facultatem, qua obſequium legi debitum haberet in ſua poteſtate, ſed paruuli, non habent vſum rationis, neque poſſunt lege teneri ergo neque in paruulis poteſt aliquid eſſe, quòd veram induat rationem peccati.

Secundū argumen. ¶ Secundo ſi aliquid eſſet propriè peccatum in paruulo maximê carentia iuſtitiæ originalis, ſed talis carentia non habet rationem peccati, ergo, probatur minor, vbi nulla eſt lex ſecundum apoſtolum nulla eſt præuaricatio, ſed nulla eſt lex, quæ exigeret ab omnibus poſteris Adāi, tā paruulis, quàm adultis vt iuſtitiam originalem haberent ergo carentia talis iuſtitiæ nullo modo poteſt eſſe peccatum.

Confirma. ¶ Confirmatur, quia non quidquid accepimus etiam ſi noſtra ipſorum culpa id ipſum perdiderimus ad peccatum nobis imputatur eius carentia, niſi legem haberemus, qua obligaremur illud habere continuum, & perpetuū: ſicut verbi gratia, plerique noſtrum ſanitatem corporis, ſeu ignorantia, ſeu negligentia, ſeu intemperantia perdidimus, & pro ea morbum contraximus, & quamuis peccauerimus in eo quod ſanitatē non ſumus tutati, neq; conſeruati, carentia tamē ſanitatis ex noſtro peccato contracta non eſt peccatū, niſi detur aliqua lex obligans nos, vt ſani ſimus perpetuo, ita vt carere ſanitatė, aut contrarium morbum habere, peccatum ſit, ſed nulla fuit lex impoſita poſteris Adami, qua omnes adulti, & paruuli haberent, originalem illam quam dicimus iuſtitiam datam Adæ, per quam & immortales eſſemus, & peccatis nobis vteremur abſque vlla carnis pugna aduerſus ſpiritū, ergo carentia talis iuſtitiæ non poteſt eſſe propriè peccatum.

Tertium argumen. ¶ Tertiò. Dato quod eſſet lex de iuſtitia originali ſeruanda adhuc carentia illius, nō poteſt ad peccatum imputari, ergo in paruulis nihil eſt quod habeat propriam rationem peccati. Antecedens probatur, & demus verbi gratia, quod ſit lex deſeruanda in perpetuum integritate membrorum, & quod aliquis ſua malitia alium mutilaret inuitum, carentia illius integritatis non poſſet ad culpam illi, qui inuitus mutilatus eſt, imputari, ergo cùm paruuli inuiti careant iuſtitia illa originali, quam primus parens ſua culpa illis non volentibus abſtulit, ergo talis carentia iuſtitiæ nullo modo in paruulis induet rationem peccati.

Secūdum. dictum. ¶ Secundò. Tamen aſſerit Albertus paruulos eſſe peccatores, non per aliquod proprium peccatum ad ſingulos trāsfuſum, ſit, taliter quod à primo parente deriuentur ad ſingulos, ſingula peccata originalia interſe ſe diſtincta, ſed quia ab illo vno peccato, quod in Adamo fuit actuale denominātur homines peccatores, & illud peccatū (prout denominat alios) dicitur peccatū originale. Hanc ſecundam ſuam aſſertionem probat primò, *Primū argumentū primo.* quia cùm primus parens peccauit non aliter eramus in illo niſi veluti in radice, vnde fit, vt non alio actu peccauerimus, quàm illo ipſo, quo ipſe peccauit, *Iſto dicto.* & ex conſequenti illo eodem peccato dicamur peccatores, iuxta illud Pauli ad Roma. 5. ſicut per inobedientiam vnius hominis peccatores ſunt multi conſtituti, ita & per vnius obedientiam iuſti conſtituuntur multi, ergo iuxtà illud dictū Apoſtoli vnum, & vnius peccatum eſt, cuius demerito omnes mortui ſumus.

Confirma. ¶ Confirmatur ex eodem Apoſtolo ibidem, ſi enim vnius delicto omnes mortui ſunt, & paulò infra, ſi enim vnius delicto mors regnauit per vnum. Et rurſus ſicut per vnius delictū omnes homines in cōdemnationē &c. ergo ex vno illo vnius peccato lata fuit in omnes damnationis ſententia, & per cōſequens, in illo, & non in nobis, peccaſſemus omnes, & ſic in illo, & nō in nobis fuit illud peccatum, quo peccauimus omnes, fruſtrà, ergo peccatum illud vnum vnius hominis partiuntur peccata infinita, & ſingulorum hominum, ſed dicendum eſt vnumquemquè naſi peccatorem non tamen ſuo peccato propriò ſed originis.

Sexta ſententia. ¶ Sexta ſententia. Fuit aliorum, quos refert Diuns Thom. 1. 2. quæſtio. 81. arti. 1. qui videntes neceſſe eſſe fateri ex ſacris literis ſingulos contrahere ex Adamo ſingula peccata originalia, neque percipientes quomodo peccatum traduci poſsit nō traducto ſubiecto in eum errorem lapſi ſunt, vt dicerent animas noſtras tradi ex parentibus virtute ſeminis, & proinde non mirum eſſe, ſi ex peccatoribus peccatores naſcamur. Iſta tamen ſententia ab eodem D. Thoma ibi erronea iudicatur, Et 1. p. q. 118. arti 2. hæretica.

Septima ſententia. ¶ Septima. Sententià eſt aliorum, quos refert D. Thom. in. 2. Diſtin. 30. q. 1. arti. 2. aſſe-

aſſerentium, quod etſi anima non traducatur virtute ſeminis, tamen eius defectus poſſet traduci.

Septima ſententia. Fundamētū iſtius. ¶ Et ratio illorum eſt, quia non ſolum defectus naturalis corporis (vt lepra) ſed etiam animæ traducuntur cum ſemine ſicuti amētia, non quod in ſemine ſint iſtæ qualitates, ſed quia in illo ſemine eſt vis quædam ad eas transfundendas in prolem, ſic etiam dicunt prædicti peccatum primi parentis, poſſe traduci in poſteros, quia in ſemine eſt vis quædam, quæ etſi non ſit ipſum peccatum, quia ſemen non eſt capax peccati, tamen poteſt illud in prolem transferre.

Impugnatio ſententiæ. ¶ Iſta tamen ſententia quamuis aliqualem habeat veritatem, non tamen oſtendit, qualiter illud, quod traducitur, veram, iuduat rationem peccati.

Vltima ſententia. ¶ Vltima ſententia eſt Doctoris vt patet in litera, quam etiam docet D. Thom. 1.2. q. 81. art. 1. & fatentur omnes catholici, quia vt dicemus infra diffinita eſt in concilio Tridentino pro cuius explicatione & quæſtionis ſunt aduertenda nonnulla, quorum primū eſt: *Primo nota.* quod circa peccatum originale, & ad eius explicationem ſumenda ſunt, quæ docent ſacræ literæ, & determinant concilia, vbi enim adeſt certum fidei teſtimonium ibi figendus eſt pes, & in illo intellectus captiuandus. Vnde in hac quæſtione tamquam certum de fide dicendum eſt peccatum originale eſſe in omnibus nobis in quo de lege communi omnes concipimur & naſcimur, atque in reatu pœnæ æternæ quouſque per Baptiſmum remittatur, atque tollatur. Neque audiendus eſt Pelagius hæreticus, qui aſſerebat pueros non deferri ad baptiſmum, vt ablueretur in eis aliqua culpa, ſed vt intrare poſſint in regnum cælorum iuxta illud domini apud Ioannem capit. 3. niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu Sancto non poteſt introire in regnum Dei, quia cùm nemo ſit excluſus à regno cælorum niſi propter peccatum, & culpam, quia Deus ex ſe vult omnes homines ſaluos fieri, & ad beatitudinem perducere, niſi illi peccatis ſuis excludi à regno cæleſti mereantur. Quo fit vt pueri propter peccatum in quo naſcuntur egeant lauacro baptiſmi, qui ſecundū D. Paul. dicitur lauacrum regenerationis, vnde verbum illud renaſci, nihil aliud ſignificet eo loco quàm ex morte culpæ, cū quaquis ſecundum carnem natus eſt in vita gratiæ, ſecunda natiuitate reſurgere, iuxta illud Concilij Tridentini Seſsione. 5. Canone. 4, vbi ſic dicitur. Etiam paruuli in remiſsionem peccatorum veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mūdetur, quod generatione contraxerunt, niſi enim quis renatus fuerit ex aqua &c. Vnde patet, de fide eſſe, verbum renaſci ſic eſſe intelligendum. Secundo etiam eſt certum quod in nobis eſt concupiſcentia effrenis, & deordinatà in malum propter peccatum, quæ dicitur fomes peccati, & lex membrorum, & quandoque peccatum, non quia peccatum ſit, ſed quia ad peccatum inclinat. Tertio certum eſt ſecundum fidem quod quilibet ineſt ſuum peccatū originale, ſibi proprium ex parte ſubiecti, quare formali denominatione denominatur ab ipſo peccator, & non tantum denominatiua, ſicut etiam in peccato actuali contingit, vnde non eſt audiendus in hac re, neque Albertus Pixius, neque Ambroſius Catherinus lib. de caſu hominis & peccato originali docentes denominari nos peccatores à peccato Adami, & in Adamo exiſtente.

¶ Secundò eſt notandum quod peccatum, *Secundo nota.* vt peccatum eſt, diuiditur primo in peccatum actuale, & in peccatum originale, quæ differentiæ non extrahunt peccatum tum à ratione peccati, imo determinant cōmunem rationem peccati. Peccatū actuale propria voluntate commiſſum eſt, quatenus voluntas illa eſt voluntas perſonę. Peccatum verò originale voluntate commiſſum eſt, quatenus voluntas eſt voluntas naturæ.

¶ Ex quo infertur quod cùm volūtas Ada- *Corol.* mi poſsit conſiderari dupliciter, vno modo vt eſt voluntas Adami, quatenus Adamus fuit ſingularis perſonę. Secundo modo quatenus Adamus fuit quaſi cōmunis perſona, & voluntas eius, voluntas omniū, quod peccatum Adami poteſt conſiderari, & quatenus reſpicit voluntatem Adami, vt erat voluntas ſingularis perſonæ & quatenus reſpicit eandē voluntatē, prout erat voluntas cōmunis: ſi cōſideretur primo modo, fuit peccatū actuale, ipſum Adamū reſpiciens: ſi autem ſecundo modo cōſideretur, fuit peccatum originale, & peccatum totius humanæ naturæ, quo tota humana in Adamo peccauit.

¶ Tertio eſt notandum, vt præcedens do- *Tertio nota.* ctrina facilius intelligatur, quod omnes homines,

mines, qui ex Adamo naturali generatione prodeunt, dupliciter poſſunt conſiderari, vno modo, quatenus ſunt vnus homo, & hoc non ſolum quatenus ſunt vna communitas, cui primus parens fuit præpoſitus & princeps, ſed etiam quatenus conueniunt in natura ſpecifica, quæ aliquando tota in illo extitit, imò etiam, quatenus ſunt veluti membra cuiuſdam corporis, cuius quaſi anima fuit primus parens, vnde ſicut anima voluntate ſua vtitur membris corporeis, vt inſtrumentis dum illa mouetur ad aliquid agendum, ſic etiam primus parens vtitur poſteris ſuis veluti inſtrumentis dum mouet vnumquē que motu generationis ad exiſtendum.

Corol. ¶ Ex quo prouenit quod quemadmodum voluntas Adami eſt aliquomodo voluntas manus, nēpe quatenus anima eſt principium motiuum manus, ſic etiam voluntas Adami eſt aliquomodo voluntas poſterorum quatenus Adamus eſt principium generatiuum ſuæ poſteritatis.

Quarto not. ¶ Quartò eſt notandum poſteros Adami, quatenus ſunt vna communitas, quæ viuēte illo fuit ſub eius poteſtate potuiſſe in illo obligari ad ſeruandam originalem iuſtitiam. Quatenus autem conueniunt omnes poſteri in natura, quæ aliquando tota in illo extitit, potuiſſe ab eo naturali generatione accipere naturam humanā vel cum iuſtitia illa originali, quod certè accidiſſet ſi Adamus non peccaſſet, vel cū priuatione illius rectitudinis cum qua priuatione omnes concipimur propter tranſgreſsionem illius, qui naturam humanam hoc dono ſpoliauit, Quatenus verò omnes homines ſunt veluti membra eiuſdem corporis, priuatio illiùs rectitudinis habet in nobis rationem culpæ, quia voluntas, qua primus parens tranſgreſſus eſt præceptum, fuit aliquo modo noſtra, nempe quatenus nos ſumus quædam quaſi membra eius quo ad naturalem generationem, vnde quemadmodum homicidium, quod manus committit eſt aliquomodo voluntarium manui, non quidē ſecundum ſe acceptę ſed vt eſt inſtrumentū animæ conſentientis in homicidio ſic etiā priuatio originalis iuſtitiæ, cum qua poſteri Adami naſcuntur eſt illis quodammodo voluntaria. Vide infra quæſtione. 4. & per totam hanc diſputationem.

Prima cōcluſi. ¶ Prima concluſio quilibet ſecundum legem communem propagatus ab Adam habet in ſe traductum à primo parente peccatum originale. Hæc concluſio eſt de fide, & probatur teſtimonijs ſacræ Scripturæ Iob. 14 Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu qui ſolus es? Ex quibus vltimis verbis facile conſtat ſenſum priorum nempè eſſe de immunditia animæ, vt ex Phraſi Caldaica etiam manifeſtè patet, quæ ſic ait, Quis dabit virum mūdum, qui eſt pollutus in peccatis, niſi Deus? & cap. 25. Nemo mundus à ſorde, neque infans cuius eſt vnus dies ſuper terram, ſuper quem locum videndus eſt Titelmanus, & Pſalm. 50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea, ex quo loco omnes ſancti prædictam probant concluſionem. *Probatio concluſionis.* Patet ſimiliter prædicta concluſio ex cōcilio Mileuitano canone. 2. cuiùs auctoritas refertur de conſecratione. d. 4. cap. placuit. Et in conc. Trident. Seſsione. 5. in decreto de peccato originali Canone. 2. 3. & 4. Præterea hæc concluſio communis eſt omnibus ſanctis eam docet D. Auguſtinus in pluribus locis præſertim. 2. lib. aduerſus Iulianum ad finem, vbi pro illa confirmanda citat ſanctos non ſolum antiquiores ſed etiam ſui temporis iam defunctos Hirenæum, Cyprianum, Hilariū, Ambroſium, Hieronymum, Chryſoſtomum, & Innocentium præcipuè ex illo loco ad Romanos. 5. manifeſtè colligitur D. Paulus ait, Per vnum hominem peccatum in hunc mūdum intrauit, & ad Epheſios. 2. eramus natura filij iræ, id eſt, naturali generatione, & propagatione filij iræ. Videndi ſunt magiſter Soto. 1. de natura, & gratia cap. 7. & Alphonſus à Caſtro. 12. libr. aduerſus hæreſes verbo peccatum hæreſi. 1. legendum eſt Concilium Mileuitanum cap. 2. vbi dicit teſtimonium D. Pauli ad Romanos. 5. intelligendum eſſe de peccato originali, & quamuis illud concilium fuerit Prouinciale, confirmatum tamen fuit autoritate Innocentij primi; ſimiliter concilium Africanum contra hęreſim Pelagij & habetur in primo Thomo conciliorum titulo concilij Africani capi. 76. & in cōcilio Arauſicano cap. 1. & 2. & in Tridentino Seſsione. 5. Cæleſtinus Papa in epiſtola ad epiſcopos Galię cap. 4. & leo Epiſcopus in Epiſtola. 22. ad plebem Conſtantinopolitanę vrbis & Epiſtola. 81. ad

Pale-

Paleſtinos Monachos, videndus eſt Sixtus Senenſis lib. 6. ſuæ Blibiothecæ annotatione. 236.

Secunda concluſio. *Probatio concluſio.*

¶ Secundâ concluſio Peccatum illud originale in poſteros tranſfuſum per generationem verè habet rationem culpæ & peccati. Hęc concluſio adeò certa eſt, vt oppoſita ſit temeraria, & erronea, & probatur, quia in Conc. Triden. in decreto de peccato originali Cano. 2. ſic difinitur. Siquis dixerit. Adam non transfudiſſe in poſteros peccatum, quod eſt mors animæ Anathema ſit, & Canone. 5. Si quis per gratiā, quæ in baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit, non tolli totum id, quod veram & propriam rationem peccati habet &c. Ex quibus locis ſatis aperte patet peccatum originis veram induere rationem peccati. ¶ Præterea nam D. Paulus dicit quod per vnum hominem peccatum intrauit in mūdum, & per peccatum mors, ſed mors veram induit rationem mortis, ergo & peccatum veram induit rationē peccati, Quod ſi reſpondeas quod ly peccatum effectum peccati ſignificat & pœnā peccati, contra ergo poteſt dici quod Chriſtus dominus habuit verè peccatum, nā verè habuit pœnam peccati.

Secunda ratio.

¶ Præterea ſi peccatum originale tantum eſt pœna ergo quando quis liberatur à peccato originali, non iuſtificatur, neque liberatur per iuſtificationem, quod eſt contra D. Paulum aſſerentem ibidem quod per meritum Chriſti homines iuſtificantur, cùm à peccato originali liberantur.

Tertia ratio.

¶ Tertiò. Quia peccatum originale conſtituit nos filios irę, & perditionis, vt docet Paulus ad Epheſios. 2. ſed pœna non conſtituit aliquem filium iræ, ſed ſupponit illū eſſe filiū irę ergo.

Quarta ratio.

¶ Quarto. Quia peccatum originis nominatur in ſacra ſcriptura nominibus ſignificantibus propriè peccatum, dicitur enim prçuaricatio, vt patet Oſeę. 6. Dicitur & iniquitas vt Pſalm. 50. Ecce enim in iniquitatibus cōceptus ſum. Dicitur etiam peccatum, vt patet ibidem & in peccatis concepit me mater mea. Vbi eſt aduertendum, quod peccatum originis dicitur peccata in plurali, quia eſt quaſi quędam origo omnium peccatorum & radix. Dicitur etiam infirmitas, & impietas vt ad Romanos. 10. Appellatur denique mors vt prima ad Corinthios. 5. ſed omnia iſta nomina non propriè dicerentur de peccato originali ſi non indueret propriā rationem peccati ergo.

Tertiā concluſio.

¶ Tertia concluſio peccatum originale in poſteros transfuſum eſt illis intrinſecū & inhęrens. Hęc concluſio videtur diffinita in concilio Tridentino Seſsione. 5. Canone. 3. vbi dicitur. Si quis hoc Adę peccatum quod origine vnum eſt, & propagatione non imitatione transfuſum omnibus ineſt vnicuique proprium. Ex quo ſic peccatum originis ineſt vnicuique proprium ergo eſt vnicuique intrinſecum, & inhęrens.

Probatio concluſio.

Notat.

¶ Eſt tamen obiter aduertendum quod ly proprium ibi, non ſumitur, vt diſtinguitur, contra commune, ſed vt diſtinguitur contra alienum, & extraneum, & ratio huius eſt, nam concilium ſolùm intendebat diffinire quod non dicimur peccatores denominatione extrinſeca ab alieno peccato ſumpta, qua ratione paries dicitur viſus à viſione exiſtente in potentia viſiua vt communiter tradunt Thomiſtę: non autem voluit diffinire, an peccatum originale vnius numero diſtinguatur à peccato originali alterius, vnde qui diceret in omnibus hominibus eſſe vnum numero peccatum originale nihil diceret cōtra fidem, erraret tamen in philoſophia, quę docet vnum numero accidens ſiue poſitiuum, ſiue priuatiuum non poſſe eſſe in ſubiectis pluribus realiter diſtinctis.

Notat ſecunda.

¶ Similiter eſt aduertendum, quod peccatum hoc dicitur origine vnum, non paſsiuè, quaſi vnum numero ſit, quod traducitur, ſed actiuè, quia Adam vnico ſuo peccato quaſi effectiuè omnes nos infecit.

Vltima cō cluſio,

¶ Vltima concluſio. Deſcendentibus ab Adam ſimul cum peccato originali illis intrinſicè inhęrente conuenit etiam denominatio quędā extrinſeca à peccato, quod Adamus in ſe commiſsit. Hęc concluſio eſt Driedonis lib. 1. de gratia, & libero arbitrio tractatu. 3. parte. 1. Et probatur, nā Adamus non ſolum accepit iuſtitiam originalem pro ſe, ſed etiam pro ſuis poſteris ergo illud peccatum non ſolum reputabitur Adami, ſed etiam omnium ab illo deſcendentium, & per conſequens non tantū denominabitur Adamus peccator intrinſicè ſed etiam omnes deſcendentes, patet conſequentia nam tale peccatum non ſolū reputatur Adami ſed etiam reputatur omnium

Probatio concluſio.

Confirm. nium aliorum ab illo deſcenderium. ¶ Cõfirmatur; quoniam cùm Adam peccauit, omnes filij eius, quatenus continebantur in eo vt in principio generationis in genere naturæ; & in genere moris peccauerũt, ergo ſtatim ac generatur aliquis, vt filius Adæ habet ordinem ad illud peccatum, vt ad peccatum à ſe commiſſum, prout in Adamo continebatur, & per con ſequens peccatum illud formaliter & ſecundum ſe conſideratum, reputatur ipſius deſcendentis ab Adam, prout in Adam continebatur. Patet ſequela, quia peccatum actuale ideo reputatur eſſe alicuius, quia commiſſum eſt ab eo, & non eſt illi remiſſum. Antecedens autem probatur ex illo ad Roman. 5. in quo (ſcilicet Adam) vel in quo (ſcilicet peccato) omnes peccauerunt, id eſt, peccante Adam, quia non ſolum peccauit voluntate, vt propria, ſed etiam voluntate vt erat omnium deſcendentium ab illo, ideo omnes ab illo deſcendentes ſecundum legem communem in illo peccato peccauerunt.

Ad argu. Ad argumenta autem in principio poſita, quia quodlibet illorum ſuam continet difficultatem, ſingulis difficultatibus pro poſitis ad illa reſpondebimus.

QVÆSTIO II.

¶ *Vtrùm, peccatum per generationem transfuſum in poſteros, & veram induat rationem culpæ & peccati?*

Prima ſententia. Primo nota. DE hac re eſt prima ſententia inter catholicos Durandi in ſecundo diſtin. 30. q. 2. aſſerentis duo. Primum eſt in paruulis eſſe peccatum originis. Secundum autem eſt tale peccatum originis non eſſe propriè culpam, ſed eſſe reatum ad pœnã æternam, quia ſecundum Durandum peccatum originis eſt denudatio illa iuſtitiæ originalis, qua Adamus fuit priuatus à Deo tali iuſtitia, & hanc dicit non eſſe voluntariam directè ſed concomitanter.

Primum argumen. pro ſenten tia Durandi. ¶ Probatur tamen primo ſi aliqua ratione peccatum originale eſt voluntarium maximè, quia tota natura fuit in Adã ſed hæc ratio nulla eſt, quia tota natura humana non continetur per ſe in Adam ſed per accidẽs quia potuit eſſe aliùs homo primùs, numero diſtinctus ab Adã, vt ſi Deus crearet duos homines ſimul, & fortè ille talis non peccaret, ſed ex eo quod aliquid fuerit illi voluntarium, non ſequitur, quod ſit voluntarium omnibus participantibus illam naturam, quia defectus cauſæ per accidens, non comunicatur eius effectibus ergo. ¶ Cõfirmatur primo quia ſequeretur, quod omnes defectus qui fuêre in Adã cõmunicarentur ſuis poſteris, & quod omnia peccata quæ committeret Adã, eſſent voluntaria omnibus ab eo deſcendentibus, ſi antequam filios haberet, cõmitteret illa. Probatur conſequentia, quia vtrobiq; eſt eadem continentia. *Confi. 1.*

¶ Cõfirmatur ſecũdo, quia quamuis Adam eſſet cauſa per ſe omnium hominum non ſequitur, quod eſſet illis voluntariũ peccatũ Adæ, quia agens ſolum aſsimilat ſibi effectũ in eo, quod eſt ipſi ratio agẽdi, ſed eſſe aliquid voluntariũ Adæ non eſt illi in iſto caſu ratio generandi filios, neque conſequeretur ad rationem generãdi ergo voluntarium nõn comunicaretur illis. *Confir. 2.*

¶ Secundò. Actus alicuius ſuppoſiti nõ tribuitur naturæ, niſi quatenus eſt principiũ potentiarum & actu influit in illos actus medijs potentijs: ſicut, verbi gratia, calefactio proueniens ab igne nõ tribuitur naturæ ignis, niſi quatenus eſt principium caloris, & quatenus præſtat influxum naturalem reſpectu huius operationis, ergo neque actio hominis eſt voluntaria naturæ, niſi quatenus humana natura eſt principium voluntatis illius hominis, & median te potentia libera liberè concurrit ad illum actũ, ſed humana natura nõ fuit principium voluntatis, neque actio Adæ niſi quatenus fuit determinata & inclinata in illo, quia natura ſolum eſt principium potentiarum ea ratione, quia eſt terminus generationis ergo actiones Adæ ſolum dicẽtur voluntariæ reſpectu naturæ humanæ prout fuit in ipſo, & ex conſequenti reſpectu naturæ humanæ abſolute ſumptæ & non prout alijs indiuiduis cõmunicatur, & per conſequens inordinatio quã vnuſquiſque in ſe ipſo participat, non poteſt illi eſſe à voluntate Adæ neque aliquomodo vplita actione illius võluntatis, nam ſi actio non eſt aliquo modo volita neque deordinatio, quæ ad illã ſequitur. ¶ Confirmatur, actus alterius hominis *Secundum argument.*

nis ideo dicitur voluntarius mihi vel quia tranſtuli meum conſenſum, aut quia ratum habeo, quod ipſe facio, aut quia poſſum, & teneor vitare, & non vito ſed poſteri Adami non tranſtulerunt ſuum conſenſum, neque vnquam ratum habuerunt, quod ipſe fecit, neque potuerunt vitare quod Adamus fecit ergo.

Tertium argumen. ¶ Tertio ſequitur quod hoc peccatum eſt voluntarium poſteris Adæ denominatione extrinſeca. Probatur ſequela tantum eſt volitum voluntate extrinſeca ſcilicet Adæ, ergo ſicut non eſt voluntarium niſi voluntate extrinſeca erit etiam peccatum denominatione extrinſeca, & non erimus formaliter peccatores ab intrinſeco.

Vltimū argumen. ¶ Vltimò nam Ariſtoteles tertio ethicorum cap. 5. ea vitium docet in nobis eſſe voluntaria, quorum principium eſt in nobis, ita vt ſit in noſtra poteſtate ſitū quod ſit vel non ſit, & Diuus Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. docet neminem peccare in eo, quod vitare non poteſt, ſed non eſt in voluntate puerorum quod originale peccatum ſit vel nō ſit, neque illud poſſunt vitare ergo nullo modo erit illis voluntarium.

Confirm. ¶ Confirmatur, nam pueri propter peccatum originale non ſunt digni reprehenſione, ergo peccatum originale non eſt illis voluntarium. Conſequentia patet, nam in vitijs naturalibus neque meremur, neque demeremur, quia voluntaria nobis non ſunt.

Secunda cōcluſio. ¶ Secunda ſententia eſt Doctoris, pro cuius explicatione, & quæſtionis eſt *Primū notabi.* primo notandum, quòd peccatum ſumitur dupliciter, vno modo prout denominat hominem actu peccantem, ſecundo modo prout denominat hominem actu peccatorem. Primo modo eſt actio contra legē Dei, vel actualis omiſsio actionis contra legem Dei, peccatum autem ſecundo modo, eſt deordinatio quæ manet in ſubiecto, tranſacto actu peccandi, vel tranſacta omiſsione actus debiti per modum termini. Eſt tamen differentia inter vtrumque peccatum, nam peccatum primo modo eſt voluntarium in actu ſecundo, peccatum verò ſecundo modo eſt voluntarium per modum actus primi. Dicitur autem voluntarium in actu ſecundo, quia eſt actus ſecundus voluntatis. Dicitur autem in actu primo voluntarium, pro quanto voluntas, quæ tenetur elicere actum contrarium actui præterito, vt actum præteritum diſſoluat, non eliciens, quaſi cum placet in actu præterito elicito, nam quamdiu quieſcit in actu præterito elicito, quaſi complacet in illo, & quia, non complacentia actuali, quia tunc denominaretur peccans, ſed habituali tantum, ideò dicitur voluntas peccatrix, vel homo peccator.

Secundum notabi. ¶ Secundò eſt notandū, quòd aliquid remanere, tranſacto actu peccandi, contingit dupliciter, vno modo per modum termini: ſecundo modo per modum effectus, per modum termini eſt illud, quod terminauit intrinſecè & per ſe actum illum peccandi, & hoc ita eſt intrinſecum actui, quòd ſicut implicat eſſe actionem ſine termino terminante illam, ita implicat eſſe actum peccandi ſine termino terminante illum, & cùm actus peccandi ſit complacentia actualis circa illicitum obiectum, ideò terminus terminans illam complacentiam actualem, erit habitualis complacentia, cum intrinſeco ordine ad illud obiectum illicitum, derelicto in ipſa voluntate ex actu peccandi præterito. Vnde aliter ſe habet voluntas reſpectu obiecti illiciti quando actualiter complacuit, quàm quando non complacuit in tali obiecto, nam quando non complacuit poteſt dici habitualiter complacens, vel habitualiter potens complacere, quia tunc, tantùm dicit ordinem potentiæ potentis circa tale obiectum, neque habet aliquam determinationem, ſed manet cum indifferentia quadam ad eliciendum actum, vel non eliciendum circa illud illicitum obiectum. At verò voluntas, tranſacto actu peccandi, dicitur habitualiter complacens, quia remanet in illa intrinſecus ordo in ordine ad obiectum illicitum complacendi, derelictus ex actuali complacentia præterita.

Tertiū notabi. ¶ Tertiò eſt notandum cum Doctore hac diſtin. & quæſtione litera D. quòd peccatum originale magis comparatur peccato, quaſi quieſcenti in anima poſt actum tranſeuntem, quàm comparatur peccato actuali, quod elicitur ab ipſa voluntate peccante. Ex quo prouenit, quòd ſicut peccatum tranſacto actu

pecca-

peccandi dicitur voluntarium, quia à voluntate libera elicitur, ita peccatum originale dicitur peccatum, quia à voluntate aliqua libera elicitur, & non quia modò voluntas ſit in illo complacens, nam bene ſtat, quòd quis ſit dormiens in peccato, vel quòd quis furioſus, vel amens in peccato mortali ſit, vt ſi v. g. poſtquàm peccauit, in inſaniam, & dementiam deuenit, de quo non poſſet verificari, quòd non eſſet in peccato, quamuis verificaretur de illo, quòd non poſſet à peccato exire. Ex quo manifeſtè conſtat, quòd ad hoc, quod aliquis ſit in peccato non eſt neceſſarium, quod poſsit de illo reſipiſcere pro tempore illo, pro quo in peccato eſt, ſed ſatis eſt, quòd pro tempore, pro quo illud cōmiſſit, poſſet illud elicere, vel non elicere.

Notab. 4. ¶Quarto eſt notandū, quòd ſicut eſt differentia inter peccare, & eſſe peccatorem, ita eſt maxima differentia inter peccatum actuale, & peccatum originale, nam, vt docet Doctor in hac quæſtione litera H. peccare, poteſt eſſe, vel elicere actum peccandi, vel habere peccatum, ad eliciendum autem actum peccandi, neceſſaria eſt voluntas illius, qui peccat, at verò ad habendum peccatum, non eſt neceſſaria voluntas illius, qui habet peccatum per modum elicientis, & principij actiui, quamuis ſit neceſſaria per modum recipientis, & principij paſsiui, quia voluntas non tantùm eſt principium elicitiuum peccati, ſed etiam receptiuum, & peccatum dicit ordinem ad voluntatem, & tanquàm ad principium elicitiuum, & tanquam ad principium receptiuum: Si peccatum reſpicit voluntatem propriam, tanquàm principium elicitiuum, erit peccatum actuale, ſi autem reſpicit voluntatem alienā, tanquam principium elicitiuum, & voluntatem propriā, tanquàm principium receptiuum, eſſet peccatum alienum, & proprium: alienum quia ab alio elicitum, proprium quia in propria voluntate receptum.

¶Vltimo eſt notandum ex Doctore, hac quæſtione ante literam B. quòd ex eo, quod Adam accepit iuſtitiam originalem pro ſe, & ſuis poſteris tanquam caput in genere moris, ſicut Adam fuit debitor iuſtitiæ, ita & eius poſteri ſunt debitores iuſtitiæ. Quare iuſtitia poteſt dici debita dupliciter, vno modo, quia in Adamo accepta, & actu Adami deperdita, & tunc eſt peccatum actuale, & fuit peccatum Adæ, prout erat perſona particularis, quia ipſe accepit iuſtitiam originalem pro ſe, & illam proprio ſuo actu deperdidit. Secundo modo iuſtitia eſt debita, quia in alio accepta, & alterius actione amiſſa, & iſta eſt iniuſtitia in paruulis: quia iuſtitia fuit in Adam accepta nō ſolùm pro ſe, ſed & pro poſteris: & per ſuum actum amiſſa, non ſolùm vt perſona particularis erat, ſed vt perſona communis, & quaſi caput omniū ab illo deſcendentium. Pro hac quæſtione & ſequentibus vide quæſtionem quartā.

¶Prima concluſio. Peccatum originale ab Adamo per originem in nos transfuſſum veram induit rationem peccati, & culpæ. *Prima concluſ.* Hæc concluſio videtur definita in Concilio Tridentino ſeſsione. 5. in Decreto de peccato originali Canone. 5. vbi ſic dicitur, ſi quis per Ieſu Chriſti Domini noſtri gratiam reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit, non tolli totum id, quod veram, & propriam rationem peccati habet, ſed illud dicit tantùm radi, aut non imputari, anathema ſit. Ex quo loco patet, peccatum originale veram induere rationem culpæ, & peccati. Secundo priuatio voluntaria originalis rectitudinis veram habet rationē culpæ & peccati, ſed peccatum originale in nobis eſt priuatio voluntaria originalis rectitudinis, ergo veram rationem habet culpæ in nobis. Maior eſt manifeſta. Minor probatur, nam omnes tenebamur habere iuſtitiam originalem, & actione voluntaria primi parentis (vt capitis) habemus carentiam illius per modum termini talis actionis, ergo habemus carentiam voluntariam. Tertiò, ſi aliqua ratione peccatum originale non habet in nobis veram rationem culpæ, maximè quia nemo poteſt peccator conſtitui, niſi voluntate propria, vel ſaltim aliena, cui ipſe conſenſum præbuit, ſi non expreſſum, ſaltim interpretatiuum, quem conſenſum nullus poſterorum Adam præſtitit, imò verò omnes cùm primum id factum eſſe intelligunt, egerrimè ferunt, quòd ille Diuino præcepto non obedierit. Sed iſta ratio nihil valet nam omnes poſteri Adā interpretatiuè dedimus conſenſum primo parenti, vt præceptum transgrederetur, neque ad talem conſenſum fuit neceſſarius aliquis noſter actus, quo il-

 lum

lum ante ſignificaremus, ſed ſatis fuit, quod in primo parente obligari potuimus, vt illi interpretatiuum conſenſum dediſſe indiceremur. Et præterea, quia cum peccatum ad rationem peccati non indigeat, quòd ſit volitum ab hoc, ſed quòd ſit voluntarium, & à voluntate elicitum huius, vel illius, & peccatum originale ſit voluntate commiſſum, ideò propriam induit rationem peccati. Imò neceſſariò peccatum originale intrinſecè, & in ſua formali ratione dicit eſſe à voluntate aliena commiſſum. Ad hoc autem, quod aliquid ſit commiſſum à voluntate aliena neceſſariò requirit, quòd non ſit à voluntate propria. Cum igitur peccatum originale ſit peccatum commiſſum voluntate aliena intrinſecè, & neceſſariò excludit commiſſum eſſe à voluntate propria, vnde ly originale non excludit peccatum à ratione peccati, imò illud determinat, conſtituens illud in tali genere peccati, & cùm peccatum, vt peccatum abſolute non dicat voluntarium propria voluntate, ſed tantùm voluntarium, hinc prouenit, quòd peccatum originale in nobis, licèt voluntate aliena cõmiſſum, verã induat ratione peccati, & ſit peccatum, quia carentia rectitudinis volũtaria: & ſit originale, quia per generationem transfuſſa.

Reſpondetur arg. ¶Reſpõdetur argumentis. Ad argumenta autem pro ſententia Durandi reſpondetur.

Ad primũ argum. Ad primum diſtinguendo antecedens ſcilicet vel poſita ordinatione Diuina, vel tantùm naturis rerum conſideratis. Primo modo negatur antecedens nam poſito Adamo primo parente tantùm ſecundum naturalem hominum generationem, per ſe in Adamo omnes homines continebantur, & ſic, cùm Deus dederit Adamo iuſtitiam originalem pro ſe, & ſuis poſteris, Adamo voluntate conſequente, poſteris autem voluntate antecedente, ideò ſicut Adam per proprium peccatum habuit carentiam voluntariam iuſtitiæ originalis, & conſtitutus fuit reus, & debitor illius, ita & eius poſteri conſtituti ſunt debitores illius iuſtitiæ originalis, quam Deus illis tribueret, ſi Adamus non peccaret, & tale debitum, quanuis non ſit voluntarium ipſis pueris, quatenus voluntarium dicit aliquid elicitum à voluntate ipſorum puerorum, eſt tamen voluntarium quatenus talis carentia fuit volita ab ipſo Adamo, vt erat caput in genere moris.

Ad primã confirm. ¶Ad primam confirmationem reſpondetur infrà.

Ad ſecun dã confir. ¶Ad ſecundam vero reſpondetur diſtinguendo de voluntate, ſcilicet, vel à voluntate propria elicitum, & hoc modo peccatum originale non eſt pueris voluntarium, vel quia in voluntate receptum, & hoc modo peccatum originale non ſolum eſt voluntarium, nempè à voluntate Adami elicitum, ſed & ſimul eſt illis voluntariũ, id eſt, in propria vniuſcuiuſque voluntate receptum.

Ad ſecundum arg. ¶Ad ſecundum reſpondetur, quòd aliter loquendum eſt de actibus poſitiuis, & de actibus priuatiuis, actus enim alicuius oppoſiti poſitiuus non tribuitur naturæ, niſi quatenus eſt principium potentiarum, ſecus autem de actu priuatiuo, vel defectiuo, præcipuè quando tota natura eſt virtualiter contenta in aliquo primo, vt fuit in Adamo.

Ad cõfir. ¶Ad confirmationem reſpondetur, quòd procedit de voluntario per modum actus proprij, vt ex ipſa confirmatione patet. Ideò enim dicitur aliquid mihi voluntarium, vel quia tranſtuli meum conſenſum, vel quia ratum habeo, aut quia poſſum, & teneor vitare, & non vito, peccatum autem originale non eſt hoc modo pueris voluntarium, quia tunc non eſſet originale peccatum, ſed actuale.

Ad tertiũ argum. ¶Ad tertium reſpondetur negando ſequelam, quia cùm peccatum originale habeat modum peccati habitualis, ſicut peccatum habituale tantùm dicit ordinem ad volitionem præteritam, quatenus per modum termini remanet voluntas illius, qui peccauit, cùm carentia voluntaria rectitudinis debitæ ineſſe, ita & peccatum originale remanet in pueris per modum termini illius volitionis, qua peccauit Adam, vt caput in genere moris, vide infrà quæſt. ſeq. vnde quamuis actio ſit extrinſeca pueris, terminus tamẽ illius actionis eſt intrinſecus illis, & ob hoc peccatum originale communiter appellatur peccatum Adami in ſuos poſteros transfuſſum, ex eo, quod carẽ. illa, quæ per modum termini in Adamo remanſit, tranſacto actu peccandi, lic[illegible] eadem numero, bene tamen eadem [illegible]dum ſpeciem in omnibus deſcendenti[illegible] ab Adam remanſit.

¶Ad

Ad vltimum arg. ¶Ad vltimum reſpondetur, quòd Ariſtoteles, & Diuus Auguſtinus loquuntur de peccatis actualibus. *Ad primã confirm.* Ad primam confirmationem reſpondetur, cum Diuo Bonauentura in ſecundo diſt. 32. quæſt. 2. articulo. 1. peccatum originale eſſe minimum omnium peccatorum, & ideò illi nõ eſt ſtatuta alia pœna per ſe, quàm priuatio bonorum ſupernaturalium. *Ad ſecundam cõfir.* Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, quòd illa tantùm probat, non eſſe in poteſtate illorum, tollere peccatum originale, ſicut neque eſſet in poteſtate alicuius, qui poſtquàm peccatum actuale commiſit, ad inſaniam peruenit, tale peccatum tollere, non tamen poſſet dici talem inſanum peccatum non habere.

QVÆSTIO III.

¶Vtrùm Deus obligauerit in Adamo omnem eius poſteritatem ad ſeruandam iuſtitiam originalem.

Primum argum. PRO parte negatiua eſt primũ argumentum. Non eſt magis impoſitum Adamo præceptũ de ſeruanda iuſtitia originali, quàm eſt nobis impoſitum præceptum de ſeruanda gratia, ſed nobis nullum præceptum eſt impoſitum de gratia ſeruanda, ergo. Probatur minor, nam alias, qui committit homicidium duplicẽ committit peccatũ, alterum, quia homicidium commiſit, alterum, quia gratiam non ſeruauit. Cõſequens eſt falſum, ergo.

Confirm. ¶Confirmatur, quia ſequeretur Adamum duplex peccatum peccaſſe alterum comedendo, alterum iuſtitiam originalem non ſeruando.

Notab. 1. ¶Pro explicatione huius quæſtionis eſt primo notandum cum Doctore hac diſt. & quæſt. quòd in ratione peccati originalis duo ponuntur. Primum eſt carentia iuſtitiæ originalis, & huius aſſignantur duæ rimæ, ſiue cauſæ. Secundum eſt debitum illius iuſtitiæ, & huius ſecundi duæ etiam cauſæ aſſignantur, quarum prima eſt. Deus ſtatuens illam legem, do tibi Adam iuſtitiam originalem, & omnibus filijs tuis naturalibus, & ex hac datione, quæ quantum eſt ex parte Dei, omnibus deſcendentibus ab Adam iuſtitia illa originalis daretur, oritur in ipſis deſcendentibus debitum habẽdi illam. Secunda cauſa eſt pater propagans, per cuius actionem ille eſt filius naturalis Adæ. Duæ etiam ſuut cauſæ carentiæ iuſtitiæ originalis nõ poſitiuæ ſed negatiuæ, quarum prima eſt, Deus non dans, ideò enim paruulus non habet iuſtitiam, quia Deus illi non dedit. Quod ſi vlterius, quæras. Quare Deus nõ dedit illi iuſtitiam. Tunc eſt ſecunda cauſa demeritoria, ſcilicet, Adamus, qui peccauit, vnde non dat Deus puero iuſtitiam, quia modo Adam peccat, ſed quia aliquãdo Adam peccauit, & ex illo primi Adami peccato poſita lege Diuina de conferendo omnibus poſteris iuſtitiam originalem, ſi Adamus non peccaret, ortum eſt in pueros debitum habendi illam. *Solutio.*

Notab. 2. ¶Secundò eſt notandum, præcepta eſſe in duplici differentia, quædam eſſe naturalia, quædam eſſe poſitiua & præcepta naturalia, quædam ſunt, quæ ex ipſo naturali iure ortum habent, abſque aliqua alia impoſitione: quædam verò ſunt, quæ quãuis iure naturæ haberentur, peculiari tamen lege ſunt impoſita, ſicut v. g. de iure naturæ tenetur quis propriam conſeruare vitam, & præcepto naturali impoſitum eſt vnicuique, ne quis ſeipſum interficiat.

Notab. 3. *Prima ſententia Doctoris.* ¶Tertiò eſt notandum, non ſatis conſtare inter Theologos, vtrùm obligatio illa, qua Deus obligauit primum parentem, & in illo omnem eius poſteritatem ad iuſtitiam originalem ſeruandam, an obligatio illa inducta fuerit aliquo peculiari præcepto, nam ſunt, qui dicant obligationem illam inductam fuiſſe peculiari præcepto, non tamen poſitiuo, ſed naturali. Vnde ſicut ille, qui ſibi manum abſcinderet, peccant contra præceptum naturale, quia iure naturali prohibitum eſt, ne quis ſe priuet membris à natura datis, ſic etiam prædicti dicunt, primum parentem peccaſſe, quia priuauit ſe, & nos præclaro illo dono naturæ, & per conſequens Adamum duplicem incurriſſe culpam, alteram de tranſgreſsione præcepti poſitiui de non veſcendo de fructu ligni vetiti, alterã de tranſgreſsione præcepti naturalis de non amittenda iuſtitia originali. ¶Ad argumentum autem in principio poſitum reſpondent aliam eſſe ratio-

rationem de gratia, quæ datur hominibus poſt lapſum, & aliam de iuſtitia originali, quia iuſtitia originalis erat donum naturæ, & quodammodo naturale, at verò gratia iuſtificans eſt donum perſonæ, & omnino gratuitum, atque hac de cauſa ille qui modò peccat mortaliter, non cōmittit peculiarem culpam, quia ſe priuat Diuina gratia, ſed tantùm culpa homicidij, aut furti, aut alterius peccati.

Secunda ſententia Soto lib. 1. de natu ra & gratia ca. 10. ¶ Alij verò dicunt Deum non obligaſſe Adamum præcepto aliquo peculiari, ſiue poſitiuo, ſiue naturali ad ſeruandam iuſtitiam originalem, ſed tantùm præceptis naturalibus de alijs rebus, vt de non occidendo, & peculiari præcepto poſitiuo de non veſcendo de ligno ſcientiæ boni, & mali, quemadmodum modo non obligat nos ad ſeruandam gratiam peculiari præcepto, ſed omnibus præceptis. Vnde ſicut nos non committimus peculiarem culpam propter amiſsionem gratiæ ſic etiam dicunt Adamum non commiſiſſe peculiarem culpam propter amiſsionem iuſtitiæ originalis, niſi quòd grauior fuit illius inobedientia, quàm ſi ſola gratia gratum faciente præditus fuiſſet, aut ſi ſoli ſibi iuſtitiam originalem accepiſſet, ſicuti Eua. Quare dicunt prædicti non eſſe parem rationem in amiſſione iuſtitiæ originalis, niſi quòd grauior fuit illius inobedientia, quàm ſi ſola gratia gratum faciente præditus fuiſſet, aut ſi ſibi ſoli iuſtitiam originalem accepiſſet. Et iuxta hoc reſpondent ad rationem priorem, non eſſe eandem rationem in abſciſsione membrorum, & in amiſsione iuſtitiæ originalis, nam abſcindere ſibi manum eſt culpa priuari autem iuſtitia originali, fuit pœna illata à Deo propter culpam tranſgreſsionis. Nemo enim ſe priuare poteſt donis infuſis effectiuè; ſed demeritoriè, vt dicunt Theologi. Vnde quemadmodum qui furtum facit propter quod illi manus abſcinditur, ſolam culpam furti committit, ſic etiam primi parentes, eſu illo prohibito, propter quem iuſtitia originali priuati fuerunt, ſolam culpam tranſgreſsionis incurrerunt, ſiquidem priuatio iuſtitiæ originalis fuit pœna tranſgreſsionis.

Tertia ſen tentia. ¶ Tertia ſententia eſt aliorum aſſerentium ad peccatum originale in pueris transfundendum non ſufficere quod tota natura contineatur in Adamo, tanquàm in origine, vt ipſe Adamus eſſe caput morale ſuorum poſterum, ita vt eius peccatum imputaretur poſteris ad culpam, quoniam aliàs omnia peccata Adæ transfunderentur ad nos, & omnia peccata parentum ad ſuos filios, de qua re latiùs infrà. Dicunt ſecundo non fuiſſe neceſſarium pactum firmatum conditionali aliqua promiſsione ex parte Dei, & expreſſo conſenſu ex parte Adæ acceptantis eam, neque de facto interueniſſe tale pactum. Et in hoc diſſentiunt à prima ſententia, quam defendit Doctor, & Vega ſuper Concilium libro. 2. capite. 2. & tertio. Probant primum, quòd tale pactum non fuerit neceſſarium, nam Deus iure dominij potuit ſuis præceptis obligare Adam, ſiue pro ſe ſolo, ſiue pro ſe, & ſua poſteritate ſimul, non expectato aliquo conſenſu ipſius. Quòd verò de facto tale pactum non interuenerit. Probant ex eo, quia indignum eſt maieſtati Dei, & alienum ab eo modo, quo imponere ſolet præcepta hominibus, nō enim ad hoc poſtulat conſenſum ipſorum. Tū etiam, quia nullibi fit mentio talis pacti. Neque obſtat illud Oſeæ citatum à Vega illis verbis. Ipſi autem ſicut Adam tranſgreſsi ſunt pactum, ibi præuaricati ſunt in me, quoniam ſolus Diuus Hieronymus intelligit illum locum de peccato originali, & quanuis de eo intelligatur, poteſt dici ſummi pactum pro lege, vt ibi etiam aduertit Hieronymus. Tertio dicunt, requiri decretum Dei, quo ſtatueret voluntatem Adæ habendam eſſe apud ſe pro voluntate poſterorum, quantùm ad obſeruationem, & tranſgreſsionem ſuorum præceptorum, quatenus ex eis pendebat conſeruatio, & amiſsio iuſtitiæ originalis, prout erat donum toti naturæ collatum in Adam. Et quòd huiuſmodi decretum manifeſtaretur ipſi Adæ, Vtrumque iſtorum probant, nam ſi illud decretum non fuiſſet neceſſarium, non poterat aliunde prouenire, quòd voluntas Adæ reputaretur voluntas ſuæ poſteritatis. Quòd verò etiam fuerit neceſſarium, manifeſtari Adæ tale decretum. Patet, quia aliàs tranſgreſsio Diuini præcepti non eſſet voluntaria ipſi, vt capiti, quia circunſtantia omnino ignota non poteſt eſſe volun-

voluntaria, & ex conſequenti non eſſet peccatum capitis formaliter, ſed particularis perſonæ, ac ptoinde non transfunderetur in poſteros, quia ſolùm tranſfunditur illud peccatum, quod commiſsit, vt caput.

Solutio. ¶ Iſta tamen tertia ſententia (ni fallor) eadem eſt cum prima ſententia doctoris, nam vt patet ex illo in ſolutione ad argumenta tertiæ quæſtionis, ſic ait. Ad aliud de proximo parente reſpondeo. Quicunque accepiſſet iuſtitiam originalem in ſe formaliter, vel voluntate conſequente, fuiſſet debitor pro ſe, & pro tota ſua poſteritate, pro qua accepiſſet virtualiter, & ita, ſi Adam non peccaſſet, ſed Cain tantùm, filij Cain contraxiſſent peccatum originale (quod intellige ſi ſimilem legem, quam Deus impoſuit Adamo, imponeret Cain) non ab Adam ſed à Cain, nunc autem nullus accepit formaliter, & ideò omnes alij habuerunt eandem rationem debiti habendi iuſtitiam, & eandem rationem carentiæ ipſius, &c. Ex quibus verbis facile conſtat Doctorem non ſentire eſſe neceſſarium pactum ad modum, quem ipſi explicant, ſed ſatis eſt impone re legem Adamo deſeruanda iuſtitia originali pro ſe & ſua poſteritate.

4. Nota. ¶ Quarto nota, quòd Adam conſtitutus eſt à Deo caput omnium hominum non ſolum in eſſe naturæ, ſed & in genere moris, & ratio huius eſt, nam Adam fuit caput totius poſteritatis, & in eſſe naturali, & in eſſe morali, quoniam ab illo erat tota natura humana propaganda, & ſimiliter ab illo erat deriuanda ad poſteros, potentia bene operandi moraliter, ſcilicet gratia, & iuſtitia originalis, & in Adami deliberatione conſtituta fuit permanentia, aut culpabilis amiſsio illius ſtatus in ordine ad naturam, quia quantumcunque alij peccarent, ſi ipſe non peccaſſet, ſemper cum natura communicaretur iuſtitia originalis. In particulari verò neutrum horum habuit Adam ex natura rei, ſed ab extrinſeca Dei ordinatione, quoniam illa ſecluſa bene poſſet ab alio homine propagari natura humana, & nulla eſſet ratio propter quam perfectio, aut defectus moralis transfunderetur in poſteros, cùm neutrum transfundatur ab alijs parentibus in filios, neque ab Adamo concedimus transfundi omnia peccata, ſed illud vnum duntaxat. Iſta autem ordinatio quantum ad hoc, quod eſt Adã eſſe caput in eſſe naturæ, conſiſtit in hoc, quod Deus decreuit, vt Adam eſſet primus, & caput totius naturæ humanæ propagandæ per naturalem generationem, & ratio huius eſt, quia poterat Deus per creationem, vel aliam productionem, ſicut produxit Adam, producere alios homines, & mulieres, ex quibus alij homines per naturalem propagationem naſcerentur. Quòd autem Deus Adam conſtituiſſet primum hominem, ex quo omnis poſteritas deſcenderet, prouenit ex ordinatione Dei, ſic ordinante, vt vnus tantùm eſſet homo, ex quo omnes deſcenderemus. Ordinatio autem quantùm ad hoc, quod Adam eſſet caput noſtrum in eſſe morali, vltra prædicta addit, quòd Deus in voluntate Adæ quodammodo conſtituit voluntatem totius poſteritatis, ita, vt eius actio reputetur actio totius naturę. Et ratio huius eſt, quia ex eo quod Deus dedit Adæ iuſtitiam originalem, voluntate conſequente, & omnibus ab ipſo deſcendentibus, voluntate antecedente, in illa datione, ſicut in tota natura orta fuit ratio debiti, nam actio Adami ſi permaneret, reputabatur actio non ſolum particularis perſonæ, ſed totius naturæ, ita etiam amiſsio non ſolum fuit amiſsio particularis perſonæ, ſed etiam totius naturæ, & cum illa amiſsio ſupponat rationem debiti, hinc prouenit Adamo peccante totam in eius voluntate poſteritatem peccaſſe. Vnde quamuis ex prædicta ordinatione habuerit Adam eſſe caput in genere naturæ, & in genere moris, poſita tamen ordinatione illa, iam habet ex natura rei eſſe caput totius naturæ humanæ.

¶ Quinto eſt notandum, maximam eſſe differentiam inter poteſtatem humanam, & poteſtatem Diuinam, quantùm ad leges condendas, lex enim humana non poteſt obligare filios in parentibus ad actionem ipſorum parentum, ſed ſolùm ea ratione, vt cùm nati fuerint, & proprijs rationibus ſtatutam legem ſeruare potuerint, illam exequantur. ¶ At verò poteſtas Diuina cùm extendat ſe ad omnes res, & omnes modos earum, ſic etiam potuit obligare omnes homines in primo parente, non ſolùm ad proprias ipſorũ actiones futuras, ſed etiam ad aliquam actionẽ *5. Nota.*

primi parentis, eo nempe modo, quo erāt in illo. Ex quibus infertur primo, Deum optimum maximum duplici obligatione nos obſtrinxiſſe in primo parente altera fuit, vt ſi cū iuſtitia originali naſceremur, illam proprijs actionibus conſeruaremus, verùm ex hac obligatione nullam nos culpam incurrimus, quia nō ſumus nati cum iuſtitia originali. Altera fuit vt etiam eo modo, quo eramus in primo parente eandem iuſtitiam non amitteremus, atque ex hac obligatione duplex culpa nobis imputatur, vna eſt ipſa tranſgreſsio primi parētis, quæ non ſimpliciter, ſed quodammodo eſt noſtra, altera eſt, ipſa priuatio rectitudinis, cum qua naſcimur, quæ ſimpliciter eſt noſtra. Ex quo Infertur ſecundo, vtrāque culpam eſſe nobis aliquo modo volūtariam, priorem quidem quatenùs eramus in primo parenre, vt in capite generis humani, & in quo tota noſtra natura continebatur. Ex quo fit, vt voluntas, qua ille præceptum tranſgreſſus eſt, quodammodo reputetur noſtra. Poſteriorem verò quatenùs ſumus quædam quaſi mēbra eius, quibus ille vtitur motu generationis, vt per nos quodammodo exiſtat, hinc enim efficitur, vt voluntas, qua ille nos generat, cū peccato originali, aliquo etiam modo reputetur noſtra, nempe quatenus ille per nos exhibet mundo peccatum, iuxta illud ad Roman. 5. per vnum hominem peccatum in hunc mondum intrauit. Ex quibus Infertur tertio, peccatum originale eſſe nobis propriè peccatum, quia eſt in nobis carentia iuſtitiæ voluntaria cum debito habendi eam.

1. Corol. *2. Corol.* *3. Corol.*

Vltimo notab. ¶Vltimò eſt notandū, quòd defectus malum, & culpa, habent ſe ſicut ſuperiùs & inferiùs, vt docet D. Thom. in 2. d. 30. q. 1. art. 2. nam nòn omnis defectus eſt malū, neque omne malum eſt culpa, nam malum addit ſupra defectum rationem debiti, vnde ille defectus malum eſt, quod eſt circa debitum, vel fundatur in debito, vnde ſi homini deficiant alæ, talis tamen defectus non eſt illi malum, quia alæ non ſunt debitæ, culpa verò ſupra malum addit rationē voluntarij cum ordine ad legem.

Prima cōcluſio. ¶Prima cōcluſio. De⁹ potuit ſua lege obligare Adamū, & ſuā poſteritatē in ipſo, ad actionē propriā ipſius Adami, prout erat caput omniū, tā in eſſe naturæ quàm in genere moris, ſub pœna peccati mortalis. Hæc cōcluſio fundamentū eſt huius quæſtionis. Probatur tamen. Omnes homines ſunt in primo parēte tanquā in prima radice, ſed potuit Deus obligare Adamum ad propriā ſui actionem, quatenus erat radix omniū hominū, ergo & omnes homines poterāt obligari, prout erāt in primo Adamo, tanquā in radice. Cōfirmatur, nā ſi aliqua ratione nō poſſet Deus obligare poſteros in Adā, maximè quia nō potuit cōſtituere voluntates noſtras in voluntate Adæ, ſed hoc falſum eſt, ergo. Probatur minor, nā cū Deus ſit ſupremus dominus, & gubernator rerū noſtrarum iure ſuo, & ſine proprio conſenſu potuit ſtatuere, vt volūtas Adæ eſſet noſtra, ita vt cēſeremus velle, quod ipſe vellet, & nolle, quod ipſe nollet, & obligari nos in ipſo Adā ad ſeruādas quaſcunque leges, & quomodocunque ipſe vellet, neque in hoc faceret alicui iniuriā aliquā, quoniā in eo ſeruaret ſummā æquitatē, & maximè cōſuluit noſtræ vtilitati. Primò, quia ſicut obligauit nos ſuis præceptis in Adā, quamdiu ipſe permaneret in iuſtitia originali, ita etiam conceſsit omnibus in ipſo iuſtitiā originalē. Et ſecūdo, quia vt Adā nō ita facile tranſgrederetur ſua præcepta, muniuit eū gratia, & innumeris auxilijs, atque donis, omnesque inimicos interiores abſtulit. Et tertio, quia propter tranſgreſsionem non impoſuit nobis aliam pœnā, quā vt priuaremur gratuitis, &, quæ noſtræ naturæ nō erant debita.

Ratio. *Confirm.*

Secunda concluſio. ¶Secunda cōcluſio. De facto Deus conſtituit Adamū caput omniū poſterorū tā in genere naturæ, quàm in genere moris, & in ipſo obligauit omnes deſcendentes ab illo ad ſeruandā iuſtitiā originalē actione ipſius Adæ, quatenus erat caput naturæ. Hæc cōcluſio probatur ex illo D. Paul. ad Rom. 5. vbi poſtquā dixit. Per vnū hominē peccatū intrauit in mūdū, ſtatim ſubdidit, in quo oēs peccauerūt, ſed nō poſſent peccare, ſi volūtas Adæ nō eſſet aliquo modo volūtas omniū hominū, nā aliàs actus Adami non poſſet ipſis attribui, ita vt, eo peccante, illi dicerētur peccare, ergo de facto cōſtitutus fuit Adamus, ergo 2. ex D. Aug. to. 2. epiſ. 105. qui ſic ait: neque enim dānantur, qui nō peccauerūt, quādoquidē illud ex vno in oēs pertranſijt, in quo ante propria in ſingulis, quibuſcunque peccata oēs cōmuniter peccauerūt, & lib. 16. de ciuit. Dei. c. 27. D. Baſil. hom. 1. de laudibus ieiunij ita inquit, & eo declinante à via recta declinauimus.

¶Reſpon-

Reſpondetur argumentis. ¶Reſpondetur argumentis. Ad primũ negando paritatem rationis, nam gratia iuſtificans, quæ nobis confertur, tribuitur vnicuique, vt ſingulari perſonæ, at verò iuſtitia originalis conceſſa fuit Adamo, vt erat caput totius generis humani, & ſic tenebatur illam conſeruare non tãtum pro ſe ſed pro tota ſua poſteritate.

Ad primũ.

Ad cõfir. ¶Ad cõfirmationem reſpõdetur. Adamũ, comedendo de ligno vetito, duplex præceptum violaſſe, ſcilicet, & præceptum de non comedendo, & præceptum de conſeruanda iuſtitia pro ſua poſteritate. Vnde quamuis illud peccatum eſſet vnum materialiter, fuit tamẽ duplex formaliter, quia contra duplex præceptum.

QVÆSTIO IIII.

¶Vtrùm potuiſſet Adamus conſtitui caput morale illorum hominum, quorũ non eſſet caput in genere naturæ.

Prima ſententia. DE hac re eſt prima ſententia quorundam aſſerentium, potuiſſe Deum de potentia abſoluta cõſtituere Adamum, caput morale etiam illorum hominum, qui per naturalem propagationem ab illo non deſcenderent, ſicut v. g. ſi eſſent alij homines ab Adamo non deſcendẽtes, & tribueret Deus Adamo iuſtitiam originalem, non tantùm pro ſe, ſed pro illis hominibus. In tali caſu Adamus eſſet caput illorum in genere moris, quamuis non eſſet caput in genere naturæ. Ex quibus inferunt prædicti non implicare contradictionem, quòd peccatum alicuius Angeli, vel hominis traducatur in alium hominẽ, iam natum, vel naſciturum ex alio homine, quamuis tale peccatum non diceretur originale, quia non traduceretur ab origine naturæ. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia ad hoc, quod aliquod peccatũ traducatur, nõ eſt neceſſaria aliqua actio cõmunis, ſed ſufficit non traduci iuſtitiam in cuius priuatione conſiſtit peccatum, ſicut v. g. ſufficit ceſſatio actionis, qua deberet produci aliqua forma in ſuo ſubiecto, vt ſit in eo priuatio talis formæ. Vel ſecundo poſſet traduci per moralem quandam reſultantiam.

Secunda ſententia. ¶Secunda ſententia eſt aliorũ, aſſerẽtium impoſsibile ſibi videri, poſſe aliquem hominem cõſtitui caput in genere moris reliquorum hominũ, ſi nõ eſt caput illorũ in genere naturæ. Fundamentum huius ſentẽtiæ eſt, quia illi non ſunt aliquid illius hominis, ergo nõ poteſt fieri ſine ipſorũ iniuria, ꝙ actus illius hominis imputetur ipſis ad culpam. Patet conſequentia, quia ſi imputarentur ad pœnam, quæ eſſet punitio culpæ, fieret eis iniuria, ergo à fortiori ſi imputaretur ad culpam. Et ſecundo quia, vel peccante illo homine, dicerentur iſti peccare quatenus ſunt in eo, vel quatenus ſunt in ipſis. Primum dici non poteſt, quia ſunt omninò ſecati, & ſeparati ab eo: neq; ſecundum, quia nihil habent in ſeipſis, ratione cuius dicantur peccare, ergo nullo modo dicuntur peccare, & ex cõſequenti peccatum illius hominis non imputabitur eis ad culpam. Confirmatur ex D. Auguſt. tom. 2. epiſt. 23. quæ eſt ad Bonifaciũ vbi ſic ait. Iam itaque cùm homo in ſeipſo eſt ab eo qui genuit alter effectus, peccato alterius ſine ſua cõſenſione nõ tenetur obnoxius, & paucis interpoſitis. Non trahit alter ab altero (ſcilicet peccatum) quãdo ſua vnoquoque propria vita viuente iam eſt, vnde dicatur. Anima, quæ peccauerit ipſa morietur. Et præterea aliquantulum ante medium Epiſtolæ ſic ait. Cæterùm cùm infans nõ redeat in parentem, vt cum illo & in illo vnus homo ſit, ſed omninò alter ſit, habens animam ſuam & carnem ſuam, anima, quæ peccauerit, ipſa morietur. *Confirm.*

1. Notab. ¶Pro explicatione tamen huius quæſtionis eſt primo notandum, ꝙ in hac quæſtione aliter loquendum eſt de paruulis, & aliter de adultis, & in adultis aliter loquendũ eſt de iis, qui ſunt in actuali volitione, & aliter de iis, qui nullam volitionem actualem habent. Et ratio huius differentiæ eſt, nam aliter ſe habet voluntas, quando eſt ſub actuali volitione aliqua, quàm quando nullam in ſe volitionem habet, nã quando eſt ſub actuali aliqua volitione, quamuis habeat ſimultatem potentiæ, non tamen habet potentiam ſimultatis reſpectu volitionis oppoſitæ. Vnde non poteſt plures ſimul oppoſitas volitiones habere, quãdo verò non eſt ſub aliqua volitione, quãlibet volitionem poteſt recipere.

2. Notab. ¶Secundo eſt notandum, vt diximus in quæſtione præcedenti, cùm Deus ſit ſupremus Dominus, & gubernator rerum noſtrarum,

Nota hoc quia eſt fundamentum huius materiæ. vvide infra in quæſtione de ratione formali originalis peccati explicando ſententiam Doctoris.

ſtrarum, hinc prouenit, poſſe voluntatem puerorum, & voluntatem vnius ſubijci voluntati alterius, imò (vt communiter tradunt Doctores, in materia de matrimonio accipiendo matrimonium formaliter pro vinculo maritali) poterit Deus de potẽtia abſoluta tale matrimonium facere ſine conſenſu partium, taliter, quòd poteſt verè illos coniungere vinculo illo, quod habent modo cõtrahentes, abſque eo, quod præceſſerit conſenſus illorũ, nã Deus de potẽtia abſoluta poteſt producere effectus ſine cauſis ſecundis efficientibus, ſed homo per conſenſum eſt cauſa ſecunda efficiens tale vinculum, ergo ſine illis tale vinculum poteſt facere. ¶Cõfirmatur, nam ex eo, quod vinculum illud fiat à diuerſis cauſis, non ſequitur, quòd ſit vinculum diuerſæ ſpeciei, nam idem effectus ſpecie poteſt à diuerſis cauſis produci, vt patet de calore producto ab igne, & à ſole, ergo idem vinculum ſecundum ſpeciem poteſt produci à conſenſu contrahentium, & ab ipſo Deo. Ex quibus omnibus, cùm ſimilis ratio appareat in noſtro caſu, nam poteſt homo per ſuum conſenſum formalem cõſtituere voluntatem alterius voluntatem propriam, poterit igitur Deus, ſecluſo illo conſenſu formali, voluntatem vnius facere in genere moris voluntatem alterius. ¶Confirmatur, nã ex conſenſu meo formali, quo quidquid alius voluerit ego volo, nihil remanet in mea voluntate, niſi ordo quidam, & vinculum quodã ad voluntatẽ alterius, ſed talẽ ordinem, & vinculum poteſt Deus facere de potentia abſoluta, ſecluſo quocunque conſenſu, nam poſito fundamento, & termino poteſt Deus producere relationẽ extrinſecus aduenientẽ, vel aliquid extrinſecũ requirentẽ, ſecluſo illo extrinſeco, ſicut verbi gratia poſita materia aliqua, & aliqua forma poteſt Deus illas vnire, ſecluſa actione agentis naturalis, & poteſt aliquem conſtituere ſeruum alicuius, ſecluſo conſenſu illius, ergo ſimiliter poteſt volũtatem vnius conſtituere voluntatem alterius in genere moris, etiam ſi nullus præceſſerit conſenſus ex parte illius, qui conſtituitur, & per conſequens poterit Deus de potentia abſoluta conſtituere hominẽ caput alterius in genere moris, quamuis non ſit caput illius in genere naturæ, & ſic obligare volũtatẽ puerorũ in volũtate Adami, ita vt fiat omniũ quaſi vna voluntas.

Prima concluſio.

¶Prima cõcluſio. De potẽtia abſoluta Dei poteſt vnus homo cõſtitui caput alterius in genere moris, quãuis non ſit caput illius in genere naturæ. Hæc cõcluſio probatur,

Ratio.

nã eſſe caput vnius in genere moris nihil aliud eſt, quàm eſſe principium alterius reſpectu principij operandi bene moraliter, taliter quòd ſicut eſſe caput in genere naturæ, nihil aliud eſt quã quod ab ipſo deriuetur per naturalẽ propagationẽ natura, ita eſſe caput in genere moris, nihil aliud eſt, quã quòd ab ipſo per moralẽ propagationẽ deriuetur principiũ bene operãdi in illos, cuius eſt caput in genere moris, ſed poteſt Deus conſtituere aliquẽ, qui ſit caput in genere naturæ, ſine eo, quod ſit caput in genere moris, ergo poteſt conſtituere aliquẽ, qui ſit caput in genere moris abſque eo, quod ſit caput in genere naturæ.

Nota hanc rationem.

¶Cõfirmatur, quidquid poteſt Deus per cauſas ſecundas efficientes poteſt per ſe ipſum ſolũ, ſed poteſt homo per ſuũ actũ conſtituere voluntatẽ alterius propriã voluntatẽ in genere moris, ergo & Deus poterit illud facere, probatur, Minor, nã poſſũ ego per iſtũ actũ volo actũ habere, quod tu feceris, conſtituere voluntatem illius propriam voluntatem, & volitionem illius propriam volitionem, ergo & Deus poterit ſimiliter facere.

Secunda concluſio.

¶Secunda concluſio. Conſtituto aliquo capite in genere moris, eius peccatum non traduceretur in alium exiſtẽtem ſub actuali volitione oppoſita. Hæc concluſio pro-

Prima ratio.

batur primo, nam tamdiu aliqua voluntas eſt in aliquo peccato, quã diu eſt in actuali vel habituali complacentia, ſed in caſu noſtræ concluſionis non eſſet ille in actuali, neque in habituali complacentia, ergo neque traduceretur peccatum in illo.

Confirm.

¶Confirmatur, nam peccatum originale modò non traducitur in aliquem poſterum ab Adamo, ſi in illo inſtanti, in quo traducendum erat, ponitur in voluntate aliquid oppoſitum illi, vt de Beata virgine piè fatetur Eccleſia, quæ nullum habuit peccatum originale, vt dicemus infrà, quia in illo inſtanti, in quo introducendum erat peccatum, introducta fuit gratia à Deo, quæ eſt oppoſita ipſi peccato, ſed voluntas habens oppoſitam volitionem ſufficiẽtem, habet aliquid repugnans peccato traducendo, ergo ſtante tali volitione, nõ poterat peccatum tradaci.

¶Ter

Tertia conclusio. ¶Tertia concluſio. Si voluntas adulti nullam haberet volitionem actualem, oppoſitam peccato traducendo, poterat traduci peccatum alterius, qui eſſet caput illius in *1. Ratio.* genere moris in voluntate illius. Hæc cõcluſio probatur, nã nõ apparet repugnãtia aliqua. ¶Cõfirmatur, quia impertinens videtur, quod aliquis ſit caput in genere naturæ reſpectu potentiæ Dei abſolutæ ad hoc, quod ſit caput in genere moris, nam ad hoc quod ſit caput in genere moris ſatis eſt, vt dixi, ꝙ ex ipſo deriuentur principia bene operandi in reliquos, quorum voluntates quodãmodo cõtineantur in volũtate illius, ſed poterat Deus de potentia abſoluta cõſtituere aliquẽ hominem cum iuſtitia, ſcilicet originali, ex quo omnes habituri erant iuſtitiã illam ſiue ab illo naſcerẽtur, ſiue non, ergo cùm tale eſſet principium omnium aliorũ ad recipiendum iuſtitiam illam originalem, ille eſſet caput in genere moris reſpectu aliorum. Secundo. Deus poterat de potentia abſoluta obliga *2. Ratio.* re illos homines ad actionem illius, ergo ille talis poterat eſſe caput illorũ. Patet antecedens. Nam ipſi poterãt ſe obligare ad actionẽ illius, ergo & Deus poterat obliga *Confirm.* re illos ad actionẽ illius. ¶Cõfirm. ſi Deus modo de facto in inſtãti, in quo vnitur anima rationalis corpori, & peccatũ originale cõtrahitur, tribueret puero vſum rationis, ita ꝙ formaretur intelligens, & volẽs, ille talis adhuc cõtraheret peccatũ originale, ex eo quod eius voluntas potuit obligari ad actionem Adami, ergo & voluntas adulti poterit contrahere peccatum origi *Solutio.* nale, & obligari ad actionẽ alterius. Quòd ſi reſpondeas maximam eſſe differentiam inter iſtos duos, quia puer ille accipit naturam ab illo, quam nequaquam alius recepit. Contrà. Ratio quare aliquis contrahit peccatum origiuale, ea eſt, quia voluntas illius quodammodo reputatur voluntas alterins, ex quo illi prouenit, ꝙ carentia iuſtitiæ debitæ ſit illi peccatum, ſed volũtas illius, qui non accepit naturam ab alio, eſt quodammodo volũtas illius, & poteſt habere carentiam iuſtitiæ debita, quia in *Respondetur argum. secundæ sententiæ.* alio acceptæ & actione alterius amiſſæ, ergo bene poterit ille talis peccatum originale contrahere.

Ad primum. ¶Ad argumenta pro ſecunda ſententia reſpondetur. Ad primũ, ꝙ licèt illi nõ ſint aliquid illius hominis in genére naturæ, eſſent tameu aliquid in genere moris, vt ſatis dictum eſt.

Ad secundum. ¶Ad ſecundum reſpõdetur, ꝙ peccãte illo dicerentur pueri peccare, quatenus ſunt in illo in genere moris, quod ſufficit ad hoc, vt peccatum vnius poſsit in alium traduci, & vt peccatum alterius reputari.

Ad tertiũ. ¶Ad tertiũ reſpondetur, ꝙ D. Auguſtinus loquitur de illo, qui non eſt alterius in genere moris & tunc certiſsimum eſt quod peccatũ illius alteri non imputabitur imo ex illo D. Auguſtini ſatis patet noſtra ſententia, nam ſi aliquis homo quãtumcũque adultus non eſt alter factus ab alio, poterit peccatum alterius habere, quia, quãuis ſit alter in genere naturæ, non tamẽ eſt alter in genere moris.

QVÆSTIO V.

¶*Vtrùm peccatum originale generatione traducatur.*

Primũ argumen. PRO parte negatiua eſt primũ argumentum. Peccatum tantum eſt in voluntate, tanquã in ſubiecto, ſed generatio nõ habet vim ad producendã voluntatem, neque ad agendum aliquid in ipſam, cum ſit corporea, & voluntas ſpiritualis, ergo non poteſt per generationem tale peccatum in voluntate traduci.

Secundum argum. ¶Secundò. Quando puer naſcitur ex parentibus baptizatis, imò exiſtentibus in gratia non poteſt accipere peccatum ab illis, quia ipſi nullum peccatum habent neque poteſt deriuari peccatum Adami per generationẽ ad ipſum, quia iam nullũ peccatũ Adami eſt, ergo nõ poteſt peccatum originale per generationem traduci, nam, quod per generationẽ traducitur, prius debet eſſe, quàm quod traducatur, & illo ſtãnte debet medijs parentibus cõmunicari.

Tertium argum. ¶Tertiò. Eo modo traducitur peccatum originale à primis parentibus in poſteros, quo traduceretur iuſtitiam originalis, ſed iuſtitia originalis non traduceretur virtute ſeminis, quia erat qualitas ſupernaturalis, ergo neque modo traducitur peccatum virtute ſeminis, & ex cõſequẽti non traducitur per generationem.

1. Notab. ¶Pro explicatione huius quæſtionis eſt primo notandum, quòd in hac quæſtione aliqua ſunt certa ſecundũ fidem, quale eſt, quod peccatũ originis generatione trãſ-

quæ ſit cauſa peccati originalis in omni-
Prima ratio. bus. Hæc cõcluſio eſt Doctoris hac diſt. &
quæſt. & vltra rationes, quas ipſe aſsignat
contra prædictam morbidam qualitatem,
probo ego concluſionẽ. Illud eſt peccatũ
originale in nobis, quod fuit in Adamo ha
bituale per modũ termini ex actu peccãdi
relictũ, ſed tale peccatũ Adami non habuit
pro cauſa aliquã morbidã qualitatem, er-
Secunda ratio. go neque in nobis. ſecũdo illud in nobis po
teſt dici cauſa peccati originalis, quod eſt
cauſa vt homines ſint filij Adę, ſed illud nõ
Respondetur argumentis. eſt morbida aliqua qualitas, ergo. ¶ Reſpõ
detur argumẽtis. Ad primũ negãdo ſeque
lã, & ratio huius eſt, nã peccatũ originale
Ad primum. non producitur per ſe, ſed per quandam re
ſultãtiã moralẽ, de qua re quęſtione ſequẽ
Ad ſecundum. ti. ¶ Ad ſecũdũ reſpõdetur ibi. ¶ Ad tertiũ
reſpõdetur, negãdo paritatẽ rationis, quia
Ad tertium. non eſt eadẽ ratio de iuſtitia originali, &
peccato originali, nam iuſtitia originalis
erat donũ deſuper infuſſum, at vero pec-
catum eſt carẽtia illius doni per modũ ter
mini relicta, & reſpectu huius carentiæ ha
bet homo in ſe virtutem defectiuã, reſpe-
ctu tamen iuſtitiæ non habet virtutẽ effe-
ctiuã, ſed tantũ conditionẽ ſine qua non.

QVÆSTIO VI.

¶ *Vtrùm peccatum Adami ſit cauſa demeritoria, peccati originalis, quod eſt in pueris.*

Prima ſententia. De hac re eſt prima ſententia
quorundã, aſſerentiũ, peccatũ
Adami eſſe cauſam peccati
exiſtẽtis in puero, non cõcur
ſu phiſico ſed morali, & non
per modũ cauſæ meritoriæ, aut demerito-
riæ. Hanc ſententiã probant primo ex D.
Thoma. 1. 2. quæſt. 82. arti. 2. dicẽte in vno
quoque noſtrũ eſſe vnum numero pecca-
tum originale ex vnitate cauſæ, quaſi effi-
cientis, quæ dicitur eſſe peccatum Adæ,
deinde peccatum Adæ, ſuppoſita ordina-
tione Diuina ſupra explicata, fuit peccatũ
capitis, ergo ipſo iure quod aliquis fuit
mẽbrũ Adæ ſine aliqua alia cauſalitate eſt
ad ipſum deriuandum ipſum peccatum.
Confirma. ¶ Confirmatur, quia peccatum actuale per
ſonale ſufficiens eſt ſine aliqua noua cauſa
litate ad inficiendum ſubiectum, ita, vt re-
linquat in eo deordinationem habitualẽ,
à qua ipſo tranſacto denominetur, & ſit
homo intrinſecè peccator, ergo etiam pec
catũ Adæ eſt de ſe ſufficiens ad hoc, vt ex
ipſo deriuaretur ſimilis denominatio ad
ſua membra, quæ quodammodo cõſtituũt
cum ipſo vnum corpus. Et explicari po-
teſt hæc concluſio, ſi hominem actu peccã
tem, vel exiſtentem in peccato habituali
anihilet Deus, & poſteà reproducat eun
dem numero ſine gratia, ſtatim habebit ta-
lis homo peccatum denominans peccato-
rem, & tamen tale peccatum non eſſet pro
ductum per creationem, neque per alium
nouum actum ipſius hominis, vt patet, er-
go tale peccatum eſt ſubſequutum virtu-
te præcedentis actualis peccati ſuppoſita
actuali exiſtentia ſubiecti, quæ ipſi conue
nit ratione creationis, ergo eodem modo
dicendum eſt, quòd in puero, qui nunc na-
ſcitur, eſt peccatum originale, non quidẽ
productum per generationem, ſed ſubſe-
quutum, & quaſi reſultans ratione pecca-
ti Adæ, ſuppoſita actuali exiſtentia ſubie-
cti, in eſſe membri ipſius Adę, quod conue
nit ratione generationis.
¶ Aſſerunt ſecũdo prædicti, quòd tale pec
catum originale nõ conſurgit in pueris per
modum meriti vel meriti, quam concluſio
nem dicunt ſtatuere cõtra Scotum, & pro
bant primo, nam Adam non fuit caput in-
fluens in ſua membra per modum meriti,
quoniam hoc ſolùm conuenit Chriſto, er-
go neque per modum demeriti, Antece-
dens probatur, quoniam ſi nõ peccaret, nõ
traduceret meritoriè gratiã, & iuſtitiã ad
ipſos poſteros, ergo neq; peccãdo tradu-
xit demeritoriè peccatũ. Secundo quia ſe-
queretur, ꝙ peccatũ originale in puero ſo
lũ habet rationẽ pœnæ. Probatur ſequela,
quia, ſicut meritorium reſpicit præmium,
ita demeritoriũ reſpicit punitionẽ, & pœ
nã. Confirmatur, quoniã priuatio Diuinæ
viſionis in damnatis ſolũ habet rationẽ pœ
nę, quia procedit ex operibus demerito-
rũ, & à Deo, vt denegãte viſionẽ propter
ipſorum peccata. Quòd ſi quis arguat ex
D. Paulo ad Rom. 5. dicẽte, quòd ſicut per *Solutio.*
vnius delictũ in omnes homines in condẽ
nationem, ſic etiam per vnius iuſtitiam in
omnes homines in iuſtificationem, ſed per
condẽnationẽ ibi intelligit peccatũ, ergo
ſicut peccatũ Adami demeritoriè cauſauit
cõdẽnationem, ita & demeritoriè cauſauit
peccatũ. ¶ Confirmatur, nã iuſtificatio no *Confirma.*
ſtra meritoriè fuit cauſata à Criſto, ergo cõ
dem-

demnatio & peccatum demeritoriè fuit cauſatum ab Adamo. Reſpondetur, quòd Diuus Paulus non comparat iuſtitiā Chriſti cum peccato Adæ, quantùm ad cauſalitatem per modum meriti, ſed quantum ad hoc, quod ſicut per peccatum Adæ transfuſum eſt peccatum in omnes homines, qui per ſeminalem propagationem originem ducunt, ſic etiam per Chriſti iuſtitiam deriuatur iuſtificatio in omnes, qua ex ipſo ſecundum ſpiritum naſcuntur.

Secunda ſententia. ¶ Secunda ſententia eſt Doctoris in hoc ſecundo diſt. 32. quæſt. vnica litera Y. ibi reſpondeo ſicut meritum, quæ ſi bene intelligatur, ferè eadem eſt, quantum ad ſubſtantiam cum præcedente ſententia, quare (ni fallor) tantum differunt falſo intellectu Doctoris, vt autem iſta pateant. Eſt primo notandum, quòd peccatum originale, vt diximus in præcedentibus, & dicemus infra, quando agamus de eius eſſentia, eſt carentia reſtitutionis debitę ineſſe pro formali, vel eſt carentia iuſtitiæ originalis pro formali, talis autem carentia poteſt dupliciter conſiderari, vno modo quatenus reſpicit volūtatē nr̄am diuinā, & quatenus reſpicit voluntatem, & quatenus reſpicit voluntatem noſtram adhuc dupliciter, vno modo quatenus reſpicit voluntatem, vt principium effectiuum deficienter. Secundo modo quatenus reſpicit volūtatē noſtrē vt principiū receptiuū, ſi cōſideretur carētiæ inſtitiæ originalis, quatenus reſpicit voluntatē diuinā, ſubtrahentē habitū iuſtitiæ originalis in pœnā illius actus eliciti cōtra inclinationē iuſtitiæ, & cū carētia iuſtitiæ debitæ, tunc talis carētia habet rationem pœnæ, vt optimè aduertit Gregorius in ſecundo diſtinctione 30. quæſtione prima. attic. primo. concluſione ſecunda, dicens, quòd peccatū originale eſt pœna & culpa, ſcilicet culpa actualis primi parentis, vt patet ex illo ad Romanos 5. per vnius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi, id eſt, omnes vt ait gloſſa, non poteſt autem hoc intelligi niſi de peccato originali, quoniā non omnes deſcendentes ab Adam ſunt peccatores alio peccato, quàm originali, ſicut paruuli. Illius igitur inobedientia meritum fuit originalis peccati in ſuis, & illud eſt pœna inobedientiæ illius. Hoc etiam vult Auguſtinus libro ſecundo, de baptiſmo paruulorum ad Marcellum. vbi ait, quòd peccatum habitans in membris noſtris, ſic eſt peccatum, vt ſit pœna peccati, idem etiam libr. quinto. contra Iulianum, & communiter Doctores cum Magiſtro in hoc ſecundo, diſtinctione trigeſimaſecunda. Si autem conſideretur talis carentia, prout reſpicit voluntatem deficientem, tunc habet rationem peccati, quatenus terminat actum deficientem, à voluntate elicitum. Si autem conſideretur, vt in voluntate recepta, tunc habet rationem peccati, & pœnæ peccati ſimul. Sicut verbi gratia, in peccato actuali contingere videmus, ſi quis enim teneretur elicere actum ex inclinatione fidei, vel charitatis, vt ſi teneretur elicere actum fidei, vel actum charitatis, & eliceret actum infidelitatis, & actum contra charitatem, certiſsimum eſt, quòd talis actus infidelitatis haberet carentiam fidei, quia non ſolum non eſt elicitus ex inclinatione & impulſu fidei, quinimò contra inclinationē, & impulſum fidei, vnde in illo non ſolùm non eſt fides, ſed infidelitas oppoſita fidei, & ſic certiſsimum eſt, talem actum habere carentiam fidei, & per talem actum, tanquàm propter demeritum tollit Deus ab illo habitū fidei, & tranſacto illo actu peccati, eſt in voluntate illius hominis carentia fidei, & reſpiciens voluntatem Diuinam, & reſpiciens voluntatem illius, qui talem actum elicuit, & prima carentia certum eſt, quòd eſt pœna illata à Deo propter tale peccatum commiſſum, at vero ſecunda illa carentia per modum termini relicta, ſi conſideretur præciſè, prout dicit ordinem ad voluntatem deficientem habet rationem culpæ. Si autem conſideretur, prout & ſimul voluntatem reſpicit, vt ſubiectum habet rationem ſimul culpæ & pœnæ. Ita in propoſito dicendum eſt de peccato Adami, qui fuit actus elicitus contra inclinationem iuſtitiæ originalis, vnde fuit actus cum carentia inclinationis, & impulſus ipſius iuſtitiæ, & propter illum actum abſtulit Deus ab illo habitum iuſtitiæ originalis: quare tranſacto illo actu, mā ſit in Adamo duplex carentia iuſtitiæ, altera derelicta per modū termini ex peccato præcedēte, altera inducta per modū pœnæ à Deo ſubtrahēte habitū iuſtitiæ originalis in pœnā peccati cōmiſsi. Cum igitur peccatū originale ſit peccatū, quod

1. Notab.

quod remanſit in Adamo habitualiter generatione transfuſum, dicendum eſt, carentiam iſtam, quæ in puero reperitur, & poſſe reſpicere voluntatem diuinam, & tunc eſt pœna, vt dictum eſt, & poteſt reſpicere voluntatem noſtram deficientem per modum habitus, & tunc habet rationem culpæ, & poteſt ſimul reſpicere voluntatem noſtram, prædictam carentiā habentem, & tunc ſimul cum ratione culpæ, habet rationem pœnæ.

2.*Notab.* ¶Secundo eſt notandum, quòd illa auerſio, quæ manet in homine qui actualiter peccauit, facta per actum propriæ voluntatis, ideo eſt peccatū actuale, non quia actualiter peccet, ſed qa facta eſt per actū ꝓpriæ volūtatis, & propter intrinſecū ordinē, quē dicit ad ꝓpriā voluntatē, quare dicitur & peccatū actuale vt actuale diſtinguitur contra originale, & dicitur peccatum habituale, vt habituale diſtinguitur contra actuale, neque eſt inconueniens, quòd aliquod peccatum dicatur actuale, & non actuale, reſpectu diuerſorum ac verò quia Adam non tantùm accepit iuſtitiam originalem pro ſe, quia tunc eſſet donum perſonæ, ſed etiam pro ſuis poſteris, quia fuit donum naturæ, ideo orta fuit ratio debiti non ſolum in ipſo Adamo, ſed etiam in omnibus deſcendētibus ab ipſo: vnde ſtante iuſtitia originali in Adam, tenebatur Adamus & nos in ipſo, elicere actum non contrarium ipſi iuſtitiæ, & eliciendo actum contrarium ipſi iuſtitiæ, remanſit in illo, quoad efficatiam & in omnibus quoad efficientiam per modum termini & per modum effectus demeritoriè carentia illius iuſtitiæ pro quanto non ſolum Adamus, & nos manſimus ex illo peccato peccatores, ſed ſimul manſimus ſpoliati dono originalis iuſtitiæ in pœnam peccati commiſsi. Vnde duplex carentia, quæ reperta fuit in Adamo reperitur & in nobis, altera quæ per modum termini remanſit ex peccato Adami, altera, quæ per modum effectus remanet ex ſubtractione, qua Deus ſubtraxit donum iuſtitiæ originalis ab Adamo, & ex non datione, qua Deus non dat nobis talem iuſtitiam originalem Adamo ſublatam. Et Doctor in hac quæſtione litera H. dicit, quòd carentia iuſtitiæ originalis in pueris habet duas cauſas, alteram poſitiuam, & alteram negatiuam. Negatiua eſt, Deus non dans nam certiſsimum eſt, quòd ſi Deus tribueret nobis iuſtitiam originalem, quòd non haberemus carentiam illius. Poſitiua autē eſt illa, quæ conſtituit ſubiectū in actuali exiſtentia, Adamus autē fuit cauſa demeritoria ꝙ iuſtitia originalis daretur nobis, & huius tribuit Doctor rationem, dicens, quòd ſicut tranſacto merito, remanet in Deo acceptatio Diuina, vel remanet meritum in acceptatione Diuina ad præmiandum illud, ita tranſacto peccato remanet in cognitione Diuina ad puniendum illud, & quia Deus voluit in pœnam peccati Adami, non ſolùm punire illum, auferendo ab illo originalem iuſtitiam, ſed etiam punire omnem eius poſteritatem, ideo carentia iuſtitiæ originalis, quæ modo in paruulis reperitur, quatenus dicit, vel fundatur in denudatione illa, qua Deus denudauit in Adamo totam naturam humanam iuſtitia originali, reſpicit, & Deum, vt denudantem naturam, & non dantem iuſtitiam originalem, & reſpicit peccatum Adami, vt demeritorium talis habitus non ſolum in ipſo Adamo, ſed etiam in tota natura. Et quia poſito tali habitu, vel tali iuſtitia originali in pueris tolleretur carentia iuſtitiæ, quæ remanſit in Adamo per modum termini, & in nobis ex actu illo defectuoſo, & peccato illo Adami, cum Deus non conferat talem habitum, ideo dicit Doctor, quod peccatū originale eſt in pueris, id eſt, ideo reperitur peccatum originale in pueris, primo quia Adam peccauit vt caput totius naturæ, ſecundo quia ex illo peccato non ſolum remanſit in Adamo per modum termini carentia iuſtitiæ originalis, quoad efficatiam, & in nobis quo ad ſufficientiām, ſed etiam remanſit in Adamo denudatio iuſtitiæ originalis per modum effectus à Deo, quo ad efficatiam ſed etiam in nobis quo ad ſufficientiam. Tertio, quia poſito puero in rerum natura naturali filio Adami per naturalem generationem, & Deus non confert illi iuſtitiam illam originalem, quam ab illo abſtulit in primo parente, ideo per quandam reſultantiam oritur in puero peccatum originale, quia concipitur puer cum vtraque carentia iuſtitiæ.

¶Tertio eſt notandum, quòd peccatum dicitur actus, vel omiſsio cum contrarietate ad regulam rationis, etſi peccatum eſt 3.*Notab.*

habi-

habituale dicit terminum illius actionis, vel omiſsionis remanentem in voluntate per modum termini. Ex quo prouenit, ꝙ vbicunque reperitur, talis terminus actionis, vel omiſsionis, ibi reperiatur peccatum. Ex quo prouenit ſecundo, quòd vbicunque reperitur talis terminus, & eo modo, quo reperitur ſimiliter & eo modo peccatum reperiatur, vnde cum talis terminus reperiatur in homine eo ipſo, ꝙ ſit filius Adami, nam eo ipſo voluntas Adami reputatur in genere moris voluntas illius, cum generatio ſit cauſa, quòd iſte homo ſit filius Adam, ideò generatio eſt cauſa, quòd peccatum originale oriatur in voluntate iſtius, non cauſa cauſans peccatum, ſed cauſa cauſans hunc hominem filium Adam, & ex eo reſultat in homine ipſum peccatum. Poteſt autem hoc explicari in quacunque relatione poſito enim fundamento, & termino certiſsimum eſt oriri relationem, & quanuis relatio nō ſit cauſabilis, nihilominus tamen cauſa ponens in eſſe fundamentum, & terminum dicitur cauſare relationem eo modo, quo relatio poteſt ab illa cauſari, nam relatio habet eſſe à fundamento, & termino, & quia impoſsibile eſt relationem eſſe, non poſitis fundamento, & termino, ideo qui poneret fundamentum, & terminum, diceretur quodammodo relationem cauſare: ita in propoſito poſito homine naturali filio Adæ cum debito habendi iuſtitiam originalem, & poſita lege diuina obligans illum ad habendam iuſtitiam originalem, ſtatim inſurgit in ipſo homine per modum cuiuſdam naturalis reſultantiæ quædam diſsimilitudo ad ipſam regulam rationis, uam voluntas iſtius hominis non habet conformitatem cum regula, & quia talis conformitas erat debita, quia Deus obligauit in Adamo omnes deſcendentes ab illo ad habendam iuſtitiam originalem, ideo carentia iuſtitiæ in filijs Adami non tantùm eſt negatio, ſed etiam priuatio, & quia voluntaria per modum termini, ideò peccatum, & quia talis priuatio oritur in illo ſubiecto ipſo ſubiecto poſito, quòd eſt cauſa poſitionis talis ſubiecti dicitur quodammodo cauſa illius peccati, ſed quia relatio non habet propriam cauſam, ſed poſito fundamento, & termino, ſtatim oritur in ſubiecto, ideo neque priuatio iſta propriam habet cauſam, ſed poſito homine deſcendente ab Adam, & lege diuina ſtatim oritur in voluntate.

¶ Quarto eſt notandum, quòd carētia iſta iuſtitiæ originalis cum reſpiciat, & voluntatē diuinā, quatenus cauſauit denudationē & ſpoliationē habit⁹ iuſtitiæ originalis & vt ſic habeat rationē pœnæ, & ſimiliter reſpiciat voluntatem Adami quatenus eſt terminus illius defectuoſæ volitiōis, ideo poteſt pueris conuenire, & ratione demeriti, vt dicit Doctor in litera, & ratione cuiuſdam moralis reſultantiæ, vt dicunt auctores primæ ſententiæ, vnde quando Doctor in litera dicit, quòd peccatum Adami manet in ſcientia diuina, quia ita punit pro eo, acſi iam eſſet præſens, ſatis patet ſe loqui de priuatione iuſtitiæ originalis, quatenus Deus propter peccatum primi parentis denudauit illum ab illa, quo ad ſufficientiam omnes ab illo deſcendentes, non tamen loquitur de carentia iuſtitiæ originalis, quatenus eſt terminus, & originale peccatum: quia id certiſsimum eſt, in Adamo non fuiſſe pœnam peccati, niſi ſecundum illam rationem genericam, ſecundum quam vnumquodq; peccatum non ſolum eſt peccatum reſpectu voluntatis, quæ illud commiſit, ſed etiam eſt pœna ipſius voluntatis, quæ illud commiſit, ita peccatum originale poteſt dici pœna ſed modò loquimur de pœna peccati diſtincta ab ipſo peccato, vt in præſentiarum ſpoliatio habitus iuſtitiæ fuit in pœnam peccati Adami, non ſolùm ſibi ſed omnibus nobis. Quod ſi dicas, Scotus in illa quæſtione ponit pro cauſis huius negationis habendi iuſtitiam originalem Deum non dantem, & demeritum Adæ in ſcientia Dei, propter quod non dat, ergo peccatum originale eſt, quod intelligitur in Scoto, & carentia per modum termini, & nō per modum pœnæ, niſi forſan Scotus velit vtranque carentiam eſſe vnam tantùmmodo carentiam. Reſpondetur, quod ſi Doctor attentè legatur in illa ſolutione ad tertium, ſic ait, Dico quòd ad illud peccatum concurrunt duæ carentiæ iuſtitiæ; ſcilicet, vt formale, & debitum habendi eam vt materiale, ſicut in alijs priuationibus concurrit priuatio, & aptitudo ad habitum. Debitum iſtud eſt à Deo ſtatuente legem iſtam, do iuſtitiam tibi Adæ, & omnibus filijs tuis naturalib⁹, do eadem datione, quantum eſt ex parte mea,

4. Notab.

Obiectio.

mea, & ideo ex hac datione renentur omnes, eam habere, & ex patre propagante, per cuius actionem iſte eſt filius naturalis Adæ, ergo hoc debitum per nullas rimas ignotas intrat, ſed per iſtas duas cauſas poſitiuas. Addit præterea Doctor illa autem carentia non habet cauſam niſi negatiuè, ſcilicet non dantem Iuſtitiam originalem cuius ſi quæratur vlteriùs cauſa non eſt niſi demeritoria, quia ſcilicet Adam demeruit, ne iuſtiria originalis daretur. Negatiua eſt non dans Deus demeritoria, quare non datur, Adam peccans. Hactenus doctor. Ex quibus omnibus ſatis patet, doctorem loquutum fuiſſe, quando loquitur in carentia ratione demeriti, de carētia habitus iuſtitiæ originalis, qui habitus ſi nobis daretur, peccatum originale, nullum eſſet in nobis, quia cum haberet ſecū gratiam gratum facientē ſtatim, vt nobis concederetur, peccatum originale tolleretur, quare autem non detur nobis, ponit Doctor duplicem cauſam, prima eſt negatiua, ſcilicet Deus nō dans, ideſt, quia Deus non dat nobis illam, ſecunda eſt demeritoria, nēpe Adamus qui peccauit, cuius peccatum quanuis tranſierit, & deſinierit eſſe quatenus fuit peccatum perſonale, manſit tamē in cognitione diuina, quatenus erat peccatum totius generis humani, ratione cuius, ſicut ſibi demeruit habitum iuſtitiæ, & nobis etiam demeruit tali habitu priuari. At verò carentia iuſtitiæ per modum termini relicta prouenit in filijs Adā ex patre propagante, per cuius actionem iſte eſt filius naturalis Adæ.

Nota hoc pro Doctore.

Prima cōcluſio.

¶ Prima concluſio. Peccatum actuale Adæ quatenus fuit peccatū capitis, eſt cauſa peccati originalis, quod incipit in puero, quando concipitur. Hæc concluſio communis eſt, & probatur ex illo ad Romanos 5. per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & paucis interpoſitis, in quo omnes peccauerunt, quaſi dicat, Vnus homo fuit cauſa peccati, quod intrauit in mundum, non quomodocūq; ſed quatenus eo peccante oēs peccauerūt. ¶ Et confirmatur ex Diuo Auguſtino libro ſecundo de nuptijs, & concupiſcentia capit. 26. dicente, Voluntarium peccatum primi hominis originalis eſt cauſa peccati, & capit. 27. Pelagio interroganti per quid peccatum re inueniatur in paruulo, vtrum in voluntate ipſius paruuli? an per nuptias? an per parentes? reſponder per nihil horum inueniri, ſed per peccatum primi hominis, idque ſæpe repetit, & confirmat teſtimonio Pauli ſuprà adducto, & capit. 28. eidem Pelagio interroganti non peccat iſte, qui naſcitur, non peccat ille, qui genuit, non peccat ille, qui condidit, per quas rimas inter tot præſidia innocentiæ peccatum fingis ingreſſum, reſpondet his verbis quid quærit latentem rimam, cum habeat apertiſsimam ianuam, per vnum hominem, ait Apoſtolus, per vnius delictum ait Apoſtolus, per inobedientiam vnius hominis, ait Apoſtolus.

Secunda concluſio.

¶ Secunda concluſio. Peccatum primi parentis non eſt cauſa effectiua phyſica noſtri peccati originalis. Hæc concluſio probatur primo, peccatum originale in nobis non eſt formaliter aliquid poſitiuum, ergo non poteſt produci per ſe media actione naturali poſitiua, & per conſequens nō poteſt peccatum Adami illud effectiuè producere in nobis. Secundo peccatum iſtud in poſteris habet rationem defectus moralis, ergo eſt à cauſa morali defectuoſe agente in genere moris, vt ſic ſeruetur proportio inter cauſam, & effectum, ergo peccatum Adami non poteſt phyſicè producere peccatum in nobis: Tertio peccatum Adæ nullo modo eſt phyſicè nunc, cum puer concipitur, ergo non poteſt cōcurrere phyſicè ad peccatum quod incipit eſſe in ipſo.

1. Ratio. *2. Ratio.* *3. Ratio.*

Tertia cōcluſio.

¶ Tertia cōcluſio. Peccatū Adæ fuit cauſa ablationis habitus iuſtitiæ originalis ab ipſo deſcendentibus per modū meriti, vel demeriti. Hæc concluſio eſt Doctoris, vt patet in litera, & probatur primo, ablatio iuſtitiæ originalis eſt pœna peccati, ergo peccatū Adami meruit, vel demeruit talē ablationē. Antecedēs patet, nā per peccatū Adami in pœnā illius dānauit Deus Adamū nō ſolū in mortē, ſed in ſpoliationē habitus iuſtitiæ originalis, ſed talis dānationis cauſa meritoria, vel demeritoria fuit peccatum Adami, ergo. Cōfirmatur, ideò Deus non dat nobis habitum iuſtitiæ originalis, quia Adamus peccauit, & in eo omnes nos peccauimus, ergo peccatum Adami, vel peccatum, quod nos in ipſo peccauimus, eſt cauſa meritoria vel demeritoria iſtius non dationis. Confirmatur ſecundo, Deum non dare nobis habitū iuſtitiæ origi-

1. Ratio. *Cōfirm. 1.* *Cōfirm. 2.*

originalis, nõ eſt peccatum, ſed pœna peccati, ſed nulla pœna datur, niſi propter aliquam culpã, ergo culpa meruit, vel demeruit talem pœnam, & per cõſequens cùm talis culpa fuerit peccatum Adæ, tale peccatum meruit ablationem habitus iuſtitiæ originalis & demeruit, vt talem habitum Deus nobis donaret. Ex quo infertur, quòd carentia fundata in ablatione, qua Deus poſitiuè abſtulit habitum iuſtitiæ, quoad eſſicatiam à primo parente, & quo ad ſufficientiam à nobis habet rationẽ pœnæ, & quod peccatum Adami cauſauit illã non phyſicè, ſed tantùm per modum meriti, vel demeriti.

Quarta cõcluſio. ¶ Quarta concluſio. Peccatum originale in nobis habet peccatum Adami, vt cauſam moralem, quod conſurgit per moralem quandam reſultantiam. *Prima ratio.* Hæc concluſio probatur rationibus adductis pro prima ſententia. *Secunda ratio.* Et ſecundo probatur ratione fundamentali, non aliter inſurgit in nobis peccatum originale, quàm ſi duo aliqui inter ſe conſentirent, & mutuò ſe obligarent ad actionem mutuã. *Notabe.* Sicut v.g. ſi quis alteri dixerit, tecum conſentio in omnibus, in quibus tibi beneplacitum fuerit, tali conſenſu poſito, ſi vnus furtum committeret ex vi præcedentis obligationis per prædictum conſenſum contractũ inſurgeret in alio etiam dormiente, peccatum furti per reſultantiam quãdam moralem, ſed ex eo contrahimus peccatũ originis, quia voluntates noſtræ obligatæ ſunt in Adamo ad actionem ipſius Adami. Ergo poſita tali obligatione etiam ſi nihil nos agamus, peccatũ Adami erit in nobis, ſed non per effirientiam phyſicam, ergo per reſultantiam moralem.

Primũ corolarium. ¶ Ex quibus infertur primo, quòd generatio, qua traducitur peccatũ originale, tantùm habet rationem conditionis neceſſariò requiſitæ, quia per ipſam fit homo filius naturalis Adæ, & per conſequens ſubiectum cum debito habendi iuſtitiam originalem, & cum priuatione neceſſaria talis iuſtitiæ non tantùm habitus iuſtitię originalis, quatenus fuit ablatus à Deo, ſed etiam quatenus fuit terminus peccati ipſius Adami. *Secundum corolariũ.* ¶ Ex quo infertur ſecundo, ꝙ cum tale peccatum non conſurgat ex vi generationis, ſed quia Adamus peccauit, & generatio tantum ſit conditio, vt ſubiectum peccati exiſtat, quod generãs ex eo quod generat non peccat, quamuis dat operam rei, ex qua per modum conditionis peccatum in ſubiecto oriatur. Sicut v.g. ſi Deus hominem peccatorẽ annihilaſſet, & poſtea illum reproduceret in voluntate illius inſurgeret peccatum præteritum, nõ tamen ex hoc diceretur Deum peccare, neque peccatum effirere, quia tale peccatũ non inſurgit ex vi reproductionis.

Obiectio prima. ¶ Quòd ſi quis quærat, vtrum quando homo concipitur, cùm concipiatur in peccato originali, dicatur tunc Adamum peccare? *Solutio.* Reſpondetur negatiuè, nam talis traductio peccati Adami habet ſe reſpectu peccati in puero, ſicut qui in ſomno patitur pollutionem præuiſam & præuolitã, non enim dicitur tunc peccare, (quamuis talis pollutio eſſet peccatum) quia tunc nõ eſt cauſa libera reſpectu illius. Ita quando traducitur peccatum Adami, nõ dicitur Adamũ peccare, ſed tantùm Adamũ peccaſſe.

Obiectio ſecunda. ¶ Quòd ſi ſecũdo quæras, vtrũ ſaltim peccatũ Adami poſsit dici peccatũ infinitũ: ſiquidem cùm cõtineat vt cauſa totam malitiam ſingulorum peccatorum, quæ ad poſteros transfundũtur, cum illa poſsint eſſe infinita, ſi generatio hominum in infinitũ multiplicatur. *Solutio.* Reſpondetur negatiuè, quia peccatum Adæ continebat, vt cauſa peccata ſuorum poſterorum ad eum modum, quo peccatum actuale continet habituale, cuius eſt cauſa. Vnde quãuis omnia peccata poſterorum eſſent actu infinita, non haberent malitiam infinitam intenſiuè: ſed tantùm extenſiuè, ita & peccatum Adami non habuit malitiam infinitam intenſiuè, ſed tantùm extenſiuè, quia quantùm fuit de ſe, ſufficientiam habuit ad inficiendum infinitos homines, ſi ex ipſo Adamo naſcerẽtur.

Obiectio tertia. Quòd ſi quis arguat, quòd malitia peccati intenſiuè creſcit ex quocunque damno præuiſo, vt communiter docent Doctores cum D. Tho. 1. 2. quæſt. 73. art. 3. ergo ex infinitis damnis creſcet in infinitum, & per conſequens illa infinitas extenſiua peccati originalis arguit malitiam infinitam intenſiuè. Probatur ſequela exemplo, ponamus, quòd ratione damni, quod infertur vni, creſcat malitia, vt vnum. ergo ratione damni, quod infertur, duobus creſcet malitia, vt duo, & per conſequens, ſeruata eadẽ proportione, ſi damnum infertur infinitis, creſcet malitia in infinitum. *Solutio.* Reſpondetur negando conſequẽtiam,

tiã,& ad probationem dicitur, quòd calcu latio illa nõ habet vim in materia boni, vel mali moralis,& ratio eſt, quia paruitas, vel magnitudo obiectiua etiã auget bonitatẽ, vel maliciã actuũ, tamẽ ſuppoſita imbecilli tate noſtri intellectus ex alia parte, minuit talẽ malitiã actuũ, ita vt actus, qui tendũt ad obiectũ multũ, vel magnũ non habet tã tã malitiã, vel bonitatẽ, quanta eſſet collectiuẽ in actibus, qui ſigillatim tenderẽt ad partes ipſius obiecti, quod facile cõſtat in volitione furandi mille aureos, in qua non eſt tanta malitia, quanta eſt in mille volitionibus furandi vnũ poſt alterũ, ita in pro poſito peccatũ Adami quãuis quantũ erat de ſe poterat inficere infinitos homines, nõ tamẽ ex hoc malitia eius creſcit in infi nitũ, quia non oportet, q̃ ſit tanta, quanta reſponderet damnis ſingulorum hominũ ſigillatim præuiſis & volitis.

¶Ad argumenta autem in principio poſita, quia non ſunt contra ſententiã Doctoris, imò illã explicant nõ reſpondetur.

TEXTVS.

Reſpondeo, quicunque accepiſſet iu ſtitiã originalem in ſe formaliter, vel voluntate cõſequente fuiſſet debitor pro ſe,& pro tota ſua poſteritate, pro qua accepiſſet virtualiter,& ita ſi Adam non peccaſſet, ſed Cain, tantùm filij Cain con traxiſſent peccatũ originale, nõ ab Adã, ſed à Cain, nunc autẽ nullus accepit formaliter, niſi Adam, diſt. 33. q. vnica in ſo lutione ad argumenta tertiæ quæſtionis ibi ad aliud de proximo parente.

EXPICATIO LITERÆ.

Doctor in hac litera vnũ ſupponit,& aliud docet, ſupponit enim Adamũ conſtitutũ fuiſſe caput generis humani in genere naturæ,& in genere moris ea lege, vt ſi iuſtitiam originalem, quã pro ſe & ſuis poſteris accepit non amitteret, omnes poſteri illam reciperent, & ſi ipſe peccaſſet, omnes poſteri in illo peccarent. Quærit tamen, quid ſi Adamus non pecca ret,& Cain peccaret, num filij Cain contraxiſſent peccatum originale?& reſpõdet dicens, quòd ſi Cain acciperet iuſtitiam originalem eadem lege, qua Adam illam accepit, peccante Cain, & filij eius in illo peccarent, non quatenus erant filij Adam, ſed quatenus erant filij Cain. Vt autem de hac re plenior habeatur notitia, ſit quæſtio ſeptima.

QVÆSTIO VII.

¶Vtrùm alia peccata primi parentis, vel proximorum parentum traducantur ad poſteros?

Quæſtio hæc duplicem poteſt habere ſenſum. Primus eſt, vtrũ ſuppoſito quòd primum peccatum Adami transfuſſum ſit (vt dictum eſt in præcedentibus) per generationem in poſteros ſimiliter,& alia pecca ta Adami transferantur de facto in poſteros,& circa iſtum ſenſum nulla eſt difficultas, nam in Concilio Trident. ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali definitum eſt, peccatum originale eſſe vnum, ergo vnum tantùm eſt peccatum, quod ad nos ex primo parente deriuatur, quod etiã patet ex illo ad Roman. 5. per vnum hominẽ pecca tum intrauit in mundum,& paulo infrà, q̃ iudicium quidem ex vno in condemnatio nem, gratia autem ex multis delictis iuſtificatio, vbi vnum peccatum cõtraponitur multis. Fundamentum huius veritatis eſt, nam primum peccatum fuit peccatum naturæ, reliqua autem ſunt peccata perſonalia,& poſteri nõ fuerũt obligati ad actiones perſonales ipſius Adami, ſed tantũ ad illam actionem primam, vnde primũ peccatum fuit traductum, non vero reliqũm. *Primus ſenſus.*

¶Secundus ſenſus eſt ſuppoſito quod etiã Adam perſeueraret in accepta iuſtitia. filij tamen eius de facto mortaliter peccarent, vtrum peccatum illorum transfunderetur in tota natura, de qua re eſt duplex ſenten tia prima eſt quorundam aſſerentiũ, quòd ſtatim quòd Cain. v. g. peccaret mortaliter, non ſolum amitteret iuſtitiam origina lem ſibi, ſed etiam amitteret illam pro ſuis poſteris. Hanc ſententiam docet D. Tho. in quæſtionibus de malo. quoſt. 5. art. 4. in ſolutione ad octauum, vbi ſic ait, ſi ergo ali quis ex poſteris Adã peccaſſet eo nõ peccãte, moreretur quidẽ propter ſuũ peccatũ actuale, ſicut Adã mortuus fuit, ſed poſteri eius morerẽtur, ꝓpter peccatũ originale. Tãdem ſententiã docet Conrad. 1. 2. *Secundus ſenſus.*

q. 81. art. 2. Driedo de captiuitate, & redẽptione generis humani tractatu. a. cap. 2. parte. 4. in ſolut. ad primum poſitum poſt quartã cõcluſionẽ, in quã ſententiã citant nõnulli Doctorem in 2. diſt. 32. in ſolutione ad argumenta pro tertia quæſtione, & *1. Ratio.* eſt locus citatus in litera. Et probatur primo, nã ſtatim ꝙ filius Adæ peccaret mortaliter, amitteret iuſtitiam originalẽ, ergo transfunderet naturam humanã, priuatam iuſtitia originali. Patet ſequela, nã eo modo illã transfunderet, quo illam haberet, ſed haberet naturam infectam peccato, ergo transfunderet illam infectam peccato.

2. Ratio. ¶Secundò. Ille (v. g. Cain) antequàm peccaret, haberet inſtitiam originalẽ pro ſe, & pro tota ſua poſteritate, ergo peccando amitteret iuſtitiã, & pro ſe & pro tota ſua poſteritate, ſed hoc eſſet trãsfundere peccatum originale, ergo. *Confirm.* Confir. quia in humanis dona accepta à rege pro tota aliqua familia nõ ſolùm poſſunt amitti pro tota familia ab eo, cui prima data ſunt, ſed etiã à quocunque poſterorum, vt patet in primogenitis, qui crimen proditionis cõmiſſerunt, ergo & quicunque poſterorũ Adæ poterit amittere iuſtitiam originalem pro ſe & pro ſua poſteritate.

3. Ratio. ¶Tertiò. Aliàs ſequeretur, quòd filij nati in iuſtitia originali à Cain v. g. ſi peccaſſet mortaliter eſſent ab eo ſeparandi. Conſequens tamen videtur falſum, quia educatio filiorũ iure naturæ pertinet ad parẽtẽs. Sequela autem probatur, nam omnes habentes iuſtitiam, habituri erant in paradiſo carentes autem iuſtitia extra paradiſum debebant commorari, ergo.

Secunda ſententia. Nota. ¶Secunda ſententia eſt Doctoris, vt patet in litera, ſi rectè inſpiciatur. Pro cuius explicatione eſt aduertendũ ex ſupradictis, ſcilicet, eò peccatum originale transfundi in nos, quia voluntates poſterorum obligatæ ſunt ad actionem Adami per legẽ Diuinam. Et per conſequens, ſi aliquis acciperet iuſtitiã originalem, ſicut accepit Adã, reſpectu ſuorum poſterorum peccante illo, & eius poſteri in ipſo peccaſſent, & hoc docet Doctor dicens in litera, & ita ſi Adam non peccaſſet, ſed Cain, tantũ filij Cain contraxiſſent peccatum originale (quod eſt intelligendum, ſi Deus feciſſet cum Cain ſimile pactum, vel ſtatuiſſet ſimilem legem, ſicut ſtatuit cum Adam) nõ ab Adam, ſed à Cain. Et quòd iſte ſit planus ſenſus Doctoris, patet ex verbis, quæ ſtatim dicit dicens, nunc autem nullus accepit formaliter niſi Adam. *Nota hoc pro Doctore.* Ex quibus ſatis patet, ꝙ loquitur de Cain, ſi acciperet iuſtitiam originalem eo modo, quo Adam accepit Adã, ſcilicet, quatenus erat caput in genere naturę, & etiam in genere moris ſuorum poſterorum.

Prima concluſio. ¶Prima concluſio. Si Adamus perſeueraret in iuſtitia originali, & aliquis ex filijs eius peccaret mortaliter, tale peccatũ non transfunderetur in poſteros illius, quorũ non eſſet caput in genere moris. Hæc concluſio ſatis patet ex eo, quod peccatũ originale tantum transfunditur, quatenus eſt peccatum naturæ & nõ quatenus eſt peccatum perſonæ ſed peccatum Cain nõ eſſet peccatũ naturæ reſpectu ſuorum filiorum, quia non eſſet caput illorum in genere moris, ergo. *Confirm.* ¶Confirmatur, nam ex eo peccatum Adami transfunditur in poſteros, quia voluntates poſterorum ſunt per legem Diuinam obligatæ in volũtate Adami, ſed ſi non eſſet lex illa non eſſet talis obligatio, ergo quamuis Cain peccaret, ſi non eſſet lex, quæ obligaret volũtates ſuorum poſterorum in voluntate ipſius, non poſſet peccatũ illius in poſteros traduci.

Secunda concluſ. ¶Secunda cõclusio. Si Deus daret iuſtitiã originalem Cain ea lege, vt pro ſe & pro tota ſua poſteritate illam acciperet, etiam ſi Adamus perſeueraret in iuſtitia originali, dummodo Cain peccaret, peccatum illius traduceretur in poſteros ab illo deſcẽdentes. Hæc cõcluſio ex ſe patet, nam voluntas poſterorum eſſet tali lege obligata in voluntate, Cain ergo defectus voluntatis Cain eſſet defectus voluntatis omnium poſterorum. Hanc concluſionem, & ſententiam tuetur Caterinus in lib. de caſu hominis & peccato originali prope finem illatione. 10.

Ad argu. primæ ſententiæ reſpon. ¶Ad argumenta pro prima ſentẽtia reſpõdetur. *Ad primum.* Ad primum, ꝙ in caſu noſtræ quæſtionis, ſi non eſſet lex, peccatum, illud eſſet peccatum perſonæ, & non naturæ, ſicut & iuſtitia originalis, quæ erat in Cain, erat donũ perſonæ, & nõ naturæ, nã ſolus Adam accepit iuſtitiam originalẽ, vt erat donum naturæ, alij verò, vt erat donũ perſonale, & per conſequens ſolus ipſe potuit transfundere priuationẽ eius, vt ſic, & ex cõſequenti peccatum. Vnde quamuis iuſtitia originalis abſolutè ſumpta eſſet donũ

natura,

naturæ, nō tamē prout in Cain, ſed prout in Adamo accepta, & conſeruata, & ſicut modò peccatū originis traducitur, quāuis pater generans nullū habeat peccatum, ita in caſu prædicto iuſtitia originalis traduceretur, quāuis pater generās nullā haberet iuſtitiā. ¶Ad ſecūdū reſpōdetur negando antecedēs, ſed tātū haberet donū perſonæ, quia iuſtitia originalis illi, nō eſſet donum naturæ, ſed perſonæ. ¶Ad confirmationē reſpōdetur negando paritatē rationis, nam illa donatio fit à rege cum illa cōditione, aut expreſsè, aut virtualiter, at verò in caſu noſtro datus eſt ſtatus innocentiæ humanæ naturæ dependenter ſolū ab actibus Adæ, & ideo ille ſolus potuit illam amittere, vt erat donum naturæ.

Ad ſecundum arg. *Ad cōſir.*

Ad tertiū argum. ¶Ad tertium reſpondetur, ꝙ illa difficultas non naſcitur ex hac opinione, ſed ex modo, quo homines eſſent habitaturi in paradiſo, vel extra paradiſum, neque eſt aliquod inconueniens, ꝙ in pœnam peccati tolleretur à parentibus educatio filiorum, & per conſequens, quòd Pater eſſet extra paradiſum, & filius intra paradiſum.

TEXTVS.

Reſpondeo, in ſtatu innocentiæ erāt dona ordinata, ita quòd iuſtitia originalis potuit eſſe ſine gratia, non èconuerſo, & tunc priuatio prioris includebat virtualiter priuationem poſterioris, cuicunque igitur tunc reſtituta fuiſſet gratia ſine iuſtitia originali (ſi hoc factū fuiſſet,) non habitaſſet ipſe perfectum ſtatū innocentiæ diſt. 32. quæſt. vnica in fine.

EXPLICATIO LITERÆ.

Doctor in hac litera docet, quomodo priuatio iuſtitiæ originalis includeret priuationem gratiæ dicens, habitum iuſtitiæ originalis, & habitum gratiæ eſſe habitus inter ſe ſubordinatos, nam iuſtitia originalis potuit eſſe ſine gratia, gratia tamen non potuit eſſe ſine iuſtitia originali, vnde quāuis priuatio gratiæ potuerit eſſe ſine priuatione iuſtitiæ originalis, non tamen priuatio iuſtitiæ originalis potuit eſſe ſine priuatione gratiæ. Ex quo infert, ꝙ ſi in illo ſtatu innocētiæ alicui reſtitueretur habitus gratiæ, & nō reſtitueretur illi habitus iuſtitiæ originalis, nō reſtitueretur illi perfectus ſtatus innocētię. Ex qua ſentētia Doctoris duo colligūtur. Primū eſt poſſe iuſtitiā originalē reperiri ſine gratia. Secundū autē eſt, ꝙ peccatū illud, quo gratia amitteretur, nō opponitur formaliter, & directè habitui iuſtitiæ originalis. Circa quod corolariū, & prædictā doctrinā, vt magis pateant, ſit quæſtio. 8.

QVÆSTIO VIII.

¶*Vtrùm peccatum, quod traducitur in poſteros fuerit primum peccatū, quod commiſit Adam.*

De hac re eſt prima ſentētia, quā dicūt nonnulli D. Tho. 1. 2. q. 71. ar. 2. quā docet Durā. in 2. diſt. 33. q. 1. num. 9. vbi aſſerit, ꝙ peccata proximorū parētū, vel etiā primorū ſcilicet Adæ, & Euæ præter peccatū eorū primū, nō redūdāt in filios, quātū ad originalē culpā, quia, cui nō eſt cōceſſum, vt trāſmittat ad filios aliquod donū, talis peccādo, nō poteſt trāſmittere ad eos defectū doni illius, ſed nulli parētū proximorū, neque etiā ipſi Adæ poſtquā ſemel peccauit, cōceſſum eſt aliquod donū, in poſteros trāſmittēdū, ſed ſolū hoc fuit cōceſſum primis parētibus, antequā peccarent, ergo nullus ꝓximorū parētū poteſt trāſmittere in poſteros defectū alicuius doni, neque etiā parētes primi, niſi per ſuū primū peccatū, per quod amiſerūt donū ſupernaturale, ſibi collatū pro ſe, & ſua poſteritate, peccatū autē originale eſt carētia alicuius doni, dirigētis ad ſalutē cū debito habendi ipſum, & dignitate, ſeu reatu carēdi eo, ergo peccatū originali nō poteſt transfundi in poſteros à ꝓximis parētibus, vel remotis propter aliquod eorū actuale peccatū, ſed ſolū ꝓpter primū peccatū Adami. Ex quibus inferūt prædicti, ꝙ ſi Adā priùs tēpore, quā trāſgrederetur præceptū nō comedēdi de ligno vetito, commiſſerit aliud peccatū mortale, poſteri eius cōtraherent in illo peccatū originale, & nō ex alio cōmiſſo poſteà in mādụcatione fructus vetiti. Fūdamētū huius ſentētiæ eſt, nā per primū peccatū mortale, quodcūq; illud fuiſſet, amiſiſſet dignitatē capitis moralis, quia, cū volūtas Adami, per quodcūq; peccatū mortale amitteret iuſtitiā originalē, & per conſequens poſteà neque in malis, neque in bonis reputaretur voluntas poſterorū. Antecedens eſt manifeſtū, nā iuſtitia originalis erat idē habitus cū gratia, vel habebat intrinſecā dependētiā ab ipſa tāquàm à ſua radice, vel fonte, ſed per quodcūque

Prima ſententia.

Primū dictum.

peccatum mortale amittebatur gratia,
ergo & amittebatur iuſtitia originalis.
Cõſequentia autẽ probatur, nã tãdiu fuit
caput morale, quãdiu poteſt ad nos tranſ-
ferre, originalẽ iuſtitiã, ſed ſtatim, vt ipſe
amiſerit iuſtitiam, nõ potuit illam ad nos
Confirm. trãsferre, ergo. ¶ Confir. quia tamdiu fuit
caput morale, quamdiu nos tenebamur in
eo per actũ ipſius ſeruare iuſtitiã, ſed poſt-
quã ipſe iuſtitiã amiſsit, nõ tenebamur in
eo illã ſeruare, ergo poſtquã illam amiſsit,
Secũdum dictum. nõ fuit amplius caput morale. ¶ Dicũt ta-
men ſecũdo de facto in peccato primi pa-
rẽtis ꝙ ad nos transfunditur, fuit malitia
trãſgreſsionis præcepti de nõ comedẽdo
fructum ligni vetiti, quod patet ex illo Ge
neſ. 3. quia audiſti vocẽ vxoris tuæ, & co-
medisti de ligno, de quo præcipi tibi, ne
Tertium dictum. comederes, &c. ¶ Dicunt tertio Adã prius
tẽpore, quã tranſgrederetur præceptum
iſtud, nullũ aliud peccatũ cõmiſsiſſe. Pro-
bãt autẽ hoc ex dictis, quoniã alias ex illo
priori peccato poſteri Adæ contraherent
peccatũ originale, & nõ ex tranſgreſsione
huius præcepti. Dicũt notãter prius tẽpo
re, quoniã dubiũ eſt, an in illo peccato præ
ceſſerit alia malitia ordine naturæ malitiã
illicitæ mãducationis, nã D. Thom. 2.2. q.
163. arc. 1. dicit in illo peccato fuiſſe mali-
tiã ſuperbiæ, ſimul & gulæ, & malitiã ſu-
perbiæ fuiſſe priorẽ ordine naturæ, vnde
quãdo dicitur Adamũ nõ cõmiſsiſſe prius
tẽpore aliud peccatũ, intelligẽdum eſt de
peccato omninò diſtincto, nã volitio in-
terna potuit præcedere mãducationẽ ex-
ternã, & illa volitio eſſet peccatũ, cæterũ
nõ diſtinctũ à mãducatione, quæ eſſet eius
cõſummatio, & cõplementũ, & terminus.
Obiectio. Neque obſtat, ꝙ Geneſ. 2. ſolũ imponatur
pœna mortis propter manducationẽ illius
Solutio. ligni, dicitur enim in quacũque die, &c. Re
ſpõdetur, ꝙ notũ erat Adã, priuandũ eſſe
gratia, & cõſequẽter iuſtitia originali pro
pter quodcunque peccatũ mortale. Verũ
quia præceptũ de nõ comedẽdo erat iuris
poſitiui, edere, quæ de ſe non erat mala,
ideò intimandum erat cũ expoſitione pœ
næ. Vnde eo ipſo, quod Eua peccauit,
amiſsit originalẽ iuſtitiã, quãuis ſtatim nõ
fuerint aperti oculi eius, neque erubeſcen-
tiam habuerit, vſque dũ Adamus peccauit,
nã dici poteſt Diuina diſpenſatione factũ
fuiſſe, ne mulier experta iacturã, quã in ſe
fecit, & pudore affecta deſideret tentare
virũ, quem Diuina prouidentia permiſsit
tentari per mulierẽ, ſicut mulierẽ per ſer-
pentẽ. Dicunt vltimò, peccatũ Adæ, vt cõ
ſummatũ opere externo eſt, quod ad eius
poſteros traducitur. Quòd ſi Adamus ſolũ
peccaſſet opere interno cõtra illud præce
ptum, illud peccatũ traduceretur ad nos,
quãuis potuiſſet Deus hoc aliter diſpone
re, ſicut Eccleſia nõ ponit pœnã excõmu-
nicationis, vel irregularitatis propter actũ
purè internum, ſed propter externum.
¶ Secunda ſententia videtur colligi ex ſen *Secunda ſententia.*
tẽtia Doctoris, quã habet in litera. Pro cu
ius explicatione, & totius quæſtionis eſt *1. Notab.*
primo notandũ, ꝙ in hac quæſtione aliter
loquendũ eſt, ſi iuſtitia originalis & gratia
ſunt idẽ numero habitus, vel habent inter
ſe eſſentialẽ dependentiã, & aliter ſi non
ſunt idẽ numero habitus, ſed duo realiter
diſtincti, & nõ habent inter ſe eſſentialem
dependentiã, ſed tantũ quandã ſubordina-
tionẽ, quã ponit Doctor in litera. Nam ſi
ſunt idẽ numero habitus, vel habent depẽ-
dentiã eſſentialem inter ſe, certiſsimũ eſt,
ꝙ amiſſa gratia amittitur iuſtitia origina-
lis, nã implicat, ꝙ amiſſo aliquo ad quod
aliud habet eſſentialẽ dependentiam, non
amittatur, & illud, quod talẽ eſſentialẽ de-
pendentiã includit. Si tamen habitus iuſti
tiæ originalis & gratiæ realiter diſtinguan
tur, & inter ſe eſſentialẽ dependentiã non
habeãt, nõ implicat poſſe reperiri habitũ
iuſtitiæ originalis abſque habitu gratiæ,
quia quãdo aliqua diſtinguntur realiter in
ter ſe, & vnũ nõ dicit eſſentialẽ dependen-
tiã ad aliud, poſſunt adinuicem ſeparari.
¶ Secundo eſt notãdũ, ꝙ actus noſtri pec- *2. Notab.*
caminoſi nõ deſtruunt habitũ infuſum ſu
pernaturalẽ effectiuè, ſed tantùm demeri-
toriè, & ratio huius eſt, nam actus non de-
ſtruit effectiuè habitũ, niſi corrũpendo il-
lũ, & introducendo habitum oppoſitũ, ſi-
cut v.g. actus intemperantiæ non deſtruit
habitũ temperantiæ, niſi paulatim corrũ-
pendo illum indecendo habitum intempe
rantiæ. Quare ſi aliquis haberet habitum
tẽperãtiæ acquiſitũ, & præcipuè intẽſum
ad deſtruẽdũ illũ indigeret pluribus acti-
bus intẽperãtiæ, quibus corrũpẽdo habitũ
tẽperãtiæ, habitũ intẽperãtiȩ producerer.
At verò in habitibus ſupernaturalib[9] nõ ita
cõtingit, nã vnico tãtũ actu v.g. peccami-
noſo habitus quãtũcunque intenſus gratiæ
deſinit in ſubiecto eſſe, quia talis actus cũ
deme-

demeritoriè corrũpat habitũ in quocunque actu peccati eſt ſufficiẽs ratio demeritoria, vt Deus auferat habitũ charitatis & gratiæ ab illo, in quo eſt tale peccatum, & ita de facto cõtingit, poſſet tamẽ Deus de potẽtia abſoluta nõ auferre habitũ charitatis, vſque dũ homo tria peccata mortalia peccaret, quia nõ eſt implicatio contradictionis, ꝙ de potẽtia abſoluta Dei ſit aliquis cũ habitu charitatis & peccato ſimul, nam ex hoc non ſequitur, ꝙ iſte ſit dilectus, & non dilectus, quia iſte talis eſt ſimpliciter odio habitus, & ſecũdũ quid dilectus, ſicut & habẽs habitũ fidei cum peccato mortali eſt ſimpliciter Deo inuiſus, & ſecũdum aliquid dilectus. Neque etiã ſequitur, ꝙ volũtas iſtius eſſet ſimul ordinata, & deordinata ſecundũ eãdẽ rationẽ, ſed tãtũ ſequitur, ꝙ volũtas talis eſſet ſimpliciter, & formaliter deordinata, eſſet tamẽ virtualiter ordinata, id eſt, potens ſe per actũ oppoſitũ actualiter ordinare, in quo eliciẽdo faciliter ſe haberet propter habitũ charitatis in voluntate exiſtẽtẽ, ſicut v.g. in ſimili, qui haberet habitũ tẽperantiæ, & eliceret actũ intẽperãtiæ, volũtas illius eſſet formaliter intẽperata, & virtualiter tẽperata. Cũ igitur nõ repugnẽt habitus charitatis, & peccatũ ex ſua ratione formali intrinſeca poterat Deus de potẽtia abſoluta relinquere habitũ charitatis in volũtate vſque ad tertiũ peccatum cõmiſſum, & tunc illa tria peccata demeritoriè excluderent habitũ charitatis ſimul ſumpta, quodlibet autẽ per ſe tãtum initiatiuè, & per modum diſpoſitionis habitum charitatis excluderet.

3. Notab. ¶Tertio eſt notãdũ, ꝙ habitus iuſtitiæ originalis ſi erat realiter diſtinctus à gratia, (vt diximus ſuprà ex Doctore) poterat ſimul cũ illo peccatũ mortale cõpati, ſi non erat lex pro quocunque peccato mortali talẽ habitũ Deũ ſubtrahere, nã habitus iuſtitiæ originalis ordinabat potentias per modũ actus primi, & talis ordinatio bene cõpatitur deordinationẽ per modũ actus ſecũdi. Vnde in caſu quod in Eua, vel Adamo eſſet volũtas cũ peccato mortali, & ſimul cũ habitu iuſtitiæ originalis talis volũtas eſſet formaliter auerſa à Deo, & nõ ſubiecta illi per modũ actus ſecũdi, & ab illo deordinata, eſſet tamẽ per modũ actus primi virtualiter ordinata, quatenus facilitate maxima, & maiori cũ delectatione poterat obẽdire Deo, quã per actũ peccaminoſum à Deo auerti, quia in obediendo Deo, inuenirit maximã delectationẽ, in auertẽdo ſe à Deo, inueniret maximã difficultatẽ, licèt nõ tãtã, quã nõ poſſet pro ſua volũtate vincere, & ſic poſito peccato eſſet actualiter auerſa in actu ſecũdo, & habitualiter cõuerſa in actu primo, quatenus habitualiter conuerſum in actu primo nihil aliud dicit, quã volũtatẽ facilitate quadam, & maiori cũ delectatiõe poſſe elicere actũ oppoſitũ illi, quẽ elicuit, ſi tamẽ fuit lex, qua Deus ſtatuerit, auferre habitũ iuſtitiæ originalis pro quocũque peccato mortali cõmiſſo, nobis alia nõ cõſtat, quã illa, quæ habetur Geneſ. 2. de arbore ſcientiæ boni & mali ne comedas, in quocũque enim die comederis, morte morieris. Et per conſequens videtur dicẽdũ, nullũ aliud peccatũ mortale, neque effectiuè, neque demeritoriè excludere habitum iuſtitiæ originalis præter comeſtionẽ illã prohibitã ſub tali pœna quãuis quodlibet peccatum mortale habitum gratiæ & iuſtitia originali realiter diſtinctum, demeritoriè excluderet.

¶Quarto eſt notãdũ, ꝙ vt diximus ſuprà *4. Notab.* ex eo oẽs peccauimus in Adã, quia voluntas noſtra fuit obligata in volũtate Adami ad actionẽ volũtatis ipſius Adami, vnde ſi noſtra volũtas nõ eſſet obligata ad actionẽ volũtatis ipſius Adami. ſi Adamus peccaret, eius peccatũ poſſet nobis imputari, quãtũ ad pœnã, nõ tamẽ quantũ ad culpã: vnde, in tali caſu eſſemus filij hominis peccatoris, non tamẽ eſſemus peccatores formaliter, & intrinſecè, niſi denominatione extrinſeca à peccato primi noſtri parẽtis. Iuſtiſsimè tamen poſſet Deus in tali caſu ꝓpter peccatũ primi parentis punire illũ, & nos priuatione habitus iuſtitiæ originalis, & tũc carẽtia iuſtitię in Adamo per modũ termini relicta ex comeſtione prohibita haberet rationẽ culpę, & eſſet veriſsimè peccatũ habituale, quod trãſacto actu peccãdi in volũtate Adami per modũ habitus remãſit: eſſet etiã, & carentia habitus iuſtitiæ per modũ effectus relicta à ſubtractione illa, qua Deus habitũ iuſtitiæ originalis ab Adamo ſubtraheret, & iſta verã induceret rationẽ pœnæ. At verò in nobis, ſi volũtas noſtra nõ efficeret vnũ in genere moris cũ volũtate Adami, quãuis poſſet reperiri carẽtia iuſtitię, quę eſſet pœna, nã peccatũ Adami potuit mereri, & ſibi, & nobis talẽ carentiã, ſicuti in humanis peccatũ pa-

tris meretur ſibi, & deſcendentibus carentiam honoris, quæ eſt pœna illius peccati, non tamen reperirietur in nobis carentia, quæ eſſet culpa, nam carentia, (quæ culpa eſt) eſt terminus relictus ex culpa actuali, ſiue ex actu peccati, vnde ſi culpa actualis non eſt communis, neque terminus illius actualis culpę poreſt eſſe cõmunis, & quia ſi Deus ſua lege non obligaret voluntates noſtras ad actionẽ Adami in eius voluntate peccatum Adami, non eſſet peccatũ cõmune, neq; peccatũ naturæ, ſed perſonæ, ideò ſecluſa tali lege carentia iuſtitiæ quæ eſſet in nobis demeritoriè à peccato Adami non poſſet habere rationem culpæ, ſed pœnæ tantũ. ¶ Ex quibus infertur, & eſt fundamentũ huius quæſtionis, quòd illa peccata Adami eſſent nobis communia, ad quæ fugienda obligauerit Deus volũtates noſtras in voluntate Adæ. ¶ Ex quo infertur ſecundo, quod ſicut ſi Deus obligaſſet noſtras voluntates in voluntate Adami ad aliquod obiectum ſequendũ vel fugiendũ, peccatum circa tale obiectũ cõmiſſum nõ ſolum eſſet peccatũ Adami, ſed etiam noſtrũ, ita ſi Deus obligaſſet noſtras voluntates in voluntate Adami ad actum aliquem particularẽ circa particulare obiectum, & non ad alios actus circa alia obiecta diſtincta, quamuis Adamus peccaret, eliciendo actus circa alia obiecta, ad quos voluntas noſtra non erat obligata in ipſo, talia peccata non eſſent peccata noſtra, quia talia peccata eſſent peccata perſonæ particularis, & non totius naturæ, neque communitatis. ¶ Ex quo infertur tertio, quòd cùm illud peccatum in nobis transfunderetur, in ratione peccati, quod eſſet peccatũ cõmune, & terminus illius actus, ad quem oẽs in Adamo eramus obligati, cũ tale pecatũ potuit eſſe, neque primũ, neque ſecundũ, neque tertiũ, quia potuit Adamus elicere actũ primum, ſecundum, & tertiũ, ad quẽ nos non teneremur, quia Deus ad illos nõ obligaberit nos, non igitur neceſſariò primum peccatũ Adami transfunditur in nobis, quia primum peccatũ eſt, ſed quia eſt nobis peccatũ commune.

Nota hoc Corolariũ primum. *Corolariũ ſecundum.* *Corolariũ tertium.* *Vltimus notab.*

¶ Vltimò eſt notandũ, vt præcedẽs doctrina faciliùs intelligatur, quod, vt ſupradiximus cõtra Dominicũ de Soto, Adamus fuit conſtitutus à Deo caput in genere naturæ omniũ noſtrum quia decreuit Deus, vt omnes homines ab Adamo propagarentur, & fuit etiã caput conſtitutũ in genere moris, quia obligauit Deus voluntates noſtras in voluntate Adami reſpectu iuſtitię originalis illi datę, & nobis in illo conceſſæ, vnde ſi Adamus non eſſet caput in genere moris, quamuis peccaret, eius peccatum eſſet perſonale, quale fuit peccatum Euę, quæ quamuis fuit mater noſtra in genere naturæ, non tamen in genere moris ex defectu prædictæ obligationis, & ſic ſi Adamus nõ peccaret, eius peccatũ non transfunderetur in nobis, ſi tamen Adamus peccaret, quãuis Eua non peccaret, peccatũ Adami ad nos trãsfunderetur. Et cũ nõ omnia peccata Adami ad nos transfundantur, & ſolũ illud trãsfunditur, reſpectu cuius in Adamo ſumus obligati, illud peccatum transfundẽdum eſt tantũ, reſpectu cuius ex volũtate Adami, & noſtra vna volũtas in genere moris efficeretur. ¶ Ex quo infertur, quòd etiam in ſententia D. Thomæ (nẽpe quòd gratia & iuſtitia originalis eſſent idẽ habitus numero, vel ſi duo, eſſentialiter inter ſe dependentes,) quamuis Adamus plura peccata commiſſeret, & per quodlibet gratiã, & iuſtitiã originalẽ amitteret, & in quolibet eſſet ſufficiẽtiſsima ratio demeritoria carẽtiæ gr̃æ, & iuſtitię originalis in nobis per modũ pœnę, quia poterat Deus in pœnã illius, vel illorũ delictorũ deſcendentes ab Adã creare abſque iuſtitia originali, & gratia, & quod pueri conciperentur, & naſcerẽtur ſinè iuſtitia originali, & gratia, tamẽ talis carẽtia, cũ nõ poſſet habere rationẽ termini in nobis illius actus Adami, quia talis actus nõ erat nobis cõmunis, & per cõſequẽs, neq; carentia per modũ termini in Adamo relicta eſſet nobis cõmunis, ideò neque talis carẽtia haberet rationẽ culpę, ſed tantũ haberet rationẽ pœnę. ¶ Ex quo infertur ſecũdò ꝙ etiã in ſentẽtia D. Tho. dicendũ eſt, ideò primũ peccatũ Adami in nos fuiſſe transfuſum, nõ quia fuit primũ peccatum, ſed quia fuit peccatum commune Adamo & nobis. ¶ Ex quo infertur tertio quòd etiam in ſententia D. Thom. ſi Deus obligauit noſtram voluntatem in voluntate Adami tantùm ad illam actionem de non comedendo de ligno vetito, quod quamuis Adamus peccaret, quàm plurima alia peccata, ſi tamen non comederet de ligno vetito, nõ transfunderet in nos peccatum originalẽ, quia non poſſet transfundere in nos peccatum perſonalẽ, & illa omnia

Corolariũ primum. *Corolariũ Secũdum.* *Corolariũ tertium.*

nia peccata perſonalia, & non communia eſſent, & cùm ad rationem peccati originalis, neceſſarium ſit, quòd ſit peccatum commune voluntati Adami, & voluntati noſtræ, quatenus voluntas Adami quodãmodo voluntas noſtra eſt, ideò neceſſario requiritur ad transfuſionem talis peccati quòd voluntas noſtra ſit aliquomodo obligata in voluntate Adæ. Hanc doctrinam in. 3. & 4. notabili poſitam colligo ex Alexandro. 2. p. q. 122. membro. 3, arti. 3. in ſolutione ad argumenta, vbi ſic ait, ad obiecta autem in contrarium de ſuperbia dicẽdum eſt, quòd licet ſuperbia corruperat naturam in Adam, non tamen vniuerſaliter, vt ex illa fieret tranſmiſsio originalis peccati. Aliud enim eſt corrumpere naturam in iſto, & aliud eſt corrumpere naturam, prout eſt cauſa generationis, ſimiliter dicendum eſt de gula. Si enim ſine præcepto, quod extenderat ſe ad totum hominẽ per inordinatum appetitum, comediſſet de aliquo ipſe Adam, eſſet peccatum perſonale tantùm. Vnde non fuit neceſſe, quòd per guſtum, qui ad nutritiuam pertinet, eſſet cauſa originalis corruptionis, licèt maior fuerit ibi comeſtio. Et diſtinguendum eſt inter obedientiam, quæ tantùm perſonaliter eſt, & quæ ad naturam ſe extendit, ſi enim eſſet in obedientia perſonalis tantùm, non corrumperet naturam in homine, neque fieret tranſmiſsio originalis peccati, Ad hoc, & ad idẽ facit, quod D. Auguſtin. primo lib. Hyponoſtichon. Dicitur Sapientiæ. 12. maledictum erat ſemẽ in initio, & intelligitur de maledictione culpæ hoc autem non fuit in maledictione ſerpentis, neque in maledictione mulieris, omnes enim iſtæ maledictiones, pœnæ ſunt tantùm, Maledictio verò facta fuit verò, cui dictum eſt, maledicta terra in opere tuo ſpinas, & tribulos germinabit tibi, id eſt, humana natura propagabit ſpinas, & tribulos peccatorum, maledictio autem iſta inflicta eſt propter mandati expræſsi tranſgreſsionem, dicitur enim ibi, quia audiſti vocẽ vxoris tuæ, & comediſti de ligno, de quo præcepi tibi ne comederes, maledicta terra, &c. ſi ergo propter iſtud præceptũ fuit maledictio in toto ſemine poſteritatis, & non ſe extendit effectus vltra ſuam cauſam, præceptum ſe extendebat ad poſteritatẽ, & ſimiliter tranſgreſsio pręcepti, qualiter enim diceretur omnes peccaſſe in Adam, ſi tantùm pœna reſpiceret eos, & non culpa, hactenus Alexander. Ex quibus verbis ſatis patet, quòd præceptum impoſitum Adamo, non tantũ fuit præceptum perſonale, & vnius hominis ſed totius hominis, id eſt totius naturæ humanæ in illo contentę. Secũdo ſequitur quòd poterat Adam comedere inordinatẽ de quocũq; alio cibo, & nihilominus illud peccatum eſſet perſonale tantùm, & quòd tunc tale peccatũ cùm eſſet perſonale non trãsfunderetur, Tertio quod ſequitur eſt, quòd præceptum vniuerſale impoſitũ toti naturæ humanæ in Adamo fuit præceptũ illud de non comedendo de ligno ſcientiæ boni, & mali.

¶ Prima concluſio. Si iuſtitia originalis, & gratia ſunt idẽ numero habitus, vel habent inter ſe (ſi diſtincti ſunt) eſſentialẽ depẽdẽtiã, per quodcunq; peccatũ mortale amitteret Adamus habitum iuſtitię originalis. *Prima cõcluſio.* Hęc concluſio cõmunis eſt, neq; de ea poteſt dubitari, & probatur, quia per quodcũque peccatum mortale amittitur habitus gratię, ergo & habitus iuſtitię ſi eſſet idem numero habitus cum habitu gratię, & ſimiliter ſi habet de pendentiam eſſentialẽ cũ gratia patet ſequela quo ad iſtam ſecundã partem, nam amiſſo aliquo ad quod aliud dicit eſſentialem dependentiam, amittiur & illud, quod talem dependentiam dicit, ſi cum amiſſo fundamento, vel termino amittitur, & relatio.

¶ Secũda cõcluſio. Si habitus iuſtitię originalis, & gratię erant habitus realiter diſtincti, & nõ habebant eſſentialẽ dependentiã ad inuicẽ, amiſſa gratia per peccatũ mortale non amitteretur habitus iuſtitiæ originalis. *Secunda concluſio.* Hęc etiã cõcluſio cõmunis debet eſſe, nã peccatũ non opponebatur habitui iuſtitię originalis primo & per ſe, ergo cum peccato poterat ſtare habitus iuſtitiæ originalis, probatur Antecedens, nam iuſtitia originalis ordinabat voluntatem noſtram per modum habitus in ordine ad Deũ taliter, quòd facilitate, & delectatione exiret in actum à Deo præceptũ, talis autẽ facilitas, & dilectatio ex natura rei cõpatitur ſecũdũ peccatũ mortale, ergo. Probatur minor, nam habens habitum temperantię poteſt habere actum intemperantiæ, & facilitate exire in actum temperantiæ, vnde quamuis talis voluntas ſit intemperata per modum actus, eſt tamen temperata per

per modum habitus ergo quamuis voluntas in caſu prædicto habens iuſtitiam originalem eliceret actum peccati, & per conſequens maneret de ordinata actu in ordine ad Deum, maneret tamen per iuſtitiam originalem in ea exiſtentem habitualiter ordinata in ordine ad Deũ. ¶ Cõfirmatur, nam talis voluntas poteſt elicere actũ conformem rectæ rationi facilitate, & delectatione maxima, ergo maneret habitualiter ordinata, quamuis per peccatum actu de ordinata eſſet.

Confirm.

Tertia concluſio. ¶ Tertia concluſio. Si Adamus eadem obligatione, qua tenebatur conſeruare habitũ gratiæ, tenebatur, & conſeruare habitum iuſtitiæ originalis, ſicut per quodcunque peccatum mortale amitteret habitum gratiæ, eodem, & amitteret habitum iuſtitiæ originalis. Hæc concluſio communis etiã debet eſſe, & probatur, nam homo peccãs mortaliter demeritoriè deſtruit habitum gratiæ, ſed poſita tali obligatione ita demeritoriè deſtruit habitum iuſtitiæ, ergo ſicut per quodcunque peccatum mortale amitteret habitum gratiæ, ita & amitteret habitum iuſtitiæ originalis.

Quarta cõcluſio. ¶ Quarta concluſio. Si alia, & alia obligatione teneretur Adamus conſeruare habitum iuſtitiæ, & habitum gratiæ, quamuis per quodcunque peccatum mortale amitteretur habitus gratiæ, non tamen amitteretur habitus iuſtitiæ. Hæc concluſio probatur, nam non aliter ſe haberet tunc habitus iuſtitiæ reſpectu habitus gratiæ, quàm ſe habent modo habitus fidei, & habitus ſpei reſpectu habitus gratiæ, ſed modo quamuis per quodcunque peccatum mortale amittatur habitus gratiæ, non deperditur habitus fidei, neque ſpei, niſi per actus oppoſitos ipſis ergo quamuis tunc per quodcunque peccatum mortale amitteretur gratia, non tamen habitus iuſtitiæ originalis, niſi per actum oppoſitum ipſi originali iuſtitiæ, ſed talis actus oppoſitus eſſet violatio obligationis illius, qua teneretur conſeruare habitum iuſtitię originalis, ergo ſublato tali actu non tolleretur habitus iuſtitię originalis.

Ratio.

Confir. ¶ Confirmatur, nam habitus ſupernaturalis non tollitur effectiuè, ſed tantùm demeritoriè, ſed demeritum ſupponit legem, ergo non violata lege de conſeruando tali habitu non tolleretur demeritoriè habitus iuſtitiæ originalis neque etiam poſſet effectiuè deſtrui, cùm eſſet habitus ſupernaturalis, ergo.

Quinta cõcluſ. ¶ Quinta concluſio. Adamus habuit præceptum de cõſeruando habitu iuſtitiæ originalis per non comeſtionem de ligno vetito, & per ſolã violationẽ talis præcepti amitteretur habitus iuſtitię originalis. Hæc concluſio probatur, nam iſte actus ſolus erat, qui demeritoriè deſtruebat habitum iuſtitiæ ergo per ſolum iſtum actum amittebatur habitus iuſtitiæ.

Sexta concluſio. ¶ Sexta concluſio. Si voluntas noſtra fuit à Deo obligata in volũtate Adami ad actionem aliquam particularem, vti ad actionẽ de non comedẽdo deligno vetito, quãuis Adamus commiteret quàm plurima alia peccata (dum tamen non comederet,) eius peccatum non transfunderetur in nos, neque per illud habitus iuſtitiæ origin. à nobis tolleretur. Hæc concluſio probatur, nam reliqua peccata eſſent peccata perſonalia, cùm voluntates noſtræ non eſſent obligatæ in voluntare Adami reſpectu illorum actuum ergo tales actus quantumcunque peccaminoſi non imputarentur nobis ad culpam. Secunda pars patet, quia propter peccatum originale, quod eſt in nobis, tollitur à nobis habitus iuſtitię originalis, & in tali caſu non eſt peccatum originale in nobis ergo.

Vltima cõcluſio. ¶ Vltima concluſio. Illud peccatum fuit in nos trãsfuſſum reſpectu cuius voluntates noſtrę fuerunt obligatę in voluntate Adami ad oppoſitum actum illius. Hęc cõ concluſio patet ex ſupradictis. Ex quibus infertur primo quod neque primum, neque ſecundum peccatum ex eo quod primum vel ſecundum fuit in nos trãsfuſſum eſt ſed ex eo, quòd voluntates noſtræ fuerunt obligatæ in voluntate Adami reſpectu illius.

¶ Ex quibus infertur ſecundo, quòd reliqua peccata primorum parentum non potuerunt in nos trãsfundi, quia reliqua peccata eſſent peccata perſonalia.

¶ Ex quibus infertur tertio, quòd ſi Adamus peccaſſet poſt quàm aliquos filios genuiſſet, tales filij non haberent peccatum originale, ratio huius eſt, nam peccatum originis transfuſſum eſt in nos, quatenus Adamus erat caput omnium in genere naturæ, & in genere moris, ſed in tali caſu reſpectu illorum, qui iam nati eſſent imo reſpectu illorum, qui in vtero materno contine-

tinerentur, dummodo iam actio ſeminis ceſſaſſet, non eſſet caput in genere naturæ ergo. ¶Confirmatur, nam peccatum originale per naturalem propagationem tranſfunditur, vt patet ex concilio Tridentino ſupra citato & in eodem cõcilio Seſsione. 6. in decreto de iuſtificatione Canone. 3. dicitur, niſi homines ex ſemine Adæ propagati naſcerentur, non naſcerentur iniuſti cũ à propagatione per ipſum propriam iniuſtitiam contrahant, quibus verbis apertè inſinuatur, quòd per propagationem, ſiue generationem cõtrahitur peccatum, quia contrahitur ipſo tempore conceptionis, & per conſequens illo tempore tranſacto non poſſet peccatum per generationem contrahi. Ex quibus infertur vltimo, quòd ſi Adam habuiſſet filios ante peccatum, ne potes, qui ex filijs naſcerentur, poſtquam Adamus peccaſſet, peccatum originale cõ traherent. Probatur, nam tales filij Adami ſolum haberent iuſtitiam originalem, vt donum perſonale ergo per generationem non transfunderetur in filios, & voluntates illorum eſſent obligatæ in voluntate Adami ad actionem illius ergo peccatum Adami reputaretur illis in culpam.

¶Confirmatur, nam tales eſſent filij naturales Adami peccatoris, & in illo peccaſſent, ergo inſurgeret in illis peccatum originale. ¶Confirmatur ſecundo, nam ſi aliqua ratione non, maximè qui ſemen non erat infectum peccato aliquo, ſed hoc non obſtat, nam ſemen tantùm habet rationẽ conditionis neceſſario requiſitæ ad traductionem peccati ex eo, quod per illam conſtituitur homo, & producitur filius naturalis Adami obligatus ad actionem ipſius Adami ergo ſi talis actio Adami fuit peccatum & in iſtis erit originale peccatum.

TEXTVS.

Qvantum ad ſecundum ſoluitur prima quæſtio tenendo ſecundũ auctoritates ſanctorum, quòd ſit hoc peccatum in omnibus communiter propagatis d. 32. Q. vnica litera C.

EXPLICATIO LITERÆ.

Doctor in hac litera vniuerſalem aſsignat concluſionem, ſcilicet omnes homines deſcendentes per naturalem generationem à primo parente contrahere peccatum originale. Quæ concluſio vniuerſaliter eſt tenẽda ex illo D. Pauli ad Roman. 5. & ex alijs pluribus locis ſuprà citatis. Quia tamen non eſt regula tam generalis, vt non patiatur aliquando aliquam exceptionem circa præſentem concluſionem ſit quæſtio nona.

QVÆSTIO IX.

¶*Vtrùm Beatiſsima virgo mater Dei peccatum originale contraxerit?*

De hac re eſt prima principalis ſententia D. Thomæ, & ferè omnium Thomiſtarum, quam latè diſputat Caietanus in opuſculo de conceptione virginis, qui omnes tenent virginem ſanctam peccatum originale contraxiſſe, & probatur primo, vbi eſt aliqua lex communis reuelata in ſcripturis nemo ab illa eximendus eſt, niſi de illo fiat in eiſdem ſcripturis ſpecialis exceptio, alioquin daretur apertiſsima occaſio negãdi propoſitiones vniuerſales de fide, quod eſt hereticũ, ſed ex multis locis ſacræ Scripturæ manifeſtè colligitur, & in ipſis clarè affirmatur, omnes, qui ex primo parente deſcendunt per generalem propagationem peccaſſe in primo parente, & mortuos eſſe morte peccati, & indigere Redemptore à peccato, neque in aliquo loco excipitur Beatiſsima virgo ergo certiſsimum eſt ſecundum fidẽ peccatum originale contraxiſſe. Maior eſt manifeſta, & minor probatur ex illo ad Roman. 5. in quo omnes peccauerunt, & ſecunda ad Corint. 5. ſi Chriſtus mortuus eſt pro omnibus ergo omnes mortui ſunt, quod intelligẽdum eſt de morte peccati, vt docet D. Auguſt. lib. 6 cõtra Iulianum dicens, quia ergo non in corpore, reſtat nunc vt in peccato mortuos eſſes omnes, pro quibus mortuus eſt Chriſtus nemo neget, nemo dubitet, niſi qui ſe negar, aut dubitat eſſe Chriſtianum, & prima ad Thimoteum. 4. vbi de Chriſto ait, qui eſt Saluator omnium hominum, nam cùm dominus de ſe dicat Matthæi. 9. non eſt opus valentibus medico, ſed male habentibus, non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores & Angelos de ipſo Lucæ primo ipſe

Prima ſententia.

1 *Prima ratio.*

ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum efficitur, vt ſi Chriſtus eſt Saluator omnium hominum à ſeruitute peccati, neceſſario intelligatur Saluator etiam Beatiſsimæ virginis à peccato.

Solutio. ¶Quod ſi quis reſpondeat, Chriſtum eſſe Saluatorem illius nō ratione peccati, quod contraxit, ſed quod contraxiſſet, niſi ab illo præſeruata, huic obſtat Epiſtola Zozimi Papæ quā refert Auguſt. Epiſt. 157. in qua ſic ait, nullus niſi qui ſeruus eſt liber efficitur, neque Redemptus dici poteſt, niſi qui verè per peccatum fuerit ante captiuus, & ſubdit D. Auguſtinus in his verbis Apoſtolicæ ſedis tam antiqua, atque fundata certa, & clara eſt fides catholica, vt nefas ſit, de illa dubitare, Chriſtiano.

Secunda ratio. ¶ Secundò. Id quod aliquando fuit erroneum, ſemper eſt erroneum, quemadmodum, quod ſemel fuit hæreticum ſemper hæreticum eſſe cenſendum eſt, ſed virginē Beatiſsimam non contraxiſſe peccatum originale ante quadringentos annos erat erroneum ergo nunc, maior eſt manifeſta, & minor probatur, quia tempore D. Bernardi erat erroneum, erat enim contra vnanimem ſententiam patrum, qui vnanimi conſenſu ita interpretabantur adducta verba ſcripturæ, & alia ſimilia, vt nullus relinqueretur locus exceptioni Beatiſsimæ virginis, ita etiam de illius cōceptione loquebantur, vt planè affirmarent eam contraxiſſe peccatum originale, vt ex multis ſanctorum dictis, quæ à Caietano in opuſculo de conceptione virginis & alijs Doctoribus ad hanc veritatem confirmandam afferuntur, vnde D. Auguſtinus in Pſalmo. 34. ita inquit Adam eſt mortuus propter peccatum, Maria ex Adamo mortua eſt propter peccatum caro autem domini ex Maria mortua eſt propter delenda peccata. D. Ambroſius in Pſalm. Beati immaculati ſic ait, venit dominus Ieſus & in carne, quæ peccato in matre fuerat obnoxia, militiam virtutis exercuit, D. Bernardus Epiſtol. 174. reprehendens Canonicos Lugdunenſes, quod nouam ſuo tempore celebritatem de conceptione virginis introducerent, ſic ait, nunquid patribus doctiores, aut deuotiores ſumus? periculoſè præſumimus quidquid ipſorū in talibus rebus prætermiſit, & paulò infrà, nulla enim ratione placebit contra Eccleſiæ ritum præſumpta nouitas, mater temeritatis, ſoror ſuperſtitionis, filia leuitatis. Et D. Bonauentura in. 3. diſtin. 3. quæſt. 2. ſic ait, nullus ſanctorum inuenitur dixiſſe, de illis quos audiuimus auribus noſtris virginem Mariam à peccaro originali fuiſſe immunem,

Tertia ratio. ¶Tertiò. Quicunque ſanctificatur, mundatur, iuxta illud D. Dioniſij. 12. de Diuinis nominibus dicentis ſanctitas eſt perfecta munditia, ideò enim dicimus Ioannem Baptiſtam, & Ieremiam ſanctificatos fuiſſe in vtero, quia mundati fuerunt à peccato originali, ſed vniuerſa Eccleſia canit Beatā virginem fuiſſe ſanctificatam iuxta illud Mariam ſanctificans, ergo fuit mundata, ſed nō à peccato actuali, ergo ab originali.

Quarta ratio. ¶Quarto. Peccatum originale cōmunicatur poſteris motu generationis, quemadmodum peccatum actuale communicatur membris motu voluntatis, ſed peccatum actuale non poteſt nō communicari membris, quæ motu voluntario mouentur ab anima ad opus peccati, ergo peccatum originale non potuit non communicari Beatæ virgini, quæ motu generationis mota eſt à primo parente ad exiſtendum, & per conſequens cum priuatione rectitudinis originalis.

Quinta ratio. ¶ Quinto ſi Beata virgo moreretur ante mortem filij certiſsimum eſt, quòd deſcenderet ad patres adhuc detentos in limbo in pœnam originalis peccati ergo habuit originale peccatum.

Sexta ratio. ¶ Sextò. Quis quis habet fomitem peccati, contraxit peccatum originale, ſed Beata virgo habuit fomitem peccati, qui nihil aliud eſt quàm inclinatio ad mlaum, ergo contraxit peccatum originale. Maior patet, quia fomes peccati eſt præcipua pœna, quę propter originale peccatum in hac vita infligitur, imò vt dicemus infrà eſt materiale ipſius peccati originalis, conſequentia verò probatur, nam Beata virgo acquiſiuit augmentum virtutum magno labore, vt refert D. Bonauentura in tractatu de vita Chriſti cap. 3. ex reuelationibus quibuſdam, quæ creduntur factæ S. Eliſabeth viduæ, cùm igitur labor in augmento virtutum naſcatur ex inclinatione ad malum, efficitur, vt in Beata virgine fuerit huiuſmodi inclinatio, & ex conſequenti fomes.

¶Confirmatur, quia in ea non fuit iuſtitia originalis, quæ ſola fomitem excludebat, nā ſi haberet iuſtitiam originalē, non eſſet obnoxia non ſolùm morti, ſed neque alijs laba-

laboribus huius vitæ, vt primi parentes in
ſtatu innocentiæ.

Vltima ratio. ¶Vltimò. Singularis conceptio debuit ſin
gulari prærogatiua inſigniri, ſed cõceptio
Chriſti fuit ſingularis quandoquidẽ ſolus
ipſe conceptus fuit ex Spiritu ſancto er-
go ſola eius cõceptio debuit inſigniri hac
prærogatiua, vt cõciperetur ſanctus, quod
ſane negandum eſſet ſi virgo etiam Beatá
ſine peccato concepta fuiſſet. Hanc ſentẽ-
tiam docent D. Tho. 1. 2. q. 81. arti. 3. & 3.
p. q. 27. & in. 3. diſt. 3. q. 1. Capreolus ibidẽ
Caietanus in opuſculo citato; Alexand. 3.
p. q. 4. Hẽricus quodlibeto. 6. q. 16. Alber
tus, Bonauentura, Herbeus, Paludanus, Ri
chardus, Duran. Hiſpalẽſis, & alij quã plu-
rimi in. 3. diſt. 3. Greg. in. 2. diſt. 3. q. 2. de-
niq; fertur Bandelus quidã Dñicanorũ ge
neralis in lib. quẽ edidit de hac quæſtione
numerare pro hac parte. 260. Doctores.

Secunda ſententia. ¶Secunda ſentẽtia eſt Doctoris in. 3. diſt.
3. q. 1. quam defendũt Franciſcus de Mai-
ronis, & omnes Scotiſtæ, Dionyſius Cartu
ſianus, Thomas de Argentina, & Almay-
nus eadẽ diſt. Marſilius in. 2. q. 2. Iacobus
de Valentia ſuper magnificat. Lipomanus
in Geneſim cap. 15. & Abulẽſis paradoxo
primo. cap. 102. Ambroſius Caterinus, &
Clitoueus in proprijs de hac re tractatibus
Ioãnes Gerſon. 4. par. in ſermone de cõce-
ptione Eccius homilia ſecunda eiuſdẽ fe-
ſti, & alij per multi, quos refert Caterinus
opuſculo citato cap. 6. Hanc etiam docent
Doctores Pariſienſes, & aliarum quarun-
dam vniuerſitatum, qui ſe vbique defenſu-
ros iureiurando obſtringũt, hanc denique
fere omnes vniuerſitates communi con-
ſenſu amplectuntur.

Primum nota. ¶Pro cuius explicatione, & quæſtionis
ſunt notanda nonnulla, quorũ primũ eſt,
quòd in hac queſtione aliter loquitur Cate
rinus, & aliter loquendum eſt iuxta ſentẽ
tiam aliorum & ratio huius eſt, nam exce-
ptio Beatiſsimæ virginis Mariæ poteſt fie
ri ab vna ex duobus propoſitionibus vni-
uerſalibus, quarum altera eſt omnes, qui
naturali generatione deſcendunt ab Adam
peccauerunt ipſo peccante. Secunda autẽ
propoſitio vniuerſalis eſt, omnes quot-
quot deſcendunt ab Adam per naturalem
propagationem, cùm concipiuntur, con-
trahunt peccatum originale, quod eſt ipſis
intrinſecum, docet igitur Caterinus Beatã
virginẽ exemptam fuiſſe non ſolũ à ſecun
da propoſitione, ſed etiã à prima propoſi-
tione exẽpta fuit ab illa cõmuni lege, qua
voluntates omniũ poſterorũ obligatæ fue
runt in voluntate Adami ad actionẽ ipſius
Adami, & per conſequens peccatum Ada-
mi remanſiſſet peccatũ perſonæ reſpectu
Beatæ virginis. Iſta tamen ſententia Cate-
rini, quamuis videatur pia non tamen eſt
vera, quia aliàs Beatiſsima virgo non eſſet
præſeruata à peccato originali; ſi Adamo
peccante peccatum Adami non infecit eã
quo ad ſuficientiam, & ſecundo quoniam
vel cùm Deus decreuit, quod volũtas Adæ
reputaretur voluntas ſuorum poſterorum
excepit Beatiſsimam virginem ab illo de-
creto, quia voluit tum propter dignitatẽ,
& merita Chriſti ipſam eligere ad perpe-
tuam ſanctitatem ſine dependentia à volũ
tate Adæ, vel non excepit eam, ſi non ex-
cepit ergo Beata virgo cùm peccauit Adã
peccauit in illo. Patet ſequela, quia tota ra
tio, propter quã nos peccauimus, eſt, quia
voluntas Adæ fuit noſtra propter illud de
cretum Dei ergo ſi etiam fuit voluntas vir
ginis ſequitur quod etiam virgo peccauit.
Si autem dicas primum ſequitur quod Bea
tiſsima virgo neque contraxerit peccatũ
ex Adam, neque vnquã habuit debitũ, aut
neceſsitatẽ contrahendi peccatũ ex ipſo,
& per conſequens quod nõ fuerit propriè
redempta per Chriſtum. Patet prima con
ſequentia, quia ſi non fuit obligata in volũ
tate Adæ, neque contraxerit peccatum ex
Adã, neque vllo modo habuit neceſsitatẽ
contrahendi, nam tota ratio huius neceſsi-
tatis in nobis eſt, quia voluntas Adæ fuit
noſtra, ex hoc enim colligimus neceſſariũ
eſſe quod ex voluntaria deordinatione
Adæ deriuetur ad nos deordinatio, ſicut
ex volũtaria deordinatione actuali alicu-
ius voluntatis relinquitur deordinatio ha
bitualis in eo, cuius eſt illa volũtas. Secũda
autẽ ſequela probatur, quia redimi à pec-
cato propriè & in rigore eſt eripi aliquo
modo ab eo, ſed quid nõ eſt in tali peccato
neque eſt ſubiectus neceſsitati incidẽdi in
ipſum, non proprie eripitur à peccato er-
go, præterea quia quamuis poſt peccatum
Adæ ſtatuiſſet Deus non redimere homi-
nes, neque liberare eos à peccato Beatiſsi-
ma virgo maneret ſola ergo de facto non
fuit redempta neque liberata per Chriſtũ.
¶Quod ſiquis reſpondeat, quòd illa præ- *Solutio.*
ſeruatio virginis ab omni peccato facta
pro-

tiæ in Beata virgine ſingularem munditiã à peccato in anima, & corpore eius poſtulauerit. Tertiò quia Beata virgo ex ſingulari conceptione Diuini verbi contraxit ſingularẽ affinitatem ad Chriſtum, quæ nõ debuit intercedere inter Chriſtũ, & perſonã, quæ aliquãdo à Diabolo victa eſſet, nã vt Paulus ait ſecũda ad Corin. 6, quę conuẽtio Chriſti ad Belial. Ex hac igitur ratione cõcludit D. Tho. Beatã virginẽ neq; mortale neque veniale vnquã comiſiſſe, vt in eã impleatur illud Cantico. 4. tota pulchra es amica mea macula non eſt in te, quod cõfirmat ex Auguſtino in lib. de natura & gratia ca. 36. vbi ſic ait, excepta itaque virgine Maria, de qua propter honorẽ domini nullã prorſus cùm de peccatis agitur, habere volo mẽtionẽ ſi oẽs ſanctos, & ſanctas cõgregare poſſemus & vere vna voce clamaſſent, ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt, ob hanc igitur rationẽ D. Thomæ ſentiũt omnes Scholaſtici Doctores Beatã virginem nullũ comiſiſſe actuale peccatum (excepto vno Gregorio Ariminenſi) qui in ſecundo ſententiarum diſt. 30. q. 2. temerè dubitat, num Beata virgo comiſerit veniale, ne propter conſequentiam Auguſtini paulò ante adductam cogatur fateri illam non contraxiſſe originale, ſi hæc igitur ratio tantum valet, ad concludendam negationẽ peccati originalis. Primo quia peccatũ originale, & ſi minus habet de ratione peccati, quàm actuale veniale, tamẽ omnino excludit gratiã, ſeparat à Deo, & ſub Diaboli poteſtatẽ redigit, quæ quidẽ venialis culpa nõ facit, Deinde quia inficit naturam, & quodammodo redũdat in corpus, veniale autẽ minimè, peccatum autem, quod naturã inficit, & redundat in corpus, magis dedecebat eã virginem, ex qua filius Dei huma..a carnẽ aſſumpturus erat, quã quod feruorem charitatis aliquã tulum remittit, quod facit veniale.

Tertia ratio. ¶ Tertia ratio eſt, perfectiſsimus Redemptor habet perfectiſsimum aliquem modũ redimendi, illumque exercere debet, ſaltim in perſona ſibi coniunctiſsima, ſi illa redemptione indigeat, atqui Chriſtus dominus eſt perfectiſsimus Redẽptor, ſiquidem copioſa eſt apud eum redemptio, perfectiſsimus autem redimendi modus eſt liberare aliquẽ à peccato, antequam illud incurrat, quod quidẽ eſt reſeruare à peccato, virgo autem Beatiſsima ex toto genere humano eſt perſona illi coniunctiſsima (quia mater,) & indigebat redemptione à peccato originali, (quia naturali generatione deſcendit à primo parente,) non eſt igitur dubium quin Chriſtus dominus illam præſeruauerit à peccato originali.

¶ Quartò. Si Beata virgo nõ eſſet immunis à peccato originali, nõ haberet gratia Chriſti in toto genere humano aliquẽ perfectũ iuſtificationis effectũ, ſiquidẽ nullus innocens eſſet iuſtificatus, cõſtat enim cæteros homines ita eſſe iuſtificatos, vt aliquando fuerint peccatores, ſed abſurdũ videtur dicere copioſiſsimã, & efficaciſsimã Chriſti gratiã in nullo iuſtificato perfectũ iuſtificationis effectũ habuiſſe, ergo videtur dicẽdũ Beatã virginẽ originale nõ cõtraxiſſe.

¶ Quintò. Decebat vt virgo Beata eã haberet puritatẽ, quã maior poſt filiũ ex cogitari non poteſt, vt docet D. Anſelmus in lib. de conceptu virginali, ſed poſt filiũ cogitari poteſt maior puritas, quã ſanctificationis in vtero, nẽpe puritas præſeruationis ab omni peccato ergo. ¶ Confirmatur, quia D. Th. hac ratione quaſi veritate ipſa cõpulſus in 2. diſt. 44. q. 1. art. 3. ad. 3. plane aſſerit virginem Beatam immunem fuiſſe ab originali, & actuali peccato.

¶ Sexto. Virgo Beata fuit exẽpta ab alijs humanis naturæ legibus quibus ſubiecta eſſe poterat abſque peccato, cõcepit enim nõ de viro, ſed ex Spiritu ſancto, virgo etiã ſinè dolore peperit, neq; eius corpus poſt mortẽ fuit corruptioni ſubiectũ cõtra leges illas Gene. 3. multiplicabo erũnas tuas, & cõceptus tuos, in dolore paries filios, & in puluerẽ reuertẽris, ergo maiori cũ ratione dicendũ eſt illã exẽptã fuiſſe à lege maledictionis, qua oẽs cõcipimur filij iræ, cui legi ſine peccato ſubiecta eſſe non potuit.

¶ Septimo. Cum aliqua quæſtio dubia eſt, illi parti adhærere debemus, cui magis fauet Romana Eccleſia, quæ mater eſt omnium Eccleſiarũ, ſed Eccleſia Romana magis fauet huic ſententiæ, ergo, probatur minor. nam Sixtus IIII. Ano Domini. 1466. inuitauit omnes Chriſti fideles ad celebrãdam feſtiuitatẽ de conceptione virginis, quæ nũc toto orbe celebratur, imò etiam illis omnibus, qui miſſæ, & Diuinis offitijs ſuo iuſſu æditis ipſo die, & per octauã interreſſent, eaſdẽ indulgentias conceſsit, quas Vrbanus IIII. & alij Pontifices Romani

con-

conceſſerant in feſto corporis Chriſti, vt patet in extrauaganti cùm præexcelſa de reliquijs, & veneratione ſanctorum.

¶ Confirmatur, quia iam non habet locum reſponſio D. Thomæ. 3. par. queſt. 27. art. 2. ad tertium dicentis Romanam Eccleſiã non celebrare feſtum cõceptionis, ſed tollerare conſuetudinem aliquarum Eccleſiarum, neque in eiuſmodi Eccleſijs celebrare ipſam conceptionem, ſed ſub nomine conceptionis celebrare ſanctificationem, quia ignorant diem ſanctificationis, non inquã habet hoc tempore locum illa reſponſio, tum quia Romana Eccleſia iam celebrat feſtum conceptionis, tũ etiam quia ſummus Pontifex in dicta extrauagante expreſsè loquitur de ipſa conceptione his verbis, dignum quin potius debitum reputamus vniuerſos Chriſti fideles, vt omnipotenti Deo de ipſius immaculatæ virginis Marię conceptione laudes, & gratias referant, & inſtituta propter id à Dei Eccleſia miſſas, & alia Diuina officia dicat, & illis, vt inter ſint, indulgentijs & peccatorum remiſsionibus inuitet, Tum etiã, quia D. Thomas, & alij ſancti ſi hoc tempore eſſent ob hanc vnam rationem hanc noſtram partem tuerentur, tantam enim vim habet hæc ratio, vt omnes Doctores dicãt ſufficiẽs argumẽtum eſſe ad probandum, quòd Beata virgo fuerit iuſtificata in vtero, quia Eccleſia celebrat feſtum Natiuitatis, ſed modo Eccleſia celebrat feſtum conceptionis ergo.

Secunda concluſio. ¶ Secunda concluſio. Neutra pars quæſtionis eſt contra fidem aut charitatem. Hæc concluſio probatur, ex proxima extrauagante, quæ incipit graue nimis, in qua idẽ Pontifex excommunicationi ſubijcit omnes, qui aſſeruerint eſſe hereticos, aut mortaliter peccare eos, qui vel negatiuam, vel affirmatiuã partem tenuerint eorumque abſolutionẽ apoſtolicæ ſedi reſeruat, quã eandem conſtitutionem, & pœnas ſancta Tridentina ſynodus innouat ſeſsione. 5. ad finem decreti de peccato originali.

Tertia concluſio. ¶ Tertia concluſio. Quamuis vtraque ſententia ſuam probabilitatem habeat, ſola tamen illa, quæ docet Beatam virginem non contraxiſſe peccatum originale, eſt prædicanda. Hanc concluſionem approbant fautores alterius partis, & ratio eſt, quia prædicatio partis affirmatiuę, nempe virginem peccatum originale contraxiſſe, eſſet contra Charitatem ratione ſcandali, daret ut enim infirmis occaſio ruinæ, primo quia eſſet cauſa multarum ſeditionũ, vt patet experientia temporis, quando vtraque pars proponebatur populo, de quibus Sixtus Quartus in præfata extrauagante vehementer conquæritur. Deinde quia eſſet cauſa, ob quam fides, & authoritas Eccleſiæ Romanæ minuerentur, fides quia daretur anſa rudibus, vt exiſtimarent in nulla cæterarum feſtiuitatum Chriſti, & Beatæ virginis celebrari certum aliquid, & indubium, cùm tamen ad inſtructionem rudium in multis celebrentur articuli fidei, de quibus non licet dubitare. Authoritas Eccleſiæ, quia daretur occaſio dubitandi de canonicatione ſanctorum, & contemnendi obſeruationes ſedis apoſtolicæ. *Obiectio.* Neque obſtat quòd prædicatio partis negatiuæ præbet etiam occaſionem rudibus, vt putent illam eſſe de fide, reſpondetur quidem minus periculum eſſe, ſi rudes exiſtiment partem negatiuam eſſe de fide, vt multi eorum putant, eſſe de fide, quòd Beata virgo immortalitate corporis fruatur, quàm ſi audientes prædicari vtramque partem incipiant de alijs certiſsimis fidei miſterijs, quæ alijs diebus celebrantur, dubitare. *Solutio.* Eſt tamẽ obiter aduertendum prædicatoribus, vt non tanta acceptione proponant populo partem negatiuam, quanta miſteria fidei proponi cõſueuerunt.

Reſpondetur argumẽtis ad primum. ¶ Reſpondetur argumentis ad primum pro contraria ſententia adductum reſpondetur, non opus eſſe expreſſa acceptione in ſcripturis, vbi illa facile intelligitur, & ita rem habere in propoſitionibus, quæ Beatiſsimam virginem ſub peccato comprehendere videntur, nam cùm Beata virgo Eccleſiæ iudicio excipiatur à communi illo pronunciato in dolore paries filios, & ab illo in puluerem reuerteris, & ab illo Matthæi vltimo apparuit primo Marię Magdalenæ, ideſt nulli priùs apparuit, tota tamen Eccleſia dicit priùs apparuiſſe Beatæ virgini, & ab illo primæ Ioãnis. 1. ſi dixerimus quod peccatũ nõ habemus, ipſi nos ſeducimus, &c. vbi loquitur de peccato actuali, etſi in tota ſcriptura non fiat expreſſa exceptio Beatæ virginis, certiſsimè tamen fatetur Eccleſia, & credit illam peccatũ actuale non habuiſſe ergo potiori ratione dicere poſſumus, & debemus illã excipi à pronunciatis, quæ poſteritatẽ totam

tã Adami in peccato conceptam eſſe aſſe-eunt, alioquin merito in nos proferretur il la Domini reprehẽſio Matthæi. 15. ad huc & vos ſine intellectu eſtis. Atque eo modo dicunt iuriſperiti, etſi ſolus princeps eſt ſolutus legibus, vxorem tamen principis intelligi exceptam ex priuilegio, etiã

Obiectio. ſi exceptio in lege nõ exprimatur. Neque obſtat ſi dicas etiam excipi poſſe Beatam virginẽ ab illis pronuntiatis, quibus Chriſtus aſſeritur omniũ Saluator, & pro omnibus paſſus. Reſpondetur negãdo ſequelã, quia illud pertinet ad perfectionem virginis, & ad perfectionẽ Chriſti.

Solutio. ¶ Poteſt aũt ſecũdo reſponderi, quòd quandocũque ſacra ſcriptura ait omnes cõcipi in peccato, & trahere peccatum ab Adamo, intelligẽdum eſſe quantum ex ipſis eſt, & ſecluſo ſubſidio Diuinæ gratiæ, ſic enim intelligitur illud Pſalm. 13. nõ eſt qui faciat bonũ, non eſt vſque ad vnum. ſcilicet niſi Deus ipſe monſtrauerit, vt docet Auguſtinus ibidem, & illud Eſai. 38. ad Ezechiam morieris tu, & non viues, ſcilicet, ſpectata qualitate morbi, & ſecluſa Diuina curatione, & illud Matthæi. 12. non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro, ſcilicet ſi malitia peccatoris ſpectetur, & extra ordinaria Dei clemẽtia remoueatur, vt D. Tho. exponit, & illud Matthæi. 26. qui occiderit gladio, gladio peribit, id eſt digni ſunt, qui gladio pereant, & illud prima ad Timoth. 6. quem nullus hominũ vidit, ſed neque videre poteſt ſcilicet ſpectatis viribus naturæ. ¶ Tertio reſpondetur quòd ille locus D. Pauli, in quo omnes peccauerunt, intelligitur quo ad ſufficientiam, & quoad debitum, ſeu quo ad neceſſitatẽ naturalẽ incurrendi peccatũ, & mortẽ, cùm Beata virgo conciperetur cum iſto debito in illo inſtanti, in quo intelligimus naturam præſupõni ad gratiam vel peccatum, quia ſubiectum præſuponitur ſaltim prius natura ad formã, quã recipit, ideò in illo priori intelligimus naturã illam cũ debito, ſiue neceſſitate incurrendi peccatum originale, & in hoc conſtat virginẽ preſeruatã fuiſſe, quia gratia præuenit peccatũ.

Solutio. ¶ Ex quo infertur Beatã virginẽ, vt dicebamus ſuprà pro aliquo instanti naturæ fuiſſe obnoxiam debito, & neceſſitati incurrendi peccatũ originale, nõ ſolũ in aliena perſona, ſed etiã in perſona propria pro illo inſtanti naturę pro quo præſuponitur ipſi gratia & peccatũ. ex eo, quia nõ poſſumus intelligere eſſe reale virginis Mariæ, ſine illa neceſſitate incurrendi peccatũ originale, ſicut non poſſumus intelligere illã, ſine eo quòd intelligamus eſſe filiam naturalem Adæ, & in illo inſtanti, in quo (poſtquam intelligimus virginem eſſe filiam naturalem Adæ,) deberemus intelligere virginem incurrere peccatum, & tale debitũ impleri, intelligimus gratia præueniri, & peccatũ nõ contrahere, alioquin videretur nõ propriè, & abſolutè indigere redẽptione, vt dicebamus ſuprà. Neque obſtat ſi di- *Obiectio.* cas Beata virgo iſto modo prius natura fuit filia Adę quàm grata Deo, ſiquidem prius natura extitit, quàm haberet gratiam, ſed Beata virgo ſimul atque fuit filia Adæ; & abſque gratia neceſſario habuit peccatum originale ergo ſaltem priùs natura habuit peccatum originale, quàm haberet gratiã, reſpondetur cum Doctore in. 3. diſt. 3. quæſtio. prima non longe à fine negando minorem, quia Beata virgo in illa priorita- *Solutio.* te naturæ, qua priùs fuit filia Adæ, quàm haberet gratiam, quemadmodum naturaliter præceſſit gratiam, ſic etiam naturaliter præceſſit peccatum, nam quemadmodum ſubiectum naturaliter præcedit formam, ſic etiam naturaliter præcedit priuationem, vt patet in oculo habente viſum, qui *Nota.* quidem naturaliter præcedit, non ſolum viſum, ſed etiam cæcitatem, alioquin ſi quatenus naturaliter præcedit viſum, eſſet cæcus in eodem inſtanti temporis eſſet videns, & cæcus, quod eſt impoſſibile. Ita in propoſito. Quod ſi arguas, Maria nõ eſt iuſta in primo inſtanti naturæ ergo in illo inſtanti eſt iniuſta vel non iuſta, patet ſequela ex Ariſtotele ſecundo perhiermenias à propoſitione de prædicato negato ad propoſitionem de prædicato infinito valet conſequentia, reſpondet Doctor ibidem illam regulam habere locũ in propoſitionibus de prædicatis ſimplicibus nõ autẽ de prędicatis cõplexis, niſi quãdo negatio cadit ſupra totũ prædicatũ, ſicut Verbi gratia non ſequitur, homo, non eſt lignum album ergo homo eſt lignum non album, ſed inferendum eſt ergo homo eſt non lignum album, de quare videnda ſunt, quæ diximus in primo diſputatione. 6. quæſtio. 6. in ſolutione ad tertium ita in propoſito in primo inſtanti non eſt iuſta, id eſt ratione ſui ergo eſt non iuſta, non ſequi-

quitur, quia neutrum illorum eſſentialiter includit: Quòd ſi arguas in primo inſtanti naturæ verè intelligitur non iuſta, reſpondetur negando Antecedens, ſed verè non intelligitur iuſta, quia abſtrahentium non eſt mendacium, Quòd ſi inferes ergo intelligitur non iuſta, iam reſponſum præbuit Doctor, dicens, quòd in primo inſtanti neque intelligitur iuſta, neque non iuſta poſitiuè, ſed tantum intelligitur filia Adami. Quod autem prædictus ſenſus ſit Germanus illius loci Diui Pauli, patet ex loco proximo citato, vbi ait ſicut per vnius delictũ &c. qui quidem hoc pacto intelligendus eſt, ſicut ſententia Dei per vnius delictum, proceſsit in omnes homines in condemnationem, ſic & eius clementia per vnius iuſtitiam, proceſsit in omnes homines in iuſtificationem vitæ, cùm igitur poſterior pars huius comparationis non ſignificet omnes homines efficaciter, ſeu reuera iuſtificari per Chriſtum, quia multi, vt infideles non iuſtificantur, ſed in Chriſto eſſet meritum ſufficientiſsimum ad omnem iuſtificationem, planè ſequitur, priorem partem non ſignificare, quòd omnes nullo excepto efficaciter, & re vera contrahant ex primo parente peccatum originale, aut quod propter illud damnentur, ſed quod omnes contrahant ex illo, debitum peccati, & damnationis, hoc igitur modo Beata virgo contraxit debitum peccati, non quod peccatum contraxerit, ſed quòd ſi gratia non præueniretur, peccatum neceſſariò contraheret, & hoc modo intelligendus eſt ille locus Diui Pauli, ergo omnes mortui ſunt, id eſt, omnes concipiuntur, cum debito mortis peccati. Et ex hoc etiam ſatis patet, quod ex eo, quod Chriſtus dicitur Saluator omnium hominum: propriè, & verè comprehenditur Beata virgo, quia non minus verè ac propriè redimitur, qui incurrit debitum ſiue neceſſitatẽ naturalẽ incurrẽdi peccatum, quàm qui iam incurrit illud. Ad illud autem Zozini Papæ reſpondetur ſimiliter, quòd nomine ſerui, & captiui per peccatum intelligit eos etiam, in quibus eſt debitum, & neceſsitas ſeruitutis peccati. Id quod perſpicuum eſt ex citata Epiſtola Auguſtini, diſputat enim ibi Diuus Auguſtinus contra Pelagianos, qui non ſolùm negabant nos contrahere ex primo parente peccatum, ſed etiam debitum peccati, & ideo dicebant non ſolùm non opus eſſe gratia mundante à peccato originali ſed neque præſeruando prædictam ſententiam nunquam fuiſſe erroneam, nam quod ſancti Doctores ita interpretabantur loca ſcripturæ, vt non exciperent Beatam virginem id propterea faciebant, quia loquebantur de lege communi & nulla habita ratione alicuius priuilegij, quo etiam pacto ſæpe dicebant omnes naſci in peccato cũ tamen ex priuilegio ſanctificati naſcantur in gratia id quod Caterinus in opuſculo citato cap. 5. rectè aduertit. Quod denique ſancti ſæpe dicunt non ſolum in cõmuni & confuſe, ſed etiã expreſſe Beatam virginem contraxiſſe originale, poteſt primum intelligi de debito peccati, nam & hoc negabant Pelagiani. Deinde non eſt hoc vniuerſè ab omnibus illis aſſertum, quin imò multi oppoſitum affirmârunt, vt videre eſt apud Caterinum cap. 8. vbi præter Auguſtinum, Ambroſium refert Hieronymum acomodantem Beatæ virgini verba illa Pſalmi. 77. eduxi eos in nube dicit nubes inquit illa non fuit in tenebris ſed ſemper in luce. Refert etiam duos ex præcipuis apoſtolis Matthæũ & Andræam prædicaſſe ex eandem ſentẽtiã ſub his verbis, ſicut primus parens conditus fuit ex terra immaculata, & nunquam maledicta, ſic etiam ſecundus qui eſt Chriſtus Dominus. Clirouæus etiam in tractatu de conceptione cap. 13. alios pleroſque pro hac ſententia ducit.

¶ Neque prætereundum eſt non ſatis fideliter ſanctos à Caietano citari pro ſua parte nam Diuus Auguſtinus in illo Pſalmo 34. non dicit Beatam virginem eſſe mortuam propter peccatum ſed propter peccatum Adæ: Neque Diuus Ambroſius ait, & in carne, quæ peccatò in matre fuerat obnoxia, ſed in carne peccato obnoxia, quod certè intelligi poteſt in remotis parentibus quamquam etiam verum poſsit eſſe ſi intelligatur in matre iuxta ſenſum ſupra explicatum, quia nos non negamus illam fuiſſe obnoxiam peccato, ſed negamus habuiſſe peccatum, & ita patet non eſſe vſquequaque certum omnes veteres ſibi perſuaſiſſe partem affirmatiuam huius quæſtionis, ex quo fit, vt non ſolum maior propoſitio ſed etiam minor negari poſsit.

¶ Ad

Ad tertiū. ¶ Ad tertium reſpondetur negando maiorem, quia non omnis, qui ſanctificatur, mundatur, nam Chriſtus Dominus, in quo nulla labes eſſe potuit, dicit ſe ſanctificatum iuxta illud Ioannis decimo, quem pater ſanctificauit, & miſit in mundum, &c. Vnde ſicut corpus duobus modis poteſt viuificari, vno cum reſuſcitatur, altero, cum primo animatur. Sic etiam anima duobus modis ſanctificari poteſt, vno cum à peccato mundatur, altero cum creatur munda à peccato per infuſionem gratiæ, & hoc poſteriori modo intelligendum eſt illud, quod de Beata virgine canit eccleſia, ſcilicet Mariam ſanctificans.

Ad quartum. ¶ Ad quartum Reſpondetur, negando ſequelam, quia non eſt eadem ratio, nam membra corporis mouentur ab anima motu vero, & quæ in illis iam exiſtentibus inhæret: at vero nos cum mouemur à primo parente motu generationis, nondum exiſtimus, neque in nobis ſuſcipimus illum motum, ſed potius ille motus terminatur ad noſtram exiſtentiam. Præterea nullum membrum corporis eſt capax gratiæ, vt in illo per infuſionem gratiæ impediatur peccatum: & tamen omnes nos cum primum concipimur, ſummus capaces gratiæ, itaque licèt motus generationis, quo Beata virgo concepta fuit, totus fuerit infectiuus prolis tamen in vltimo inſtanti illius, quo fœtus animatus eſt impedita fuit infectio prolis per infuſionem gratiæ. Aliter tamen reſpondit Caterinus vbi ſupra capit. ſeptimo. dicens, quod ſtatim à principio illius motus inchoata fuit in carne ſanctificatio virginis. Hæc tamen ſententia non placet, quia vt dictum eſt ſupra in ſemine non eſt aliqua qualitas productiua peccati diſtincta qualitatibus naturalibus à qua ſemen mundaretur. Præterea ſi aliqua ratione ſemen mūdaretur, iam non eſſet productiuum naturæ peccatoris, & certe Beata virgo non haberet debitum peccati in propria perſona, quod ſuprà impugnatum eſt, pro qua etiam videndus eſt Caiet. 3. p. q. 27. art. 2. vbi oſtendit Beatam virginem non potuiſſe ſanctificari ante animationem.

¶ Ad quintum reſpondetur, Beatam virginem perpeſſam fuiſſe pœnas corporales, non propter peccatum proprium, quod nullum habuit, ſed propter peccatum primi parentis, & propter meritum proprium, atque adeo propter conformitatem cum filio: vnde fit, vt huiuſmodi pœnæ non haberent in illa rationem pœnæ propriæ potuerūt tamen in illa habere rationem pœnæ alienæ: quia primi parentes potuerunt puniri in filijs pœna corporali, neque mirū, quia labores etiam Chriſti Domini habuerūt rationem pœnæ alienæ iuxta illud Iſaię 53. Et dolores noſtros ipſe portauit, &c. niſi quòd Chriſtus Dominus illos ſponte ſuſcepit, virgo autem ſponte ſuſtinuit. Ad illud autem, quod attinet ad clauſuram cæli. Reſpondetur illam non eſſe propriè pœnam peccati originalis: primo, quia poſt mortem Chriſti nulli hominum etiam infidelium clauſa eſt ianua cæli: & tamen pœnæ peccati originalis non videntur modo eſſe pautiores, quā anteà; dicitur non eſſe clauſam modo, ſed omnibus apertam, quantum eſt ex parte Dei, & ex merito Chriſti. Secundo, quia lymbus vbi detinebantur patres non erat locus pœnæ, ſed quietis. Tertio, quia ſequeretur ſanctiſsimos Patres in lymbo detentos non omnino abſoluiſſe expiationem peccatorum ſuorum, niſi tempore paſsionis Chriſti, hoc enim dicendum eſſet, ſi detentio illa in lymbo haberet rationem pœnæ. Quod enim expiatis omnino omnibus peccatis Patres detinebantur in lymbo vſque ad paſsionem Domini, nō fuit pœna peccati originalis, ſed quia nondum completum erat tempus ſolutionis pœnæ debitæ, ita enim determinauerat Deus, quòd licèt acceptando paſsionem Chriſti præuiſam ad remittendum culpam originalem omni credenti, & crediturо illam paſsionem: non tamen remittebat pœnam illi peccato debitam, ſcilicet carentiam viſionis Diuinæ propter paſsionem præuiſam, ſed propter ipſam exhibitam, & ideo ſicut illis patribus non patuit ianua, quouſque paſsio Chriſti fuit exhibita, ita probabile eſt, quòd neque Beatæ virgini. Hæc Doctor in tertio diſtinct. 3. quæſtione 1. litera H. Alij autem docent non eſſe pœnam peccati, ſed conditionem temporis, quia nondum completum erat tempus, quo Deus eſſentiam ſuam nobis manifeſtare decreuerit. ¶ Quòd ſi quis contra iſtos arguat, ſi genus humanū in iuſtitia originali perſtitiſſet, citiꝰ homines vidiſſent Diuinā eſſentiā, ergo ꝙ dilatata fuerat tandiu Diuinæ viſionis cōicatio cauſa fuit *Obiectio.*

ſa fuit peccatum, & ex conſequenti clauſura cæli vſque ad paſsionem Domini fuit pœna peccati. Reſpondent, primum quidem incertum eſſe quid futurum fuiſſet, ſi genus humanum in iuſtitia perſtitiſſet, ne ſcitur enim, quo tempore Deus tranſtuliſſet homines in cælum.

¶ Secundò verò reſpondent negari poſſe conſequentiam, potuit enim Deus differre communicationem ſuæ viſionis, vſque ad certum tempus, non in pœnam peccati, ſed vt ordo ſeruaretur in beatificandis hominibus, nam decreuit Deus, vt priùs beatificaretur Redemptor, quàm redempti, itaque ſi Beata virgo diſceſsiſſet, & ita ante mortem filij, deſcendiſſet quidem anima illius ad lymbum patrum, verum eſſe in loco illo non fuiſſet illi pœna vlla, neque ſenſus, neque animæ, quanuis non deſint, qui dicant pietati fidei, & rationi magis conſentaneum eſſe, vt dicamus illam deportandam fuiſſe in paradiſum terreſtrem, vt in loco illo innocentiæ deſtinato perfectam animæ & corporis beatitudinem præſtolaretur.

Solutio. ¶ Inter has igitur duas ſententias dicendum eſt, nullum inconueniens eſſe, ianuam cæli clauſam fuiſſe omnibus deſcendentibus ab Adam in pœnam peccati ipſius Adami, & ſic illa clauſura reſpiciebat peccatum Adami, vt cauſam demeritoriam, quod quànuis præterilt, remanſit tamen in acceptione Diuina, & hoc videtur dicendum in ſententia Diui Thomæ, in qua ſi Adamus non peccaret, Verbum non aſſumeret naturam humanam, & certiſsimum eſt, quod ſi non aſſumeret naturam humanā, quòd non ſpectatet Deus certum tempus, vt prius beetificaretur Redemptor, quia tunc nullus eſſet redemptor. At vero in ſententia Doctoris aſſerentis verbum aſſumere naturam humanam, etiam ſi Adamus non peccaret, vtrū ne Deus ſpectaret illud certum tempus, vt prius aſſumeretur Chriſtus in cælum, quam reliqui homines, & quando Chriſtus veniret, ſi in principio, ſi in medio temporis nobis non conſtat: dato tamen quòd ſi Adam perſtitiſſet in iuſtitia originali, imo & omnes homines fuiſſent con firmati in gratia, & quod Chriſtus Dominus prius aſſumeretur in cælum, quàm reliquis hominibus visio Diuinæ eſſentiæ communicaretur: poſſumus tamen modo dicere, quòd clauſura cæli vſque poſt paſsionem Chriſti etiam fuit in pœnam peccati originalis, non prout fuit in hoc vel illo, ſed prout fuit in natura humana neceſsitas illa cadendi in peccatum abſque remedio in ipſa natura euadendi illud: modo tamen poſt paſsionem Chriſti aperta ianua regni cælorum propter meritum Chriſti omnibus communicantibus tale meritum, qui vero in originali decedunt, in pœnam ſui peccati originalis in lymbum deſcendunt. De beata virgine dicit Doctor probabile eſſe, eſſe illi ianuam clauſam non in pœnam ſui peccati, ſed in pœnam peccati Adami. Dicit probabile, quia poteſt dici, quod reſpectu illius, tantum habuit conditionem temporis illa clauſura, & ſic detineretur ibi, vel alibi, vſque dum Chriſtus primogenitus ex mortuis cælum prius ingrederetur.

Ad ſextū. ¶ Ad ſextum dicendum eſt cum Doctore hac diſtinctione, & quæſtione, & cū Diuo Thoma tertia parte, quæſtione decimaquinta. articul. ſecundo. & quæſtione vigeſimaſeptima. articul. tertio. Dicendo in tertio diſtinctione tertia. quæſtione tertia. quod fomes peccati nihil aliud eſt, quàm habitualis inclinatio appetitus ſenſitiui contra, vel præter rationis imperium ex deſtitutione originalis iuſtitiæ relicta. Ex quo infertur, quòd fomes peccati nihil addit appetitui ſenſitiuo præter habitualem inordinationem, quam ille non habebat, dum erat originalis iuſtitiæ ſubiectus: vnde quanuis ſi homo in puribus naturalibus conditus eſſet, habuiſſet quandam inordinatam inclinationem, illa tamen non habuiſſet rationem fomitis, quia non eſſet relicta in pœnam peccati.

V. in beata virgine fuerit fomes. ¶ Vtrum tamen in Beata virgine fuerit talis fomes non ſatis conſtat inter Doctores, nam Diuus Thomas, & Durandus vbi ſupra, quos alij plerique ſequuntur affirmant in illa fuiſſe fomitem ante incarnationem: primo quidem ſolutum, nempe quandiu illa fuit in peccato originali. Deinde verò ligatum partim per gratiam iuſtificationis in vtero: partim vero ac præcipuè per prouidentiam Diuinam continuo illi aſsiſtentem, ne appetitus eius ſenſitiuus actu ferretur in aliquod malum: ligari enim eſt virtute cauſæ extrinſecè, *Prima ſententia.*

cæ, quaſi vinculo contineri, vt ait Durandus. At verò in inſtanti incarnationis, in quo illa iterum plenius fuit ſanctificata, dicunt fomitem fuiſſe omnino ſublatum eo modo, quo auferri potuit nempe quo ad inordinationem, idque per abundantiam gratiæ, & donorum ſpiritualium, redundantium, ex filio in matrem iuxta illud Ezechielis quadrageſimotertio. Ecce gloria Dei Iſrael, id eſt Chriſtus ingrediebatur per portam orientalem, id eſt, virginem Beatam, & terra (hoc eſt) caro illius ſplendebat à maieſtate eius (id eſt) non ſolùm abundantia gratiæ, ſed etiam abundantia donorũ ſpiritualium redundãtium ex filio in matrem. Quòd autem vſque ad illud inſtans non fuerit ſublatus fomes à Beata virgine probant, quia quemadmodum beatitudo nemini conceſſa fuit, quo ad animam, antequàm Chriſti anima perfecta beatitudine frueretur, quod factum eſt in inſtanti mortis, per quam pars animæ inferior deſijt ſubiecta eſſe laboribus, neque etiam quo ad corpus, antequam Chriſti corpus fieret immortale per reſurrectionem, ſic etiam nemo ante illum debuit carere fomite, ſiquidem carere illo eſt quædam inchoatio beatitudinis, in qua omnes corporales affectiones plenè ſubijcientur ſpiritui. Alij confirmant hanc ſententiam ex illis verbis Angeli, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, quod intelligunt ad auferendum omnino fomitem, vt Beata virgo maneret idonea ad ſuſceptionem Verbi diuini, quod ſuadent ex Diuo Damaſceno tertio libr. fidei orthodoxæ capit. ſecundo. vbi ait, Spiritum ſanctum ſuperueniſſe in eam, vt illam purgaret, & virtutem ſuſceptiuam verbi illi tribueret, nullam enim aliam labem purificationem illam videtur mundare potuiſſe, niſi fomitem.

Secunda ſententia. ¶ Prædicta tamen ſententia alijs non placet, primo quia ſupponit Beatam virginem aliquando fuiſſe in peccato, & ſecundo, quia etſi fieri potuit, vt illa concepta ſine peccato haberet fomitem, tum quia in baptizatis non omnino tollitur fomes per gratiæ infuſionem, tum etiam, quia cum illa non minus habuerit debitum fomitis, quàm debitum peccati, & potuit præſeruari à peccato, & non præſeruari à fomite, multò tamen probabilius eſt, illam ſtatim à principio non habuiſſe fomitem. Primo quia Doctores ideo dicunt in ea nullum fuiſſe actum malum, imo neque motum primo primum ad malum, in quo conſtat nullam prorſus eſſe culpam, quia illud erat indecens animæ illius, ſed non minus erat indecens appetitui corporali ipſius habere inclinationem ad malum, ergo.

¶ Secundò, quia ideò authores ſuperioris ſententiæ dicunt Deum ligaſſe fomitem virginis vſque ad incarnationem, ne forte exiret in actum vitioſum, ergo ſi tandem in incarnatione auferendus erat, multò decẽtius, & expeditius ꝙ ſtatim à principio ablatus fuiſſet.

¶ Tertiò, quia fomes iuxta illorum ſententiam, fuit ſublatus in inſtanti incarnationis per modum ſequelæ, prius enim natura Verbum diuinum fuit homo (vt dicunt) quàm illa eſſet munda à fomite, id enim auctoritas Ezechielis indicat, & ratio poſtulat alioquin carentia fomitis in Chriſto non præceſsiſſet ſaltem natura carentiam fomitis in matre, atque hoc dato ſequitur Verbum diuinum accepiſſe carnem humanam ex corpore adhuc infecto per fomitem, quod & abſurdum eſt, & pugnat cum illorum confirmatione, potius, ergo dicendum eſt. Beatam virginem ſtatim à principio præſeruatam fuiſſe non ſolum à peccato, ſed etiam à fomite peccati, quam ſententiam cum Marſilio in tertio quæſtione quarta, articul. primo. docent multi ex recentioribus: vnde ad rationem Diui Thomæ, & Durandi reſpondetur negando conſequentiam, quãquàm enim nemo debuit frui aliquo bono pertinente ad ſtatum comprehenſorum, antequam Chriſtus illo frueretur illud enim eſſet vera inchoatio beatitudinis, potuerunt tamen multi habere aliqua bona pertinentia ad ſtatum viatorum, cuiuſmodi eſt carentia fomitis, cum qua conſtat primos viatores conditos fuiſſe, alioquin liceret colligere neminem fuiſſe ſanctificatum, aut confirmatum in gratia ante incarnationem Chriſti, quandoquidem iſtæ ſunt quædam inchoationis beatitudinis. Neque reſponſio Diui Thomæ ſatisfàcit, dicentis non eſſe incommodum, quòd præceſſerit in alijs aliqua inchoatio beatitudinis ſecundum ſpiritum, ſed eſſe incommodum, quod præceſſerit ſecundum carnem, nam præterquam quod par eſt ratio

in vtroque inchoatione perſpicuum eſt in omnibus iuſtis dari aliquam in choactionem beatitudinis in carne, quia gratia minuit fomitem, & quò magis gratia augetur, eo magis ille minuitur, vt omnes Theologi fatentur: vnde non eſt incommodum, ſed potius rationi conſentaneũ, vt in Beata virgine, in qua fuit maior gratia quàm in Angelis, & primis parentibus nullus omnino fuerit fomes.

Ad cõfir. ¶ Ad confirmationem reſpondetur, Angelum pollicitum fuiſſe Beatæ virgini ſuperuenturum in eam Spiritum ſanctum ad illum effectum, quem illa optauerat, nempe, vt abſque virginitatis detrimento conciperet, vt patet ex antecedentibus, & conſequentibus purgatio verò illa præparatoriꝰ, de qua loquit Damaſcenus intelligenda eſt non ſecũdum carnem, ſed ſecundum mentem, vt etiam Diuus Thomas affirmat in loco citato ad tertium.

Solutio. ¶ His igitur ſic poſitis ad formam argumentis conceſſa Maiori, quæ de facto vera eſt in tota poſteritate primorum parentum, quam quam non de poſsibili, neque in primis parentibus, neganda eſt minor quia labor in acquiſitione virtutum non ſolum naſcitur ex inclinatione ad malum, cui cum moleſtia reſiſtimus, ſed etiam ex laſsitudine corporis, quod exercitatione virtutum debilitatur. Neque ita confirmatio colligit inſtitutum, quia fomes non ſolum per iuſtitiam originalem, ſed etiam per abundantiam virtutum auferri poteſt, neque etiam dubitari debet, quin abundantia gratiæ, & virtutum poſsit ſupplere vim iuſtitiæ originalis in ſubdendo appetitum ſenſitiuum imperio rationis, vt ait Diuus Thomas in loco citato, tum quia inclinatio peruerſa partis ſenſitiuæ eſt finita, quæ acretione gratiæ virtutum, & donorum Spiritus ſancti, tandem conſumi poteſt, tum etiam quia in Sanctiſsimis viris ferè illum extinctum legimus.

Ad ſeptimum. ¶ Ad ſeptimum reſpondetur conceptionem virginis abſque peccato non detrahere dignitati conceptionis Chriſti, Chriſtus enim conceptus fuit Sanctus ex ſe, & ex modo conceptionis virtute Spiritus ſancti, at vero Beata virgo ex priuilegio præſeruationis per merita Chriſti, quæ & ex ſe & ex modo conceptionis capax erat peccati.

QVÆSTIO X.

¶ Vtrùm de fide ſit, omnem hominem contrahere de facto peccatum originale.

Prima ſententia. QVAESTIO iſta proponitur diſputanda impræſentiarũ propter locum illum Diui Pauli ad Romanos quinto. Per vnum hominem peccatum intrauit in mũdum, & per peccatum mors. Nam Caietanus, quem ſequuntur aliqui ex recentioribus exiſtimant teſtimonia illa ſcripturæ non eſſe intelligenda de facto, ſed ſolum de debito, aut neceſsitate contrahendi peccatum, atque ita dicunt ex ſcriptura ſolum colligi de fide eſſe omnes deſcendentes ab Adam per naturalem propagationem contrahere peccatum, id eſt, neceſsitatem contrahendi peccatum.

Primum argum. ¶ Fundamentum iſtorum eſt, nam ita contrahitur peccatum, ſicut contrahitur mors ſed non eſt de fide, quòd omnes homines de facto contrahant mortem, ſed tantum debitum, & neceſsitatem moriendiꝫ, ergo neque de fide eſt, quòd de facto incurrant peccatum, ſed tantum neceſsitatem peccandi. Minorem probat Caietanus, & facit Stapulenſis, & Eraſmus in commentarijs, primæ ad Corinthios decimoquinto. & primæ ad Teſſalonicenſes quarto. vbi Diuus Paulus ſic ait, mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi, deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis obuiam Chriſto in aera &c. vbi Paulus induens perſonam iuſtorum, qui dum adhuc viuunt cum Chriſtus ad iudicandum venerit, planè videtur ſignificare illos non eſſe morituros.

Cõfirm. 1. ¶ Confirmatur primo, quia iuxta prædicationem Petri Actorum decimo. Chriſtus conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum, & mortuorum, quod certè ad diem iudicij referendum eſt, vt patet ex omnibus ſymbolis Apoſtolorum Nizeno, & Athanaſio. Et ſecundo, quia adueniente Chriſto ad iudicium, & igne conflagrationis, qui illum præcedet purgantem mundũ, multi erunt Sancti, qui nulla purgatione indigebunt, quos certè dicere torquendos eſſe ab igne, videt̃ eſſe præter iuſtitiã & rationẽ, ergo non eſt de fide omnes homines

mines morituros eſſe, ſed eodem modo loquitur Diuus Paulus de peccaro ſicuti de morte, ergo neque eſt de fide quod omnes de facto contrahanr peccatum originale.

Secundum argum. ¶ Secundo Diuus Thom. prima ſecundæ, quæſtione 81. articul. terrio. in ſolutione ad primum, quanuis doceat omnes de facto morituros, dicit tamen illud eſſe probabilius, ergo oppoſitum huius ſenrit probabile.

1. Notab. Confirmatur, quia primæ ad Corinthios 15. vbi nos legimus, omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur, iuxta Siriacam lectionem dicitur, non omnes obdormiemus, omnes autem immutabimur, & aliqui dicũt de Helia, & Enoch, quod reſeruantur viui, neque vnquam morituri, ergo ſicut non eſt de fide omnes morituros de facto, ira non erit de fide omnes peccaſſe de facto peccatum originale. Terrio, nam ſi de fide eſſet, omnes de facto contraxiſſe peccatum originale, ergo de fide eſt Beatiſsimam virginem de facto contraxiſſe peccatum originale, ſed conſequens non eſt de fide ergo neque antecedens.

Secunda ſententia. ¶ Secunda ſententia communis eſt apud omnes Doctores, quam docet Doctor in fine quarti ſenrent. & Diuus Thomas, prima ſecundæ, quæſtione 81. articul. rertio. ad primum. & in additionibus ad tertiam partem, quæſtione 78. articul. 1. pro

1. Notab. cuius explicatione eſt primo notandum quòd iuxta determinationem Concil. Tridentini ſeſsione 4. in decreto de editione, & vſu ſacrorum librorum, ſic habetur inſuper eadem Sacroſancta Synodus conſiderans non parum vtilitatis accedere poſſe eccleſiæ Dei ſi ex omnibus latinis editionibus, quæ circunferuntur ſacrorum librorum, quæ pro authentica habenda ſit innoteſcar, ſtatuit & declatat, vt hac ipſa vetus & Vulgata editio, quæ longo tot ſeculorum vſu in ipſa Eccleſia probataeſt in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus & expoſitionibus pro authentica habeatur, & vt nemo illam reijcere quouis prætextu audeat vel præſumat.

2. Notab. ¶ Secundo eſt notandum maximam eſſe differentiam inter peccatum, & mortem, nam peccatum originale propriam induit rationem culpæ, at vero mors tantum induit rationem pœnæ, ex quo prouenit, quod ſi aliquo priuilegio particulari (vt de Beata virgine dictum eſt) non ſit aliquis præſeruatus à contractione peccati, implicat eſſe filium Adami, & non incurriſſe, non ſolum debitum eadendi in peccatum, ſed etiam ipſum peccatum, quia cum voluntas illius ſit obligata in voluntate Adami, actio Adami neceſſario debet illi imputari. At verò, quia mors eſt pœna peccati, ideò ſatis eſt ad explicationem loci Diui Pauli, quòd intelligatur de neceſsi tate moriendi, quoniam ſic ſufficienrer verificarur, quod occaſione peccati intrauit mors, illo ſalrim modo, quo dicitur quis incurrere pœnam propter delictum, quod actu committit, quanuis de facto illam non patiatur, hoc tamen non poteſt de peccato verificari, & quia oppoſitum eſt à Concilijs declararum, & quia non videtur, quòd propriè dicatur, aliquem contrahere peccatum originale, ex eo quod contraxerit debitum, & neceſsirarem cadendi in peccato originali, quia non propriè diceret quis, Beatam virginem contraxiſſe peccatum originale in opinione noſtra, propriè tamen loqueretur, ſi diceret ipſam contraxiſſe neceſsitatem, & debitum contrahendi peccatum originale.

¶ Prima concluſio. De fide eſt omnes homines contraxiſſe peccatum originale (excepta virgine Maria) de facto, & non ſolum de debito. *Prima concluſio.* Hæc concluſio probatur primo, quia ſecundum diffinitiones Conciliorum peccato Adæ peccatores conſtituti ſunt omnes, nam in Concilio Mileuitano capit. 2. dicitur de hoc peccato originali intelligendum eſſe locum illum Diui Pauli, in quo omnes peccauerunt, & quòd Eccleſia Catholica ſemper illud ita intellexerit, & in quodam Concilio Africano congregato contra hæreſim Pelagianam, quod habetur Tomo primo Conciliorum capit. 77. & in Concilio Arauſicano capit. primo, & ſecundo. Et expreſsè in Concilio Tridenrino, ſeſsione quinta, in decreto de peccato originali vbi Canone vltimo, ſic ait; declarar tamen hæc Sancta Synodus nõ eſſe ſuæ intentiõis cõprehẽdere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur Beatam, & immaculatã virginẽ Mariam Dei genitricem &c. ſed non excepit illam ab obligatione, vel debito contrahendi peccatum, vt diximus quæſtione *1. Ratio.*

præcedente contra Catherinum, ergo excepit illam ab actuali contractione, & per conſequens decretum illud Concilij Tridentini intelligendum eſt de actuali contractione. ¶ Confirmatur, nam de fide eſt omnes paruulos indigere baptiſmo ad remiſsionem peccati originalis, iuxta illud Ioannis tertio. Niſi quis renatus fuerit, & habetur in eadem ſeſsione & decreto canone 4. ſub his verbis, ſi quis paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, etiam ſi fuerint à baptizatis parentibus orti, aut dicit in remiſsionem quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro neceſſe ſit expiari ad vitam æternam conſequendam, vnde ſit conſequens, vt in eis forma baptiſmatis in remiſsionem peccatorum non verè ſed falſè intelligatur, Anathema ſit, quoniam non aliter intelligendum eſt id, quod dixit Apoſtolus per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt. niſi quemadmodum eccleſia Catholica, vbique diffuſa ſemper intellexit.

Cõfirm. 1.

Secunda concluſio. ¶ Secunda concluſio. Non eſt probabile quod non omnes morientur de facto. Hæc concluſio probatur cõtra Caietanum. Primo ex Dino Auguſtino 2. de ciuitate Dei. cap. 10. & Diuus Hieronymus epiſt. 152. ad Minerium, & Alexandrum, vbi citat aliquos antiquiores, & communis turba doctorum, vt habetur in lib. de eccleſiaſticis dogmatib. c. 7. id tenẽt & probatur ex illo D. Pauli 1. ad Corinth. 15. omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur, quare non ſunt audiendi in hac parte Caietanus, & alij qui dicũt Græcum codicem habere hoc pacto, non omnes quidem dormiemus, ſed omnes immutabimur, nam vt diximus ex Concilio Tridentino, vulgata editio in omnibus tenenda eſt, tum etiam quia ſi de veritate Græci codicis agitur, aſſerit Acazius epiſcopus quidam Cæſareæ apud Hieronymum, vt refert Cano lib. ſecundo de locis capit. 14. in pluribus exemplaribus locis noſtram haberi lectionem, quam oppoſitam. Secũdo quia in ſymbolo Athanaſij ab Eccleſia approbato ſic legitur, ad cuius aduentum omnes homines reſurgere habẽt cum corporibus ſuis. Et tertio quia ſi lege illa, qua

1. Ratio.

Paulus ait ad Hebræos nono. ſtatutum eſſe hominibus ſemel mori, excipiendus eſſet aliquis maximè eſſet Beata virgo, quã tenet eccleſia mortem obijſſe ergo.

Reſp. arg. ad primũ. ¶ Reſpondetur argumentis ad primum negando paritatem rationis, nam non eſt eadem ratio de peccato, & de pœna peccati, & ſecundo quia de peccato definitum eſt in Concilio Tridentino, & tertio quod iuxta illud ad Hebræos nono. ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, Poteſt dici, etiam eſſe de fide omnes homines de facto morituros eſſe: & quamuis non eſſet hoc ita de fide, non poteſt tamen dubitari de peccato originali.

¶ Secundo reſpondetur Paulum ſolum aſſerere non ituros obuiam Chriſto antequã alij defuncti reſurgant, vt ſimul cum illis aſcendant, quod tamen fatemur, non verò omnes iuſti ſimul aſcendent, niſi viuentes prius moriantur per ignem conflagrationis, qui adueniente Chriſto ſubito excitabitur, & cum alijs iam mortuis ſimul reſurgent.

Ad ſecundum. ¶ Ad ſecũdum reſpondetur Chriſtum venturum eſſe iudicare viuos & mortuos, ſed vt Diuus Thomas ait non eſt referendum ad illud tempus, in quo fiet iudicium, taliter quod ſenſus ſit, qui pro illo fuerint viui, & qui fuerint mortui iudicabuntur, ſed referenda ſunt verba illa ad tempus illud, in quo immediatè ſigna Chriſti aduentantis apparebunt, cuiuſmodi erunt incendiũ illud extremum, nam ad idem tempus referendum eſt, quod Dominus ait Lucę 18. Verum tamen filius hominis veniens putãs inueniet fidem in terra? Quaſi dicat inueniet pauciſsimos iuſtos in magna iniuſtorum multitudine. ¶ Ad tertiam confirmationem reſpondetur primo, cum Dominico de Soto in 4. diſt. 48. art. 2. qui exiſtimat omnes iuſtos, quos incendium inuenerit, torquẽdos eſſe ab igne etiam ſi nihil habeant purgandum, quæ ſententia nõ nihil crudelitatis habet. ¶ Quare aliter reſpõdetur cum D. Auguſtino lib. 20. de ciuit. cap. 18. illos non eſſe lædendos ab igne conflagrationis, quod videtur conſentaneũ ſcripturæ iuxta illud Pſalmi 96. vbi dicitur ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius, non dicit omnes, ſed inimicos tantum, & Sapientiæ 5. armauit creaturam ad vltionem inimicorum. Tertio tamen reſpõdetur cum Dino

Ad tertiã confirm.

Thom.

Thoma in additionib. ad 3. partem. q. 78. vbi ait, quòd ignis ille quatenus aget virtu te naturali, omnes reſoluet in cineres, vt impleatur lex illa in puluerem reuerteris, quatenus verò aget, vt inſtrumētū diuinæ iuſtitię incipiet torquere pœna ęterna ma los, bonos autē in quibus aliquid purgādū fuerit, ſecundum menſuram debiti aliqua pœna excruciabit his verò, in quibus nihil purgandum fuerit, nullam omnino pœnā infliget, additque hoc pacto omnes ſubito ſimul eſſe reſurrecturos iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. 15. in momento in ictu ocu li quod autem Auguſtinus aſſerit ignem conflagrationis non læſurum iuſtos intel ligendum eſt, poſt reſurrectionē, cum iam corpora illorum erunt immortalia. Putat enim incendium illud non ante, ſed poſt reſurrectionem excitandum eſſe, quam quam nō opinatiuè, ſed aſſertiuè id dicat, vt D. Thom. aduertit, quo etiam pacto loquitur, cum ait iuſtos adhuc viuentes morituros, & reſurrecturos, cum aſcendent obuiam Chriſto, vt ſatis patet ex loco citato. ¶Ad ſecundum reſpondetur nō eſſe eandem rationem de peccato, & morte, vt diximus ſupra, & ad confirmationes ex illis locis Pauli reſponſum in ſolutione ad primum. *Ad ſecundum.*

¶Ad tertium reſpondetur negando ſequelam, & ad probationem dicitur nō eſſe nouum, vt aduertit Martinez lib. 3. Hipotepoſeon capit. 3. ex propoſitionibus vniuerſalibus ſcripturæ aliquas ſingulares excipere, quod multis exemplis probat, & confirmat. *Ad tertiũ*

DISPVTATIO XXV.

DE PECCATO ORIGINALI quantum ad ſuam eſſentiam. Continet tres Quæſtiones.

Prima. Vtrum peccatum originale ſit concupiſcentia.

¶*Secunda. Vtrum concupiſcentia ſit materiale peccati originalis.*

¶*Tertia. Vtrum formalis ratio peccati originalis ſit carentia iuſtitiæ.*

TEXTVS.

Etſi obijcitur, quòd aliqui ſancti videntur dicere concupiſcentiam eſſe peccatum originale, reſpondeo concupiſcentia poteſt accipi, vel prout eſt actus, vel habitus, vel pronitas in appetitu ſenſitiuo, & nullum iſtorū eſt formaliter peccatum, quia non eſt peccatū in parte ſenſitiua ſecundum ipſum cap. 3. & 4. vel poteſt accipi prout eſt pronitas in appetitu rationali, id eſt in voluntate ad concupiſcendum delectabilia immoderatè, quæ nata eſt condelectari appetitui ſenſitiuo, cui coniungitur, & hoc modo concupiſcentia eſt materiale peccati originalis, quia per carentiā iuſtitiæ originalis, quæ erat ſicut frænum cohibens ipſam ab immoderata delectatione, ipſa (non poſitiuè, ſed per priuationem) fit prona ad concupiſcendum immoderatè delectabilia, ſicut exēplificat capi. 5. de naui fracto gubernaculo, & de equo fracto fræno, qui dimittitur ſibi, & ex hoc exequitur motum inordinatum, quem cohiberet illud frænum. Sic ad propoſitum. Diſtinctione trigeſimaſecunda. quæſtione vnica, litera B.

EXPLICATIO LITERÆ.

Poſtquàm in præcedenti diſputatione actum eſt de peccato originali quantum ad quæſtionem, an ſit in præſenti diſputatione, agendum eſt de eodem peccato originali quātum ad quæſtionē quid ſit? in qua quæſtione & docet Doctor iuxta ſententiam Diui Anſelmi, concupiſcentiam dupliciter poſſe accipi vno modo, vt dicit actum vel habitum appetitus ſenſitiui, ſiue pronitatem ad delectandum in obiecto ſenſibili. Secundo modo, vt talis pronitas ponitur in voluntate, prout coniun-

cta appetitui ſenſitiuo maximè delectatur in obiecto ſenſibili. Quo poſito docet Doctor, originale peccatum non eſſe concupiſcentiam illam, quæ in appetitu ſenſitiuo reperitur, quia ſecundum Anſelmum peccatum non ſubiectatur niſi in voluntate. Secundo docet concupiſcentiam, quæ in volũtate reperitur eſſe materiale ipſius peccati originalis. vt autem prædicta litera, & doctoris doctrina facilius intelligatur, ſit quæſtio prima.

QVÆSTIO I.

¶ *Vtrùm peccatum originale ſit concupiſcentia.*

Prima ſententia. hæreticorum. DE hac re eſt prima ſententia hæreticorum noſtri temporis, qui omnes ſibi perſuadent peccatum originale in nobis nihil aliud eſſe, quàm appetitum ſenſitiuum, quatenus inclinat contra imperium rationis, quod quidem ab omnibus voca-

1. Ratio. tur concupiſcentia. ¶Ex quo inferunt peccatum originale verè & propriè manere in baptizatis, licet illis non imputetur, quod patet ex articulo ſecundo & tertio aſſertionum Luteri ad Leonem 10. Quam ſuam hæreticam ſententiam probant primo ex illo ad Romanos 7. vbi dicit Diuus Paulus: concupiſcentiam neſciebam (ſcilicet eſſe peccatum) niſi lex diceret, nõ concupiſces. Item ſi autem quod nolo malum, illud facio, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum (ſcilicet concupiſcentia) in quo etiam capite ſæpe Paulus vocat concupiſcentiam legem peccati, quia (vt aiunt) non ſolum eſt peccatum, ſed etiam ad peccatum inclinat, eodemq; modo affirmat eſſe in carne, modo in membris, vt perſpicuum relinquat peccatũ originale, nihil aliud eſſe quàm appetitũ ſenſitiuum, quatenus ad malũ inclinat, & propter hoc appellatur communiter concupiſcentia lex carnis, languor naturæ, & fo-

2. Ratio. mes. ¶ Secundo ex prima Ioannis ſi dixerimus, quod peccatum non habemus, &c. ſed tale peccatum non poteſt aliud poni in nobis præter concupiſcentiam illam, ergo. ¶Tertio ex illo Pſalmi 31. Beati quo-

3. Ratio. rum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum, &c. ergo remitti peccata nihil aliud eſt, quam tegi, & non imputari ad culpam, ſed nihil nobis remittitur, niſi peccatũ originale, ergo peccatum originale nihil aliud eſt, quam appetitus ſenſitiuus nõ imputatus ad culpã. ¶Confirmatur ex dicto gloſſę ad Rom. 4. *Confirm.* explicans prædictum verſum, Beati quorum. vbi dicit quod concupiſcentia, vel concupiſcibilitas, quæ dicitur fomes peccati ante baptiſmũ culpa eſt, & pœna. poſt baptiſmum autem pœna eſt, & non culpa, ſed ante baptiſmum non eſt peccatum, niſi concupiſcentiæ, quia poſt baptiſmum nõ eſt pœna peccati niſi cõcupiſcentia, ergo. ¶ Quintò pbatur ex D. Auguſtino lib. 1. de nuptijs & cõcupiſcentia cap. 5. vbi dicit ſi autem quæritur, quomodo iſta concupiſcentia carnis maneat in regenerato, in quo vniuerſorum facta eſt remiſsio peccatorum, reſpondet quòd dimittitur concupiſcentia in baptiſmo non vt non ſit (ſcilicet peccatum) ſed vt in peccatum non imputetur, & lib 6. contra Iulianum capit. 3. vocat concupiſcentiam carnis, & peccatũ & pœnam peccati, & cauſam peccati, & lib. 9. contra Iulianum cap. 28. ſic ait, Ego tanquam valetudinem malam ex origine vitiata ingenitum homini eſſe dico vitiũ, quo caro concupiſcit aduerſus ſpiritum. Et de eodem paulò poſt ſubdit, ex iſto & cum iſto homo hominis malus naſceretur homo, quod malum per ſe ipſum tam magnum eſt, & ad hominis damnationem, atque à regno Dei ſeparatione tantum habet obligationis, vt etiam ſi de parentibus regeneratis trahatur, non niſi quemadmodum in illis ſola regeneratione ſoluatur, atque hoc vno remedio præpoſitus mortis à morte pellatur. ¶Item primo retractationũ cap. 15, reatus in baptiſmate ſoluit, ſed infirmitas manet. ¶Secunda ſententiã de- *Secunda ſententia.* fendit Gregorius in ſecundo, diſt. 30. q. 1. arti. 2. quæ ferè eſt eadẽ cum præcedente. ¶ Tertia ſententia, eſt aliorum aſſerentiũ *Tertia ſententia.* peccatum originale eſſe morbidam quandam qualitatem in corpore exiſtẽrem, ex qua inclinatio oritur, & concupiſcentia, quæ in primo parente effecta fuit ex vi de ordinationis ſuæ voluntatis, deriuari autẽ ad nos per ſemẽ infectum. Hanc ſententiã tenet Henrricus quotlibeto. 5. quæſt. 21. Pro qua videndus eſt Gabriel in ſecundo Diuus Thomas quæſtione ſecunda. artic. tertio. ad tertium.

¶Quarta

Quarta ſententia. ¶ Quarta ſententia, eſt Durandi in tertio
diſtinct. 3. quæſt. 3. num. 6. qui aſſerit in-
1. Notan. clinationem illam reſultantem ex pecca-
to non eſſe qualitatem ſuperadditam qua
litatibus naturæ humanæ, ſed eſſe habitua
lem inclinationẽ appetitus ſenſitiui, qua-
lis eſſet in homine conſtituto in puris na-
turalibus, quæ interdum eſt maior, inter-
dum minor iuxta diuerſam corporis diſ-
poſitionem.

¶ Vltima ſententia, eſt Doctoris, pro cu-
ius explicatione, & quæſtionis eſt primo
notandum, quòd peccatum originale ſicu-
ti, & peccatum habituale habet ſuum ma-
teriale, & ſuum formale, materiale eſt con
cupiſcentia, formale autem eſt carentia iu
ſtitiæ, de quibus omnibus quæſtio. ſequen
ti, vnde peccatum originale, neque eſt cõ-
cupiſcentia ſolum, neque eſt carentia ſo-
lùm, ſed concupiſcentia, quatenus dicit in
trinſicè carentiam iuſtitiæ originalis. Vt
autem ſententia Hæreticorum apertius re
Prima conclusio. futetur ſit. Prima concluſio.

¶ Prima concluſio. Concupiſcentia poſt
Prima ratio. baptiſmum non eſt vere peccatum. Pro-
batur concluſio, nam per baptiſmum verè
tollitur peccatum, ergo concupiſcentia,
quæ manet poſt baptiſmum non eſt verè
peccatum, Antecedens patet, nam per ba-
ptiſmum confertur gratia, & eſt in inſtru-
mentum virtutis, diuinæ, per quod Chri-
ſtus tollit peccata mundi iuxta illud Ioan.
1. Ecce qui tollit peccata mũdi, ſeu, vt Græ
cè habetur, peccatum mundi, quod maxi-
mè intelligitur dictum de originali, id au-
tem potiſsimum dixit tempore quo bapti
zabat in Iordane, vt ſignificaret ſuum ba-
ptiſma non tollere peccata, ſed id reſerua-
ri baptiſmo Chriſti futuro, quòd planè de
clarauit, cùm dixit, vt habetur Matthæi.
3. ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto,
Secunda ratio. & igne. ¶ Secundò, quia ſi per baptiſmum
non verè tolleretur peccatum, ſed ſolũ nõ
imputaretur, non verè liberarentur homi
nes à peccato per baptiſmum, ſed reputa-
rentur liberati, neq; verè efficerentur filij
Dei adoptiui, neque verè eſſent dilecti à
Deo, ſed tantum nominarentur, ſiquidem
Deus neceſſario habet odio iniquos, quan
diu iniqui ſunt, quod eſt contra illud Ioan
nis 8. Si vos filius liberauerit, verè liberi
eritis, & 1. Ioan. cap. 3. Videte qualẽ cha
Prima ratio. ritatem dedit nobis pater, vt filij Dei no-
minemur, & ſimus. ¶ Tertiò, quia ſequere
tur baptizatos non verè eſſe mortuos, &
ſepultos peccato, neque verè reſurrexiſſe
à peccato, quod eſt contra D. Paul. ad Ro-
man. 6. Vbi dicit conſepulti enim ſumus
cum illo per baptiſmũ in mortem, vt quẽ-
admodum ille reſurrexit per gloriam pa-
tris, ita & nos in nouitate vitæ ambulem⁹,
ergo quemadmodum Chriſtus verè reſur
rexit deſtructa morte, & non ſolũ non im
putata, ſic etiam nos per baptiſmum verè
reſurgemus deſtructo peccato, & non ſo-
lũ non imputato. ¶ Quartò. Quia ſequere *Quarta ratio.*
tur aliquid eſſe in baptizatis dignum dam
natione, quod negat Paulus ad Roman. 8.
dicens, nihil ergo damnationis eſt his, qui
ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundũ car-
nem ambulant, id eſt, qui non ſequuntur
motũ concupiſcentiæ, vbi plane dicit nul-
lum eſſe peccatum in ipſa concupiſcentia,
ſed in obediendo ipſi concupiſcentiæ.

¶ Quintò. Quia plus poteſt gratia Chriſti *Quinta ratio.*
per baptiſmum, ſiue regenerationem, quã
peccatum Adami per generationem, iux-
ta illud Pauli ad Roma. 5. non ſicut delictũ
ita & donum, ſed peccatum Adami, non ſo
lùm efficit, vt geniti ab illo rdputẽtur pec
catores, ſed vt re vera ſint, ergo regenerati
à Chriſto non ſolũ reputabuntur iuſti, ſed
erũt. ¶ Vltimò probatur ex dictis ſancto- *Vltima ratio.*
rum D. Auguſt. lib. 5. contra duas Epiſtol.
Pelagianorum cap. 12. D. Cypria. in ſerm.
de ablutione pedum, de qua re vidẽdus eſt
Soto lib. 1. de Natura & Gratia cap. 11. &
12. tandem concluſio noſtra diffinita eſt,
in Concilio Trident. Seſsio. 5. Canone. 5.

¶ Secunda Concluſio. Concupiſcentia an *Secunda conclu.*
te baptiſmum non eſt verè peccatum. Hæc
concluſio communis eſt omnibus Catho- *Prima ratio.*
licis, & probatur, concupiſcentia non eſt
verè peccatum poſt baptiſmum, ergo ne-
que ante baptiſmum, patet ſequela, quia
concupiſcentia ſemper eodem modo incli
nat ad peccatum, neque hæretici poſſunt
hanc conſequentiam negare, quia illi ſic ar
gumentantur: concupiſcentia eſt peccatũ
ante baptiſmum, ergo & poſt baptiſmum.
Maior tamen probatur ex definitione Cõ
cilij Tridentini Seſsio. 5. in Decreto de pec
cato originali dicentis hanc concupiſcen
ciam, quam aliquando Apoſtolus appellat
peccatum, ſancta Synodus declarat Eccle-
ſiam Catholicam nunquã intellexiſſe pec
catum appellari, quod verè, & propriè in
rennatis peccatum ſit, ſed quia ex pecca-

 ro eſt

to eſt,& ad peccatum inclinat, ſiquis autē contrarium ſenſerit,anathema ſit.

2. Ratio. ¶ Secundò. Si habitualis concupiſcentia, de qua loquimur eſſet aliquando verè & propriè peccatum,potiore ratione omnis actualis concupiſcentia peccatum eſſet, ſi quidem vnuſquiſq; tentatur,& inclinatur ad malum à concupiſcentia ſua actuali,ſed talis concupiſcentia non eſt peccatum vſque dum conceperit iuxta illud Iacobi. 1. cōcupiſcentia cum cōceperit parit pecca tū,ergo. *3. Ratio.* ¶ Tertiò. Si homo eſſet cōdit⁹ in puris naturalibus haberet eādem cōcupiſcentiam, qualis ineſt nobis ante baptiſmū ſed in puris naturalibus non eſſet peccatū homini, quia eſſet naturalis ipſi homini, conſequens rationem ſuæ naturæ, ergo.

1. Obiecti. Quòd ſi arguas inclinatio contra Imperiū rationis eſt cōtra naturam humanam,quæ rationalis eſt,vt docet D. Tho. 1. 2. quæſt. 71. arti. 2. & quæſt. 82. arti. 1. ad. 1. Sed cō cupiſcentia iſta eſt inclinatio contra Impe rium rationis,ergo. *Solutio.* Reſpondetur,quòd ta lis inclinatio contra Imperium rationis, & ſi ſit contra naturam rationalem,non ta men eſſet contra naturam ſenſitiuam,quæ etiam pertinet ad conſtitutionem naturæ humanæ,& hoc ſatis eſt,vt dicatur natura lis,ideſt,non reddentitia per peccatum,prę ſertim cùm plures homines ſint,qui naturā ſenſitiuam, potiùs quā rationalē ſequantur,& ita ſi homo in puris naturalibus cō deretur,plures eſſent,qui inclinationē na turę ſenſitiuę, potiùs quā rationalis ſequerētur.

2. Obiecti. Neq; obſtat ſecundo,ꝙ concupiſcē tia talis eſt languor naturæ humanæ, & in firmitas illius, & per cōſequens nō poteſt *Solutio.* eſſe naturalis ipſi naturæ humanæ. ¶ Reſpondetur enim concupiſcētiam reſpectu hominis in puris naturalibus conditi eſſe conditionem illius,& non languorem, at verò reſpectu naturæ integræ qualis à Deo condita eſt,dicitur languor, & infirmitas illius:

1. Corola. Ex quo infertur naturam noſtram cōſideratam ſecundū ſe, & in puris naturalibus non eſſe perfectam & completam,ſed quodammodo inchoatam, & imperfectam, quia conſtat duabus partibus, quarum inferior non plenè obedit ſuperiori, imò plus repugnat, quàm obediat, vt ſatis infœliciter in nobis experimur, quam tamen imperfectionem in nulla alia recernimus, quo artificio vſus eſt Deus optimus maximus,vt omnes intelligerēt, quautum ſibi opus eſſet,nō ſolùm ad obediendum diuinæ legi, ſed etiam rationi, à qua habent,vt ſint homines, atque ita humiliarētur,ac eius auxilium aſsiduè implorarent,de qua re videnda eſt egregria meditatio Caietani. t. 2. quæſtio. 71. artic. 2.

2. Corolar. Ex quo infertur ſecundo cum D. Tho. 4. contra gentes cap. 52. ex hac naturæ noſtræ imperfectione(ſuppoſita tamen diuina prouidentia, quam non eſt credendum cōdidiſſe hominem cum hac imperfectione,ſed ſupletur per auxilium ſupernaturale, quod deeſt ipſi naturæ in ſe conſideratæ)ſatis probabili ratione naturali colligi poſſe,totum genus humanum aliquo pec cato infectū eſſe, in cuius pœnam non ſolum inter omnes creaturas tam inferiores, quam ſuperiores hac imperfectione veluti ægritudine laboremus,præſertim, cùm naturali etiam ratione intelligamus totū hunc mundum propter noſtram indigentiam ſuplendam conditum eſſe.

Reſpondetur argumentis hæreticorum. Ad primū. ¶ Reſpondetur modo ad argumenta hæreticorum, ad primum dicendum eſt, Paulum in loco citato,(cum ait ſe neſciuiſſe concupiſcentiam eſſe peccatum,niſi lex diceret) inducere perſonam hominis Gentilis ignorantis peccatū,quatenus eſt offenſa Dei,& punienda pœna ęterna, neq; loqui de cōcupiſcētia habituali,ſed ſolū de actuali,& volūtaria,hæc enim ſola prohibetur lege, quia ſola eſt in noſtra poteſtate. Cū autē dicit, ſed ꝙ habitat in me peccatum loqui quidē de concupiſcentia habituali, ſed tamen nō alia de cauſa eam vocaſſe peccatum, quàm vt docet Concilium,quia à peccato eſt, & ad peccatum inclinat,quo pacto Chriſtus Dñs Luc. 16. vocat diuitias mammona ini quitatis,& iniquū mãmona, quia vel iniquē cōparātur, vel ad iniquitatē inclinār. Illū ſenſum Cōcilij ſequuti ſunt Patres,vt D. Aug. lib. 1. de Nuptijs cap. 25. videndus eſt li. 1. cōtra duas Epiſt. Pelagianorū cap. 13. & li. 2. ca. 22. & li. 2. de peccatorū meri tis ca. 9. lib. 6. cōtra Iulia. ca. 6. & li. 1. retra ctationū ca. 15. vbi probat ex profeſſo in ſcriptura quædam vocari peccata, quæ re vera peccata nō ſunt, ſed hoc nomine per tropum,& figuram appellantur,vt cōſtat de Chriſto ad Roma. 8. & 1. ad Corint. 15. qui pro nobis factū eſt peccatum, & male dictum,de qua re legendus eſt etiam libr. 3. contra duas Epiſtolas Pelagianorum, & tractatu. 41. in Ioannē D. Ambr. ſuper illa

illa verba ad Roman. 7. ſed quod habitat in me peccatum ideo, inquit, concupiſcentia peccatum dicitur, quia eſt à peccato Adami. *Nota hoc.* Vnde vt optime aduertit Adamus communis loquutio eſt, vt effectus nomine ſuæ cauſæ nuncupetur, vnde loquutionem expertam, & expeditam, quandoq; linguam appellamus, & ſcriptura vel imago quandoque manus ſcriptoris, vel pictoris appellatur ita, quia cauſa fomitis fuit peccatum, ideo fomes peccatum nomine ſuæ cauſæ nuncupatur.

Ad ſecundum. ¶ Ad ſecundum reſpondetur, locum illum non eſſe intelligendum niſi de actualibus peccatis, quia Ioannes loquitur etiam de iuſtis, quibus non ſolum originale, ſed etiã omnia actualia mortalia remiſſa ſunt, non ita tamen intelligendum eſt, neminem carere peccato, quaſi continuò, & ſine vlla intermiſsione ſimus in peccato, (vt hæretici putant) ſed quia in multis offendimus omnes, vt dicitur Iacobi. 3. vidẽdus eſt D. Auguſtinus in Enchiridione cap. 64.

Ad tertium. ¶ Ad tertium reſpondetur. Peccata, quæ ibi dicũtur tegi, & non imputari, alibi etiã dicit deleri, & auferri, vt cũ idem Propheta ait Pſal. 50. dele iniquitatem meam, & 1. Ioannis. 3. ille apparuit, vt peccata noſtra tolleret; imo propterea peccata dicuntur tegi, & non imputari, quia reuera tolluntur. Pro quo eſt aduertendum, & pro intelligentia D. Augu. ex cuius potiſsimũ teſtimonijs nos decipere conantur hæretici, quod apud illum idem omnino ſignificat, hominem non eſſe reum alicuius peccati, & illum non habere tale peccatum, & ſimiliter idem etiam eſt, quod homini peccatum, aut eius reatus non imputetur, & quod tale peccatum prorſus nõ habeatur, vnde cũ lib. 1. de nuptijs cap. 26. inquit, in eis, ergo qui regenerantur, in Chriſto, cũ remiſsionem accipiunt prorſus omnium peccatorum neceſſe eſt, vt reatus etiam huius licet adhuc manentis concupiſcentiæ remittatur, vt in peccatum (ſicut dixi) non imputetur, nam ſicut eorum peccatorũ; quæ manere nõ poſſunt quoniã cum fiunt prætereunt, reatus tamen manet, & niſi remittatur in æternũ manebit, ſic illius concupiſcẽtia quando remittitur peccatũ aufertur. Non eſt autẽ intelligendus Aug. (vt hæretici volunt) ita, vt reatum peccati originalis ſit idem, quod ipſum peccatum adhuc in homine manens ad culpam, aut pœnam non imputari, ſed vt inter alios recentiores bene explicuit Hierony. Torrẽſis lib. 2. contra confeſsionem Auguſtanã cap. 2. & 4. ſenſus D. Auguſt. eſt, quod idẽ ſit reatum peccati originalis auferri, & ipſum peccatum originale omnino aboleri, & quod ideò poſt baptiſmũ originalis culpa non imputatur, quia cum omnino deſtructa ſit, nulla eſt iam culpa, quę imputari poſsit, quamuis autẽ maneat poſt baptiſmum concupiſcẽtia, ideò ſecundũ Auguſt. non manet originale peccatum, quia in ipſa concupiſcentia iam nõ manet reatus, à quo illa ante baptiſmum peccatum originale denominabatur, & ſic poſt baptiſmũ tale denominationẽ nõ poteſt ſuſcipere.

Ad Quartum. ¶ Ad quartum reſpondetur, fideles vt docet D. Aug. 1. lib. contra duas Epiſtol. Pelagianorũ cap. 13. non petere in oratione Dnica remiſsionẽ originalis, ꝙ iam remiſſum eſt in baptiſmo, ſed actualiũ, quæ operando (inquit) ſiue loquendo, ſiue quod facillimum, atq; celerrimum eſt cogitando, perpetramus, non igitur petunt baptizati remiſsionem habitualis concupiſcentiæ, cuius reatus in baptiſmo ſolutus eſt, ſed ſolius actualis voluntariæ quamquã illud, ꝙ ſequitur, & ne nos inducas in tentationem ad concupiſcentiam actualem, quæ ad peccatum incitat, referri poteſt.

Ad Quintum. ¶ Ad quintũ reſpondetur. D. Auguſt. in loco citato nõ eſſe exponendũ, vt exponũt hæretici, ſed iuxta modũ, quem diximus in ſolutione tertiũ difficillimus tamen locus D. Augu. eſt, quẽ nobis obijcit Caluinus ex lib. 5. cõtra Iulianũ ca. 3. vbi ait, ſicut cæcitas cordis peccatũ, quo in Deũ nõ creditur & pœna peccati, qua cor ſuperbum digna animi auerſione punitur, & cauſa peccati, cũ mali aliquid cæci cordis errore cõmittitur, ita concupiſcentia carnis, aduerſus quam bonus cõcupiſcit ſpiritus & peccatũ eſt, quia ineſt illi inobedientia contra dominatũ mentis, & pœna peccati eſt, quia reddita eſt meritis inobedientię, & cauſa peccati eſt, defectione conſentientis, quod in renatis contingit, vel contagione naſcentis, vt in non renatis. ¶ Huic tamen loco, quàm plurimæ adducũtur ſolutiones, quarum prima eſt ꝙ D. Aug. nomine peccati, quod (inquit) eſſe concupiſcentia non intelligit culpam, quæ intra genus moris eſt defectus voluntarius rectitudinis debitæ, ſiue inſuper modũ actionis, vt in peccato *Prima* [illegible]

actuali

actuali,ſiue per modũ habitus,vt in origi-
nali,ſed nomine peccati intelligit defectũ
quẽdam integritatis naturæ, ꝙ alijs in lo-
cis appellat vitiũ, qua ratione defectus na
turæ appellare ſolemus peccata,ſicuti luſ-
cum dicimus eſſe peccatũ oculi, & ſurda-
ſtrum eſſe peccatũ auris. Quare falſo im-
ponitur Auguſt. quòd catholicã ſententiã
retractauerit. Hãc autem eſſe verã expli-
cationẽ Auguſt. conſtat ex eo, ꝙ li.6.con-
tra Iulianũ ca.3. &. 11. & in alijs plurimis
aſſerit per baptiſmũ auferri omnia pecca-
ta,nõ tamẽ omnia mala, qa nõ aufertur cõ
cupiſcentia,quæ quãuis non ſit formaliter
peccatũ eſt tamẽ malum & vitiũ modo ex
plicato. Et ſecũdo quia D. Aug. dicit cõcu
piſcẽtiã eſſe peccatũ, quia ineſt illi inobe
diẽtia contra dominatũ mentis,& hoc au-
tẽ non probatur eſſe formaliter peccatũ,
ſed tantũ,quòd ſit defectus,malũ, & vitiũ,
modo explicato,quia ſine vlla ratione cul
pæ reperitur in concupiſcẽtia inobedien-
tia hæc,de qua loquitur Auguſt. & ita illa
reperitur in viris ſanctis in quib' ſine vllo
eorũ conſenſu cõcupiſcentia inſurgit con
tra rationẽ,& ita ſine vllo peccato, de hac
enim inobedientia cõquærebatur ſæpe D.
Paul. imò in ſanctis reperitur non ſolũ in
actu. 1. ſed etiãm in actu. 2. vt patet in illis
Obijectio. motibus qui dicũtur primò primi. Quòd
ſi dicas cæcitas cordis eſt verè, & propriè
peccatũ, ſed D. Aug. cõparat concupiſcen
Solutio. tiã cecitati, ergo. Reſpõdetur, qđ ea, quæ
cõparãtur, nõ debẽt eſſe ſimilia in omnib'
cæcitas enim cordis, ſiue excecatio ſum-
pta nõ pro prauo motu, quo anima auerti
tur à Deo, ſed pro priuatione gratiæ illu-
minantis nõ eſt peccatum vere, & formali
ter, quia vt ſic cauſatur à Deo, ſed eſt defe-
ctus quidam integritatis, ac proinde ma-
lum, & vitiũ ad ſenſum, quo lo- [illegible]itur Au-
guſt. & ita exemplum cæcitatis potius fa-
uet Catholicis.

QVÆSTIO. II.

¶ *Vtrùm concupiſcentia ſit materiale peccati originalis.*

Prima ſententia. DE hac re eſt prima ſenten. quo
Prima ratio. rũdam aſſerentiũ concupiſcẽ-
tiam ante baptiſmũ non eſſe
propriè materiale peccati ori
ginalis, hoc eſt, ꝙ ponat aliquid intrinſecũ
ſimul cũ eo ꝙ in peccato ſit formale pro-
bant autẽ ſuã ſententiã. primo in baptiſmo
nõ tollitur cõcupiſcẽtia, & fomes, & tamẽ
tollitur totũ id, ꝙ eſt de eſſentia peccati
originalis, ergo, cõcupiſcentia non eſt de
eſſentia peccati originalis & per cõſequẽs
non eſt materiale. ¶ Secundò. Si cõcupiſ- *Secunda ra-*
centia eſt materiale in peccato originali, *tio.*
ergo peccatũ originale, ꝙ eſt in puero, &
quod eſt in anima ſeparata nõ ſunt eiuſdẽ
rationis, patet ſequela quia in anima ſepa
rata non eſt cõcupiſcentia ex parte appe-
titus ſenſitiui. ¶ Confir. quia ſequeretur ꝙ *Confir.*
peccatũ originale, quod eſt in puero, quã-
do eſt in hac vita, & peccatũ originale, ꝙ
eſt in anima illius pueri decedentis ab hac
vita, ſit aliud & aliud, vel non ſit eiuſdẽ ra-
tionis, patet ſequela, quia in anima ſepara-
ta non manet inordinatio partis ſenſitiu,
quia hæc deſtructo corpore corrumpitur,
cũ ſit materialis, quanuis maneat inordina
tio volũtatis ſaltim, ita vt poſsit reduci in
actum, quam hoc cõſiſtit in hoc, quod eſt
poſſe facilius trahi à parte ſenſitiuam.
¶ Tertiò. Peccatũ hoc originale eiuſdẽ ra- *Tertia ra-*
tionis eſt cũ eo, quod manſit in Adam, trã *tio.*
ſacta actuali tranſgreſsione, & ſolũ differt
ab eo in medio per quod participatur, ſed
peccatũ illud non habebat in Adam cõcu-
piſcentiã tanquã principiũ materiale ſibi
correſpõdẽs, cũ nulla eſſet ratio, cur iſtud
peccatũ haberet eã poti' quã reliqua, quæ
denominarẽt ipſum peccatorẽ, ergo neq;
in nobis concupiſcẽtia erit materiale pec-
cati originalis. ¶ Vltimò, materiale pecca *Vltima ra-*
ti in nulla opinione ſequitur ex formali *tio.*
vt ex cauſa, imò in opinione eorũ qui di-
cunt formale eſſe priuationẽ præcedit ip-
ſum eo modo, quo entitas caloris præſupo
nitur ad diſconuenientiã, quam habet reſ-
pectu aquæ ratione cuius dicitur mala, ſed
habitualis inclinatio inordinata ad bonũ
cõmutabile, quæ dicitur cõcupiſcentia eſt
effectus auerſionis à bono incõmutabili,
ergo non cõparatur ad ipſam auerſionem,
vt materiale peccati ad formale. ¶ Vt autẽ
prædictã ſuam ſententiã melius explicẽt,
dicunt primo, quod in peccato originali,
nõ eſt aliqua conuerſio habitualis ad crea-
turã, tanquã ad vltimũ finem, ita vt ex ea
tanquã ex parte materiali, & ex auerſione
tanquã ex formali cõſtituatur intrinſicè.
Sicut peccatũ actuale conſtituitur ex cõ
uerſione actuali ad bonũ cõmutabile, quæ
eſt quidã actus & ex auerſione à Deo, pro
bant

bant autem hoc dictũ primo quia, vel illa conuerſio eſſet aliquid phiſicũ, vel aliquid morale, nun primũ quia neq; eſt actus, aut habitus ſuperadditus naturæ, quia nihil ta le traducitur per generationẽ. Neq; eſt cõ cupiſcentia propter rationes poſitas, & ni hil aliquid phiſicũ & reale poteſt eſſe. Ne que etiam eſt aliquid morale, hoc eſt con ſiſtẽs in imputatione morali, quia imputa tio moralis nõ eſt ficta aut falſa, ſed habet aliquod fundamentũ, cõſtat autẽ quod ni hil præſupponitur, in auerſione in puero, qui nũc naſcitur, ratione cuius poſsit cen ſeri cõuerſus ad creaturã, vt ad finem vlti mũ. Verùm tamẽ eſt, ꝙ ipſa auerſio poteſt aliquomodo appellari conuerſio virtua lis, ſeu interpretatiua ad creaturã, quia eſt ſufficiens fundamentũ, vt poſsimus inret pretari voluntatem pueri, dicendo, quòd eſt magis affecta ad creaturã, quã ad Deũ: cæterũ, conuerſio ita ſumpta non poteſt ſimul cũ auerſione vt pars materialis con ſtituere peccatum originale, quia talis cõ uerſio virtualis, ſiue interpretatiua potiùs fundatur in ipſa auerſione, quam ſit mate

1. *Obiecti.* ria eius. ¶ Quod ſi quis contra prędicta ar guat, deordinatio potẽtiarum quæ appel latur cõcupiſcentia, eſt quædã habitualis

Solutio. conuerſio inordinata ad bonũ cõmutabi le, ergo peccatũ originale in nobis habet conuerſionẽ, vt partẽ materialẽ. Reſpon dent negando ſequelã, quia illa cõuerſio in ordinata potẽtiarũ eſt effectus auerſionis à bono incõmutabili, & ſimpliciter poſte rior ea, & ideo in rigore non eſt dicendũ quod cũ ipſa cõſtituat ipſum integrũ pec catum originale, vt pars materialis cũ for

2. *Obiecti.* mali. ¶ Quod ſi ſecũdo quis arguat non po teſt reperiri receſſus à termino à quo ſine acceſſu ad terminũ ad quem, ergo neq; po teſt reperiri auerſio à Deo ſine cõuerſione ad creaturam, patet conſequẽtia, quia auer ſio à Deo eſt quidam receſſus à Deo, qui nõ poteſt intelligi ſine termino ad quem, qui non poteſt eſſe alius quã creatura: reſ põdent diſtinguendo conſequẽs, quia aut intelligitur de auerſione poſitiua, & ſic po teſt concedi cõſequentia, aut de auerſione priuatiua, quæ cõſiſtit in pura priuatione

Solutio. ſubiectionis aut conformitatis debitæ, cu iuſmodi eſt illa, quæ reperitur in peccato originali, & ſic poteſt negari conſequẽtia, vt patet in peccato habituali omiſsionis, quod manet trãſacto actuali in quo datur auerſio iſto modo ſumpta ſine cõuerſione habituali, præſertim in ſentẽtia illorũ, qui dicunt poſſe dari purani omiſsionem, & ſi cur in opinione eorũ, qui dicunt Angelũ eſſe in loco tantũ per operationẽ tranſeũ tem, ſolet conſequenter cõcedi, ꝙ Angel⁹ poteſt recedere ab vno loco non acceden do ad alterum, quia non recedit per motũ poſitiuũ, ſed per negationem rationis for malis exiſtendi in loco, ſcilicèt, per opera tionẽ negatã, & ita in propoſito. ¶ Quòd

3. *Obiecti.* ſi rurſus, tertio quis inſurgat, quando om nes peccauimus in Adã non ſolùm fuit no ſtra auerſio actualis ipſius Adæ, ſed etiam cõuerſio ad bonum cõmutabile, & ita con cedunt ſancti ꝙ eo comedente de ligno ve tito omnes comedimus, ergo ſicut ratio ne auerſionis actualis traducitur ad nos auerſio habitualis, ita etiã ratione conuer ſionis actualis traducitur conuerſio habi tualis. Reſpondẽt prædicti negãdo conſe

Solutio. quentiam, & ratio diſcriminis eſt, nã auer ſio quæ conſiſtit in ſola priuatione ſubie ctionis debitæ poteſt traduci, cõuerſio ve rò quæ requirit aliquid poſitiuum ſuper additũ naturæ non poteſt traduci per ge nerationẽ. Item conuerſio illa prout reſpi ciebat propriũ obiectũ fuit peculiari mo do perſonalis, & ideo reatus pœnæ tem poralis, ſiue ſenſus ipſi reſpondẽtis nõ tra ducitur ad nos. ¶ Quòd ſi quarto quis in

4. *Obiect.* ſurgat, homo exiſtens in peccaro origina li eſt auerſus à Deo, vt à fine vltimo, ergo conuerſus ad creaturã, vt ad finẽ vltimum, conſequẽtia patet quam neceſſario debet habere aliquam finẽ & cùm non ſit Deus neceſſario debet eſſe creatura. Reſpondẽt

Solutio. prædicti dicentes: aduertendo tamen cum D. Th. 1. 2. q. 1. art. 8. dupliciter poſſe ho minẽ habere aliquẽ vltimũ finem, primo modo naturaliter, & eo modo, quo hoc cõ uenit omnibus creaturis etiam irrationali bus, quæ dicuntur ordinari ad finẽ vltimũ in quantũ habent aliquã eius participatio nẽ, ſecũdo modo moraliter, hoc eſt agẽdo propter finẽ tendẽdo ad eius conſequutio nẽ cognitionẽ & amorẽ ipſius & ordinan do media in ipſum, quod eſt proprium, creaturæ rationalis. Inter iſtos duos mo dos habendi finem eſt maxima differẽtia, nã primus ſemper conuenit actu homini, quia ſemper habet aliquã participationẽ fi nis vltimi, ſcilicet Dei. Secundus verò con uenit ei actu cum operatur, & habitualiter ratio-

rationali cuius propriæ operationis ma-
net ordinatus, & inclinatus ad ipſum. Hoc
ſuppoſito dicunt, quod qui eſt in peccato
originali habet priori modo aliquẽ finem
vltimũ ſcilicèt Deũ quia peccatũ nõ tollit
ab eo id, ꝙ eſt ipſi naturale, & intrinſecũ,
ſcilicet, habere eſſe participatũ à Deo. Nõ
tamẽ ſecũdo modo, quia neq; operaẽ actu
neq; habet aliqualiter operationẽ ratione
cuiꝰ mãſerit aliquomodo inclinatꝰ in finẽ,
vnde cũ D. Th. 1. 2. q. 1. arti. 1. dicit homi-
nẽ habere aliquẽ finem vltimũ loquitur de
eo reſpectu ſuarũ operationum, quibus li
bere tendit in finẽ, vt conſtat ex rationibꝰ
quibus probat ſuã ſententiam, quæ omnes
deducũt ad hoc incõueniens negantes eã,
ꝙ concedere teneantur nõ poſſe hominẽ
5. *Obiecti.* actu vnquam operari. ¶ Quòd ſi vltimo
quis inſurgat contra illos peccatum habi-
tuale quod manſit in Adã tranſacto actuali
includebat intrinſecè auerſionẽ habitualẽ
à Deo, & conuerſionẽ habitualem ad crea
turã, ergo etiam peccatũ, quod ad nos tra
ducitur, Antecedens patet, quia ita ſolet
concedi de quocũq; peccato mortali, cõſe
quentia probatur, tũ quia alias non tradu-
ceretur ad nos quidquid pertinebat intrin
ſecè ad peccatũ habituale Adę & ex conſe
quẽti peccatũ noſtrum non eſſet eiuſdem
rationis cũ illo cùm tamen omnes dicant
peccatum originale in nobis eſſe ſimul
habituale, tum etiã, quia Conc. Tride. ſeſſ.
5. in Decreto de peccato origi. §. 3. ſic ait,
ſiquis hoc Adæ peccatũ, ꝙ origine vnum
eſt propagatione, & non imitatione tranſ-
fuſum omnibus ineſt vnicuiq; proprium,
&c. Ex quo ſic, de illo peccato quod fuit
vnum origine dicit Conciliũ, ꝙ transfun-
ditur ad nos, ſed prout ſuit origine vnũ in
cludebat conuerſionẽ, & auerſionem, ergo
Solutio. & prout transfunditur ad nos. Reſpondẽt
quòd tranſeat Antecedens, & negant cõſe
quentiã, & ad omnes probationes dicunt
ad illorũ omnium veritatẽ ſatis eſſe, quòd
traducatur ad nos peccatũ ſimile peccato
habituali, quod ſuit in Adã, quantũ ad for
male ipſius, hoc eſt, quantum ad inordina
tam voluntatem per reſpectũ ad actũ præ
cedẽtem, quæ manſit in eo tranſacto illo
Notanda pro hac ſen tentia. actu. ¶ Vt autẽ prædictam ſuã ſententiam
explicẽt, aduertũt, quod ſuppoſito, quod
nihil poteſt habere rationem peccati ha-
bitualis niſi præceſſerit volũtariũ per mo
dũ actus ſecũdi, aut directè, aut indirectè,
quia quamuis peccatũ habituale non inclu
dat intrinſece voluntariũ in actu ſecundo,
neceſſario tamẽ præſupponit ipſum, quia
reſultat ex actu voluntario, aut ex omiſ-
ſione voluntaria, quia nõ poteſt intelligi
quòd ſubiectum ſit habitualiter deordina
tum, aut auerſum à lege, niſi pręceſſerit vo
luntaria tranſgreſsio, aut violatio legis, &
hæc importat liberã actionem contra le-
gẽ, aut liberam omiſsionẽ actus lege pręce
pti, quia tantũ his duobus modis põt lex
actu violari. ¶ Ex quo infertur quod pec-
catum habituale non eſt formaliter tranſ-
greſsio legis, ſed ſolũ in ſua cauſa eſt tranſ
greſsio legis, quia non per modum actio-
nis, aut omiſsionis, qua violatur lex, ſed tã
tum per modum termini, quia ſcilicèt, eſt
quid derelictũ ex actuali legis trãſgreſsio
ne vnde non denominat hominẽ peccãtẽ,
ſed peccatorem. ¶ Ex quo infertur ſecũdo
quòd voluntariũ actus ſecundi, ꝙ præſup-
ponitur ad peccatum originale ſiue actua-
lis tranſgreſsio legis, ex qua reſultat inor-
dinatio, à qua poſteri Adæ dicuntur pecca
tores, non eſt intrinſeca poſteris Adæ, ſed
extrinſeca, vt aduertit D. Th. 4. contra gẽ
tes ca. 52. in ſolutione ad ſecundũ argumẽ
tũ, vbi inquit, ꝙ poſteri Adę nõ dicũtur in
illo peccaſſe quaſi aliquẽ actũ exercentes,
& Doctor hac d. & q. litera. H. paruuli nõ
eliciunt actum peccandi, quia illud pecca
tum non eſt eis actuale, & Iacobus Payba
li. 3. ortodoxarũ explicationum, & patet
ex D. Aug. li. 6. contra Iulia. ca. 70. vbi con
cedit paruulos nullum habere peccatum
propriũ, quod conſtat ex Conc. Tride. nõ
poteſt eſſe verũ, niſi particula propriũ re
feratur ad actionẽ, qua cõmiſſum eſt, & ſic
ſenſus eſt paruulos non habere peccatum
cõmiſſum propria actione, & Tom. 1. lib.
1. retractationũ c. 13. (inquit) peccatũ ori
ginale nõ eſſe volũtariũ in pueris propriè
ſed propriũ voluntate primi parentis, &
ca. 13. ait paruulos nõ teneri reos proprie
tate voluntatis, ſed origine. Et ratio huius
eſt, quia voluntarium per modum actus ſe
cundi, ex quo procedit peccatum origina
le, ꝙ ad nos traducitur, fuit quidam actus
elicitus, aut imperatus à voluntate ipſius
Adæ, ſed ille actus neq; ex parte ſui princi
pij, neque ex parte ſubiecti eſt nobis in-
trinſecus, ergo neque illud volũtariũ, mi-
nor patet, quia principiũ illius actus fuit
voluntas Adæ, quę nobis eſt extrinſeca, &
ſubie-

ſubiectum fuit ipſe Adam ¶ Cōfirmatur, quoniā actus ille non procedit tanquam à principio efficiente à voluntate pueri, qui modo naſcitur ex Adā neq; recipitur in ipſo puero, vt in ſubiecto, ergo ſolum pōt ei tribui talis actio denominatione quadā ex-

Obiectio. trinſeca. ¶ Neq; obſtat ſi dicas, quod volūtas Adę, ex qua ille actus proceſsit, fuit aliquomodo ſuorū poſterorū, quia erat volūtas capitis totiùs naturæ, & ex conſequenti erat voluntas omniū participantiū naturā humanā, tanquā ſuorū mēbrorū, & per cōſequens actū illum eſſe aliquomodo intrinſecum ex parte ſui principij poſteris Adæ, quoniā quādo habuit pro principio quandā voluntatē, quę fuit voluntas ipſorū, & actio ab illa voluntate dicetur, & erit actio ipſorū, & ſimiliter actus ille proceſſit à volūtate Adæ, prout erat volūtas omnium poſterorū, ergo & ipſe actus formaliter fuit omniū poſterorum reſpondetur enim, quòd iſta argumenta procedunt ex ignorātia, quonia non percipitur, quomodo effectibꝰ attribuātur ea, quæ ipſis cōue-

Prima impugnatio. niunt, prout habēt eſſe in cauſa. Quare cōtra prædictas rationes facilè poteſt inſurgi in hunc modū, vel volūtas Adæ erat voluntas ſuorū poſterorum, vt cōtinebat ipſorum voluntates ex ordinatione Dei, aut ex natura rei, ſi primū, ergo ſicut ipſa ordinatio eſt extrinſeca poſteris Adæ, ita erit eis extrinſecū illud, ꝙ præciſſe ratione talis ordinationis attribuitur eis[& ex conſequenti etiā erit extrinſecum, ꝙ voluntas Adę reputetur volūtas ipſorū aut quòd ipſorū voluntates cōtineantur in voluntate

Secunda impugna. Adę. Si verò dicas ſecundū, pręter quā, qđ ipſum eſt in ſe falſum, quia nihil amplius habet ex natura rei voluntas Adę reſpectu poſterorum ipſius, quā volūtas cuiuſcūq; parentis reſpectu ſuorū filiorum, imò etiā ſi admittatur, non ſufficit ad hoc vt ille actus vt voluntarius ſit intrinſecus poſte-

1. Ratio. ris Adæ. Quod ſic probatur, volūtas Adæ ſolum poteſt dici ex natura rei voluntas poſterorum, aut continere eorum voluntates, quatenus ipſi poſteri continentur in Adam tanquā in ſuo principio. ſed etiam poſteris Adæ extrinſecum eſt hoc modo in Adam contineri, ergo etiam extrinſecum erit illis, quòd voluntas Adæ reputetur voluntas eorum, aut cōtineat ipſorum voluntates, conſequentia patet, quia quando aliquis ſtatus eſt extrinſecus alicui rei etiam ea, quæ ei conueniunt, præciſſe, quatenus habet talem ſtatum, ſunt ei extrinſeca. Minor probatur, quia ſtatus, quem habent poſteri Adæ quatenus continētur in Adam eſt habere in potentia, & in virtute cauſæ, ergo non poteſt eſſe intrinſecus ipſis, ſicut nulli effectui eſt intrinſecus ſtatus, in quo ſolū habuit eſſe virtute ſuæ cauſæ, neq; quod fuerit producibilis à ſua cauſa eſt aliquid intrinſecum ipſi, ſed ſolùm quædam denominatio extrinſeca ſumpta

2. Ratio. à virtute cauſæ. ¶ Secundò. Defectus aut perfectiones quatenus habent eſſe in ſuis cauſis ſolū conueniunt eis extrinſecè, ergo quod voluntas Adæ ſit voluntas poſterorum, aut quòd contineat eorū voluntates præciſſe, quatenus tales poſteri continentur in Adam, ſolū conueniet eis extrinſece, conſequentia patet ex paritate rationis, & Antecedens probatur, quia filij naſcituri ex matre ancilla dicūtur ſerui, prout habent eſſe in ea & tamen iſta denominatio non eſt extrinſeca ipſis iam natis, aliàs ſimul poſſent dici, ſecundum ſuam entitatem intrinſecam ſerui, & liberi, ſi libertate donentur, quia per hoc non tollitur eſſe, quod habuerūt in matre & ex cōſequenti, quòd ſecundū iſtam rationem dicantur ſerui. Item qui comburit arborem, non dicitur comburere fructus ſecundum propriam entitatē eorum, ſed ſolùm extrinſecè, quia comburit principium produc-

Corolar. tiuum ipſorum. Ex quibus infertur tertiò, quod peccatum originale in paruulis non dicit cōuerſionem aliquam phiſicam neque moralem actualem in ipſis cum talis conuerſio neceſſario dicat actionē, quæ ipſis extrinſeca eſt iuxta dicta, & per conſequēs in illos neceſſario dari auerſionem ſine conuerſione aliqua formali, ſed virtuali tantum.

Secunda ſententia. ¶ Secunda ſententia, eſt Caietani. 1. 2. quæſtio. 82. articu. 3. & Conradi ibidem, quam docet Ferrara. 4. contra gentes cap. 25. Capreolus in ſecundo diſtinctio. 30. quæſtio. 1. artic. 1. qui aſſerent peccatum originale componi ex duabus partibus, quarum altera formalis eſt, quæ eſt priuatio iuſtitiæ originalis, altera materialis, quæ eſt concupiſcentia. Differunt tamen in modo explicandi, nam quamuis admittant in voluntate eſſe duo, ſcilicet, auerſionem à bono incommutabili, & inordinatā conuerſionem ad bonum commutabile,

tabile, tamen Ferrara & Capreolus dicūt vtrumque pertinere ad id, quod eſt forma le in peccato originali, & ſolùm habere rationem materialis inordinatam conuerſionem, quæ eſt in appetitu ſenſitiuu. Caietanus verò dicit ſecundum pertinere ad id, quod eſt materiale ſimul cum inordinatione partis ſenſitiuæ.

1. Ratio. ¶ Probatur tamen prædicta ſententia quo ad primum principale. Primo, ſicut peccatū actuale conſiſtit in deordinatione actuali, ita etiam peccatum originale conſiſtit in deordinatione naturę ob id enim appellatur peccatum naturæ, ſed deordinata cōuerſio, ſiue propenſio actus in bonum cōmutabile eſt materiale in peccato actuali, & ipſa deordinatio, ſiue auerſio à bono in cōmutabili eſt formale, ergo deordinata cōuerſio ſiue propenſio humanæ naturæ in bonū commutabile eſt materiale in peccato originali, & ipſa deordinatio ſiue auerſio à bono incōmutabili eſt formale, ſed deordinata propenſio naturæ in bonū cōmutabile, nihil aliud eſt quam concupiſcentia, ergo cōcupiſcētia eſt materiale originalis peccati, ſed originale peccatū non eſt niſi ante baptiſmum, ergo. Hæc ratio eſt D. Tho. in 2. diſt. 30. quæſt. 1. arti. 3. vt refert Conradus. 1. 2. q. 82. art. 3. Secundo, inordinatio aliarum virium à volūtate habet ſuum materiale in peccato originali, ſed talis deordinatio cōmuni nōmine poteſt dici concupiſcentia, ergo concupiſcētia habet ſuū materiale in peccato originali. Maior probatur, quia quando duo defectus conueniunt alicui rei, ſi alter ſit alterius cauſa, ille qui eſt cauſa comparatur ad alterū, vt formale, ad materiale, ſed in peccato originali ſunt duo defectus partiales, ſcilicet, deordinatio voluntatis, & deordinatio aliarum virium, & prior deordinatio eſt cauſa ſecundæ, ergo deordinatio aliarum viriū habet ſuum materiale in peccato originali. Ita D. Tho. 1. 2. q. 82. art. 3. *Confir.* Et confirmatur ex eodē D. Tho. de malo quæſt. 4. art. 2. in fine corporis, quia in moralibus id, quod pertinet ad potentiam motam, habet ſuū materiale reſpectu eius quod pertinet ad potentiam mouentem, vt actio manus habet ſuū materiale reſpectu actus voluntatis mouentis ipſam manum ad aliquem actum bonum, vel malum moralem, ſed concupiſcentia virtualis pertinet ad appetitum ſenſitiuum, qui quodā modo motus eſt ad habitualiter concupiſcendum à voluntate humana auertente ſe à Deo auerſione peccati originalis, ergo huiuſmodi concupiſcentia habet ſuum materiale reſpectu eius, quæ in peccato originali reperitur, & ex conſequenti eſt materiale in peccato originali.

¶ Tertiò D. Thom. 1. 2. quęſt. 82. artic. 1. *3. Ratio.* ad primū ita (inquit) ſicut ęgritudo corporalis habet aliquid de priuatione in quantum tollitur æqualitas ſanitatis & habet aliquid poſitiuè, ſcilicèt, illos humores inordinate diſpoſitos, ita peccatū originale habet priuationem originalis iuſtitiæ, & cum hoc habet inordinatam diſpoſitionē partium animæ, vnde non eſt priuatio pura, ſed quidam habitus corruptus, & artic. 3. expreſſe fatetur peccatum originale cōſtare priuatione originalis iuſtitiæ, vt formali, & concupiſcentia, vt materiali.

¶ Vltimò. Peccatum originale in nobis *Vltima ratio.* importat intrinſecè auerſionem à Deo, vt ab vltimo fine, ergo & conuerſionem ad creaturam, vt ad vltimum finem. Conſequentia patet, quia non poteſt reperiri auerſio ab vno termino ſine conuerſione ad terminum oppoſitum ſicut in motu locali non poteſt reperiri receſſus à termino à quo ſine acceſſu ad terminum ad quē & hæc conuerſio non poteſt eſſe aliud, quam concupiſcentia, quia non traducitur ad puerum aliquis actus, aut habitus ſuper additus naturæ, quod ſit conuerſio ad bonum commutabile, ergo peccatum originale includit intrinſecè concupiſcentiam, & non vt principium formale, ergo vt materiale.

¶ Tertia ſententia, eſt aliorum aſſerentiū *Tertia ſententia.* peccatum originale non conſiſtere formaliter in priuatione ſed in genere moris eſſe formaliter aliquid poſitiuum, ita quod non ſolùm peccatum originale ſupponit pro aliquo poſitiuo, quia ad hoc ſufficeret quòd materiale eſſet aliquid poſitiuum, ſed formaliter, & in ſua eſſentia importat aliquid poſitiuum. Hanc ſententiam quoad vtramque partem probant, & quoad *1. Ratio.* primam primo, nam peccatum originale formaliter eſt qualitas, aut habitualis diſpoſitio, vt colligunt ex D. Thom. prima ſecundæ quæſtione. 82. articulo primo. Vbi quærens de eſſentia peccati originalis dicit eſſe habitum, & morbidam qualitatem, atque inordinatam diſpoſitionem.

Neque

Neque loquitur ſolùm de materiali peccati originalis in tota hac materia, quia in tota illa materia nunquam explicuit, neque ſolicitè inquitit de materiali peccatorum & ſolùm in hoc articulo explicuit eſſentiam peccati otiginalis, & ſi aliquando de materiali peccati loquatur in hac quæſtione erit arti. 3. Et prætereà, quia in ſolutione ad primum ait, quod non eſt pura ptiuatio, ſed etiam, quòd eſt habitus corruptus, & cettum eſt, quòd materiale peccati non eſt priuatio, neque mixtum ex poſitiuo, & priuatiuo: Et in ſolutione ad tertium cõcludit, quòd eſt habitus per vitiatam otiginem innatus.

Secũda ratio.

¶ Secundo probant ratione, quia auerſio habet ſe ad peccatum originale, ſicut ad peccatum actuale, ſed in peccato actuali, auerſio, & priuatio non eſt de eſſentia, ſed ſupponit illam, ergo. Maior probatur ex D. Thoma in ſecundo diſtin. 31. quæſtio. 1. artic. 3. & de malo quæſtio. 4. articu. 2. & colligitur, quia auerſio nullibi eſt intenta, ſed per accidens ſe habet, vt patet ex D. Thoma. 1. 2. quæſtio. 71. & quæſtio. 72. attic. 1. vbi tanquàm certum fundamentum ſupponitur à D. Thoma, quòd priuatio & auetſio per accidens ſe habent ad voluntatem, & intentionem peccantis: & quidem licèt peccatum originale non ſit voluntarium voluntate perſonali: eſt tamen voluntarium voluntate natutæ, & ita auetſio, & priuatio deberet eſſe voluntaria reſpectu voluntatis natutæ, ſi in illa conſiſteret eſſentiale peccati originalis.

Tertia ratio.

¶ Tertiò. Quod eſt effectus peccati originalis nõ eſt eius eſſentia, ſed priuatio iuſtitiæ, & ſubiectionis ad Deũ eſt effectus peccati originalis ergo. Minor probatur primo ex D. Thoma de malo quæſt. 4. arti. 1. ad. 11. vbi dicit, quòd ſi Deus non dat iuſtitiam otiginalem paruulo eſt, quia ex parte naturæ illiùs reperitur contrarium prohibens, ergo tale contrariũ erit cauſa ptiuationis, & per conſequens priuatio non erit eſſentia talis cõtrarij. Et ratio hoc conuincit, quia ideò ſpoliatur primus homo, & poſteri illius iuſtitia originali, quia habẽt peccatum non autem ècontra, ergo & ſecundo quia priuatio gratiæ, & iuſtitiæ in Adamo fuit effectus propriæ culpę, & pœna illius, quia Adamus propter peccatũ, & in pœnam illius ptiuatus eſt iuſtitia, ergo & in nobis. Patet ſequela, quia, quòd in illo fuit effectus culpæ, conuenit etiam nobis ab ipſa culpa extrinſeca quidem, & vt erat in Adamo, intrinſeca verò, vt nobis per originem communicatur, & confirmatur, quia quod Adamo fuit pœna ſimpliciter, non habuit in illo tationem mali, ſed quodam bonum cẽſebatur, quod à Deo ordinabatur in vindictam talis peccati ergo & in nobis non eſt culpa.

Ratio prima ſecũda partis huiꝰ ſententia.

¶ Secũdã partem ſui aſſerti ptobãt primo, quia eam docet Caietanus. 1. 2. quæſt. 82. art. 1. & Burgenſis ad Rom. 5. additione. 3. Driedo libr. 1. de gratia & libero arbitrio tractatu. 3. cap. par. 4. vbi dicit peccãtũ originale eſſe habitualem quandam inobedientiam, ergo eſt aliquid poſitiuum, idem videtur tenere Albertus in. 2. diſt. 30. arti. 3. D. Bonauentura ibidem quæſt. 1. & videtur expreſse ex ſententia D. Thomæ 1. 2. q. 82. art. 1. & ptobatur ratione, eſſentia peccati originalis non conſiſtit in priuatione, vt probatũ manet ergo in aliquo poſitiuo, quia non eſt dare mediũ, quod confirmatur ex modo loquendi concilij Tridẽt. Seſsio. 5. Cano. 3. vbi dicit, quòd peccatũ originale ineſt vnicuique noſtrũ, quod verè non conuenit niſi accidentibus, & qualitatibus poſitiuis, neque poteſt dici, quòd concilium loquitur impropriè, & per cõſequens peccatum originale nõ ſolùm materialiter, ſed etiã formaliter eſt aliquid poſitiuũ. Prætereà quia non poteſt intelligi, qualiter peccatũ originale nõ ſit omiſsio, ſi nõ eſt aliquid poſitiuũ, ſi enim eſt priuatio, & ideo habet eſſentiã peccati erit diſſonũ regulę poſitiuæ, & poſitiuẽ pꝛęcipiẽti, ac per cõſequẽs erit omiſsio, vel reducetur ad omiſsionẽ. Nã priuationes, & negationes culpabiles ſunt ſemper cõtta poſitiua.

Vltima ſententia. Primo nota.

¶ Vltima ſentẽtia, colligitur ex litera Doctoris pro cuius explicatione, & totius quæſtionis eſt primo notãdum, quòd peccatum originale habet modũ peccati habitualis quare, quæ de peccato habituali dicuntur, ad peccatũ originale poſſunt trãſferri, quamuis inter ſe ex eo differant, nam peccatum habituale eſt terminus actionis vel omiſsionis culpabilis, peccatum autem originale generatione transfunditur. ex quo prouenit, quòd peccatũ habituale neceſſario reſpiciat propriam perſonam, vt efficientem vel deficientem: originale verò alienam requirit perſonam

effi-

efficientem, vel deficientem. Ex quo prouenit ſecundo, quod peccatum, habituale denominatione intrinſeca dicatur liberum, & voluntarium per modum actus ſecundi, quia verè, & formaliter volitum eſt ab illo, qui illud commiſsit, peccatum verò originale licet formaliter, & denominatione intrinſeca per modum actus primi dicatur voluntarium, dicitur tamē denominatione extrinſeca voluntarium ab actione voluntaria, quæ erat in alio. *Obiectio.* Quod ſi dicas, quare peccatum originale eſt voluntarium denominatione intrinſeca per modum actus primi, & eſt voluntarium denominatione extrinſeca per modum actus ſecundi: *Nota hoc.* facilis eſt reſponſio ex illo exemplo ſuppoſito de illis duobus, qui vnanimi conſenſu, & ex mutua obligatione vel per mutuum contractum ſuas in ſe inuicem voluntates tradunt, certiſsimum eſt, quòd ſi ex vi illius vnanimi conſenſus alter illorum altero dormiente occideret aliquem, quòd talis occiſio in actu primo fuit volita ab illo, qui dormiens erat, non tamen in actu ſecundo, quia nullum actum ſecundum habuit circa talem occiſionem, qualem habuit ille alter, qui actu hominem occidit, vnde iſte qui occidit, dicitur occidens formaliter, & denominatione intrinſeca, alter autē dicetur occiſor, nō quia occidit, neque quia habuit actum occidendi in actu ſecundo, ſed quia occiſsionem illam, quam alter fecit, volitam habuit in actu primo propter vnanimem illum conſenſum, vel vnitatem voluntatum, quam ex mutuo contractu inter ſe fecerunt, occiſio tamen illa, quæ occidentem denominatione intrinſeca talem denominat, denominabit etiam dormientem denominatione extrinſeca. Ita in propoſito ex eo enim quod Deus ſua lege æterna obligauit voluntates puerorum in voluntate Adami ad actionem ipſius Adami, orta eſt vnitas, & vnanimis conſenſio per modum actus primi inter voluntates puerorum & voluntatem Adami, & ſic quidquid volitum erat à voluntate Adami in ordine ad illam vnanimitatē, erat & volitum à voluntate puerorum, non per modum actus ſecundi, quia pueri nullum actum ſecundum habuerunt, ſed per modum actus primi, quatenus ex illis pluribus voluntatibus in genere entis vna voluntas efficitur in genere moris. Actus tamen elicitus à voluntate Adami, qui Adamum denominatione intrinſeca denominauit peccantem, denominat pueros denominatione extrinſeca, voluntas autem, quæ per modum actus primi trāſacto actu peccandi, denominat denominatione intrinſeca Adamum peccatorem denominat etiam pueros denominatione intrinſeca formaliter peccatores.

¶ Secundo eſt notandum, hanc etiam eſſe differentiam inter peccatum habituale, *Secunda nota.* & originale, nam peccatum habituale eſt terminus intrinſecus peccati actualis: peccatum autem originale eſt terminus extrinſecus, & ratio huius eſt, nam reſpectu peccati habitualis peccans non ſolum ſe *Ratio.* habet, vt cauſa moralis, ſed etiam vt cauſa phyſica, quæ deficienter operatur, at verò reſpectu peccati originalis peccans nō ſe habet, vt cauſa phyſica, ſed tantum vt cauſa moralis, & ſic non inconuenic, imò neceſſarium eſt, quod peccatum habituale ſit terminus intrinſecus ipſius actionis peccantis, peccatum verò originale ſit terminus extrinſecus actionis ipſius peccantis. Ex quo infertur ſecundo peccatum *Corolarium primum.* habituale dicere intrinſecum ordinem ad ipſum peccantem, & ad actionem illius, peccatum vero originale dicere extrinſecum ordinem ad actionem illiùs peccantis. Neque ex hoc infertur, peccatum originale eſſe voluntarium denominatione extrinſeca, ſed tantùm infertur peccatum originale non eſſe ita voluntarium, ideſt eodem modo, ſicut peccatum habituale, nam peccatum habituale eſt voluntarium per modum actus primi, & eſt volitum per modum actus ſecundi ab illo, in quo eſt tale peccatum. At verò peccatum originale tantùm eſt voluntarium per modum actus primi, & non eſt volitum ab illo, in quo eſt, per modum actus ſecundi, quia pueri nullam volitionem circa tale peccatum habuerunt in ſe, vnde tantum eſt volitum per modum actus ſecundi à volitione, quæ fuit in Adamo, quæ volitio intrinſecè denominat Adamum volentem, pueros tamen extrinſecè.

¶ Tertio eſt notandum quòd cum triplex ſit peccatum mortale, actuale, habituale, & originale: & cum peccatum ſit formaliter auerſio à Deo, & materialiter conuerſio ad creaturam, triplex etiam *Tertia nota.*

repe-

reperitur conuerſio, ſcilicet actualis, habitualis, & originalis, conuerſio actualis ſatis ex ſe patet, eſt enim volitio, qua homo vult creaturam, vt vltimum finem actualiter, & ob hoc dicitur volitio actualis. Peccatum habituale eſt volitio habitualis, peccatum verò originale eſt volitio per originem habita.

Noto hoc. Quid autem ſit volitio habitualis indiget explicatione, nam non videtur, quòd ſit ſola voluntas, nam voluntas ſola non eſt peccatum habituale, neque etiam videtur, quod ſit aliquid cauſatum in voluntate ab actu volenti præterito, quia tale vel eſt ens reale, vel rationis, & ſi reale, vel abſolutum, vel reſpectiuum, ſi abſolutum, vel actus, vel habitus: habitus autem neque actus quantumcunque vitioſus per modum effectus à voluntate derelictus non habet rationem peccati quia bene ſtat cum gratia iuſtificante habitus: vel diſpoſitio vetioſa, & per conſequens talis diſpoſitio, neque habitus non poſſunt dici peccatum. Si dicas quòd manet tranſacto actu peccandi in peccatore relatio, ratione cuius dicatur peccator, quia manet difformitas inter voluntatē iſtius, & legem Diuinam, hoc etiam non poteſt ſtare, quia quamuis veriſsimum ſit, talem difformitatem manere etiam veriſsimum eſt, quòd talis difformitas, cùm ſit relatio, requirit fundamentum in ipſa voluntate, tale autem fundamentum non eſt voluntas ſola, vt ex ſe patet, neque voluntas cum diſpoſitione, vel cum habitu vitioſo, vt probatum eſt, neque actus peccati præteritus, quia ipſe iam tranſiit, & fundamentum alicuius relationis debet manere ſimul cum relatione: ergo aſsignandum eſt aliquid, ratione cuius illa diuerſitas inter voluntatem noſtram & legem Diuinam reperiatur.

¶ Vt autem iſta, quæ difficillima ſunt aliquo modo percipi poſsint, imaginandum eſt dictum illud Diui Auguſtini peccatum tranſire actu, & remanere reatu ſic eſſe intelligendum, quod illud eſſe, in quo remanet peccatum tranſacto actu peccandi, quod Diuus Auguſtinus appellat reatus eſt aliquod eſſe, quale ponimus illud eſſe cognitum, vel volitum, in quo intellectus producit ſua obiecta iuxta illa, quæ diximus in prima diſputatione decimaſexta quæſtione tertia. Supponamus ſecundo, quòd illud eſſe, quod eſt eſſe reatus ſiue eſſe in obligatione, manet aliquo modo, & quod exiſteret, certiſsimum eſt quòd inter voluntatem, quæ produxit peccatum in illo eſſe, & illo quamdiu non deſtruit illud, quaſi conſeruat, fouet, & alit, eſt reſpectus aliquis, qui poteſt dici mutua reſpicientia, nam voluntas, quaſi reſpiciens illud, quaſi conſeruat illud in illo eſſe quieto, & peccatum inſpectum à voluntate tali modo inſpectionis, quaſi conſeruatur ab illa, talis igitur conſeruatio eſt quaſi productio habitualis peccati. Et poteſt ſumi analogia de productione, & conſeruatione creaturarum in eſſe reali, prima enim illa actio, qua effectus accipit eſſe à Deo, dicitur creatio ſecunda tamen illa actio, qua creatura conſeruatur à Deo, dicitur conſeruatio, & non creatio, poſſet tamen dici creatio habitualis, quatenus per illam permanet creatura in illo eſſe, quod per creationem accepit, ita ſuo modo philoſophandum eſt, dicendo, quod conuerſio actualis ad creaturam tanquam ad vltimum finem eſt productio peccati in ſuo primo eſſe, & tranſacta illa conuerſione remanet peccatum in illo eſſe quaſi quieto, quod dicitur eſſe reatus, quod eſſe, quamdiu non deſtruitur per voluntatem, quaſi conſeruatur ab illa, quæ quaſi conſeruatio dicitur habitualis conuerſio.

¶ Quarto eſt notandum, quod cùm peccatum originale habeat modum peccati habitualis, habebit ſuum materiale, & ſuum formale, ſicuti & peccatum habituale, & præcipuè, nam peccatum originale eſt voluntarium per modum actus primi intrinſece, & per conſequens dicendum eſt, cum ſit ſimiliter auerſio, eſſe voluntariam auerſionem per modum actus primi, habebit igitur tanquàm materiale ipſam volitionem per modum actus primi, & auerſionem pro formali. *Quarto nota.*

¶ Vltimò eſt notandum iuxta ea, quæ docet Doctor, in litera ſuprà aſsignata, quod concupiſcentia poteſt ſumi pro actu, vel habitu appetitus ſenſitiui, & poteſt etiam ſumi pro actu voluntatis non abſolutè, ſed qua- *Vltimo nota.*

tenus cõformabilis eſt appetitui ſenſitiuo:
dicetur tamẽ tunc cõformari appetitui ſen
ſitiuo, quando elicuerit aliquem actum, nõ
conformem regulæ rationis, quia cùm
appetitus ſenſitiuus ex ſe non obediat ra-
tioni, ſed in ſua obiecta iuxta ſuam inclina

Actus igitur voluntatis cõformis actui qui ab appetitu ſenſitiuo elicere tur dicit cõcupiſcẽtia in voluntate: & ſic dic de pronitate voluntatis ad actum talẽ eliciẽ tum quæ dicitur concupiſcentia etiam.

tionem tendat, ſi voluntas elicuerit aliquẽ
actũ, ſiue mota ab appetitu ſenſitiuo ſiue
non, cõtra regulam rationis, ac ſi eſſet mo
ta ab appetitu ſenſitiuo, tunc dicetur con
cupiſcere, non quia à concupiſcentia mo-
ta ſit, ſed quia ita ſe habuit reſpectu illius
actus, quẽ elicuit, ac ſi ab appetitu ſenſi-
tiuo mota eſſet & quia ſi ab appetitu ſen
ſitiuo mota eſſet, diceretur concupiſcere,
vel cõcupiſcẽdo elicere, idcò quamuis nõ
moueatur ab appetitu ſenſitiuo, ſi in eliciẽ
do actum ita ſe habet, ac ſi ab appetitu ſen-
ſitiuo moueretur, tunc propriiſsimè dici-
tur voluntas concupiſcens, & concupiſcẽ-
tiam habere. Eſt tamen obiter aduertendũ
talem concupiſcentiam poſſe eſſe in vo-
luntate, & in actu primo, & in actu ſe-
cundo, in actu ſecundo, quando actuali-
ter elicit actum contra rationem, ac ſi eſſet
mota ab appetitu ſenſitiuo. In actu au-
tem primo vel per modum actus duplici-
ter vel per modum termini vel per mo-
dum effectus, de quare vide quæſtionem
ſequentem.

Prima conclusio.
Prima ratio.

¶ Prima concluſio. Peccatum originale ha
bet ſuum materiale, & ſuum formale, ſicu-
ti, & habituale peccatum. Hac concluſio
probatur primo, peccatum originale eſt
auerſio voluntaria per modũ actus primi,
ſed voluntariũ per modum actus primi re
ſpectu auerſionis eſt materiale, ſicut in pec
cato habituali ergo. Maior eſt manifeſta,
probatur tamen claritatis gratia, peccatũ
originale eſt verè, & formaliter peccatum
ergo eſt verè voluntarium, ſed nõ per mo-
dum actus ſecundi, ergo per modum actus
primi, ſed voluntarium reſpectu cuiuſcun
que peccati eſt materiale, quia determina
bile per auerſionem ergo.

Secunda ratio.

¶ Secũdo auerſio, quæ in peccato origina-
li reperitur, non poteſt ſtare ſine habituali
conuerſione, ergo ſicut in actuali peccato
actualis auerſio habet rationẽ formæ reſpe
ctu actualis cõuerſionis, ita in peccato ori
ginali habebit rationem formæ auerſio re-
ſpectu habitualis conuerſionis. Maior pro
batur, quia, poſitis duobus extremis reali-
bus, implicat eſſe receſsũ à termino, à quo
ſine acceſſu ad terminũ ad quẽ, ſed Deus. &
creatura ſunt duo extrema realia in ratio-
ne vltimi finis, ergo implicat aliquem
auerti à Deo, tanquàm ab vltimo fine, &
non reſpicere creaturam, tanquam vlti-
mum finem, & ſi nõ ſit per modum actus,
quia pueri nullum actũ habuerunt ſaltim
per modum habitus eo modo, quo pecca-
tum originale voluntarium eſt.

Secunda conclusio.
Prima ratio.

¶ Secunda concluſio. Materiale in pecca-
to originali non eſt concupiſcentia appe-
titus ſenſitiui. Hæc concluſio probatur,
nam concupiſcentia appetitus ſenſitiui,
tam quantùm ad actum, quàm quantum
ad habitum manet poſt baptiſmum, ſed
per baptiſmum tollitur, (vt determinat
Concilium Tridentinum Seſsione quin-
ta in decreto de peccato originali) totum
id, quod veram, & propriam peccati ratio
nem habet, ergo concupiſcentia non eſt
materiale peccati.

Confirma.

¶ Confirmatur, quia Concilium ibidem
concedit manere in baptizatis concupi-
ſcentiam vel fomitem, quæ cùm ad ago-
nem relicta ſit, nocere non conſentienti-
bus, & viriliter per Chriſti Ieſu gratiam
pugnantibus non valet, quinimò, qui legi
timè certauerit, coronabitur, & ſubdit, hãc
cõcupiſcentiam, quam aliquando Apoſto
lus peccatum appellat, ſancta Synodus de
clarat Eccleſiam Catholicam nunquam in
tellexiſſe peccatum appellari &c.

Secũda ratio.

¶ Secundo. Nam talis concupiſcentia eſt
ante baptiſmum, quę poſt baptiſmum eſt,
ſed illa ita ſe habet in nobis, ſicut ſe habe-
ret, ſi in puris naturalibus eſſemus condi-
ti, quantum ad vim inclinandi ad malum,
ergo cum illa, quæ in puris naturalibus eſ-
ſet, non ſit cenſenda materiale peccati, ne-
que noſtra dicenda eſt materia, ex qua q[illegible]a
ſi componitur originale. ¶ Cõfirmatur ra-
tionibus adductis pro prima ſententia.

Confirma.

Tertia conclusio.

¶ Tertia concluſio. Habitualis diſpoſitio
inordinata relicta in natura humana ex
peccato originali, ſiue totalis propenſio
animæ noſtræ ad id, quod eſt rationi diſ-
ſonum, quæ non eſt determinata aliqua
eius potentia, ſed omnes, quæ poſſunt
aliquo modo conducere ad proſequu[illegible]-
nem boni honeſti, nempe intellectus, &
voluntas, & vires ſenſ[illegible]æ, vt à volun-
tate poſſunt moueri, quatenus om[illegible]es
iſtæ potentiæ deſtitutæ ſunt iuſtitia ori-
ginali, non eſt materiale in peccato ori-

gina-

Prima ratio. ginali. Hæc concluſio probatur, nam talis habitualis diſpoſitio, ſiue propenſio animæ noſtræ eſt effectus peccati originalis, ergo non eſt materiale in peccato originali, Antecedens patet, nam certiſsimum eſt ex peccato Adami per naturalem generationem communicari nobis talem habitualem diſpoſitionem inordinatam in natura humana relictam ex peccato originali, ergo ſi relicta eſt ex peccato originali, non eſt materiale peccati originalis.

Confirmatur primo. ¶ Confirmatur remiſſo peccato originali per baptiſmum manet in nobis talis propenſio animæ, quia omnes potentiæ eius facilimè traduntur ab appetitu ſenſitiuo, & maxima cum difficultate proſequuntur bonum honeſtum, ergo cùm in baptizatis maneat talis habitualis diſpoſitio inordinata, & illa totalis propenſio animæ, qua voluntas maxima cum facilitate tendit in bonum appetitus ſenſitiui, & maxima cum difficultate tendit in bonum rationis, & appetitus ſenſitiuus maxima cū difficultate obædit rationi, quia omnes iſtæ potentiæ deſtitutæ ſunt iuſtitia originali, ergo talis habitualis inclinatio, vel diſpoſitio inordinata, qua modo poſt peccatū de ordinatus eſt appetitus cum ratione, non eſt materiale in peccato originali.

Confirmatur ſecūdo. ¶ Confirmatur ſecundo, talis diſpoſitio inordinata remanet in natura ex eo quod deſtituta eſt iuſtitia originali propter peccatum, ergo non eſt materiale in peccato.

Tertia ratio. ¶ Tertio. In anima ſeparata, quæ decedit in peccato originali, manet veriſsimum peccatum originale, ſed non manet appetitus ſenſitiuus, ergo propenſio ad appetitum ſenſitiuum non erit materiale in peccato originali.

Quarta concluſio. ¶ Quarta concluſio. Materiale in peccato originali eſt concupiſcentia, quæ habitualiter in voluntate eſt per modum termini relicta, quatenus eſt habitualis inclinatio ad obiectum diſſonum rationi.

Prima ratio. Hæc concluſio probatur primo, nam vt ſupponimus ex prima concluſione, peccatum originale habet ſuum materiale, quale eſt voluntarium per modum actus primi, ſed oō voluntarium quatenus dicit inclinationem ad obiectum rationi conſonum, ergo erit voluntarium quatenus dicit inclinationem ad obiectū rationi diſſonum. Dixi notanter per modum termini relicta, quia, vt diximus in præcedentibus, & dicemus quæſtione ſequenti, ſicut carētia iuſtitiæ quædam eſt per modum termini, & quædam per modum effectus, ita concupiſcentia, quædam eſt per modum termini, & quædam per modum effectus, & ſicuti carentia iuſtitiæ, quæ per modū effectus eſt, non eſt culpa ſed pœna: carentia verò iuſtitiæ, quę per modum termini propriſsimè culpa eſt, & peccatum, ita concupiſcentia, quæ per modum effectus eſt, non eſt materiale in peccato, concupiſcentia verò, quæ per modum termini eſt, materiale in peccato propriè dicitur. Quòd autē talis concupiſcentia per modum effectus non ſit materiale, ſatis patet ex dictis, quia talis concupiſcentia nihil aliud eſt, quàm propenſio animæ noſtræ ſecūdum omnes ſuas potentias ad id, quod eſt diſſonum rationi. (Vnde eſt obiter aduertēdum, quòd inclinatio inordinata, quæ dicitur habitualis diſpoſitio in natura humana relicta ex peccato originali, non eſt aliqua qualitas ſuperaddita, qualitatibus naturæ humanæ exiſtens in corpore, aut in anima. Neque eſt appetitus ſenſitiuus præciſè ſumptus ſecundum ſuam inclinationem naturalem, quamuis non deſint, qui hanc ſententiam tribuant Doctori in ſecundo diſtin. 30. quæſt. 2. falſo tamen, vt licet videre in litera ſuprà citata, vbi dicit ex mente Anſelmi, quòd concupiſcentia poteſt accipi, prout eſt pronitas in appetitu rationali, id eſt in voluntate ad concupiſcendum delectabilia immoderatè, quæ nata eſt condelectari appetitui ſenſitiuo, cui coniungitur, & hoc modo concupiſcentia eſt materiale peccati originalis & reddit rationem, quia per carentiam iuſtitiæ originalis, quæ erat ſicut frænum cohibens ab immoderata delectatione ipſa, ſcilicet voluntas, non poſitiuè, id eſt, per aliquam entitatem poſitiuam in ipſa poſitam, ſed per priuationem ſcilicet iuſtitiæ originalis fit prona ad concupiſcendum immoderatè delectabilia, hactenus Doctor. Cū igit priuatio iuſtitiæ poſſit ſummi, & per modū termini, & per modum effectus, ita & concupiſcentia in volūtate poteſt ſommi, & per modum termini, & per modū effectus, ſi ſumatur per modū effectus nō eſt materiale peccati originalis, ſed effectus quidā reſultans ex ablatione iuſtitię originalis, ſicuti contingeret in naui fracto gubernaculo, quæ hîc & ibi abſq; vllo ordine per vniuer

ſum mare vagaret, talis enim vagatio, & inclinatio ad vagandum non eſſet in illa per aliquid poſitiuum in ipſa naui ſuper additum, ſed vt differentia quædam ad obædiendum omnibus ventis, & ſimiliter in equo fracto fræno, diſcurreret enim hûc, atque illûc nullo recto ordine ſeruato, ita voluntas noſtra propter carentiam iuſtitiæ originalis coniuncta appetitui ſenſitiuo facillimè vagatur per obiecta delectabilia, nulla qualitate morbida ipſi ſuper addita, ſed ſolùm ex priuatione iuſtitiæ originalis inſurgit in illa facilitas prædicta ad cõformandum ſe cum appetitu ſenſitiuo, & talis pronitas in voluntate dicitur concupiſcentia per modũ effectus in voluntate relicta. Eſt tamen alia concupiſcentia per modum termini in voluntate relicta, quæ dicitur materiale peccati, quæ eſt illud voluntarium, quod in peccato originali reperitur per modum actus primi, & dicitur habitualis concupiſcentia, quia ſicut ille actus, quo Adamus tranſgreſſus eſt legem Dininam, potuit dici concupiſcentia actualis inordinatá, quatenus illo actu non obædiuit rationi, ſed potiùs appetitui ſenſitiuo, & tranſacto actu illo remanſit in ipſo Adamo per modum termini habitualis concupiſcentia, ſicut & habitualis complacentia, ita & in nobis peccatum originale dicetur concupiſcentia habitualis inordinata origine tranſfuſſa non per modũ effectus, ſed per modum termini, nam quę per modum effectus tranſfuſſa eſt, ſolùm rationem pœnæ habet, quæ verò per modũ termini eſt materiale ipſius originalis peccati. Redeuntes igitur vnde digreſsi ſumus, inclinatio iſta inordinata ex peccato relicta per modum effectus, non eſt inclinatio habitualis, id eſt, non eſt appetitus ſenſitiuus præciſè ſumptus ſecundum ſuã naturæ inclinationem factam præter naturalem, quia iſta concupiſcentia tantum eſt in appetitu ſenſitiuo, & ſic non poſſet in voluntate reperiri, qualiter reperitur iuxta ſententiam Doctoris, vt patet ex dictis, ſumendo concupiſcẽtiam ſecundo modo. Erit igitur illa habitualis diſpoſitio inordinata relicta in natura humana ex peccato originali per modum effectus deordinatio omnium potentiarũ ex carentia iuſtitiæ originalis per modum effectus, quare poſſumus conſiderare talem deordinationem, prout eſt in omnibus potentijs ſimul ſumptis, quatenus dicunt ordinem inter ſe, & poſſumus ſecundo illam conſiderãre, prout in qualibet potentia reperitur, ſi conſideretur, prout in omnibus potentijs, dicetur habitualis diſpoſitio totalis, & concupiſcentia totalis, ſi autem, prout in qualibet potentia, dicetur habitualis diſpoſitio partialis. Vnde voluntas ex carentia iuſtitiæ originalis manſit habitualiter diſpoſita inordinatè per modum effectus, ſimiliter, & appetitus ſenſitiuus, & denique potentiæ per iuſtitiam originalem regulabiles. Quia tamen (& eſt valde notandũ) peccatum formaliter non reperitur niſi in voluntate, quia vt docet Doctor, nõ eſt peccatum in parte ſenſitiua ſecundũ Anſelmum lib. 1. de conceptu virginali cap. 3. &. 4. ideò concupiſcentia per modum termini relicta ſolùm poteſt in voluntate reperiri, quia ſolùm in voluntate poteſt reperiri proprium materiale peccati. Quòd ſi hoc perceperis facillimè Doctorem liberabis à complurimis calumnijs illi impoſitis, pro quo videbis & quæſtionem ſequentem.

Reſpondetur argumentis primæ ſententiæ.

¶Ad argumẽta tamen pro prima ſentẽtia adducta, quia illa ſola militãt contra noſtram, ex dictis, facillime reſpondetur. *Ad primũ.* Ad primum diſtinguendo Maiorem de concupiſcentia, quæ duplex eſt ex dictis, altera in voluntate, & altera in appetitu ſenſitiuo. Et illa, quæ in voluntate eſt, adhuc eſt duplex, altera; quæ per modum termini, & altera, quæ per modum effectus, concupiſcentia enim, & fomes, quæ in appetitu ſenſitiuo reperitur, & concupiſcentia, quæ in voluntate per modum effectus, iſta nõ tollitur per baptiſmum, vt determinat concilium. At verò concupiſcentia illa, quæ in voluntate pueris remanet per modum termini, vere tollitur, vt determinat concilium, quia tollitur totum id, quod eſt de eſſentia peccati originalis, quia tranſgreſsio illa qua Adamus tranſgreſſus eſt legem Dei, quæ ante baptiſmum in puero erat voluntaria per modum actus primi per baptiſmum & gratiam in illo collatam efficitur in voluntaria per modum actus primi, & ſicut tollitur voluntarium per modum actus primi, ita veriſsimè tollitur concupiſcentia per modum termini relicta ex voluntate pueri.

¶Ad

Ad ſecundum. ¶ Ad ſecundum reſpondetur negando ſequelam, & ad probationem dicitur, concedendo Antecedens, ſed nihil ad propoſitum, vt ex ſe patet. *Ad confir.* Ad confirmationem reſpondetur negando ſequelam, & ad probationem, concedendo Antecedens, ſed illa concupiſcentia appetitus ſenſitiui non eſt materiale vt dictum eſt.

Ad tertiũ. ¶ Ad tertium reſpondetur concedendo maiorem, & negando minorem loquendo de concupiſcentia vt eſt actus voluntatis, vt diximus in vltima cõcluſione, & in corpore quęſtionis.

Ad vltimum. ¶ Ad vltimum reſpondetur diſtinguendo minorem de habituali inclinatione per modum termini, vel per modum effectus; iuxta ea, quæ diximus in vltima concluſione, & hæc de iſta per difficili quęſtione.

TEXTVS.

SIc ad propoſitũ per hoc ſoluitur ſecunda quæſtio, qua quæritur, quid ſit peccatum originale? Eſt enim formaliter carentia iuſtitiæ originalis debitæ, quia acceptæ in primo parente, & in ipſo amiſſæ diſt. 3a. q. vnica infra literã B.

EXPLICATIO LITERÆ.

DOctor in hac litera difficilẽ reſoluit quęſtionem de ratione formali peccati originalis ex mente D. Anſelmi lib. de cõceptu virginali cap. 26. vbi dicit, hoc peccatũ quod originale dico, aliud intelligere neque in ipſis infantibus niſi factã per inobędientiam Adę iuſtitię debitæ nuditatem. Sed quia non omnes eodẽ modo hanc diffinitionem intelligunt. Neque hanc reſoluunt difficultatem, vt planior de illa habeatur notitia, ſit quęſtio. 3.

QVÆSTIO. III.

¶ *Vtrùm formalis ratio peccati originalis ſit carentia iuſtitiæ.*

Prima ſententia. DE hac re inter Doctores catholicos Scholaſticos non ſatis conſtat. (Omitto tamẽ ſententias hęreticorũ in hac parte.) Prima eſt quorũdam aſſerentium rationem formalem peccati originalis eſſe morbidam quandam qualitatem in exiſtentem in anima eius, qui generatur ab Adam, quàm anima contrahit ex alia vitioſa qualitate carnis, quã accepit caro ex feruore concipiſcentię, in quo ſeminatur, & concepitur, ita tenuit Gregorius in. 2. diſt. 30. art. 2. circa mediũ, Olchot in quęſtione quadam de imputabilitate peccati in ſolutione ad primum principale, Guillelmus Altiſiodorenſis libr. 2. ſuę ſummæ tractatu. 27. quęſt. 3. cap. 3. vbi ſic ait, ad ſecundum dicimus, quòd hæc eſt falſa, peccatum originale eſt ex feruore concupiſcentiæ imò ex fœditate carnis, Neque ideò nõ contraxit. Chriſtus peccatum originale, quia non fuit natus per concupiſcentiam, ſed ideò quia ſanguis ille, de quo formatũ fuit corpus Chriſti operatione Spiritus ſancti, fuit depuratus à corruptione vitij &c. quaſi dicat, ſanguis, ex quo corpus Chriſto formatũ eſt, mũdatus eſt à morbida qualitate, ne animã peccato originali inficeret, eandem docet Guillelmus Pariſienſis tractatu de vitijs, & peccatis cap. 1. & 2. & clarius cap. 4. Hẽricus quodlibeto. 2. quſtę. 11. quam nonnulli tribuunt Magiſtro in. 2. diſt. 30. Iſta tamen ſententia communiter reijcitur tanquàm irrationabilis, vt licet videre in patre Cordoua libr. 1. ſui quęſtionarij q. 10. opinione. 1.

¶ Secunda ſententia fuit Alberti Pixij, quam ſequutus fuit Caterinus in opuſculo de peccato originali cap. 8. & diſceptatione tertia contra Dominicum de Soto, & vt ipſe ibi refert in ſeptimum cap. ad Roman. quam ſententiam dicit Caterinus fuiſſe Caietani ſuper illud ad Roman. 5. per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, de qua ſententia egimus ſuprà in diſputatione præcedente, quæ quamuis expreſſe non ſit damnata in concilio Mileuitano cap. 20. expreſſẽ tamen damnata eſt in concilio Tridentino Seſsione. 5. in decreto de peccato originali. §. 3. & Seſsione. 6. cap. 3. *Secunda ſententia.*

¶ Tertia ſententia eſt aliorum aſſerentiũ, peccatum originale eſſe reatum, ſeu dignitatem pœnæ æternæ vt autem ſuam explicent ſententiam, aduertunt primo ex D. Thoma. 1. 2. quæſtio. 87. artic. 1. quòd peccatum duplicem habet effectum, alterum, quem directè cauſat, ſcilicet reatum, & dignitatem pœnę, alterum tamen quem indirectè, & diſpoſitiuè, ſcilicet ipſam pœnã, cõtra cuius ordinẽ peccamus, & red- *Tertia ſententia.*

dunt rationẽ huius, nam omne peccatum eſt actus inordinatus contra ordinẽ imponẽtis pœnã, & natura cõparatũ eſt, vt qui contra aliquem ordinem inſurgit, à principio illiùs ordinis deprimatur, & detrimẽtum patiatur, & tale detrimentum, ſiue depreſsio eſt pœna, vnde peccator triplicem pœnam incurrere poteſt, contra tres ordines, quibus ſubditur humana voluntas, primo ſubditur ordini propriæ rationis, & ideo incurrit pœnam à ſe ipſo, quæ eſt remorſus conſciẽtiæ iuxta illud D. Auguſtini primo confeſsionum cap. 12. iuſsiſti domine, & ſic eſt, vt omnis animus inordinatus pœna ſit ſibi. Secundo ſubditur humana voluntas ordini hominis ſpiritualiter, vel temporaliter gubernantis, & ſic incurrit pœnam à legibus humanis impoſitam. Tertio ſubditur ordini vniuerſali Diuinarũ legum, & ſic incurrit frangens illũ in pœnam peccati contra legẽ Diuinam. Ex quo infertur ratio, propter quam pœna peccato mortali debita ſit æterna, & eius effectus directè cauſatus ſit reatus pœnæ. nõ cuiuſque ſed æternæ, quia enim per peccatũ mortale auertimur, à fine vltimo, qui eſt principiũ tertij ordinis huiuſmodi inordinatio quãtum eſt de ſe, eſt irreparabilis, quia inordinatio principij ſemper eſt irreparabilis ſecundum ſe, ſicut patet exemplis. Inordinatio enim aliarum partium ordinis, quæ infirmitas dicitur, reparabilis eſt, dummodò nõ ſit in corde, quod eſt principium vitæ auferens enim huiuſmodi principium auferet vitam, ſimiliter ſi de intellectu loquamur, error circa concluſiones reparabilis eſt, dummodò ſit rectitudo circa principia, error tamen circa pricipia non eſt reparabilis. Quare contra negantes principia &c. Ita in propoſito inordinatio peccati mortalis, quia auertit voluntatem ab vltimo fine, qui eſt principium totius ordinis in voluntate, & in cæteris potentijs, quæ ab ipſa mouent, irreparabilis eſt, quãtum eſt ex ſe, & ſic hac ordinatione perſeuerãte reatus, qui eſt effectus (etia perſeuerat) irreparabilis, quia verò inordinatio peccati venialis nõ auertit ab vltimo fine, ideò reparabilis eſt, ſicut quæuis alia deordinatio ſaluo principio, ex quo ſecundum ſententiam Scoti in 4. diſt. 22. pœna peccati venialis, in quocũque ſubiecto inueniatur, finiri poteſt, quia ſecundum ſe eſt finita, licèt in ſententia D. Thom. nulla remiſsio culpæ, neque pœnæ poteſt fieri ſine gratia, & ideo pœna peccati venialis per accidens ex parte ſubiecti non habentis gratiam poteſt eſſe infinitæ durationis.

¶Secundo aduertunt ex D. Thoma. 1. p. quæſt. 48. art. 5. & 6. quòd pœna habet rationem diſtinctam mali à culpa, quare in creatura rationali, in qua inuenitur ratio boni, & mali propter volũtatẽ etiam reperitur malũ culpæ, & malum pœnæ. Malũ pœnæ eſt defectus actus primi, ſiue formę alicuius pertinentis ad integritatem debitam, ſicuti cæcitas, nã actus primus eſt forma, & integritas rei, cuius defectus eſt depræſsio quædã à principio ordinis, contra quem peccando egimus, vnde pœna neceſſario eſt inuoluntaria ſecundum ſe: malum verò culpæ eſt defectus actus ſecundi, qui eſt operatio: eſt igitur defectus rectitudinis debitæ in actione libera, à qua libertate habet malum in actione rationẽ culpæ. Quare D. Thomas docet collegit, quòd culpa habet maiorem rationem mali, quã pœna, quia actus ſecundus, cuiùs priuatio eſt peccatum, præſtantior eſt actu primo, cuius priuatio eſt pœna, vnde D. Dionyſius cap. 4. de Diuinis nominibus ait puniri non eſſe malum, ſed fieri pœna dignum, & ob hoc Deus poteſt eſſe cauſa mali pœnæ, non autẽ mali culpæ. Ex quo infertur, quòd reatus pœnæ non eſt ipſa pœna, neque deputatio ad pœnam, ſiquidem vtrumque eorum bonum eſt, & vtrũque à Deo, eſſe verò reum pœnæ, vel dignum pœna malum, eſt, & in hoc ſenſu reatus pœnæ eſt effectus peccati.

¶Tertio aduertunt, quòd reatus cauſatus à peccato actuali, vt docet Scotus in. 4. diſt. 14. quæſt. 1. non eſt aliquid poſitiuum reale abſolutum, aut reſpectiuum, & etiã D. Thomas. 1. 2. quæſt. 86. arti. 2. ad primum vbi expreſſe cõcedit, quòd per actum peccati, nihil poſitiuum poteſt produci, & articu. 1. argumento. 3. ex profeſſo probat, quòd per actum peccati, licèt ſemper producatur reatus, non tamen habitus, aut diſpoſitio, ad cuius generationem neceſſario debent multiplicari actus, cùm tamen reatus ſemper vnico actu producatur, & etiã ſtante diſpoſitione, & habitu contrario illi habitui, aut diſpoſitioni producẽdæ per actum peccati, vt patet in habente habitũ auaritiæ, qui elicit actum prodigalitatis.

Neque

Neque etiam reatus eſt aliquid, relatiuum poſitiuum, nam ex philoſopho. 5. Phyſicorum ad relationem non eſt motus, nequit enim de nouo acquiri, niſi acquiſito fundamento, quod vt in plurimum neceſſariò eſt abſolutum, ſi ergo non requiritur aliquid abſolutum, ergo neque relatum reale. Supereſt igitur quod eſt aliquid rationis. Quod ſi dicas quid ſit hoc ens rationis reſpondetur quod ſicut habitus virtutis comparatur ad præmium, ita actus peccati ad pœnam, vnde ſicut transacto actu virtutis intelligitur remanere meritum præmij quod nihil aliud eſt, quàm dignitas præmij, ita tranſacto actu peccati intelligitur remanere reatus, vel dignitas pœnæ. Quod ſi ſecundo quæras quid ſit meritū præmij, & dignitas pœnæ, & quæ eius cauſa proxima. Reſpondetur prænotando ex Ariſtotele. 5. Ethicor. cap. 9. & lib. 1. bonorum moralium cap. 3. quod tā iuſtitia, quàm amicitia eſt æqualitas quædam quæ tam iuſtitiæ quàm amicitiæ, vt ipſe docet in eodem lib. 5. cap. 6. & lib. 8. cap. vlt. aliàs profecto & ſimpliciter, quæ ſcilicet reperitur inter æquales, vt inter ciues, altera verò eſt imperfecta ſecundum quid, quæ reperitur inter eos, quorū vnus eſt ſub poteſtate alterius, & quorum vnus excellit alterum, vt eſt æqualitas iuſtitiæ, & amicitiæ, quæ eſt inter patrèm, & filiū, Deum & hominem, Deum & creaturas, quare duplex etiam erit inæqualitas oppoſita duplici æqualitati, hoc igitur poſito reſpondetur, quod quicunque peccans ſubuertens ordinem à Deo præſtitum ſuis legibus peruertit æqualitatem iuſtitiæ, & amicitiæ, quæ debebat eſſe inter creaturam rationalem, & Deum, & ſic remanet inæqualitas cauſata per inordinatū actum peccati, quæ inæqualitas eſt offenſa, & dignitas Diuinæ inimicitiæ reatusque pœnæ æternæ à quo dicimur peccatores trāſacto actu peccati, nam donec hæc inęqualitas ad ęqualitatem reducatur, dicitur homo manere in offenſa Dei, & in dignitate inimicitiæ & in reatu pœnæ, & hęc inæqualitas eſt quæ per actum pœnitentię ad ęqualitatem reducitur, per quem actum fit recōpenſatio huiuſmodi inæqualitatis, & auerſionis à bono commutabili, & conuerſionis ad bonum incommutabile, ſicut inæqualitas fuit cauſata per auerſionem à Deo, per quam abſtulimus ab ipſo honorem debitum conuertendo nos inordinatè ad creaturam, & quando huiuſmodi inęqualitas à nobis non educitur ad æqualitatem per recompenſationem poenitentiæ reducitur ab ipſo Deo per retributionem poenæ appoſitam inæqualitati inimicitiæ noſtræ, & ob hāc cauſam à ſanctis & Theologis dicitur quod inordinationem reducit Deus ad ordinem ſuæ iuſtitiæ per poenitentiam, & per poenam, iuſtū enim eſt, vt qui plus indulſit ſuæ inordinatæ voluntati quàm Diuinæ aliquid patiatur cōtra inclinationem vōluntatis à ſeipſo, vel à Deo contra cuius ordinem peccàdo egit. Ex quo infertur primo ratio, propter quā peccatum mortale ratione auerſionis inducat reatum pœnę ęternę, licet ratione conuerſionis ad bonum commutabile inducat reatum poenę finitæ, quia per auerſionem auertitur homo à bono infinito, & ex hac parte offenſa eſt infinita, & reatus pœnę infinitę, ex parte verò conuerſionis ad bonum commutabile offenſa eſt finita ſicuti obiectum conuerſionis, & ſic reatus eſt pœnę finitę. Ex quo infertur ſecundo ratio, propter quam ex parte auerſionis correſpondeat peccato pœna damni, quę in priuatione conſiſtit, ex parte autem conuerſionis correſpondeat, pœna ſenſus, quę in ratione conſiſtit, quia per auerſionem à Deo auſertur ęqualitas Diuinę amicitię, à qua nobis proueniunt omnia bona, per conuerſionem verò inordinatā ad bonum commutabile tribuimus creaturę honorem Deo debitum, & ideo ſecundū Diuinam iuſtitiam ab eiſdem creaturis fit retributio poenę, iuxta illud Pſalmi, ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum, &c. De qua re videndus eſt D. Thomas. 1. 2. quęſtione. 87. art. 4. & 6. & Doctores ſcholaſtici in 4. diſt. 14. & 18. Ex quo infertur tertio, quod reatus apud Doctores ſcholaſticos dupliciter ſumitur vno modo pro dignitate, vel merito poenę ſecundo modo pro obligatione ad poenam propter culpam, & reatus hoc ſecundo modo ſumptus nihil aliud eſt vt docet Scotus in 4. diſt. 14. q. 1. ar. 1. quàm relatio rationis ex eo, ꝙ ſumus obiecta Diuinę ordinationis ordinantis nos ad poenam ex actu enim intellectus, & volūtatis in eorum obiectis tantum reſultat relatio rationis vt expreſſè concedit Caietan. 1. 2. quęſt. 86, art. 1. ad ſecundum, & de reatu in hac ſignificatione

ſumpto docet D.Tho.in 2.d.42.q.1.ar.2. quod quanuis cauſa remota ſit inordinatio actus peccati præteriti eius tamen proxima cauſa eſt aliquis defectus cauſatus ab illa inordinatione, qui defectus remanet tranſacto actu, vnde in ſolutione ad ſecundum dicit quod non ideo eſt homo ordinatus ad poenam, quia peccauit quia inde ſequeretur, quod quoties verè diceretur quod peccauit verè etiam diceretur quod eſt dignus pœna, quod eſt falſum, tunc ergo verè dicitur, quod eſt reus poenæ, quãdo verè remanſit defectus inductus per inordinationem actus, licet illa deordinatio tranſierit. Quod ſi quis quærat, quid eſt hic defectus, qui remanſit à peccato actuali indirectus, vel inductus. Reſpondetur quod nihil aliud eſt, quàm dignitas poenę dicit enim queſt.87.ar.3.in corpore quod ideo peccatum inducit reatum, quia peruertit ordinem legis naturalis vel Diuinę, & quia manente cauſa dicitur manere effectum, ideo quamdiu hæc peruerſitas ordinis remanſerit, remanebit etiã reatus. Vnde ex ſententia D.Thomæ cauſa proxima reatus, qua remanente remanet, eſt peruerſitas ordinis inducta per actum peccati, & in 4.diſt.14.q.2.art.2.quæſtiun.1.in corpore expreſſe docet, quod hæc peruerſitas ordinis, quæ eſt offenſa, quæ remanet nihil aliud eſt, quàm inæqualitas oppoſita æqualitati amicitiæ iuſtitiæ Dei, & hominis, quam duplicem qualitatẽ optimè explicat quęſtiun.2.eiuſdem articuli vbi ait quod reatus eſt meritum poenæ, & in hac ſignificatione idem eſt realiter reatus, & formaliter cum peruerſitate ordinis inæqualitas, & offenſa, quæ remanere dicitur poſt actum peccati, & cauſari ab eodem actu.

¶Quarto eſt notandum quod eodem modo philoſophari oportet de macula peccati derelicta in anima, nam aliquando ſumitur pro priuatione nitoris gratiæ, & charitatis ſicut & reatus pro ordinatione ad poenam, & in hac ſignificatione docet D. Tho.de veritate art.2.quod auerſio & offenſa eſt corruptio boni naturæ, & macula quia docet corruptionem boni naturæ, vel deordinationem boni naturæ proficiſci ab auerſione volũtatis à Deo, nam ſubiectio voluntatis noſtræ volũtati Diuinæ, quæ eſt primus, & pręcipuus ordo in nobis eſt cauſa ſubiectionis virium inferiorũ ad ſuperioris & corporis & animæ, hæc etiam auerſio volũtatis noſtrę à regula Diuinę voluntatis eſt offenſa nõ paſsiuè ſumpta ſed actiuè, quia ex eo per peccatũ mortale Deum offendimus, quia auertimur ab ipſo bono incommutabili, & conuertimur ad bonum commutabile conſtituendo in ipſo vltimum finem, & præferendo ipſum Deo, quare macula nõ diſtinguitur ab auerſione eſt enim macula priuatio nitoris & pulchritudinis gratiæ, quam pulchritudinem conſequitur anima ex coniunctione ad ipſum Deum, qui eſt principium huius gratiæ & luminis ſupernaturalis, vnde ex auerſione ab huiuſmodi principio luminis macula contrahitur. Iſta autem auerſio & conuerſio non eſt aliquid poſitiuum exiſtens in dictis potẽtijs, quia cõuerſio actualis iu intelligibilis eſt per aliquid poſitiuum, niſi per habitum, aut diſpoſitionem, ſed in voluntate primi parentis & in alijs potentijs illius per illam primam conuerſionem inordinatam actualem nõ fuit cauſata talis diſpoſitio, vel talis habitus ſicut neque in nobis cauſatur, quando elicimus talem conuerſionem inordinatam actualem, quia habitus, aut diſpoſitio non generatur vnico actu, vt patet ex D. Tho. 1.2. q.83.art.1.ad tertium.& art.2. & ex Soto in 4.diſt.14.q.1.art.1.vnde ſi quis dicat, ꝙ licèt auerſio ſit denominatio priuatiua, ſaltim conuerſio eſt poſitiua, & per conſequens non poſſe dici naturam cõuerſam, niſi per poſitiuum, & cum natura primi parentis, & per conſequens omnis eius poſteritas poſt primum eius peccatum manet conuerſa, neceſſariò eſt dicendum, ꝙ per aliquid poſitiuum manet conuerſa. Reſpõdetur, quòd habilitas, & prioritas ſunt denominationes poſitiuę, & ꝙ potentiæ infectæ peccato originali dicuntur pronæ, & habiles nõ propter poſitiuum aliquod, ſed propter remotionem prohibẽtis frænì, ſcilicet iuſtitiæ originalis: quare nihilo minus dicantur illæ potentiæ minus conuerſæ habitualiter ad bonum commutabile, præter ordinem rationis per remotionem prohibentis huiuſmodi inordinatas conuerſiones. Ex quo patet, quomodo macula non eſt aliquid poſitiuum, pręter remotionem gratiæ, & iuſtitiæ originalis, à quibus prouenit nitor ipſius animæ, quę per peccatum maculatur, pro quo videndus eſt D.Tho.1.2.quęſt.86.art.1. ad ſecundum. *Solutio.*

cundum.&Caietanus ibidem,Scotus in 4. diſt. 14.q.1. Licèt enim de macula concedatur ab iſtis authoribus,quòd per eam voluntas auerſa eſt à Deo, & conuerſa ad bonum commutabile habitualiter, ſicut per charitatem dicitur voluntas conuerſa ad Deum, finem vltimum, & auerſa à bono commutabili habitualiter, differunt tamẽ in hoc, ꝙ conuerſio habitualis charitatis eſt per aliquid poſitiuum,ſcilicet per habitum chariratis; conuerſio autem habitualis ad bonum commutabile,neceſſariò cõiuncta cũ auerſione habituale, relicta per peccatum mortale,non eſt per aliquid poſitiuum,niſi tantùm per remotionem prohibentis,ſcilicet charitatis, quę prohibet, & impedit illam auerſionem à Deo, & inordinatam conuerſionem ad creaturam. Ex quo prouenit ſecundo, vt optimè aduertit Caietanus.1.2.q.89.ar.1.& 2. quòd licèt diuerſis nominibus ſignificetur priuatio derelicta in anima, & in voluntate ab inordinato actu peccati mortalis, iam tranſacto,re tamen eadem eſt,ſicut poſitiuum,quo priuat,eſt idem,licèt diuerſis nominibus etiam nũcupetur, dicimus enim, quòd charitas reddit nos Deo conformes, coniungendo volũtatem ipſam cum Deo, illamque ad Deum conuertendo, ex qua conuerſione dicitur,animam reddi lucidã, nitidam,& pulchram. Similiter ex priuatione charitatis dicitur anima auerſa, & ſeparata, difformis,& maculata, vnde ſicut vnus & idem effectus formalis gratię, & charitatis eſt,ſecundum quem anima dicitur,coniungi Deo, & ad Deum conuerſa, & ex hac conuerſione ordinata dicitur recta,decora,& fulgẽs,ita vna,& eadem priuatio gratię, & charitatis,& eius effectus formalis eſt,ſecundùm quem dicitur anima,vel voluntas habitualiter à Deo ſeparata,auerſa,deformis,& maculata.

¶Secundo modo ſumitur macula pro cauſa proxima ex parte hominis,ipſius priuationis nitoris,& gratię, & eſt peruerſitas ordinis,inæqualitas,offenſa, dignitas vel reatus.Et ſecundum has duas ſignificationes tam reatus quàm maculæ, Doctores ſcholaſtici variè de illis loquuntur:nã Scotus reſpiciens primam ſignificationẽ maculæ,contendit ab ea, non poſſe nos dici verè peccatores,nam pœna eſt ab eo inflicta propter peruerſitatẽ,offenſam,& inęqualitatem,de quibus dictum eſt eſſe cauſam proximã illius,& D.Thom.in 4.diſt. 18.q.1.ar.2.quæſtiun.1.ad quartum ait,ꝙ macula,licèt ratione ſuę cauſę ſit malũ culpæ,prout tamen dicit priuationẽ gratiæ, pœna eſt,conſequens culpam. Et Caietanus ſumens reatum pro obligatione, & ordinatione ad pœnam,optimè probat.1.2. quęſt. 86. non poſſe nos dici peccatores ab huiuſmodi reatu, quia huius Deus eſt cauſa,& ordinatio hæc bona eſt,quia reducitur ordinatio pœnæ ad ordinẽ iuſtitiæ, vnde optimè Caietanus concluderet contra Scotum, ſi Scotus affirmaſſet à reatu, vel à macula in hac ſignificatione nos dici peccatores,ſed Scotus loquitur de reatu, vt ſignificat cauſam proximam ex parte hominis huius ordinationis, & veriſsimũ eſt quòd ab hoc reatu dicimur peccatores. Quare Medina 1.2.q.86.art.vlt. non percepit Scotum.Ex quibus infertur vltimò, ꝙ ex hac duplici ſignificatione tã reatus, quàm maculæ,prouenit, ꝙ varia, imò & contraria de eis ab autoribus dicta verificẽtur,quoties enim de priuatione gratiæ, & iuſtitię originalis à ſanctis & doctoribus ſcholaſticis dicitur eſſe maculã, & culpam,à qua peccatores dicimur, non debet intelligi de priuatione gratiæ, & iuſtitiæ formaliter, ſed de cauſa eius proxima ex parte hominis, quę remanet ſimul cũ illa priuatione,quæ eſt peruerſitas ordinis inæqualitas,offenſa reatus,vel dicta dignitas pœnæ. Quoties verò de priuatione gratiæ,& iuſtitię dicitur eſſe pœnam à Deo inflictam,debet intelligi de priuatione formaliter: de tribus illis effectibus peccati actualis,de quibus D.Tho.1.2.q.89.ar.7. dicit,ꝙ per peccatum tres effectus cauſantur in homine,ſcilicet priuatio boni naturæ,macula,offenſa,ſiue reatus,nã per peccatũ remanet natura corrupta,manet maculata in offenſa,ſiue reatu quę damnatum eſt primum parentem incurriſſe pro ſe,& pro tota ſua poſteritate,vt diffinit cõcilium Trid.ſeſſ.5.canone.1.& 2.vbi dicitur,ꝙ Adam amiſsit iuſtitiam & ſanctitatem,in qua fuit conditus,ita,ꝙ ſecũdũ animã & corpus indeteriùs ſit mutatus, vbi oſtenditur primus effectus peccati,ſcilicet corruptio naturæ. Et ſecundus, quia per offenſam illius præuaricationis incurrit etiã iram,& inimicitiam Diuinam,& canone.5.meminit etiã reatus,dicẽs, ꝙ per gratiam baptiſmalẽ remittitur reatus peccati.

Corolar. vltim.

¶His

¶His igitur ſic conſtitutis, ſuam ſententiã
aſsignant dicentes, peccatum originale
eſſe formaliter reatum, prout reatus ſigni-
ficat dignitatem poenæ ęternæ, ab Ada-
mo ad nos origine transfuſam. Hanc ſentẽ
tiam dicunt differre à communi eorũ, qui
videntur ſequi ſententiam Diui Thomæ,
in hoc, quod illi dixerunt, peccatumq; origi
nale eſſe priuationem iuſtitiæ, aut alicuius
effectus formalis, at verò ſententia iſta do
cet, quòd formale peccati originalis eſt
cauſa prima ex parte hominis huiuſmodi
priuationis, quæ quidem cauſa eſt peruer-
ſitas ordinis, vel inæqualitas derelicta ex
primo peccato actuali Adę, quę tamẽ cau-
ſaliter poteſt dici priuatio iuſtitiæ origi-
1. *Ratio.* nalis. Modò tamen probatur prædicta ſen
tentia. Primò. Peccatum originale non eſt
prima actio inordinata primi parẽtis, quia
talis in poſteros per generationes nequit
transfundi, neque eſt priuatio iuſtitiæ ori
ginalis, neque aliquis defectus ipſam con-
ſequens, ergo ſolum eſt reatus huiuſmodi
priuationis, & aliarum poenarum, quæ
ipſam conſequuntur, qui quidem reatus
eſt primarius effectus, & directè cauſatus
à prima inordinatione actuali Adę, & eſt
cauſa diſpoſitiua priuationis iuſtitiæ origi
nalis, & cæterarum pœnarum quæ ipſam
conſequuntur, nam hoc ipſo, quòd per pri
mam actionem inordinatam liberam Adę
tam ipſe, quàm tota eius poſteritas incur-
rerunt reatum, & dignitatem inimicitiæ
Diuinæ, remanſerunt rei digni, & obnoxij
omnium poenarum, quæ à Diuina inimici
tia profectæ ſunt.
2. *Ratio.* ¶Secundo probatur ex D. Auguſt. lib. re-
tractationum cap. 15. & ſuper Pſalmo 50.
& lib. de eccleſiaſticis dogmatibus ca. 16.
vbi ſic ait: firmiſsimè tene, & nullatenus
dubites, quòd omnes qui ab Adamo per
concubitum viri & fœminę naſcimur, con
trahimus peccatum originale, quia naſci-
mur ſubditi poenis & digni poena, & ob
hoc natura filij iræ, ergo ex ſententia Diui
Auguſtini peccatum originale nihil aliud
eſt, quàm reatus vinculũ & meritũ pœnæ.
Confir. 1. ¶Confirmatur ex D. Paulo ad Roman. 5.
& 9. & ad Epheſ. 2. vbi poſtquàm dixit
Apoſtolus, nos peccatores conſtitutos eſ-
ſe primo Adam peccato cap. 9. eiuſdem
epiſtolæ, quos appellauerat peccatores,
appellat vaſa irę, apta in interitum, quod
nihil aliud eſt, quã creatura rationalis, quę
ræa eſt & digna poenarum, quę ab ira &
inimicitia Dei proficiſcuntur: Vnde ad
Epheſ. 2. eundem peccatorem appellat na
tura filium iræ, quem ad Roman 5. appel-
lauerat inimicum Dei, ſed non dicitur ho-
mo formaliter peccator ab inimicitia, quę
eſt in Deo, ergo neceſſario à dignitate hu-
iuſmodi inimicitiæ. ¶Confirmatur ſecun- *Confir.* 2.
do, quia Concil. Tridẽ. ſeſſ. 5. canone 1. di-
cit, quòd homo ideò incurrit mortẽ, quia
prius incurrit per offenſam præuaricatio-
nis iram, & indignationem Dei, ideò autẽ
incurrit iram, & indignationem Dei per
offenſam, quia per offenſam pręuaricatio-
nis factus eſt dignus, & reus huiuſmodi ini
micitiæ, ergo prima cauſa omnium horum
effectuum fuit præuaricatio, & actualis
offenſa, primus autem effectus directè à ſo
lo homine cauſatus eſt huiuſmodi reatus,
& dignitas, qui reatus eſt cauſa indirecta
& diſpoſitiua tantùm omnis poenæ, quia
efficienter à Diuina inimicitia prouenit, ꝙ
cum expreſſe D. Tho. docuerit 1. 2. q. 87.
ar. 2. ad ſecundum. non videtur, quo pacto
huiuſmodi reatus oblitus (à quo expreſſe
concedit cum Dionyſ. 4. cap. de Diuinis
nominibus, hominum dici peccatorem, &
malum malitia culpę) aſsignauerit forma-
le peccati originalis priuationem iuſtitiæ
originalis, de qua expreſſe etiã cõcedit eſ-
ſe pœnã à Deo inflictam. Et ſimiliter quã-
do Scotus in 4. diſt. 14. q. 1. ar. 1. dixit, nos
dici peccatores ab ordinatione ad poenas,
quę debẽtur auerſioni, & cõuerſioni actua
li, nequit interpretari deordinationẽ, put
eſt in Deo & eſt idẽ realiter, & formaliter
cũ Diuina inimicitia, ſed de dignitate hu-
iuſmodi ordinationis, ab hac enim dicimur
peccatores ex Dionyſio vbi ſuprà dicẽte,
puniri nõ eſt malũ, ſed dignitas poenę ma-
la (ſcilicet) eſt, & reatus eſt chirographũ,
quod Paulus docet ſublatũ eſſe per paſsio-
nẽ Chriſti, & cruci affixũ, de qua dignita-
te ſublata inquit ad Rom. 8. nihil dãnatio-
nis remanere in renatis per gratiã baptiſ-
malẽ, nã vt determinat Cõcil. Triden. vbi
ſuprà, per illã gratiã reddimur innoxij, &
ita à Deo dilecti, ꝙ adhuc explicat ſeſſ. 6.
cap. 3. dicens, ꝙ quemadmodum benefi-
ciũ mortis Chriſti non communicatur niſi
illis, quibus priùs cõmunicatur meritum
ipſius paſsionis Chriſti, ita dãna primi pa-
rentis nõ communicantur niſi his, quibus
pri' cõmunicatur demeritũ primi parẽtis,
non

non actuale, quia peccatum actuale primi parentis nequit cõmunicari, neque transfundi in poſteros per generationem, ergo habituale, quod eſt reatus, de quo in ipſo Concil. ſeſſ. 5. canone. 5. expreſſe diffinitur, ꝙ anathema ſit, qui dixerit, per gratiã baptiſmalem non remitti reatum, aut qui affirmauerit, remanere aliquid quod habeat veram, & propriam rationem peccati, quaſi diceret Concilium ꝙ remiſſo reatu non poteſt manere, quod habet verã & propriam rationem peccati originalis.

3. Ratio. ¶Tertiò, de reatu vere dicitur, quòd eſt culpa, & ꝙ eſt demeritum, ſed de priuatione iuſtitię originalis, aut de aliquo eius effectu formali non poteſt concedi eſſe culpam, aut demeritum, ergo neque eſt originale peccatum. Probatur antecedens, nam de ratione culpæ, & demeriti eſt eſſe volũtarium, & liberum, huiuſmodi autem reatus directè cauſatus ab actione inordinata, libera & voluntaria, voluntarius eſt, quia eſt à principio intrinſeco, & actiuo, à quo eſt actio inordinata, priuatio verò iuſtitiæ originalis, aut alicuius eius effectus eſt à principio extrinſeco actiuo ipſo homine tantùm paſsiuè, & diſpoſitiuè concurrente, ergo huiuſmodi priuatio non poteſt eſſe voluntaria. Minor patet ex Ariſto. 3. Ethicor. vbi ait voluntarium eſſe à principio intrinſeco, quare D. Auguſt. lib. 3. de libero arbitrio ait, culpa eſt malum, quod agimus, pœna verò malũ, quod patimur. Ex quo omnes Theologi acceperunt de ratione pœnæ, eſſe inuoluntarium: vnde D. Thom. 1. 2. quæſt. 87. art. 6. docet pœnam ſatisfactionis, quam ab alio inflictam voluntariè patimur, vel etiam volũtariam nobis imponimus, nõ eſſe ſimpliciter pœnam, ſed ſecundum quid, quia non eſt ſimpliciter inuoluntaria, ſed ſecundum quid. Eadem ratione probatur non poſſe eſſe de meritũ, quia de ratione demeriti eſt, quòd ſit voluntarium. Confirmatur. Peccatum

Confirm. originale à nobis eſt vt à cauſa propria. Vnde Oſeæ. 3. dicitur perditio tua ex te Iſrael, ſed huiuſmodi demeritum & reatus (ratione cuius dicitur, Deum nos odio habere) eſt à nobis, priuatio autem iuſtitiæ originalis, vel alicuius eius effectus formalis potiùs eſt à Deo, quã à nobis, ſiquidem à nobis eſt diſpoſitiuè, à Deo autem efficienter, & ſic priuationem, quam cauſat, non poteſt odio habere; reatus autem à nobis eſt, tanquàm à propria cauſa, à quibus eſt etiam deordinatio actionis, & Deus ratione huius reatus nos odio habet, ergo huiuſmodi reatus reuera eſt peccatum originale.

Vltima ratio. ¶Vltimò, quia iſta ſententia (vt refert Magiſter in 2. diſt. 30. & Duran. ibidem. q. 3.) ante magiſtrum fuit ſanctorum, & ſcholaſticorum, quare temerè quidã exiſtimant, ipſam accedere ad errorem Pelagij, cùm ſit vera & catholica, quam ipſe Durandus explicans ait, quòd Doctores relati à magiſtro, quando de reatu contendebant, eſſe effectum peccati & culpæ non vero culpam & peccatũ loquuti ſunt de peccatore culpa actuali, cum quo ſtat, quòd vera, & catholica ſit ſententia, quæ affirmat cõtra Caterinum, & Albertum noſtrum originale non eſſe ipſum actuale Adæ, ſed neceſſariò eſt aliquis effectus illius peccati actualis. Non tamen ſancti illi negant reatum eſſe peccatum, & culpam habitualẽ, nam, vt ibidem magiſter docet, tam ab ſcriptura, quam à ſanctis reatus dicitur peccatum & culpa. Neque mirũm, quòd primarius effectus peccati actualis peccatum dicatur, cùm ſecũdarius effectus (qui eſt pœna) peccatum etiam aliquando dicatur, vt conſtat ex Concilio Trident. ſeſſ. 5. canone. 5. vbi dicitur in renatis concupiſcentia peccatum dicit, licèt formaliter nõ ſit peccatum, quia à peccato eſt tanquam pœna, & in peccatum inclinat tanquam ad cauſam.

Impugnatio. ¶Neque contra prædictam ſententiam facit, quòd eſſe peccatorem, eſt eſſe malum, ſed malum formaliter eſt priuatio, ergo à priuatione dicimur peccatores, & per conſequens peccatum originale eſt priuatio, ſed non niſi iuſtitiæ originalis, ergo.

Solutio. Reſpondetur enim, quod ſicut differunt, & inter ſe, ſe habent iuſtitia originalis, & actus iuſtitiæ ab ipſa elicitus, & æqualitas iuſtitiæ per huiuſmodi actum conſtituta inter Deum & hominem, quæ æqualitas eſt effectus cauſatus per actum iuſtitię amicitiæ, & charitatis: ita ſe habent priuatio iuſtitiæ, actus iniuſtitiæ, & inæqualitas per huiuſmodi actum cauſata, & cùm oppoſita pertineant ad idem genus, non poteſt rectè aſsignari oppoſitio inter hæc niſi ſumamus, quæ ad idem genus pertinent, & ita quod opponitur inæqualitati cauſatæ per actum inimicitiæ, & iniuſtitię eſt

eſt æqualitas, quod verò opponitur actui iniuſtitiæ eſt actus iuſtitię, & quod opponitur priuationi iuſtitiæ, qualis fuit inuenta in Adamo, in quo non potuit inueniri habitus iniuſtitię per primum actum iniuſtitię, tum quia habitus non comparatur per vnum actum; tum etiam, quia iuſtitia originalis à nullo ponitur habitus iuſtitiæ in rigore, qui opponatur iniuſtitiæ, ſed dicitur, quòd eſt ipſa gratia, vel alia qualitas ſupernaturalis, quæ quia faciebat rectitudinem ordinis, ſubdens voluntatem Deo, & vires inferiori rationi, & corpus animę, iuſtitia dicitur analogicè, & propter hoc habitus iniuſtitiæ, vel priuatio iuſtitiæ habitui iuſtitiæ originalis opponitur. Et licet habitus iuſtitiæ ſit prior actu iuſtitiæ, & actus ſit prior æqualitate per actum cauſati, priuatio tamen iuſtitiæ originalis nō fuit prior actu iniuſtitiæ, neque prior inęqualitate cauſata per actum iniuſtitiæ, ſed neceſſario poſterior, quia vt docet D. Tho. quęſt. 1. de malo. art. 4. in corpore licèt in agentibus naturalibus defectus agē- *Nota hoc.* tis præcedat defectum actionis, quia curuitas tibiæ præcedit claudicationem, at verò in agentibus voluntarijs defectus agentis non præcedit defectum actionis, quia pœna non præcedit culpam, malum autē agentis pœna eſt, vt oſtendit D. Thom. 1. par. q. 49. art. vlt. & 1. 2. quæſt. 79. artic. 1. ad tertium. defectus, qui præcedit in voluntate, eſt non ſubdi regulæ rationis, aut legi æternæ, vel humanæ, quod non eſt malum niſi operatione ipſa, vel dum operatur quia abſolutè non eſt malum, cum ſit negatio, ergo primū malum, & primus defectus cauſatus à primo peccato Adami fuit inæqualitas oppoſita æqualitati cauſatę per actum iuſtitiæ, & iſta inæqualitas eſt offenſa, culpa, reatus & dignitas pœnæ: ſecundarius verò effectus, vel defectus cauſatus ab huiuſmodi actu iniuſtitię fuit priuatio doni iuſtitiæ & omnium, quæ hanc priuationem conſequuntur, & ſicut ſolus Deus cauſauit efficienter iuſtitiam originalem, ipſe autem Adamus per modum liberi arbitrij [illegible] ex auxilio ſpeciali ſe in Deum conuertit, tantum cauſauit eā diſpoſitiuè, ſic Deus cauſauit efficienter priuationem iuſtitiæ originalis intendēs per ſe bonum iuſtitiæ, Adamus autem per actum iniuſtitię tantum cauſauit illam priuationem diſpoſitiuè inæqualitatem

autem, & reatum, quo ſe d[illegible] fuit eſſ[illegible]ter. Ad argumentum [illegible] fo[illegible] reſpo[illegible] *Solutio.* tur, quòd reatus, vel inæqualitas dic[illegible] priuationem æqualitatis cauſatam per actum iuſtitiæ, & ita habet rationem mali, quod eſt priuatio, ſicuti inordinatio actionis, (quæ eſt eius cauſa) priuationem [illegible] rectitudinis rationis, & ſicut hæc inordinatio actionis non eſt pura priuatio, ſed habet poſitiuum cōiunctum ſibi, ita inæqualitas (quæ eſt eius effectus) non eſt pura priuatio, ſed etiam habet aliquid poſitiuū coniunctum, & ob hanc cauſam hæc relatio dicitur dignitas ratione poſitiui, & indignitas ratione priuatiui, & ob eandem cauſam dicitur iniuſtitia, & ab ea homo iniuſtus, vt docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. canone. 3. vbi dicitur, quod per generationem contrahimus deſcendentes ab Adam, iniuſtitiam, & hanc rationem appellat D. Thom. 1. 2. quæſt. 86. articulo 2. in corpore, & ad tertium, diſtantiam auſatam ab actu peccati, quam conſequitur priuatio nitoris gratiæ, & per conſequens inter actum peccati, & priuationem nitoris gratiæ mediat diſtantia hæc, & 3. par. quæſt. 83. poſtquam art. 1. ad vltimum dixit per actum pœnitentiæ tolli huiuſmodi ſequelam & offenſam per actum pœnitentiæ, ſicut etiam priuationem gratiæ, aut iuſtitiæ non poſſe a nobis per noſtrum actum effectiue tolli, cùm per noſtrum actum non effectiue fiat gratia & iuſtitia, ſed tantum diſpoſitiuè.

¶ Quarta ſententia eſt aliorum aſſeren- *Quarta ſententia.* tium, prædictam ſententiam ſupra[illegible] eſſe falſam, & ferè improbabilem, ratio iſtorum eſt, quia cùm reatus ſiue di[illegible] pœnæ non poſsit habere veram & propriam rationem culpæ, aut pecca[illegible] ſtituentes originale peccatum in hoc reatu, aut dignitate non pon[illegible] in pueris peccatum, aut culpam originalem, ſed tantum verbis. Quòd autem [illegible] aut dignitas pœnæ non poſsit eſſe [illegible]liter peccatum, aut culpa: prob[illegible] videri aperta ratione, quia formalis [illegible] cuiuſcunque peccati, & conſeque[illegible]ginalis, eſt eſſentialiter [illegible] tiam ita vt hęc ſit form[illegible]lis, & [illegible] prædicatio, ratio peccati ſiue act[illegible] originalis eſt malitia, [illegible] reatus, [illegible] tas poenę non eſt formaliter, vel [illegible]liter malitia, ergo i[illegible] tali reatu aut [illegible]

t[illegible]c

tate non conſiſtit formalis ratio peccati originalis. Maior patet, nam vt docet D. Thom. 1.2 queſt. 71. art. 1. malum eſt ſuperius ad peccatum, & veluti genus ad illud, ita vt ratio mali, ſiue malitia contrahatur eſſentialiter per ordinem ad actū. Cui ineſt ad rationem peccati actualis, non ſecus, quàm curuitas per ordinē ad naſum, in quo recipitur, contrahitur eſſentialiter ad rationem ſimitatis. Similiter etiam ipſa ratio malitię per ordinem ad naturam cui debita erat rectitudo, quam pro ſe & poſteris acceperat primus parens, eſſentialiter contrahitur ad rationē originalis peccati. Minor verò, quòd ſcilicet reatus, vel dignitas ad poenam, non ſit eſſentialiter inferior ad malitiam. Probatur, quia de ratione formali actualis peccati eſt priuatio rectitudinis, vel conformitatis ad rationē, ſicut bonitas, quę illi opponitur eſt in ipſa rectitudo vel conformitas ad rationem. Et, vt alij volunt, malitia eſt contrarietas ad rectitudinem rationis, ſed reatus, aut dignitas poenę conſiſtit formaliter in adæquatione, aut commenſuratione, aut merito ad ipſam poenam, non ſecus quàm ratio meriti, aut dignitas prēmij, ſiue retributionis conſiſtit in æqualitate, aut commenſuratione ad præmium, ergo cùm malitia ſit eſſentialiter priuatio & reatus, aut dignitas ſequitur, quòd ſit formaliter relatio ęqualitatis, aut commenſurationis ad poenam & cum malitia dicat priuationē, aut ſecundum alios contrarietatem ad rectitudinem rationis, reatus vero tantùm dicat habitudinem ad poenam dici non poteſt, quòd reatus, aut dignitas poenæ ſit eſſentialiter inferior ad rationem malitiæ ſed eſt ab ea primò diuerſus & illa poſterior cùm ſit effectus & paſsio ipſius malitiæ, quod non obſcurè ſignificat D. Tho. queſtione. 21. articulo. 3. vbi ſtatuens diſtinctionem inter rationem bonitatis & malitiæ ex vna parte, & meriti, atque demeriti ex altera inquit, rationes priores deſumi penes ordinem ad finem ipſius rationis, poſteriores verò ſecundum ordinem retributionis Iuſtitiæ ad alterum. Cùm ergo paruulos eſſe peccatores, non ſit formaliter idem, quod eſſe reos poenę, ſed reatus ad poenam ſit effectus, & paſsio eius peccati, quod ſecundum fidem per natiuitatem contrahunt à primo parente, ita vt hæc cauſalis ſit vera, quia paruuli ſunt peccatores, ideò ſunt rei æternæ poenæ, & cum oppoſita huius ſit falſa, ſcilicet, quia paruuli ſunt rei eternæ poenæ ideò ſunt peccatores, neceſſariò dicendum eſt, originale peccatum nullo modo conſiſtere in reatu aut dignitate ad poenam, ſed in malitia ipſo reatu, & dignitate priori.

¶Secundo. Quia ſi reatus ad poenam ex culpa Adami eſt in paruulis originale peccatum, non poterit excogitari ratio, quare filij propter peccatum parentis (quod Deus viſitat in filium) non dicantur formaliter peccatores, ſiquidem ex omnium ſententia dicuntur digni poena propter peccata parentum neque obſtat ſolutio, quòd talis reatus, ſiue dignitas non eſt ad poenam æternam ſed tantùm ad temporalem, nam, cùm tota ratio culpę in reatu ſumatur ex eo, quod ſit dignitas ad poenā præciſe, vbicunque talis dignitas reperietur, & culpa debet reperiri, quod eſt falſum. Si verò reſpondeas, quòd cauſalis illa ſupra aſsignata ſcilicet, quia paruulus habet peccatum ideò eſt dignus poena, vel habet dignitatem ad poenam æternam, eſſe veram ſecundum genus cauſæ formalis, qua ratione etiam hæc eſt vera, quia homo habet albedinem, ideò eſt albus, vnde ſicut ratio formalis albi eſt albedo, ita etiam ipſa ratio formalis, propter quā quis eſt dignus poena, eſt peccatum originale. *Solutio.* Iſta tamen ſolutio quantùm ad accommodationem eſt falſa, nam quòd dignitas ad poenam, non ſit ratio formalis peccati, ac proinde quòd in genere cauſæ formalis hęc ſit falſa, quia homo habet peccatum eſt dignus poena, conſtat ex eo, quod quamuis hoc vtcunque videatur, poſſe explicari quando in propoſitione cauſali cauſa ponitur in abſtracto, & effectus in concreto, quod tamen ratio peccati, & dignitatis ad poenam non ſit eadem formaliter deducitur ex eo, quòd etiam propoſitiones cauſales ſunt veræ, quando ambo ſcilicet cauſa & effectus ponuntur in abſtracto, & etiam quando vtrumque ponitur in concreto, verè enim dicitur, quod quia homo habet peccatum, habet dignitatem ad poenam, & etiam quòd quia eſt peccator, eſt dignus poena, quod tamen ineptè diceretur ſi ratio peccati, & dignitas poenę eſſent idem formaliter, ſicut quia candor & albedo ſunt formaliter idem inepta eſt iſta propoſi- *Impugnatio.*

poſitio, quia corpus habet albedinem habet candorem, & quia corpus eſt album ideò eſt candidum nam eadem ratio formalis nō poteſt eſſe cauſa, vel ratio ſui ipſius, ergo dignitas non eſt ratio formalis peccati originalis.

Solutio. ¶ Quòd ſiquis reſpondeat, quòd nomine reatus ſententia quæ impugnatur, non intellexit dignitatem ad pœnam, quæſit relatio ad illam, ſed priuationem dignitatis, aut æqualitatis ad Deum ſecundum ſuam legem, ſicut enim verbi gratia aliquis eſt eo dignus, illique ſecundum ſuam legem adæquatus, & conformis, quando eſt in gratia, ſic etiam eſt indignus Deo, caretque conformitate & adæquatione ad illum in ſua lege, quando eſt in peccato: & in hac priuatione dignitatis, & adæquationis conſiſtere rationem peccati. Contra hanc ſolutionem inſurgunt dicentes in primis, prolibito abuti vocabulis, quia nunquam in ſcholis auditum eſt, quòd nomine reatus intelligatur aliud, quàm dignitas ad pœnam ortam ex culpa, ſecundo quia, vt nomine priuationis, dignitatis, vel adæquationis ad Deum intelligitur carentia dignitatis Dei, vt comparandi tanquàm præmium, vt vltimum finem, & hac carentia proculdubio non eſt ipſum peccatum, ſed eius pœna, quod conſtat ex veritate huius cauſalis, quia paruulus habet peccatum, habet carentiam dignitatis aſſequendi Deum, vt vltimum finem, ſi verò intelligatur dignitas carentiæ, ergo peccatum originale non eſt formaliter malitia & culpa, ſed relatio dignitatis ad pœnam, ſi autem nomine priuationis dignitatis, aut æqualitatis intelligatur carentia rectitudinis, aut iuſtitiæ, quam paruulus debet habere in ordine ad Deū, tunc coincidit in ſententia communi in peccato originali quòd conſiſtit in priuatione iuſtitiæ, aut rectitudinis debitæ, & ſic nihil nouum, neque præter communē modum loquendi affert prædicta ſententia.

¶ Secundo dicunt rationem formalem originalis peccati conſiſtere in priuatione iuſtitiæ originalis ſecundum ſuam radicem, ſcilicet in priuatione rectitudinis animæ in ordine ad Deum, tanquam ad vltimum finem, ſiue naturalem, ſiue ſupernaturalem, & nomine huius rectitudinis non intelligendus aliquis effectus, qui in ſtatu naturæ integræ proueniret ab habitu, & qualitate gratiæ tanquam à forma, imò neque tanquam ab efficienti, cuius oppoſitū immerito ſenſit Cordoua lib. 1. q. 6. & ratio eſt, quia ſi priuatio habitus, & qualitatis gratiæ, (vt ipſe fatetur) non eſt ipſum peccatum originale, eò quòd eſt pœna, ac proinde poſterior ipſo peccato, multò minùs conſtitui poteſt ratio peccati originalis in priuatione conuerſionis, quæ ſit effectus gratiæ, cùm debeat eſſe ex conſequenti maiori interuallo effectus & pœna poſterior ipſo peccato intelligitur, ergo nomine rectitudinis, cuius priuatio eſt peccatum originale conuerſio & animæ ſecundum ſuperiorem rationem ad Deum vt finem, non tantùm naturalem, ſed etiam ſupernaturalem. Iſta autem conuerſio non eſt aliud, quàm reſpectus quidam rationis, ad Deum, cauſatus in anima ab actu, quo Deus illam dirigit, & ordinat ad ſe, & veluti manu tenet, ne in aliquo quantumuis minimo ab hac directione, & ordinatione deficiat. Hæc autem rectitudo ita explicata non ponit aliquid reale in anima, ſed tantùm denominationem quandam extrinſecam, & relationem rationis, ſicut communiter intelligunt Theologi, aliquem eſſe confirmatum in gratia, ſine vlla reali forma, illi per modum habitus inhærente, ſed tantùm ex denominatione extrinſeca à continuata quadam cura, atque cuſtodia, quam per totam ſua in vitam Deus habet erga illum. Conſtat enim ex appretiatione, ordinatione, æſtimatione, & reliquis actibus animæ in eorum obiectis nihil reale reſultare, quo aliquid dicatur æſtimatum &c. ſed ſolùm dicuntur obiecta talia ex denominatione extrinſeca, aut relatione rationis. Huius ergo rectitudinis, quam in ſtatu integritatis pro tota natura acceperat primus parens, quæ proinde debita eſt cuicunque ex eius poſteris priuatio, & defectus, eſt ipſum peccatum originale, ad cuius rationem, cùm neceſſarium ſit aliquale voluntarium, ſaltim interpretatiuū ex voluntate aliena, neceſſarium etiam eſt ſimul cum hac priuatione intelligere reſpectum quendam rationis ad actuale peccatum primi parentis, à quo omnia originalia accipiunt rationem voluntarij, ſine qua non eſt intelligibilis ratio culpæ, & ita formalis ratio huius peccati, eſt priuatio

tio illius rectitudinis, ſiue habitualis illius conuerſionis ad Deum, cum reſpectu ad actuale peccatum primi parentis. Hanc ſententiam (dicunt prædicti) D. Thomæ, nam prima ſecundæ quæſtione. 86. articulo ſecundo, ad vltimum, inquit, quòd ad diſtãtiam à Deo per peccatũ actuale factam, quam conſtat manere in homine poſt ipſum peccatum, ſequitur priuatio nitoris. Quæ verba explicans Caietanus in Commentario ait, quòd poſt actuale peccatum manent in homine duo, ſcilicet, priuatio conuerſionis, ad Deum & etiam priuatio nitoris, facti per gratiam & ait, quòd eſſe hominem peccatorem, non conſiſtit in priuatione nitoris: quam conſtat eſſe priuationem habitus gratiæ, ſed in priuatione conuerſionis animæ ad Deum, quam priuationem vocat Sanctus Thomas diſtantiam à Deo, conſtat autem rationem peccati originalis eſſe illam, à qua quis dicitur formaliter peccator. Et vt ſignificaret rationem huius peccati, eſſe priuationem rectitudinis, aut conuerſionis explicatæ, dixit prima ſecundæ quæſtione. 72. articulo tertio, quòd formale peccati originalis eſt priuatio originalis iuſtitiæ; per quam iuſtitiam voluntas ſubdebatur Deo, intelligens nomine ſubiectionis voluntatis ad Deum conuerſionem, à qua natura primi parentis media eius voluntate denominabatur conuerſa, & hæc conuerſio erat donum totius naturæ, quo in ordine ad Deum rectificabatur, & priuatio huius rectitudinis eſt originale peccatum, quod in Adam inchoatum eſt, priuationem igitur huius cõuerſionis ad Deũ nominauit Sanctus Thomas deordinationem à fine, & diſtinctionem voluntatis ad finem in. 2. diſtin, 30. queſt. 1. arti. 3. & ita intellexit D. Th. Soto. 1. de natura & gratia ca. 9. dicens, quod originale peccatum eſt obliquitas, ſeu deflexio voluntatis à Deo, ita, vt eadem priuatio rectitudinis, & conuerſionis ad Deum, quæ fuit in peccato actuali Adami per modum actionis manens per modum habitus infixa naturę ſit peccatum originale, conſtat autem priuationẽ rectitudinis, quæ fuit in actu peccandi ipſius Adæ, non fuiſſe carentiam habitus, aut qualitatis gratiæ, ſed eius conformitatis ad rationem, ac proinde ad Deum quæ debita erat actui. Hãc etiã ſententiã docet Cordoua lib. 1. queſtione. 10. opinione. 6. exiſtimans eam fuiſſe D. Thomæ, & in hoc modo explicãdi ſunt Doctores Scholaſtici, qui communiter docent rationem peccati originalis ſitam eſſe in priuatione iuſtitiæ originalis, quæ priuatio non eſt intelligenda de priuatione habitus gratiæ, ſed de priuatione rectitudinis, & conuerſionis ad Deum ſupra explicatæ, nam priuatio habitus gratiæ pœna eſt & non culpa, & per conſequens nõ poteſt eſſe peccatum, Antecedẽs patet, nam dignitas talis priuationis quam neceſſario concedendum eſt, illam præceſiſſe (neque enim Deus priuat puerum gratia, quæ illi debebatur, niſi quia prius ſecundum rationem cognoſcit illum eſſe dignum, vt priuetur) eſt reatus ad pœnam, ergo ipſa priuatio gratiæ, quæ eſt terminus, ſiue obiectum huius reatus, vel dignitatis habet veram rationem pœnæ.

¶ Secunda autem pars, ſcilicet rationẽ peccati originalis ſitam eſſe in priuatione rectitudinis, ſiue conuerſionis ad Deum, patet, primo quia ratio cuiuſcũq; peccati cõſiſtit in malitia morali, ſed malitia moralis conſiſtit in aliquo priuatiuo, cũ ſit priuatio rectitudinis debitæ, & cum rectitudo, qua priuat hoc peccatum, non ſit ea, quæ eſt effectus gratię iuſtificãtis, vel habitualis, nulla alia rectitudo mente concipi poteſt, cuius hoc peccatũ ſit priuatio, niſi cõuerſio animæ ad rationem & ad Deum.

¶ Secundò. Illud à quo primus parens, trãſacta actione peccãdi, denominabatur peccator, generatione trãsfuſſum eſt peccatũ originale, ſed priuatio rectitudinis, quę cõſiſtit in cõuerſione ad rationẽ & ad Deũ, prout erat debita naturæ, & ratione naturę etiã perſonæ, conſiderata per modũ habitus, erat illud, quo primus parens poſt primũ actuale peccatum, denominabatur formaliter peccator, ergo eadem priuatio rectitudinis ſolo numero diuerſa generatione trãsfuſſa erit in puero peccatũ originale. Maior eſt manifeſta quia cũ in primo parente tantũ fuerint duo, quæ habuerũt veram rationẽ culpæ, ſcilicet, actuale peccatum, à quo dicebatur peccãs, & id, quod poſt actionem peccãdi relictum eſt in eo per modum habitus, à quo denominabatur peccator, primum horum, vt omnes fatentur, nõ potuit generatione transfundi, ſed tantum ſecundum, & ita paruuli poſt contractum peccatum non dicuntur pec-

cantes, ſed peccatores, hoc enim peccatũ per modũ habitus, eſt quod dixit Cõciliũ Tridentinum in Decreto de peccato Originali. §. 3. quod eſt origine vnum generatione, & non imitatione transfuſſum, omnibus ineſt vnicuique proprium, & de hoc peccato dixit Diuus Thomas. prima ſecundæ quæſtione. 81. articulo primo. quòd de fide tenendum eſt, peccatum primi parentis tranſire originaliter ad poſteros, id eſt, id quod in illo per modum, habitus ex primo peccato actuali derelictum eſt. Probatur minor, quia Adam, ſicut quicunque alij poſt actuale peccatum denominatus eſt peccator, à priuatione rectitudinis, quæ prius extitit in actione peccandi per modum actus, & deinde mãſit in perſona per modum habitus, nam eſſe peccatorem, eſt terminus huius quod eſt peccare in creatura rationali, non ſecus quam eſſe obſcurum in aere, eſt terminus huius, quod eſt obſcurari, & ita ſicut in aere iam obſcuro per modum habitus manet eadem tenebra, quæ prius quando obſcurabatur vel in ipſa obſcuratione fuit in eo per modum actus: ita in peccatore tranſacta actione peccandi manet eadem priuatio rectitudinis, & conuerſionis ad rationem, & ad Deum per modum habitus, quæ prius eſt in peccante per modum actus.

¶ Quòd verò priuatio cuiuſuis peccati actualis ſit carentia rectitudinis rationis, quæ debebatur actioni, quæ exercetur ſatis patet, nam ratio formalis, & ſpecifica cuiuſcunque peccati actualis conſiſtit in priuatione, oppoſitæ rectitudinis, quæ debebatur actui materiali peccati, ſaltim ſecundum genus. Et certè quod priuatio gratiæ habitualis non ſit culpa, à qua primus parens poſt actuale peccatum erat formaliter peccator, conſtat planè, quia ratio culpæ quæ prius eſt in actu, & poſteà manet in perſona, conſiſtit in priuatione rectitudinis contentæ in aliqua lege, aut præcepto talem rectitudinem imperante vt autem bene notauit Soto primo. de Natura & Gratia cap. 8. primus parens non habuit peculiarem legẽ, aut præceptum, quo obligaretur ad cuſtodiendam gratiam habitualẽ, ſicut neque illud modo vnuſquiſque noſtrum habet quia vt omnes Theologi tentur, præcepta non damnatur de habitibus, ſed de actibus (occidenti enim hominem tantum eſt vni cum præceptum contra iuſtitiam, ſcilicet homicidium, quod autem illud ſequatur priuatio gratię, non habet in eo formalem rationem culpæ, ſed eſt prima pœna homicidij) ſimiliter, ergo in Adam ſola priuatio rectitudinis quæ conſiſtebat aut in carentia debitæ ſubiectionis ad Deum, aut in priuatione rectitudinis, quæ fuit in actu edendi de ligno vetito, habuit rationem peccati actualis, cum eſſet in actione, habitualis verò cum manſit in perſona: Priuatio autẽ gratiæ quæ nullo præcepto immediate prohibita erat, non fuit in illo culpa, & ideò neque generatione transfuſſa ad eius poſteros habet in eis rationem originalis peccati.

¶ Quòd ſi quis contra prædictam ſententiam arguat, quod peccatum originale vnicuique ineſt, & per conſequens non poſſe conſiſtere in carẽtia. Reſpõdetur quòd ſi ſit ſermo de inhærentia reali, hanc non poteſt habere originale peccatũ quia priuatio vt cõſtat non eſt aliquid reale, & ita nõ poteſt realiter inhærere, ſed tantum de nominare, & ſic priuatio rectitudinis, ſiue conuerſionis ad Deum (in qua nos ſtatuimus, rationem huius peccati) dicitur hoc modo inhærere, vnde Concilium in Decreto de peccato Originali. §. 3. dicens, quod originale peccatum omnibus ineſt vnicuique proprium, & ſeſsione. 6. cap. 3. quando ait, quòd poſteri Adæ ab eo in iuſtitiam contrahunt, melius explicatur per iſtã ſententiã quam per oppoſitam cõſtat enim apud omnes actuale peccatum eſſe auerſionem, non tamen eſt priuatio gratiæ, aut charitatis, ſed rectitudinis, & conuerſionis ad rationem, & ad Deum. *Solutio.* Neque verum eſt, quod contra hoc adducitur (ſcilicet) conuerſionem & coniunctionem ad Deum cuius immediata priuatio eſt peccatum formali per habitum gratiæ aut charitatis, ſed gratia habet hũc effectum formalem, ſcilicet, fauere hominem internum ſupernaturaliter pulchrum, & vitæ æternæ connaturalem. Habitus verò charitatis formaliter reddit hominem potentem, diligere Deum ſuper omnia, rectitudo verò, & conuerſio ad Deum (cuius immediata priuatio eſt originale peccatum) formaliter reddit hominem conformem legi Dei, tã naturali, quam ſupernaturali fini, ac proinde

proinde conuerſum ad Deum, & naturalē, & ſupernaturalem finem per modum habitus: Macula verò, quæ derelinquitur ex peccato actuali, eſt effectus culpæ, & poſterior ea. Quòd originale autem peccatum dicatur mors animæ, non alia ratione verum eſt in eo, quam in peccato actuali, vna enim eſt vita ſpiritualis animæ, quæ aufertur priuatione rectitudinis per modum actus in peccato actuali, & per modum habitus in originali. Dicendum igitur eſt, quod ſi nomine vitæ ipſius animæ intelligatur ipſa rectitudo, & conuerſio ad Deum, vtrumque peccatum eſt formaliter mors animæ, quia vtrumque eſt priuatio rectitudinis, quæ eſt vita, actuale quidem mortale veluti in fieri, & per modum actionis, originale verò in facto eſſe, & per modum habitus. Si verò nomine vitæ intelligatur gratia habitualis, dicendum eſt, vtrumque peccatum eſſe mortē animæ cauſaliter, eo quod aufert gratiam iuſtificantem, quæ animā viuificat, non quidem formaliter, ſed demeritoriè, aut effectiuè, & hac ratione poſſunt explicari Concilia, quæ dicunt peccatum originale eſſe mortem animæ.

Quinta ſen ſententia. ¶ Quinta ſententia eſt aliorum aſſerentium, peccatum originale, quòd nos à primo parente participamus, eſſe formaliter priuationem conformitatis ad legem quam tranſgreſſus eſt Adam, vt caput noſtrum non quidem vt actualis tranſgreſſio, ſed vt terminus reſultatis ex actuali tranſgreſsione, quæ præceſsit in Adam eo modo, quo in ipſo remanſit, tranſacto actuali peccato. Hanc ſuam ſententiam probant primo à ſufficienti partium enumeratione, nam peccatum originale non eſt indignitas habendi iuſtitiam, neque reatus, nā talis indignitas, & reatus ſupponit peccatum, nam hac cauſalis eſt vera; quia iſte eſt peccator, ideò eſt indignus habendi iuſtitiam originalē, & eſt dignus pœnæ, ergo. Similiter non eſt priuatio iuſtitiæ originalis ſumptæ pro prima rectitudine, quam efficiebat in voluntate, quatenus erat donum ſanans naturam humanam in ordine ad finem. Probatur, nam iuſtitiæ originalis ſolum efficiebat hanc rectitudinem, inclinando humanam voluntatem, vt ſe conformaret diuinæ in omni materia moris per modum habitus, relinquendo illam liberam, vt poſsit auerti à diuina voluntate, ergo nullo modo poteſt peccatum originale conſiſtere in priuatione huius rectitudinis: probatur conſequentia, quia etiam nunc aliqua virtus determinata inclinat voluntatem humanam, vt ſe conformet diuinæ in aliqua determinata materia moris, & tamen peccatum in illa materia commiſſum non eſt formaliter priuatio illius virtutis, neque rectitudinis habitualis, quam cauſat in voluntate in illa materia determinata.

Confir. 1. Nota hāc rationem. ¶ Confirmatur primo, nam iuſtitia originalis indifferenter inclinabat voluntatem humanam ad obediendum diuinæ in omni materia moris, ergo peccatum originale non conſiſtit formaliter in priuatione huius rectæ inclinationis, patet conſequentia, quia peccatum originale eſt determinatæ ſpeciei, ergo importat formaliter defectum rectitudinis in aliqua certa ſpeciè moris.

Confir. 2. ¶ Confirmatur ſecundo, nam peccatum actuale Adæ non fuit formaliter priuatio iſtius rectitudinis, neque includebat eam eo modo, quo qui defendunt rationem formalem peccati actualis eſſe poſitiuam, ſolent dicere, includere, aut connotare priuationem conformitatis ad legem, ergo peccatum, quod in ipſo manſit tranſacto actu illo, & ad nos traducitur, vt ad membra ſua, non poteſt conſiſtere in priuatione illius rectitudinis, Antecedens patet, quia peccatum actuale ſolum importat priuationem rectitudinis, quæ conſiſtit in conformitate cum lege, cui tale peccatum opponitur, conſequentia verò probatur, quia quod manet tranſacto actu eiuſdem rationis & ſpeciei eſt in genere moris, cum ipſo peccato actuali, ergo importat priuationem eiuſdem rectitudinis, quia vbi eſt priuatio diuerſæ rectitudinis, eſt etiam diuerſa ſpecies mali moralis.

Confi. vlt. ¶ Confirmatur vltimò, quia ſi Adam amiſſa iuſtitia originale peccaret contra illam legem, propter cuius tranſgreſsionem amiſſerat eam, proculdubio eius peccatum eſſet eiuſdem ſpeciei, cum primo, quamuis eſſet minus graue propter defectum circunſtantiarum quę primum peccatum grauius faciebant, ſed illud ſecundū peccatum non conſiſteret formaliter in priua-

priuatione illius rectitudinis primæ, ſicut neque aliud peccatum ab alio homine cõmiſſo contra eandem legem, ergo neque primum.

2. *Ratio.* ¶ Similiter peccatum originale non conſiſtit formaliter in priuatione gratiæ, ſed in aliquo præcedenti eam, quaſi Deus, neque Adamo, neque ſuis poſteris in ipſo dediſſet gratiam, & tamen obligaſſet eum, & poſteros in ipſo eo modo, quo nunc defacto obligauit ſi Adamus peccaret maneret in illo, tranſacto illo actu, peccatum habituale quemadmodum tunc manſit, & poſteri contraherent peccatum originale, ſicut nunc contrahunt, & tamen peccatum illud non eſſet priuatio gratiæ, quia non poteſt eſſe priuatio gratiæ in natura non ordinata in finem ſupernaturalem, ſed ſolum negatio, ergo aliquid aliud conſtitueret tunc Adamum peccatorem, & ſuos poſterós peccatores, & ex conſequenti illud idem poteſt nunc Adamum, & eius poſteros conſtituere peccatores habitualiter.

Confir. 1. ¶ Confirmatur primo, quia in priuatione gratiæ, quę ex peccato antecedenti relinquitur, in ſubiecto duo tantùm reperiuntur, primum eſt priuatio ipſa gratiæ per ſe ſumpta, & ſecundum reſpectus quem habet ad peccatum, à quo cauſatur & in ſubiecto relinquitur, ſed neutrum horum habet rationem culpæ, ergo neque ipſa priuatio gratię, quaten⁹ ex peccato relinquitur, conſequentia patet, & minor quoad priorem partẽ probatur, quia ſi Deus tolleret ab aliquo gratiam ſine vllo peccato pręcedẽti in eo, nemo diceret priuationem gratię habere in ipſo rationem culpę: Similiter quoad poſteriorem partem patet, quia reſpectus priuationis gratiæ ad peccatum pręcedens nihil aliud eſt, quam relatio effectus moralis ad ſuam cauſam moralem & demeritorium, ſed huiuſmodi reſpectus nõ eſt culpa, quia vel potius opponitur relatiuę culpæ, vel eſt ratio & id, quo priuatio gratię culpę opponitur, ſicut effectus ab ea demeritoriè proueniens & præterea, quia propriè eſt relatio pœnæ & nihil eſt in priuatione gratiæ quod culpæ & peccati rationem habeat.

Confir. 2. ¶ Confirmatur ſecundo, quia priuatio gratiæ quãtum ad vtrumque eſt effectus Dei, ergo non eſt peccatum, Antecedens patet quia in primis de ipſa priuatione gratiæ certum eſt, eſſe effectum Dei in genere cauſæ efficiẽtis, quia quãdo agẽs expellit formam à ſubiecto eſt cauſa priuationis talis formæ in illo ſubiecto, ita etiã Deus, qui tollit gratiam ab homine peccante, erit cauſa priuationis gratiæ in homine peccatore.

¶ Quòd verò idem ſit dicendum, de reſpectu, probatur quoniam priuatio gratiæ ſolùm importat reſpectum ad peccatum, vt ad cauſam demeritoriam, ſed Deus non quomodocunque cauſat priuationem gratiæ, ſed vt pœnam reſpondentem demerito peccati, ergo cauſat eam, quatenus importat reſpectum ad peccatum vt ad cauſam demeritoriam, ſicut cum confert præmium, verbi gratia, beatitudinis, eſt cauſa eius tanquam ad reſpectum, quem importatur ad actus humanos præcedentes, tanquam ad cauſas meritorias, quia cõfert beatitudinem, & præmium reſpondens illis actibus.

Confir. 3. ¶ Confirmatur tertiò, quia priuatio gratiæ ſolùm procedit à peccato actuali, vt à cauſa diſpoſitiua vel demeritoria, ergo nõ habet propriam rationem peccati habitualis, patet ſequela, quia aliàs quæcunque pœna eſſet peccatum habituale, quia procedit ex culpa, aut peccato tanquam ex cauſa diſpoſitiua, & demeritoria.

Confi. vlt. ¶ Confirmatur vltimò quia ſicut ſolùm dicitur peccare illa voluntas, quæ eſt principium effectiuum peccati actualis, ita etiam ſola illa diceretur eſſe in aliquo peccato, quæ eſt eius principium effectiuum ſed priuationis gratiæ ſola voluntas diuina eſt cauſa effectiua, & voluntas creata eſt cauſa diſpoſitiua, aut demeritoria, ergo ratione priuationes gratiæ voluntas creata non diceretur formaliter & propriè eſſe in peccato, & per conſequens talis priuatio non poteſt habere rationem peccati habitualis, aut originalis.

Solutio. ¶ Si autem quis reſpondeat, peccatum originale non coſiſtere in priuatione gratię ſecundum ſe, ſed quantum ad eius effectum formalem, quod eſt habitualiter conuertere hominem in finem ſupernaturalem: Contra, quia, cùm effectus primarius formæ non ſit alius, quam ipſam formam eſſe vnitam ſubiecto, eodem modo erit aliquis cauſa priuationis formæ in ſubiecto & ſui effectus.

¶ Se-

Secunda pars probatur. ¶ Secundam autem partem & principalem ſuę ſententiæ probāt, primo nā actualis tranſgreſsio primi parentis fuit etiam noſtra, ergo priuatio conformitatis ad legem, quę fuit formale (vt alij volunt neceſſariam eſſe) illius tranſgreſsionis manſit habitualiter & per modum termini, trāſacto illo actu in primo parente & nobis. Patet cōſequentia, quia trāſacto actu peccati, dicitur homo intrinſicè diſconformis legi Dei, & ab ea auerſus, ergo habet aliquo modo priuationem conformitatis cū lege, hæc autem habitualis priuatio conformitatis eſt habituale alicuius peccati habitualis, cuius formale non eſſe poſſet niſi originale, ergo.

2. Ratio. ¶ Secundò. Cōmunis eſt omnium conſenſus, quòd nullo modo poteſt eſſe peccatū, ſi non ſit deuiatio à lege, & priuatio cōformitatis cum ea, quia cum peccatum ſit malum morale neceſſario debet cōſiſtere in aliqua operatione contra regulam moris, ergo neq; trāſacto actu poteſt in ſubiecto manere peccatum, ſi nō manet in ipſo iſta deuiatio, & priuatio aliquomodo conformitatis ad legem. *Nota.* Sed tamen quia non poteſt facile explicari quomodo iſta priuatio conformitatis ad regulā maneat in ſubiecto tranſacto actu, ideo aduertendū eſt, nō ſolùm eſſe debitum, quod omnes actus humani ſint conformes legi & voluntati diuinæ, ſed etiam, quod homines ipſi medijs ſuis actibus conformentur ei, & ideò, in peccato aliquo præter deformitatem, quæ eſt in ipſo actu peccati, quatenus eſt contrarius legi Dei, & offendit eius volūtatem & amicitiam, reſultare aliam in ipſo homine inordinē ad eandem legem & ad Deum legiſlatorem & eius voluntatē: Nam ſicut violatio illius debiti ſufficit, vt actus ſit diſconformis legi, ita etiam ſufficiet, vt homo ipſe ſit ei diſconformis, vt ſiquis violet eius amicitiam, dicimus non ſolùm actum eius eſſe contra amicitiam Dei, ſed etiam ipſum hominem eſſe inimicum Deo. Duplex autem diſcrimen reperitur inter iſtas duas deformitates, primum eſt, quòd prior conſiſtit in oppoſitione actuali ad legem Dei, fundata in ipſo actu, vel omiſsione. Poſterior verò conſiſtit (vt aliqui volunt) in relatione quadam inæqualitatis, aut inadæquationis moralis etiam ad legem, quæ eſt in ipſo homine vel, (vt alij dicunt) in priuatione conformitatis ad legem, quam homo tenetur conſeruare in ſeipſo, & exercendo ea, quæ ipſi præcipiuntur, & omittendo ea, quæ prohibentur, quod videtur probabilius, & eſt effectus prioris: quia ſi ſit relatio, conſequitur ad eam quaſi ad rationem fundandi, ſi verò ſit priuatio, reſultat ex ea media quadam reſultantia morali, quia ex eo, quod aliquis actu, vel omiſsione violet legē, ſequitur, quod tollat à ſeipſo conformitatem quam tenebatur habere ad eam medijs ſuis actibus, & ex conſequenti, quod relinquat in ſeipſo priuationem huius conformitatis. Alterum diſcrimen eſt, quòd prior difformitas, cum ſit proxima in actu tanquam in ſubiecto non permanet, ſed tranſit tranſeunte ipſo actu, poſterior verò permanet etiam tranſacto actu, & tandiu permanet, quamdiu non remittitur peccatum & hæc difformitas eſt quædam auerſio habitualis per modum termini relicta ex peccato actuali, quod non permanet, nā ſicut ipſum peccatum actuale eſt virtualiter auerſio actualis à Deo, quia cū obſeruantia preceptorū ſit neceſſaria ad conſequutionem beatitudinis (iuxta illud, ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata) non poteſt aliquis trāſgredi præcepta illa, quin eo ipſo virtualiter auertatur à beatitudine & conſequenter à Deo, vt eſt finis vltim⁹ ſupernaturalis. Ita priuatio conformitatis ad legē manens in ſubiecto, poſtquā actus tranſijt erit virtualiter auerſio à Deo. Dicitur tamen auerſio habitualis, non quia ſit priuatio alicuius habitus in rigore, ſed vt diſtinguatur ab ea, quæ eſt in actu, & quia in hoc conuenit cum habitu, quia permanet in ſubiecto tranſacto actu, ſicut manet habitus & tandem, quia opponitur conformitati ad legem, quæ debet conuenire ſubiecto. Et quod dictum eſt de peccato perſonali, dicendum eſt ſuo modo de originali, nam Adam tenebatur, vt caput omnium, conformare ſe legi impoſitæ ſibi, vt capiti; & quia hoc non fecit, ſed potiùs tranſgreſſus eſt eā, reſultauit in ipſo, & in nobis inadæquatio ad legem illam, ſiue priuatio conformitatis cū ea per modum habitus, & termini, in ipſo quidem tunc quo ad actualem aſsiſtentiam, in nobis verò tunc inchoatiuè, & quoad ſufficientiam, actu verò cùm primum incipimus eſſe actu membra Adami.

Vltim. ſententia. ¶ Vltima ſententia eſt Doctoris, vt patet in litera, quam colligit ex D. Anſelmo, pro cuius explicatione & quæſtionis eſt primo notandum, quod vt docet Doctor, & omnes Doctores communiter, peccatum originale magis aſsimilatur peccato quieſcenti in anima poſt actum tranſactũ, quam aſsimiletur peccato actuali. *1. Notab.*

2. Notab. ¶ Secundò eſt notandum, quòd priuatio alicuius formæ poteſt dupliciter ſe habere ad illam formam, vno modo anteceden ter ſecundo modo conſequutiuè ſicut ver bi gratia carentia reſpirationis in homine poteſt cõtingere dupliciter, vno modo vt antecedenter ſe habens ad mortem, ſecun do modo vt conſequutiuè Antecedenter, vt quãdo ex defectu reſpirationis aliquis moritur, tunc certiſsimum eſt, iſtam cauſalem eſſe veram, quia iſte homo non reſpirat, moritur conſequutiuè verò, vt quando dicimus, quia iſte homo mortuus eſt, non reſperat, & illa carentia reſpirationis non eſt cauſa mortis, ſed effectus illius, vnde quando effectus eſt conſeruatiuus alicuius cauſæ, priuatio illius effectus poteſt eſſe prior priuatione ſuæ cauſæ, vt in exẽplo poſito, quia reſpiratio eſt effectus conſeruatiuus vitæ, ideò priuatio reſpirationis poteſt eſſe prior priuatione vitę, quan uis etiã priuatio reſpirationis poſsit eſſe effectus priuationis vitæ, vt licèt videre in illo, qui mortuus eſt ex ſuffocatione, talis enim ſuffocatio fuit carentia reſpirationis quæ erat effectus conſeruatiuus vitæ, & fuit prior priuatione vitę eo modo, quo cauſa eſt prior ſuo effectu & ſuffocatio, vel carentia reſpirationis fuit cauſa priuationis vitæ, poſtquã iam, qui ſuffocatur mortuus eſt: caret etiam reſpiratione quæ eſt effectus ipſius mortis, & priuationis vitę. Ita in propoſito philoſophandum eſt in carentia rectitudinis debitæ in eſſe, nam quædam Antecedenter ſe habet ad priuationem gratiæ, vel iuſtitiæ, vel formæ in potentia exiſtentis, quædam verò conſequitur priuationem ipſius formæ, ſicut verbi gratia actus conſeruatiuus habitus fidei in intellectu eſt actus fidei, & actus infidelitatis demeritoriè corrumpit habitum fidei, certiſsimum tamen eſt, quòd actus infidelitatis includit priuationẽ act⁹ conſeruatiui fidei, & ſic includit carẽtiam fidei, antecedenter tamen ſe habentem ad carentiam habitus fidei, nam, quia iſte homo elicit actum cùm carentia fidei debitæ, nam elicit actum infidelitatis, ideò Deus ab illo tollit habitum fidei, & ablato habitu fidei manet carentia ſecunda per modum effectus, & conſequutionis. Idem dicendum eſt de actu contrario charitati. Et ita ſimiliter dicendum eſt in propoſito de priuatione, & carentia iuſtitiæ originalis, tenebatur enim Adamus elicere actum conformem iuſtitiæ originali, & elicuit actum difformem, & quia talis actus includebat carentiam actus conſeruatiui habitus iuſtitiæ originalis ideo includebat carentiam antecedenter ſe habentem ad priuationem ipſius habitus, actiuam ex parte Dei, & paſsiuam ex parte ſubiecti, quia propter illum actum elicitum cum tali carentia meruit Adamus, vt tolleret Deus ab illo habitum iuſtitiæ originalis, & demeruit, vt non conſeruaret Deus habitum illum, & ad ablationem illius habitus, ſequuta eſt priuatio & carentia iuſtitiæ, quę conſequutiua dicitur: vnde in Adamo, tranſacto actu peccandi, duplex carentia iuſtitiæ originalis reperiebatũ. prima quæ antecedenter ſe habebat, & dicebatur carentia per modum termini derelicta & iſta fuit verè & propriè culpa habitualis altera, quæ per modum effectus & conſequenter ad ablationem habitus iuſtitiæ, & iſta fuit propriè pœna & non culpa. Quòd ſi bene perſpexeris exẽplũ de reſpiratione & carẽtia reſpirationis facillimè vtrãq; carẽtiã iuſtitiæ in Adamo reperies, & per cõſequẽs in nobis, nam illud quòd fuit peccatum habituale in Adamo ſecundum ſpeciẽ eſt originale in nobis, cum igitur in Adamo fuerit peccatum habituale carentia rectitudinis per modum termini, illa ſecundum ſpeciem generatione tranſfuſa erit in pueris originale peccatum.

¶ Vltimò eſt notandum, quod fere omnes ſententiæ ſupra dictæ, ſecluſa prima, de qualitate illa morbida, ſi ſano ſenſu intelligantur, coincidunt cum ſententia noſtra, & Doctoris, nam ſententia illa, quæ docet, peccatum originale conſiſtere in reatu, ſiue dignitate inimicitiæ diuinæ non eſt intelligenda de dignitate pro formali, ſed tantum pro fundamento illius dignitatis, & tunc certiſsimum eſt peccatum habituale eſſe illud, quod fundat talem dignitatem inimicitiæ diuinæ, & tale eſt culpa habitualis, *Vlt. nota. Nota concordãtiam ſententiarum.*

tualis, quæ tranſacto actu peccati dicitur manere reatu, & ab hoc non diſſentiunt, neque poſſunt diſſentire impugnãtes rea tum, ſiue dignitatẽ inimicitię origine trãſfuſſam eſſe originale peccatum, ſicut non poſſunt diſſentire ab eo, qui diceret, culpam habitualem Adami ſecundum ſpeciẽ origine transfuſſam, eſſe originale peccati. Quando autem alij docent originale peccatum eſſe priuationem conuerſionis ad Deum, & habitualem auerſionem, id ipſum docere videntur, niſi quòd non oſtendunt rationem formalem peccati originalis præciſe, ſed completam rationem peccati originalis, nam peccatũ originale eſt habitualis auerſio à Deo, & habitualis priuatio conuerſionis ad Deum, per quid autem iſta habitualis auerſio cõſtituatur formaliter, & præciſe in ratione peccati nõ oſtenditur niſi qnatenus dicunt includere carentiam rectitudinis debitæ in eſſe, quæ carentia ſi intelligatur per modum termini relicta, vt intelligẽda eſt, idem prorſus omnino dicũt, quòd nos, licèt alijs verbis. Sententia autem illorum, qui dicunt peccatum originale eſſe formaliter priuationem conformitatis ad legem non oſtendit vltimam, & præcilam rationem formalẽ, nam ſicut conformitas ad legem non eſt formaliter bonitas moralis, ſed fundamentum bonitatis moralis, ſicuti in naturalibus conformitas partum inter ſe, non eſt formaliter pulchritudo, ſed fundamẽtum illius relationis, quæ pulchritudo dicitur, ſicuti ſimiliter conformitas humorum in corpore humano non eſt formaliter ſanitas, ſed ſi ſanitas relatio eſt, vt nonnulli ex doctiſsimis medicorum docent, eſt fundamentum talis relationis & ſi qualitas eſt, (vt alij probabiliter defendunt) ab ipſa cõformitate diſtincta, ita dicẽdum eſt in moralibus, quòd bonitas moralis eſt pulchritudo quædam, conſurgens in actu voluntario poſitis omnibus requiſitis, tã ex parte voluntatis & ex parte principij & reliquorũ, quæ requirũtur. Vnde ſicut non dicit aliquis formaliter ſimilis pro illo priori, pro quo intelligimus fundamentũ & terminũ ſimul poſita, niſi tantũ fundamẽtaliter, vſq; dum intelligimus relationẽ exortam in illis poſito fundamento, & termino, ita non intelligimus actum bonum formaliter, vſque dum intelligimus in actu relationem illam exortam poſitis omnibus requiſitis ad illam bonitatem, niſi tantum fundamentaliter. Et ita dicendum eſt de malitia morali, quæ quanuis fundamentaliter intelligatur in actu, poſito aliquo defectu, vel exceſſu antequam intelligamus relationem in illo, non intelligimus illum malum formaliter, carentia igitur illius rectitudinis, quæ in actu illo conſurgit, poſitis omnibus requiſitis, & poſita lege, & difformitate ad illam, eſt quæ vltimaȇ conſtituit peccatum in ratione peccati & mali moralis. Difformitas autem illa ad legem, & carentia conformitatis tantum conſtituit actum malum moraliter fundamentaliter. Quare prædicta ſententia intellecta pro fundamento (ſcilicèt) quòd peccatum originale fundamentaliter conſiſtit in priuatione conformitatis ad legẽ origine transfuſſa etiam veriſsima mihi videtur, & nihil à nobis differt. Noſtra tamẽ ſententia, & Doctoris loquitur de ratione formali præciſa peccati originalis quatenus peccatum eſt.

¶ Prima concluſio. Peccatum originale formaliter non eſt qualitas formalis aliqua morbida ex peccato Adami per generationem transfuſa. Hæc concluſio communis eſt contra Gregorium & ſatis patet ex dictis in diſputatione, prima quæſtione. r. *Prima concluſio.*

¶ Secunda concuſio. Peccatum originale non eſt carentia rectitudinis in voluntate cauſate per habitum iuſtitiæ originalis. Hæc concluſio communis debet eſſe, & probatur, quia rectitudo iuſtitiæ originis per modum actus primi cauſata ſemper manſit in voluntas quamdiu voluntas habitum iuſtitiæ originalis in ſe habuit, ſed ſemper voluntas Adæ habuit talem habitum iuſtitiæ, quandiu Deus illum non abſtulit à voluntate, ergo ſemper manſit rectificata voluntas per modum actus primi quandiu habitus à voluntate non fuit ablatus, & per conſequens carentia rectitudinis cauſata ab ipſo habitu non eſt formaliter peccatum originalis. *Secunda conclu.*

¶ Confirmatur, talis carentia eſt pœna peccati, ergo nõ eſt formaliter peccatum, Antecedens patet, nam talis carentia oritur ex ablatione formæ, ſed ablatio formæ fuit pœna peccati, ergo & carentia rectitudinis cauſatæ formaliter per habitum erit pœna peccati, & non peccatum formaliter.

¶ Tertia concluſio. Peccatum originale formaliter eſt carentia rectitudinis, & priuatio iuſtitiæ debitæ per modum termini ex actu ſecundo in voluntate cauſata, & generatione tranſfuſſa. Hæc concluſio probatur, nam peccatum originale in nobis formaliter eſt illud, quod in Adamo fuit formaliter peccatum habituale, ſed in Adamo fuit priuatio iuſtitiæ, & priuatio rectitudinis cauſata per modũ termini ex actu ſecundo in Adami voluntate, ergo. Maior eſt manifeſta, & minor probatur primo exemplo, nam ſi aliquis teneretur videre aliquod obiectum, & non videret illud, vel quia clauderet oculos, vel quia videret aliud obiectum peccatum illius eſſet carẽtia viſionis ex actu ſecundo, nam ex eo, ꝙ aliud obiectum videret, exurgeret in potentia viſiua per modum termini non viſio, vel carentia viſionis debitæ circa illud obiectum. Ita in propoſito voluntas Adami cũ iuſtitia originali rectificata in actu primo, tenebatur elicere actum conformem inclinationi illius habitus, vel non eliecre difformem eliciendo tamen actum difformem, elicuit actum cum carentia in clinationis iuſtitiæ.

1. Ratio.

¶ Secundo. Illud eſt formaliter peccatum originale, quod conſtituit peccatum originale in ratione peccati, ſed talis eſt carẽtia rectitudinis debitæ, ergo. Probatur minor, carentia rectitudinis debitæ, & malitiæ moralis, ſunt penitus idem, ſed illud, quod conſtituit peccatum originale in ratione mali moralis, conſtituit illud in ratione peccati formalis, ergo cum malitia moralis cõſtituat illud in ratione mali moralis & carentia rectitudinis idem ſit quod malitia moralis, carentia rectitudinis erit, quod conſtituit illud formaliter in ratione peccati. Maior eſt manifeſta, & minor probatur, nam malitia moralis eſt carentia bonitatis moralis, nã in ſubiecto apto nato carẽtia formæ eſt priuatio illius, & negatio bonitatis moralis eſt priuatio illius, quæ priuatio conſtituit malum morale in genere mali.

2. Ratio.

¶ Tertiò. Ita ſe habuit iuſtitia originalis ad voluntatem ſicut ſe habet vita ad hominem, id eſt, ſicut homo dicitur viuus per vitam, ita voluntas dicebatur recta per rectitudinem iuſtitiæ, ſed carentia effectus conſeruatiui vitæ eſt cauſa formalis mortis, ergo carentia effectus conſeruatiui iuſtitiæ originalis erit cauſa formalis peccati originalis.

3. Ratio.

¶ Reſpondetur argumentis ad argumenta autem omnia, quæ contra hanc concluſionem adducuntur, vnica ſolutione reſpondetur (ſcilicèt) quod priuatio, vel carẽtia iuſtitiæ dupliciter conſideratur, altera per modum termini, & altera per modum effectus, & quamuis iuſtitia per modum effectus ſit pœna peccati, & nullo modo ratio formalis illius, non tamen carentia rectitudinis per modum termini, vt viſum eſt in corpore quæſtionis.

Reſponde. argument. Vnica ſolutione.

¶ Ad alia argumenta adducta, pro tertia ſententia facile reſpondetur dicẽdo, quòd illa dignitas inimicitiæ fundata in peccato originali, vel potius fundamentũ illius dignitatis, quod eſt peccatum originale, nihil aliud eſt, quam volũtaria aueſio per modum actus primi à Deo, quatenus formaliter includit carentiam rectitudinis debitæ ineſſe, & carentiam iuſtitiæ per modum termini.

Ad argu. tertiæ ſententiæ.

¶ Ad argumenta autem pro quarta ſentẽtia facile reſpondetur, quòd illa probant noſtram concluſionem, nam illa priuatio conuerſionis animæ ad Deũ ex eo, eſt mala moraliter, qui includit carentiam rectitudinis, quæ deberet ineſſe, vel illi voluntati vt principio, vel illi actui ſecundum rationem genericam.

Ad quartam ſententi.

¶ Ad argumenta pro quinta ſententia quatenus probant, non poſſe conſiſtere peccatum originis in priuatione rectitudinis, reſponſum eſt, quòd priuatio rectitudinis quędam eſt per modum termini, & quædam eſt per modum effectus, & illa quæ eſt per modum termini, trãſactoactu peccati eſt peccatum habituale.

Ad argu. quintæ ſententiæ.

¶ Ad cõfirmationem autem illam ſi Deus neque Adamo, neque ſuis poſteris in ipſo dediſſet gratiam, & tamen obligaſſet eum & poſteros in ipſo eo modo, quo nunc de facto obligauit, ſi Adamus peccaret maneret in illo, tranſacto illo actu, peccatũ habituale, quemadmodũ nunc manſit, & poſteri contraherent peccatum originale, ſicut nunc contrahunt, & tamen illud peccatum nõ eſſet priuatio gratiæ, Reſpõdetur facillimè, ꝙ ſi homo eſſet cõditus in puris naturalib⁹, peccatũ illius eſſet carẽtia grãæ & amicitię diuinę in ordine ad Deũ finẽ naturalẽ vnde in homine tũc reperiret amicitia naturalis, qualis inter homines, & Deũ poſſet

Ad confir.

poſſet reperiri, non tamen ſupernaturalis, quia ſi Deus non ordinaret hominem ad finem ſupernaturalem, non tribueret illi gratiam illam ſupernaturalem, quam modo homini ordinato ad finem ſupernaturalem tribuit, peccatum tamen verbi gratia furti tunc eſſet formaliter carentia rectitudinis debitæ, licet non eſſet carentia gratiæ ſupernaturalis, niſi fundamentaliter tantum, pro quanto haberet in ſe rationem priuandi non ſolùm amicitiam naturalem, ſed etiam ſupernaturalem, at verò in natura eleuata carentia rectitudinis dicit priuationem rectitudinis ſupernaturalis.

Ad ſecundam cõfir. ¶ Ad aliam cõfirmationem (ſcilicèt) quod reſpectus priuationis gratiæ ad peccatum precedens, &c. Facile reſpondetur per dicta de priuatione per modum termini, & per modum effectus, reſpectus enim ille priuationis per modum termini non eſt relatio effectus ad ſuam cauſam, ſed eſt ordo inter terminum actionis & ipſam actionem peccaminoſam, quare priuatio gratiæ per modum termini non procedit à peccato actuali, vt à cauſa diſpoſitiua, vel demeritoria, nam iſta priuatio gratiæ eſt, quæ relinquitur in anima per modum effectus, & iſtius Deus eſt cauſa, ſicut eſt cauſa ablationis habitus gratiæ, non tamẽ eſt cauſa illius priuationis iuſtitiæ, vel gratiæ, quæ per modum termini in voluntate relinquitur, ſed voluntas deficiens.

¶ Ad alia autem argumenta, quibus partem ſecundæ ſuæ ſententiæ probant facile reſpõdetur, quòd ſicut priuatio conformitatis ad legem non eſt ratio formalis actualis peccati, ſed tantum fundamentalis, pro quãto illa poſita oritur in actu malitia moralis, ita & tranſacto actu, priuatio habitualis non eſt ratio formalis, ſed tantum fundamentalis malitiæ moralis, vnde non aliud probant quã ꝙ ſicut ſine fundamẽto & termino nõ poteſt eſſe ſimilitudo, itaq; ſine cõformitate, vel ſine difformitate ad legẽ, non poteſt eſſe bonitas, vel malitia moralis in actu, & ſicut nõ ſequitur, quod fundamentum, & terminus ſunt ratio formalis bonitatis, vel malitiæ moralis, ſed tantum quod ſit ratio fundamentalis. *Ad argu. pro.2.par.*

DISPVTATIO XXVI.

DE SVBIECTO PECCATI originalis. Continet Vnicam Quæſtionem.

TEXTVS.

Concedo quod non eſt niſi in voluntate. Diſtinctione.32.quæſtio. Vnica litera.M.

EXPLICATIO LITERÆ.

POST quàm in præcedentibus diſputationibus egimus de peccato originali quãtum ad quæſtiones an ſit, & quid ſit, cum peccatum originale non ſit per ſe ſubſiſtens, ſed accidens, merito quærendum eſt in præſenti diſputatione de immediato ſubiecto peccati originalis, nam in accidentibus ſemper reperitur intrinſecus quidam ordo ad ſubiectũ quia accidentis eſſe eſt, in eſſe, ſed cùm ſubiectum alicuius formæ ſit communiter duplex, alterum primum, & principale ſiue quod communiter appellamus ſubiectum, quod (& eſt illud cui aliqua forma principaliter ineſt,) alterum autem proximum, & immediatum quod communiter appellamus ſubiectum quo (& eſt illud, quo mediante accidens ineſt ſubiecto principali) ita reſpectu peccati originalis duplex eſt aſsignandum ſubiectum: alterum principale, & ꝙ & iſtud eſt homo, nã totus homo eſt ſubiectũ peccati originalis in hac vita in alia autẽ vita, quando anima ex titerit ſeparata, ipſa erit ſubiectũ ꝙ quanuis non completum, ſicut neque ipſa anima habet eſſe completum vſque dum

reunitur corpori. Alterum autem ſubiectū quo ſiue proximum, & immediatum, non ſatis conſtat inter Doctores, Doctor autem in præſenti litera aſsignat pro ſubiecto immediato, & quo, voluntatem. In qua ſententia non omnes conueniunt, vt autem plenior de hac re habeatur notitia, ſit quæſtio.

QVÆSTIO. Vnica.

¶Vtrùm ſubiectum immediatum peccati originalis ſit voluntas, an animæ eſſentia.

Prima ſententia. De hac re (omiſſo Durando in ſecundo diſtinct. 31. quæſtio. 3. aſſerente, ſubiectum originalis peccati eſſe aut voluntatem ſimul cum potentijs ſenſitiuis in voluntate principaliter & in potentijs ſenſitiuis minus principaliter, aut in ſolis potētijs ſenſitiuis collocari, tanquam in ſubiecto, quia inconſtans Durandus eſt, neque ſatis ſuam ſententiam oſtendit) duplex in hac re eſt principalis ſententia Prima, eſt D. Thomæ 1.2. quæſtione. 83. arti. 2. quam ſequuntur omnes Thomiſtæ, & Capreolus in ſecundo diſtinctione. 31. quęſtione. 1. articu. 1. concluſio. 2. qui omnes aſſerūt, animam ſecundum ſuam ſubſtantiam eſſe immediatum ſubiectum peccati origina-

1. Ratio. lis. Fundamentum huius ſententiæ eſt ſecundum nonnullos, quia habitus iuſtitiæ originalis & gratiæ, quæ eſt forma immediate oppoſita peccaro originali, immediate ſubiectatur in anima, vt docet Diuus Thomas prima ſecundæ quæſtione. 110. articul. quarto, ergo priuatio iuſtitiæ, & gratiæ, quæ peccatum originale eſt immediatè ſubiectabitur in eſſentia animæ.

¶ Alij autem fundant prædictam ſententiam dicentes, quod quanuis ratio originalis peccati ſit priuatio conuerſionis ad Deum, adhuc tamen peccatum originale immediate ſubiectatur in eſſentia animæ, & non in potenria voluntatis: ratio huius eſt, nam Diuus Thomas in illo articul. 2. ſic probat prædictam ſententiam, illud eſt in homine qui generatur ab Adam ſubiectum originalis peccati, quod cum fuerit in Adam infectum peccato, prius generatione attingit, ſed hoc eſt anima rationalis ſecundum ſuam eſſentiam, ergo in eſſentia animæ ſubiectatur primò originale peccatum: Probatur maior, quia natura eo modo, quo manſit in Adam poſt actuale peccatum illius trāsfuſſa eſt ad eius poſteros, ita vt eadem infectio peccati, quæ manſit in capite traduceretur ad membra (excepto reatu ad pœnam ſenſus & ratione proprij, & perſonalis volūtarij) ſed poſt actuale peccatum anima primi parentis ſecundum eſſentiam fuit infecta peccato, ergo illa eſt primum & immediatum ſubiectū peccati, non actualis, quia nullum tale reperitur in puero deſcendente ab Adam, ergo originalis. Minor probatur, nam anima eſt primum quo generatione attingitur, nam ſecundum ſuam eſſentiam habet, quod ſit formalis terminus generationis, quæ ſemper ad eſſentiam formæ non autem ad aliquod eius accidens (qualis eſt potentia) formaliter terminatur, vr docet Ariſtoteles ſecundo de anima & octauo, metaphyſicæ, vbi ex profeſſo probat formam vniri materiæ ſine aliquo vinculo: quod verò anima rationalis ſecundum ſuā eſſentiam fuerit in Adam ſubiectum peccati etiam conſtat, vt optimè probauit Caietanus in commento illius articuli. §. ad primum quia cum anima rationalis ſit ſecundum ſuam eſſentiam, ac proinde principium, & ſubiectum actus moralis, neceſſario fuit in Adam principium, & ſubiectū illius actus quo peccauit, ac proinde, auerſionis quæ fuit in illo actu, in qua conſiſtebat ratio actualis peccati, vnde neceſſario conſequutum eſt, vt tranſacto peccato actuali maneret peccatum per modum habitus. Hoc tamen differt inter culpam, quæ poſt actuale peccatum manſit in Adā & eam quæ per originem communicatur pueris ab illo deſcendentibus, quod illa priùs fuit in potentia volunratis, quę cum actualiter peccauerit, primo ex ipſo actu peccādi ſuſcipit diformitatē, & deinde culpa hæc cōmunicata eſt eſſentiæ animę. At verò culpa originalis primo eſt in eſſentia animę eiꝰ qui generat & ſecūdo in potētiis nā primo in illo, quod generatione primi attingitur, quale eſt forma ſubſtātialis, altera pars eſſentialis naturæ, deinde eſt in potētijs, quæ ſuo ordine inficiūtur, hoc docet D. Tho. de malo. q. 4. art. 4. ad 5. dicēs, ꝙ in primo parēte perſona corrupit naturā, quia corruptio ex operatione potētiæ

(ſcili-

(ſcilicet voluntatis) quæ primò ſpectat ad
perſonamcōicata, eſt eſſentiæ quæ primo
ſpectat ad naturā. At vero in homine geni
to ab Adam natura corrūpit perſonā, quia
cū corruptio traducatur generatione quæ
primo terminatur ad naturā, & inde deri-
uatur ad potentias pertinētes ad perſonā,
& hoc eſt, ꝙ intendit D. Tho. qn̄ in art. ci-
tato dicit: peccarū originale eſſe in anima,
quia illa immediatius quā aliqua alia potē
tia vnitur carni, à qua inficitur ipſum pec-
2. Ratio. catū originale. ¶Secundo, nā peccatū ori-
ginale traducitur per generationē, ſed ge-
neratio immediatius attingit animā, vt ter
minū generatiōis, quatenus eſt forma cor-
poris, ergo immediatū ſubiectum erit ani
ma ſecundū ſuā ſubſtantiā, & non ſecundū
1. Solutio. potētiā. ¶Quod ſi quis reſpōdeat, aliquid
amplius requiri ad ſubiectū immediatum
peccati originalis, quā ad terminū imme-
diatū generationis, ſcilicet habere volūta
Impugnatio. tē. Cōtra nā ſatis eſt eſſe terminū immedia
tū generationis factæ virtute ſeminis de-
ciſi ab Adam, vt ſit forma cōſtitutiua mem
bri, & filij Adæ, ergo & vt ſit ſubiectū pec
cati originalis patet antecedēs, nā eo ipſo
quo anima vnitur corpori & filius natura
lis Adæ, ergo eo ipſo eſt ſubiectū peccati
originalis. ¶Quod ſi quis rn̄deat ſecundo,
2. Solutio. generationē nō eſſe actionē, quæ p ſe ꝓdu
cit peccatū originale: contra generatio eſt
actio, qua per ſe ꝓducitur ſubiectū capax
Impugnatio. huius peccati originalis, ergo illud eſt im-
mediatū ſubiectū peccati, quod eſt imme-
diatus terminus generationis, huiuſmodi
eſt anima rationalis ſecundū ſuā eſſentiam
& nō ſecundū potentias, ergo. ¶Cōfirma-
Cōfirm. 1. tur, quia homo natus per gnationē factam
virtute ſeminis deciſi ab Adam, cōtraheret
peccatū originale, quāuis careret volūtate
Deo impediēte emanarionem eius ab ani-
ma, ergo nō requiritur ad ſubiectū capax
peccati originalis, quod habeat voluntatē.
Probatur antecedēs, quoniā ille homo eſ-
ſet verè filius Adæ, & Cōcil. Trid. ſeſſ. 6. de
creto de iuſtificatione cap. 4. dicit iuſtifi-
cationē eſſe trāſlationē ab eo ſtatu, in quo
homo naſcitur filius primi Adæ in ſtatum
gratiæ vbi, vt certū ſupponit ſtatum filij
Cōfirm. 2. Adæ eſſe ſtatū peccatoris. ¶Confirmatur
ſecundo, quia de illo homine eſſet verū di-
cere, ꝙ peccauit in Adam, & quod Adam
amiſit pro eo iuſtitiā, & ſanctitatē, quoniā
eſſet verè propagatio Adæ, & cōcil. Trid.
ſeſſ. 5. decreto de peccato originali. §. 2. de
finit Adamū etiam ſuæ propagationi per-
didiſſe ſanctitatē, & iuſtitiā. Ergo cum ille
homo nō eſſet præſeruatus à Deo per gra
tiā, ne cōtraheret peccatū, de facto pecca-
tum originale cōtraheret. ¶Tertio pecca-
tum originale eſt peccatū naturæ, ſed ani-
ma eſt natura ſecūdum ſuam eſſentiam, &
non ſecundum ſuas potentias, ergo.
¶Quarto illud eſt ſubiectum alicuius pec *4. Ratio.*
cati, ad quod primo pertinet cauſa motiua
talis peccati (ideo enim dicimus peccatum
gulæ eſſe in appetitu concupiſcibili, quia *3. Ratio.*
ad appetitū concupiſcibilem pertinet pri-
mo delectatio cibi, quæ eſt cauſa motiua
gulæ) ſed generatio noſtra (quæ eſt moti-
uū originalis peccati) prius pertinet ad ani
mam ſecundū ſuam eſſentiam, quàm ſecun
dū ſuas potētias, quia prius terminatur ad
animā, vt eſt forma corporis, quàm vt ha-
bet potentias, ergo. ¶Vltimò tota ratio, *Vltima ratio.*
quare eſſentia animæ non eſt immediatè
ſubiectum culpæ, actualis eſt, quia eſſentia
eius non eſt principium elicitiuum actus,
ſed ad culpam originalem non requiritur
aliquod principiū elicitiuum actus, ſiqui-
dem culpa originalis non habetur per pro
prium actum, ſed per generationem effici
tur, ergo poteſt eſſe in eſſentia animæ, vt
in primo & immediato ſubiecto.
¶Secunda ſententia eſt Doctoris, vt patet *Secunda ſententia.*
in litera, quam docet D. Bonauent. in 2. di
ſtin. 3. q. 2. & in eam inclinat Durand. diſt.
31. q. 3. quæ adeò placet D. Bonauēt. vt di-
cat oppoſitam nō videri intelligibilē, pro
cuius explicatione & quæſtionis.
¶Eſt primo notandum, ꝙ peccatum origi *1. Notab.*
nale, vt ſæpe ſæpius dictum eſt, habet ratio
nem peccati habitualis: differt tamen ab il
lo, quia peccatum habituale perſonale eſt,
originale verò generatione eſt trāsfuſum,
Ex quo infertur, ꝙ peccarū habituale Ada *1. Corol.*
mi, & peccatum originale noſtrum non di
ſtinguuntur ſpecie ſecundum eſſe abſolu-
tū, quod habent (ideſt) in ratione peccati,
ſed tantum ſecundum eſſe reſpectiuū, quia
peccatum habituale dicit intrinſecum or-
dinem ad peccatum actuale illius, cuius eſt
peccatum autem originale dicit intrinſe-
cum ordinē ad generationem, tanquam ad
conditionē neceſſario requiſitā vt origi-
nale peccatum ſit: vnde quāuis in Adamo
fuerit illa habitualis auerſio & carentia iu
ſtitiæ per modū termini eiuſdē ſpeciei cū

carentia iuſtitiæ, quæ in nobis peccatum originale dicitur, non tamen dicenda eſt peccatũ originale in Adamo ſicut dicitur in nobis. ¶ Neque obſtat, ꝙ diuerſitas in modo participandi aliquod eſſe, niſi redundat in ipſum eſſe nõ cauſat diſtinctionem ſpecificã in eo, vnde eiuſdem ſpeciei ſunt duo homines, quorum vnus ſit productus per creationem, & alter per generationẽ, & per conſequens peccatũ habituale Adami & noſtrum, cum tantum differant, quia alterum habet eſſe per actionem propriã: alterum vero per generationem transfunditur erũt etiã eiuſdẽ ſpeciei. Reſpondet enim illud argumentum tantum probare, ꝙ nos intendimus, imo illa ratione oſtenditur peccatum Adami non fuiſſe originale, quanuis ſit eiuſdem ſpeciei cum peccato noſtro, ſicut ſi duo homines producerẽtur, alter per generationẽ, & alter per creationem, vterque eſſet eiuſdem ſpeciei cum altero, nõ tamen vterque eſſet filius, nam filiatio ſolum conuenit illi, qui habet naturam, non quomodocunque cõmunicatam, niſi generatione, ita peccatum originale non dicitur quæcunque carentia iuſtitiæ, ſed illa quæ per generationem eſt cõmunicata. Ex quo infertur ſecundo, ꝙ ſubiectũ peccati originalis immediatum erit illud, quod eſt immediatè, ſubiectum peccati habitualis, & cum peccatum habituale nõ habeat pro immediato ſubiecto animam, ſed voluntatem pro quãto peccatum habituale volũtarium eſt per modum actus primi, quatenus tranſacto actu peccãdi eſt inter ipſam voluntatem, quæ peccauit, & peccatum, quod tranſijt actu, & remanet reatu intrinſecus quidam ordo, quo dicitur voluntas, quaſi complacere per modum actus primi, ideo neceſſario fatendum eſt, peccatum habituale, prout formaliter denominat hominem peccatorẽ ab intrinſeco, immediatè ſubiectari in voluntate tanquàm immediato ſubiecto, licèt in toto compoſito ſubiectetur, & in anima tanquam in ſubjecto mediato. ¶ Secũdo eſt notandum, aliter loquendum eſſe, ſi v.g. Deus ſtatueret producere aliquem hominem abſque voluntate, poſtquàm eius voluntas fuit obligata in Adamo ad actionem ipſius Adami, & aliter loquendum eſt, ſi Deus ſtatueret, producere aliquem hominem ſine voluntate, antequàm obligaret voluntates omnium deſcendentium ab Adam in voluntate ipſius Adami ad actionem propriã Adami, & ratio huius differentiæ ſumi poteſt ex eo, quod aliter loquendum eſſet de homine, à quo Deus poſtquam peccaret, tolleret voluntatem ab anima, & aliter de illo homine à quo antequã peccaret tolleret Deus volũtatem ab anima, nam ſi daretur homo, à quo antequàm peccaret, tolleret Deus voluntatem implicaret per locum intrinſecum, talem hominem peccare actualiter, & habere peccatum habituale, nam peccatum tantum eſt peccatum, inquantũ voluntarium, cum igitur iſte homo non poſſit elicere actum volũtariũ, nullo vtiq; modo poſſet committere peccatum, ſicut v.g. in naturalibus, ſi tolleretur animalitas, nullatenus poſſet homo reperiri, ita ſi à peccato tollas voluntarium, nullo modo poterit eſſe peccatũ. Si autem Deus poſt quam aliquis peccaret, tolleret ab illo voluntatem, certiſsimum eſt, illum manere in peccato, quia quanuis voluntas illius, regulariter loquendo, ſit immediatum ſubiectum: nihilominus tamẽ etiam anima, imo & totus homo mediante illa eſt ſubiectũ peccati, licet mediatum, & quanuis tolleretur immediatũ ſubiectum manendo ſubiectum mediatum, quale eſt anima, maneret peccatum in illo: ſicut v.g. in naturalibus ſubiectum immediatũ, vt quo reliquorum accidentiũ à quantitate eſt quantitas, mediatũ vero eſt ſubſtantia, & quãuis hoc regulariter cõtingat, ſi tñ Deus tolleret ab aliquo ſubiecto quãtitatẽ, nõ tñ ex hoc ſeqneretur, nõ poſſe remanere in illo reliqua accidentia, quia etiã ſubſtantia poſſet ſubſtentare reſiqua accidentia, ſicut ſubſtẽtat quantitatẽ, licet talia accidentia nõ haberent in ſubſtãtia modũ illũ, quẽ haberẽt prout ſubſtentata à quantitate. Et dato, ꝙ nõ poſſit ſubſtãtia ſuſtentare immediatè reliqua accidentia, niſi in media quãtitate, tñ carẽtia, & priuatio reliquorũ accidẽtiũ põt cõuenire ipſi ſubſtãtiæ, quãuis nõ conueniret illi, propter priuationẽ, & carẽtiã quantitatis, quia carentia alicuius formæ nõ ſolũ verificatur de ſubiecto immediato ſed etiã de ſubiecto mediato: ſicut etiam v.g. diceretur aliquis homo cæcus non ſolũ ſi careret viſu, ſed etiã ſi careret oculis, qui ſunt immediatũ ſubiectũ cæcitatis. Ita in propoſito dicendũ eſt, ꝙ quãuis rectitudo immediatè cõueniat volũtati, vt ſubiecto quo regulariter loquẽdo, eſt ſimiliter caren

2. Corol.

Nota hoc.

carētia rectitudinis: nihilominus tū ſublata volūtate remaneret talis carentia, quæ anteà erat in anima ratione carentiæ, quæ erat in volūtate, quāuis carentia volūtatis tolleret ex defectu ſubiecti. At vero in illo homine, qui antequā haberet voluntatē obligatā in voluntate Adami ad actionē ipſius Adami, ſpoliaretur volūtate ſua, vel ſi ſtatueret Deus, non cōferre illi voluntatē, talis homo nullatenus poſſet aliquod peccatū elicere, neque cōtrahere, quia cū nullo modo haberet voluntatē, nullo modo poſſet actū elicere, & præterea, cū nullo modo haberet voluntatem, nullo modo poſſet volūtas illius obligari in voluntate alterius ad actionē illius, & per cōſequens ille alter non poſſet eſſe caput in genere moris, neque peccatū illius imputari illi in ratione peccati, nā vt dictū eſt in præcedentibus ex cōi omniū ſententia, ideo contrahimus peccatū originale, & peccatū ab Adamo cōmiſſum, quia volūtates noſtræ fuerūt obligatæ in volūtate Adami ad actionē ipſius Adami, ergo ſi aliquis nō haberet voluntatē, quæ poſſet obligari, implicaret per locū intrinſecū, illā talē poſſe cōtrahere peccatū alterius, cū tale peccatū nō poſſet illi eſſe voluntariū, neque per modū actus ſecūdi, neque per modū actus primi, & per cōſequens nullatenus poſſet eſſe voluntariū, neque peccatum.

Prima cō cluſio. ¶ Prima cōcluſio. Peccatū originale immediatē ſubiectatur tanquā in ſubiecto quo in volūtate. Hæc cōcluſio ꝓbatur primo, *1. Ratio.* quia originale peccatū eſt carentia debitæ iuſtitiæ, ſed iuſtitia rectitudo volūtatis, ergo primo eſt in voluntate. ¶ Cōfirmatur, *Cōfirm. 1.* originale peccatū pro materiali eſt concupiſcētia, vt diximus in Diſput. præcedēte, ſed cōcupiſcere nō eſt actus ſubſtātiæ, ſed potētiæ, ergo. ¶ Cōfirmatur ſecūdo, quia *Cōfirm. 2.* in originali eſt deordinatio ipſius animæ, deordinatio autē nō eſt in anima, niſi ratione potentiæ, quia per ipſam ſolū pōt ordinati, & deordinari, ergo. ¶ Secundo, pecca*2. Ratio.* tū originale formaliter vel eſt auerſio habitualis, vel priuatio rectitudinis habitualis, ſed auerſio habitualis primo ineſt volūtati, cui primò ineſt oppoſita cōuerſio habitualis, ergo cū conuerſio habitualis primo reſpiciat voluntatē, & peccatū originale primo reſpiciet voluntatē. Maior patet, & minor probatur, quia cui potentiæ ineſt actus, eidem ineſt habitus relictus ex actu

ſed peccatū actuale Adami, quod fuit in volūtate eius, vt erat voluntas totius generis humani, habet ſe ad originale noſtrum, vt actus ad habitū relictū, ergo. ¶ Confirmatur, nā peccatū habituale ipſius Adami ex titit in volūtate eius, queādmodū, & actuale, ergo. Probatur antecedēs, nā peccatum habituale Adami remanſit in illo per modū termini à peccato actuali ipſius Adami, ſed peccatū actuale Adami fuit in eius voluntate, ergo & terminus intrinſecus illius qualis fuit peccatū habituale debuit eſſe in eius voluntate. *Confirm.* ¶ Tertiò, eſſentia ſecundū ſe nō eſt capax culpæ, queādmodū, neque meriti, ſed ratione voluntatis à qua culpa & meritū habent, vt ſint voluntaria, ergo. *3. Ratio.* ¶ Quod ſi rñdeas, hoc eſſe verum in culpis actualibus, nō autē in originali, quæ eſt nobis voluntaria Adami. Cōtra, peccatū Adami dicitē peccatū noſtrū, quia voluntas noſtra erat in illo obligata ad actiōem ipſius Adami, ergo peccatū Adami habituale fuit nobis voluntariū per modū actus primi: ſi cut etiam, & peccatū actuale, & per conſequēs ex eo anima eſt capax culpæ, quia habet volūtatē, ratione cuius pōt obligari in voluntate Adami, & per cōſequēs rationē voluntatis habet, ꝙ ſit peccatrix. ¶ Cōfirmatur, ſi v.g. antequā Deus obligaret volūtates deſcendentiū ab Adā in volūtate Adami, decerneret, non cōferre alicui voluntatem, iſte homo nullo modo poſſet habere aliquod peccatū etiā originale, ergo eſſentia ſecundum ſe nō eſt capax culpæ, ſed ratione volūtatis, à qua culpa habet vt ſit voluntaria. Probatur antecedēs, ex eo cōtrahitur peccatū originale in filijs Adami, quia volūtates illorū fuerūt obligatæ ad actionē Adami in volūtate Adami, ſed iſte homo nō potuit obligari in volūtate Adami ad actionē Adami, quia voluntas illius, cū nulla futura eſſet, nō potuit obligari, ergo iſte homo nullo modo pōt cōtrahere peccatū originale, quantūcunque eſſet filius Adami. ¶ Cōfirmatur ſecūdo, ad hoc, quod peccatū Adami traducatur, debet conſtitui caput in gñre moris, ſed reſpectu iſtius hominis nō pōt cōſtitui caput in gñre moris, quia talis homo futurus erat cauſa naturalis, & nullo modo libera, neque in actu ſecundo, neque in actu primo, ergo cū talis homo nō poſſet cōſtitui in genere moris, neque poſſet cōſtitui mēbrū Adami in genere moris: ſed ad hoc quod peccatum tradu-

Solutio. *Impugnatio.* *Vltima ratio.* *Cōfirmr. 1.* *Confirm.*

traducatur in aliquo, vel ab aliquo debet cõſtitui membrũ illius in genere moris, ergo iſte talis homo nullo modo poſſet cõtrahere peccatũ ab aliquo, & nõ niſi ex defectu voluntatis, ergo eſſentia ſecundum ſe nõ eſt capax culpæ niſi ratione voluntatis. *Secunda concluſio.* ¶Secunda cõcluſio. Si poſtquam aliquis peccauit, tolleret Deus ab illo volũtatẽ, adhuc peccatũ ſubiectaretur in anima illius. *Ratio.* Hęc cõcluſio probatur, nã anima eſt capax culpæ ratione voluntatis quam habet vel habuit, ſed iſta iam habuit voluntatẽ, ergo iſta eſt capax culpæ. *Confirm.* ¶Cõfirmatur, nam culpa tranſacto actu peccandi, eſt auerſio habitualis per modũ termini relicta in voluntate, vel in anima, ſed iſte talis haberet talẽ auerſionẽ, ergo. probatur minor. Iſte talis eſſet cõuerſus ad creaturam, ergo eſt aduerſus à Deo. *Obiectio.* ¶Quod ſi dicas, iſte talis nõ habet voluntatem, ergo nõ habet cõuerſionẽ voluntariã, neque auerſionẽ. *Solutio.* Rñdetur, ꝙ quãuis iſte nõ habeat conuerſionẽ voluntariã per denominationem intrinſecã, quia nõ habet voluntatiũ, neq; per modũ actus primi neque per modum actus ſecundi, habet tñ cõuerſionẽ, & auerſionẽ voluntariã denominatione extrinſeca ab actu voluntatis præterito, quare ad hoc quod aliqua cõuerſio ſit peccatum, nõ eſt ſimpliciter neceſſariũ ꝙ ſit ſimpliciter volũtaria, vel vol.tate, pro illo tpe pro quo eſt peccatũ, neque per modũ actus primi, neque per modum actus ſecundi, ſed rantum eſt neceſſarium, ꝙ fuerit aliqñ volita vel per modum actus primi, vel per modũ actus ſecundi: *Nota hoc.* ſicut v. g. ſi hæreſis illa Maniehæorũ, de qua pater Caſtro, verbo peccatum eſſet vera, quæ dicebar peccatũ nõ eſſe à libero arbitrio, ſed à Dæmone immiſſum in anima, ſi Deus annihilaret Dæmonem illud peccatũ, adhuc maneret peccatum, nõ tñ maneret volitum, neque per modum actus primi neq; per modũ actus ſecũdi, ſi claritatis gratia Dæmon tale peccatum immitteret, homine dormiente, in quo nullus actus voluntatis fuit reſpectu illius peccati: tale autẽ peccatum eſſet voluntarium denominatione extrinſeca à volitione quæ præceſſit. Ita igitur in propoſito, ſi poſtquam aliquis peccauit tolleret Deus ab illo voluntatem, maneret peccatum in illo voluntarium non per modum actus primi neque ſecundi, quia careret voluntate, ſed denominatiõe extrinſeca à volitione præterita, quæ ſufficiens eſſet ad conſeruandum peccatum in rõne peccati. *Reſp. arg. ad prim.* ¶Rñdetur argumenris, ad primum, cũ Diuo Bonauẽt. vbi ſupra nu. 17. ꝙ ſicut vnio nõ eſt rota cauſa peccati originalis, ſed requiritur cum illa poſsibilitas ad deordinationem peccati, hinc prouenit, ꝙ quamuis generatio prius rerminetur ad animã ſecũdum ſuam eſſentiam, quam ſecundum ſuas potẽtias, deordinatio rñ prius cõuenit animæ ſecundum ſuas potentias, quam ſecundum ſuam eſſentiam, quia vt dictum eſt, eſſentia animæ nõ eſt capax culpæ, aut meriti niſi ratione voluntatis, à qua habẽt, vt ſit voluntaria. *Ad ſecundum arg.* ¶Ad ſecundum rñdetur eodem modo, & ratio differentiæ eſt, nã non eadem ratiõe cõſtituitur anima in genere entis, & in genere moris, nã in genere entis cõſtituitur per generationẽ: at vero in genere moris cõſtituitur per voluntatem cum ordine ad legẽ: & quatenus eſt agens liberum, & quia nõ põt eſſe agens liberũ, niſi quatenus habet voluntatẽ, ideo quãuis generatio immediatius attingat animã, vt terminum generationis, quatenus eſt forma corporis, nõ tñ eſt immediatum ſubiectum peccati, niſi quatenus eſt in gñre moris per voluntatẽ. *Ad primũ confirm.* Ad primã cõfirmationẽ rñdetur, ꝙ generatio ex vi generatiõis virtute ſeminis deci ab Adã, cõſtituit aliquẽ membrũ & filium Adæ in genere entis nõ tñ in genere moris, niſi quaten' generatio terminatur ad animã, prout habentẽ volũtatem, & (vt dixi) nõ ſatis eſt ad cõtrahendum peccatũ originale, vt ſit aliquis filius in genere entis, ſi nõ ſit filius in genere moris. *Ad ſecundũ cõfirm.* Ad ſecundam cõfirmationẽ rñdetur, ꝙ generatio eſt actio qua per ſe producitur ſubiectum capax huius peccati originalis, quia producitur homo habens voluntatẽ, ſi tñ produceretur ſine voluntate nõ obligata in voluntate Adami, produceretur filius, & membrũ Adami in genere entis, & nõ in genere moris. *Ad tertiũ confirm.* Et per hoc rñdetur ad tertiã cõfirmationem, ꝙ ſi ille talis homo careret voluntate Deo impediente emanationem eius ab anima, antequã illam volũtatem obligaret in volunrate Adami, talis homo nõ eſſet ſubiectũ capax peccati originalis, quãuis verè eſſet filius Adami: neque cõcil. Trid. loquitur in hoc caſu, vt ſatis ex ſe patet. Si autem Deus impediret emanationẽ voluntatis ab anima, poſtquã voluntas illa fuit obligata in volũtate Adami

mi ad actionē ipſius Adami, & per conſequens in Adamo quo ad ſufficientiā peccauit, tunc enim tale peccatū immediatè ſubiectaretur in eſſentia animæ, nō ex natura rei, ſed ex defectu ſubiecti immediati, & de illo homine verè diceretur, ꝙ peccauit in Adamo. Sicut v. g. vt dixi, ſi poſtquā aliquis occidit hominem, tolleret Deus ab illo voluntatē verè diceretur de illo, ꝙ occidit hominē, & ꝙ peccauit occidēdo hominem, & ꝙ manet in peccato illius occiſionis, & ꝙ illud peccatum, in quo manet fuit voluntarium, & modo dicit intrinſecū ordinem in genere moris ad voluntatem prę teritā. Ita in propoſito ſi aliquis cōciperetur ſine voluntate, verè haberet in anima peccatum originale, & carentiam rectitudinis debitę & auerſionē habitualē dicentem intrinſecū ordinē ad conuerſionē prætetitā, ſed p hoc non tollitur ꝙ immediatū ſubiectū, regulariter loquendo, ſit voluntas. ¶ Ad tertium reſpōdetur. Peccatū originale nō dici peccatū naturæ, quia primò inhæreat naturæ, quàm voluntati, ſed quia traducitur per generationē naturalem, & pertinet ad totam naturā humanā, naturaliter à primo parente deriuatā. ¶ Ad quartum reſpōdetur. Cauſam motiuam peccati originalis nō eſſe gñrationem, ſed id, quod fuit Adamo occaſio peccandi, ſiue id fuerit amor vxoris, ſiue quoduis aliud: generatio autem nō eſt motiuū, ſed inſtrumentū, ſeu mediū ad transfuſionem peccati originalis. Neque vero quia generatio prius terminatur ad eſſentiam, quàm ad potentias ideo anima dicitur prius habere peccatum originale, quàm habeat ipſas potentias.

Ad tertiū argum. *Ad quartum arg.*

¶ Ad vltimum reſpondetur, etiam peccatum originale requirere principium elicitiuum actus peccati, & quod tale principium elicitiuum aliquo modo fuit in primo parente, cum ille peccauit, pro quanto voluntas noſtra fuit obligata in voluntate Adami ad actionem ipſius, vt dictum eſt ſuprà, & hæc de iſta quæſtione, & diſputatione.

Ad vltimum arg.

DISPVTATIO XXVII.

DE POENA IN FVTVRA VITA peccato originali debita. Continet duas Quæſtiones.

P*Rima. Vtrum paruuli decedentes ſine baptiſmo puniantur pœna ſenſus.*

¶ *Secunda. Vtrum paruuli cum ſolo originali decedentes dolorem aliquem, aut triſtitiam in ternam patiantur.*

TEXTVS.

HIC videtur Magiſtrorū eſſe ſententia, ꝙ damnati pro ſolo peccato originali nullam habebunt pœnam ſenſus exterioris, putà ignis Diſtinct. 33. quæſtione vnica, litera A.

EXPLICATIO LITERÆ.

DOctor in hac litera cōmunem ſentētiam tuetur circa pœnam debitā in futura vita peccato originali, ſupponens, ꝙ peccato originali debet reſpondere aliqua pœna, quæ ꝓpriè ſit pœna iuxta illud ad Epheſios 2. vbi D. Paulus docet, per originale peccatū conſtitui nos filios iræ, id eſt dignos ira, & vindicta, & punitiua iuſtiria, iuxta phraſim illam Sacræ ſcripturæ, qua filius mortis appellatur qui dignus eſt morte, & colligitur apertè ex dictis ſuprà, nam peccatum originale propriam habet rationem peccati & culpæ, & per conſequens neceſſario reſpondebit illi aliquid, quod habeat rationem propriā pœnæ. Iſta autem pœna peccato correſpōdens originali, neceſſario debet eſſe æterna, nam peccatum originale, quantum eſt ex ſe aufert irreparabiliter principium vitæ, priuando hominem charitate, per quā coniungitur fini vltimo, cū igitur ſit mors animæ in perpetuum duratura, neceſſario pœna illi correſpondens debet eſſe æterna. Quæ nam ſit iſta æterna pœna, an ſit pœna damni, ſcilicet carentiæ Diuinæ viſionis, facile reſpondetur ex capit. maiores de baptiſmo, quòd pœna correſpondens in futura vita peccato originali, iſta caren-

carentia Diuinæ viſionis, ſi vero ſimul cũ carentia viſionis Diuinæ pœna ſenſus correſpondeat, in quæſtione explicabitur.

QVÆSTIO. I.

Verum paruuli decedẽtes ſine baptiſmo puniantur pœna ſenſus.

Prima ſententia. DE hac re eſt prima ſententia Gregorij in ſecũdo diſt. 30. in fine quæſtionis tertiæ, aſſerẽtis, ſe neutrã partẽ huius quæſtionis alteri præferre, & poteſt probari pars affirmatiua. *1. Ratio.* Primo ex D. Auguſtino de fide ad Petrum ca. 24. vbi dicit firmiſſimè tene, & nullatenus dubites eos, qui ſine baptiſmi Sacramento de hoc ſeculo irã ſeunt, æterni ignis ſupplicio puniendos.

3. Ratio. ¶ Secundo, paruuli ante vſum rationis patiuntur in hac vita multas pœnalitates propter peccatum originale, pertinentes ad pœnam ſenſus, ergo & in alia patientur pœnalitates ad pœnam ſenſus pertinentes.

Confirm. ¶ Confirmatur, nam paruuli poſt reſurrectionem, qui abſque baptiſmo decederũt, non habebunt corpora glorioſa, ſed paſſibilia, ergo pati poterunt ab igne, aqua, & aere. Patet ſequela, quia impaſſibilitas tantum competit corpori glorioſo, quale nõ erit corpus decedentis in originale.

3. Ratio. ¶ Tertio, decedentes cum peccato originali non intrabunt in regnum cælorum, iuxta illud Ioannis 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, &c. Ergo detrudentur in gehennam ignis. Patet conſequentia, quia duo loca diſponuntur hominibus in die iudicij, ſcilicet, gehenna ignis, & cælum, vt patet ex illo Matthæi 25. vbi ponitur ordo iudicij finalis, in quo erunt duo ordines hominum, alij enim e- *4. Ratio.* runt ad dexteram, & alij ad ſiniſtram iudicis, & aſsiſtentibus à ſiniſtris dicetur, Ite maledicti in ignem, æternum quod paratum eſt diabolo, & Angelis eius, exiſtentibus autem à dextris dicetur, Venite benedicti patris mei accipite regnum, ſed paruulis decedentibus ſine baptiſmo non dicetur, Venite benedicti, neque erunt à dextris, ergo erunt à ſiniſtris, & dicetur illis, Ite maledicti ignem æternum, & per cõſequẽs peccato illi rñdebit pœna ſenſus.

¶ Quarto, peccato ratione auerſionis reſpondet pœna damni, & ratione conuerſionis pœna ſenſus, ſed in peccato originali eodẽ modo reperitur conuerſio, quo reperitur auerſio, ergo ſicut ratione auerſionis reſpondet ei pœna damni, ita ratione conuerſionis reſpondet ei pœna ſenſus. Antecedens patet, quoniam qui habet peccatum originale non dicitur actualiter auerſus, quia nullum actum habet quo à Deo auertatur, ſed interpretatiuè tantum in quantum auerſio actualis Adæ fuit interpretatiuè ſuorum poſterorum, ſed ſimilis conuerſio actualis Adæ ad bonum commutabile fuit interpretatiuè ſuorum poſterorum, ergo eodẽ modo dicitur auerſus & conuerſus habens peccatum originale.

¶ Vltimo, ſi duo homines diſcedant ab hac vita, alter cum ſolo peccato mortali actuali, & alter cum alio mortali eiuſdem grauitatis, & ſimul cum originali, hi debent puniri in æqualibus pœnis, quia diſcedunt cum inæquali culpa, & pœna infligitur iuxta qualitatem culpæ, ſed in pœna damni non erit inęqualitas, quoniam vterque carebit Diuina viſione, ergo in pœna ſenſus, & ex conſequenti pœna ſenſus, quoad aliquam partem reſpõdebit peccato originali. *Vltima ratio.*

¶ Confirmatur, quoniam ſi aliquis ab hac vita diſcedat cum peccato originali, & veniali tantum, punietur pœna ſenſus æterna, ſed non propter veniale, quia ei non correſpondet pœna ſenſus æterna, ergo propter originale, & per conſequens peccato originali correſpondet pœna ſenſus, & non tantum pœna damni. *Confirm.*

¶ Secunda ſententia eſt Doctoris, vt patet in litera, & ferè omnium Theologorum exceptis nonnullis (qui tortores nominantur puerorum) pro cuius explicatione, & quæſtionis: eſt primo notandum, quòd carentia viſionis Diuinæ, meritò à Theologis appellatur pœna damni ſnam præcipuum, & damnum maius, quod in damnatis eſt, eſt carentia viſionis Diuinæ. *Secunda ſententia.* *1. Notab.* Altera autem pœna in damnatis reperitur cõiter pœna ſenſus appellata, & eſt illa, qua anima ſeparatá torquetur aliquo dolore, vel triſtitia ſenſibili, & quàuis illa non vtatur ſenſibus, appellatur tñ pœna ſenſus ad differentiam pœnæ damni, quia illa infert dolorem & triſtitiam non autem pœna damni, & ſimiliter pœna illa, qua corpora torquentur, & in corporibus animæ exiſtentis pœna damni nuncupatur.

¶ Secun-

2. *Notab.* ¶Secundo nota, ꝙ animæ paruulorũ decedentiũ ſine baptiſmo, arripiũtur à Dæmonibus propter peccatũ originale, & adducuntur ad quoddam receptaculũ ſubterraneum, quod lymbus puerorũ appellatur, ad differentiã alterius lymbi, in quo olim Patres fuerũt veteris Teſtamẽti, & oẽs illi qui ante mortẽ Chr̃i in gratia Dei ex iſta vita decederũt, & iſta duo receptacula ſcilicet lymbus Patrũ, & lymbus puerorum ſimul cũ alijs duobus, nempe cũ loco purgatorij, & altero loco dãnatorũ, licèt apud aliquos appellentur nomine inferni, infernus tñ propriè dicitur locus ille damnatorum cum actualibus decedentium.

Prima cõclusio. ¶Prima cõclusio. Pueri decedentes cũ ſolo originali peccato, nullã ſenſibilẽ pœnã patientur in alia vita. Hæc cõclusio eſt Doctoris, & fere omniũ. Et probatur primo,

1. *Ratio.* nã pœna ſenſus ſoli actuali cõuerſioni rñdet, ſed decedentes cũ ſolo peccato originali nullã habent actualẽ conuerſionẽ ad creaturã, ergo nõ punientur pœna ſenſus.

Confirm. ¶Cõfirmatur, nã Matth. 25. dicitur dãnatis, ire maledicti in ignem æternum, quia eſuriui, & nõ dediſtis mihi manducare, ſitiui, & nõ dediſtis mihi bibere, ſed dare cibũ & dare potũ pertinet ad actum, ergo ſoli illi igne cremabuntur, qui actu elicito non dederunt cibum, & potum, ſed pueri decedentes cũ ſolo originali nullũ actũ elicitũ habuerũt, ergo illis non debetur pœna ſenſus.

Reſp. arg. ad primũ. ¶Rñdetur argumẽtis, ad primũ ex Diuo Auguſt. rñdetur cũ Doctore hac diſt. & quæſt. in ſolut. ad 1. ꝙ, qñ Sancti loquũtur exceſsiuè in aliqua materia, vt deinde eſt cõtra quos loquantur, vnde cũ D. Auguſtinus loquitur contra Arrium videtur, quaſi declinare ad Sabellium, & qñ contra Pelagium, videtur declinare ad Arrium, & quia ibi loquebatur contra Pelagium aſſerentẽ nullum eſſe peccatũ originale in paruulis taliter, ꝙ decedẽtes ſine baptiſmo nullam pœnam habituri eſſent, imo aliquam vitã beatam æternã, & quod ideo baptizantur, nõ vt remittatur originale, ſed vt admittatur ad regnũ Dei (de qua re videndus eſt pater de Caſtro in verbo, peccatũ hæreſi 1.) ideo D. Auguſt. vt contra Pelagiũ oſtenderet in paruulis eſſe peccatum, dicit illos nõ ſolum nõ habere vitã beatã, ſed puniendos eſſe ſupplicio ignis æterni.

Ad ſecundũ arg. reſpon. 1. ¶Ad ſecundũ rñdetur, cum D. Tho. q. 5. de malo, negando ſequelã, & ratio diſcriminis eſt, nã pœnalitates huius vitæ nõ habent rationẽ pœnæ taxatæ pro peccato, ſed pœnæ cõcomitantis priuationẽ iuſtitiæ, & ideo poſſunt rñdere peccato carenti cõuerſione actuali, quia ratione auerſionis põt quis priuari auxilio ſuperaddito, ex quo prouenit, ꝙ poſtea patiatur multa incõmoda: vnde pœnalitates huius vitæ non ſunt propriè pœna peccati originalis, nam peccatũ originale plenè dimittitur in baptiſmo quo ad culpam, & quoad pœnam: manent tñ in baptizato huiuſmodi pœnalitates, eo ꝙ exortæ ſunt ex peccato originali, tanquã à remouẽtate prohibens, quia peccatum abſtulit iuſtitiam originalẽ, qua ſublata neceſſario ſequutæ ſunt iſtæ pœnalitates, & mors, ſiquidem natura humana compoſita eſt ex cõtrarijs, & non põt nõ pati tam ab intrinſeco, quam ab extrinſeco, ſi ipſa ſic relinquatur. At verò pœna ſenſus in alia vita taxata eſt, & definita immediatè pro culpa actuali, & ideo non rñdet niſi peccato, habenti talem conuerſionẽ actualem. Vel 2. *Reſpõ.* ſecũdo rñdetur, ꝙ & ſi omnes pœnalitates huius vitæ ſint pœna pro peccato originali inflicta, negatur tñ paruulos puniri in alia vita ſimili pœna ſenſibili, qm̃ non eſſet mirum, ſi Deus puniret peccatũ originale pœna temporali, quæ breui tempore finitur, mirabile tñ eſſet, ſi illud puniret pœna æterna, ſiquidem nõ fuit cõmiſſum ꝓpria voluntate & delectatione.

Ad tertiũ argum. ¶Ad tertium reſpõdetur cõcedendo antecedens & negãdo ſequelam, quia ſententia illa ferenda eſt propter peccata perſonalia, vt patet ex ratione ibi aſsignata, quia eſuriui &c.

Ad quartum arg. ¶Ad quartũ rñdetur, ꝙ peccatũ originale nõ habet formaliter conuerſionẽ ad creaturam, ſed tantũ virtualiter, & ſic non correſpondet illi pœna ſenſus, ſed ſolũ pœna damni.

Ad vltimum arg. ¶Ad vltimũ rñdetur cum Abulenſe ſuper 5. ca. Matthæi quæſt. 669. in principio, & cum alijs recentioribus, ꝙ in illo caſu illi duo homines puniuntur, æquali pœna.

Ad cõfir. ¶Ad confirmationẽ reſpõdetur, vel negando caſum, vel dicendo, ꝙ ille punietur pœna ſenſus propter veniale, quandiu illud veniale durauerit, ſi autem durauit in æternum, necne, dicemus infrà in Diſputatione de peccato veniali. Quomodo autẽ corpora puerorum iſtorum erunt impaſsibilia, reſpõdet Doctor, ꝙ hoc proueniet, non ex aliquo dono, ſed ex prouidentia Diuina, ita hac quæſt. litera D.

QVAE-

QVÆSTIO II.

¶ Vtrum paruuli cum ſolo originali decedentes dolorem aliquem, aut triſtitiam internam patiantur.

Primum argum. PRO parte affirmatiua arguit primo. Triſtitia eſt de ijs reb⁹, quę nobis nolentibus accidūt, ſed paruuli nolentes excluduntur à regno cælorū, ergo de tali excluſione triſtabuntur. *Secūdum argum.* ¶Secundo, paruuli cognoſcent ſe eſſe creatos ad beatitudinem quā amiſerunt propter peccatū originale, ergo ex hac amiſſione neceſſario triſtabuntur. Antecedens probatur, nam paruuli in die iudicij erunt in valle Ioſaphat cum cæteris hominibus, & videbunt aliquos homines aſſumi ad beatitudinem ęternam, & cognoſcent ſe eſſe eiuſdem ſpeciei cum illis, qui aſſumūtur, ergo cognoſcent ſe eſſe capaces illius beatitudinis quem amiſerūt propter peccatū Adæ. Ex hac autē cognitione neceſſariò orietur triſtitia, ergo pueri cum ſolò originali decedentes neceſſariò interna triſtabuntur iuſtitia. *Tertiam argum.* ¶Tertiò, homo creatus in puris naturalibus, q nunquā peccauit carebit perpetuò viſione Diuina, ſi Deus illam crearet, ergo ille, qui habet peccatū originale habebit maiorē pœnam, ſed non externā, vt dictū eſt quæſt. præcedente, ergo interna, talis autē erit triſtitia, ergo. Antecedēs patet, nā aliàs æqualiter punirētur peccator, & qui nullū peccatū habuit. *Quartum argum.* ¶Quarto, animæ Sanctorum patrū exiſtentiū in Lymbo ante aduentū Chriſti triſtabantur de carentia viſionis diuinæ, ergo pari ratione triſtabūtur animæ paruulorū de tali carentia: cōſequentia patet à fortiori, quia patres nullū iam habentes peccatū, patiebantur iſtam pœnā, ergo à fortiori patientur illam paruuli habētes peccatū originale. *Quintum argum.* ¶Quinto, maiorem rationem triſtitiæ habet homo, qui priuatur aliquo dono abſque vlla cauſa, quā ille, qui priuatur ex cauſa, ergo pari ratione maiorem rationem habet triſtitiæ, qui priuatur ex cauſa minori, quā qui priuatur ex cauſa maiori, ſed qui priuantur viſióne beatifica propter peccatū actuale, maiorem cauſam habent illius priuationis, quā qui propter originale priuantur. Ergo qui ꝓpter originale priuantur maiorē rationē habēt triſtitiæ, cùm habeant minorē cauſam priuationis.

¶Pro explicatione huius quæſtionis eſt notandū, ꝙ de hac quæſtione nihil determinatū, neque definitū reperitur in Sacra ſcriptura, neque ab eccleſia *3. Notab.* propter quod varia ſunt doctorū placita circa quæſtiones, quæ ſolent diſputari de paruulis decedentibus cū originali, nempe ſi paruuli erūt in perpetuis tenebris, vel vbi erit eorū habitatio. Si procliues erunt ad malū & habebunt difficultatē ad bonū. ¶Si erūt ignorantes, an aliquā cognitionē habebūt. ¶Si circa Deum, vt finem naturalē aliquā cognitionē habebunt, & eum diligent, an odio habebūt. ¶Similiter num odio habebunt vel diligente cæteros pueros quos innumerabiles comites habebunt. ¶Si murmurauerit contra Dei iuſtitiam, ꝙ ſine propria actione illorum ibi demerterit illos. ¶Pręterea, quid paruuli ex Chriſtianis parentibus nati, an magis dolebūt, quā illi, qui ex parētibus infidelib⁹ ſe nouerint eſſe ortos, & præcipuè quia paruuli: non reſurgent ſub quantitate infantili corporis, quā in ſeculo depoſuerunt morientes. Vnde dixerunt nōnulli illos nihil poſſe cognoſcere, neque intelligere, quod t ſieis materia gaudij aut triſtitiæ. Fundamentū iſtorum erat, nam anima ſeparata nihil iſtorū poterat intelligere, quia cognitio noſtra pēdet à ſenſibus, nā opottet intelligentibus phātaſmata ſpeculari, cum igitur anima ſeparata nulla habeat phantaſmata, ideo nihil poterit ſpeculate, propter quod nonnulli dixerunt, paruulos decedentes cū ſolo originali futuros eſſe ſtupidos, & planè eſſe torpentes. Iſta tamē ſententia cōiter reijcitur, nam animæ ſeparatę habent ſuū intellectum agentem, & poſsibilem: poterunt igitur acquirere ſpecies intelligibiles de nouo. Et pręterea, quia poſt reſurrectionē habebunt corpora impaſsibilia, & immortalia, nullam grauidinem cauſantiā mentibus illorū, nam Sapientiæ 9. corpus, quod corrūpitur, eſt quod aggrauat animā, vnde multa, vt dicunt alij, calebunt rerū naturalium arcana, maximè, quia viuere æternæ illis dabitur, vnde facillimè, ſine labore paulatim naturalia omnia diſcent, non ex magiſtrorū doctrinis aut librorū lectione, ſed ex propria indagine illa aſſequentur etiam ſi nullas habeāt ſpecies inditas, quās nihilominus D. Tho. illis tribuit. Sapientiſsimi igitur erūt, nō tñ dolebūt de amiſſa vita, neque triſtabuntur de carentia beatitudi-

tudinis, ita Palatios diſt. 33. ¶ Vtrum autē
cognoſcant præmia beatitudinis, quibus
beati potiuntur, certiſsimū etiam eſt ante
diem iudicij talem cognitionē illis latere,
nam cognitio illa, vt docet Doctor, debet
fieri ex aliquo ſupernaturali obiecto co-
gnito per reuelationē, vnde nō erit ſibi tæ
dium tali beatitudine carere. ¶ Si autem ha
bent cognitionē Dei, vt finis naturalis an-
te diem iudicij non ſatis etiā conſtat inter
Doctores, ſed ex dictis facile patet, nam ſi
animæ ſeparatæ maiorē poſſunt habere co
gnitionē de Deo, quā Philoſophi, qui de
Deo habuerūt naturalē cognitionē, iuxta
illud ad Rom. 1. inuiſibilia Dei per ea, quæ
facta ſunt &c. quāto magis qui maiori pol
2. Notab. lent ingenio. ¶ Secūdo eſt notandū, ꝙ bea
titudo tā naturalis, quā ſupernaturalis pri
mo & p ſe eſt, de fine vltimo naturali, vel
ſupnaturali, ſecundario tñ eſt de illis, quæ
ſunt ad finē, quatenus dicūt intrinſecū ordi
nē ad illū, & habēt rationē medij reſpectu
illorū. Vnde ſicut media illa, quæ nō habēt
finem virtualiter incluſum nō dicūtur pro
priè media, vti patet de pharmaco, & de
quacūque alia medicina, quæ ſi virtualiter
nō habet ſalutē incluſam, non dicetur me-
diū licèt, vt mediū quandoque applicetur,
ita media requiſita ad beatitudinē, ſi nō in
eluduntur ſaltim virtualiter beatitudinem
ipſam, nō dicentur propriè media, q̄a pro-
priè nō dicunt intrinſecū ordinē ad finem
qui in medijs ad rationē mediorū neceſſa-
rio requiritur, vt licet videre in actu fidei,
qui quāuis ex natura ſua ſit mediū ad bea-
titudinē cōſequendā, in homine tñ exiſtē
te in peccato prout eſt in peccato exiſtēs,
nō eſt mediū ad beatitudinem conſequen-
dā, quia actus fidei ſine ordine ad charitatē
nō eſt meritorius vitæ æternæ, vt dicit Di
uus Paulus 1. ad Corin. 13. ibi ſi linguis ho
minū loquar & Angelorū, &c. Eodē igitur
modo philoſophādū eſt in actibus natura
libus in ordine ad finē naturalē, vnde quā-
tūcunque paruuli in originali decedentes
actus bonos moraliter eliciant, non dicen-
tur beati beatitudine naturali, niſi forſan,
vt dicit Doctor, aliqualiter, vel ſecundum
quid ſicut poſſet dici, ꝙ habens fidem, quā
uis careat charitate, habet aliqualē ſuper-
naturalem beatitudinem, quatenus habet
aliqualem cōiunctionē ad finē ſupernatu-
ralem, non tñ dicetur ſimpliciter beatus e-
tiā beatitudine viæ, quia deficiente chari-
tate nullus habitus verā induit rationē vir
tutis, quanuis verā induat rationē habitus.
Et nota bene hoc, & intelliges Doctorem *Nota hoc.*
qñ dicit, ꝙ pueri dū originali decedentes
omniū naturaliū cognoſcibiliū poſſunt na
turaliter cognitionē habere excellentius,
quā aliqui Philoſophi habuerūt pro ſtatu
iſto, & ita aliqualem beatitudinē naturalē
de Deo cognito in vniuerſali poterūt ad-
duci, vbi nō docet, ꝙ erunt aliqua beatitu-
dine beati, ſed tantu, ꝙ habebūt aliqualem
beatitudinē, quatenus cognitio illa natura
lis ex natura ſua quodāmodo cōiungit ho-
minem cū Deo prima veritate naturali, &
fine naturali, ſed iſta aliqualis beatitudo,
neque eſt dicenda ſimpliciter beatitudo,
ſed ſecundū quid, & aliqualiter, quatenus
eſt aliqualis coniunctio ad finem vltimū,
& quia nō quæcūque cōiunctio ſufficit ad
beatitudinem. ideo non quæcūque cōiun-
ctio conſtituit hominem in beatitudine na
turali, & propter hoc Doctor coniunctio
nem per cognitionem rerū naturaliū non
vocauit beatitudinem abſolutè, ſed aliqua
lem beatitudinem, vel beatitudinē aliqua-
liter. Quare limitandus eſt Michael de Pa
latios, vbi ſupra concluſione ſecunda.

¶ Prima cōcluſio. Paruuli cū originali de-
cedentes poſt diem iudicij nō ſolum habe- *Prima cō cluſio.*
būt cognitionem naturalium, ſed etiā ſu-
pernaturaliū dubiū eſt an. Hæc concluſio
quoad primā partem patet ex dictis ſecun
da autem pars probatur, nā paruuli in die
iudicij videbūt aliquos cū Chriſto eſſe in
aere exiſtentes, quibus dicetur, Venite be
nedicti patris mei, ergo habebūt cognitio
nem alicuius rei ſupernaturalis, patet ſe-
quela, quia cognoſcent ſe priuatos eſſe il-
lo fine ex defectu remedij contra peccatū
originale, cognoſcunt illum finem aliquo
modo, & per cōſequens aliquod ſuperna-
turale. Hanc partem relinquit Doctor ſub
dubio, & meritò, quia poteſt dici, ꝙ nihil
horū cognoſcūt, ita Deo diſponente, vnde
proueniet, ꝙ priuatio illius beatitudinis,
nō habeat in illis rationem triſtitiæ, ſicuti
ſi alicui inſcio comburatur domus.

¶ Secunda concluſio. Prędicti paruuli, quā *Secunda concluſio.*
uis intelligant eſſe capaces æternæ beati-
tudinis, nullam tamē patientur triſtitiam
ex amiſsione illius. Hæc concluſio proba- *1. Ratio.*
tur, nam prædicti paruuli nunquā habue-
runt gratiā, & per cōſequens nullū habue
runt ius ad gloriā, ergo nō eſt cur triſtētur
de amiſ-

de amiſsione illius, probatur cõſequentia, quia nullus homo prudẽs triſtatur ex hoc ꝙ non aſſumitur ad regiã dignitatẽ, ſi nunquam habuit ius ad illam, quãuis habuerit potentiã.

Obiectio. *Solutio.* ¶Quòd ſi arguas, prædicti paruuli cognoſcũt ſe recepiſſe in primo parẽte ius ad beatitudinem, & in illo illã amiſiſſe, ergo neceſſariò triſtabuntur de hoc. Propter hoc Magiſter Soto lib. 1. de natura & gratia cap: 14. docet illos non cognoſcere peccatũ primi parentis. Alij tamen reſpondent negando conſequentiã, quia cum ipſi nõ amiſerũt ius illud per peccatũ propriũ contenti ſunt de ſuo ſtatu. Tertio tñ rñdetur cũ Doctore, ꝙ etſi cognitionem in particulari habuerint de illo iure ad beatitudinem, non triſtabuntur, quia erunt cõtenti de ſtatu ſuo ſcientes Deum ita de ſe diſpoſuiſſe, & ſuo actu non demeruiſſe.

Tertia cõclusio. *Ratio.* ¶Tertia conclusio. Tales paruuli nullã habebunt beatitudinẽ naturalẽ, aut ſupernaturalem. Hæc cõcluſio probatur, nam beatitudo quæcunque neceſſariò requirit dilectionem formalem Dei ſuper omnia, ſed paruuli illi actu elicito non diligent Deũ ſuper omnia, nã ad talẽ actũ requiritur auxiliũ Dei ſupnaturale, ergo. *Confirm.* Cõfirmatur, nã dilectio Dei ſuper omnia per modũ habitus eſt terminus dilectionis Dei, qua diligit nos in ordine ad beatitudinẽ, ſed Deꝰ nõ diligit iſtos in ordine ad aliquã beatitudinem, ergo. Probatur minor, quia ſimpliciter odio habiti erunt, & natura filij iræ, vt dicit D. Paulus.

Quarta cõclusio. ¶Quarta cõcluſio. Vtrũ poſt diem iudicij habitabũt in hoc exteriori orbe ſuper faciem terræ, vt elementorũ amænitate, & aſtrorũ luce fruantur, ita tñ, vt nõ poſsint læſionem corporeã pati, quia erunt incorruptibiles, & immortales, non quidem per dotes gloriæ, ſicut beati, ſed tamen perfectionis modo, qua dãnati, partem affirmatiuam docet Paludanus in 4. d. 45. q. 3. & Caterinus in fine tractatus ſupra citati in libello de ſtatu futuro puerorũ ſine ſacramẽto decedentiũ. Contrariã tñ ſententiã docet Abulenſis ſuper Matthæũ cap. 5. q. 666. dicens, ꝙ in paruulis erit exigua triſtitia, quia non poterunt frui luce, niſi vel Deus cõſtituat illos in externo orbe, aut ꝓducat in illis locis ſubterraneis aliquod luminare, & neutrũ ex ipſis debitũ, de qua re nihil pro nunc determinandum cenſui.

Reſp. arg. ad primũ. ¶Reſpõdetur argumẽtis ad primũ, ꝙ paruuli eijcientur à regno non volentes neq; nolentes, ſed quatenus neutraliter ſe habẽtes. *Ad ſecundum arg.* ¶Ad ſecundũ reſpõdetur. Non triſtari de amiſsione illa, quia nõ fuit per propriũ demeritũ. *Ad tertiũ argum.* ¶Ad tertiũ reſpõdetur, ꝙ in tali puero illa carentia habet rationẽ pœnæ, in alio verò conditionẽ naturæ. *Ad quartum arg.* ¶Ad quartũ reſpondetur, negando paritatem rationis, nam patres in Lymbo expectabant beatitudinem ſuam futurã, paruuli verò nequaquam. *Ad quintum arg.* ¶Ad quintũ reſpõdetur, vel paruulos ignorare beatitudinem, quã amiſerũt, & cauſam propter quam illam amiſerunt, nempe peccatum originale, vel ꝙ non triſtabuntur ex amiſsione beatitudinis, quia vident ſe illam amiſiſſe ob cauſam iuſtam, nempe propter peccatum originale, cùm igitur cauſa iſta ſit iuſta ſi ipſi impatienter ferrent ſuam pœnam damni, eſſent iniuſti & actualiter peccarent. Vel poteſt dici, ꝙ triſtitia non pertinet ad illum ſtatum neq; gaudium, Deo ita diſponente, vnde ſtatus ille ſemper dicitur ſtatus puerorum, & ita neque illis erit gaudiũ, neque triſtitia, neque habebunt fomitem neque ad inuicem delectabuntur ex mutuo conſortio, neque ſimiliter triſtabũtur. Hactenus de tota materia peccati originalis. * Ac de prima parte diſputationum in Secundum ſententiarũ Doctoris ſubtilis, Ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, P. F. & Spiritus ſancti, necnõ intemeratæ Virginis beatæ Mariæ, ac Seraphici Patris noſtri Franciſci, Antonij, Bonauenturæ, ac Ludouici, omniumq; Sanctorũ Diſputationes de gratia, & de peccatis Deo dãte ſtatim prælio mandabuntur.

LAVS DEO.

INDEX RERVM, QVAE IN HOC VOLVmine continentur.

¶ *Abſtractio.*

Abſtractio denudans naturam à conditionibus indiuiduantibus, relinquit illam in ſua in differẽtia, & cõmunitate. pagi. 112. col. 1.

Abſtractio quotuplex. pag. 293. columna. 2.

Abſtractio intellectus agentis ab abſtractione intellectus poſsibilis quo differat. eâdẽ pagi. colum. 1. & 2.

Abſtractio abſolutè & vniuerſaliter ſumpta nõ eſt intellectus agentis operatio. ibid. col. 2.

Abſtractio fit, vt res ſpiritualior fiat. pag. 344. columna. 2.

Abſtractio non fit propriè in intellectu angelico. ibidem.

Modus naturalis acquirendi cognitionem in nobis eſt per abſtractionem. pag. 248. col. 1.

Abſtractio ſingularium à qua materia ſit abſtractio. pag. 390. col. 2.

¶ *Accidens.*

Accidenti quotuplex actio conueniat. pag. 32. columna. 1.

Accidens eſt formæ ſubſtantialis inſtrumentum propriè dictum. pag. 33. col. 1.

Nullum accidens poteſt eſſe principium effectiuum producendi ſubſtantiam. pag. 34. col. 1.

Nullum accidens, nec in virtute ſua, nec in virtute ſubſtantiæ, poteſt producere, aut corrumpere ſubſtantiam, niſi diſpoſitiuè. pagina. 35. columna. 1.

Accidentis actio eſt alteratio. pag. 35. col. 1.

Nullum accidens eſt extra ſubiectum, naturaliter loquendo. pag. 77. col. 2.

Accidentia, quædam reſpectiua, quædam verè abſoluta. pag. 84. col. 1.

Accidens non eſt principale obiectum intellectus. pag. 384. col. 2.

Accidens realiter inexiſtens ſubſtantiæ, eſt immediatè in ipſa. pag. 438. col. 2.

Accidens duplicem relationem dicit ad ſubiectum, & quæ illæ relationes ſint. pagin. 504. columna. 2.

¶ *Actio.*

Actio duplex, immanens, nimirum, & tranſiẽs. pag. 56. col. 1.

Actio creationis facit rem exiſtere. pag. 23. columna. 1.

Actio conſeruationis exiſtentiam rei cõtinuat. pag. 23. colum. 2.

Actus actiuorum ſunt in patiente diſpoſito. pagina 24. col. 2.

Actio corruptiua requirit contrarietatem, ſecus autem actio productiua. pag. 36. col. 2.

Diſcrimen inter actionem trãſeuntem & immanentem aſsignatur. pag. 56. col. 1.

Nulla actio, prout actio eſt præciſè, eſt ſubiectiuè in patiente. ibid.

Qua ratione actio tranſiens poſsit dici eſſe ſubiectiuè in patiente. ibid.

Intellectio & volitio, quæ communiter appellã tur actiones, propriè ſunt qualitates, & de genere qualitatis. ibid.

Quælibet actio, præſupponit potentiam actiuã, tanquam eius principium. pag. 57. col. 2.

Inter actionem diuinam, & creaturarum maximam differentiam verſari, oſtenditur. ibid.

Volitio, ſecundùm eſſe abſolutum, & ſecundum ſe, & quatenus eſt actus voluntatis diuinæ, eſt formaliter actio immanens. pagina 58. columna prima.

In Deo inuenitur actio tranſiens ſecundum proprietatem. pag. 58. col. 2.

Factio eſt actio tranſiens ſecundùm proprietatem. ibidem.

Volitio diuina qua ratione dici poſsit actio trãſiens. ibidem.

Actio in rigore reſpicit paſſum, & materiã, productio verò rem productam. pag. 65. col. 2.

In qua ſignificatione conſtituat actio prædicamentum diſtinctum à paſsione, & relatione. pag. 66. col. 1.

Actionis & productionis latum diſcrimen aperitur. pag. 67. col. 2.

Actio eſt agentis perfectio. pag. 71. col. 2.

Actio ponit aliquid in agente. ibid.

Actio, vt pertinet ad prædicamẽtum relationis, non eſt aliqua forma abſoluta noua. pag. 74. columna. 1.

Actio de prædicamento actionis non eſt aliqua

forma abſoluta in agente, ipſi agenti coæua. pag.74.col.2.

Actio eſt forma reſpectiua in agente. ibidem.

Actio, quæ eſt ſubiectiuè in agente, eſt reſpectus extrinſecùs adueniens. ibidem.

Actio creationis eſt realiter idem, quod ipſe Deus.pag.77.col.2.

Actio, propriè loquendo, eſt quædam tranſmutatio.pag.78.col.1.

Actio ſortitur ſuum effectum ſecundùm exigentiam formæ, quæ eſt actionis principium. pagina 81.col.

Actio, vno modo, prout eſt de genere actionis, alio modo pro ratione formali agendi capitur.pag.82.col.1.

Actionibus ſiue actibus naturalibus neque meremur, neque offendimus.pag.433.col.1.

Actiones immanentes qualitates ſunt, non verò actiones aut paſsiones.pag.436.col.1.

¶ *Actus.*

Actus appetitus ſenſitiui non eſt liber ab intrinſeco.pag.433.col.2.

Actus voluntatis quo pacto ſit liber.pagin.436. columna 1.

Actus ſecundùm ſubſtantiam ſuam naturalis, poteſt eſſe à volũtate imperatus.pag.436.col.1.

Nullus actus neceſſariò aufertur à potentia, niſi propter determinationem eius in oppoſitũ. pag.476.col.1.

Actus duplex, primus, videlicet, & ſecundus.pagina 542.col.2.

Actus peccaminoſi non deſtruunt habitum infuſum ſupernaturalem effectiuè, ſed tantùm demeritoriè.pag.654.col.2.

Qua ratione actus effectiuè deſtruat habitum, declaratur.ibidem.

Ordinatio per modum actus primi bene compatitur deordinationem per modum actus ſecũdi.pag.655.col.1.

¶ *Adam.*

Probabilisſimum eſt Adamum primum parentem, creatum fuiſſe in gratia gratum faciente. pag.592.colum.2.

Adamum fuiſſe conditum tantùm in iuſtitia originali abſque gratia gratum faciente, non minorem probabilitatem continet.ibid.

Adam, noſter primus parens, accepit gratiã per propriam diſpoſitionem, & actum dilectionis Dei ſuper omnia, elicitum ab auxilio ſupernaturali, & non admiſſa forma gratiæ. pagina 595.col.2.

Poſsibile fuit, primũ hominẽ recepiſſe gratiam nulla præuia diſpoſitiõe ex parte ipſius. ibid.

Adamũ recepiſſe gratiam per propriã ſui diſpoſitionẽ (ſiue eam in primo, ſiue in ſecundo inſtanti receperit) probabilius.pag.596.col.1.

Talis diſpoſitio fuit actus dilectionis Dei ſuper omnia, non elicitus à gratia, ſed ab auxilio Dei ſupernaturali.ibid.

Si Adamus nõ peccaſſet, an Deus prædeſtinaſſet illos tantùm, qui, ſtante peccato Adami, prædeſtinati ſunt, cognitione certa & infallibili nemo poteſt cognoſcere, niſi ſolus Deus.pag. 607.col.2.& pag.608 col.1.

Probabiliter tamen loquendo, ſtante ſtatu innocentiæ, omnes, qui modo ſunt electi, fuiſſent geniti.pag.608.col.1.

Si ſtatus innocentiæ perſeueraſſet, multi electorum eſſent geniti, & nati ex alijs parentibus. pag.608.col.1.

Probabiliter dici poteſt, quòd, ſtante ſtatu innocentiæ, illi ſoli fuiſſent prædeſtinati, qui nunc ſunt prædeſtinati.ibid.

Primi parentes non potuerunt peccare venialiter, ex inordinato motu appetitus ſenſitiui præuenientis rationem.pag.611.col.2.

Adamus non fuit ſeductus à ſerpente, ſicut Eua. pag.616.col.1.

Primum peccatum Adami, vel principalis ratio, & motiuũ principale in peccato Adami, fuit inordinatus amor amicitiæ erga propriã vxorem.pag.617.col.1.

Probabiliſsimum eſt, ꝙ Adamus poſt primum peccatum appetierit eſſe, ſicut Deus, &c.pag. 618.colum.1.

Si conſideretur peccatum primorum parẽtum, quantum ad ſpeciem ſuperbiæ, grauius peccauit mulier, quàm vir: ſi verò conſideretur ſecũdùm ſuas circunſtantias, grauiùs peccauit vir, quàm mulier.pag.620.col.2. (col.2.

Volũtatis Adami cõſideratio duplex. pag.636.

Deſcendẽtibus ab Adam, ſimul cũ peccato originali illis intrinſecè inhærẽte, cõuenit etiã denominatio quædã extrinſeca à peccato, quod Adamus in ſe commiſit.pag.632.colum.2.

Cur poſteri Adæ ſint iuſtitiæ debitores, ſicut & ipſe Adã, optima ratio adducitur.p 635.co.1.

Adam conſtitutus eſt à Deo caput omnium hominum, non ſolùm in eſſe naturæ, ſed & in genere moris.pag.639.col.1.

Deus potuit ſua lege obligare Adamum, & ſuã poſteritatem in ipſo, ad actionem propriam ipſius Adami, prout erat caput omnium, tam in eſſe naturæ, quàm in genere moris, ſub pœna peccati mortalis.pag.640.col.1.

Deus de facto conſtituit Adamum caput omniũ poſterorum, tam in genere naturæ, quàm in genere moris, & in ipſo obligauit omnes ab illo de-

lo deſcendentes ad ſeruandam iuſtitiam originalem actione ipſius Adæ, quatenus erat caput naturæ. ibid. col. 2.

Si Adamus perſeueraret in iuſtitia originali, & aliquis ex filijs eius peccaret mortaliter, tale peccatum non transfunderetur in poſteros illius, quorum non eſſet caput in genere moris. pag. 652. col. 2.

Si Deus daret iuſtitiam originalem Cain, ea lege, vt prole; & pro ſua poſteritate illam acciperet, etiamſi Adamus perſeueraret in iuſtitia originali, dummodo Cain peccaret, peccatum illius traduceretur in poſteros ab illo deſcendentes. ibidem.

Si Adamus eâdẽ obligatione, qua tenebatur conſeruari habitum gratiæ, tenebatur & conſeruare habitũ iuſtitiæ originalis, ſicut per quodcunque peccatum mortale amitteret habitũ gratiæ, ita & habitum iuſtitiæ originalis. pag. 658. colum. 1.

Quod peccatũ Adami fuerit in nos transfuſum, explicatur, ibid. col. 2.

Peccata perſonalia non transfunduntur. ibid.

Si Adamus peccaſſet, poſtquàm aliquos filios genuiſſet, tales filij non contraherent peccatum originale. ibid.

¶ *Agens.*

Implicat, ꝙ ſint duo agentia immediata immediatione virtutis, ſi ſunt ſubordinata. pagina 58. colum. 1.

Quare dicantur agentia ſubordinata. ibid. col. 2.

Quando dicatur agens immediatum immediatione ſuppoſiti, ordine cauſalitatis. ibid.

Mediatio agentis ſecundi inter Deum & effectum penes quid ſumatur. ibid.

Agens & patiens quot modis ſe contingant. pagina 24. col. 2.

Agens creatum poteſt agere, vbi non eſt. pagina 25. colum. 1.

In agente immenſo, hæc conſequentia, *Vbique operatur, ergo, &c.* de facto eſt formalis. pagina 25. colum. 1.

Quomodò prædicta conſequentia non ſit formalis, vide tertiam cõcluſionem. pag. eàdem, columna. 2.

Agens coniungi paſſo per virtutem, quid. pagina 26. colum. 4.

Agens principalius & ſuperius, prius attingit effectum, ſaltem prioritate à quo, & prioritate cauſalitatis, quàm minus principale vel inſtrumentale. pag. 33. col. 1. & 2.

Iſta propoſitio, *Quia agens dat eſſe; ideò effectus accipit eſſe*, exponitur. pag. 61. col. 1.

Agens creatum tria reſpicit, & quæ illa ſint. pagina 67. col. 2.

Agens, quatenus agens, non eſt, nec eſſe poteſt patiens. pag. 68. col. 1.

Agentis vltima perfectio eſt actualis operatio. pag. 71. colum. 2.

Agens ſiue producens quot modis ſumatur pag. 81. colum. 2.

Ad eſſe agentis naturalis non impediti neceſſariò ſequitur effectus. ibid.

Agens liberũ qua ratione agat, declaratur. ibid.

In vnoquoque agente duplex reperitur ad agendum ratio. pag. 95. col. 1.

Agens per motũ neceſſariò præſupponitur termino motus, non ſolùm naturà, ſed duratione & tempore. pag. 130. col. 2.

In omni agente reperitur duplex principium, ſcilicet, quod, & quo, pag. 247. col. 1.

¶ *Exiſtentia, & nomen Angelorum.*

An ſint Angeli in rerum natura, Catholicis dubium eſſe non poteſt. pag. 132. col. 2.

Nomen, *Angelus*, non eſt nomen naturæ, ſed officij. ibidem.

Angelus ſimpliciter de homine iuſto, ſecundùm quid vero de homine malo, & iniuſto dici poteſt. ibidem.

¶ *Subſtantia Angelorum.*

Aliter in rebus materialibus, aliter verò in ſpiritualibus, ſiue in Angelis compoſitio reperitur. pag. 134. col. 2.

Angeli nõ ſunt compoſiti ex materia & forma. pag. 135. col. 2.

Angeli ſunt compoſiti ex actu & potentia, eſſe & eſſentia, genere & differentia. ibidem.

Angelus eſt compoſitus ex duabus realitatibus, & ab vna ſumitur ratio generis, ab alio autem ratio differentiæ. pag. 136 col. 1.

Si materia ſumatur pro omni eo, quod habet rationem potentiæ, Angeli ſunt compoſiti ex materia & forma. ibidem.

Angelus ponitur in determinato genere. pagina 152. col. 1.

Angelus non habet partes quantitatiuas. ibid.

Angelus componitur ex natura, & ſuppoſito. pagina 153. col. 1.

Angelos eſſe in magno numero, eſt de fide. pag. 153. colum. 2.

Angelorum numerus excedit numerum animarum rationalium. pag. 154. col. 1.

In multitudine Angelorum reperitur alia & alia ſpecies. ibidem.

Plures angelos eiuſdem ſpeciei in eàdem natura dari, contradictionem non implicat. ibidem.

Angeli ſunt in perpetuum duraturi. pagin. 158. columna ſecunda.

Angeli non ſunt corruptibiles corruptione pro prièdicta, etiam de potentia Dei abſoluta. ibidem.
Sunt corruptibiles corruptione impropriè dicta ibid.
Angelus poteſt dici perfectior & ſuperior alio dupliciter,pag.375.col.2.

¶*Locus Angelorum.*

Angelus eſt in loco definitiuè.pag.269.col.2.
De potentia Dei abſoluta poſſunt plures Angeli eſſe in eodem loco.p.229.col.2.
Si Angelus ſit in loco per ſuam ſubſtantiam,plures Angeli poſſunt eſſe in eodem loco, ſecundùm ſuam potentiam naturalem.pagina.230. col.1.
Etiamſi in Angelis operatio tranſiens ſit ratio formalis exiſtendi in loco,poſſunt plures Angeli naturaliter eſſe in vno, eodemque loco adæquato.ibid.
Angeli non ſunt propriè in loco.p.235. col.2.
Angelum poſſe in puncto eſſe,tanquam in loco ſibi adæquato,probabile.p.207.col. 1.
Angelus eſt totus in toto, & totus in qualibet parte loci.ibid.
Angelum ſibi determinare locum, quantum ad magnitudinem,non tamen quantum ad paruitatem,vt rationi magis cõſonum defenditur. pag.208.col.2.
Angelus propter virtutem limitatam,locum limitatum requirit.pag.211.col.1.
Angelum virtute ſua in pluribus locis ſuæ potẽtiæ adæquatis conſtitui, impoſsibile. pa.211. col.2.
Si Angelus eſſet in loco per operationem, poſſet exiſtere in pluribus locis diſcontinuis partialibus intrà ſphæram ſuæ actiuitatis.p.212. col.1.
Angelus non poteſt eſſe in pluribus locis diſcontinuis,&c. extra ſphærã ſuæ actiuitatis. ibid.
Si Angelus eſt in loco per ſuam ſubſtantiam, an poſsit eſſe in pluribus,&c. dubium eſt.ibid.
Si ſubſtantia Angeli eſt illi ratio exiſtendi in loco,poteſt Deus ponere eundem numero Angelum in diuerſis locis,ſiue adæquatis,ſiue inadæquatis.pag.216.col.1.
Si operatio tranſiens eſt Angelo ratio exiſtẽdi in loco,implicat poſſe ſe ponere per aliquam virtutem,&c.p.210.col.2.
Si Angelus ſit in loco per operationem tranſeũtem,poteſt Deus de potentia abſoluta ponere eundem numero Angelum in duobus locis adæquatis.ibid.
Si Angelus tranſeat ab extremo adæquato ad extremum adæquatum per aliquod medium,nõ poteſt moueri in inſtanti.ibid.

¶*Angelorum motus.*

Angeli verè & ſimpliciter mouentur localiter. pag.235.col.2.
In Angelis non eſt ponenda aliqua potentia motiua,diſtincta ab eius voluntate. pagina.242. col.2.
Angelum moueri continuè poteſt intelligi dupliciter.p.250.col. 2.
Angeli verè & propriè mouentur localiter. pagina.236.col 1.
Angeli poſſunt moueri à Deo, & ab aliis Angelis,&c.p.243.col.1.
Angelus mouet ſe.p.137.col.2.
In Angelo eſt principium motus actiuũ,& paſsiuum. ibid.
Potentia motiua Angeli neceſſariò eſt diſtincta ab ipſa motione actiua & paſsiua.pagina.239. columna.2.
Angelus poteſt de vno loco ad alterum moueri motu diſcreto.p.258.col 2.
Quando moueatur Angelus motu diſcreto, exponitur.ibid.
Motus diſcretus Angeli ad plura loca ſe poteſt extendere.p.159.col.1.
Motus diſcretus nihil aliud eſt, quàm ſucceſsio diſcreta diuerſorum vbi.p.263.col.2.
Angelus non poteſt moueri motu continuo de extremo ad extremum,quin tranſeat per medium.pag.267.col.1.
Quando non poſsit moueri Angelus de extremo ad extremum motu diſcreto, non tranſeũ do per medium,declaratur.p.267.col.2.
Quando etiam hoc poſsit,oſtenditur. pag.269. columna.1.
Si Angelus tranſeat ab extremo adæquato ad extremum adæquatum per aliquod medium non poteſt moueri in inſtanti.p.277 col.1.
Angelus poteſt moueri de extremo adæquato ad extremum adæquatum, ſi inter illa nullum eſt medium.ibid.
Angeli motus localis continuus menſuratur tẽpore noſtro.p.286.col.1.
Angelus ad motum corporis non mouetur neq; per ſe,neque per accidens,à mouẽte illud corpus.p.289.col.1.

¶*Subiectum motus localis Angeli.*

Subiectum motus localis Angeli eſt ipſe Angelus ſecundùm ſuam ſubſtantiam.p.238.col.1.
Motus Angeli vltra eius ſubſtantiam non dicit aliquid abſolutum.p.238.col.1.
Vide verbum,Intellectus.

¶*Angelorum cognitio.*

Angelus per ſuam eſſentiam, ſecluſa quacunque

ſpecie intelligibili,poteſt ſe intelligere. pag. 300.colum.1.
Angelus cognoſcit quemlibet alium angelũ notitia intuitiua per eſſentiam angeli cogniti. pag.316.col.2.
In intellectũ cuiuſcunque Angeli Deus infundere potuit ſpecies,quibus vnus potuit alterum cognoſcere.pag.319.col.1.
Quilibet angelus poteſt cognoſcere quidditatiuè quemcunque alterum, ſiue ſuperiorem, ſiue inferiorem.pag.321.col.2.
Quicunque angelus poteſt cognoſcere cõprehẽſiuè quẽcũque angelũ inferiorẽ. p. 322.col.1.
Omnes angeli ſtatim à principio omnia cognouerunt.pag.323.col.2.
Angelus inferior nõ cognoſcit quidditatiuè plures rationes, quàm inferior, cognoſcit tamen plures comprehenſiuè.ibid.
Omnes angelorum cognitiones ex parte obiecti ſunt adæquatæ,& comprehenſiuæ.pagina 324.colum.2.
Angeli eſſentiæ in ordine ad intellectum proprium comparatio duplex. pag.327.col.1.
Quomodò Angelus per ſuam eſſentiam poſsit Deum cognoſcere notitia abſtractiua confuſa.pag.331.col.1.
Talis cognitio, quam habet angelus de Deo per ſuam eſſentiam, non poteſt eſſe cognitio diſtincta.pag.331.col.2.
Angeli habuerunt in via cognitionem diſtinctã abſtractiuam ipſius Dei.pag.332.col.1.
Vnus angelus quatuor modis cognoſcit alium, & quibus.pag.344.col.1.
Angeli habent ſpecies infuſas & concreatas omnium quidditatum.pag.346.col.2.
Si Angeli non haberent ſpecies infuſas vniuerſales,poſſent illas acquirere à rebus immaterialibus.ibid.
Angelus ad cognoſcendum intuitiuè alium angelum,nõ indiget ſpecie intelligibili alterius angeli.pag.347.col.1.
Angelus poteſt acquirere à rebus materialibus ſpecies intelligibiles.ibid.
Non eſt contra naturam angeli, nihil aliud intelligere,quàm ſe ipſum.pag.355.col.1.
Angelus cognoſcit ſingulas differẽtias numerorum per ſingulas ſpecies.pag.374.col.2.
Per ſpeciem naturæ humanæ, quo pacto poſsit angelus cognoſcere indiuidua ipſius naturæ. ibidem.
Angelus inferior in omni opinione per plures ſpecies plures naturas percipit.pa.374.col.1.
Angeli de facto non cognoſcunt ſingularia per ſpecies à Deo ſibi infuſas, per quas cognoſcũt naturas vniuerſales. pag.393.col.1.
Angelus directè cognoſcit ſingularia per ſpecies abſtractas ab ipſis ſingularibus.p.401.col.2.
Angelus quò ſuperior & perfectior,tantò limpidiùs,& perfectius per eaſdem ſpecies intelligit.pag.402.col.1.
Non poteſt angelus cognoſcere futura illa contingentia, quæ depẽdent in fieri à cauſis indeterminatis ad vnum.pag.417.col.1.
Si prima & ſecundæ cauſæ eſſent naturales in operando,nõ eſſet improbabile,dicere, poſſe angelum cognoſcere omnia futura in rerum natura.pag.417.col.2.
Angelorum cognitio non menſuratur æuo.pag. 418.col.1.
Angeli cognoſcunt naturæ ordinẽ, & cauſarũ naturaliũ diſpoſitionem.pag.419.col.1.
Angelus naturaliter cognoſcit actus naturales intellectus,& voluntatis.pag.433.col.1.
Angelus non cognoſcit motus primò primos. ibid.col.2.
Angelus poteſt cognoſcere ex natura ſua cogitationes cordium,intellectiones, & volitiones, quantum ad eſſe abſolutum,quod habent: pagina 434.col.1.
Angelus non poteſt cognoſcere naturaliter cogitationes cordium, & volitiones, prout dicunt intrinſecum ordinem ad voluntatem, vt eſt potentia libera.pag.438.col.1.
Vnde proueniat, q Angelus non cognoſcat cogitationes & volitiones, quantum ad eſſe naturale,quod habent ſubiectiuè in intellectu,ſi fortè eas non cognoſcit. pag.438.col.1.
Tria ſunt,quæ Angelus per ſuum naturale lumẽ cognoſcere non valet.pag.451.col.1.& 2.
Angelus ſemper eſt in actu ſecundo,reſpectu alicualis cognitionis ſui,imò & omnium rerum naturalium.pag.452.col.1.

¶ Cognitionis Angelorum modus.

Angelus non poteſt plures intellectiones ſimul habere.pag.447.col.1.
Angelus exiſtens in actuali cõſideratione adæquata alicuius obiecti, põt habere inadæquatam cognitionem alterius.pag.453.col.1.
Angelus poteſt habere ſimul cognitionem adæquatam Dei, & adæquatam ſui ipſius: poteſt etiam habere cognitionem adæquatam Dei, & inadæquatam ſui,& adæquatã ſui,& inadæquatam Dei.pag.453.col.2.
Angelus reſpectu ordinis vniuerſi ſemper eſt in actuali cognitione,nõ tamẽ ſemper adæquatã habet rerũ omniũ cognitionẽ.pag.454 col.1.
Angelus nõ põt habere plures cognitiones adæquatas reſpectu pluriũ obiectorũ. ibid.col.2.

Angelus poteſt cognoſcere plura per modum vnius obiecti adæquati.pag.455.col.1.

Angelus poteſt cognoſcere plura per modum plurium,cognitione tamen remiſſa, & imperfecta. ibidem.

Si Angelus per vnicam ſpeciem plures cognoſcit quidditates,poteſt ſimul elicere plures actus cognoſcendi per plures ſpecies,qui,licèt ſint imperfecti reſpectu ipſarũ ſpecierũ,&virtutis ipſius angeli,reſpectu rerum cognitarũ poſſunt eſſe perfecti.pag.455.col.2.

Angelus finitam habet operationem, & quoad ſubſtantiam, & quoad modum.p.458.col.1.

Angelus non poteſt ſimul intelligere perfectè ea,quæ per duas ſpecies repræſentantur.pag. 458.colum.2.

Angelus poteſt intelligere plura per modum vnius,& vti pluribus ſpeciebus, quatenus dicunt ordinem inter ſe.pag.459.col.2.

Dato,quòd per vnam ſpeciem poſsint plura diſtinctè repræſentari, non tamen poteſt Angelus vnico actu ſimul omnia cognoſcere, quæ ad ſingularia omnia eiuſdem ſpeciei pertinet. pag.460.col.1.

Angeli reſpectu eorum, quæ vnica cognitione cognoſcunt, non diſcurrunt. pagina 463.columna ſecunda.

Angeli in cognitione rerum ſupernaturalium poſſunt diſcurrere.ibid.

Angeli,tam boni, quàm mali, habent intellectũ ſimpliciter diſcurſiuum.pag.464.col.2.

¶ *Angelorum dilectio naturalis.*

In Angelis reperitur amor ſeu dilectio naturalis.pag.477.col.2.

In angelis eſt dilectio naturalis, quantum ad actum elicitum ibid.

Angelus actu elicito naturalis dilectionis diligit magis intenſiuè & appretiatiuè angelum ſibi ſimiliorem & coniunctiorem, quàm alium angelum.pag.477.col.2.

Angeli dilectione appretiatiua magis diligunt angelum perfectiorem, quàm imperfectiorẽ, etiã ſibi magis coniunctũ.pag.478.col.1.

Angeli neceſſariò diligũt ſe dilectione naturali, neceſsitate quoad ſpecificationẽ.pagina 480. columna.1.

Sententia docens, nullam dilectionem Angeli eſſe quoad exercitium neceſſariam, probabilior.ibidem.

Angeli non poſſunt non diligere ſe, cùm naturaliter ſe diligant.pag.481.col.1.

Angelorum productio in eſſe naturæ.

Angelos à Deo productos eſſe, communis Catholicorum ſententia.pag.488.col.1.

¶ *Angelorum perfectio in eſſe gratiæ & gloriæ.*

In Angelis à principio ſuæ creationis, vſque ad terminum viæ, tria poſſunt conſiderari inſtãtia.pag.491.col.2.

Omnes angeli,ſiue boni,ſiue mali, fuerunt creati in beatitudine naturali.pagina 492. col.1.

Talis felicitas & beatitudo naturalis angelorum non eſt aliquid ſupernaturale,in ipſis angelis repoſitum,& naturæ angelicæ ſuperadditum. pag.492.col.2.

Nullus Angelorum fuit creatus in beatitudine ſupernaturali ſimpliciter.ibid.

Nullus Angelorum habuit viſionem beatificam per modum raptus aut tranſitus. pagina 493. columna.1.

Angeli in primo inſtanti ſuæ creationis, tam boni,quàm mali,fuerunt conditi in gratia. pagina.498.col.1.

Non eſt temerarium aſſerere, angelos in primo inſtanti ſuæ creationis non fuiſſe creatos in gratia gratum faciente.ibid.col.2.

Angeli in primo inſtanti ſuæ receperũt auxiliũ ſupernaturale; abſque præuia aliqua diſpoſitione.p.504 col.1.

Angeli in primo inſtanti ſuæ creationis diſpoſuerunt ſe ad recipiendam gratiam habitualẽ per actum bonum liberi arbitrij adiuti auxilio ſupernaturali.pag.504.col.1.

Angeli priùs meruerũt ſuam beatitudinẽ, quàm illam receperunt.pag.509.col.1.

Aliquam durationem ſiue moram, in qua ſancti angeli conſummarunt meritũ ſuum, & in qua illorum via fuit intrinſecè terminata, inter inſtans creationis,& glorificationis angelorum neceſſariò conſtitui oportere, concors Doctorum ſententia.pag.511.col.1.

Per has angelorum moras non eſſe intelligendas operationes ſibi ſuccedentes, ſed intelligendũ eſſe tempus noſtrum,diuerſimodè tamen. pagina 512.col.1.

Meritum & præmium in Angelis non fuerunt ſimul in eodem inſtanti tẽpoꝛis.p.512.col.2.

Angeli nõ receperunt immediatè poſt primum inſtans beatitudinem ſupernaturalem.ibid.

Boni angeli in ſecundo inſtanti habuerunt nouũ meritum.p.513.col.1.

Omnes angeli in via potuerunt peccare. ibidem. columna.2.

Angelus ſupremus, ſi naturam libertatis eius attendamus, potuit cum maiori gratia minus conari.pag.518.col.1.

Beati, ſimul cum cognitione beatifica, poſſunt habere actum cognitionis naturalis.pag.519. columna ſecunda.

Non

¶ *Angelorum malitia.*

Non poteſt de potentia Dei abſoluta dari natura aliqua rationalis vel intellectualis, quæ ſit impeccabilis per naturam, tam circa præcepta naturalia ſuperaddita, quàm ſupernaturalia. pag. 528. col. 1.

Nullus angelorum in primo inſtanti ſuæ creationis peccauit. pag. 534. col. 1.

Angelus in primo inſtanti ſuæ creationis potuit peccare peccato omiſsionis. pagina 535. columna prima.

Angeli in primo inſtanti ſuæ creationis potuerunt peccare peccato commiſsionis. pag. 539. columna. 5.

Peccatum angelorum, quantum ad ſuum principium, fuit velle amicitiæ inordinatum. pagina 548. colum. 1.

Mali Angeli, poſtquàm propriam excellentiam nimis dilexerunt, ſtatim ſuper alios excellentiam appetierunt, & non ſubdi Deo. pagi. 549. columna prima.

Peccatum Angelorum, quantum ad primum ſui principium, reducendum eſt ad peccatum ſuperbiæ, propriè tamen fuit præſumptio. ibid. colum. 2.

Primum peccatum angelorum non potuit eſſe appetitus æqualitatis Dei per æquiparãtiam. pag. 552. col. 1.

Vnum ex peccatis, quæ commiſerunt Angeli in via, potuit eſſe appetitus æqualitatis Dei per æquiparantiam. ibid. col. 2.

Vnum ex peccatis, quæ angeli commiſerunt in via, fuit appetitus æqualitatis Dei per æquiparantiam. pag. 553. col. 1.

Poſsibile fuit, angelis viatoribus fuiſſe impoſitũ præceptum, ſuppoſita reuelatione, de adorando Chriſto Domino. 556. col. 2.

In ſententia Diui Thomæ non poteſt ſuſtineri, peccatum Angelorum fuiſſe ex appetitu inordinato vnionis hypoſtaticæ. pagina 556. columna prima.

In nulla ſententia primum peccatum Angelorũ potuit eſſe inordinatus appetitus vnionis hypoſtaticæ. ibid.

Secundum vel tertium peccatum Angelorũ, vel aliquod ex his, quæ commiſerunt in via, potuit eſſe nolitio adorandi Chriſtum Dominũ, &c. pag. 557. col. 1.

Tam bonis, quàm malis angelis ad minus conſtituendæ ſunt tres moræ. pag. 560. col. 2.

Angeli, antequàm peruenirent ad terminum viæ, potuerunt reſipiſcere. p. 565. col. 1.

Si Angeli pœniterent ex auxilio ſupernaturali, quid Deus faceret, ſolus ipſe ſcit, tamen ſuſpicari piè poſſumus, Deum illis, &c. pagi. 568. columna. 1.

Peccatũ angelorũ (quandiu non fuit in termino) nõ fuit irremediabile & irremiſsibile in ordine ad potentiã diuinã, fuit tamen de facto irremediabile, & irremiſsibile. ibid. col. 2.

Tam angeli mali, quàm homines damnati, non habent potentiam ad eliciẽdum bonum opus meritorium. pag. 581. col. 1.

Tam angeli mali, quàm homines damnati, habẽt potentiam ad eliciendum actum naturalẽ, qui ſit completè bonus moraliter. ibid.

Nullus damnatorum, ſiue ſit angelus, ſiue ſit homo, facit aliquem actum ſimpliciter bonum in genere moris. ibid.

¶ *Angelorum operatio tranſiens.*

Angeli in corporibus aſſumptis non exercent opera vitæ. p. 585. col. 2.

Motus corporis aſſumpti ab angelo, non dicitur propriè motus progreſsiuus. ibid.

Angeli locutio in corpore aſſumpto non eſt propriè locutio. ibid.

Angeli in corporibus aſſumptis non poſſunt generare virtute propria, bene tamen aliena. ibidem.

Angeli & Dæmones poſſunt mouere corpora localiter ſecundùm proportionem ſuæ virtutis, ſeruato tamen vniuerſi ordine. ibid.

Poſſunt immutare corpora naturalia, applicando actiua paſsiuis. ibid.

Vnus angelus alteri loquitur, & alterum audit. p. 588. col. 2.

Audire & intelligere in Angelis ſunt actus eiuſdem intellectus, non tamen idem actus. ibidem.

Vnum angelũ alteri loqui, nihil aliud eſt, quàm in intellectu alterius aliquid producere, ratione cuius intellectus audientis excitatur ad audiendum. p. 589. col. 2.

¶ *Anima.*

Animæ rationalis conſideratio duplex. pagina 381. columna. 2.

Eiuſdem ſtatus etiam duplex. ibidem.

Anima eſt ratio formalis viuendi. pagina 447. columna. 2.

Specialiſsimum priuilegium animæ Chriſti fuit, quòd ab inſtanti ſui eſſe diuinam ſemper intuitus ſit eſſentiam, idque propter vnionem hypoſtaticam, p. 493. col. 1.

Anima duobus modis ſanctificari poteſt. pagina 667. colum. 1.

¶ *Appetitus.*

Appetitus duplex, naturalis, ſcilicet, & cognitiuus. pag. 520. col. 2.

Appetitus naturalis non ſupponit cognitionẽ in appetente.ibidem.
Appetitus cognitiuus duplex, nempe ſenſitiuus,& intellectiuus.ibidem.
Appetitus ſenſitiuus eſt determinatus, appetitus autem rationalis non item.pag.530.col.1.
Appetere Deo æquari, poteſt dupliciter intelligi.pag.553.col.2.

¶ *Argumentum.*

Argumentari eſt proprium munus intellectus. pag.382.col.2.
Argumentari eſt ex vno aliud inferre. pagina 383.col.1.
Voluntas non poteſt nolle beatitudinem.pagina.476.col.1.

¶ *Beatus.*

IN beatis tria conſiderare eſt actuum, & habituum genera.pag.519.col.1.

¶ *Bonum.*

Bonum diuinum eſt vniuerſale dupliciter, hoc eſt ſecundùm plenitudinem,& ratione cauſalitatis.pag.483.col.a.
Amor in bonum tendit, vt in proprium obiectum.ibidem.
Bonum noſtrum magis continetur in Deo, & conſeruatur ab ipſo, quàm à nobis.ibidem.
Bonum partis continetur in toto,& ab ipſo pẽdet.ibidem.
Deo adhærere bonum eſt.ibidem.

¶ *Cauſa.*

CAuſa ſecunda non dicitur propriè media inter Deum & effectum.pag. 19. col. a.
Cauſa ſecunda non agit immediatè immediatione virtutis.pag.18.col.r.
Cauſa duplex, altera vniuoca, altera æquiuoca. pagina.31.col.a.
Cauſæ vniuocæ definitio traditur.ibidem.
AEquiuoca cauſa quæ ſit.pag.32.col.1.
Differentia inter cauſas, vniuocam & æquiuocam, aſsignatur.ibidem.
Non reperta alicuius effectus cauſa ad primam cauſam recurrendum eſt pag.33.col.1.
Nulla cauſa poteſt agere vltra virtutem ſuam. pag.34.col.1.
Quod non eſt virtute in ſua cauſa, nullo modo ab ipſa produci poteſt.pag.35.col.1.
Cauſa totalis generationis eſt ſemen & fœmina.pag.36.col.1.
Cauſa vniuerſalis de ſe indifferens eſt ad huius vel illius effectus productionẽ.pag.37.col. 1.
Cauſa poteſt primò & immediatè aliquem effectum producere abſque omni nouitate in ipſa.pag.51.col.1.
Cauſa, non ſolùm abſolutè, ſed etiam vt actu cauſans eſt prior ſuo effectu.pag.61.col.1.
Cauſa duplex, naturalis & libera; harum cauſarum differentiæ traduntur.pag.61.col.2.
Nulla cauſa poteſt agere, ſi non eſt determinata ad operationem.ibidem.
Cauſa libera ſeipſum ad agendum & cauſandum determinat.pag.62.col.1.
Cauſa naturalis in ordine ad effectum producendum, quæ requirat; quæ item cauſa libera. ibidem.
Inter cauſam productiuam, & effectũ quid mediet.pag.82.col.2.
Inter cauſam productiuam plurium effectuum diſparatorum, & cauſam effectiuam plurium effectuum ſubordinatorum, diſcrimen. pag.96.col.1.
Aliqua cauſa quot modis dicatur vniuerſalior. pag.111.col.1.
Cauſa, quantò vniuerſalior quoad prædicationem, tantò imperfectior.ibidem.
Cauſa ſecundùm ſe indeterminata ad ſpecificationem ſui actus, per quid determinetur. pagina.309.col.a.
Cauſa naturalis tantum cauſat, quantum poteſt cauſare.pag.330.col.2.
Diſparitas inter cauſas effectiuas, & ſpecies intelligibiles, in cauſando adducitur. pagina.374.col.a.

¶ *Cauſalitas.*

Cauſalitas & ſignificatio in pleriſque rebus aliã & aliam rationem formalem induunt. pagina.115.col.2.
Cauſalitas & ſignificatio in ſacramentis nouæ legis vnam prorſus rationem formalem conſtituunt.ibidem.
Cauſalitas in ordine ad actus meritorios ſumitur à voluntate, & habitu charitatis ſimul. pagina.581.col.2.
Cauſalitas in ordine ad actus naturales moraliter bonos ex ſola voluntate petitur. ibidem.

¶ *Circumſcriptio.*

Circumſcriptio, formaliter loquendo, quid importet.pag.220.col.1.

¶ *Cognitio.*

Cognitio quidditatiua, & comprehenſiua quo differant.pag.338.col.2.
Cognitio comprehenſiua eſt cognitio alicuius cognoſcibilis, quantum ipſum cognoſcibile eſt.ibidem.
Illa cognitio, quam habuerunt angeli de Deo per ſuam eſſentiam, ſiue vt ratio cognoſcendi, ſiue vt ratio cognita, non potuit eſſe cognitio quidditatiua.pag.339.col.2.

Aliud eſt materialiter, aliud vero materiam cognoſcere.pag.386.col.2.
Cognitio intuitiua tertur in rem præſentē, quatenus præſens eſt.pag.379.col.2.
Cognitionem abſtractiuam & intuitiuam non differre eſſentialiter probabile.ibid.
Cognitio angelorum non menſuratur æuo. pagina 418 col.1.
Cognitio diuina menſuratur æternitate.ibid.
Implicat eſſe cognitionem, ſine eo, quod verbũ, ab intellectu, & ſpecie productum, noſtrum informet intellectum.pag 457.col.2.
Cognitio matutina à veſpertina in angelis, quo differat.pag.466.col.2.
Cognitio practica & ſpeculatiua habēt eandem connaturalitatem.pag.481.col.1.
Cognitio beatifica eſt operatio perfectiſsima. pagina 519.col.1.
Cognitio naturalis non opponitur ſupernaturali.pag.519.col 2.
Cognitio perfectiſsima quando excludat imperfectum ibid.

¶ *Complexa neceſſaria.*

Complexa neceſſaria, quatenus dicunt neceſsitatem logicam, nullam habent cauſam efficientem.pag.10.col.a.

¶ *Concupiſcentia.*

Concupiſcentia poſt baptiſmum non eſt verè peccatum.pag.675.col.1.
Concupiſcentia ante baptiſmum non eſt verè peccatum.ibid.
Concupiſcentia peccatum dicitur, quia eſt à peccato Adami.pag.677.col.1.

¶ *Corpus.*

Corpora ſunt in loco ratione ſuarum quantitatum.pag.208.col.1.
Corpora tantum locum occupant, quantam habent quantitatem.ibid.
Quæ conueniunt corpori ſunt in duplici differentia, abſoluta, ſcilicet, & relatiua. pagi.221. colum.1.
Idem numero corpus poteſt eſſe in pluribus locis de potentia Dei abſoluta.ibid.
Idem numero corpus non poteſt eſſe in pluribus locis definitiuè, etiam de potentia Dei abſoluta.pag.222.col.1. bene tamen poteſt eſſe circunſcriptiuè.ibid.
Corpus per animam viuit, & vitaliter operatur. pag.297.col.1.
Angelos eſſe corpora poſt definitionem Concilij Lateranenſis abſque temeritate dici nō poteſt.pag.385.col.1.
Quadruplex eſt modus, quo corpora animaliū corrumpuntur.pag.630.col.1.
Corpus duobus modis poteſt viuificari, & quibus.pag.667.col.1.

¶ *Corruptio.*

Corruptio duplex, propriè dicta, & impropriè dicta.pag.158.col.a.
Corruptio propriè dicta quid ſit, & in quo à corruptione impropriè dicta differat.ibid.

¶ *Creatio.*

Creatio eſt productio alicuius entis ex nihilo, vel alicuius rei ex nihilo: vel aliàs eſt productio totius entis, nulla præſuppoſita materia, aut parte ex qua producatur.pag.a.col.2.
Differentia inter creationē & alias mutationes aſsignatur.ibid.
Ly, *de nihilo*, poſitum in definitione creationis quot modis ſumatur.ibid.
Creatio eſt actio inſtantanea pagina.37.col.1.
Terminus ad quem creationis non eſt priuatio. ibidem.
Creationis terminus ad quem, poteſt eſſe, tam res ſpiritualis, quàm materialis.ibid.
Creatio eſt actio inſtantanea.ibid.
Creatio non eſt motus.ibid. Non poteſt fieri à cauſis ſecundis.ibid.
Soli primæ cauſæ conuenit creare.ibid.
Duplex creatio, actiua, nimirùm, & paſsiua. pagina 51.col.2.
Creationis duplex terminus, alter realis & ſimpliciter, alter ſecundùm quid. pag. 52.col.2.
Creare, quo pacto ſit actus voluntatis diuinæ, explicatur.pag.58.col.1.
Qua conſideratione creatio actiua Dei, ſit actio formaliter tranſiens.pag.59.col.1.
Nulla actio immanens conuenit Deo ex tempore.ibidem.
Quæ operatio ſit actio formaliter tranſiens. ibidem.
Creatio non eſt propriè actio. pagina.77.columna ſecunda.
Creatio actiua eſt formaliter & realiter in Deo. pag.79.col.1.
Creatio actiua quid importet præter diuinam volitionem, declaratur.pag.79 col.1.
Creatio paſsiua quid importet, oſtenditur. pagina.53.col.1.
Creatio paſsiua non eſt propria & vera mutatio.pag.53.col.2.

¶ *Creatura.*

Nulla creatura agit immediatè immediatione virtutis.pag 18.col.1.
Nulli creaturæ pōt cōuenire creare. p.37.col.1.
Creaturæ, antequàm creentur, nullum eſſe realē habent diſtinctum ab eſſe ſuæ cauſæ, vel ab eſſe diuino.pag.39.col.2.

Creaturæ, antequàm creentur in eſſe reali, habent eſſe cognitum, & volitum ab intellectu, & voluntate diuina.pag.40.col.1.
Tale eſſe cognitum vel volitum creaturæ, quid importet, explicatur.ibid.
Creaturæ, anteqnàm intelligantur ab intellectu diuino, tantum ſunt in potentia logica. pagina 43.col.1.
Creaturæ, antequā haberent eſſe reale per creationem, habebant eſſe in potentia obiectiua. pag.45.col.1.
Creaturarum productionem in eſſe reali, præſupponere productionem diuinarum perſonarum in eſſe reali, omnium Catholicorum ſententia.pag.87.col.1.
Cur creatura non poſsit creare, ratio redditur. pag.113.col.1.
Qualiter impoſsibile ſit creaturam fuiſſe ab æterno, docetur.pag.129.col.1.
Quanem creaturam permanentem ab æterno à Deo produci, poſsibile. pag.129.col.2.
Aliquam creaturam corruptibilem per tempus infinitum durare, contradictionis eſt inuolutio.pag.130.col.2.
Nulla creatura materialis naturæ ſuæ relicta potuit ab æterno produci.pag.131.col.1.
Creatura ex ſe nullum habet eſſe.pagina 138.columna 2.
Creaturæ cuiuſcunque duplex conſideratio.ibidem.
Quælibet creatura ſubſtantialis habet duplicem rationem.pag.144.col.2.
In creatura rationali facultas duplex, & quæ. pagina 474.col.1.
Quælibet creatura ſecundùm rationem ſuam abſolutam, appetitu naturali potius diligit ſe ipſam, quàm Deum.pag.485.col.2.
Quælibet creatura, quatenus creatura eſt, appetitu naturali creaturæ potius diligit Deum, quàm ſe ipſam.pag.486.col.1.
Quælibet creatura, vt ſic, includit in ſe ipſa intrinſecum ordinem, & dependentiam ad Deū, vt cauſam efficientem, & conſeruantem. pag. 486.col.1.

¶ *Dæmones.*

Dæmones & damnati actu elicito volunt Deum non eſſe.pag.552.col.2.
Quot modis dæmones futura prædicant, & quibus.pag.419.col.1.& 2.
Illud Diui Iacobi, *Dæmones credunt, &c.* quomodo accipiendum.pag.451.col.2.
Quomodo dæmones Deum diligant, quo etiam modo ipſum odio habeant, docetur.pag.527. columna ſecunda.
In dæmonibus omnia opera ſunt mala, propter vehementem malitiam, & continuum odium Dei.pag.581.col.2.
Dæmonum voluntas non caret auxilio Dei generali.pag.583.col.2.
Dæmonum voluntas non eſt determinata reſpectu actus, neque in particulari, neque in communi.pag.584.col.2.
Vide verbum, Obſtinatio.

¶ *Defectus.*

Defectus, malum, & culpa, habent ſe ſicut ſuperius & inferius.pag.640.

¶ *Deus.*

Deus poteſt producere per ſe ipſum, quicquid poteſt cum cauſa ſecunda effectiuè operante. pag.17.col.1.
Deus & Sol aliter ſe habent in ſua vniuerſali cauſalitate reſpectu generationis rerum.ibid.
Operatio Dei immenſa, quoad eſſe abſolutum, quod importat, nō eſt accidens, ſed eſſe ipſius Dei.ibidem.
Eſſe Dei & ipſius operatio ſunt immediata in quacunque operatione cauſæ ſecundæ.pagin. eadem, col.2.
Deus eſt intimè præſens in omnibus rebus ſecūdùm eſſentiam, præſentiam, & potentiam. ibidem.
Deus eſt agens immediatum in omnibus rebus immediatione virtutis.ibid.
Dari hunc Deum in diuinis, diſtinctum à tribus perſonis, vel ſuppoſitis, probabilius.ibid.
Dato ordine inter cauſam primam & ſecundam in cauſando, probabile eſt, Deum agere mediatè mediatione ſuppoſiti in operatione cuiuſcunque creaturæ.pag.18.col.1.
Deū agere immediatè in operatione cuiuſcunq; creaturæ, tam immediatione ſuppoſiti, quàm virtutis, probabilius.pag.19.col.1.
Ex parte Dei tria concurrunt ad productionem vel conſeruationem rerum. pagina 23. columna prima.
Deum eſſe vbique per præſentiam, potentiam, & eſſentiam, quid.pag.24.col.1.
Deus eſt actus puriſsimus. pagina 51. columna prima.
Deus, quicquid voluit, voluit ab æterno. pagina 51.colum.2.
Deus poteſt aliquid de nouo creare.pagin.52. columna.2.
Deus vnico intuitu omnia perfectè videt. pag. 126.colum.1.
Intelligere Dei, eius intellectus, ſimiliter & eſſentia ſola ratione ratiocinante diſtinguuntur.pag.192.col.2.

Deus & natura non deficiunt in neceſſarijs.pag. 355.colum.1.
Non omnia, quæ nõ implicant contradictionẽ, fecit Deus.pag.402.col.1.
Qua ratione ſit ſolius Dei cogitationes cordiũ, & voluntatis affectiones cognoſcere. pagina 433.colum.1.
Deus nõ poteſt ſupplere operationem vitalem. pag 447.col.2.
In Deo eſt liberum arbitrium. pag.472.col.1.

¶ *Diſtantia.*

Diſtantia inter aliqua duo duplex, poſitiua, ſcilicet,& negatiua.pag.106.col.1.
Diſtantiæ poſitiuæ diuiſio.ibid.
Diſtantia non eſt aliud, quàm exceſſus.pagina 206.col.2.
In diſtantia poſitiua immediata, quantò extremum eſt nobilius,tantò diſtantia maior.ibid.
Diſtantia infinita inter ens & non ens non eſt ſimpliciter neceſſaria.pag.106.col.2.

¶ *Diſpoſitio.*

Vltima diſpoſitio ad gratiã, ſiue ſit dilectio Dei ſuper omnia,ſiue contritio vel deteſtatio peccatorum,habet eſſe effectiuè à voluntate per auxilium Dei eleuata,non verò à gratia habituali.pag.502.col.2.
Vltima diſpoſitio ad formam ſola prioritate naturæ antecedit ipſam formam.pag.507.col.2.

¶ *Donum.*

Omnia dona ſupernaturalia, creaturis intellectualibus conceſſa,à diuina pendent voluntate,tanquam à propria cauſa & menſura. pag. 518.colum.1.
In angelis,quantum ad dona ſupernaturalia, aliqua ratio diuerſitatis inuenitur ex parte ſubiecti,licèt nõ in ordine ad volũtatẽ diuinã. ibid.

¶ *Effectus.*

Effectus in actu,dicit cauſam in actu. pagina 247.colum.2.
Effectus non repræſentat immediatè ſuam cauſam.pag.326.col.2.
Effectus poteſt cauſam repræſentare duobus modis,& quibus.ibid.
Effectus & cauſa ſunt in duplici differentia. pag. 329.colum.2.
Totum id,quod reperitur formaliter in effectu, neceſſe eſt,vt præhabeatur in cauſa, vel formaliter,vel virtualiter,vel eminenter. pag.350. columna ſecunda.

¶ *Ens.*

Ens in potentia non eſt formaliter non ens.pag. 43.columna.2.
Ens ſucceſsiuum cuiuſmodi partes poſtulet. pagina 130.columna.2.
Eſſe intelligibile in angelo conſequitur eſſe entitatiuum.pag.350.col.2.
Omne ens creatum eſt obiectum proportionatum intellectus abſtracti, & independentis à ſenſibilibus, quantum ad ſuum actum intelligendi,ſibi poſsibilem.pag.441.col.1.

¶ *Eſſentia.*

Eſſe eſſentiæ quid ſit,oſtenditur.pag.138.col.1.
Eſſentia & operatio ſunt idem in Deo, ſed non ſignificant idem eodem modo. pag. 24.col.1.
Eſſentiæ conſideratio duplex.pag.138.col.2.
Eſſentia & exiſtentia, in quocunque eſſe conſiderẽtur,plus quàm ratione diſtinguũtur.ibid.
Eſſentia in eſſe obiectiuo,ſiue poſsibili,& exiſtẽtia realis quo pacto diſtinguãtur. p.139.co.1.
Eſſentia & exiſtentia, prout habent eſſe à parte rei, quomodò differant.ibidem.
In ſola natura diuina,eſſentia & exiſtentia tantùm per operationem intellectus diſtinguuntur.pag.140.colum.1.
Eſſentia diuina eſt actus purus, & nulla eſt in ea potentialitas.pag.148.col.1.
Eſſentia diuina eſt infinita in eſſendo, & in repræſentando.pag.374.col.1.

¶ *Eua.*

Primum peccatum Euæ fuit ſuperbia.pag. 616. columna ſecunda.
Peccatum Euæ fuit peccatum ſuperbiæ formaliter.pag.620.colum.2.

¶ *Exiſtentia.*

Eſſe exiſtentiæ quid ſit.pag.138. col.1.
Exiſtentia & eſſentia tantum diſtinguũtur ſicut res & modus rei,in creatis. pag.39.col.1.
Exiſtentia eſt de intrinſeca ratione Dei. pagina 39.colum.1.& 2.
Exiſtẽtia poteſt habere triplex eſſe, ſcilicet eſſe cognitum,eſſe in ſua cauſa,& eſſe in ſe ipſa,pagina 39. columna.2.
Exiſtentiæ duplex eſt cõſideratio. p.138.col.2.
Vide verbum, Eſſentia.

¶ *Forma.*

Forma ſubſtantialis immediatè poteſt producere aliam formam, tam ſubſtãtialem, quàm accidentalem. pag.33.colum.1.
Quæ forma ſit principium immediatum agendi.pag.33.colum.2.
Forma dat eſſe rei.pag.45.columna.2.
Forma, ſecundùm quòd forma, non habet eſſe per motum, ſed tantùm, ſecundùm quòd eſt forma fluens.pag.67.columna.2.
Illa maxima, *Dans formam, dat conſequentia ad formam*, exponitur.pag.247.col.1.

¶ *Futurum.*

Futurum contingens quotuplex. pag. 416.col. 2.Vide

2. Vide verbum, Angelorum cognitio.
Futura ſunt præſentia in æternitate, & ratio huius.pag.418.col.2.
De potētia abſoluta poteſt Deus producere ſpeciem intelligibilem, repræſentantem connexionem, vnionem, & coniunctionem quidditatis cum futura exiſtentia actuali, & contingenti.pag.414.col.2.

¶ *Generatio.*

Generatio ſupponit materiam, ſiue ſubiectum, ex cuius potentia forma naturalis educitur.pag.36.col.2.
Generationis terminus à quo, non eſt nihil, ſed priuatio, quæ eſt carentia formæ in ſubiecto apto nato.pag.36.col.2.
Generationis terminus ad quem, eſt res corporea & materialis.pag.37.col.1.
Generationis veluti genus eſt ipſe motus.ibid.
Generatio eſt quædam actio tranſiens in ſubiectum.ibidem.
Generatio fit ſucceſsiuè, propter diſpoſitiones, quas neceſſariò prærequirit.ibid.
Generatio requirit tempus & locum.ibid.
Generatio naturalis non potuit eſſe ab æterno. pag.130.col.2.
In generatione nō eſt aliqua vis ab illa diſtincta qua ſemen eſt productiuum naturæ humanæ. pag.644.col.2.
Generatio, qua traducitur peccatum originale, tantùm habet rationem conditionis neceſſariò requiſitæ.pag.650.col.1.

¶ *Geneſis.*

Ille locus Geneſ.6. *Cum viderent filij Dei filias hominum, quòd eſſent pulchræ, &c.* Cū ſanctis Patribus de filijs Seth exponitur.pa.550.col.2.

¶ *Gratia.*

Gratia habet eſſe per creationē. pag.115.col.2.
Non educitur de potentia obedientiali animæ. pag.120.col.2.
Gratia perficit naturam ſecundùm rationem naturæ.pag.486.col.1.
Gratia, quæ ex meritis eſt, non eſt gratia.pagin. 490.colum.2.
Gratiæ acceptio quotuplex. pag.498.col.2.
Gratia proportionatur naturæ.pagina 515.columna.1.
Gratiam & gloriam ſimul incipere, nulla eſt, abſolutè loquendo, repugnantia. ibid.col.2.
Gratia rectificat animam in ordine ad finem ſupernaturalem.pag.603.col.1.

¶ *Habitus.*

Habitus intellectualis ad iudicium eſt neceſſarius, vt intellectus ſit rectè diſpoſitus ad iudicandum, & bene vtendum ſpeciebus.pag.449.col.2.
Inter habitus intellectuales, & ſpecies intelligibiles, latum diſcrimen.ibid.
Habitus dantur, non ad poſſe facere, ſed ad bene promptè, facilè, & expeditè facere.ibid.
In angelis ponendos eſſe habitus ſupernaturales, realiter diſtinctos ab ipſis ſpeciebus, quibus rebus ſupernaturalibus aſſentiātur certū eſt.pag. 450. col. 1.
An angelus indigeat habitibus naturalibus, ſub iudice lis eſt. ibid.
Angelum nō indigere aliquo habitu, diſtincto ab ſpeciebus intelligibilibus, quibus apprehēdit obiecta naturalia, vt rationi & Doctori magis conſonum defenditur. pag.450. col. 2.
Habitus propter quid ſint neceſſarij in intellectu noſtro.ibid.& pag.451.col.1.
Habitus iuſtitiæ originalis eſt habitus realiter diſtinctus ab habitu gratiæ gratum facientis. pag.601.col.1.
Habitus iuſtitię originalis nō erat vnus ſimplex habitus, ſed plures cum quadam ſubordinatione.ibidem.
Vltra habitus exiſtentes in appetitu ſenſitiuo, neceſſariò eſt ponendus habitus in voluntate deſeruiens iuſtitiæ originali, & ad illam pertinens.pag.602.col.1.

¶ *Homo.*

Homo ex natura ſua, ſecluſo quocunque extrinſeco, mortalis eſt, immortalis verò ſi eſt, ab extrinſeco talis eſt.pag.623.col.2.
Homo in ſtatu innocentiæ, & nullo exiſtente peccato non moreretur.pag.624.col.2.
In ſtatu innocentiæ non eſſet homo immortalis ſimpliciter.pag.625.col.1.
Homo in ſtatu innocentiæ non erat ſimpliciter mortalis.ibidem.
Homo in ſtatu innocentiæ poterat dici aliqualiter mortalis.ibid.col.2.
Simpliciter & abſolutè fatendū eſt, ꝙ homines in ſtatu innocentiæ eſſent immortales.ibid.
Immortalitas & impaſsibilitas, quæ erat in primis parētibus ante peccatū, illis proueniebat ſolùm à iuſtitia originali, & ab eſu ligni vitæ. ibidem.
Paſsibilitas & mors, quæ poſset contingere, vel ab extrinſeco, eſſet tunc conditio naturæ, & non pœna peccati.pag.626.col.1.
De potentia Dei abſoluta poteſt vnus homo cōſtitui caput alterius in genere moris, quanuis non ſit caput illius in genere naturæ. pagina 624.columna.2.
Conſtituto aliquo capite in genere moris, eius peccatum non traduceretur in alium, exiſtentem

tem ſub volitione oppoſita.ibidem.
Si voluntas adulti nullam haberet volitionem actualem, oppoſitam peccato traducendo, poterat traduci peccatum alterius, qui eſſet caput eius in genere moris, in voluntate illius. pag.625.col.1.

¶ *Indiuiduum.*

INdiuidua cuiuſcunque naturæ quid addant ſupra naturam.pag.392.col.2.
Vnum indiuiduũ altioris ordinis excedit infinita ordinis inferioris.pag.370.col.2.

¶ *Iohannes.*

Illius loci apud Iohannem, *Dignus es, Domine, qui accipias, &c.* germana expoſitio.pagin.516. columna.1.

¶ *Infinitum.*

Infiniti duplex acceptio.pag.106.col.2.

¶ *Intellectus.*

Intellectus duplex, agens, nimirũ, & poſsibilis.pag.291.col.1.
Solus Durandus inter Catholicos negat dari in homine intellectũ agentem. pag.292.col.2.
Intellectus agentis officium quod ſit, & quotuplex.ibid. & pag.293.col.1.
Intellectus agentis operatiões quot ſint, & quales.pag.292.col.2.& pag.ſeq.col.1.& 2.
Intellectus agens nihil poteſt intelligere. pag. 293.colum.2.
Intellectus agens & poſsibilis non ſunt duo intellectus ſecundum rem.ibid.col.1.
Intellectus agens ſua actione producit ſpecies intelligibiles.ibid.col.2.
Intellectus agentis primum & immediatum officium quod.pag.293.col.2.
Intellectus agens habet ſe inſtar luminis, pagina 294.columna.1.
In quo ſenſu dicatur intellectus agens phãtaſmata illuminare, dilucidè exponitur. pagi.295. columna.1.
Diſcrimen inter intellectum Angelicum, & humanum oſtenditur.ibidem.
Ad hoc vt intellectus noſter intelligat, quid requiratur.pag.296.col.1.
Cur in Deo non detur intellectus agens & poſsibilis, ratio aſsignatur.ibid. & pag.297.col.2.
Intellectus diuinus nullo modo eſt in potentia ſuſceptiua.pag.297.col.2.
In nobis vltra intellectum poſsibilem ponẽdus eſt intellectus agens, ab intellectu poſsibili formaliter diſtinctus.ibid.
In angelis datur intellectus agens & poſsibilis. pag.298.colum.1.
Intellectus angelicus nullam connexionem dicit cum ſenſu.ibid.col.2.
Intellectus angelicus ſemper eſt in actu reſpectu alicuius obiecti.pag.299.col.1.
Intellectus non eſt adæquata & totalis cauſa intellectionis.pag.307.col.1.
Intellectus conſideratio duplex aſſeritur. pagina 309.col.1.
Si intellectus, ſecluſa ſpecie intelligibili, eſt in potentia eſſentiali reſpectu intellectionis, implicat Angelum intelligere ſe per ſuam eſſentiam.pag.311.col.1.
Angelus intelligit ſe per ſuam eſſentiam.ibid.
Intellectus angelicus qua ratione ſit nudus & poſsibilis, ſicut intellectus humanus. pagina 349.col.1.
Intellectus angeli, ſecluſo quocunque obiecto, ſiue ſpecie, habet ſuam actiuitatem totalem. pag.354.col.2.
Intellectus angelicus non tot requirit ad intellectionẽ, quot noſtro intellectui ſunt neceſſaria.pag.355.col.1.
Intellectus angelicus, ex vi intellectus præciſè, requirit obiectum, vel ſpeciem ſibi præſentem in ratione obiecti.ibid.
Intellectus angelicus, ex vi intellectus, nihil aliud habet ſibi præſens, quàm propriam eſſentiam angeli.ibid.
Intellectus humanus per ſe cognoſcit ſingulare materiale determinatè.pag.382.col.1.
Ab intellectu directè cognoſcuntur ſingularia.pagina 383.col.2.
Intellectus angeli ſuperioris ab intellectu angeli inferioris penes quid diſtinguatur. pagina 374.colum.1.
Intellectus humanus per ſe cognoſcit ſingulare materiale, idque directè.pag.382.col.1.
Intellectus corrigit ſenſum circa ſingulare determinatum.ibid.
Illud Ariſtotelis proloquium, *intellectus eſt vniuerſaliũ*, quo pacto accipiendũ. pa.386.col.2.
Intellectus agentis effectus duplex, & quis ille ſit.pag.388.col.2.
Per quas ſpecies non poſsit intellectus cognoſcere ſingularia directè.pagin.389.col.2. Per quas item hoc ipſum poſsit. pag.390.col.1.
Qua ratione dicatur intellectus humanus, medius inter ſenſum, & intellectum angelicum. ibidem.col.2.
Intellectus quo mediante fiat de non intelligente intelligens.pag.394.col.2.
Intellectus ſeparatus, licet conceptum alterius videret, non proptereà cognoſceret, quid ille cogitaret, pag.438.col.1.
Conceptus mentis, vel affectus cuiuſlibet, acceptus vt eſt forma aliqua abſoluta, eſt naturali

ter,tam abſtractiuè,quàm intuitiuè, intelligibilis à quocunque intellectu ſeparato. pagina 440.colum.2.

Intellectus angelici lumen naturale eſt perfectum, & rerum naturalium comprehenſiuum. pag.450.col.2.

Intellectus reſpectu ſpecierum dupliciter ſe habere poteſt.pag.457.col.1.

Intellectus intelligens,ex eo quod intelligit, in quo eſſe fiat ipſum intelligibile,aperitur. pagina 457.col.2.

Intellectus poteſt habere duo iudicia circa aliquam rem,& quæ.pag.477.col.1.

Intellectus practicus habet determinatum iudicium circa beatitudinem appetendam, & miſeriam fugiendam. ibidem.

¶ *Inſtrumentum.*

Variæ inſtrumenti acceptiones aſsignantur.pa. 32. col.1.& p.72.col.1.

Inſtrumenti quædam diuiſio traditur.pagin.32. columna.2.

Inſtrumentum per ſubordinationem virtutis ad virtutem,ab inſtrumento per ſubordinationē effectus ad effectum, quo pacto diſtinguatur. ibidem.

In quo ſenſu dicendum ſit cum Doctore, quòd ſacramenta nouæ legis ſunt inſtrumenta phyſica & realia gratiæ, quæ habet eſſe per creationem, paucis exponitur.ibidem.

Nihil eſt inſtrumentum, niſi reſpectu alicuius cauſæ ſuperioris, & agentis principalis. pagina 33.colum.1.

Accidens eſt inſtrumentum formæ ſubſtantialis reſpectu effectus producendi.ibid.

Ad veram rationem inſtrumenti, quid requiratur.pag.36.col.1.

Ad rationem inſtrumenti phyſici quid requiratur.pag.126.col.1.

¶ *Intellectio.*

Intellectio & volitio non ſunt actiones de genere actionis,ſed qualitates de genere qualitatis. p.431.col.2.& latè Diſput.10.quæſt.1.

Intellectio,verbum,conceptus, & notitia idem ſunt omnibus modis.ibid.

Intellectio ab intelligere diſtinguitur.ibid.

Intellectio non eſt finis intellectus.ibid.

Intellectio ordinatur ad intelligere, tanquam ad vltimam perfectionem intellectus.ibid.

Intellectio plurium dupliciter contingit.pagin. 454.colum.2.

Intellectio plurium per modum plurium etiam dupliciter contingit.ibid.

¶ *Inuidia.*

In angelis malis fuit peccatum inuidiæ. pagina 561.columna.2.

Inuidia non eſt tantum reſpectu ſuperioris, ſed etiam inferioris,& quo pacto.ibid.

¶ *Iuſtitia.*

Probabiliſsimum eſt, iuſtitiam originalem non dicere intrinſecum ordinem ad gratiam gratū facientem, tanquam ad ſuam radicem. pagina 604.columna.1.

Probabiliſsimum eſt,iuſtitiam originalem,quã tum ad partem ſuperiorem,intrinſecum dicere ordinem ad gratiam gratū facientem.pagi. 604. columna.2.

Iuſtitia originalis erat rectitudo naturalis,& rectificabat hominem in ordine ad finem naturalem.ibidem.

Quem in finem ponebatur iuſtitia originalis in voluntate, aperitur.p.604.col.2.

Status iuſtitiæ originalis, includens gratiam & charitatem, ſecum compatitur peccatum veniale.p.611.col.1.

Stante iuſtitia originali, potuit Adamus cōmittere peccata venialia ex obiecto,& peccatum aliquod ſpirituale.ibid.col.2.

Iuſtitia originalis ordinabat potentias per modum actus primi.p.655.col.1.

Si iuſtitia originalis erat habitus realiter diſtinctus à gratia, poterat ſimul cum illo peccatū mortale conſiſtere.ibid.

Si iuſtitia originalis & gratia ſunt idem numero habitus,vel ſaltem habent inter ſe eſſentialem dependentiam,per quodcunque peccatū mortale amitteret Adamus habitum iuſtitiæ originalis.pag.657.col.2.

¶ *Leuia & grauia.*

Leuia & grauia in ſuis motibus naturalibus mouentur à ſe,vel mouētſe.p.247.col.1.

Graue pōt habere rationē principij quod, reſpectu motus deorſum. p.247.col.2.

Grauium motus naturalis dicitur per ordinem duntaxat ad principium paſsiuū.p.248.col.2.

¶ *Lex.*

Quot modis dicatur lex aliqua lex naturalis.pagina.527.col.2.

Vbi non eſt lex,non eſt præuaricatio. pag.555. columna.2.

¶ *Libertas.*

Libertas extrinſeca duplex, contrarietatis, ſcilicet,& contradictionis. p.469.col.2.

Libertas voluntatis in quo principaliter conſiſtat.ibidem.

Libertas tantò perfectior, & liberum arbitrium perfectius, quantò voluntas perfectior. pag. 470.colum.1.

Ratio libertatis, quantum ad exercitium in noſtra

ſtra voluntate, eſt indifferentia rationis, & intellectus. pag. 472. col. 1.
In homine vere & formaliter eſt libertas, ſiue liberum arbitrium. p. 472. col. 2.
In angelis eſt ponẽdũ liberũ arbitriũ. p. 473. c. 1.
Libertas triplex, prima à coactione ſiue neceſsitate, ſecunda eſt à peccato, tertia à miſeria. pagina 474. col. 1.
Libertas arbitrij, quantum ad coactionem æquè conuenit angelo, & homini. ibid. col. 2.
Libertas à corruptione non æquè eſt in homine & angelo. ibid.
Libertas à miſeria non æquè reperitur in homine & in angelo. ibidem.
Libertas voluntatis, alia eſſentialis & intrinſeca, alia accidentalis, & extrinſeca. p. 476. col. 2.

¶ *Lignum vitæ.*

Lignum vitæ conſtituebat hominem potentem non mori in ſtatu naturæ integræ, non tamen non potentem mori. p. 628. col. 2.
Virtus ligni vitæ potuit eſſe ſimpliciter naturalis. pag. 631. col. 1.
Probabile eſt virtutem illam, ligno vitæ conceſſam, fuiſſe ſupernaturalem. ibid.

¶ *Locus.*

Locus duplex, alius verus, alius imaginarius. pagina 228. col. 1.
Loci imaginarij duplex acceptio. ibid.
Locus, alius internus, alius extrinſecus. ibidem.
Loci intrinſeci & extrinſeci diſcrimen. ibid.
Locus formaliter dicit reſpectum extrinſecus aduenientem. pag. 228. col. 2.
Inter locũ & vbi differẽtia aſsignatur. p. 235. c. 1.
In corporibus, ratio exiſtendi in loco, eſt quantitas molis, in Angelis verò, quantitas virtualis, ſeu quantitas virtualis. p. 207. col. 2.
Locus corporum reſpondet quantitatibus ipſorum. pag. 208. col. 1.
Eſſe in loco contingit dupliciter, ſcilicet, circunſcriptiuè, & definitiuè. pag. 211. col. 1.
Eſſe in loco quid ſit, explicatur. pag. 220. col. 1.

¶ *Locutio.*

Loqui alteri quid ſit. pag. 429. col. 2.
Locutio angelorum non innoteſcit nobis, niſi arguitiuè. ibid.
Locutio angelorum quomodò fiat ad inuicem. pag. 430. col. 2.

¶ *Lucifer.*

Lucifer omniũ angelorum ſupremus fuit, quoad ſubſtantiam negatiuè ſolùm, quoad accidẽti verò poſitiuè. pag. 570. col. 2.

¶ *Mathematica.*

Mathematica qua ratione dicantur abſtracta. pag. 293. col. 2.

¶ *Meritum.*

Ratio meriti tota ſumenda eſt ex ratione gratię. pag. 518. colum. 2.

¶ *Miraculum.*

Quæ Deus facit per aliquod generale pactum (licèt fiant ſupra cõmunem naturæ curſum) non ſunt dicenda miracula. pag. 33. col. 1.

¶ *Modus.*

Modus non eſt alia realitas à re cuius eſt modus. pag. 153. col. 1.
Modus cauſæ, & principij liberi, eſt determinare ſe. pag. 414. col. 2.

¶ *Mors.*

Non eſt probabile, quòd non omnes moriantur de facto. pag. 672. col. 1.

¶ *Motus.*

Definitio motus adducitur, & declaratur. pagina 52. columna prima.
In motu, & calefactione paſsiua, qua aqua calefit, ſunt tres reſpectus, & qui. pag. 66. col. 1.
Mediante motu fit omnis actio corruptiua agentis creati. pag. 66. col. 2.
Ratio motus tria includit. pag. 67. col. 1.
Motus eſt cauſa termini, non tamen attingit terminum. pag. 127. col. 2.
Motus inſtãtaneus dari nõ poteſt. pa. 130. col. 2.
Nullus motus potuit eſſe ab ęterno. p. 131. co. 1.
Motus localis Angeli non eſt diuerſi contactus, &c. pag. 239. col. 2.
Motus localis Angeli eſt actio, qua formaliter, &c. pag. 239. col. 2.
Motus localis angeli, quo pacto conueniat cum motu locali corporum. ibid.
Motus ad ſui exiſtentiam, quot & quæ requirat. pag. 241. col. 2.
Motus naturalis quis dicitur. pagina 245. col. 2.
Motus naturalis duplex cõſideratio. p. 246. c. 1.
Motus grauium non dicitur naturalis per ordinem ad principium actiuum, ſed per ordinem ad principium paſsiuum. pa. 248. col. 2.
Motus dicitur cõtinuus dupliciter. p. 250. col. 1.
Motus localis in quo ſit, tãquã in ſubiecto. ibid.
Motus eſt actus entis in potentia paſsiua, ſecundùm quòd in potentia paſsiua. ibid.
Motus angeli nõ eſt in rigore paſsio. p. 251. c. 1.
Motus Angeli duplex eſſe poteſt, diſcretus, & ſucceſsiuus. ibidem.
Diſcreti motus Angeli duplex acceptio. pagina 257. columna. 2.
Motus non eſt neceſſariò continuus poſita extẽſione ſolùm ex parte ſpatij. pag. 258. col. 1.
Motûs cõtinuitas in quo conſiſtat. p. 258. col. 2.
Extremorum, inter quæ fit motus, conſideratio duplex. pag. 266. col. 2.

Ad hoc, vt aliquid moueatur per accidens ad motum alterius, quid requiratur. pag. 289. col. 1.
Idem eſt motus in imaginem, & in rem cuius eſt imago. pagina 337. col. 1.

¶ *Mutatio.*

Mutatio localis duplex aſsignatur. pagina 276. columna. 1.
In mutatione inſtantanea idem eſt fieri, & factũ eſſe. pag. 279. col: 2.
Non eſt tanta mutatio in angelo, quanta in homine. pag. 472. col. 1.

¶ *Natura.*

NAturæ eiuſdem communicatio in identitate numerali creaturæ repugnat. pag. 111. columna. 2.
Sola natura diuina eadem prorſus numero eſt in tribus diuinis ſuppoſitis. ibid.
Natura humana quo nomine dicatur communis omnibus eiuſdem naturæ indiuiduis. ibid.
Natura in angelo, & factiua, & receptiua eſt ſpecierum. pag. 344. colum. 2.
Vide verbum, Deus.

¶ *Neceſsitas.*

Neceſsitas eſt triplex, logica, ſcilicet, obiectiua, & ſubiectiua. pag. 49. col. 2.
Harum neceſsitatum rationes propriæ proponũtur, & declarantur. ibid.
Eadem eſt proportio neceſsitatis ad neceſsitatem, quæ poſsibilitatis ad poſsibilitatem & in quo conſiſtat hæc proportio. ibid.
Quod ex ſua ratione formali habet neceſsitatẽ eſſendi, non poteſt non eſſe. ibid.
Solus filius diuinus, & Spiritus ſanctus habent vtramque neceſsitatem, obiectiuam, ſcilicet, & logicam. pag. 501. col. 2.
Non excludunt neceſsitatem, quæ ſunt in potentia logica. ibid.
Neceſsitas logica, ſicut & potentia illi reſpondens, ſemper eſt ens rationis. ibid.
Neceſsitas effectus neceſſarij neceſsitate obiectiua habet cauſam efficientem. ibid.
Neceſsitas reſpondens potentijs, obiectiuæ & ſubiectiuæ, eſt ens reale. ibid.
Neceſsitas logica nullam habet cauſam efficientem. pag. 50. col. 2.
Neceſsitas logica tantùm importat neceſſariam habitudinem prædicati cum ſubiecto. ibid.

¶ *Notitia.*

Notitia duplex, ſcilicet, intuitiua, & abſtractiua. pagina 314. colum. 1.
Notitia abſtractiua duplex, confuſa, ſcilicet, & diſtincta. pag. 325. col: 2.
Inter notitiam intuitiuam, & intellectiuã latum diſcrimen aperitur. pag. 330. colum. 1.

¶ *Obiectum.*

OBiectum potentiæ præcedit actum potentiæ. pag. 298. colum. 1.
Obiectũ actu intelligibile poteſt cõcurrere efficiẽter cũ potentia intellectiua ad producendã cognitionẽ ſui ipſius. pa. 300. col. 1.
Obiectum intellectus humani eſt quidditas rei ſenſibilis. pag. 314. colum. 1.
Obiectum intellectus, aliud motiuum, aliud terminatiuum. ibid.
Obiectum terminatiuum intellectus eſt ens, in quantum ens. ibid.
Obiectum motiuum duplex, naturale, ſcilicet, & ſupernaturale. ibid.
Obiectum motiuũ naturale adhuc duplex. ibid.
Obiectum intellectus angelici quotuplex. ibid.
Inter obiectum & potentiam quæ proportio ſit neceſſaria. pag. 315. col. 2.
Obiectũ cõcurrit cũ potentia vt concauſa. ibid.
Obiecti actio per actiuitatem, vt ita dicam, potentiæ eſt menſuranda. ibid.
Obiectum motiuum intellectus angelici eſt intelligibile in actu finitum. pag. 316. col. 1.
Obiectum immediatè repræſentatur à ſpecie. pagina 326. colum. 2.
Quo pacto obiectum concurrat cum intellectu agente ad productionem ſpeciei intelligibilis, declaratur. pag. 356.
Obiectũ ꝓpriũ intellectus duplex. p. 386. co. 2.
Obiecti vnio cũ potẽtia, nõ eſt vnio per informationẽ, ſed vnio cauſalitatis. pag. 431. col. 1.
Obiecta ſupernaturalia non poſſunt à naturali potentia percipi, niſi priùs talis potentia eleuetur. pag. 446. colum. 2.
Vnumquodque obiectum propriam habet ſpeciem. pag. 456. colum. 2.

¶ *Obſtinatio.*

Obſtinatio eſt adhæſio ad malum, à quo ſecundùm legem, vel ex potentia ordinaria nemo poteſt auelli. pag. 576. col. 2.
Obſtinatio eſt communis hominib⁹ & angelis. pag. 577. colum. 1.
Dæmones & damnati ſunt irreparabiliter obſtinati. ibidem.
Cauſa obſtinationis dæmonum vel damnatorũ non eſt inflexibilitas vel immobilitas volũtatis poſt actum primum, neque item eſt ſumma & perfecta voluntatis libertas, neque eſt habitus vitioſus à Deo cauſatus, neceſsitãs voluntatem ad malè agendum: tandem nõ eſt actus aliquis immediatè à Deo productus in voluntate dæmonum, vel dãmnatorum. ibid. columna. 2.
Obſtinatio damnatorum oritur ſolùm ex natura ſta-

raſtatus in termino ; præſuppoſito peccato vſque ad præfixum pœnitentiæ terminum. pag.578.col.2.
Obſtinatio damnatorum, vltra denegationem diuini auxilij ad operandum bonum, includit quandam duritiam, prauamque affectionem voluntatis.pag.579.col.1.

¶ *Ordo.*

Ordo dicit prius & poſterius.pag.18.col.1.
Ordo cauſalitatis inter cauſam primam & ſecundam in quo conſiſtat.pag.19.col.1.
Ordo naturæ quot modis conſiderari poſsit.pagina 2. columna.2.
Ordo triplex, durationis, naturæ, & originis. pagina.92.colum.2.
Ordo intrinſecè includit prioritatem & poſterioritatem.pag.98.col.2.
Ordo originis requirit diſtinctionem realem. pagina 99.col.1.
Duplex tantũ eſt ordo originis in rigore. ibid.
Ordo naturæ & originis poteſt totus aſsignari in vnoquoque inſtanti durationis, vel temporis.pag.99.col.2.
Ordinis originis triplex conſideratio.pag. 100. columna ſecunda.
Inter meritum & præmium datur ordo. pagina 509.columna.1.

¶ *Operatio.*

Operatio Diuina quot modis poſsit conſiderari.pag.24.colum.1.
Hæc conſequentia, *Deus vbique operatur, ergo vbique eſt*, quot modis poſsit accipi.ibid.
Prædicta conſequentia non eſt formalis, niſi gratia materiæ.p.26.col.2.& quare.p.28.col.1.
Operatio dicit reſpectum ad creaturam, ſecundùm quòd habet eſſe reale.pag.27.col.2.
Ex operatione ſequitur virtus in obliquo.ibid.
De operatione in extremo, & non in medio, & de tranſitu corporis de loco in locum non eſſe eandem rationem, oſtenditur.p.28.col.1.
Operationes intellectus non ſunt formaliter liberæ.pagina 436.colum.1.
Operatio arguit potentiam.pagina 298.columna prima.
Omnes operationes Chriſti fuiſſe rectiſsimas, & maximè rationi ac diuinis præceptis conſentaneas, de fide eſt.487.colum.2.
Operatio ſupernaturalis quo pacto naturalis dici poſsit.pag.517.col.1.

¶ *Paulus.*

Conſequentia illa Diui Pauli, *Non longè abeſt ab vnoquoque noſtrum, in ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus*, dilucidè exponitur.pag.28.col.1.

¶ *Peccatum.*

Ad peccatum non oportet, quòd ſit in intellectu error poſitiuus, ſed ſatis eſt, quòd ſit inconſideratio.pag.523.col.2.
Peccatum in actu liberi arbitrij quotupliciter eſſe contingat.pag.523.col.2.
Ad peccatum duo exiguntur. pag.527.col.1.
Solus Deus eſt, in quem non poteſt cadere peccatum.pag.528.col.2.
Peccatũ ſuperbiæ in quo conſiſtat.p.544.col.1.
Peccati ſuperbiæ quod ſit propriũ obiectũ.ibid.
Peccatum ſuperbiæ duplex, præſumptionis, nimirùm, & ambitionis.ibid.
Peccatum Angelorum poteſt tripliciter conſiderari.ibid.col.2.
In aliquo peccato contemptus Dei dupliciter interuenit.ibid.
Formalis contemptus adhuc dupliciter in peccato contingit.ibid.
Peccatum Angeli præceſsit Adami peccatum. pag.562.col.1.
Inter peccatum veniale & mortale maximum diſcrimen, & quod.pag.610.col.2.
Peccatum veniale in quacunque materia reperitur, dummodò procedat ex defectu libertatis, deliberationis vel cõſiderationis.p.611.co.1.
Peccati grauitas multipliciter poteſt conſiderari.pag 619.col.1.
Peccati duplex conſideratio.pag.619.col.2.
Peccatum primorum parentum ex ſe & ſecundùm ſuam ſpeciem, non eſt grauiſsimum inter omnia peccata contra Deum commiſſa. pagina 619.colum.2.
Peccatum primorum parentum ex circunſtãtia perſonæ fuit grauiſsimũ inter omnia peccata. ibidem.
Peccatum primorum parentum dici poteſt grauiſsimum extenſiuè.ibid.
Peccatum originale eſt in omnibus, in quo omnes homines de lege communi concipiuntur, & naſcuntur. pag.636.col.1.
Peccati prima diuiſio eſt in peccatum actuale, & originale.ibid.col.2.
Peccatum actuale ab originali quo differat. ibid.
Quilibet propagatus ab Adam, ſecũdùm legem communem habet in ſe traductum à primo parente peccatum originale.p.631.col.1.& 2.
Peccatum illud originale, in poſteros tranſfuſum per generationem, vere habet rationem culpæ & peccati.pag.632.col.1.
Peccatum originale in poſteros tranſfuſum, eſt illis intrinſecum, & inhærens. ibid.col.2.
Quo pacto dicatur peccatum originale à Concilio Tridentino, vnicuique proprium, exponitur.

nitur.

nitur. ibidem.

Peccatum denominans actu peccantem, quo pacto diſtinguatur à peccato, quod denominat actu peccatorem. pag. 634. col. 1.

Aliquid remanere tranſacto actu peccandi, dupliciter contingit. ibid. col. 2.

Sicut eſt differentia inter peccare, & eſſe peccatorem, ita maximum eſt diſcrimen inter peccatum actuale & originale. p. 635. col. 1.

Peccatum originale ab Adamo per originem in nos transfuſum, veram induit rationem peccati & culpæ. pag. 635. col. 2.

Peccatum originale habet modum peccati habitualis. pag. 636. col. 2.

Peccatum originale quo pacto ſit pueris voluntarium, quo pacto non item. ibid.

Peccatum originale eſt omnium peccatorum minimum. pag. 637. col. 1.

In ratione peccati originalis duo ponuntur. pagina 637. col. 1.

Peccatum originale generatione transfunditur in omnes deſcendentes ab Adam. p. 644. co. 2.

Non eſt ponenda aliqua qualitas, ſiue diſpoſitio morbida, inclinans ad fœdas & carnales delectationes, quæ ſit cauſa peccati originalis in omnibus. ibidem.

Peccatum originale eſt carentia rectitudinis debitæ ineſſe. pag. 646. col. 1.

Auerſio illa, quæ manet in homine, qui actualiter peccauit, qua ratione dicatur peccatum actuale, qua verò habituale. pag. 647. col. 1.

Peccatum dicitur actus vel omiſsio cum contrarietate ad regulam rationis. ibid. col. 2.

Peccatum actuale Adæ, quatenus fuit peccatum capitis, eſt cauſa peccati originalis, quod incipit in puero, quando concipitur. p. 649. col. 1.

Peccatum primi parentis non eſt cauſa effectiua phyſica noſtri peccati originalis. ibidem columna. 2.

Peccatum Adæ fuit cauſa ablationis iuſtitiæ originalis ab ipſo deſcendentibus, per modũ meriti vel demeriti. ibid.

Peccatum originale in nobis habet peccatũ Adami, vt cauſam moralem, quod cõſurgit per moralem quandam reſultantiam. p. 650. col. 1.

Inter peccatum & mortem aſsignatur differentia. pag. 671. col. 1.

De fide eſt omnes homines contraxiſſe peccatum originale, excepta B. virgine Maria, de facto & non ſolùm de debito. ibid. col. 2.

Peccatum originale, ſicut & habituale, duo dicit, materiale, ſcilicet, & formale. pag. 675. col. 1.

Peccata tegi & non imputari, idem eſt, quod deleri, & auferri. pag. 677. col. 1.

Peccatum habituale eſt terminus actionis, vel omiſsionis culpabilis. pag. 683. col. 2.

Peccatum originale eſt voluntarium denominatione tam intrinſeca, quàm extrinſeca. pagina 684. columna. 1.

Peccatum mortale triplex, actuale, habituale, & originale. ibid. col. 2.

Peccatum tranſire actu, & remanere reatu, quo pacto intelligendum. pag. 685. col. 1.

Materiale in peccato originali non eſt concupiſcentia appetitus ſenſitiui. pag. 586. col. 2.

Habitualis diſpoſitio inordinata, relicta in natura humana ex peccato originali, &c. non eſt materiale in peccato originali. ibid.

Quo pacto ſumpta concupiſcentia ſit materiale in peccato originali. pag. 687. col. 1.

Peccatum originale non eſt carentia rectitudinis in voluntate, cauſata per habitum iuſtitiæ originalis. pag. 705. col. 2.

Peccatum originale formaliter eſt carentia rectitudinis, & priuatio iuſtitiæ debitæ per modũ termini, &c. pag. 706. col. 1.

Peccatum habituale Adami, & originale noſtrũ non diſtinguuntur ſpecie ſecundum eſſe abſolutum. pag. 709. col. 2.

Peccatum originale immediatè ſubiectatur, tanquã in ſubiecto quo, in volũtate. p. 711. col. 1.

Si, poſtquàm aliquis peccauit, tolleret Deus ab illo voluntatem, adhuc ſubiectaretur peccatũ in anima illius. pag. 712. col. 1.

¶ *Perfectio.*

Omnis perfectio eſt in eo formaliter, cuius eſt perfectio. pag. 71. col. 1. & 2.

Perfectio duplex, intrinſeca, ſcilicet, & extrinſeca. pag. 246. col. 2.

Harũ perfectionũ differentia. ibid. & p. ſequẽte.

Eſſe perfectionem alicuius contingit dupliciter, per ſe, nimirùm, & per accidens. p. 307. col. 1.

Perfectio naturalis angelorum in quo conſiſtat. pag. 348. col. 2.

Quicquid dicit perfectionem in humanis, ſecluſis imperfectionibus, tribuendum eſt Deo. pagina 412. col. 1. & 2.

Perfectio creaturæ propria, eſt finita, limitata, & determinata. pag. 485. col. 2.

¶ *Perſona.*

Perſona diuina illud primò & per ſe ſignificat, p quod cõſtituitur, & diſtinguitur à qualibet alia pſona, & huiuſmodi eſt relatio. p. 28. c. 2.

Nomen (*perſona*) vt prædicatur de perſona diuina, formaliter & præciſè quid ſignificet. pagina 28. colum. 2.

Perſonæ diuinæ, & ſunt idẽ Deus, & ſunt diſtinctæ perſonæ. pag. 88. col. 2.

Tres

Perfectam cauſalitatem reſpectu omnium cauſabilium ad extra, in tribus perſonis eſſe neceſſariò, eſt de fide. 88. 2.

Tres perſonæ diuinæ eundẽ operandi modũ habent in productione rerũ ad extra. p. 89. col. 1.

Perſonæ Verbi, & Spiritus ſancti in creatione rerum non ſunt formales rationes producendi. pag. 89. col. 2.

Inter perſonam diuinam, & perſonam creatam differentia traditur. pag. 91. col. 2.

Perſonæ diuinæ vltra relationes dicunt eſſentiã diuinam. ibid.

De intrinſeca ratione cuiuſcunque perſonæ diuinæ eſt ratio deitatis. ibid.

Si per impoſsibile eſſet in diuinis vna tantũ perſona, illa poſſet producere oẽs creaturas. pagina 97. col. 1.

Inter perſonas diuinas non eſt aliqua prioritas durationis, nec temporis, ſiue prioritas ſimpliciter. pag. 100. col. 2. (ibid.

Inter perſonas diuinas non eſt naturæ prioritas.

¶ *Perſonalitas.*

Perſonalitatem addere ſupra naturam, entitatẽ realem poſitiuam realiter à natura diſtinctã, probabile. pag. 245. col. 2.

Perſonalitas cur non ſit negatio, ratio redditur. pagina 147. col. 1.

Perſonalitas non eſt entitas realiter diſtincta à natura. ibidem.

¶ *Pœna.*

Pœna duplex, damni, nimirùm, & ſenſus. pagina 714. columna. 2.

Maxima damnatorum pœna, eſt carentia viſionis diuinæ. ibid.

¶ *Pœnitentia.*

Pœnitentia duplex, naturalis, ſcilicet, & ſupernaturalis, pag. 567. col. 1.

Pœnitentia naturalis, quantacunque illa ſit, non eſt ſufficiens diſpoſitio ad gratiã. ibid. col. 2.

¶ *Præceptum.*

Præcepta iuris naturalis fundantur in inclinatione naturali. pag. 486. col. 1.

¶ *Prædeſtinati.*

Prædeſtinatorum numerus eſt certiſsimus & infallibilis, tam materialiter, quàm formaliter, quamuis omnes, qui ſaluantur, contingenter ſaluentur. pag. 607. col. 2.

¶ *Prædicamentum.*

Vltima ſex prædicamenta, quid ſignificẽt, oſtenditur. pag. 84. col. 1.

¶ *Potentia.*

Potentia triplex, logica, obiectiua, & realis. pagina 38. colum. 2.

Potentia, ſiue poſsibilitas logica, ſolam dicit nõ repugnantiam extremorum, ex natura ipſorũ extremorum. pag. 39. col. 1.

Potentia obiectiua qd ſit, rectè declaratur. p. 37. col. 1. Et quid dicat vltra potentiã logicã. p. 39. col. 1. (col. 1.

Quæ ſit potẽtia realis, & quorũ, oſtẽditur. p. 39.

Potentia dicit ordinem ad actum. p. 43. col. 2.

Secundũ q̃ potentiæ ordo ad actum variatur, variatur & ratio potentiæ in potentia. ibid.

Potentia, alia eſt ad propriam, alia ad alienam formam. pag. 44. col. 1.

Potẽtiæ obiectiuæ, & ſubiectiuæ notabile diſcrimen aperitur. pag. 45. col. 1.

Prædictarum duarum potentiarum fundamenta manifeſtantur. ibid. (ibid.

Prima diuiſio potentiæ eſt in actiuã & paſsiuã.

Potentia paſsiua ſubdiuiditur in paſsiuam obiectiuam, & potentiam paſsiuã ſubiectiuã. ibid.

Potẽtia materiæ primæ in ordine ad formã ſubſtantialẽ, eſt alia à potentia ſubiecti in ordine ad formam accidentalem. p. 45. col. 2.

Potentia obiectiua eſt ens reale in potentia. pagina 50. col. 1.

Potentia ſubiectiua ſemper eſt ens reale. ibid.

Potentia actiua eſt principium tranſmutandi aliud, in quantum aliud. pag. 66. col. 1.

Potentia executiua in Deo non eſt ponenda. pagina 78. col. 2.

Potentia obedientialis ſupra potentiam naturalem, quid addat. pag. 120. col. 2.

Potentia & actus vt habeant implicitam contradictionem, quid requiratur. p. 242. col. 1.

Vt potentia operetur, quę vnio ſit neceſſaria. pagina 308. col. 2.

Illa maxima, *Omnis potentia cognoſcitiua debet denu dari ab eo, quod eſt ratio cognoſcendi*, intelligenda eſt de potentia organica. p. 312. col. 2.

Potentia ſuperior cognoſcit omnia, quæ inferior ei ſubordinata. p. 382. col. 2.

Omnis potentia, quæ ponit diſcrimen inter aliquas duas res, neceſſariò cognoſcit illas. pagina 383. col. 1.

Varietas aliquarũ rerũ, nõ diuerſis potentijs, ſed vna eademque cognoſcitur. ibid. col. 2.

Omnis potentia cognoſcitiua poteſt naturaliter elicere actũ circa obiectum ſibi proportionatum, & approximatum. p. 441. col. 1.

Illa maxima Ariſtotelis, *Potentiæ diſtinguũtur per actus*, de qua diſtinctione ſit intelligenda, ſubtiliter & diſtinctè exponitur. p. 467. col. 2.

Si duæ potentiæ cum æquali gratia ſecundùm vltimum ipſarum agerent, vna non produce-

ret maius meritum,quàm alia.pag.518. col.2.

¶Poteſtas.

Inter poteſtatem diuinam, & poteſtatem humanam latum diſcrimen aſsignatur.p.639.col.2.

¶Principium.

Totum principium, quo ignis calefacit, eſt calor,& non forma ignis.pag.36.col.2.

Principium producendi ad extra eſt triplex.pagina.95.col.2.

Principium actiuum motus vt quo, aliud eſt à principio actiuo motus vt quod.p.242.col.1.

Principiũ quod,eſt ipſum mouens, principium quo,eſt ratio formalis mouendi.p.247.col.1.

Principium reſpectu intellectionis eſt ipſemet intellectus.pag.306.col.2.

Ad hoc, vt aliquid ſit principiũ operationis alicuius immanẽtis,quid requiratur. p.307.c.2.

Principiorum habitus cur in vobis neceſſarius. p.451.col.1.

¶Priuatio.

Priuatio alicuius formæ poteſt ſe dupliciter habere ad illam formam.pag.704.col.1.

¶Puer.

Omnes pueri baptizati, qui decedũt ante vſum rationis,habent æqualem gloriam in cœlo.pagina.516.col.2.

Pueri in ſtatu innocẽtię, fuiſſent nati in iuſtitia originali,& gratia gratum faciẽte. p.605.c.2.

Iuſtitia originalis & gratia conceſſa eſſet pueris in illo ſtatu ex dono Dei,non autẽ ex hęreditate paterna, per ſeminalem generationẽ trãſfuſa.ibidem.

Pueri in ſtatu innocentiæ non naſcerentur confirmati in iuſtitia originali,& gratia. ibidem.

Decedentes cũ ſolo originali peccato,nullam in alia vita ſenſibilẽ pœnã patiũtur.p.715.col.1.

Paruuli cum originali decedentes, poſt diem iudicij cognitionem tam naturalium, quàm ſupernaturalium habituri ſint, necne, dubium eſt.pag.717.col.2.

Prædicti paruuli,quamuis intelligant ſe fuiſſe capaces æternę beatitudinis,nullã tamen patientur triſtitiam ex amiſsione illius.ibidem.

Tales paruuli nullam habebunt beatitudinem naturalẽ,aut ſupernaturalem.pag. 718. col.1.

¶Productio.

Ex ratione formali productionis paſsiuæ,qualis contactus inferatur.pag.25.col.2.

Inter ꝑducẽs & productũ quid mediet.77.co.2.

Productio creaturarum pertinet ad cognitionẽ & volitionem eſſentialem.pag.89.col.2.

Productio ad extrà nõ includit formaliter productionem ad intrà.pag.97.columna.1.

Productio verbi non eſt operatio vitalis. pagina.447.colum.2.

¶Propoſitio.

Propoſitiones de futuro contingenti dicuntur à Doctore,propoſitiones neutræ,& quare ſic appellentur.pag.411.col.2.

Illa propoſitio eſt temeraria in Theologia,quæ docet contra communem ſententiam Doctorum Scholaſticorum.pag.498.col.2.

¶Prudentia.

Prudẽtia quid ſit,in quo intellectu,& circa quæ propriè verſetur.pag.389.col.2.

¶Quantitas.

Quantitas duplex, molis, ſcilicet, & virtutis. pag.207.col.1.

Quantitas molis eſt corporibus ratio exiſtendi in loco.ibidem.

Rebus ſpiritualibus, vt Angelis, ratio exiſtendi in loco eſt virtualis quantitas.ibidem.

Per virtualem quantitatem Angeli, quid intelligat Doctor,declaratur.ibidem.

Quantitas ab alio habet,quòd circunſcribat corpus,ab alio verò ꝙ illud definiat.p.220.co.2.

¶Relatio.

Relatio quælibet poteſt dupliciter conſiderari.pag.74 col.1.

Qua prioritate referatur priùs effectus ad cauſam,quàm cauſa ad effectũ,explicatur.pagina.61.col.1.

Relatio & reſpectus qua ratione differant. pagina.83.col.2.

Reſpectus diuiſio breuiter aſsignatur. ibidem.

Aliqui ſunt reſpectus extrinſecùs aduenientes. pag. 84.columna.1.

Iſti reſpectus extrinſecùs aduenientes ad prædicamentum Relationis minimè pertinent. pag.84.col.2.

¶Repræſentatio.

Repræſentatio,qua ſpecies repræſentat, vel eſt eſſentia ſpeciei, vel modus abſolutus, ipſi intrinſecus.pag.398.col.1

Eodem modo ſemper repræſentatio ſe habet, quando ſpecies eſt immutata.ibidem.

¶Res.

Res poſſunt habere triplex eſſe.pag.38.col. 2.

Res triplicem habent potentiam,logicam, nimirùm, obiectiuam,& realem.ibidem.

Reale dicitur aliquid duobus modis,& quibus. pag.43.col.1.& 2.

Sicut res ſe habet ad eſſe,ita ad operari. pa. 302. col.2.

¶Reſiſtentia.

Reſiſtentia duplex, intrinſeca, nimirùm, & extrinſeca.pag.276.col.

Reſiſtentia intrinſeca medij quæ. ibidem.

¶Reſpectus.

Vide verbum,Relatio.

¶ *Sacramentum.*

SAcramenta nouæ legis ſunt ſimpliciter cauſæ inſtrumētales gratiæ, quæ per illa confertur.pag.123.col.2.

Sacramenta nouæ legis non ſunt cauſæ per accidens, vel ſine quibus non, gratiæ, quæ producitur.ibidem.

Sacramēta nouæ legis non ex eo ſunt cauſa gratiæ, quia cauſant diſpoſitionem ad illam in anima.ibidem.

Quo in ſenſu prædicta ſacramenta non ſint inſtrumenta phyſica reſpectu productionis gratiæ pag.124.col.1.

Sacramenta ſunt cauſæ morales efficientes gratiam.pag.124.col.2.

Sacramenta nouæ legis ſunt inſtrumenta phyſica reſpectu gratiæ, quæ per ipſa producitur.pag.126.col.1.

Sacramenta reſpectu gratiæ ſic ſe habent, ſicut motio ſecuris.pag.126.col.2.

¶ *Scientia.*

Scientia Dei non eſt diſcurſiua.pag.129.col.1.

Vide verbum, Deus.

Scientiæ diſtinguuntur ſecundùm abſtractionem à materia ſenſibili, vel intelligibili. pagina.293.col.2.

¶ *Scriptura.*

Scripturæ ſacræ authoritates, quæ ex operatione Dei vbique, colligūt exiſtentiam eius vbique, quo in ſenſu intelligantur.pag.28.col.2.

¶ *Senſus.*

Quando Ariſtoteles dicit, *Senſus eſt ſingularium*, quo pacto ſit intelligendus, exponitur.pagi.386.col.2.

¶ *Significatio.*

Vide verbum, Cauſalitas.

¶ *Singulare.*

Singularia ſunt per ſe intelligibilia.p.378.co.1.

Singularia ab intellectu cognoſcuntur directè. pag.383.col.2.

Singulare eſt cognoſcibile per propriam ſpeciem.ibidem.

Singulare mouet intellectum primò & per ſe. pag.384.col.1.

Singulare habet in intellectu proprium conceptum, & proprium verbum.385.colum.2.

Singulare quò pacto ſit materiale, quomodò autem ſpirituale, oſtenditur.pag.386.col.2.

Singularis materialis duplex conſideratio.pagina 388.col.2.

Singularia materialia non materialiter, ſed immaterialiter intelliguntur.pa.390.col.2.

Singulare materiale non poteſt per ſe ipſum immediatè producere ſpeciem intelligibilem ſui in intellectu, & quo pacto poſsit.ibidem.

Rei ſingularis exiſtentia non eſt neceſſaria conditio ad cognitionem.pag.359.col.2.

¶ *Species.*

Species intelligibilis eſt naturalis quędam ſimilitudo obiecti.pag.358.col.1.

Species intelligibilis reſpectu intellectus ad intellectionem aliter ſe habet, quàm habitus.pagina.258.col.2.

Quarū rerū ſpecies debeātur angelo. p.351.c.1.

Species ſunt Angelo connaturales, & in quo poſita ſit hæc connaturalitas.352.pag.1.

Quot modis poſsit vna ſpecies eſſe vniuerſalior in repræſentando.375.col.1.

Quò aliquis angelus eſt altero ſuperior in perfectione eſſentiali, tantò habet ſpecies vniuerſaliores.ibid.col.2.

Eſſe cauſabilem aliquam ſpeciem, per ſe infuſam immediatè à Deo, repræſentatiuam plurium quidditatum, eſt probabile.pag.373.col.2.

Deus de facto non produxit in Angelis ſpecies immediatè repræſentatiuas plurium quidditatum.ibidem.

Species creata, nec in eſſendo, nec in repræſentando poteſt eſſe infinita.374.col.1.

Species intelligibiles repræſentando cauſant. ibid.col.2.

Quot modis intelligi poſsit, vnam ſpeciem eſſe vniuerſaliorem.pag.375.col.1.

Maior ſpecierū vniuerſalitas in quo cōſiſtat.pagina.375.col.2.

Diuæ Thomæ ſententiã de ſpecierum vniuerſalitate triplex explicandi modus.ibidem.

Species intelligibilis rei materialis quale eſſe habeat, & quo pacto rem, cuius eſt ſpecies, repræſentet.pag.389.col.1.

Species intelligibilis repræſentat omnes conditiones, immaterialiter tamen p.390.col.2.

Species acquiſita eſt naturalis & adæquata ſimilitudo obiecti à quo eſt acquiſita.p.392.co.2.

Species intelligibiles non ſunt repræſentatiuæ, ſed repræſentantes.pag.430.col.1.

Species ad apprehenſionem ſunt neceſſariæ. pagina.449.col.2.

Inter ſpecies intelligibiles, & habitus intellectuales, diſcrimen aſsignatur.ibidem.

Quælibet ſpecies adęquat virtutem intellectus. pag.458.col.2.

¶ *Subiectum.*

Subiectum qua ratione ſit cauſa reſpectu ſuarū propriarum paſsionum, declaratur.p.33.c.2.

Subiectum non ſe habet tantùm paſsiuè reſpectu ſuarum paſsionum.ibidem.

Nec ſe habet in genere cauſæ formalis, nec in genere cauſæ finalis.ibidem.

Subiectum in omni mutatione debet aliter ſe habere nunc, quàm prius. pag. 51. col. 2.
Subiectum eſt commune vtrique termino mutationis. pag. 52. col. 1.
Subiectum tripliciter ſe poteſt habere ad aliquā formam, & quomodò. pag. 66. col. 2.

¶ *Subſtantia.*

Inter ſubſtantiam diuinam, & ſubſtantias creatas diſcrimen aperitur. pag. 91. col. 1.
Subſtantiæ ratio formalis eſt eſſe per ſe, non autem duplex illa negatio, per quam ab Ariſtotele definitur. pag. 146. col. 2.
[Su]bſtantia, ſiue corporea, ſiue incorporea finita, ſecundùm quid fundet relationem præſentialitatis, aperitur. pag. 220. col. 2.

¶ *Suppoſitum.*

Suppoſitum diuinum immediatè eſt in omnibus rebus. pag. 17. col. 2.
Suppoſitum & perſona in quo diſtinguantur. pagina. 144. col. 1.
Suppoſiti ratio non eſt aliqua forma informans ipſam naturam ſingularem. ibidem.
Suppoſiti ratio ſupra naturam quid addat. pagina. 145. col. 2.
Suppoſitum ſupra naturam ſingularē, nihil addere poſitiuum, probabile. pag. 146. col. 1.
Rationem ſuppoſiti vel perſonæ ſupra naturam ſingularem & indiuiduam modum realem & poſitiuum addere, probabilius. pag. 146. columna. 2.

¶ *Tempus.*

Tempus continuum eſt mēſura motus primi mobilis. pag. 285. col. 2.
Circa tempus angelorum maxima inter Doctorem, & Diuum Thomam differentia. pag. 511. col. 2.

¶ *Verbum.*

Verbum expreſſum in noſtra cognitione propter duo neceſſarium. pag. 87. columna. 1.
Inter verbum, & ſpeciem intelligibilem, quid diſtet. pag. 385. col. 2. & pag. 431. columna. 2. & pag. 432. col. 1.
Verbum antecedit ipſum intelligere, ſequitur tamen ipſum dicere. pag. 432. col. 1.
Verbum & intelligere maximè inter ſe diſtinguuntur. pag. 433. col. 1.
Verbum eſt terminus dictionis. ibidem.
Verbum mentis in ſententia Doctoris quid ſit. pag. 438. col. 1.
Verbum non producitur per operationem. pagina. 447. col. 2.
Verbum eſt principium formale ipſius intelligere. ibidem.
Verbum eſt ratio formalis intelligendi. ibidem.
Verbum non eſt ratio effectiua cognoſcendi, vt ſpecies. pag. 458. col. 1.

¶ *Virgo.*

B. Virgo quemcunque angelorum, etiam ſupremum, imò omnes angelos & ſanctos ſimul in merito excedit. pag. 518. col. 2.
B. ſemper virgo peccatum originale non contraxit. pag. 661. col. 1.
Sola illa ſententia, quæ docet B. Virg. non contraxiſſe peccatum originale, eſt prædicanda. pag. 664. col. 1.
Propter quid perpeſſa ſit pœnas corporales beatiſsima virgo. pag. 667. col. 1.

¶ *Virtus.*

Solus Deus agit immediatè immediatione virtutis. pag. 18. col. 1.
Virtutis immediatio non excludit, abſolutè loquendo, immediationem ſuppoſiti. pag. 19. colum. 2.
Virtus Dei à ſubſtantia ipſius non diſtinguitur. pag. 22. col. 1. & pag. 23. col. 1.
Ex identitate virtutis & operationis Dei cum ipſius eſſentia, aliqui hanc conſequentiam, *Deus vbique operatur, ergo vbique eſt*, eſſe formalem, alij verò, vt Doctor, eſſe tantùm materialem, contendunt. pag. 23. col. 1.
Virtus ad operandum, eſt proximum principiū operationis. pag. 23. col. 1.
Per ſuam virtutem coniungi ipſum agens paſſo, quid. pag. 26. col. 1.
Virtus actiua, principium quo vocatur, & actus primus. ibidem.
Virtus ſecundùm rem non eſt in ſubiecto alterato, aut in effectu producto, niſi virtualiter duntaxat. ibidem.
Virtus Dei dicit reſpectum ad creaturam, quatenus producibilis eſt, eſſentia autem eius nō item. pag. 27. col. 2.
Ex virtute ſequitur eſſentia in obliquo. pagina. 27. col. 2.
Virtus ſeminis non eſt cauſa totalis generationis. pag. 36. col. 1.
Virtus actiua eſt virtus tranſmutandi aliud, in quantum aliud. pag. 78. col. 1.
Virtus paſsiua quid dicat, ibidem declaratur.

¶ *Viſio.*

Inter viſionem & auditionem optima aſsignatur à Doctore differentia. pag. 429. col. 1.
Viſionem & fidem de eodem obiecto ſimul eſſe implicat. pag. 512. col. 2.

¶ *Viſus.*

Noſtra potentia viſiua ſimul plura videt, non tamen adæquata viſione. pag. 453. col. 1.

¶ *Vnitas.*

Vnitas naturæ, vt antecedit proprietatem indiuidualem, eſt vnitas ſpecifica. pag. 111. col. 2.

Vnitas numeralis indiuidui eſt determinata, vel determinationem conſequitur. ibidem.

Vnitas ſpecifica dupliciter ſumi poteſt. pagina 151. colum. 1.

Vnitas eſt modus poſitiuus per indiuiſionem explicatus. ibidem.

¶ *Vniuerſalitas.*

Vniuerſalitas fundamentalis eſt quædam communitas & indifferentia naturæ. p. 112. col. 1.

Vniuerſalitas formalis eſt ſecunda quædam intentio. ibidem.

¶ *Voluntas.*

Ratio quidditatiua voluntatis eſt ratio libertatis. pag. 61. col. a.

Voluntas, quantumcunque determinata, ſemper manet libera. ibidem.

Voluntas & volitio diuina quomodò ſe habeãt reſpectu productionis rerum, pag. 78. col. 2.

Per volũtatem operatur Deus, quidquid ad extra operatur. ibidem.

Eadem numero volũtas eſt in Patre, Filio, & Spiritu ſancto. pag. 96. col. a.

Voluntas diuina non habet maiorem virtutem in tribus perſonis, quàm in vna. ibidem.

Voluntatis electio de quo ſit, & à quo neceſſariò pendeat. pag. 389. colum. 2.

Voluntatis, tam creatæ, quàm increatæ determinatio, pro tẽpore quo determinat ſe, quo pacto à determinatione cauſæ naturalis differat. pag. 412. col. 1.

Voluntatis triplex cõſideratio. pag. 412. col. 2.

Inter determinationem voluntatis de præterito, & eiuſdem determinationem de præſenti, quæ differentia. pag. 413. col. 2.

Voluntas diuina, cõſiderata in ordine ad actum ſuum, ſemper eſt determinãs ſe. p. 414. col. 1.

Voluntatis libertas in actu ſecundo, quid importet. pag. 435. col. 2.

Voluntatis angelicæ & humanæ conſideratio duplex. pag. 468. col. 2.

Voluntas hominis & angeli, in ratione potentiarum ſecundùm rationem logicam non diſtinguuntur ſpecie. pag. 469. col. 1.

Voluntas hominis & angeli, quatenus ſunt entitates reales, & ſecundùm eſſe abſolutum, perfectioneſq́; diuerſarum na[...] guuntur ſpecie. ibidem.

Voluntas diuina & humana penes q[...] guantur. pag. 471. col. 1.

Notandum diſcrimen inter Diuum T[...] & Doctorem, circa naturam voluntat[...] dine ad ſuos actus. pag. 471. col. 1.

Voluntas cogi non poteſt. pag. 474. col. 2.

In voluntate duplex eſt appetitus, naturali[...] liber. pag. 475. col. 2.

Volũtas in actu ſuo elicito ſequitur inclinationem ſuam. 476. col. 1.

Voluntas non poteſt nolle beatitudinem ſuam ibidem. col. 2.

Voluntas reſpectu cuiuſcunq; actus eſt liber. & à nullo obiecto determinatur. ibidem.

Voluntas poteſt ſe ſuſpendere ab omni act[...] etiam oſtenſa beatitudine. ibidem.

Voluntas ſe ipſam determinat, & non determinatur ab obiecto, niſi extrinſecè. ibidem.

Voluntas aut libera eſt, aut volũtas non eſt. ibidem.

Voluntas talis naturæ, & conditionis eſt, vt ſe ipſam reſpectu cuiuſcunque actus determinet, quantumuis ille neceſſarius ſit. ibidem.

Voluntate, vt naturâ, diligebat Chriſtus non mori, & voluntate, vt libera, diligebat mori. pag. 487. col. 2.

Non poteſt fieri talis voluntas, quæ ſit impeccabilis per naturam. pag. 520. col. 1.

Volũtas angeli eſt determinata ad amorem ſui, & quãtum ad exercitium, & quoad ſpecificationem. pag. 527. col. 2.

Voluntas, quæ non eſt regula ſui actus, nec eſt coniuncta regulæ, poteſt in ſuis operationibus deficere. pag. 529. col. 1.

Sola voluntas diuina eſt regula ſuorum actuum. ibidem.

Deus non poteſt facere aliquam voluntatem liberam naturâ ſua impeccabilem in ordine ad finem naturalem, & ad bonum naturale & morale agendum. ibidem.

Volũtas angeli reſpectu Dei, finis naturalis, nõ eſt dicẽda impeccabilis per naturã. ibid. col. 2.

Non eâdem neceſsitate tendit voluntas in finẽ, & in ea, quæ ſunt ad finem. pag. 530. col. 2.

Voluntas plures volitiones oppoſitas ſimul habere non poteſt. pag. 641. col.

FINIS.

Digitized by Google